Digitized by the Internet Archive
in 2023 with funding from
Kahle/Austin Foundation

https://archive.org/details/sanctiambrosiime0006vari

Mons: Raffaello Poggiali al Convitto Della Calza

SANCTI

AMBROSII

MEDIOLANENSIS

OPERA OMNIA

Sæpe cum adessemus, non enim vetabatur quisquam ingredi, sic eum legentem vidimus tacite, et aliter nunquam; sedentesque in diuturno silentio (quis enim tam intento esse oneri auderet?) discedebamus.

S. Augustinus, Confess. lib. vi, c. iii.

SANCTI
AMBROSII

MEDIOLANENSIS EPISCOPI, ECCLESIÆ PATRIS AC DOCTORIS

OPERA OMNIA

AD MEDIOLANENSES CODICES PRESSIUS EXACTA

CURANTE

PAULO ANGELO BALLERINI

Metropolitanæ Ecclesiæ Canonico Ordinario, Patriarcha Alexandrinorum Latini ritus

DOCTIS ITIDEM ALIIS VIRIS, PRÆSERTIM EX AMBROSIANA BIBLIOTHECA, COADJUVANTIBUS

ALOISIO NAZARI E COMITIBUS A CALABIANA

IN METROPOLITANA SEDE AMBROSII SUCCESSORI

DICATA

MONUMENTUM FILIALIS PIETATIS
ERGA PARENTEM OPTIMUM
VERTENTE ANNO AUSPICATISSIMO
ELEVATIONIS SACRARUM EJUSDEM EXUVIARUM
AC QUINTIDECIMI AB IPSIUS EPISCOPALI CONSECRATIONE
SÆCULARIS FESTI

TOMUS SEXTUS.

GRADUATE THEOLOGY LIBRARY 1962 NOTRE

MEDIOLANI
E TYPOGRAPHIA SANCTI JOSEPHI, VIA SANCTI CALOCERI, N. 9

MDCCCLXXXIII.

ALMA COLLEGE LIBRARY Alma, California

25340

PRÆFATIO

AD HUNC

POSTREMUM OPERUM D. AMBROSII TOMUM



In præcedentibus voluminibus omnia collegimus præclari Antistitis ac Doctoris Ambrosii scripta, quæ certa et eliquata nobis ejusdem visa sunt, illi ut indubia pro viribus vindicantes quædam opera a Maurinis Editoribus in suis præviis *Admonitionibus* eidem detracta, licet ea inter genuinos ipsius fœtus ipsi quoque vulgaverint ut opinioni communi ac præcedentibus editionibus morem gererent; insuper et *Commentarios in epistolas D. Pauli* et nonnullos hymnos Ambrosio indubie asserentes, quos Editores illi, aliunde optime meriti, inter scripta certo spuria rejecerant; alia demum adjicientes, quæ Maurinos Patres latuerunt. Superest nunc ut nonnullas tractationes exhibeamus quæ vel nonnisi oscitanter pro Ambrosianis proponi possunt, vel quæ nullo indicio Ambrosio attribuere licet, immo ob contrarias notas ei abjudicari debent; verum cum ignoti auctoris sint, et ideo in editionibus operum veterum aliorum Patrum locum suum obtinere non potuerint, cumque hucusque certis Ambrosii scriptis fuerint consociatæ, neque a nobis rejiciendæ erant ne hæc quoque nullatenus contemptibilia venerandæ ecclesiasticæ antiquitatis documenta neglecta a nobis viderentur aut interirent. Aderat insuper quædam libera translatio e Josepho Hebraico, cui titulus *de Excidio Urbis Hierosolymitanæ*, quam perspicua indicia, ut suo loco videbitur, ab eodem Ambrosio confectam esse demonstrant, quæque parvi facienda non est potissimum propter ea quæ de re christiana eidem a translatore ac de supremis Petri apostoli fatis inserta sunt. Hanc igitur ante omnia dubia ac supposititia opera exhibebimus, quam non ideo a reliquis certis Ambrosii scriptis segregavimus quod vere ab Ambrosio elucubratam non habeamus, sed eo quod maxima ex parte simplex versio, non autem opus originale sit.

Huic vero satis prolixo operi duplex succedet sermo, qui saltem quoad substantiam Ambrosii revera esse videtur, uterque non multis ab hinc annis repertus et editus, et quidem primus titulo *Explanatio Symboli ad initiandos*, atque in bina lectione, alter vero inscriptus *Exhortatio ad neophytos de Symbolo*. His dein subdemus quotquot, licet spuria dijudicentur, attamen ipsi Maurini Editores addenda censuerunt Sancti Doctoris operibus, nec ordine ab eo immutato quem illi secuti sunt; atque his alia ex iis quoque adjiciemus, quæ in recentiorem Mignii editionem excepta fuerunt. Demum quæ de Ambrosii vita, ingenio institutis, deque nuperrime feliciter in lucem proditis reliquiis silentio præterire nullatenus deceret,

volumen claudent. Sed hoc ipsum aperiendum duximus magni laboris ac sedulitatis apparatu, quem præstantissimus olim monachus, nunc abbas celeberrimi cœnobii basiliani Cryptæferratæ, in Ambrosii commendationem e græca hymnologia coadunavit, ut ita veluti coronis illis laudibus imponatur, quibus eum a veteribus priori volumine inspeximus cumulatum.

Ut nunc ad illa deveniamus quibus præclari Maurini Editores tam de admissis quam de rejectis suppositis Ambrosio operibus in secunda sua *Præfatione* rationem exhibuerunt, ipsi, et quidem jure, si res generice spectetur, se partim eorum omisisse, partim in Appendicem rejecisse, monuerunt, « rati scilicet iniquum fore « ut gloriosum tanti patris nomen una cum legitimis libris subdititii atque eodem « prorsus indigni sibi arrogarent. Enim vero, prosequuntur, non possumus satis « mirari tot libros atque sermones sancto Doctori suppositos fuisse, qui ab ejus « ingenio, stylo, sæculo penitus abhorrent, et quorum etiam nonnulli inter alio- « rum scriptorum Opera circumferuntur. Sed hoc admirationem nobis incutit « multo majorem, quod male feriati quidam homines adeo illuserint fidei publicæ, « ut aliquas commentationes, quas Ambrosii non esse liquido prodebat prima « lectio, variis locis interpolarent, quo eos pro Ambrosianis securius liceret ob- « trudere. Quod imposturæ genus qua parte levius sit eorum crimine, qui cusos « abs se adulterinos nummos bonis abmiscent, nemo dixerit ». Ideo subdititios illos fœtus duplici in ordine, constituerunt, ut alios omnino prætermitterent, alios in Appendicem amandarent. Prætermittendos scilicet illos, qui alibi cum aliorum auctorum scriptis editi, quærentium diligentiæ facile occurrerent, aut qui per se levissimi ac nullius utilitatis, perinde editorum labore ac lectorum studio indigni essent. Illorum vero ex quibus Appendicem suam confecerunt, geminam pariter esse rationem animadverterunt; nempe vel ipsos editiones superiores venditasse tamquam Ambrosianos, et horum numerum multo majorem esse; vel eosdem quasi subreptitios, aut saltem suppositionis admodum suspectos in extremum agmen coegisse: ex hac autem altera classe se eos tantum tractatus retinuisse quos nec inutiles judicaverint, nec usquam alibi in lucem datos invenerint.

« Ut ergo, rursus monent prælaudati Patres, ad Opera in editionem nostram « e superioribus non admissa jam veniamus, quæ ex Gillotiana editione jam Ro- « mani repudiaverant, ea nos similiter abdicavimus tamquam manifesto supposi- « titia. Tale est fragmentum *De Fide Resurrectionis,* quod Gillotius legitimo Am- « brosii de eadem materia libro etsi non sine dubitatione aliqua subjunxerat. « Sed numquam illud edi curasset, si ex epistola Hieronymiana ad Pammachium « adversus errores Johannis Hierosolymitani conflatum esse deprehendisset. Tales « etiam sunt Meditationes ex archivis Chartusiæ Parisiensis, ut idem Gillotius « testatur, depromptæ: quæ quidem omnes reperiuntur inter eas meditationes, « quas apud Augustinum tom. IX Lovaniensis editionis evolvere est, sed non « eodem tamen ordine. Exstant hæ ipsæ in Appendice ad tom. VI novæ edi- « tionis, quibus et præmittitur Admonitio, quam consulere cuivis pronum est. « Nec etiam dissimiles sunt his scriptionibus, immo ab Ambrosii charactere magis « abhorrent breves epistolæ philosophorum, quas tamquam a Viro sancto e græca « lingua in latinam versas post Gilbertum Cognatum edidit Gillotius. Cum his « rejecere iidem Romani secundam ex illis duabus epistolis de monacho ener-

« gumeno, quas e codice uno Germanensi, in quo tres libros Officiorum proxime « sequuntur, Gillotiana editio repræsentaret. Extra dubium est jure semotam illam « epistolam, cum non alia sit ab epistola Gregorii Magni ad Januarium Calari- « tanum episcopum: sed cum altera lacinia sit avulsa e fine libri *de vitiorum* « *virtutumque conflictu*, cur eadem Romana editio illam retineret, nihil erat causæ. « Illo accedit, quod neutra epistola Ambrosii nomen in codice nostro inditum « præfert; unde utrique ex eo quod subjungantur libris Officiorum, male au- « ctorem adtributum esse perspicuum est ».

Eorum deinde rationem reddentes quæ, etsi a Romana editione non repudiata, a sua tamen Maurini Editores duxerint excludenda, libros *De Vocatione gentium* ajunt se omisisse quod, licet cum Operibus Ambrosianis antea editi fuerint, eos tamen non esse Ambrosii tam constanter convenerint critici, quam de vero eorumdem auctore dissenserint, ut conspicere est in duorum eruditorum dissertationibus, Quesnellii atque Anselmi: quorum prior, cum eos libros inter Opera sancti Leonis edidisset, rationes quibus illos huic Pontifici arbitratus est adserendos, in medium protulit; posterior autem hoc injuriam Prospero suo fieri existimans, ipsius jura contra Quesnellium defendit; quæ eadem controversia circa *Epistolam ad Demetriadem* occurrit, uti ubi de rejectis epistolis, iterum dicendum erit.

Librum quoque *de Vitiorum Virtutumque conflictu*, ad calcem tomi V ab Editoribus Romanis insertum, a se omissum ajunt quod manuscriptorum alii Ambrosio, alii Augustino, vel etiam Leoni adtribuant, licet pari falsitate, cum optime omnium codex unus Abbatiæ sancti Ebrulphi eum Ambrosii Autperti nomine inscriptum habeat: cui Autperto in appendice tomi VI Augustinianæ editionis, ubi et vulgata fuit illa disceptatio, argumentis nequaquam futilibus adserta sit. Notamus autem haberi et in quodam cod. sæculi XI olim Augiensi, nunc Bibliothecæ Tigurinæ (89). Hunc vero librum quia inter memoratas Augustini appendices editus jam prostat, neque nos recudendum arbitrati sumus; uti pariter omittemus nonnullas opellas ejusdem Ambrosianæ Appendicis romanæ editionis, quas et Maurini expunxerunt, uti sunt, *Expositio fidei Symboli Nicæni contra Arrium et Photinum*, quæ tota e locis aliquot primi librorum sancti Ambrosii *de Fide* consarcinata est; item *Exhortatio ad pœnitentiam agendam*, quæ fere totidem verbis in Sermone CCCXCIII eos inter Augustini occurrit. Tractatum tamen *de moribus Brachmanorum*, quem a se omissum neminem conquesturum Maurini dixere, utpote Ambrosio plane indignum, nos non repudiavimus, e converso omittendum censuimus *Sermonem de Purificatione S. Mariæ*, licet eum codices non pauci Ambrosio tribuant, eo quod e veteri manuscripto, in quo præferebat nomen Alcuini, Cl. Baluzius primo Miscellaneorum suorum tomo ediderit, quique probabilius Ambrosii Autperti pariter esse videtur, tum quod sub ejus nomine vetustissimus codex Floriacensis illum exhibet, tum quod ipsum Autpertum pulcherrimas in sanctos, et in hoc beatissimæ Virginis festum scripsisse homilias Petrus Diaconus testetur.

De viris illustr. Casin. Cap. 13.

Sed in ecclesiasticis documentis mentiones præterea occurrunt nonnullorum Operum quæ sancto Doctori atque Antistiti asseruntur, quæque nedum nullibi typis edita, sed neque in mss. codicibus reperire hucusque licuit. Et quidem in horum ordine primo loco recensenda sunt *Commentaria in Esaiam prophetam*,

e quibus non solum nonnullos locos apud Augustinum legere licet adversus hæresim pelagianam, quosque et nos inde collegimus, sed quorum etiam mentionem facit ipsemet Ambrosius *in Expositione Evangelii secundum Lucam,* ut ipsi jam pariter animadvertimus.

Lib. II, num. 56.

Deperditum dein jure lamentamur aliud eximium opus similiter ab Augustino magna cum laude ita commemoratum in epistola quadam ad Paulinum Nolanum: *Libros beatissimi papæ Ambrosii credo habere sanctitatem tuam, eos autem desidero, quos adversus nonnullos imperitissimos et superbissimos, qui de Platonis libris Dominum profecisse contendunt, diligentissime et copiosissime scripsit*, quodque diversimode diversis allegat locis: interdum enim illud nominat *de Sacramentis sive Philosophia;* interdum, *de Sacramento Regenerationis sive Philosophia;* nonnumquam etiam simpliciter, *de Regeneratione;* alicubi demum, *de Philosophia adversus Platonem.* Pauca autem fragmenta hujus quoque operis, quæ nobis Augustinus asservavit, colligere et in præcedentibus edere non negleximus.

Epist. XXXI, novæ edit.

Cum præterea non satis perspicue intelligatur, quonam sensu dixerit Ambrosius: *De Eliæ gestis plurima jam frequenti diversorum librorum sermone digessimus;* utrum nempe nihil aliud his significaverit, nisi frequentem in libris suis gestorum Eliæ fieri mentionem, an hoc argumentum ex professo quibusdam se libris pertractasse, incertum manet utrum hujusmodi libri revera extiterint, et ipsi quoque post eum maturius exciderint. Attamen extra omne dubium est periisse illum tractatum, quem pro puero Pansophio ex mortuis a se suscitato scripserat, quemadmodum narrat Paulinus his verbis: *Ad quem etiam infantulum libellum conscripsit, ut quod ætatis infantia scire non poterat, legendo cognosceret.* Hunc enim libellum a longo jam ævo deperditum eruditi conqueruntur. Insuper idem fidissimus Ambrosii notarius memoriæ tradidit ab illo conscriptam esse pro Fritigil, Marcomannorum regina, aliam fidei catholicæ institutionem, de qua ait: *Ad quam,* nempe Fritigil, *ille epistolam fecit præclaram in modum Catechismi.* At hoc quoque magni certo pretii opusculum prorsus intercidisse dolendum: quod enim nonnulli fragmentum illud a Theodoreto græce citatum, quod et nos jam protulimus, ex eadem epistola desumptum volunt, conjectura est nulli innixa argumento.[1]

De Elia et Jejun. Cap. 2, num. 5.

In Ambr. Vita, num. 28

In Ambr. Vita, num. 36.

Polym. Dial. 2.

« Quamvis autem, animadvertunt præterea Maurini Editores, ipsemet Ambrosius « epistolas suas videatur redegisse in librum, extra controversiam tamen est, ab « eo corpore quod nunc superest, plurimas abesse, gravissimasque illas, uti ex « personis ad quas scriptæ fuerant, colligi datur. Nihilominus tamen epistolam illam « ad Irenæum, in qua perdicis clamantis habetur mentio, quamque injuria tem- « poris interceptam esse quidam autumant, nos incolumem existimamus ». Id autem ex iis constat quæ de eadem epistola prolata jam sunt.

Epist. XLVIII, num. 7

« Veri quoque, prosequuntur iidem, simillimum est a sancto Doctore Opera « quædam quæ perierint, in Apollinarii sectam fuisse lucubrata, quando Paternus

[1] Ex epistola S. Caroli, diei 8 Januarii 1578, ad card. de Monte Alto (postea pontificem Sixtum V), inter editas a Tempesta in *Vita di Sisto V*, nec non in collectione earum litterarum ejusdem sancti Præsulis, quæ publici juris factæ sunt anno 1868 a Seminario Viterbiensi obsequii causa erga cardinalem Gonella (vita functum anno 1870), ad eam episcopalem sedem tunc adventantem, constat, *Catechismum ad Reginam Marcomannorum* in quodam elencho Operum ineditorum d. Ambrosii ab eodem Carolo enumeratum esse; minime tamen quod tunc Mediolani existeret, sed quia a quibusdam commemoratus esset *(perchè è allegato da qualche autore).* In eadem vero epistola addit, mittere se transcriptionem libri (Ambrosio suppositi) *de Legatione ad Brachmanos* juxta ipsius Cardinalis mandatum.

« Bracarensis episcopus, qui eidem hæresi nomen dederat, ad veram fidem « lectione librorum adversus Apollinaristas ab Ambrosio editorum conversus « legitur.

« Multorum opinio est de sermone aliquo deperdito intelligenda esse Cassio- « dori verba, quæ sic habent: *Sanctus Ambrosius Mediolanensis episcopus ser- « monem fecit de judicio Salomonis.* Verumtamen nihil aliud istic designari « credimus, quam libri *de Virginitate,* qui hactenus cum libro tertio *de Virgi- « nibus* una serie connectebatur, ipsum exordium, cujus prima verba illa sunt: « *Nobile apud veteres Salomonis illud fertur fuisse judicium,* etc. ». Quod quidem exordium reapse innuerunt iidem Maurini Editores in sua Animadversione ad præfatum librum *de Virginitate* non multum habere affinitatis cum reliquo libro, et ideo conjici posset homiliam aliquam forsitan esse, cum eodem Opere a librariis seris compactam.

Libri *De Instit. Div. Litt.* c. 2

Idem Cassiodorus, de libro Sapientiæ agens testatus est: *De quo et pater Augustinus et sanctus Ambrosius homiliarum nomine nonnulla dixerunt.* Si igitur has homilias ipse vidit nec mendax titulus eum fefellit, dicendum erit ad nostram nec illas ætatem pervenisse. Sed insuper cum idem Cassiodorus pro discipulis suis scripserit: *Dicitur etiam et sanctus Ambrosius Prophetarum Commentaria eloquii soliti dulcedine confecisse, quæ nullatenus potui reperire, quæ vobis magno studio quærenda derelinquo;* hujusmodi verba de uno in Isaiam Commentario accipienda esse non videntur, atque hinc inferri posset alias quoque in Prophetas Commentationes Ambrosium edidisse, quæ valde cito postea deperditæ sint: attamen cum verbum *dicitur* nihil ut certum adfirmet, ipseque Cassiodorus in quærendis veterum libris diligentiam omnem adhibere solitus fuerit, conjicere quoque licet erronea fama eum esse deceptum. At iterum monent Maurini Editores:

Libri *De Instit. Div. Litt.* c. 5

Libri *De Instit. Div. Litt* c. 3.

« Sunt qui existiment Proverbia quoque ab Ambrosio exposita fuisse, inque illum « sensum accipiant prima ista libri *de Mysteriis* verba: *De moralibus quotidianum « sermonem habuimus, cum vel Patriarcharum gesta, vel Proverbiorum legerentur « præcepta.* Et sane beatum Antistitem edisserendis patriarcharum Abrahæ, Isaacii, « et aliorum historiis per id tempus incubuisse exploratum est. Quod si pariter « in illustrando Proverbiorum libro similem operam collocaverit, commentationem « illam desiderari fatendum erit. Sed cum eo loci nonnisi de sermonibus, quos « quotidie ad populum habebat, loquatur Ambrosius; nihil prohibet, quin confectis « libris e concionibus in Patriarchas, in earum forma quæ de Proverbiis erant, « nihil mutarit: eædem vero ut soluta atque dispersa folia solent, deperditæ sint: « aut forte etiam ne umquam quidem scriptis mandatæ, quod aliis quoque ejus- « dem Ambrosii sermonibus evenisse certissimum est.

« Dicunt insuper ipsum testari de conjugio B. Virginis cum S. Joseph se copiose « disseruisse; unde conjiciunt de hoc argumento librum aliquem, qui jam non « exstet, a sancto Viro esse conscriptum. Attamen cum sæpius hac ipsa de re illum « egisse comperiamus, puta in Expositione Evangelii Lucæ semel ac iterum, in « libro *de Instit. Virg.* totidem locis, et in hymno tertio licet brevius; ut de libro « perdito Ambrosianum locum accipiamus, necessum non est: idque maxime cum « in Esaiæ commentariis, aliisque Operibus quæ vere exciderunt, denuo tractari « ab ipso potuerit eadem materia.

Lib. II, num 1 et ss et Lib. X, num. 133.

Cap. 6 et 7.

Strophe 5

« Hic etiam locus quem ita legimus apud Ambrosium: *Ergo ille Samson*, « *ut compendium faciamus historiæ: suo enim tempori totius lectionis digestio* « *reservanda;* quibusdam in animum induxit Doctorem nostrum de Samsonis « gestis commentationem abs se edendam esse pollicitum; et quamvis eamdem « historiam in epistola ad Vigilium pertexuerit, suam tamen fidem non libe- « rasse: nam præter quam quod ejusdem historiæ explicatio ibi nulla est, pro- « missum esse ajunt scriptum publicum, epistolam vero privatam. Verum ut omit- « tamus Ambrosio ignotum non fuisse epistolas suas haud infrequenter publicas « fieri, quis non videat nihil certi ac definiti Ambrosianis promitti verbis; nec « tractatum potius, quam sermonem aliquem illic signari? Cui accedit sæpe sæ- « pius usu venire, ut similis promissi auctorem suum aliis curis distractum et « occupatum capiat oblivio.

Prolog. in Lib. *de Spir. Sanct* num. 12

Epist. XIX.

« Leontius Bizantinus Ambrosianum testimonium citat, *ex libro,* inquit, *contra* « *Apollinarium,* quod in illis Operibus, quæ nunc Ambrosii nomine circumfe- « runtur, negatur inveniri. Sed non est cur magnopere confidamus hujus auctoris « in citando diligentiæ, quippe qui lib. I *contra Nestorium et Eutychetem* duos « locos proferat sub eodem lemmate, quos tamen in libro *de Incarn. Dom. Sa-* « *cram.*, sed non iisdem omnino verbis, reperire est. Quid ergo si tertium hunc « locum, quem sequenti libro citatum legimus, tamquam ex eodem fonte petitum, « quo duo illi, etiam ex libro *de Incarnatione* ductum credamus, licet non ser- « vatis iisdem verbis? »

Lib. II *Cont. Nest. et Eutych.*

Divus Carolus in epistola ad cardinalem *de Monte Alto* (dein pontificem maximum Sixtum V), data Brixiæ die 29 Febr. a. 1580, ei pollicetur se missurum quædam scripta ad se data de consecratione ecclesiæ S. Laurentii per eumdem Ambrosium. Et quidem probabile admodum est ex iis quæ adnotata jam sunt hymno de illo martyre, ipsum Ambrosium ei Mediolani ecclesiam dicasse; sed præter hymnum quem Ambrosio vindicavit cl. Biraghius, nullum de illo s. Doctoris scriptum modo cognoscitur.

Lib. II *Solil* c. 4.

Non desunt tandem qui ex amplo quodam *Soliloquiorum* Augustini testimonio, Ambrosium peculiare Opus *de Immortalitate animæ* edidisse contendant. Attamen ut Augustini verba plenum ac integrum sensum habeant, sufficere videtur, quod Ambrosius in variis libris de hac immortalitate disputaverit: vel etiam si apposita tractatio ibi significari videatur, epistolæ ad Horontianum ab Augustino præ oculis habitæ supponi possunt.

Epist. XXXIV et ss.

Modo vero nonnulla adhuc sunt adjicienda de Operibus quæ Ambrosio quidem asserta sunt, sed numquam in suorum Operum editiones, saltem ante eam Mignii, admissa fuerant. Et quidem legitur in Decreto, ex Synodo Romana sub Gelasio pontifice habita: *Liber physiologus, qui ab hereticis conscriptus est, et B. Ambrosii nomine præsignatus, apocryphus;* quem Hormisdas quoque pontifex censura notavit in Decretali, nec ullibi a multo jam ævo reperitur. In bibliotheca Sanctigallensi apud Helvetios adservantur duo codices sæculi circiter septimi, in quorum altero tractatus exstat sub titulo: *Liber sancti Ambrosii episcopi contra hæreticos*, cujus initium est: *David uno lapidis ictu*, etc. in altero autem alius tractatus ita inscriptus: *Liber sancti Ambrosii episcopi in laude sanctorum compositus;* cujus prima verba sunt: *Pertinere ad nos, dilectissimi fratres.* Hujus

Distinct. 15 cap. *Sancta Rom*

operis mentio habetur hisce verbis: *De laude SS.* etiam in Ms. codice ambrosiano F. 5, IV, 1, ubi elenchus operum S. Ambrosii e veteri quadam membrana sæc. XII exhibetur. Utrumque autem tractatum e codd. Sanctigallensibus Mabillonius dum Germaniæ perlustraret bibliothecas, rogatu confratrum qui Ambrosii editioni incumbebant, describi curavit: sed cum priorem, quem ex Parisiensi quoque manuscripto descriptum, et pro ambrosiano citatum, videre est in Urbinatis Milleloquio, ad examen revocassent iidem Patres, invenerunt partem tantum esse Operis cujusdam semel atque iterum in *Bibliotheca Patrum* editi, primo quidem sub hac epigraphe: *Faustini episcopi contra Arrianos,* etc.; rursus vero sub ista: *Gregorii Bœtici Illiberitani episcopi ad Gallam Placidiam Augustam.* Quamvis vero non defuerint, qui hac inducti inscriptione, id opusculum Gregorio tribuerent, melius tamen ab aliis Faustino adscribi ipsi Maurini Patres asseruerunt. Quod autem ad alterum, monent prælaudati Maurini: « Quam et ille alienus sit ab Ambrosio, vel hinc « intelligas, quod sermo quidam sit habitus ab episcopo anonymo, qui se ex Britan- « niis, ubi pacis conciliandæ gratia diu moratus fuerat, reducem esse aperte narrat. « Illud autem eos qui hocce scriptum Doctori nostro rati sunt adscribendum, « videtur decepisse, quod ejus auctor mentionem facit sanctorum Protasii atque « Gervasii; quin etiam et Ambrosium ipsum alloquitur. Sed hoc ultimum sancti « Antistitis orationem non esse abunde probat ». Hujus tamen operis specimen saltem aliquod dabimus.

« In codicibus bibliothecæ Ambrosianæ, prosequuntur iidem Patres, Mediolani « opellæ item aliquot habentur Doctoris nostri titulo prænotatæ, quarum non- « nullas laudatus supra Mabillonius ejusque socius D. Mich. Germanus, Musea « Italiæ solita rimantes diligentia, detexerunt, descripseruntque. Prima illarum est, « quæ inscribitur: *Confessio fidei sancti Ambrosii;* incipit autem: *Sufficiebat fides « conscripta apud Nicæam.* Sed hanc e Colbertino codice P. Jac. Homey Augu- « stianianus Theologus edidit in *Supplemento Patrum*, jamque prius ipsam vul- « gaverat P. Quesnellius Operum sancti Leonis tomo II, pag. 138, ubi Faustini « nomen in fronte gerit. Rationibus iis quibus Faustino idem Quesnellius eam « vindicat, et inter annos 379 et 381 adserit scriptam, nihil repugnat: contra vero « ut eamdem Ambrosii esse existimemus, nihil suffragatur. Huic schedio iidem « nostri Mabillonius atque Germanus alia duo etiam adjunxere, videlicet *Libellum « Fidei,* et epistolam *de Pudicitia et castitate.* Libellus acephalus est, epistola vero « decurtata posteriori parte; ac præterea tam crebris lacunis utrumque inter- « sectum, ut quamvis a charactere Ambrosii minus recederent, vix tamen essent « tanti, ut in iis edendis charta et opera impenderetur. Idem etiam judicium esto « de quibusdam aliis scriptionibus, quæ in eadem bibliotheca feruntur inveniri sub « his titulis: *De Primitiis offerendis, de Melioribus litigantibus,* et *adversus Astro- « nomos.* Quæ opuscula memoratis sodalibus nostris per angustias temporis, quo « versati sunt Mediolani, expiscari minime licuit ». Hinc in errorem ductus est eruditissimus Ceillier asserens in bibliotheca ambrosiana hosce duos tractatus S. Ambrosii reperiri, dum habentur quidem in Cod. H, 51, sed nomine tantum ambrosiano; re autem nil aliud profertur nisi Homilia XI Origenis a Rufino translata. Nos vero qualem se habet, epistolam *de Pudicitia* exhibebimus.

« In Vaticana bibliotheca (iterum Maurini), præter scriptiones paucas, quas edi-

« dimus in Appendice, aliæ occurrunt adscriptæ Ambrosio; istæ nimirum, *De beato* « *Petro et Simone mago,* quod fragmentum est libri II Historiæ Ecclesiasticæ Eu- « sebii Pamphili latine versum. Item, *de Pœnitentia Petri, de interfectione Agag,* « *de Fide ad beatum Hieronymum,* et *Sententia in hominem pœnitentem.* Quæ « quidem Sententia reperitur etiam in manuscripto Cisterciensi sub hoc lemmate: « *Tractatus sancti Ambrosii episcopi de Pœnitentia;* et in Appendice Operum « beati Hieronymi sic prænotatur: *Epistola sancti Hieronymi ad quemdam, qui* « *in sæculo pœnitebat.* Reliquos vero memoratos tractatus forte apud alios au- « ctores reperient ii, quibus otii satis suppetet: nobis autem illud sufficit, quod « ex lectione apographorum quos hic habemus, Ambrosii non esse certo co- « gnovimus.

« Gallicanæ bibliothecæ quasdam similiter scriptiunculas jactant in Ambrosii Ope- « ribus numquam editas, sed Ambrosianam mentientes nuncupationem. Hujusmodi « quippe sunt in Regia sermones *de Eucharistia, de Cæco nato, de Pace, de falso* « *amico,* et *Contra eos qui animam non confitentur esse facturam, aut eam ex* « *traduce esse dicunt:* in Colbertina sermones *in Nativitate B. Mariæ, ad habi-* « *tantes in cœnobiis,* et *de malitia carnis:* in aliquibus etiam provinciarum biblio- « thecis talia scripta pseudonyma reperiuntur, cujusmodi est *epistola sancti Ambrosii* « *ad Hilarium.* Sed cum horum omnium ac similium, eruditis qui forte in illa « inciderint, vix ullum possit imponere, statimque agnoscatur suppositio; nihil hic « addendum esse arbitramur.

« Verum tamen silentio prætereundæ non sunt commentationes duæ, in Ambro- « sianorum quidem corpore numquam, sub Ambrosii tamen titulo alibi editæ. Altera « habetur apud Bollandum XIII, Kal. Febr. sub hac epigraphæ: *S. Sebastiani* « *Mart. Acta, auctore sancto Ambrosio episcopo.* Sed critici omnes judicii lima- « tioris mendacem hanc esse inscriptionem nullo negotio deprehenderunt. Et sane « multo minus ingenii præferunt Ambrosiani, quam Acta vel sanctorum Protasii et « Gervasii, vel sanctorum Vitalis atque Agricolæ; quæ tamen non immerito in « Appendicem a nobis rejici loco suo clare ostendetur. Unde mirum fit quomodo « errare in hoc potuerit vir doctissimus.

« Duorum autem Operum quæ indicabamus, alterum est *Historia Egesippi de* « *bello Judaico et excidio Hierosolymitano* ». Quæ de hoc ipso opere, quod nos primo ordine hoc in volumine edituri sumus, Maurini disseruerunt, in Præfatione ad eumdem discutiemus: *Sebastiani* vero *Acta* ex integro pariter recudemus, licet quod reapse Ambrosio tribuenda sint, aperte asserere minime audeamus.

DE GRÆCORUM HYMNOLOGIA
IN SANCTUM AMBROSIUM EPISCOPUM

AD

PAULUM BALLERINI

PATRIARCHAM ALEXANDRINUM LATINORUM

NOVÆ OPERUM S. DOCTORIS EDITIONIS PRÆSIDEM

EPISTOLA
JOSEPHI COZZA-LUZI MONACHI BASILIANI.

Cum monumentum ære perennius exegeris, Antistes amplissime, una cum doctis sociis tuis, ad memoriam æternandam auspicatissimæ faustitatis Mediolanensis Ecclesiæ in elevatione reliquiarum Ambrosii, Pontificis sui celeberrimi, nihil intentatum reliquisti, ex quo nova vel cura, vel laus operi vestro posset accedere.

Et re quidem vera optimum consilium vestrum probant docti viri, et probat Ecclesia; nil enim melius, nihilque dignius Ambrosio excogitari poterat, quam quod ipse sese in scriptis suis novo splendidoque apparatu typis in vulgus eas prædicet in orbe universo doctrinas, quibus olim fideles erudivit, Deum glorificavit, Christiano nomini gloriam et vires auxit, ejus hostes prostravit, et Ecclesiam Christi lætam effecit. Hoc splendidissimo opere vestro Ambrosius ipse ab Ambrosio honestatus novo splendet in orbe lumine, et nova industria radiis suis mundum multipliciter illustrat.

Ne quid vero in opere vestro, quod ad Ambrosii laudem conferret, relinqueretur, omni sategistis cura, ut ea quoque colligeretis, quæ ab aliis de tanto viro doctrina et sanctitate præstante prædicata sunt. Attamen quæ laudes majores, quæ magis omnibus acceptæ esse possunt, quam eæ, quas concordi animo, unisonis labiis concinit in festivitatibus suis Ecclesia? Et cum Ambrosii fama et cultus non solum occidentales replesset, sed et ad orientales peragrasset ecclesias, factum est ut in ejus annuam celebritatem orientales etiam hymnographi suas ederent cantiones. Ideoque studiosi consilii vestri fuit has laudes in opere vestro excipere; fuitque humanitatis vestræ munus easdem colligendi et illustrandi mihi concredere.

Et munus quidem certe gratissimum istud accidit, quod cum ego erga Ambrosium speciali ferar pietate, et idem obsequio speciali sit mihi prosequendus: maxima enim cordis voluptate commemoro, quæ inter Ambrosium et Basilium Magnum, Ordinis mei monastici patrem, historia teste, intercesserint; et quanto studio Basilius meus in explendis Ambrosii desideriis operam suam navaverit.

Ad hæc accedit, quod merito in Ambrosianis triumphis vox exsultationis et lætitiæ græcarum ecclesiarum erat audienda, cum ipse tantam sibi vindicet grati animi memoriam et ab orientalibus populis, tum ex multis benefactis, tum ex illo celeberrimo pastoralis fortitudinis erga Theodosium Byzantinorum imperatorem pro causa græcorum civium, quos injuste enecarat.

Historiæ præterea amplissime docent, quæ et quanta fuerit Ecclesiam Mediolanensem inter et orientales necessitudo. In te autem non unus honoris titulus videri potest, quod ille, qui inter latinos inclytam servat seriem Pontificum Alexandrinæ Ecclesiæ, qualis es tu, Vir amplissime; illius Ecclesiæ, dicam, quam ab historia principem olim fuisse orientalium patriarchatuum sedem dignoscimus, nunc in curandum novum Ambrosianum in operibus ejus trophæum, primas habet partes. Quapropter et tibi gratissimum fore arbitror, quod ab Ecclesia græca multos nobilesque hymnos in laudem Ambrosii concinnatos mutuaris.

Quanti vero hujuscemodi hymni non solum a piis, sed etiam a doctis eruditisque viris faciendi sint, demonstrare non immoramur; jam enim alii et nos declaravimus.

Hujusmodi hymnos ad illustrandum mysterium Conceptionis Deiparæ cum magistro meo Th. Toscani edidimus, et summo Pontifici Pio IX, dogmatis de tanto mysterio adsertori, dicatos maximo cum ejus gaudio obtulimus (1862). Alios istiusmodi de S. Petro Apostolo vir doctissimus et æque eminentissimus Card. Pitra collegit, eruditeque edidit in sæculari ejus festivitate (1867). Quosdam in S. Apollinarem Ep. Ravennatem in sæculari pariter solemnitate, nostra opera usus, in vulgus dedit D. Farabulini (an. 1874). Nuper alios hymnos in SS. Joachim et Annam suo egregio operi veluti coronidem apposuit collega noster A. Rocchi (an. 1878). Denique, ut ex hisce hymnis locuples seges possit colligi, demonstravimus in parva quidem opella, ubi ex laudibus liturgicis SS. Pontificum Romanorum vindicare studuimus, quo pacto et schismatici, qui his sanctissimis adhuc utuntur canticis, testimonium proferant solemne de maxima Pontificis auctoritate (an. 1870). Idemque factum est de B. M. V. Assumptione (an. 1870). Hæc prosequi nec tempus, nec locus iste concedit; et ne brevis epistolæ transgrediamur fines, ad hos hymnos, quos collegimus, sermo contrahendus est.

Juxta ea quæ expostulata sunt, inquisitiones nostras fere tantum ad codices Bibliothecæ nostræ Cryptoferratensis adduximus. Etsi in aliis Bibliothecis aliqua viderimus, tamen fere nihil novi occurrit, nec fortasse inveniri poterat, cum hæc Bibliotheca in rebus liturgicis locupletissima, certe parum, modeste dicam, desiderandum hac in re relinquit, et messis, quam haud certe mediocrem nacti sumus, satis aperte demonstrat. Et sane habes hymnum novem odarum a S. Theophane celebri melodo modulatum, habes et aliud canticum odarum octo a Josepho, qui antonomastice *hymnographus* est appellatus, utrumque maximis in S. Episcopum laudibus ac pientissimis precationibus refertum opus. Eadem ratione concinnata sunt alia cantica perantiqua et anonyma, quorum aliquot iisdem, quos supra memoravi, melodis Theophani et Josepho facile sunt tribuenda.

Hæc omnia e pluribus codicibus collegimus et comparavimus; quorum catalogum cum singulis indicationibus in fine adiecimus. Lectiones varias saltem præcipuas ad calcem paginæ apponere curavimus. Qua in re haud parum operis et temporis insumendum fuit; sed eo libentius opus suscepimus, ut testimonium obsequii nostri, si non perfectum ingenio, saltem sedula elaboratum industria, haberetis.

Editionem etiam Venetam anni 1681, quam locupletiorem invenimus in græcis Menæis, præ manibus habuimus, ex eaque et nonnullas mutuati sumus cantiones Gregorii Malaxi serioris ævi melodi e gente schismatica, cujus testimonium voluimus catholicis adjungi laudibus, ut et elucesceret quanto in honore, et apud seriores græcos Ambrosius habeatur. Hac in re, sicut et in aliis, fere secuti sumus methodum jam adhibitam in *Hymnologia* de Deiparæ Conceptione, præter quam quod metricas divisiones canticorum dedimus membratim in lineas repræsentatas juxta signa, quæ codices præseferunt. Si quid de vocabulis liturgicis ac de aliis ad *Hymnologiam* pertinentibus velint lectores addiscere, præfationem prædicti operis Th. Toscani, quem supra diximus, adeant.

Versionem latinam, quam potuimus, fidelissimam adjunximus; et hoc pacto instructum opus una cum obsequio pietatis nostræ Ambrosio oblatum volumus; et volumus etiam ut sit Ecclesiæ Mediolanensi testimonium devotionis, quam filii veluti hæreditario officio a patre sanctissimo Basilio Magno, ut diximus, servant; volumus denique ut hæc, Antistes amplissime, tibi et sociis tuis testatam faciant observantiam et gratum animum, nec non voluntatem nostram, ut tum laudi Ambrosii, tum Mediolanensis Ecclesiæ decori cedant, et animæ nostræ beneficio apud Sanctos sint profutura.

E Monasterio S. M. Cryptæferratæ die 1 mensis Decembris 1878.

IN HONOREM

SANCTI AMBROSII

EPISCOPI MEDIOLANENSIS

HYMNOLOGIA GRÆCORUM.

ΣΤΙΧΗΡΑ ΠΡΟΣΟΜΟΙΑ.

Α'.

ἦχος α'.

προσομοια. Τῶν οὐρανίων ταγμάτων...

Ἡγεμονίας τὸν θρόνον
κατακοσμῶν ἀρεταῖς
ἐξ ἐπιπνοίας θείας
τὸν τῆς ἱεραρχίας
προσφόρως ἐκομίσω·
ὅθεν πιστὸς
οἰκονόμος τῆς χάριτος
ἐν ἀμφοτέροις, Αμβρόσιε, γεγονὼς
διπλοῦν στέφανον κεκλήρωσαι.

Β'.

Εν ἐγκρατείᾳ καὶ πόνοις
καὶ ἀγρυπνίαις πολλαῖς
καὶ προσευχαῖς συντόνοις
τὴν ψυχὴν καὶ τὸ σῶμα
ἐκάθηρας, θεόφρν,
σκεῦος λοιπὸν
ἐκλογῆς τῷ θεῷ ἡμῶν
τοῖς ἀποστόλοις ὡσαύτως ἀναδειχθεὶς
ὑπεδέξω τὰ χαρίσματα.

Γ'.

Τὸν εὐσεβῆ βασιλέα
ἡμαρτηκότα ποτέ,
ὡς τὸν Δαβὶδ ὁ Νάθαν
παῤῥησίᾳ ἐλέγξας,
Αμβρόσιε τρισμάκαρ,
τοῦτον σαφῶς
ἀφορισμῷ καθυπέβαλες,
καὶ μετανοίᾳ παιδεύσας θεοπρεπῶς
συνηρίθμησας τῇ ποίμνῃ σου.

Δ'.

ἦχος πλάγιος α'.

Οσιε πάτερ ἱερώτατε Αμβρόσιε,
ἡ λύρα ἡ φωνοῦσα μέλος σωτήριον
δογμάτων ὀρθοδόξων πᾶσιν ἡμῖν
ἡ καθέλγουσα πιστῶν τὰς ψυχάς·
εὔηχος κιθάρα τοῦ θείου παρακλήτου·
τὸ μέγα ὄργανον τοῦ θεοῦ·
ἡ ἀξιέπαινος σάλπιγξ τῆς ἐκκλησίας·
διηδεστάτη τε πηγὴ τῶν χαρισμάτων
ἐναποπλύνουσα ῥεῖθρα τῶν παθημάτων·
Χριστὸν ἱκέτευε, Χριστὸν δυσώπει, ὅσιε,
δωρηθῆναι ἐκκλησίᾳ
ὁμόνοιαν, εἰρήνην καὶ μέγα ἔλεος.

VERSUS ASSIMILATI

I.

Præfecturæ sedem virtutibus exornans, episcopalem sedem ex inspiratione divina delatam accepisti; ideoque, cum fidelis gratiæ dispensator in utraque factus esses, Ambrosi, duplicem sortitus es coronam.

II.

Animam et corpus in continentia et laboribus et vigiliis multis et precibus assiduis purum servasti, o Dei sapiens; quapropter vas electionis Deo nostro effectus, quemadmodum Apostoli, charismata suscepisti.

III.

Ut Nathan Davidem, et tu pium regem, qui olim peccaverat, libere redarguisti, o ter beate Ambrosi, eumque aperte anathemate perculisti, et pœnitentia divino more correctum in gregem tuum cooptasti.

IV.

Pater sancte, sacratissime Ambrosi, tu lyra salutarem modulans nobis omnibus sonum de orthodoxis dogmatibus: tu cithara divini Spiritus bene sonans, quæ mulcet fidelium animas: tu magnum Dei organum: tu famosa Ecclesiæ tuba: tu dulcissimus fons gratiarum, qui passionum diluit fluenta: Christum exora, Christum deprecare, o sancte, ut Ecclesiæ donet concordiam, pacem et magnam misericordiam.

Indicationes toni et moduli ad cantum (προσόμοιον) *dumtaxat in græco textu referre sat esse censuimus.*

I. Sticheron et duo sequentia e Cod. B, descripta, et in edit. Veneta, sunt quæ nihil præter orthographica, varia habent. Cd. Δ, lin 4 ἱεραρχίας ψῆφον ἐκ θεοῦ ἱεράρχα. in fine στέφανον ἀπείληφας. — II. Cd. Δ, l. 5 καθάρας ὦ θεόφρον, l. 8 σὺν ἀποστόλῳ τῷ Παύλῳ ἀναδειχθεὶς. — III. Cdd. A, Δ, E, Z, Ed. Ven. l. 5 παμμάκαρ. Cd. A, l. 5 σοφῶς. Cd. Δ, l. 7 ἐπιθυμίῳ ἀφώρισας. — IV. Cdd. A, K, l. 7 τῆς ἀληθείας, l. 9 ῥύπον pro ῥεῖθρον sic Cdd. B, E, qui l. 10 πάντοτε pro ὅσιε, et l. 12 ὁμονοίας εἰρήνην.

E'.

Οσιε πάτερ παμμακάριστε Αμβρόσιε,
συνόδου θεοφόρων μέσον πατέρων ὠφθείς,
ἐν δύο ταῖς οὐσίαις ἕνα υἱόν
σάρκα γενόμενον κηρύττεις τρανῶς
ἐξ ἀπειρογάμου ἡμῖν ἐπιφανέντα
τὸν ὁμοούσιον τῷ πατρὶ
καὶ συναΐδιον τούτου καὶ συμφυῆ.
ὅθεν τὴν βλάσφημον Αρείου γλωσσαλγείαν
ἐναπεμώρανας τοῦ πνεύματος δυνάμει·
Χριστὸν ἱκέτευε, Χριστὸν δυσώπει, ὅσιε,
δωρηθῆναι τῇ ἐκκλησίᾳ
ὁμόνοιαν εἰρήνην καὶ μέγα ἔλεος.

ϛ'.

Οσιε πάτερ ἀξιάγαστε Αμβρόσιε,
εὑροῦσα, ὡς ἐπόθει, τὴν καθαράν σου ψυχὴν
τοῦ πνεύματος ἡ χάρις τοῦ παναγίου
ἐν σοὶ ἐσκήνωσεν. Ως ἄδυτον φῶς,
ἐν τῇ ἐνεργείᾳ τὰ πνεύματα τῆς πλάνης
ἀποδιώκεις διαπαντός,
καὶ θεραπεύεις τὰς νόσους καὶ τὰς μαλακίας
τῶν προσιόντων σοι ἁπλότητι καρδίας
καὶ τελούντων σου τὴν μνήμην τὴν φωσφόρον·
Χριστὸν ἱκέτευε, Χριστὸν δυσώπει, ὅσιε,
δωρηθῆναι τῇ ἐκκλησίᾳ
ὁμόνοιαν εἰρήνην καὶ μέγα ἔλεος.

Z'.

ἦχος πλάγιος α'.
προσόμ.... Χαίροις....

Χαίροις τῶν ἀρετῶν τὸ τερπνόν,
καὶ ἱερὸν καὶ καθαρὸν καταγώγιον
ὁ στύλος τῆς ἐκκλησίας
ἡ τῶν θαυμάτων πηγὴ
ποταμὸς δογμάτων θείων ἔμπλεως,
κρατὴρ πόμα ἅγιον καὶ νηφάλαιον ἅπαντας
ἀεὶ ποτίζων, οὐρανὸς ὁ κατάστερος
ἡ κατάκαρπος τοῦ θεοῦ ἡμῶν ἄμπελος
βότρυας ἡ προφέρουσα
ἡμῖν θείων πράξεων,
τῶν ἰαμάτων τὸ γλεῦκος
ἐναποστάζουσα χάριτι,
Χριστοῦ κληρονόμε,
τοῦ παρέχοντος τῷ κόσμῳ
τὸ μέγα ἔλεος.

H'.

ἦχος πλάγιος β'.

Εὖ δοῦλε ἀγαθὲ καὶ πιστὲ
εὐεργέτα τοῦ ἀμπελῶνος Χριστοῦ,
σὺ καὶ τὸ βάρος ἡμέρας ἐβάστασας,
σὺ καὶ τὸ δοθέν σοι τάλαντον ἐπηύξησας·
διὸ πύλη σοι οὐρανῶν ἠνέωκται·
εἴσελθε εἰς τὴν χαρὰν τοῦ κυρίου σου,
καὶ πρέσβευε ὑπὲρ ἡμῶν ἅγιε Αμβρόσιε.

V.

Pater sancte, sacratissime Ambrosi, in media Synodo divinorum Patrum visus, splendide prædicas unum Filium in duobus naturis ex Virgine nobis apparuisse, consubstantialem Patri et coaeternum et connaturalem; unde virtute Spiritus blasphemias ab acerba Arii lingua prolatas fatuas esse commonstrasti. O sancte, Christum exora, Christum deprecare, ut Ecclesiæ donet concordiam et pacem et magnam misericordiam.

VI.

Pater sancte, sacratissime Ambrosi, cum gratia sanctissimi Spiritus invenisset puram, ut optabat, animam tuam, in te habitavit. Veluti inexstinguibile lumen fortiter semper erroris spiritus persequeris, et morbos et infirmitates sanas eorum, qui in simplicitate cordis ad te accedunt, et tuam celebrant splendidam memoriam. O sancte, Christum exora, Christum deprecare, ut donet Ecclesiæ concordiam et pacem et magnam misericordiam.

VII.

Salve, o dulce, o sacrum, o purum virtutum habitaculum, columna Ecclesiæ, fons prodigiorum, flumen plenum divinorum dogmatum, poculum semper potans omnes sancto et sobrio potu, cœlum astris ornatum, Dei nostri vitis abundans, quæ divinarum actionum racemos profert, et gratia distillat dulce vinum sanationum; o hæres Christi, qui tribuit mundo magnam misericordiam.

VIII.

Euge, serve bone et fidelis, cultor vineæ Christi, tu pondus diei sustinuisti: tu concreditum tibi talentum auxisti; ideoque cœlorum portæ tibi sunt reseratæ. Intra in gaudium Domini tui, et pro nobis deprecare, sancte Ambrosi.

V. Cdd. A, Γ, E, K, l. 1. πάτερ ἀξιάγαστε.. l. 2. συνόδῳ — Cd. A, l. 7. τοῦτο male habet. Cdd. Γ, E, K, τούτῳ melius caeteris. Cdd. A, Γ, E, K, l. 9 ἐναπεμάρανας et l. 10 διὸ βοῶμεν (Cd. K, add. σοι) Χριστὸν δυσώπει πάντοτε. Ed. Ven. Cd. A, l. 2 ὀφθείς. — VI. Ed. Ven. l. 5 οὗ τῇ... et τὰ πνα male pro παντα. l. 7 deest τὰς, l. 9 και ἐκτελ,. Cdd. A, K, l. 2 εὑροῦσα τὴν ψυχήν σου ῥύπου παντὸς καθαρὰν. l. 5 οὗ pro ἐν. l. 7 deest τὰς. l. 8 τῶν προστρεχόντων.. l. 9 ἐκτελ... et Cd. A, pro φωσφόρον.. etc habet ἁγίαν καὶ προσκυνούντων σου τὴν τῶν λειψάνων λάρνακα, θεοφόρε Χριστοῦ θεράπον τοῦ παρέχοντος τῷ κόσμῳ τὸ μέγα ἔλεος. Cdd. Γ, et E, l. 2 παμμακάριστε Αμβ... l. 2 εὑροῦσα τὴν ψυχήν σου ῥύπου παντὸς καθαρὰν. l. 5 οὗ pro ἐν. l. 8 προστρεχόντων σοι... l. 9 ad finem ἐκτελούντων σου τὴν μνήμην τὴν ἁγίαν καὶ προσκυνούντων τὴν τῶν λειψάνων θήκην, θεοφόρε Χριστοῦ θεράπον τοῦ παρέχοντος τῷ κόσμῳ τὸ μέγα ἔλεος. — VII. Hoc sticheron reperimus in Cd. A, qui l. 9 pro νηφάλαιον habet νεφάλαιον, ex quo deprompsimus, habent quoque istud Cdd. Γ, K, qui l. 11 pro τῶν ἰαμ... habent καὶ ἰαμ. — VIII. Sticheron ad Δόξα in Cdd. E, K, legimus; fortasse est strophe in honorem alterius, et deinde in honorem quoque S. Ambrosii modulata. In *Acoluthia* communi de *Episcopis* hoc legimus. – Cd. K, non habet lineam 3; sed post l. 4 addit: καὶ τοῖς μετὰ σὲ ἐλθοῦσιν οὐκ ἐφθόνησας.

Θ'.

ἦχος α'.

Οὐ παρ' ἀνθρώπων παρέλαβες,
ἢ ἐδιδάχθης τὸ Χριστοῦ εὐαγγέλιον·
ἀλλ' αὐτὸς ὁ κύριος
ἀπὸ τῶν κριτῶν τῆς γῆς
ὥσπερ τὸν Παῦλον προσελάβετο,
καταφωτίσας τοὺς νοεροὺς ὀφθαλμοὺς
τῆς καρδίας σου.
κατ' ἐκεῖνον οὖν ῥίψας ἅπαντα
τὰ τοῦ βίου πλεονεκτήματα,
καὶ ἡγησάμενος ταῦτα ὥσπερ σκύβαλα
τὸν Χριστὸν ἐκέρδησας,
ᾧ νῦν ἐν παῤῥησίᾳ παριστάμενος
πρέσβευε ὑπὲρ ἡμῶν,
ἱεράρχα Αμβρόσιε.

I'.

ἦχος β'.

Εκ τῆς προσκαίρου φαντασίας
πρὸς τὴν ἀεὶ διαμένουσαν εὐγένειαν,
καὶ ἐκ τῆς κοσμικῆς ἐξουσίας
πρὸς τὴν πνευματικὴν ἡγεμονίαν,
καὶ ἐκ τῆς ἀρχοντικῆς καθέδρας
ἐπὶ τὴν ἀποστολικὴν προεδρείαν
ὑπὸ Χριστοῦ μετήχθης, θεόφρον Αμβρόσιε,
ποιμαίνειν τὸν λαὸν αὐτοῦ
ἐν ὁσιότητι καὶ δικαιοσύνῃ·
ὅθεν ποδηγήσας τὸ πιστευθέν σοι ποίμνιον
ἐπὶ νομὰς ζωηφόρους
εἰς ζωὴν αἰώνιον κατήντησας,
θείας ἀμβροσίας ἐμφορούμενος
καὶ πρεσβεύων ὑπὲρ τῶν ψυχῶν ἡμῶν.

IA'.

ἦχος πλάγιος β'.

Τὸ σταθηρὸν τῆς διανοίας σου
καὶ τοῦ λόγου τὸ ἐμβριθὲς
τοῦ τρόπου τὸ ἀπροσωπόληπτον
καὶ πάντα τὰ γενναῖα
τῆς ἁγίας σου ψυχῆς κινήματα,
τὰς μὲν αἱρέσεις θριαμβεύσαντα
εἰς φροῦδον κατέστησαν,
τὸν δὲ πιστὸν βασιλέα καταπλήξαντα
εἰς κατάνυξιν ἤγαγον·
ὅθεν καὶ παρόντι σοι
τὴν εὐπείθειαν ἐν πᾶσιν
ὡς πατρὶ υἱὸς ἀπένειμε,
καὶ ἀπόντι σοι τὸ περιὸν τῆς ἀρετῆς
ἐμαρτύρει μεγαλοφώνως·
διὸ λαμπρὸς ἐν πᾶσι γενόμενος
μακαρίζῃ εἰς αἰῶνας,
παμμακάριστε Αμβροσιε.

IB'.

Καθίσματα - ἦχος γ'. προσ... Θείας πίστεως...

Θείοις δόγμασι περιαστράπτων
ἀπημαύρωσας Αρείου πλάνην
ἱερομῦστα καὶ ποιμὴν Αμβρόσιε,
θαυματουργῶν δὲ δυνάμει τοῦ πνεύματος
πάθη ποίκιλα σαφῶς ἐθεράπευσας,
πάτερ ὅσιε - Χριστὸν τὸν θεὸν ἱκέτευε
δωρηθῆναι ἡμῖν
τὴν εἰρήνην καὶ τὸ μέγα ἔλεος.

IX.

Non ab hominibus accepisti, quod edoctus es, Evangelium Christi; sed ipse Dominus e judicibus terræ, sicut Paulum, te suscepit, spirituales oculos cordis tui illustrans. Ut ille omnia superflua vitæ respuens, et ut purgamenta existimans, lucratus es Christum; cui nunc fiducialiter adstans pro nobis deprecare, Ambrosi hierarcha.

X.

E rerum caducarum specie ad semper manentem nobilitatem, et a mundana potestate ad spiritualem præfecturam, et a civili tribunali ad sedem apostolicam a Christo translatus es, o dive Ambrosi, ut pasceres populum in sanctitate et justitia; ac postquam concreditum tibi gregem duxisses ad salutaria pascua, ad vitam æternam pervenisti, repletus divina ambrosia et deprecans pro animabus nostris.

XI.

Animi tui constantia et verborum firmitas, mores haud respicientis personas, et omnia fortia sancti spiritus tui molimina cum de hæresibus victoriam agerent, ad nihilum quidem redegerunt; fidelem autem regem cum percellerent, adduxerunt ad compunctionem. Quapropter ut filius patri, in omnibus tibi præsenti obsequium retribuit, et cum e vivis commigrasses, excellentiam virtutis tuæ magnis laudibus celebravit; ideoque in omnibus illustris effectus, beatus es in sæcula, o beatissime Ambrosi.

XII.

Divinis dogmatibus præfulgens, errorem Arii dissipasti, o sancte sacerdos et pastor Ambrosi, prodigia patrans in virtute Spiritus; passiones varias manifeste sanasti: pater sancte, Christum Deum deprecare, ut det nobis pacem et magnam misericordiam.

IX. Opus Malaxi, ut diximus, hoc sticheron et duo sequentia X et XI deprompta sunt ex una Ven. editione. — XII. Hoc cathisma e Cd. A, desumptum est. Cd. B l. 3 ἱερομύστα θεόφρον Αμβρόσιε. Ed. Ven. et Ed. R. 1738 hoc habent ad *Contacion*, Edit. Rom. l. 1 περιστράπτων, ll 7, 8 Edit. Rom. σωθῆναι τὰς ψυχὰς ἡμῶν.

ΙΓ'.

ἦχος δ'. προσ... Ο ὑψωθείς...

Λόγον ζωῆς, πάτερ σοφὲ, κεκτημένος
τὰς διανοίας τῶν πιστῶν καταρδεύεις
καὶ καρποφόρους χάριτι δεικνύεις ἀεί,
τῶν αἱρετιζόντων νῦν
κατακλύζων τὰς φρένας,
χάριν ἀναβλύζων δὲ
ἰαμάτων ἐκπλύνεις
παθῶν παντοίων ῥύπον ἀληθῶς,
ἱερομύστα θεόφρων μακάριε.

ΙΔ'.

ἦχος πλ. α'.
προσ.. Τὸν συνάναρχον...

Τὸν ἀπόστολον Παῦλον ἔργοις μιμούμενος,
ἱεράρχα κυρίου, σοφὲ Ἀμβρόσιε,
τὰς ἐκκλησίας διδαχαῖς κατεφώτισας
καὶ τοὺς ἐν λάκκῳ καὶ βυθῷ
ἁμαρτημάτων χαλεπῶν
πεσόντας ἀνεκαλέσω
ἐλπίδι τῆς σωτηρίας
καθοδηγήσας εἰς μετάνοιαν.

ΙΕ'.

ἦχος πλ. δ'. προσ... Τὴν σοφίαν...

Τὸν προφήτην Ἠλίαν - ζήλῳ τυπῶν
καὶ Ἰωάννην ὡσαύτως - τὸν βαπτιστὴν
ἀνδρείως διήλεγξας - βασιλεῖς ἀνομοῦντας,
ἱεραρχίας θρόνον - ἐνθέως ἐκόσμησας,
καὶ τῶν θαυμάτων πλήθει - τὸν κόσμον ἐπλούτησας·
ὅθεν καὶ ταῖς θείαις - συγγραφαῖς κεχρημένος
πιστοὺς ἐπεστήριξας - καὶ ἀπίστους ἀπέστρεψας,
ἱεράρχα μακάριε - πρέσβευε Χριστῷ τῷ θεῷ
τῶν πταισμάτων ἄφεσιν - δωρήσασθαι
τοῖς ἑορτάζουσι πόθῳ - τὴν ἁγίαν μνήμην σου.

ΙϛΊ.

Κοντάκιον - ἦχος γ'. προσ... Η παρθένος...

Τὸν ναόν σου, ἅγιε,
πνευματικὸν ἰατρεῖον
οἱ λαοὶ εὐράμενοι
μετὰ σπουδῆς προσιοῦσι
ἴασιν τῶν νοσημάτων
λαβεῖν αἰτοῦντες
λύσιν τῶν ἐν τῷ βίῳ πλημμελημάτων.
σὺ γὰρ πάντων τῶν ἐν ἀνάγκαις
προστάτης ὤφθης, Ἀμβρόσιε ὅσιε.

ΙΖ'.

Οἶκος - προσ.... Τὴν ἐδέμ....

Η σορός σου, σοφὲ,
βρύει πᾶσιν ἰάματα
ἐξ ὧν πάντες πιστοὶ
ἀρυόμενοι σώζονται
ἐκ νόσων ποικίλων ψυχῶν καὶ σωμάτων·
ὅθεν ὁ τάλας πεπηραμένος
ῥυσθεὶς τῶν θλιβόντων με,
καὶ διὰ τοῦτο τὴν σὴν βοήθειαν
νῦν ἀνευφημῶ
καὶ διηγοῦμαι τρανῶς,
πῶς ἐπιφθάνεις τοὺς ἐν ἀνάγκαις
καὶ ἐκλυθροῦσαι πειρασμῶν
τοῖς προσιοῦσί σοι θερμῶς·
διὸ δίδου ἰσχύν μοι
ἀνυμνεῖν σε· σὺ γὰρ πάντων
προστάτης ὤφθης, Ἀμβρόσιε ὅσιε.

XIII.

Verbum vitæ cum adeptus esses, o pater sapiens, fidelium mentes irrigasti, et semper in gratia fructiferas effecisti; hæreticorum autem nunc obruens audaciam, et sanationum manans gratiam, vere passionum omnium exsiccas fluenta, o sancte et beate sacerdos divine.

XIV.

Apostolum Paulum in operibus imitans, o sapiens Domini hierarcha Ambrosi, Ecclesias doctrinis tuis illuminasti; et revocasti eos, qui jacebant in lacu et profundo horribilium peccatorum, spe salutis ad pœnitentiam adducens.

XV.

Zelo referens Eliam prophetam et pariter Joannem Baptistam, fortiter redarguisti peccantes reges: pontificalem thronum divine decorasti et prodigiorum multitudine ditasti orbem: quapropter et divinis scriptis usus confirmasti fideles, et ad bonam frugem revocasti infideles; o beate pontifex, Christum exora, ut det peccatorum veniam iis, qui ex animo sanctam memoriam tuam agunt.

XVI.

Templum tuum populi quasi spiritualis medicinæ sedem nacti, magno studio ad illud contendunt, supplicantes, ut habeant morborum sanationem et veniam earum, quas in vita admiserunt, culpas; tu enim visus es omnium, qui in necessitatibus sunt, protector, o Ambrosi sancte.

XVII.

Urna tua manat omnibus sanationes, quas cuncti fideles accipientes servantur a multiplicibus animæ et corporis morbis; quapropter ego miser cæcus a tribulantibus me liberatus, nunc protectionem tuam hymnis celebro, et splendide narro, quo pacto tu succurras eis qui in necessitatibus sunt, et a tentationibus, qui ad te confugiunt, liberes; ideoque tu dona mihi virtutem ad te celebrandum; tu enim omnium visus es protector, o sapiens Ambrosi sancte.

XIII. ex Cdd. A, E, Ed. Ven. l. 1 Λόγους. l. 4 pro νῦν Ed. Ven. δὲ... Cdd. Γ, Δ, μὲν. l. 5 Ed. Ven. κατακλύζεις. l. 9. Cdd. B, Δ, E, Λ, Ἀμβρόσιε pro μακάριε. — XIV. Ex Cd. A, conlato cum Cd. Δ, qui tantum l. 2 pro ἱεράρχα habet ἱεράρχεις (legendum est ἱεράρχης). — XV. Ex Cd. B. conlato cum Cd. Z, qui lin. 1 ζηλοτυπῶν, l. 3 ἀνομήσαντας, l. 5 τὰ πλήθει (sic). l. 8 ἱεράρχα Ἀμβρόσιε. Eadem habet Ed. Ven. — XVI. Ex Cd. A, tantum exscriptum est. — XVII. Ex eodem Cd. A, tantum habemus.

ΙΗ'.

Κοντάκιον – ἦχος γ'. προσ... Ἡ παρθένος...

Ἀμβροσίας σήμερον πιστοῖς κρατῆρα
ὁ σοφὸς Ἀμβρόσιος
πρὸς εὐωχίαν ἐγείρει
τράπεζαν ἐνθέων ποτῶν παρασκευάσας,
ἥδιστα προθεὶς ὡς ὄψα τὰς ἀριστείας,
δι' ὧν πάντας ἑστιᾶται
τοὺς τοῦτον μύστην
Χριστοῦ γεραίροντας.

ΙΘ'.

Οἶκος προσ... Τὴν ἐδέμ...

Τῆς ἀφθάρτου τρυφῆς
ἔχων νῦν τὴν ἀπόλαυσιν
ὡς ἀλήκτου ζωῆς
μέτοχος καθιστάμενος
ποιμὴν τῶν ποιμένων
πατὴρ τῶν πατέρων,
τῆς ἀμβροσίας δόξης συνώνυμε
θεόφρων Ἀμβρόσιε, τοὺς σοὺς ἱκέτας
δεῖξον πρεσβείαις σου
θείας κοινωνοὺς ἀγαλλιάσεως
καὶ βασιλείας συγκληρονόμους·
ὡς παῤῥησίαν εἴληφὼς
πρὸς τὸν τῶν ὅλων ποιητὴν·
τὴν σεπτὴν γὰρ σοῦ μνήμην
ἐκτελοῦντες σὲ τιμῶμεν·
πρέσβευε πάντας σωθῆναι ὅσιε.

Κ'.

Ἐξαποστειλάρια. πρ... Φῶς ἀναλλ...

Δικαιοσύνης τῷ ζήλῳ – ὡς ἱεράρχης ἐμπρέπων
Ἀμβρόσιε θαρσαλέως – τὸν βασιλέα ἐλέγχεις.
Τοῦ δὲ Ἀρείου τὴν λοίμην – καὶ ἐν συνόδῳ
καὶ συγγραφαῖς ἀνατρέπεις

ΚΑ'.

προσ... Τοῖς μαθηταῖς...

Ὀρθοδοξίας πρόμαχος – βάσις τῆς ἐκκλησίας
ἀρχιερέων ἔρισμα – καὶ σοφὸς ποιμενάρχης,
Ἀμβρόσιε ἀνεδείχθης – πρὸς νομὰς εὐσεβείας
καθοδηγῶν τὸ ποιμνίον – ἀτιθάσους ὡς θῆρας
ἀποσοβῶν κακοδόξων – φάλαγγα, θεοφάντορ
τρανῶν τὸ ὁμοούσιον – τῆς ἁγίας τριάδος.

ΚΑΝΩΝ

ΠΟΙΗΜΑ ΘΕΟΦΑΝΟΥΣ

φέρων ἀκροστιχίδα:

« Θείου Ἀμβροσιοῖο μέγα κλέος ἄσμασι μέλπω. »

ἦχος πλάγιος τέταρτος.

ΩΔΗ Α'.

προσ... Ἡ κεκομμένη...

Θείῳ φωτί σου, ὑπέρλαμπρε κλιε,
τῆς ἁμαρτίας μου
τὴν ἀχλὺν ἀπέλασον·
οἰκτείρεις γὰρ ψυχὰς
ἐμφύτῳ εὐσπλαγχνίᾳ σου
καὶ σκότος ἀπαλλάττεις τῶν δεινῶν
τῇ μόνῃ εὐμενείᾳ σου,
παντοκράτορ κύριε,
ὡς μόνος εὐδιάλλακτος.

Ἐπὶ τῷ κάλλει τῶν θείων δογμάτων που
ἡ ἐκκλησία φαιδρῶς,
πάτερ ὡραίζεται,

XVIII.

Hodie sapiens Ambrosius poculum ambrosiæ fidelibus ad saturandum præbet, mensam parans divinarum potionum, et epulum dulcissimum apponens, quo omnes, qui hunc Christi sacerdotem celebrant, excipiuntur convivio.

XIX.

Oblectatus deliciis incorruptibilibus, indeficientem vitam adeptus, pastor pastorum et patrum pater, qui a cœlesti ambrosia nomen obtines, o divine Ambrosi, precibus tuis effice, ut servi tui participes sint gaudii, et cohæredes regni; multum enim vales apud eum, qui omnium est conditor; nos enim venerandam festivitatem tuam celebrantes, te honoramus: Deprecare, o sancte, ut omnes salvi facti simus.

XX.

Justitiæ zelo, ut pontifex, decoratus, o Ambrosi, confidenter regem redarguis; Arii vero pestem et in synodo et scriptis tuis profligas.

XXI.

Orthodoxiæ propugnator, et Ecclesiæ basis, pontificum fortitudo, et sapiens dux pastorum visus es, dive Ambrosi, ad pascua pietatis gregem adducens, ut feras indomitas abigens phalangem malignantium, et consubstantialem demonstrans sanctam Triadem.

HYMNUS

OPUS THEOPHANIS

habens acrostichidem:

Divini Ambrosi magnam gloriam canticis celebro.

Tonus inflexus quartus.

ODE PRIMA

O sol præfulgens, Domine omnipotens, divino lumine tuo abige caliginem peccati mei; tu enim ingenita misericordia tua miserator es animarum, et malorum tenebras expellis unica tua clementia, sicuti unus benignus reconciliator.

In pulcritudine divinæ doctrinæ tuæ, o Pater, splendide exornatur Ecclesia, et inconcussa

XVIII. Ex Cd. H, tantum deprompsimus, collatum cum codice Bibliothecæ Barberinianæ (III. 27 - fol. 72) qui tantummodo l. 3 varii habet ἐνθέως. In utroque pro πότων scriptum est πόνων. — XIX. Ex eodem Cd. H, exscripsimus collato cum Cod. Barberiniano supradicto (III. 27), qui nihil præter orthographica, varia habet. — XX. Exapostilarion hoc ex eodem venit Barberiniano codice paucis orthographicis emendatis. — XXI. Aliud Exapostilarion ex Ed. R. 1738, exscriptum, Ed. Ven. l. 4 ἀτιθάσσους. l. 5 κακόδοξον.

Hymnum istum Theophanis ex codice nostro Γ, descripsimus et contulimus cum aliis Cdd. A, B, Δ, E, Λ, et Ed. Ven.

Ode prima I. l. 6 Cd. A, scribit ἀπαλλάττης. Ed. Ven. τῶν παθῶν. Cd. B, l. 8 παντοκράτωρ. Cd. A, Ed. Ven. l. 9 ὁ μόνος. Cd. E, convenit.

II. Cd. A, l. 2 σφοδρῶς pro φαιδρῶς. Cd. B, l. 6 ὡς πλησίων καὶ καλλὴ. Cd. Δ, l. 1 τὰ κάλλη. l. 9 τῆς δόξης.

καὶ πίστει ἀσφαλεῖ
πεποικιλμένη δείκνυται
καὶ ὅλη ὡς πλησίον καὶ καλὴ
ἐκ δεξιῶν παρίσταται,
ὀρθοδόξως λάμπουσα
τῇ δόξῃ τοῦ νυμφίου Χριστοῦ.

Ἱεροσύνης τοῖς ὅπλοις κοσμούμενος
καὶ θείᾳ δόξῃ τὸν νοῦν,
πάτερ, ἐλλαμπόμενος
ὡς μάχαιρα πιστῶν
ἐστιλβομένη δείκνυσαι,
τὰ θράση τῶν αἱρέσεων
τμητικῶς τιτρώσκουσα
καὶ σάλπιγξ τῆς εὐσήμου ἑορτῆς
καὶ πάντας διεγείρουσα.

θεοτοκίον.

Ὁ πρὸ αἰώνων πατρὶ συναΐδιος
ἐκ σοῦ θεόνυμφε
σάρκα προσελάβετο
καὶ φύσιν τῶν βροτῶν
θεώσας συνεδόξασε·
διό σε σωτηρίας ἀρχηγὸν
καὶ κόσμου ἱλαστήριον,
θεοτόκε δέσποινα,
πρὸς τὸν ἐκ σοῦ κεκτήμεθα.

ΩΔΗ Β'.

προσ.. Πρόσεχε οὐρανὲ...

Ὑψωσας – δι᾽ ἀρετῶν οὐρανίων,
πάτερ, τὸ φρόνημα
πρὸς τὰ τοῦ πνεύματος βάθη
διέκυψας θείοις λόγοις σου.

Ἀπρόσιτος – γεγονὼς, θεοφόρε,
τοῖς αἱρετίζουσι
τῇ τῶν διδαγμάτων ῥομφαίᾳ
κατέτρωσας τὰς καρδίας αὐτῶν.

Μυρίζουσι – τὰ τῶν δογμάτων σου ἄνθη
ὥσπερ παράδεισος·
τὸ γὰρ δυσῶδες τῆς πλάνης
διέπτυσας τῶν αἱρέσεων.

θεοτοκίον.

Βοήθεια – καὶ κραταιὰ προστασία
καὶ τεῖχος ἄῤῥηκτον
καὶ λιμὴν σωτηρίας
γενοῦ μαι, θεοκυῆτορ ἁγνή.

ΩΔΗ Γ'.

προσ... Σὺ εἶ τὸ στερέωμα...

Ῥεῖθρον ἐν καρδίᾳ σου
ἐκ τῶν τοῦ πνεύματος, ὅσιε,
χαρισμάτων – βρύων καταρδεύεις
τὰς τῆς πίστεως αὔλακας.

Ὅλον καθιέρωσας
τὸ ὀπτικὸν τοῦ νοῦ, ἔνδοξε,
καὶ εἰς ὕψος – ἤρθης θεωρίας
τῇ ἐλλάμψει τοῦ πνεύματος.

Στέφεται τοῖς λόγοις σου
ὡς ἐκ τιμίων, μάκαρ, λίθων
ἐκκλησία – καὶ διαιωνίζει
τῶν πιστῶν βασιλεύουσα.

fide exhibetur circumdata varietate et tota veluti comes et venusta a dextris adstat, emicans orthodoxia in gloria sponsi Christi.

Sacerdotii armis bene instructus, et divina gloria mentem collustratus, pater, visus es veluti gladius fidelium emicans, hæreseon audaciam membratim præcidens, et veluti tuba solemnium festivitatum, quæ ciet omnes.

Theotocion.

Qui ante sæcula est, coæternus patri ex te, Dei sponsa, carnem suscepit, et hominum naturam reddens divinam conglorificavit; ideoque te, Deipara domina, apud eum, qui ex te est, nacti sumus veluti caput salutis et mundi propitiatorium.

ODE SECUNDA

Per virtutes cœlestes elevans mentem, profunda spiritus introspexisti divinis sermonibus tuis.

Hæreseon asseclis, o divine, inaccessus cum evasisses, gladio doctrinarum corda eorum transfixisti.

Doctrinarum tuarum flores odorem efflant veluti paradisus; errantium enim hæreseon pestem expulisti.

Theotocion.

Auxilium et validum præsidium, et murus invictus, et porta salutis sis mihi, o Deipara virgo.

ODE TERTIA.

In corde tuo fluentum ex iis, quæ a Spiritu sunt, charismatibus manans, o sancte, fidei sulcos irrigas.

Totum cum consecrares intellectum mentis, o gloriose, et ad sublimia contemplationis elevatus es Spiritus illustratione.

Veluti e pretiosis lapidibus Ecclesia sermonibus tuis redimitur, o beate; et in sæcula manet fidelibus imperans.

III. Cod. A, et Ed. Ven. l. 1 pro κοσμούμενος habet στομούμενος... Cd. Δ, l. 5 δείκνυται Ed. Ven. l. 8 συγκόπτουσα. Cdd. A, B, Δ, E, A, præter quædam orthographica minoris momenti cum codice Γ, conveniunt.

Ode secunda In Cd. Δ, et Ed. Veneta desideratur *Ode secunda* — I. II. Cdd. A, B, E, K, conveniunt cum Cd. Γ. III. et IV. Cdd. A, B, E, K, conveniunt cum Γ, tantum A, scribit in fine θεοκυήτωρ.

Ode tertia I. Cdd. A, B, Δ, E, conveniunt; Ed. Ven. l. 3 καταρδεῦον. — II. Cdd. A, Δ, Ed. Ven. pro ἔνδοξε l. 2 habent ὅσιε - Cd. E, convenit cum Cd. Γ, — III. Cdd. A, l. 2 τιμίων μάκαρ λίθων. Ratione metri in textu Cd. Γ, μάκαρ adiungendum est, vel aliud simile, l. 3 ἡ redundat. Cd. B, l. 2, 3 ἡ τοῦ χριστοῦ σεπτὴ ἔνδοξε ἐκκλησία. Ed. Ven. ὥσπερ τιμίοις λίθοις σοφὲ. Cd. Δ, l. 2, 3 ὡς ἐκ τιμίων ἡ ἐκκλησία l. 4 τῶν πιστῶν τὰ συστήματα. Cdd. E, K, conveniunt cum Cd. Γ.

θεοτοκίον.

Ἵλεον γενέσθαι μοι
τῷ ἐν πολλαῖς παγέντι, πανάμωμε
ἁμαρτίαις – τὸν ἐκ σοῦ τεχθέντα
ἀσιγήτως δυσώπησον.

ΩΔΗ Δ'.

ᾠρος... Εἰσακήκοα κύριε...

Ο λειμὼν τῶν δογμάτων σου
καὶ θεολαμπής σου
βίος, πανεύφημε,
ὡς συνθέσεως θυμίαμα
κατευωδιάζει – τὰς καρδίας ἡμῶν.

Ἱερεῖον γενόμενος
καὶ ἱερουργὸς
καὶ κάρπωμα, ὅσιε,
πρακτικῶς ὡλοκαυτώθης θεῷ
καὶ προσήχθης θῦμα – τῇ τραπέζῃ Χριστοῦ.

Ο οὐράνιος κύριος
ἐν τῷ στερεώματι
τῷ τῆς πίστεως
ὡς ἀστέρα σε κατέπηξε
δαδουχοῦντα κόσμον – τοῖς σοῖς δόγμασι.

θεοτοκίον.

Μὴ τραπεὶς τὴν θεότητα
ὅλον ἑαυτὸν
ὁ λόγος ἐκένωσε
καὶ ἀνθρώποις προσωμίλησεν
ἐκ σοῦ σάρκα, πάναγνε – προσλαβόμενος.

ΩΔΗ Ε'.

ᾠρος... Ἵνα τί με ἀπώσω...

Εν τῇ θείᾳ σου μνήμῃ
θίασος ἱερέων,
πάτερ, ἀγάλλεται
καὶ πιστῶν χορεῖαι
σὺν ἀγγέλοις ἀΰλοις εὐφραίνονται·
καὶ τρυφᾷ σήμερον
πνευματικῶς ἡ ἐκκλησία
ἐν τοῖς λόγοις σου, πάτερ Αμβρόσιε.

Γεωργὸς ἀνεδείχθης
τέμνων τὴν τῆς πίστεως
εὐθέτως ἄρουραν,
καὶ διδασκαλίαις
ἐπισπείρων θεόσοφα δόγματα,
καὶ αὐξήσας στάχυν
καρποφορεῖς τῇ ἐκκλησίᾳ
τὸν οὐράνιον ἄρτον τοῦ πνεύματος.

Αβραὰμ τὴν θυσίαν
καὶ τὴν ἄμεμπτον πίστιν
ἐχαρακτήρισας·
ὡς υἱὸν τὴν καρδίαν
Ισαὰκ θυσιάσαι προθέμενος
τῷ τοῦ κτίστου πόθῳ,
καὶ μὴ τραπεὶς τῇ ἀπιστείᾳ
ἐχρημάτισας φίλος τῇ πίστει θεοῦ.

Theotocion.

O immaculata, deprecare semper, qui ex te natus est, ut sit propitius mihi, qui in multis submersus sum peccatis.

ODE QUARTA.

Virentes doctrinæ tuæ, et divine elucens vitæ tuæ ratio, o gloriose, veluti thymiama compositionis, fragrantia replent corda nostra.

Sacrarium factus et sacerdos et oblatio, in actibus Deo holocaustum fuisti, et oblatus es victima in mensa Christi.

Cœlestis Dominus in firmamento fidei veluti astrum te constituit, illuminans mundum doctrinis tuis.

Theotocion.

Haud immutans divinitatem, totum se Verbum in nihilum veluti redegit, et cum hominibus est conversatus, cum a te, o purissima, carnem suscepisset.

ODE QUINTA.

In divina memoria tua sacerdotum cœtus, o pater Ambrosi, exultat; et fidelium chori cum angelis spiritualibus lætantur, et spiritualiter hodie in sermonibus tuis gaudet Ecclesia.

Visus es agricola, rectos ducens in arvo fidei sulcos, et doctrinæ Dei sapientia præditæ disseminans dogmata, et spicas educens, ecclesiæ fructificare facis panem spiritus.

Abrahami sacrificium et irreprehensibilem fidem exprimens, veluti alter Isaac paratus es animam sacrificio offerre ob amorem creatoris tui, et numquam ab errore affectus, amicus Deo in fide fuisti.

IV. Codd. A, B, K, Ed. Ven. l. 1 Ἵλεων. Cd. B, l. 2, 3 θεοχαρίτωτε δέσποινα - μόνη ἁγνὴ τὸν.. Cd. Δ, l. 4 ὑπὲρ νοῦν pro ἀσιγήτως. Cod. Γ, l. 4 ἀσίγητος.

Ode quarta I. Cdd. A, B, E, et Δ, Ed. Ven. l. 5 κατευωδιάζει τὰς αἰσθήσεις ἡμῶν. Cd. E, l. 5 κατευωδιάζεις male. Cd. K, convenit cum Cd. Γ. — II. Cdd. A, B, Δ, E, K, conveniunt. — III. Cdd. A, Δ, E, K, conveniunt. Cd. B, l. 4 pro κατέπηξε habet κατέδειξε. — IV. Cdd. A, E, K, conveniunt. Cd. B, l. 5 τῷ ἐκ σοῦ παγῆναι σαρξ θεόνυμφε. Cd. Δ, l. 5 σάρκα κόρη προσλαβόμενος.

Ode quinta I. Cdd. A, E, K, l. 5 addunt, ἀγγέλοις, verbum lege metrica requisitum, quod abest in Cd. Γ. Scribit Cd. B, l. 2 ἱερέων θίασος, l. 5 σὺν ἀΰλοις ἀγγέλοις εὐφρ.. Cd. Δ l. 3 ἱερέων θιάσσος. l. 5 σὺν ἀΰλοις ἀγγέλοις. — II. Cdd. A, B, Δ, K, conveniunt cum Cd. Γ, præter quædam orthographica levioris momenti. Cd. E, l. 4 διδασκαλίας. — III. Cd. A, convenit cum Γ, Cdd. B, K, l. 7 τρωθεὶς pro τραπεὶς - l. 8 φίλος τῆς πίστεως, et varia quædam in punctis metricis. Cdd. E, et K, l. 8 φίλος τοῦ κτίστου σου.

θεοτοκίον.

Κατακείμενον νῦν με
ἐπὶ κλίνης δέσποινα,
τῆς ἁμαρτίας μου
καὶ τὴν ἀλγηδόνα
ὡς ἀνίατον οὖσαν μὴ φέροντα
τῇ γαλήνῃ τῆς σῆς
ἰατρικῆς ἐπίσκεψαί με
καὶ τὴν ῥῶσίν μοι δώρησαι, πάναγνε.

ΩΔΗ ϛ'.

προσ... Ἰλάσθητί μοι...

Λαβὼν τοῦ λόγου, σοφέ,
τὸ τάλαντον ὡς θεράπων πιστὸς
καὶ τῇ τραπέζῃ προσθεὶς - ἐπολυπλασίασας
καὶ τοῦτο προσήγαγες - καθαρῶς σὺν τόκῳ
τῷ δεσπότῃ σου, Ἀμβρόσιε.

Ἐλάμπρυνας τὴν στολὴν
τὴν ἱερὰν ἐν τοῖς πόνοις σου
καὶ ἀνεδείχθης ποιμὴν-λογικῶν θρεμμάτων, σοφέ,
ἐν τῇ βακτηρίᾳ σου - τῆς διδασκαλίας
εἰς νομὰς ἐλαύνεις πίστεως.

Ο ζῆλός σου Ἠλιοῦ
τὸν ζῆλον ἐκμιμεῖται, μακάριε·
βασιλέα γὰρ πιστὸν - χρανθέντα τοῖς αἵμασιν
ἐλέγξας ἀπήλασας - θείων περιβόλων
τὸ αἰδέσιμον φυλάττων θεῷ.

Theotocion.

Σκέπην καὶ καταφυγὴν
καὶ τεῖχος ὄντως ἀκράδαντον -
ἡ ποίμνη σου σὲ πιστῶς - κεκτημένη δέσποινα
δυσχερῶν ἐκ θλίψεων - καὶ κινδύνων πάντων
ἐκλυτροῦται ταῖς πρεσβείαις σου.

ΩΔΗ Ζ'.

προσ... Οἱ ἐκ τῆς Ἰουδαίας...

Ἀκηλίδωτον ὤφθης
ἀρετῶν θεομάκαρ - ἀξίως ἔσοπτρον
καθαρὰς τὰς αἰσθήσεις - τῆς πίστεως δεικνύων
καὶ φωτίζων τοὺς ψάλλοντας·
Ο τῶν πατέρων θεὸς εὐλογητὸς εἶ.

Σεβάσμιος τὸν τρόπον
ὑψηλὸς καὶ τὸν λόγον, - πάτερ Ἀμβρόσιε,
αἰδέσιμος τὸν βίον - καὶ πίστει ἀνεδείχθης
ἀκλινὴς ἐν τῷ ψάλλειν σε.
Ο τῶν πατέρων θεὸς εὐλογητὸς εἶ.

θεοτοκίον.

Μόνην σε προστασίαν
ἐν ποικίλοις κινδύνοις - σεμνὴ κεκτήμεθα·
διὸ σὲ ὡς μητέρα - δοξάζοντες κυρίως
τοῦ θεοῦ ἀναμέλπομεν·
Ο τῶν πατέρων θεὸς εὐλογητὸς εἶ.

Theotocion.

Jacentem me nunc in peccatis et insanabilem dolorem minime ferentem levamine medicinæ me visita, et sanitatem redde, o immaculata Regina.

ODE SEXTA.

Veluti fidelis servus talentum Verbi accipiens, et apud nummolarios deponens multiplicasti, et cum lucro pure illud obtulisti Domino tuo, o sapiens Ambrosi.

In laboribus tuis splendidam effecisti sacerdotii stolam, et factus es pastor rationalium ovium in baculo doctrinæ tuæ ad pascua fidei eas agens, o sapiens.

Zelus tuus zelum refert Eliæ, o beate; regem etenim fidelem sanguinibus inquinatum reprehendens a divinis atriis repulisti, custodiens decorem Dei.

Grex tuus, cum te fideliter obtinuisset, o regina, veluti protectionem et refugium et murum revera inconcussum, a gravibus tribulationibus, et a periculis cunctis liber evadit precibus tuis.

ODE SEPTIMA.

Digne visus es, o Dei beate, veluti speculum virtutum sine macula, ostendens puras affectiones fidei, et illuminans eos qui psallunt: Benedictus es Deus patrum nostrorum.

Moribus venerandus, sublimis in sermonibus, vivendi ratione honorabilis, et fide visus es inconcussus cum psalleres: Benedictus es Deus patrum nostrorum.

Theotocion.

Te unam, o pura, adepti sumus in variis periculis protectionem; ideoque, ut Dei matrem te revera glorificantes, concinimus: Benedictus es Deus patrum nostrorum.

IV. Cdd. A, B, Δ, conveniunt cum Γ; Cdd. E, K. Ed. Veneta habent aliud *Theotocion*. Μητρικὴν παῤῥησίαν τὴν πρὸς τὸν υἱόν κεκτημένη πάναγνε, συγγενοῦς προνοίας τῆς ἡμῶν μὴ παρίδῃς δεόμεθα· ὅτι σὲ καὶ μόνην Χριστιανοὶ πρὸς τὸν δεσπότην ἱλασμὸν εὐμενῆ προβαλλόμεθα.

Ode sexta I. Cdd. A, B, l. 2 πιστῶς. l. 4 Cd. B, Ed. Veneta καθαρόν. - Cd. Δ, l. 3 προσθεὶς, Edit. Veneta l. 5 pro Αμβρόσιε habet μακάριε. Cdd. E, K, conveniunt cum Cd. Γ. — II. Cdd. A, E, K, Ed. Ven. l. 4 ἦν pro ἐν. Cd. B, l. 4 ἐν τῇ καρτερίᾳ σου - Cd. Δ, l. 5 ἐλαύνων. — Cd. A, l. 2 τὸν ζῆλον ἐχαρακτήρισεν. Cd. B, l. 2 μιμῆται ζῆλον μακάριε. Cd. Δ, l. 2 τὸν ζῆλον μάκαρ μιμεῖται σαφῶς. Cdd. E, K, conveniunt cum Cd. Γ. - IV. — Cdd. A, E, K, conveniunt cum Cd. Γ; Cd. B, habet *Theotocion* varium - Σωθείημεν τῶν δεινῶν - πταισμάτων ταῖς ἱκεσίαις σου - θεογεννῆτορ ἁγνὴ - καὶ τύχοιμεν πάναγνε τῆς θείας ἐκλάμψεως - τοῦ ἐκ σοῦ ἀῤῥάστως - σαρκωθέντος υἱοῦ τοῦ θεοῦ. - Cd. Δ, l. 1 Σὲ σκέπην καὶ προσφυγὴν - l. 4 σου εὐσεβῶς. Ed. Ven. l. 3 ἡ πόλις σου.

Ode septima I. Cd. A, l. 2 ἄξιον. l. 3 τάς ἐμφάσεις item et Cdd. B, Δ. - Cdd. E, K, conveniunt cum Cd. Γ. — II. Cd. A, l. 1 τῷ τρόπῳ - l. 2 ὑψηλός τε τῷ λόγῳ - l. 3 τῷ βίῳ. Cdd. B, Δ, E, K, conveniunt cum Γ. — III. Animadvertendum est hanc odem tribus tantum *tropariis* seu strophis constare, ut et litteræ acrostichidos initio hymni huius appositæ liquido manifestant. Cdd. A, E, K, conveniunt cum Γ. - Cd. B, l. 3, 4 κυρίου τῷ θεῷ ἀναμελπ.. Cd. Δ, l. 3, 4 δοξάζοντες τοῦ κτίστου σου - εὐχαρίστως κραυγάζοντες...

ΩΔΗ Η'.

προσ... Μουσικῶν ὀργάνων...

Ἀπαθείας ὄργανον ἐδείχθης
τῶν παθῶν κοιμίζων τὰς ὁρμὰς
καὶ τὰς καρδίας τῶν πιστῶν
πρὸς ὕμνον διεγείρων·
τὸν κύριον ὑμνεῖτε
καὶ ὑπερυψοῦτε εἰς αἰῶνας.

Σωτηρίας πρόξενον ἐκτήσω
τὴν τοῦ λόγου δύναμιν, παμμάκαρ·
δι' ἧς ἐτράνωσας ἡμῖν
τὸν ἕνα τῆς τριάδος
ἀῤῥήτως ἐκ παρθένου
τὴν σάρκα προσλαβόντα.

Ἰαμάτων βρύουσι σταγόνας
τῶν σῶν διδαγμάτων αἱ νεφέλαι,
ἐξ ὧν ἀρδεύονται πιστῶς
οἱ νόες τῶς βοώντων·
τὸν κύριον ὑμνεῖτε
καὶ ὑπερυψοῦτε εἰς αἰῶνας.

θεοτοκίον.

Μακαρίζει σὲ, σεμνὴ τάξις ἀγγέλων·
μεγαλύνει σὲ γηγενῶν φύσις·
ἐν σοὶ γὰρ εὕρομεν χαρὰν
οἱ πίστει ἐκβοῶντες·
τὸν κύριον ὑμνεῖτε
καὶ ὑπερυψοῦτε εἰς αἰῶνας.

ODE OCTAVA.

Perfectionis instrumentum factus es, sedans morborum animi impetus, et fidelium corda ad hymnos ciens: Dominum hymnis celebrate, et superexaltate in sæcula.

Virtutem Verbi veluti salutis arrham nactus es, o beatissime, per quam nobis splendide demonstrasti unum e Trinitate ineffabiliter ex Virgine carnem suscepisse.

Doctrinarum tuarum nubes sanationum stillas manant, ex quibus mortalium mentes irrigantur, dum canunt: Dominum hymnis celebrate et superexaltate in sæcula.

Theotocion.

Angelorum ordines te, o pura, glorificant; hominum natura te magnificat; in te enim gaudium invenimus in fide clamantes: Dominum hymnis celebrate et superexaltate in sæcula.

Ode octava I. Cdd. A, B, Δ, E, K, Ed. Ven. διεγείρων. Cd. Γ, διεγείρον (sic) Cd. B, l. 6 addit αὐτὸν εἰς.. - II Cdd. conveniunt; sed illud βροτοῖς ὁμοουσίως, post. lin. 6 ratione metri non potest admitti. — III. Cdd. A, B, l. 3 πιστῶν. - Cd. Δ, l. 2 pro διδαγμάτων habet δογμάτων - l. 3, 4 ἐξ ὧν ἀρδεύουσι πιστῶν - τὰ πλήθη ἐκβοῶντα. Cdd. E, K, conveniunt cum Cd. Γ. — IV. Cdd. A, B, Γ, habent l. 1 τάξεις - l. 3 ηὕραμεν. Cd. Δ, l. hic habet Μακαρίζη (sic) σε παρθενομῆτορ τῶν. ἀγγέλων τάξεις καὶ ἀνθρώπων ὑμνοῦσί σε συναγωγαὶ καὶ πίστει μελῳδοῦσι: τὸν κύριον... Cdd. E, K, conveniunt cum Cd. Γ.

τὸν κύριον ὑμνεῖτε
καὶ ὑπερυψοῦτε εἰς αἰῶνας.

ΩΔΗ Θ'.

προσ... Ἐξέστη ἐπὶ τοῦτο...

Ἐδείχθης ὡς ἐλαία, πάτερ σοφὲ,
ἐν τῷ οἴκῳ κυρίου κατάκαρπος,
ἐξ ἧς σαφῶς - ἔπλησας λαμπάδα τῶν ἀρετῶν
μεθ' ἧς καὶ εἰσελήλυθας
ἐν τῇ εὐωχίᾳ τῶν οὐρανῶν
ἐκεῖ συναπολαύων - μετὰ τῶν ἀσωμάτων
τῆς ἀκηράτου καὶ ἀΰλου ζωῆς.

Λειπάνας τὴν ψυχήν σου ἐν ἀρεταῖς
ἐγκρατείας ἐδείχθης ἐγκαλλώπισμα
καὶ τῆς σεπτῆς - ἀρχιερωσύνης μυσταγωγὸς
τοῦ βίου ὑποτύπωσις
καὶ τῆς ἐκκλησίας φωταγωγὸς
καὶ στήλη τῶν δογμάτων - αἱρέσεων τὴν πλάνην
ἀδιαλείπτως στηλιτεύουσα.

Πεπλήρωκας τὸν δρόμον τὸν ἱερὸν
καὶ τὴν πίστιν τετήρηκας ἄμεμπτον
καὶ εἰς μονὰς - ἔφθασας καὶ λήξεις τῶν οὐρανῶν·
ἐν αἷς σοὶ καὶ ἀπόκειται
στέφος ὑπὲρ πόνων καὶ ἀμοιβῶν·
ἀλλὰ ταῖς σαῖς πρεσβείαις - οἰκτείρησον καὶ σῶσον
ἐξ ἐπειρίας τὰς ψυχὰς ἡμῶν.

ODE NONA.

Sicut oliva fructifera in domo Domini visus es, o pater sapiens, ex qua splendide replevisti virtutum lampadem; hanc portans et ingressus es convivium cœleste, ibique indeficienti et spirituali vita gaudens cum angelis.

Animam tuam virtutibus accrescens, visus es splendor continentiæ, et dux venerandi pontificatus, vitæ exemplar, et lumen ecclesiam ducens et columna doctrinarum indeficienter profligans hæresum errorem.

Sacrum cursum consummasti, et fidem sine querela servasti, et ad mansiones et gaudia cœlorum pervenisti, in quibus reposita erat tibi pro laboribus et retributione corona; nunc precibus tuis miserere et salva ex omni tentatione animas nostras.

Ode nona I. Cdd. A, B, Δ, E, K, conveniunt cum Cd. Γ. — II. In Cd. Γ, lineæ 4, 5 ab alia manu supplentur in marg. Cdd. A, B, etc. convent. cum Cd. Γ. - Cd. B, l. 1 pro σου ἐν ἀρετ... habet σου ταῖς ἀρετ... l. 2 habet καλλώπισμα pro ἐγκαλ... Etiam in Cd. B, desunt lineæ 4, 5. Cd. Δ, l. 1 ut supra ταῖς ἀρετ... et l. 4, 5 habet ὃν ἐκτενῶς ἱκέτευε πάντοτε δυσωπῶν ὑπὲρ ἡμῶν quæ male irrepserunt. l. 7 στηλιτεύουσιν. Cd. E, l. 2 καλλώπ... — III. Cd. A, convenit cum Cd. Γ. - Cd. B, l. 1 δρόμον πάτερ σοφὲ item habet Cd. Δ, qui l. 4 σοι ἐναπόκ... Cdd. E, K, l. 5 στέφανος καὶ δόξα τῶν ἀμοιβῶν.

θεοτοκίον.

Ὡς ἔχουσα, παρθένε, πρὸς τὸν ἐκ σοῦ
σαρκωθέντα, πρεσβείαν ἀκοίμητον
ὑπὲρ ἡμῶν τῶν ὁμολογούντων σε ἐκτενῶς
ἐν πίστει ἀδιστάκτῳ νυν
καὶ εἰλικρινείᾳ πνευματικῇ
κυρίως θεοτόκον - καὶ πάναγνον μητέρα
μὴ διαλείπῃς δυσωποῦσα Χριστόν.

ΚΑΝΩΝ

ΠΟΙΗΜΑ ΙΩΣΗΦ

φέρων ἀκροστιχίδα

« Τὸν πανμέγιστον Αμβρόσιον αἰνέσω - Ιωσήφ »

ἦχος τέταρτος.

ΩΔΗ Α'.

προσ... Θαλάσσης ἐρυθρᾶς...

Ταῖς θείαις φωτοχυσίαις ὅσιε
καταστραπτόμενος
τὴν φωτοφόρον ταύτην καὶ φαιδρὰν
καὶ ἁγίαν σου κοίμησιν
τοὺς εὐσεβῶς γεραίροντας
σαῖς ἱκεσίαις φωταγώγησον.

Ο λόγος ὁ τοῦ θεοῦ σοφίας σοι
λόγον δεδώρηται
κεκοσμημένον γνώσει ἀληθεῖ,
ἱεράρχα Αμβρόσιε,
αἱρετιζόντων ἄλογον
ἀπορραπίζοντα κακόνοιαν.

Νοῦς σου τὸ ὀπτικόν, πανόλβιε,
προκαθηραμένος
τῆς τῶν παθῶν ἀχλύος δεκτικὸν
καθαρῶν ἐπιλάμψεων
τοῦ παναγίου Πνεύματος
προσαπειργάσω, παμμακάριστε.

Πανσόφοις καὶ ἱεροῖς σου δόγμασι
τὴν αἱρεσόφρονα
ἀποδιώξας λοίμην, ὡς ποιμὴν
ἐπὶ χλόην ἐποίμανας
ὀρθοδοξίας, πάνσοφε,
τὰ λογικά σου πίστει θρέμματα.

θεοτοκίον.

Ασπόρως τῷ τοῦ πατρὸς βουλήματι
ἐκ θείου Πνεύματος
τὸν τοῦ θεοῦ συνείληφας υἱόν
καὶ σαρκὶ ἀπεκύησας
τὸν ἐκ πατρὸς ἀμήτορα
καὶ δι' ἡμᾶς ἐκ σοῦ ἀπάτορα.

ΩΔΗ Γ'.

προσ... Οὐκ ἐν σοφίᾳ...

Μεμυημένος
ἱεράρχης ὡς ἔνθεος, ὅσιε,
πᾶσαν νόησιν γραφῆς
τοῖς ἀγνοοῦσι, Αμβρόσιε,
πάτερ, τὰ δυσέφικτα
σοφῶς ἐτράνωσας.

Theotocion.

Cum tu indeficientem obtineas apud eum, qui ex te incarnatus est, intercessionem, pro nobis qui te nunc in fide indeficiente et in spirituali gaudio vere Deiparam et purissimam matrem confitemur, deprecari ne cesses.

HYMNUS

OPUS JOSEPHI

habens acrostichidem:

In omnibus maximum Ambrosium laudabo-Joseph.

Tonus quartus.

ODE PRIMA.

Divini luminis effusione, o sancte, illustratus precibus tuis eos, qui hanc splendidam et pulchram et sanctam obdormitionem tuam pie celebrant, deduc in lumine.

Verbum, quod ex Deo est, tibi donavit sapientiæ verbum exornatum vera scientia, et abigens irrationalem hæreticorum malignitatem, o Ambrosi hierarcha.

Mentis intelligentiam a caligine passionum puram effectam divinarum illustrationum sanctissimi Spiritus capacem reddidisti, o beatissime et in omnibus venerande.

Sapientissimis et sacris doctrinis tuis pestem Ariani erroris expulisti; sicut pastor ad pascua orthodoxiæ spirituales, sapientissime, oves tuas in fide deduxisti.

Theotocion.

E divino Spiritu et voluntate Patris absque semine concepisti Verbum Dei, et in carne eum, qui ex patre fuit sine matre, et per nos ex te sine patre, ad lucem edidisti.

ODE TERTIA.

Veluti divinus mysticus hierarcha omnem scripturæ intelligentiam edoctus, sancte pater Ambrosi, insipientibus inaccessa sapienter declarasti.

IV. Cd. A, convenit cum Cd. Γ. - Cd. B, l. 4 habet τε pro νῦν - l. 5 καὶ εἰλικρινεῖ ὅλῃ καὶ ψυχῇ - l. 6 πάναγνον παρθενον - l. 7 διαλείσοις - Cd. Δ, l. 5 ut Cd. B. - Cdd. E, K, habent *theotocion* Ωράθης ὦ παρθένε μήτηρ θεοῦ ὑπὲρ φύσιν τεκοῦσα ἐν σώματι τὸν ἀγαθὸν λόγον ἐκ καρδίας τῆς ἑαυτοῦ, ὃν ὁ πατὴρ ἠρεύξατο πάντων πρὸ αἰώνων ὁ ἀγαθός, ὃν νῦν καὶ τῶν σωμάτων ἐπέκεινα νοοῦμεν ει καὶ τὸ σῶμα περιβέβληται.

Hymni hujus Josephi textum ex Cod. A, exscripsimus. - Cdd. B, et Z, et Editio Veneta hymnum hunc habent.

Ode prima I. Cdd. B. Z, Ed. Ven. nihil varium habent, præter orthographica. — II. Cd. B. l. 3 male γνώσῃ ἀληθῆ Ed. Ven. γλώσσῃ ἀληθεῖ. - Cd. Z, l. 2 λόγων. Ed. Ven. l. 6 κακόνοιαν. — III. Cd. B, et Ed. Ven. l. 6 προασειργάσω. Cd. Z, non habet hoc troparium. — IV. Cd. Z, l. 3 λήμην. In Ed. Ven. hoc troparion desideratur. — V. Cd. A, tantum lineas primas habet *theotocii*, cætera ex Cd. B, exscripsimus. Cd. Z, Ed. Ven. nil habent varii.

Ode secunda in hoc hymno numquam fuit, ut ex ipsa acrostichide patet.

Ode tertia I. in Cd. B, habet secundum locum, et secundum troparium habet primum. Sed nihil in utroque varii est. Ed. Ven. l. 4 δυσέφυκτα - l. 5 τρανῶς ἐσάφησας.

Μεγίστην χαριν
πρὸς θεοῦ δεδεγμένος καὶ δύναμιν
σῆς ἐσθῆτος ἐπαφῇ
ποικίλα πάθη, Ἀμβρόσιε
πάτερ, ἐθεράπευσας
τῶν προσιόντων σοι.

Εν ἀφρονήσει
τὴν πρὸς σὲ τὸν φρονήσει ἐμπνέοντα
πλησιάσαι τολμηρῶς
μιαρωτάτην ὁρμήσασαν
θάττον ἐθανάτωσας
θείῳ προσρήματι.

Θεοτοκίον.

Γένος ἀνθρώπων
ἐκαινούργησας, μόνη κυήσασα
τὸν τῆς φύσεως ἡμῶν
δημιουργόν τε καὶ κύριον·
ὅθεν σὲ δοξάζομεν,
θεοχαρίτωτε.

ΩΔΗ Δ'.

προσ... Δι' ἀγάπησόν...

Ιεράρχης ἀνεδείχθης, - χρισθεὶς τῷ μύρῳ
τῷ τῆς ἱερωσύνης,
τελειῶν ἱερέας, - πᾶσιν τὴν σωτήριον
δωρούμενος κάθαρσιν.

Συνετήρησας τὴν ποίμνην - ἐκ πάσης βλάβης
τῶν ἐναντίων μάκαρ·
καὶ Αρείου τὴν πλάνην - πᾶσαν ἀπημαύρωσας
τῷ φέγγει τῶν λόγων σου.

Τῇ τοῦ Πνεύματος δυνάμει - τετειχισμένος
τὰ πονηρὰ διώκεις
τῆς κακίας, παμμάκαρ, - πνεύματα μὴ φέροντα
τὴν σὴν ἐπιτίμησιν.

Θεοτοκίον.

Ο θελήματι τὰ πάντα δημιουργήσας
δημιουργεῖται θέλων
ἐξ ἁγνῶν σου αἱμάτων - σώζων τοὺς ὑμνοῦντάς σε
ἁγνὴν θεομήτορα.

ΩΔΗ Ε'.

προσ... Σὺ κύριε μεῦ φῶς...

Νεῦν λάμποντα φωτὶ
τῷ ἀΰλῳ κτησάμενος
ἀπήστραψας ἰαμάτων
καὶ θαυμάτων ἀκτῖνας,
Αμβρόσιε μακάριε.

Ανήγειρας σαυτὸν
ἱερὸν καταγώγιον
τοῦ Πνεύματος καταλύσας
τοὺς ναοὺς τῶν εἰδώλων,
Αμβρόσιε μακάριε.

Μεγίστων ἀρετῶν
φωταυγίᾳ λαμπόμενος
ἠδέσθησαν βασιλεῖς σε,
καὶ τὸν ὅρον γλώττης
τῆς σῆς οὐ παρεσάλευσαν.

Maxima gratia et virtute a Deo accepta, tactu vestis tuæ morbos varios confugientium ad te, o Ambrosi pater, sanasti.

Illam iniquissimam, quæ audacter in insipientia impetum faciebat, ut accederet ad te, sapientia excellentem, extemplo divinis verbis morte perculisti.

Theotocion.

Renovasti humanum genus tu, quæ sola peperisti naturæ nostræ factorem et dominum; quapropter, o Deo gratissima, te glorificamus.

ODE QUARTA.

Visus es hierarcha inunctus unguento sacerdotii, initians sacerdotes, et omnibus salutarem purificationem impertitus.

Gregem ab omni noxia adversariorum servasti, o beate, et omnem Arii errorem profligasti in splendore sermonum tuorum.

Virtute Spiritus roboratus malos persecutus es, beatissime, iniquitatis spiritus, qui obiurgationem tuam sustinere non valuerunt.

Theotocion.

Qui voluntate sua omnia e nihilo eduxit, libens creatura factus est e purissimis sanguinibus tuis, et salvos facit, qui te hymnis puram Dei matrem celebrant.

ODE QUINTA.

Cum intellectum haberes spirituali illustratum lumine emicasti radiis sanationum et prodigiorum, Ambrosi beate.

Te ipsum veluti tabernaculum Spiritus ædificasti; idolorum templa evertisti, Ambrosi Dei plene spiritu.

Cum emicares lucido virtutum splendore, reges te venerati sunt, et verborum tuorum non transegerunt fines.

II. Cd. Z, l. 2 πανόλβιε pro καὶ δύναμιν. — III. Cdd. B, Z, l. 1 Εν ἀφροσύνῃ... et lin. 2 ἐμπρέποντα. — IV. Cd. B, l. 1 male ἐκενούργ... in aliis. Cdices B, et Γ, et Ed. Ven. conveniunt.

Ode quarta I. II. Cdd. A, Z, Editio Veneta nil varium habent. — III. Cdd. B, Z, Editio Veneta conveniunt. — IV. Cdd. B, Z, Ed. Ven. l. 4 τοὺς εἰδότας σέ.

Ode quinta I. ut Cdd. B, Z, Ed. Ven. l. 1 Νοῦν legendum est, non vero Νῦν ut quidam Cdd. — II. Cd. Z., in fine θεόπνευσταὶ lege θεόπνυστε, ut Ed. Ven. — III. Cd. A, l. 4 γλώσσης. Cd. Z, et Ed. Ven. conveniunt.

θεοτοκίον.

Βουλήματι τὸ πᾶν
ὁ σοφὸς ἐργαζόμενος
βουλόμενος ἀναπλάσαι
τοὺς ἀνθρώπους, παρθένε,
τὴν σὴν γαστέρα ᾤκησεν.

ΩΔΗ ϛ'.

προσ... Θύσω σοι...

Ρώμη σου - εὐφημεῖ τὰ σεπτὰ προτερήματα·
φωτοειδὴς ὡς ἀστὴρ γὰρ
πανταχοῦ θαυμάτων τὰς λαμπηδόνας,
ἱεράρχα,
ἐπαφῆκας πιστῶς θαυμαζόμενος.

Ορθρίσας - πρὸς Χριστὸν ταῖς ἐκεῖθεν λαμπρότησι
περιηυγάσθης πλουσίως,
καὶ φωτὸς ἐπλήσθης τοῦ θειοτάτου
καὶ φωτίζεις
τοὺς πιστῶς σε τιμῶντας ἑκάστοτε.

Σῶμά σου - καὶ ψυχὴν τῷ θεῷ καθιέρωσας
καὶ δεικτικὴν ἀπειργάσω
χαρισμάτων πάτερ - τὴν σὴν καρδίαν
ἀνενδότως
τῷ γλυκείῳ προσέχων σου ἔρωτι.

θεοτοκίον.

Ιασαι - τῆς ψυχῆς μου, παρθένε, τὰ τραύματα
ἐπισκιάσει σου θείᾳ·
καὶ τὸν νοῦν μου λάμπρυνον σκοτισθέντα
ἀμελείᾳ
καὶ κακίᾳ ἐχθροῦ πολεμήτορος.

ΩΔΗ Ζ'.

προσ... Εν τῇ καμίνῳ...

Ο θεῖος φθόγγος
τῶν σῶν δογμάτων, πάτερ σοφὲ,
ὥσπερ - ἀστραπὴ διῆλθε πᾶσαν τὴν γῆν,
καὶ θαυμάτων ἡ ἐπίδειξις
ὡς φῶς ἐξήστραψεν
τὰς ἐν ζόφῳ καρδίας λαμπρύνουσα.

Νομοθεσίαις
ταῖς τοῦ σωτῆρος ἑπόμενος,
πάτερ, τὸ δοθέν σοι τάλαντον ἐπιμελῶς
ὡς οἰκέτης ἀγαθώτατος
πολυπλασιάζεις
δεσποτικῆς χαρᾶς ἀξιούμενος.

Αναστομώσας
τὴν θεολόγον σου διάνοιαν
ῥεῖθρα ἱερῶν δογμάτων ποταμειδῶν
ἐπαφῆκας καταρδεύοντα
πιστῶν τὸ πλήρωμα,
ἱερομύστα πάτερ Αμβρόσιε.

θεοτοκίον.

Ιδοὺ παρθένος
ἐν γαστρί σου συνέλαβες λόγον
τοῦ πατρὸς συνάναρχον καὶ σαρκὶ
ἀπεκύησας δωρούμενον
πᾶσιν ἀνάκλησιν
τοῖς ἐξ Αδὰμ πεσοῦσι, πανάμωμε.

Theotocion.

Qui voluntate sua sapiens omnia fecit, libens sinum tuum inhabitavit, o Virgo, ut homines ad pristinam reduceret dignitatem.

ODE SEXTA.

Veneranda tua merita celebrat Roma; etenim ceu lucidum astrum undique emisisti prodigiosa radia, hierarcha fidelibus admirande.

Consurgens ad Christum, abundanter ejus splendoribus illustratus es, et repletus es divinissimo lumine, et quotidie illuminas, qui te fideliter honorant.

Corpus tuum et animam Deo dicasti, et cor tuum capax effecisti charismatum, o pater, quod haud remisse prosecutum est dulcem amorem tuum.

Theotocion.

Sana animæ meæ vulnera visitatione tua, o Virgo, et illumina intellectum meum ob negligentiam et ob malitiam hostis, qui bellum infert, tenebris obfuscatum.

ODE SEPTIMA.

Divinus sonus doctrinarum tuarum, o pater sapiens, veluti fulgur percurrit omnem terram, et prodigiorum ostensio veluti lumen coruscavit, corda quæ in tenebris sunt, illuminans.

Legibus Servatoris morem gerens, o pater, concreditum tibi talentum solerter, uti optimus servus, multiplicas, et dignus factus es gaudio Domini tui.

Aperiens mentem Deo plenam fluenta sacrarum doctrinarum ceu flumina emisisti, quæ irrigant multitudinem fidelium, o sancte sacerdos Ambrosi pater.

Theotocion.

Ecce, cum virgo fores, o immaculata, in utero concepisti Verbum coæternum Patri, et in lucem edidisti in carne eum, qui donat revocationem omnibus, qui ex genere Adam ceciderunt.

IV. Codices B, Z, Editio Veneta conveniunt.

ODE SEXTA I. Cd. B, convenit - Ed. Ven. male Ρώμη. Cd. Z, l. 1 τὰ σεπτὰ ἐκβοᾷ προτερ... — II. Cd. B, Z, Ed. Ven. conv. Cd. Z, l. 1 Ορθροίσας. — III. Cd. B, in fine melius προσέχουσα ἔρωτι. Cd. Z, initio Συνέσησας in fine τῷ ἡδίστῳ προσέχουσα ἔρωτι. — IV. Cdd. B, Z, Ed. Ven. conveniunt.

ODE SEPTIMA I. Ed. Ven. l. 2 πάτερ πάνσοφε Cd. B, l. 4 θαυμάτων ἐπιδείξεσι sic et Ed. Ven. — II. Cd. B, l. 3 ἐμμελῶς - l. 4 ἀγαθότητος. Cd. Z, l. 3 ἐμμελῶς Editio Ven. l. 5 πολυπλασίασας. — III. Cd. B, convenit, Cd. Z, Editio Veneta ποταμηδὸν (sic). In editione Veneta excidit linea πιστῶν τὸ πλήρωμα. — IV. Cdd. B, Z, conveniunt. Editio Ven. ἐν σῇ γασ... lin. 5 fortasse legendum esset ἀνάκλισιν.

ΩΔΗ Η'.

προς... Χεῖρας ἐκπετάσας...

Νεκρώσας τὰ μέλη καὶ νεκρὸν
σαρκὸς τὸ φρόνημα ἀπεργασάμενος
ψυχὴν ἐζώωσας, ὅσιε,
καὶ πηγὴν θαυμάτων ἔβλυσας
τοῖς νεκρωθεῖσιν ἐκ παθῶν
ζωὴν πηγάζουσαν τοῖς βοῶσι
πάντα τὰ ἔργα εὐλογεῖτε τὸν κύριον.

Ἔγνως τὴν μετάθεσιν, σοφὲ,
τὴν ἐκ τοῦ σώματος θείῳ ἐν πνεύματι
προφητικώτατα· ταύτην γὰρ
τοῖς συνοῦσι διεσάφησας
καὶ ἐν χαρᾷ πρὸς οὐρανὸν
βοῶν ἀνέδραμες· εὐλογεῖτε
πάντα τὰ ἔργα κυρίου τὸν κύριον.

Σῶμα καὶ καρδίαν καὶ τὸν νοῦν
προκαθηράμενος παθῶν συγχύσεως
πυρφόρον ἔλλαμψιν ἄνωθεν
εἰσεδέξω τὴν τοῦ πνεύματος,
ὥσπερ οἱ θεῖοι μαθηταὶ
βοῶν, Ἀμβρόσιε· – εὐλογεῖτε
πάντα τὰ ἔργα κυρίου τὸν κύριον.

θεοτοκίον.

Ὑψης ὑπερτέρα οὐρανῶν
θεὸν οὐράνιον ἀποκυήσασα
τὸν τὰ ἐπίγεια, πάναγνε,
οὐρανοῖς ἐπισυνάψαντα
καὶ τὴν ἐπίγνωσιν αὐτοῦ
πᾶσιν παρέχοντα
τοῖς βοῶσιν· – εὐλογεῖτε
πάντα τὰ ἔργα κυρίου τὸν κύριον.

ODE OCTAVA.

Membra mortificans, et veluti mortuum reddens carnis fomitem, o sancte, animam vivificasti; et prodigiorum fontem emisisti vitam manantem iis, qui sub passionum morte iacent canentes: Benedicite omnia opera Domino.

Excessum tuum e corpore cognovisti a divino spiritu; prophetarum enim more iis, qui tecum erant, significasti; et in gaudio ad cœlum evolasti clamans: Benedicite omnia opera Domini Domino.

Postquam corpus et animam et intellectum a passionum confusione purificasti, ignitam illustrationem Spiritus desuper excepisti, sicut divini discipuli, clamans, o Ambrosi: Benedicite omnia opera Domini Domino.

Theotocion.

Visa et cœlis sublimior, cum in ventre concepisses Deum cœlorum, qui terrena cœlestibus sociavit et cognitionem suam cunctis præbuit qui clamant: Benedicite omnia opera Domini Domino.

Ode octava I. l. 4 Cd. A, ἔκβλυσας pro ἔβλυσας. Cdd. et Ed. Ven. l. 6 ζωὴν παρέχουσα. — II. Cd. Z, l. 1 male Αγνῶς et contra acrostichidem. — III. IV. Cdd. B, Z, Editio Veneta conveniunt.

Ode nona I. Cd. B, l. 4 πρὸς ὧν et ἀπολειψ... Cd. Z, l. 4 μετέστης. — II. Cd. B, Ed. Veneta l. 1 Ωριμος. l. 2 Cd. Z, et Ed. Veneta λινοῖς. — III. et IV. Cdd. B, et Z, conveniunt. — IV. In Ed. Ven. Σοφίᾳ καὶ χάριτι λάμπων ἱερομύστα καὶ ποιμένων μέσον ἐξαστράπτεις δογμάτων ὀρθοδοξίᾳ, πάτερ Αμβρόσιε. διὸ πίστει καὶ πόθῳ σε ὕμνοις ἀξίως μακαρίζομεν. — V. Cdd. B, et Z, Editio Veneta conveniunt.

ΩΔΗ Θ'.

προς... Λίθος ἀχειροτόμητος...

Ἰδὲς γεγενὼς ἐν ἐκστάσει
τὰ δι' αἰῶνος τοῖς ἁγίοις,
πάτερ, ἀπεκείμενα γέρα
πρὸς ἃ μετέβης ἀποληψόμενος
τῶν σῶν καμάτων, ἐνδεξε,
τὰς ἀντιδώσεις εὐφραινόμενος.

Ὡρημος ὡς βότρυς, θεόφρων,
λινοῖς τοῖς ἄνω ἐπαξίως
ἀπεθησαυρίσθης πηγάζων
ἀθανασίας εἶνον, Ἀμβρόσιε,
καὶ ἰαμάτων χάριτας
τοῖς εὐσεβῶς σοι προσπελάζουσι.

Σὲ τὴν χρυσαυγίζουσαν, πάτερ,
τοῦ θείου πνεύματος λυχνίαν
φέγγος εὐσεβῶν διδαγμάτων
καὶ ἰαμάτων αὐγὴν ἐκπέμπουσαν
καὶ τοὺς πιστοὺς φωτίζουσαν
μεγαλοφώνως μακαρίζομεν.

Ἡμεροφαῆ σε ἀστέρα
ἡ ἐκκλησία κεκτημένη
σκότος διαφεύγει παντοίας,
παμμάκαρ, πλάνης καὶ ταῖς λαμπρότησι
τῶν ἱερῶν δογμάτων σου
αὐγαζομένη μακαρίζει σε.

θεοτοκίον.

Φωνὴν σοι βοῶμεν, παρθένε,
περιχαρῶς τοῦ ἀρχαγγέλου·
Χαῖρε τῆς κατάρας ἡ λύσις·
δεινῶν παντοίων χαῖρε ἡ λύτρωσις
ἡ τοὺς βροτοὺς θεώσασα
τῇ ὑπὲρ νοῦν κυοφορίᾳ σου.

ODE NONA.

Vides in extasi, quæ in sæcula reposita sunt viris sanctis præmia; ad quæ convolasti lætus, o pater gloriose, retributionem laborum tuorum accipiens.

Veluti racemus maturus cœlestibus torcularibus digne servatus es, o divine Ambrosi, emittens vinum immortalitatis et gratias sanationum iis, qui ad te accedunt.

Te, o pater, beatum magna voce celebramus uti lampadem auream divini Spiritus, quæ lumen sacrarum doctrinarum et sanationum splendorem emittit, et fideles illustrat.

Ecclesia cum te astrum sicut diem fulgentem, adepta sit, tenebras expellit omnigeni erroris, et sacrorum tuorum dogmatum splendore coruscans, te celebrat beatum.

Theotocion.

Archangeli vocem læte tibi iteramus, Virgo: Ave quæ solvis maledictionem: Ave, quæ ab omnibus liberas malis; quæ partu tuo omnem exsuperante capturam, homines efficis divinos.

Τῷ αὐτῷ μηνὶ (δεκεμβρίῳ) τῇ ἑβδόμῃ. Μνήμη τοῦ ὁσίου πατρὸς ἡμῶν Αμβροσίου ἐπισκ. Μεδιολάνων.

Αμβρόσιος ὁ θαυμαστός, ἐγένετο ἐκ τῆς πόλεως Ρώμης συγκλητικός, ἐπὶ τῶν χρόνων τῶν υἱῶν τοῦ μεγάλου Κωνσταντίνου, Κωνσταντίου καὶ Κώνσταντος· διὰ δὲ τὴν πολλὴν αὐτοῦ ἀρετὴν καὶ δικαιοσύνην ἐπίσκοπος ἐγένετο Μεδιολάνων· καὶ διήρκεσεν ἕως τῶν χρόνων τοῦ μεγάλου Θεοδοσίου· ζῆλον δὲ ἔχων θεϊκόν, καὶ ἐλευθέραν ψυχὴν, ὅτε εἶδε τὸν μέγαν Θεοδόσιον πικρανθέντα καὶ ἀποστείλαντα στρατὸν καὶ σφάξαντα τὸν ἐν Θεσσαλονίκῃ λαὸν, ἐπειδὴ ἔπταισαν εἰς τὸν βασιλέα, εἶτα ἐλθόντα εἰς τὴν ἑορτὴν τῶν Χριστοῦ γέννων, ἵνα εἰσοδεύσῃ καὶ εὔξηται καὶ κοινωνήσῃ τῶν ἀχράντων μυστηρίων, ἐκώλυσεν αὐτὸν καὶ οὐκ ἀφῆκεν εἰσελθεῖν εἰς τὸ βῆμα· εἰπὼν ὅτι φονέας, καὶ μάλιστα τοσούτων ὁμοφύλων χριστιανῶν, ἡ ἐκκλησία τοῦ θεοῦ οὐ δέχεται· τὸν δὲ ἅγιον ἐθαύμασεν ὁ βασιλεὺς· καὶ ἐτίμησεν καὶ ὑπεχώρησεν εἰπὼν ὅτι ἀληθὸς ἀρχιερεὺς ἔνι. πολλὰ δὲ καὶ ἄλλα μνήμης ἄξια ποιήσας, θανὼν ἐτάφη.

Τὸ φθαρτὸν Αμβρόσιος ἐκδὺς σαρκίον,
θείας μετέσχεν ἀμβροσίας ἀξίως·
Εβδομάτῃ Αμβρόσιος ποτὶ ἄμβροτον ἤλυθεν οὖδας.

Οὗτος γέγονεν ἐκ τῆς μεγαλοδόξου πόλεως Ρώμης· εἷς ὢν τῆς συγκλήτου ἔν τε λόγοις ἔχων προσφυῶς· ζυγός τις ὢν καὶ στάθμη περὶ τὸ δίκαιον οὐχ' ἑτεροκλινῆ ἐν τοῖς προσπίπτουσι τὴν ἀποφασιν· ἀλλ' ἀπαρέγκλητον ποιούμενος καὶ ὀρθήν. διατοιτοῦτο τὴν ἡγεμονίαν ἐπιστεύθη ἁπάσης Ιταλίας παρὰ τῶν εὐσεβῶν βασιλέων Κωνσταντίνου καὶ Κώνσταντος υἱῶν τοῦ μεγάλου βασιλέως Κωνσταντίνου· οὔπω δὲ καταρτισθεὶς τῷ θείῳ βαπτίσματι· ἀλλ' ἔτι ἐν τοῖς κατηχουμένοις ὤν, οὐδὲν τίμιον εἰς ἀρετὴν καὶ βίου καθαρότητα τῶν μετειληφότων τῶν μυστηρίων καθίσταται· ὅθεν κρίσει τοῦ βασιλέως Βαλεντινιανοῦ ἀρχιερεὺς τῆς ἐν Μεδιολάνων ἐκκλησίας, κατ' ἐκείνου καιροῦ τοῦ προέδρου τὸν βίον ἀπολιπόντος, ὁ ἅγιος Αμβρόσιος προχειρίζεται. ὁμοῦ τε τῷ βαπτίσματι τελεσθεὶς καὶ κατὰ τάξιν τοὺς ἐκκλησιαστικοὺς θεσμοὺς διελθὼν· καὶ ἐπὶ τὸν ἔσχατον προελθὼν· καλῶς δὲ τὴν ἐκκλησίαν ποιμάνας καὶ συνήγορος γεγονὼς τοῖς κατὰ Αρείου καὶ Σαβελλίου καὶ Εὐνομίου αἱρέσεως ἀγωνιζομένοις, καὶ ὑπὲρ τῆς εὐσεβοῦς πίστεως διάφορα βιβλία συντάξας· καὶ τὸν βασιλέα Θεόδοσιον ἀπὸ τῆς ἐν Θεσσαλονίκῃ μιαιφονίας καταλαβόντα τὴν τῶν Μεδιολάνων πόλιν τῶν θείων εἰσόδων τῆς ἐκκλησίας κωλύσας καὶ εἰς ὑπόμνησιν ἀγαγὼν, ὧν τετόλμηκεν, ἐν γήρᾳ καλῷ καταλύει τὸν βίον.

Eodem mense (Decembri) die septima. Memoria Sancti Patris nostri Ambrosii Episcopi Mediolanensis.

Ambrosius admirabilis ex urbe Roma fuit senatorii ordinis temporibus Constantii et Constantis, filiorum Constantini Magni. Ob multas autem ipsius virtutes atque iustitiam Episcopus Mediolanensis factus vixit usque ad tempora Theodosii Magni. Cum vero divino zelo incensus esset, animumque liberum haberet, Theodosium Magnum, quod vehementer commotus exercitum misisset, ac Thessalonicensem populum, qui in ipsum Imperatorem peccaverat, trucidari iussisset, Templum festo die Natali Christi ingredi volentem, ut oraret, sacraque mysteria perciperet, ingressu templi prohibuit: Ecclesia Dei, inquiens, non admittit homicidas, ac eos præsertim qui huiusmodi contribules Christianos trucidarent. At Imperator Sanctum admiratus, simulque honore prosecutus recessit, Ambrosium verum esse Episcopum affirmans. Ille autem cum multa alia memoratu digna fecisset, obiit, sepultusque fuit.

Corruptibile exuens Ambrosius corpus,
Digne particeps ambrosia factus est.
Die septima Ambrosius ad immortalitatis venit terram.

E gloriosa urbe Roma ipse venit: fuitque e magistratibus excellens in sermonibus; et lancem et pondus habens, ad iustitiam in neutram inclinabat partem, cumque sententiam in reos proferret, immobilis erat et iustus; ideoque ei concredita est præfectura totius Italiæ a piis imperatoribus Constantino et Constante filiis magni Constantini. Etsi nondum esset sacro baptismate initiatus, sed adhuc catechumenus, nemini tamen ex iis, qui sacris comunicabant mysteriis, erat secundus; quapropter et ex sententia Valentiniani imperatoris pontifex Mediolanensis ecclesiæ, cum per id temporis antistes eiusdem e vivis excessiset, renunciatur sanctus Ambrosius. Tunc pariter et baptisma suscepit et ex ordine ecclesiasticos gradus adivit, et cum supremum attigisset, recte pietatem et sanam doctrinam edocuit: ecclesiam omni hæresi imperviam servavit: adsertor factus est iis, qui contra hæreses Arii, Sabellii et Eunomii certabant: librosque multos de sacra religione edidit. Cum Theodosius imperator post Thessalonicensem stragem Mediolanum se recepisset, ab introitu sacri ecclesiæ loci prohibuit: quid patrare facinoris ausus esset in mentem revocavit. Ipse in senectute bona e vita concessit.

CODICES BIBLIOTHECÆ CRYPTÆFERRATÆ

ex quibus Cantica etc. descripta et collata sunt.

A Codex insignis membranaceus, qui in catalogo Toscani distinguitur Δ. α. XVIII, videtur scriptus sæculo XI.

B Cod. membr. Δ. α. XIX eleganter scriptus sæc. XI, vel XII in Calabria.

Γ Cod. membr. Δ. α. IV. scriptus a Macario Rhegino in monasterio Cryptæferratæ an. 1266.

Δ Cod. membranaceus Δ. α. XXIV videtur sæculi XII.

E Cod. chart. Δ, α. X scriptus a Michaële Lodolino in monasterio Cryptæferratæ an. 1659.

Z Cod. membr. Δ. α. XXXII duplici columna pulchre et perspicue minutissimis litieris exaratus vid. sæc. XII.

H Cod. membr. E. β. IV pulcher et perspicuus sæculo, ut videtur, XIII descriptus.

Θ Cod. membr. B. γ. II. habet *Synaxaria*, seu breves historiæ Sanctorum in sacris officiis legendae. Videtur sæculi XIII.

I Cod. membr. B. γ. IV. *Synaxaria* habet; vid. sæc. XII.

K Cod. chart. Δ. α. LXIX, est Menæum Decembris ab Athanasio Præposito descriptum an. 1735 in usum Ecclesiæ Cryptæferratæ.

M Cod. chart. B. γ. IX. habet *Synaxaria* descripta a Philippo monacho Cryptæferratæ an. 1727.

PRÆFATIO AD LIBROS QUINQUE

DE EXCIDIO URBIS HIEROSOLYMITANÆ

Egesippus potius quam Hegesippus in mss. scribitur auctor hujus historiæ Excidii Hierosolymitani, quem tamen nomine Ex Josippi designat clar. Mazochius, ipsumque esse Ambrosium nostrum demonstrat, qui juvenili ætate istud opus conflaverit. Id autem fuse ostendit in apposita *Digressione* suis *Commentariis in marmoreum Neapoletanum Kalendarium* inserta, unde præcipua colligimus quæ ejus adserti veritatem extra omne dubium ponere videntur.

Comment. in marm. Neap. Kalendar. Vol. III. dieb. 29 et 30 Jun. a pag. 780 ad 852

Ac primo in comperto est, historiam hanc liberiorem esse versionem historiæ *de Bello Judaico* a notissimo Josepho Hebræo græce conscriptæ, quam tamen ipse translator tam ex libris ultimis *Antiquitatum Judaicarum* (Ἀρχαιολογίας), quam quibusdam ad Romanam historiam pertinentibus nec non ad dogmata et fata enascentis Christianæ Ecclesiæ adauxerit.

Et quidem quatuor priores libri respondent ipsis quatuor prioribus Josephi *de Bello Judaico;* sed hujus tres posteriores in unum ceteris valde prolixiorem compacti sunt, qui quintum atque postremum historiæ nostræ constituit.

Hanc vero illius operis refusionem quidam opinati sunt in ipsa græca lingua confectam fuisse ab illo Hegesippo, cujus historica quædam fragmenta ab Eusebio Cæsaræensi suæ *Ecclesiasticæ historiæ* inserta sunt; uti reapse asseruit Jodocus Ascensius in sua *Ægesippi,* ita ipse scripsit, editione, anno 1510 Parisiis vulgata, quæ princeps inter typographicas fuit; nec aliter Ludovicus Vives tenuisse videtur: immo eamdem opinionem, licet a Cornelio Gualthero serio explosam, præfatione ad Egesippum suum, Coloniæ editum anno 1559, rursus vir alius eruditissimus revocavit, quem in pluribus suæ *Monobibli* locis Gronovius memoravit atque refellit. Mabillonius vero e conclusione libri primi insignis illius hujus historiæ codicis, septimi sæculi, qui in Ambrosiana Bibliotheca asservatur, initio carentis, in hujusmodi verbis: *Egesippi liber primus explicit,* atque e libri secundi inscriptione, quæ sic effertur: *Incipit Liber secundus Ambrosi episcopi* (quem) *de græco transtulit in latinum,*[1] conjectatus est, juniorem quemdam Hegesippum, a superius memorato diversum, ex Josepho hos libros compilasse, quos dein Ambrosius latinitate donaverit; opinionem hanc a Gualthero forte mutuatus, qui primus in præfatione suæ Egesippi editionis anni 1559, dubium proposuit an non istorum librorum auctor alius extiterit Hegesippus a noto jam historico diversus, eosque græce primum conscriptos Ambrosius postea aliusve in latinum transtulerit. Sed epigraphe codicis Cantabridgensis directe opus ipsum, ut immediatam ex Josepho versionem Ambrosio tribuit, dum ita se habet: *Beatiss. Ambrosii episc. translatio ex Josepho.*

Musæi Italici. T. I, pag. 14.

Jamvero istud sive Hegesippi, sive Ægesippi aut Egesippi, nomen ad auctorem librorum *de Excidio urbis Hierosolymitanæ* designandum autumat Mazochius conflatum esse e particula *ex* et nomine Josippi, quo medio ævo nomea historici Josephi communiter efferebatur.[2] Nam per litteram π, non vero φ, hoc nomen græce scribebatur, quæ littera facile duplicationem subiit;[3] cumque vocalis η jam ipso medio ævo sonum litteræ ι adepta esset, inde ex *Josepo* factum est *Joseppus* et *Josippus.* Cum autem codices illi his verbis incipere deberent: *Ex Josippi historia,* etc., librariorum inscitia utraque vox *ex Josippi* simul coacta fuit, veluti si nomen conficeret auctoris, atque ex consuetudine litteram *j* efferendi per *g Exgiosippi* tandem nomen exortum est, quod a semidoctis amanuensibus idem ac Hegesippus ille notus historicus habitum fuit, et abjecta aspiratione, etiam Egesippus scribi cœpit.

Ideo non auctoris nomen voce Egesippi designatum, sed per eam *Ex Josippi* historia in hos libros translata tantummodo intelligenda est. Hujus vero translationis auctorem Doctorem nostrum Ambrosium extitisse, licet adhuc in juvenili constitutum ætate, et quidem nondum christifidelem per baptismi susceptionem, sed in christianis dogmatibus, ut notum est, a puero institutum, ideoque etiam eruditione biblica ac de rebus hebraicis facile imbutum, sequentibus evincitur argumentis.

Stat primo loco testimonium eruditissimi sexto sæculo Cassiodori, qui cum dixisset curasse se perficiendam latinam librorum Josephi Flavii *Antiquitatum Judaicarum* versionem, quam existere nondum compererat, subdit, aliorum septem librorum *Captivitatis Judaicæ* « translationem alii Hieronymo, alii Ambrosio, alii deputant « Rufino: quæ dum talibus viris adscribitur, omnino dictionis eximia merita declarantur ». Constat igitur ex his, Cassiodorum ante oculos quidem habuisse aliquem codicem hujus *eximii meriti* translationis, licet absque auctoris nomine, ut videtur esse et vetustissimus codex Taurinensis cujus meminit Mabillonius; sed præ oculis non habuisse translationem librorum tam *Antiquitatum* quam *de Bello Judaico,* quam Rufinus confecit, ac priorem etiam omnino ignorasse; aliam vero ex fama tantum novisse. Cum autem Hieronymus

Libro: *de Institutione divin. litter.*

Musæi Italici. T. I, pag. 8

[1] Mabillonius ita inscriptionem retulit: *Liber secundus Ambrosius episcopus de græco transtulit in latinum.* At nos genuinam lectionem exhibemus ut in codice est. Supplevimus vocem *quem,* cujus tamen locum duo puncta tenere possent.

[2] Reapse in cod. Vaticano 1992 sæculi IX legitur *ex Josippi,* et quidem quoties auctoris nomen occurrit. In codice A, 220 *Inf.* sæc. X, bibliothecæ Ambrosianæ idem nomen modo effertur per *Josophum,* modo per *Josephum, Joseppum* et *Josippum,* et ita subscriptio se habet ordine inverso *ippisoi ɔvalF ticilpxe,* nempe *antiquitatum* etc.

[3] In codice Ambrosianæ bibliothecæ a Mabillonio quoque conspecto, ac superius memorato, titulus libri quinti foliorum capitibus inscriptus *Joseppi* exhibet nomen. Notandum præterea est e sæculo VII priorem censeri codicis partem, attamen alteram e V, quæ uncialibus litteris exarata est.

ipse testatus sit, epistola ad Lucinium Bœticum, se ex Josephi historia nihil transtulisse; cum præterea a stylo tam Hieronymi quam Rufini omnino distent libri nostri, ac præterea *eximia merita* quæ in translatione sibi comperta novit Cassiodorus, in versione Rufini nullatenus deprehendantur, inferre necesse est, hos *de Excidio urbis Hierosolymitanæ* libros illos fuisse quos manibus suis Cassiodorus tereret, eosque nonnisi Ambrosium auctorem habuisse. Nec obstat quod Maurini objecerunt, hos libros non esse veram Josephi versionem: nam etsi interdum quibusdam adaucta, vera tamen translatio haberi potest, atque ut translatio antiquis inscribitur codicibus, quorum jam specimen prolatum fuit. Neque item obest, quinque, non septem hos esse libros; cum notatum jam fuerit, tres Josephi postremos in unum aliis longiorem compactos esse.

Præfatione ad *Operum s. Ambrosii*, T. II.

Eam vero Ambrosio nostro tribuendam suadet secundo loco exemplarium mss. auctoritas ejus nomen præseferentium. Horum præcipuum est jam memoratum, quod in Mediolanensi Ambrosiana bibliotheca asservatur, quodque etiam a doctissimo Mabillonio septimi sæculi habitum fuit, uti jam dictum, litteris partim longobardicis partim romanis majusculis exaratum, et ideo in hac parte antiquius; cujus auctoritate Mabillonius ipse adversus Vossium demonstravit, quem putabat *Hegesippum* (ita scripsit, licet *Egesippus* in eo aliisque pluribus codd. legatur), septimo seculo antiquiorem fuisse. Teste insuper Daubutio, initio librorum quos pro authentia celebris testimonii Josephi de Christo conscripsit, codex mss. bibliothecæ Cantabridgensis ad calcem libri primi nostræ hujus translationis habet: *Beatissimi Ambrosii episcopi translatio ex Josepho. Liber primus explicit.* Ipsi etiam Maurini Ambrosii editores in Præfatione ad alterum hujus Operum tomum fassi sunt, in codice ejusdem versionis quam Claromontani Carmelitæ tunc possidebant, ante librum IV hæc verba inscripta esse: *Sancti Ambrosii episcopi dispersionis Judæorum Flavii Josephi historiographi capitulum quartum.* Joannes quoque Albertus Fabricius, ubi de Ambrosio loquitur, nos docet se in monasterii Cremifanensis (in Austria) librorum catalogo id reperisse: *N. 58, Tractatus Ambrosii episcopi de* (pro *ex*) *historia Josephi captivi* (qui nempe captivus factus fuerat a Romanis) *translati ab ipso de græco in latinum;* in *Glossario* autem ms. Scriveriano hanc æque interpretationem Ambrosio tribui refert Gronovius in *Monobiblo.* In pluribus insuper aliis mss. exemplaribus Ambrosium hujus versionis auctorem exhiberi ex Ascensio non absque jure inferimus, qui cum in Dedicatoria epistola principis suæ typographicæ editionis, quam jam commemoravimus, eam a Jacobo Fabro cum variis exemplaribus diligenter collatam dixerit, sub Ambrosii nomine non evulgasset, nisi hoc nomen illa exemplaria prætulissent. Gualtherus quidem, qui anno 1559 Coloniæ ejusdem perpolitiorem editionem confecit, Ambrosii nomen in fronte omisit, quod exemplum et alii deinde editores secuti sunt; in præfatione tamen satis declaravit, se non morari, quin Ambrosio interpreti hæc historia adseratur. Item codex ms. bibliothecæ Laurentianæ Florentiæ inscribitur: *Egesippi Apostolorum discipuli opus a B. Ambrosio ex græco in latinum translatum decenter;* In bibliotheca Cæsenæ codex quidam sæculi XV (pluteo XVI, c.) habet ad calcem tantum: *Explicit liber historiarum Egesippi Hierosolymitani Excidii ex græco sermone in latinum translatus decenter;* sed alius bibliothecæ Ranchi: *S. Ambrosii de dispersione Judæorum;* in bibliothecæ Vaticanæ sectione palatina, n. 170: *Tractatus S. Ambrosii episcopi de historia Josippi captivi translata ab ipso ex græco in latinum;* in cod. A, VI, 8 bibliothecæ Basileensis, pag. 658 æque legitur: *Hegesippus de bello Judaico ab Ambrosio in latinum verso;* in bibliotheca Bruxellensi sub n. 5540 codex quidam sæc. X titulum exhibet: *Egesippi Judaicæ captivitatis libri quinque ab Ambrosio episcopo de græco in latinum translati,* itemque codex alius sæc. XI, sub n. 10855: *Incipiunt libri Egesippi translati ab Ambrosio Mediolanensi Episcopo.* Mss. demum exemplarium auctoritatem opus istud Ambrosio vindicare merito inferri potest ex eo quoque, quod anno circiter 1460 Angelus December libro VII *de Politia litteraria* libros *Ægesippi* (ut ipse quoque hoc nomen in codicibus invenerat, idque ex capra, *aix, aigos,* et equo, *ippos,* interpretatus) de bello Titi cum Judæis ait *a Doctore Ambrosio* latine translatos.

Loco præcit.

Biblioth. Lat., T. II.

Observat. in Script. Eccl. c. I

Hanc autem communem extitisse memoratis temporibus suasionem, tam ex aliis testimoniis, quam ex illo clarissimi eruditi Ludovici Vives ediscimus, qui in Augustini librum XXI *de Civitate Dei,* cap. V, hisce verbis: *Hegesippus, Ambrosio interprete, libro* IV, locum inde profert de Pentapoleos combustione. Nemine vero communi huic suasioni antea obsistente, Erasmus primus fuit qui dubia adversus eam moverit; alii autem deinde ipsam apertius impugnarunt. De his ait Gronovius in præcitata *Monobiblo* (Daventriæ, anno 1651): « Erasmo vix credibile videtur (Ambrosium interpretem fuisse): Scaligero auctor est infimæ « vetustatis: Barthius increpat monachorum impudentiam, qui Ambrosium interpretem adfinxerint ». Etiam Latinus Latinius Ambrosio hoc opus abjudicavit styli dissonantiam conquestus.

Ibid.

Epist. ad Masium.

Propter adversa hujusmodi judicia in crebrioribus Operum Ambrosii editionibus, quæ ab Erasmiana enumerari possunt, hæc *Excidii urbis Hierosolymitanæ Historia* locum amplius non obtinuit, atque in eandem perpetuo ab iis exulandi decretum prolatum visum fuit a Maurinis Ambrosii editoribus, cum eorum auctoritas, alioquin non immerito in maxima æstimatione habita, apertissime steterit contra sententiam quæ latinam istius historiæ consarcinationem Ambrosio adscripserat. Ipsi enim primo loco nullius momenti habendam declaraverunt illam plurium pecularium elocutionum identitatem quæ in hac et Ambrosii operibus a Gronovio notata fuerat, asserentes: « Comparationem istiusmodi fallacem esse, quam ex auctoribus diversissimis « loquendi formulas inter se affines hinc inde resecare (*id est* decerpere) et (inter se) componere cuivis « proptum sit ». Deinde omnino decretorie pronunciarunt: « Certe quidem in hoc opere nihil inest Am- « brosiani neque styli neque judicii ». Demum et hoc judicium suum magis adhuc roborare conati sunt ultimo addendo: « Sed nec facile a nobis quisquam extorquebit, ut a rebus seriis credamus Ambrosio tan- « tum vacasse, quantum necesse erat scribendis non modo his quinque libris, sed etiam aliis quatuor quos « ex totidem Regum abs se compositos auctor memorat ».

Opere præcit.

Præfatione ad T. II. *Operum s. Ambrosii.*

In Maurinorum sententiam de nimia dissonantia styli hujus *Historiæ* ab Ambrosiano convenit et Tillemontius: alii vero passim eruditi post Maurinos in ea Ambrosio abjudicanda eisdem subscripserunt, donec eruditissimus Mazochius ejusdem pro divo Ambrosius vindicias strenue assumpsit, in opere sæpius jam memorato, quod anno 1755 Neapoli editum est; ac post eum Gallandius ut genuinum Ambrosii opus in cele-

Memoires, etc. Nota 49 in s. Petrum.

berrima sua *Bibliotheca Patrum* minorum (Venetiis, Vol. XIV, ab anno 1765-1781) ipsam vindicavit ac diligenter recusit. Denique et Schoenemann in sua *Bibliotheca historico-litteraria Patrum latinorum* eamdem Ambrosio asseruit.

Tomo I, Lipsiæ, 1792.

Tertium autem argumentum quo sententiæ veritas roboratur, Ambrosio hanc versionem asserentis, occurrit in amplissima conformitate locutionum quæ hoc in opere usuveniunt cum iis quæ in Ambrosii scriptis deprehenduntur; quod argumentum perperam a Maurinis Ambrosii Editoribus nihili pensum fuit, ut vidimus; dum e converso tantam prodit inter utrumque auctorem affinitatem ut fere impossibile videatur, illos unam eamdemque non extitisse personam. Hoc argumentum a Gronovio primum evolvi cœpit, excerptis quibusdam rarioribus et ab usu remotis dicendi modis e præcitata *Historia*, quos et in Ambrosii operibus inveniri ostendit; sed a Mazochio amplissime productum fuit, dum uberrimam segetem collegit ejusmodi locutionem, quæ arctissimam necessitudinem evidentem omnino faciunt Ambrosium inter et latinum istius Historiæ translatorem, ita ut si vel alia omnia argumenta deessent, ex hoc uno concludere oporteret, non alium quam Ambrosium nostrum liberiorem hanc historiarum Josephi translationem latinis numeris comparasse. Siquidem hujus inter auctorem atque Ambrosium perfectam primo loco identitatem commonstravit in orthographica exoticorum nominum scriptione, ita ut cum Alexandrinis interpretibus conveniat ubi convenit Ambrosius, ab iis vero recedat ubi Ambrosius recedit, et *Elisæum* (declinabilem) pro *Helisæe* (indeclinabilem) ac *Palæstinos* pro *Philistiim* more Josephi semper uterque scripserit, ut inde inferre sit, Ambrosium cum juvenis e Josepho hæc nomina ita scribere didicisset, deinceps quoque hunc morem servasse; præterea et vocem *thymiamaterium* pro *thymiaterium* ita utrique singularem esse, ut apud nullum alium auctorem deprehendatur. Idem secundo loco ostendit ex usu novarum quarumdam vocum utrique communi; tertio e rarioribus quibusdam verbis pariter ab utroque usurpatis; quarto autem ex aliis loquendi modis utrique perpetuis; quinto e proprio utrique studio nonnullas antiquiores locutiones adoptandi; item ex usu legalium vocum pariter in utroque non infrequenti, nec non e consuetudine tritis verbis insuetas notiones substernendi; rursus e vocibus copulatis quæ eædem tam in hac translatione quam in genuinis Ambrosii operibus persæpe occurrunt (ut *claves remittere*, de muliere quæ sponte a marito discederet, *furta belli*, *genitale secretum*, *spiramina aurarum* aliaque non pauca), atque e rariobus vocum dispositionibus sive syntaxibus, quæ pariter in utroque frequentes cernuntur; denique e styli ratione, quæ nullatenus inter utrumque omnino distans conspicitur, sed e converso admodum conveniens, quantum et argumentorum varietas et ætatis diversitas tulerit, qua Ambrosius et Opera sua omnia episcopus conscripserit, et hanc perfecerit translationem. Neque his contentus solertissimus Mazochius comparationem quoque instituit inter loca quædam Historiæ Excidii et alia nonnulla Operum s. Doctoris, unde ita evidens conspicitur eorum similitudo, ut pronum sit ex hac consonantia inferre Ambrosium dum ea dictaret quæ episcopus edidit, ita præ oculis habuisse Historiam ipsam ut nonnisi ejusdem auctor dicendus sit. Quam suasionem et illa adauget peritia scriptorum Josephi Flavii quæ in iis conspicitur Ambrosii epistolis ubi Samsonis historia, atque horrendum Beniamitarum facinus in levitæ uxorem eorumque cædes describitur, nec non et alibi: nam domestica hæc eorum librorum cognitio in Ambrosio episcopo, tot tantisque laboribus onerato, vix explicari posset, nisi admitteremus ipsum a juvenili jam ætate Josephi opera præ manibus pervolvisse.

Monobib., cap. I VI, XI, XVI, XXI.

Epist XIX *ad Vigilium*, et VI *ad Syagrium*.

Ideo ex sanæ criticæ principiis tandem Ambrosio restituta fuit hæc *ex Josepho* amplificata versio, quam nimia in asserendo levitas eidem ademerat. Ita ut Ambrosii opus recusa fuit in amplissima Patrum collectione a Gallandio curata, cujus mentio injecta jam fuit, ubi nempe Patribus *minoribus* Maurinorum opera nondum editis nonnulla quoque Patrum *majorum* scripta consociata sunt a Maurinis vel studio omissa ut spuria, vel nondum ab ipsis agnita, et Mignius quoque ad finem prioris tomi suæ Ambrosii editionis ipsam recepit.

E præcedenter dictis constat, plura mss. exemplaria hujus operis eruditionis cultoribus innotuisse; præ omnibus tamen vetustate spectabilius videri illud quod Mediolanensis possidet Ambrosiana bibliotheca. Ideo textum a Mignio prolatum, nec non alium recentius in Germania recusum sub hoc titulo: *Hegesippus de bello Judaico ope Codicis Cassellani recognitus.*[1] *Edidit Carolus Weber* etc. *Marburgi 1864*, cum hoc ipso codice contulit, ut de more, cl. Amellius, ejusque majoris momenti lectiones variantes per siglam **Am** exhibendas curavimus. Præcipuas pariter typographicas editiones, quarum aliquæ in prædictis memoratæ jam sunt, hic ex ordine recensemus perspicuitatis gratia, dum hanc concludimus præfationem. Princeps igitur fuit parisiensis Ascensii editio anni 1510, nomine *Ægesippi* inscripta; altera Mediolani anno 1513 ex illa recusa; tertia a Gualthero Coloniæ procurata anno 1559, titulo *Egesippi;* quarta ab eodem ibidem anno 1575; quintam Parisiis anno 1583, nempe cito post præcedentem, vulgavit Renatus Laurentius Barrensis *(de la Barre)*. Recentiores vero maxime animadversione dignæ, quas post accuratissimos Mazochii labores Gallandius, Mignius et supra memoratus Weber publici juris fecerunt.

1

Ingentem vero variantium hic in notis collegit apparatum, quem tamen nos omittendum censuimus, ne inutili mendorum amanuensium farragine lectorem obrueremus. Ex iis tamen quoque ea proferemus quæ animadversione digna videntur, atque in hoc sequentibus siglis utemur, quibus ipse Weber usus est, nempe

Be pro indigitando codice quodam Bernensis, quo suppletus fuit codex cassellensis mutilus prologo ac prioribus XIII capitibus.
C pro ipso codice cassellano.
A pro vetusto cod. a Gualthero adhibito.
B pro editione Barrensis.
Pa pro editone Ascensii.
Ga pro editione Gallandii.
Edd pro consensu editorum significando.

[1] Codex iste Cassellanus in catal. Mss. bibliothecæ urbis *Cassel* dicitur noni sæculi, sed a cl. Jac. Grimm ibidem adscriptum: *Procul dubio multo antiquior, exaratus videtur sæculo VII.mo*

SANCTI AMBROSII

MEDIOLANENSIS EPISCOPI

DE EXCIDIO URBIS HIEROSOLYMITANÆ

1 **LIBRI QUINQUE E JOSEPHO FLAVIO.**[1]

PROLOGUS.

2

uatuor Regnorum[2] libros, quos Scriptura complexa est sacra, etiam ipse stylo persequutus, usque ad captivitatem Judæorum murique excidium et Babylonis triumphos historiæ in morem composui. Machabæorum quoque res gestas propheticus sermo paucis absolvit; reliquorum usque ad incendium templi et manubias Titi Cæsaris relator egregius historico stilo Josephus, utinam tam religioni et veritati attentus quam rerum indagini et sermonum sobrietati. Consortem se enim perfidiæ Judæorum etiam in ipso sermone exhibuit, quem A de eorum supplicio manifestavit; et quorum arma deseruit, eorum tamen sacrilegia non dereliquit. Deploravit flebiliter ærumnam, sed ipsius causam ærumnæ non intellexit. Unde nobis curæ fuit, non ingenii ope fretis sed fidei intentione, in historiam Judæorum ultra Scripturæ seriem sacræ paulisper introrsum pergere, ut tamquam in spinis rosam quærentes, inter sæva impiorum facinora, quæ digno impietatis pretio soluta sunt, eruamus aliqua vel de reverentia sacræ B Legis, vel de sanctæ religionis constitutionisque miraculo, quæ magis licet heredibus vel in adversis obtentui[3] fuerint, vel honori in prosperis. 1 Simul, quod est indicium domesticæ improbitatis, liqueat universis quod ipsi sibi propriæ cladis auctores fuere; primum quod alia curantes, Romanos in se converterint et ad cognitionem

[1] Hunc titulum nos censuimus inscribendum. Weber inscripsit: *Hegesippi qui dicitur sive Egesippi historiæ libri quinque,* atque adnotavit: « Index a nobis confectus est. Be habet: *In hoc corpore continentur Egesippi historiæ libri numero quinque. Cum dei auxilio;* Cod. Lips. *Incipit prologus Egesippi viri divini de excidio terræ Jerosolymitanæ;* Cod. Oxon. *Incipiunt quinque libri hegesippi natione Judæi de excidio Judæorum. Incipit prologus.* In C., qui c. 13 demum incipit, *Josephi historia* fuisse videtur; in superiore certe margine plurimorum foliorum legitur ad sinistram *Lib. I,* etc., ad dexteram *Josephi,* ut editum est. » Ut monitum jam fuit, deest titulus in cod. Am, ac desunt præterea quatuordecim priora capitula. Gallandius suæ editioni præposuit: *S. Ambrosii Mediol. Episcopi Historiæ de Excidio Urbis Hierosolymitanæ.* Distinctionem in paragraphos ex editione Marburgensi adoptavimus.

[2] *Regnorum* ait, non autem *Regum,* Alexandrinos secutus, ut in constantem morem habuit Ambrosius, quod notat et Mazochius, prælaudato opere, pag. 793. Ex his autem verbis patet Ambrosium etiam historiam Regum Hebræorum e sacris Voluminibus retexuisse, quod tamen opus neque veteribus innotuisse comperitur.

[3] Quidam mss., *ostentui,* et ita etiam recentiores edd.; sed melius alii, *obtentui,* quod probatur et Caspari Barthio, ut constat ex ejus *Adversariis* in corrigendis suppositi Hegesippi verbis.

regni sui invitaverint, quibus ignorari satius fuit. Rogaverunt amicitiam fidem non servaturi; pacem violaverunt virtute impares. Postremo bellum intulerunt, quibus spes omnis in mœnibus non in viribus erat, cum sit maxime omnium miserabile claudi obsidione: quæ etiam si bene procedit, augere sæpius quam minuere pericula solet. Ac ne quis vacuum fide et su-

A perfluum putet nos suscepisse negotium, ideo per principes ductum Hebræorum genus omne consideremus, ut liquido clareat utrum a femoribus[1] Judæ nusquam generationis ejus successio claudicaverit; an vero offenderit in principum serie, sed manserit in eo, *cui reposita manebant omnia, et ipse erat spes gentium.* Hinc igitur[2] sumam exordium.

[1] Edd. ante Gallandianam, *senioribus;* sed mss. fere omnes *femoribus,* quod respondet etiam *Gen.* XLIX, 10.

[2] Edd., *ergo;* sed Be, magnæ auctoritatis, *igitur.*

LIBER PRIMUS.

CAPUT I.

1. Bello parthico, quod inter Machabæos duces gentemque Medorum diuturnum ac frequens variaque victoria fuit, incentivum principium dedit sacrilegii dolor, quia rex Antiochus cui nomen Illustris, Antiochi regis filius, ubi Ægyptum quoque suo imperio adjunxit, in superbiam elatus, quod ei incerta bellorum prosperavissent, ritus Hebræo-
1 rum negligi, ministeria[1] quoque eorum profanari jusserat, idque postulantibus plerisque Judæis statuere ausus.

2. Quod factum Matathias sacerdos perpeti nequivit; nec solum ipse temperavit a sacrilegio, regalique edicto non obtemperavit, verum etiam immolantem simulacris hostias de popularibus suis nactus gladio transverberavit. Et congregata manu atque Asidæis in societatem adscitis, ipse cum filiis suis temerantes usum patrium et justitias legis alios necavit, plerosque expulit, bellique sabbato adoriendi auctor fuit, ne simili arte ipsi quoque deciperentur, sicut jam plerique eorum, dum sabbato bellum suscipere detrectant, irruentibus in sese hostibus inulti occubuere. Potentiam
2 prosperi actus dederunt, et perseveravit[2] in viro usque ad exitum vitæ studium defensionis et pietatis vigor. Sed cum sibi supremum diem adesse intelligeret, vocatis civibus atque adsistentibus liberis, hortatus est, ut tuerentur patriam templique religionem, ducemque his Judam Machabæum curæ ac sollicitudinis suæ successorem reliquit.

3. Qui bello strenuus, consilio bonus ac præ ceteris fide promtus, quam frequenter innumeras hostium copias parva manu fuderit, persequi non est præsentis negotii. Quod tamen brevi colligere datur: sæpe prosperis usus successibus excitavit in se magnam hostium multitudinem, qua circum-
3 fusus undique, dum cedere pudoris existimat,[3] refugientibus sociis in prælium ruit. Cæsisque quos adversum ierat, a latere circumventus, sed tamen ultus propriam mortem, occiditur.

A 4. Huic successit Jonathas non minus virtutis similitudine par quam naturæ germanitate. Qui post multa in bellicis rebus opera, in rebus sacris officia, quæ circa templi purificationem spectata ac probata sunt, prætenta per dolum amicitiæ fide intra urbem hostium clausus, nec longo post intervallo necatus est. Johannes etiam senior natu frater et Eleazar junior ceteris pro religione mortem non recusarunt.

5. Post hos rei summam Simon recepit, ad B quam non rudis, sed jam probatus fraternæ societatis triumphis adpropinquavit. Utinam et ipse tam perspicax ad fraudes cavendas, quam manu validus bellandique artibus satis spectatus. Etenim cum virtutis ope Romanorum ducibus regibusque gentium amicitiam fœderavisset, Ptolomæi[4] dolo 4
generi sui rogatus ad convivium, inter mensas et pocula cum duobus filiis qui aderant circumventus atque exutus armis impie neci traditur.

6. Sane prævenit insidias Johannes ortus ex Si- C mone, cui nomen Hyrcanus, et properavit ad vicinæ urbis mœnia, ubi a populo propter egregia patris merita, odio quoque hostilis sceleris, expectabatur. Vix denique urbem ingressus est, et jam Ptolomæus aderat. Sed cum per aliam portam ingredi vellet, repulsus, multitudini cedendum existimavit. Assumpsit illico Jonathas paterni sacerdotii munus, et a cultu[5] rerum divinarum profectus, statim pie- 5
tatis officia[6] curamque servandæ necessitudinis 6
exsequebatur, matrem cupiens fratresque periculo D auferre.

7. Congressuque superior factus, justæ passionis affectu superabatur, quominus castro potiretur, in quo clausi detinebantur.[7] Nam Ptolomæus ubi 7
se urgeri videbat, matrem ejus atque germanos in muris locabat præcipitandos illico, nisi Jonathas bello quod inferebat desisteret. Vincebatur juvenis pietatis metu, qui vincebat fortitudinis assumptione, et iracundiam excitatam in hostem revocabat suorum misericordia. Mater tamen pa- E rata ad tormenta tendebat manus obsecrans non salutis auxilium, sed ultionis solatium. Verebatur

[1] Ita præstantiores mss.; codex Barthii, *misteria,* quod facile apparet decurtatio e *ministeria.*

[2] Ita omnes fere mss.; sed edd., *perseverandi,* quod nullatenus convenit cum subsequenti *vigor.*

[3] Ita plures mss.; alii et recentiores edd., *pudori existimabat.*

[4] Be ita habet semper, et nos hanc retinemus lectionem, licet lectio comunior sit *Ptolemæus.*

[5] Pa etc., *ad cultum,* sed melius Be, a cultu, quod Jonathas, re divina facta, ad matrem fratresque liberandos se contulit, ut habet Josephus lib. I.

[6] Ita Be aliique præstantes mss., dum edd. cum aliquo alio, *obsequia.*

[7] Be, *attinebantur.*

enim ne filius plus matri metueret quam paternæ vindictæ impenderet. Sibi mortem illam loco immortalitatis futuram, qua maritus vindicaretur, et gener impius pro scelere immani pœnam exsolveret. Sed juvenis plus intra se ipsum quam in hostem præliabatur: nam quoties patrem cogitabat accendebatur; rursus cum matrem verberari atque ad necem aptari videret, molliebatur. Revocabat impetum, referebat gradum, quia retrahebat passio. Inter obsidionis moras feriatus, ex lege supervenit annus, qui erat septimus. Cessit pietas religioni: soluta obsidio est; sed eo magis Ptolomæi excitata immanitas, ut quorum objectu pœnam evaserat, eos jugulari juberet. Qui continuo
1 se ultioni exemit ad Zenonem, cui nomen Cotylæ,[1] Philadelphiæ regem confugiens, ut ejus ope sese tueretur.

8. Nec Antiochus quievit, qui Simoni patri Jonathæ ludibrio suos fuisse exercitus indigna-
2 batur, cupiensque exsurgentes[2] adhuc Jonathæ primitias extinguere, cum magna veniens manu Hierosolymam, Hyrcanum obsedit. Repulit Hyrcanus auro, quem ferro nequibat, reseratoque, ut Josephus auctor est, David sepulcro, tria millia auri talenta eruit, ex quibus trecenta annumeravit Antiocho, ut obsidionem relinqueret, et pretio emptus abiret. Atque ut facti invidiam levaret, fertur ea pecunia Hyrcanus instituisse primus xenodochia, quibus adventum susciperet pauperum peregrinorum.

9. Aucupatus etiam Antiochi necessitatem, qua Medis bellum inferebat, ultus dispendium est, plurimasque urbes Syriæ sibi adjunxit. Samariam quoque, ubi postea Sebastia condita est, circumdedit munitionibus, cujus expugnationem Aristobulo et Antigono filiis suis mandavit; quorum lenta obsidio usque ad diram famem et tetra alimenta humanorum cadaverum clausos coegit. Qua impulsi necessitate opem ab Antiocho, cui nomen Aspondius, petendam arbitrati, ferentem adjumenta ærumnæ societati implicavere. Victus enim a fratribus prælio, fuga sese eripuit neci. Samaritani autem, repetita obsidione captaque et eversa urbe, servitio dati. Quo rerum secundarum processu excitati Aristobulus atque Antigonus impetum non refrigerabant, sed adjungere sibi finitimos bello coactos haudquaquam dissimulandum arbitrabantur, donec invidia aborta, bellum immane exarsit, conspirantibus locorum incolis et coacta valida manu. Quæ tamen victa profundam in reliquum tranquil-
3 litatem exhibuit Johanni et sibi[3] otium.

10. Hyrcanus trigesimo et primo anno longæ quietis gratia functus, diem clausit quinque liberis superstitibus, quod a plerisque beatitudini datur. Moderator egregius et pulchre sobrius, qui nihil umquam vel fortuitis eventibus dereliquerit, in quo actus ejus offuscaretur, uxori summæ rei commisit negotia, ipsam consultius ratus rebus publicis moderaturam, filios præscientia quadam animi
4 tenens non diuturnos fore.[4]

A

CAPUT II.

1. Nec eum fefellit opinio; siquidem Aristobulus, cui inter fratres ætas provectior, mens præruptior,[5] principatum sacerdotii ad regni potentiam vertit, et diadema primus imponere sibi usurpavit post quadringentos septuaginta quinque annos triumque curricula mensium, ex quo de Babylone remeans Israel servitio exutus in suam terram sese recepit. Superbe itaque nec partem ponere ceteris contentus B fratribus, solum Antigonum honoris specie, quem videbatur diligere, mulcebat; matrem, quia potestatis exsortem et judicio viri fraudatam se expostulaverat, alligavit vinculis, et usque eo processit immanitatis parricidali spiritu ferox, ut et ipsam et fratres suos simili modo vinctos arcta custodia detineret, quo prope usque ad mortem suprema fame compellerentur, ni maturius Aristobulus scelesti parricidii merita solvisset. Ac primum in ipsum Antigonum ferus animus exasperatur, et de amore C in odia convertitur, ut eum ante omnes necaret, quem solum sibi consortem imperii pollicebatur. Adeo apud improbos affectus vilis, ut cito pravis suggestionibus extorqueatur.

CAPUT III.

Dignum igitur ut crudelitatis ejus seriem non prætereamus, quo judicium Johannis etiam post mortem probetur, qui summam publicæ rei com- D mittendam seniori filio haudquaquam existimavit, quem tanto declinaturum furore a pietatis lege et norma justitiæ prævidebat: haud scio morumne ejus contuitu, an insita gratia sacerdotum principibus, ut his aliqua quæ futura erant etiam minus dignis infunderentur. Facinus miserabile, fuisse qui fratribus inviderent amorem naturæ. Inde mali prima oborta est labes; invidiæ commenta consequuta hujusmodi sunt.

E

CAPUT IV.

Composuerant primo alia, quibus fidem Aristobulus non detulit, et obtrectationem mollivit caritatis gratia, invidiæ tribuens delationis amaritudinem. Ideo falsa veris admiscuere, ut ex his quæ ad speciem veri assumpserant, renitentem circumvenirent.

F

CAPUT V.

Scenopegia Judæorum in terris ex lege celebrabatur, dies videlicet festus et plenus reverentiæ, quo sacrificium solemne deferebatur. Eo die clarus militiæ gestis Antigonus domum revertit, et accidit ut fratrem adveniens inæqualem[6] offen- 6
derat. Illico ad templum (quid enim præferret religioni?), ut erat succinctus ornatu bellico et circumfusus comitatu pari tendit, multus ibi pro fratris salute Domini precator, et inde ad fratrem

[1] Edd., *Cotilæ;* Be ut in textu.

[2] Edd., *assurgentes;* Be, *exsurgentes.*

[3] Barthius, lib. I, putans ineptum esse *sibi*, hoc e mss. mutavit in *suis.* Sed non erat ullatenus necesse; *sibi* enim non ad Joannem jam nominatum refertur, sed ad ejus filios, qui bellum gesserant.

[4] Ga jungit sequens caput ad hunc primum, unde usque ad cap. x extat in numeratione discrimen.

[5] Vulgo *promptior;* sed *præruptior* firmatur nonnullis mss., et ut lectio certissima probatur Barthio, quam revera et criticæ leges suadent.

[6] *Inæqualem* pro infirmo rite explicavit Gronovius in *Monobiblo,* ut Ambrosius non semel habet, et explicat Cangius in suo Glossario. Videatur quoque Mazochius, præcit. opere, pag. 791, nota 610.

sedulus properat. Hinc calumnia componitur acerbo felle, et acerbiore paratur exitu.

CAPUT VI.

1. Continuo enim regem adeunt improbissimi homines, et invidiam excitant, quod pompam armatorum celebratiorem quam privatis mos est, direxerit ostentui vulgo futuram, ne quis conatibus ejus obviare auderet: tanto apparatu non aliud nisi necem regis et usurpandi imperii potentiam affectatam. Haud difficile æger animus, invalido fessus corpore impulsus est, ut credibile duceret quod pro vero asserebatur; maxime cum dies sacratus religioni mendacii suspicionem excluderet, pompa excitaret invidiam, infirmitas metum adderet, armatorumque cohors fidem patrandi sceleris impleret.

2. Itaque priusquam sibi probaretur tentamentum aliquod flagitii parricidalis, stipatores suos cum armis jubet in hypogeo obscuro locari,
1 qui advenientem Antigonum diloricarent,[1] nec expectarent imperium regis, sed ipsi extinguerent, sane mandato per nuntios præmisso ut inermis
2 veniret. Ejus[2] indicii qualitatem nupta Aristobulo in adversum mutavit, ut per illos conjuratos sibi insinuari faceret Antigono, fratrem ejus delectatum esse armorum decore, quibus proxime accinctus adfuerat, sed per ægritudinem intentius non considerasse, nunc petere ut omnem illum ornatum bellicum quem sibi composuit, ad fratrem deferat; gratum hoc regi futurum si armatus adesset.

3. Antigonus dolum non prævidit, dicto paruit eo studiosius quo placere regi pariter et fratri desiderabat. Decumbebat Aristobulus in castro, cui nomen primo Baris, postea Antonia fuit, ab Antonio videlicet triumviro donata appellatione cum urbis dignitate. Eo postquam Antigonus adpropinquavit, atque accessit ad illum obscurum transitum, conspicientes armatum venisse regii stipatores adorsi repente juvenem præcepto satisfaciunt, atque imprudentem opprimunt.

4. Is locus Stratonis turris appellabatur, quo
3 deceptum vocabulo Judam, qui erat Esseus[3] genere, opinio est frequens; quem sive probitate vitæ suæ, sive mystica observatione, sæpe quæ futura erant annuntiasse historia vetus prodidit.

CAPUT VII.

1. Is, ut accepimus, cum vidisset Antigonum prætereuntem ut fratrem reviseret, dicit ad eos qui numero discipulorum ejus annectebantur: Papæ! nunc mihi bonum est mori, quando mihi mortua veritas est. Vivit Antigonus quem necesse est hodie interfici, locus autem neci ejus decretus Stratonis turris, qui sexcentis hinc stadiis abest: hora jam diei quarta est. Tempore itaque excluditur prædestinatæ mortis fides. Hæc ubi dixit, intentius se-
A cum ipse conferre cœpit quomodo eum fefellisset opinio. Nec multo post indicium defertur interfectum esse Antigonum in hypogeo ad Stratonis turrim, qui locus simili vocabulo æque ut ille qui erat in maritimis Cæsareæ nuncupari solebat.

2. Quo facinore patrato, Aristobulus secum ipse reputans quid sceleris admiserit, in morbum ipse incidit. Erat in oculis parricidium, perturbatio in animo, nec ullum intervallum dissimulationi dabat. Defigebatur in imis visceribus dolor; invidia in
B miserationem versa est quod innocentem peremisset contra jus germanitatis: tanti sceleris immanitas mentem exulcerabat; non somnus oculis, non quies animo dabatur. Serpebat cæco vulnus dolore; coquebantur ægra præcordia, ac duræ sollicitudines sauciabant invalidos artus, et crebro gemitu pulsabant alta nimis suspiria.

CAPUT VIII.

C Itaque immoderata mœstitudine eo prorupit morbi vis, ut convulsis[4] visceribus sanguinem vo- 4
mitu oris rejiceret. Quem puer aulicus regiis usibus exhibens ministerium foras extulit, atque imprudens facti, quod casu potius quam industria gerebatur, ad eum locum pervenit, in quo Antigonus fuerat extinctus. Illic supra rorantes adhuc fraterni sanguinis maculas percussoris sanguinem effudit. Clamor subito factus et gemitus intuentium, eo quod profunda quadam dispositione Domini
D libatus perempto scelestissimi parricidæ sanguis videretur. Sono excitus causam quæsivit; cum sileretur, elicuit studio quærendi et motu[5] indigna- 5
tionis. Cujus accepto indicio suffusus[6] oculos lacri- 6
mis, et quantum erat in eo virtutis ingemiscens ait: Rependitur meritis meis congrua vicissitudo. Neque enim Dei oculum tam impii machinator sceleris præterire poteram. Matura flagitii ultio subest, et digno jam convenior parricidii mei pretio. Vale, corpus: quousque animam fratri matrique
E condemnatam detines? quid per partes eis libo meum sanguinem? In me omnis, si qua est pietas, contorqueat manus spiculum; me omnes filii germanique ultore pietatis gladio transfigant. Mactetur hostia parricidalis, atque immoletur violatæ necessitudini: totum simul caro noxia sanguinem evomat. Non viscerum meorum cruciatibus et lenta tabe dæmonium exsaturetur, quod me in tam nefarios ausus sævi facinoris impegit. His dictis finem imperii ac vitæ edidit vix anno functus potestate regia, propter quam parricidium non effugerat.

F

CAPUT IX.

1. Solvit illico mulier atque exuit vinculis fratres defuncti, regem constituit Alexandrum, cui et procera ætas et moderatio suffragari æstimabatur. Qui ut regnum adeptus est, fratrem quem adverterat regni cupidiorem[7] statim interemit. Reliquum 7

[1] Edd., *dolo necarent*, sed jam Barr. notavit rectius legi *diloricarent*, ut habetur tam lib. IV quam cap. 25 hujus lib. I; atque in Be aliisque nonnullis mss. Supplendum vero, *si armatus adiret*, Cf. Josephum lib. I, 3.

[2] Ga, *eis*; sed melius lectio nostra. Etiam in proxime sequentibus secuti sumus Marburgensem editionem, ut magis logicam lectionem exhibentem.

[3] *Essenus* habent edd.; sed *esseus* A et Be, et Εσσαῖος Josephus.

[4] Ga, *evulsis*, sed probatiores mss., *convulsis*.

[5] Ita Be et alii quidam mss., dum Ga habet *metu*. Sed animadvertit Gronovius, intelligendum esse *motum indignationis* in principe, non *metum* in subditis.

[6] Ita ex cod. Gronovii, non *suffusos*, ut vulgo, et quidem recte, ad modum græcæ constructionis.

[7] Vulgo *competitorem*, sed præstantiores mss. textus habent lectionem, quæ logice quoque præferenda conspicitur.

qui supererat ex fratribus, vitæ ac saluti potius quam regno intentum, reservavit vacuum negotiorum.

2. Continuoque, ut se habet inquietudo morum, bello pacem mutavit, congressuque habito adversus Lathyrum Ptolomæum, plurimos quidem hostium interfecit, sed ad Lathyrum victoria defluxit, cui tamen fructum victoriæ ademit Cleopatra mater coacto in Ægyptum concedere, ut mortem sibi imminentem evaderet. Ejus absentiam Alexander aucupatus, dum regni ejus partes invadere cupit, etiam Theodorum in se convertit, quoniam potissima quæque de ejus possessionibus sibi associaverat. Improviso itaque impetu Theodorus regias opes occupavit, decem milia quoque
1 Judæorum prælio fudit, sed super plagam non[1] fractus Alexander plura adhuc de hostium partibus suo imperio adjunxit captarumque urbium populos servitio subegit.

3. Hos bellandi successus domestica seditio in-
2 terpolavit,[2] et orta de conviviis usque ad bellum contentio processit familiari peste hujusmodi Judæorum viris, ut de epulari ludo sese in arma excitent. Ac nisi peregrina auxilia regi præsto fuissent, seditio prævaluerat, sed adventitia manu, ægre licet, compressa est: tamen octo milibus ferme Hebræorum interemptis inde in Arabiam iter direxit, ac nonnullæ ejus urbes subactæ, tributa quoque Moabitis et Galaaditis jure victoriæ adscripta. Unde regressus in Amathunta, Theodoro tantis ejus successibus stupefacto, vacuum defensoribus castellum inveniens sine mora expugnavit.

3 4. Non usquequaque tamen otiosus Obedas[3] rex Arabum fuit, nec inulta diu regni sui passus dispendia. Nam insidiis opportune locatis omnem ejus exercitum delevit conclusum vallis profundo et multo camelorum agmine attritum. Evasit tamen Alexander, et fugiens de prælio Hierosolymitanæ urbis receptacula petiit, invisus suis quoniam recruduerant odia ærumnæ ejus occasione, quæ ante metu potentiæ premebantur. Nec silentio tegebatur animorum discordia, aut verbis tantummodo exercebatur, prælio non uno sed plurimis decertatum. Quibus extincta fere quinquaginta Judæorum millia quos Alexander interemit, suis quam hostibus perniciosior et majore victor detrimento, quoniam regni sui vires vincendo attriverat. Unde nec ipse quidem jam suis victoriis delectabatur, aversusque a prælio arte tractabat sibi subditos, ut jam non armis premeret, sed verbis urgeret ac solis sermonibus offensionum genera dissolveret. Nihil tamen proficiebat ad colligendam sibi gratiam, quoniam fictis facinora præponderabant, atque ipsa repentina conversio ad pœnitentiam morumque inæqualitas sæva passis suspecta habebatur.

CAPUT X.

Denique cum simulata ejus placiditate se circumveniri arbitrarentur, Demetrium regem sibi auxilio futurum adversus Alexandrum in bellum A excitaverunt. Pugna in manibus nec comperendinata, quamvis uni adversum duos exercitus numero inferiore certandum foret. Mille enim comitatus equitibus ex sex millibus peditum, quos mercede sibi associaverat, decem millia quoque Judæorum sibi conspirantium in bellum accersens, juxta urbem Sicima occurrit hostibus, quibus tria millia equitum erant et peditum quadraginta millia, tentatoque utrimque agmine, ubi neque Demetrius pecunia conductos desciscere a fide vidit, neque B Alexander de Judæis aliquos, quibus se Demetrius adjunxerat, deposuisse erga se odia cognovit, armis decernendum existimaverunt.

2. Superior bello Demetrius factus, plurimo tamen suorum sanguine. Namque ab his qui e diverso mercede conducti venerant egregie bellatum, ita ut usque ad mortem virtute ac fide certaverint. Destitutum itaque sese Alexander videns cæsis suorum catervis, in montes concessit. Sed præter utriusque spem ad alterum eorum species victoriæ pervenit, C fructus alteri partus, quia et Demetrius nudatus est discessu Hebræorum, qui eumdem ad societatem rogaverant, et Alexandro ex ipsis sex millia sese adjunxerant, more quodam humani ingenii adstipulantibus[4] ad misericordiam rebus adversis. Cessit 4
itaque Demetrius ei quem bello vicerat, videns illum affluentibus paulatim Hebræis jam pugnæ idoneum seseque cum paucis relictum.

3. Cujus victoria libertate assuetis dominationis[5] 5
metum movebat. Redit Alexandro sævitia cum se- D curitate, regnumque in suos et usus belli reformatur. Quærenti ab his quidnam faciens animos sibi plebis conciliaret, responsum est, si moreretur; vix enim fore cum mortuo tam gravia perpessi in gratiam reverterentur, ut odia adversus defunctum deponerent. Quibus excitatus, rebellandique assuetudine multis necatis, reliquos coegit in urbem cui nomen Besemelel. Cujus expugnatio acerbiorem solito pestem invexit tam sævo crudelitatis processu, ut ex eo numero octingentos E in media civitate crucifigeret. Quorum in conspectu conjuges eorum filiosque jugulari jussit.[6] 6

CAPUT XI.

1. Hæc spectabat accubans in medio concubinarum, lætus inter escas et pocula, sed magis sanguine quam vino inebriatus. Hoc solo facto amplius populum quam bello deterruit, ita ut proxima nocte Judæorum octo millia ultra Judæam discederent, F quibus fugæ finis mors Alexandri foret, tantique horror mali quietem regno attulit.

2. Sed ubi a domesticis feriatum prælis, exorta est ei causa inquietudinis Antiochi adversum Arabas expeditio, quam sibi terribilem et periculo futuram arbitrabatur. Hic est Antiochus qui etiam Dionysius appellatur, Demetrii frater a Seleuco ultimus. Cui transitum negare cupiens Alexander, inter urbem Antipatridem et Joppes litora foveis ingentibus ductis muroque altissimo, turribus quoque e ligno G impositis, elusit operam magno suorum labore, nullo hostis impedimento, siquidem negotio facili

[1] Omittunt *non* Be et Pa, sed mendum apparet librarii alicujus.

[2] *Interpolavit* Mazochio (pag. 817) idem est ac *interrupit*. Nobis tamen videtur hic loci in magis propria accipi posse significatione pro *interposuit*.

[3] Ita Josephus, licet quidam mss. et editiones habeant *Obedeas* vel *Obedias*.

[4] Bene notat Mazochius, pag. 818, idem significare ac *faventibus*, Ambrosiano usu.

[5] Communior lectio, *damnationis*, sed non apta contextui.

[6] Quidam mss., *jussit*; alii, *præcepit*.

repletæ foveæ turresque exustæ, ipse quoque Alexander fuga sibi consuluit eo tutior, quia nequaquam tanti æstimatus, ut eum victor principe[1] loco persequi deberet. Nam secundis partibus reservatum ut itineris obstructi injuriam acceptam ulciscretur. Rectum autem in Arabas iter direxit, quorum rex in loca prælio opportuna sese contulerat. Deinde subito converso equitatu, maxima vi ac multitudine effusas ac sine ordine ruentes hostium turmas invasere. Certatum acriter quoad Antiochus restitit; renitebatur enim, quamvis exercitus ejus quasi more pecorum obtruncaretur. Ubi vero et ipse cecidit, nam præ ceteris sese offerre solebat periculis, aversi omnes, quorum maxima pars incerto fugæ dispersa extinguitur, reliquis in vicum cui Annana nomen coactis atque alimentorum inopia consumptis, vix paucissimi ex his tantæ cladi superfuere.

CAPUT XII.

1. Hoc successu Aretas etiam a Damascenis ad regnandum expetitus, ut *Cœlesyriæ*[2] imperitaret, quo Ptolomæum excluderent quem maxime infestis odiis persequebantur, nec Judæam immunem reliquit incursionis, de qua victor, licet superato Alexandro, secundum utriusque tamen partis conventum discessit ac revertitur in sua. Alexander autem Pellam evertit et Gerasam petiit, iterum de Theodori possessionibus aliquas sibi adjungere parans, eamque sibi bello vindicavit. Inde in Syriam progressus Gaulanen et Seleuciam et Gamala evertit, ultus superioris belli contumeliam, ipsasque Antiochi munitiones diruit. Quibus ex locis iter in Judæam convertit, ac præter spem cum gaudio totius gentis suscipitur pro mirabili successu rerum gestarum. Ubi parta bellandi quies exordium tribuit ægritudinis, atque aliquantulum quartanis febrium viribus affectus, levato paulisper incommodo, dum negotia repetit militaria, nec modum servat animo, validior quam corpore, comminuit omnem suæ vigorem salutis viresque absumpsit, atque ita mortuus est.

2. Viginti itaque et sex annis vario rerum eventu adversum innumeros bellorum tumultus regnum tenuit, et duobus liberis superstitibus decessit. Quos impares regni existimans gubernaculo summam rem uxoris propriæ sollicitudini delegavit, quoniam eam acceptiorem populo cognovit, atque hoc apud universos invenisse gratiam, quod etiam ipsa ab immanitate viri semper alienam sese faciendam existimaverit, ut non solum refugeret flagitiorum consortia, sed etiam resistendo ejus iniquitatibus, totius in se plebis converteret benevolentiam. Nec improvida viri sententia fuit; nam regnandi jus mulier inoffense exercuit sine ullo feminei sexus impedimento, et acquisivit moderandi gratiam sacræ legis observatione. Nam dum attentior circa templum cura exerceretur, et dimissa ministeria fraudis, crevit imperii vigor; nec tamen affectu infracta materno regni cupido, siquidem ex duobus liberis electus unus ad speciem regnandi,[3] non potestatem, Hyrcanus vocabulo, natu senior, ingenio remissior. Aristobulum vero acriorem animo, expertem potestatis emolliebat privati humilitate.

3. Assuerunt se Pharisæi mulieri, genus hominum secundum legis doctrinam exercitatum, secundum qualitatem affectus callidum, avidum negotiorum, pecuniæ appetens. Qui captantes elatam mulierculam, secundum scientiam juris divini extollendo suam fecere, ut pleraque etiam regni negotia ipsis committeret, adhiberent quos vellent, quos vellent excluderent atque aulico exuerent ministerio. Quid plura? Ita sese insinuavere, ut commodorum omnium fructus ad eos pervenirent; sumptus et molestiæ mulierem solam afficiebant. Nec mediocris mulieri spiritus, ut maxima quæque auderet, ac supra feminei sexus conditionem prælia disponeret, siquidem et præstantissimam de suis manum paravit, et peregrini exercitus copias ingentes coegit, ut non solum domi tuta ad omnem regnandi securitatem foret, verum etiam exteris potentibus esset formidabilis. Ea tamen reliquis præstabat omnibus, sed Pharisæis quasi inferior obtemperabat.

4. Erat in regno ejus Diogenes, qui de potentissimis Alexandri amicis familiaritati ejus inhæserat. Eum adorsi obtruncavere memorantes ipsius consilio octingentos illos in medio urbis ab Alexandro crucifixos; in ceteros quoque facinoris auctores[4] ut pergeret ultio mandatum. Necabantur itaque quos Pharisæi præcipiebant, non quos societas sceleris involverat. Quo metu perterriti plerique, quibus hujusmodi pericula intendebantur, et maxime præstantiores opibus aut dignitatibus, ab Aristobulo intercessionem imploravere, ut matrem ab exsecutione præcepti severioris ad *molliora*[5] inflecteret. Ille sibi gratiam parere cupiens, non detrectavit. Mulier ægre licet oranti tamen filio concessit, ut contuitu honorum quos gesserant, qui in hujusmodi invidiam arcessebantur, supremæ necis sententia mitigaretur, atque eos tantum, quos obnoxios suspectaret patrandi flagitii incentores fuisse, urbe egredi juberet. Qui, accepta vitæ securitate, per agros dilapsi sunt.

CAPUT XIII.

1. Eodem tempore causa accidit ut Damascum juventus dirigeretur, quoniam Ptolomæus frequentibus incursionibus incolas memoratæ urbis terrebat; cujus negotii necessitas occupavit de exercitu Alexandræ validam manum. Cleopatram quoque Tigranes, qui Armeniis imperitabat, in urbe, cui nomen Ptolemais, obsidione clauserat, quem muneribus Alexandra mulcebat ut a se averteretur. Quem Lucullus, facta irruptione in terras Armeniorum, infectis rebus redire coegit consultius ducentem sua tutari quam aliena adjungere.

2. Tantis itaque intenta negotiis Alexandra in morbum incidit. Quam occasionem rapuit Aristobulus ad suas artes, et congregata manu, conspirantibus secum quos fervor naturæ ad prærupta

[1] Communior lectio *principis*, sed evidens mendum librariorum.

[2] Lectio communis, *Cœles, Syriæque*, Be, *Cœlessyriæ*, quæ vera lectio sane est, quam nos solum orthographice emendavimus.

[3] *Speciem* vera lectio ostenditur probatiorum mss. auctoritate, sed etiam contextu, ac collatione cum sequenti cap. XLII. Lectio recentiorum edd., *spem*.

[4] Addunt hic recentiores edd. *quosque*, quod deest in nonnullis mss., ortumque videtur e transposito *quoque*.

[5] Hæc lectio plurimorum mss. ac melioris notæ; Pa et reliquæ edd., *meliora*.

quæque audendum cupienti adjunxerat, thesauros occupat, eorumque copiis invitat ad militiam voluntarios, ac pretio componit ut in omnia quæ vellet fidem præstarent, atque insulas regni induit. Turbatus animo Hyrcanus matrem lacrymis conveniebat. At illa spirans ferocia filios et uxorem Aristobuli in castrum reclusit, cui nomen primo Baris, postea Antonia appellatum, de quo supra memoravimus. Cœpta Alexandræ celeri ejus obitu destituuntur.

3. In hereditatem omnem Hyrcanus successit, qui vivente adhuc matre dignitatem induerat sacerdotii. Aristobulus virtute et sapientia præstabat; res usque ad contentionem atque in congressionem deducta. Ubi consertum, plerique, relicto Hyrcano, illum alterum bello meliorem sequuti. Hyrcanus, comitantibus secum qui bello reliqui fuerant, confugit in Antoniam, repertisque filiis et uxore Aristobuli per obsides salutem invenit, quia ne quid asperum in suos fieret Aristobulus pacto consuluit. Conventum[1] fratrum hujusmodi fuit, ut regno Hyrcanus cederet, atque ad Aristobulum jus omne imperii transiret, nec tamen Hyrcanum inhonorum relinqueret, sed regni exsortem honore alio fungi sineret, quem ipse impertivisset. Transactio hujusmodi etiam religione templi sacrata assensionem utriusque tenuit voluntariam. Inde cum gratia discessum, ac se invicem salutantes, Aristobulus in aulam regiam sese recepit, Hyrcanus æquanimiter in domum Aristobuli concessit.

CAPUT XIV.

1. Sed fuere quos metus ac rerum mutatio incesserat, qui se studuisse adversus Aristobulum recordarentur, et præ ceteris Antipater. Is erat Idumæus genus,[2] majoribus apud suos clarus, non tenuis pecuniæ et ideo prævalidæ potentiæ, arte mira factus ad contemnendam pecuniam propter conciliandam gratiam. Qui Hyrcanum consiliis suis perterritum, quod nullam salutis suæ spem tutam haberet, qui imperio decessisset, nisi transfugio sibi consuleret, ubi ad suas artes inclinavit, insinuat Aretæ regi fovendum auxilio virum, qui circumventus foret ut regno decederet.[3] Decorum hoc fore regi, si arbiter fieret imperii restituendi, multoque pulchrius, si circumscripto, cui primitiva regni competerent, dolo sublata reformari juberet. Illum versutum et callidum, et ideo suspectum vicinis, hunc mitem et quietum, qui pro summo beneficio acciperet quidquid sibi ab externo tribueretur, cui frater etiam regnandi jus ademisset. Præparatam itaque Aretæ regis gratiam Hyrcano annuncians, fugiendi spem detulit et viam demonstravit, ut secum peterat Petram in finibus Arabiæ sitam, quo in loco regem adirent. Qui precibus Antipatri donisque inflexus, plurimam bellatorum manum Hyrcano adjunxit ut regno restitueretur. Erant fere peditum equitumque quinquaginta millia, a quibus prima pulsus congressione Aristobulus Hierosolymam confugit, ibi quoque intutus adversus tantam hostium multitudinem, quæ clausum expugnavisset, nisi Scaurus ductor romani exercitus alterius belli occasione, quod adversus Tigranem gerebatur, solvisset obsidionem missus a Pompejo, cui recepti Mithridatis ultio gravis, bellique in socerum transferendi propositum exarsit; qua causa Syriam infestari per Scaurum præceperat, cum ipse Tigranem atque Armeniam urgeret.

2. Scauro itaque advenienti Damascum, quam Metellus et Lollius funditus everterant, occurrere fratrum legati, sibi quisque romanæ opis auxilium implorantes, et quamvis inferior esset viribus Aristobulus, præponderavit tamen pecuniæ oblatione. Venditur summa prælialis certaminis talentis tercentis, et justitia postulati pretio pensatur. Qua pecunia sibi adnumerata, denuntiat Scaurus Hyrcano regique Arabiæ discedere ab obsidione, aut si permanerent, scirent sibi adversus Pompejum et Romanos bello certandum. Eo terrore obsidio soluta. Aretas Philadelphiam petit, Scaurus Damascum revertit. Aristobulus autem vix dudum idoneus propulsando periculo, manum colligit, hostem insequitur et ad Paparionem,[4] id vocabulum loco, sex millia hostium simul et fratrem Antipatri Fallionem prælio fudit. Hyrcani atque Antipatri spes lapsa est, quibus fiducia omnis in Arabiæ viribus erat.

CAPUT XV.

1. Sed ubi Magnus Pompejus obire Syriam cœpit et Damascum advenit, ab Romanis, quorum auxiliis infracti de manibus victoriam amisere, opem postulant, Pompejumque adeunt tamquam justi arbitrum et minime avarum pecuniæ. Allegationibus itaque, non muneribus ut ante, niti cœpere, quoniam integer animus adversus corruptelam pecuniæ laqueis avaritiæ non capiebatur, et gratuito odisse poterat fraterno insidiatum honori. Et ideo his eum adorsi querelis, quibus et Aristobulo invidia fieret, quod indignus aliena invaserit, et Hyrcano gratia conciliaretur, cui vel merito vitæ vel ætatis suffragio regnandi jus competeret, adstipulante præsertim matris auctoritate, quæ et judicium eligendi habuit et jus conferendi. Nec Aristobulus diu abfuit, quamvis nihil in Magni pectore, quod suis artibus conduceret, intueretur. Præsumebat tamen de Scauri redemptione, seseque ejus jactabat societate. Venit itaque regio ornatu præditus, et prope majore quam solebat stipatus ambitu, ut qui de justitia dissideret, adquiescendi præjudicium excluderet, spem obediendi negaret. Sed diutius tolerare romani consulis sublimitatem nequivit, cui mos erat regni exsorti regibus imperitare. Itaque ubi ad urbem ventum est cui nomen Diospolis, alio concessit, romanæ dignitatis supercilium dedignatus regni tumore.

2. Qua secessione Aristobuli non mediocris datur offensioni locus usque adeo commoto consule, ut statim arma romana in Judæam converterentur, conjunctis etiam Syriæ plerisque auxiliaribus. Quem ubi comperit Aristobulus ad urbem Scythopolim atque inde Coreas appropinquare, unde erat Judææ exordium possessionis, confugit in Alexandrium castrum munitum ad-

1 A, C, *conventus;* sed alii codd. et edd., *conventum,* quod alioquin et magis usitatum.

2 Ita C, modo græcanico, pro *genere* quod edd. exhibent. Pariter C habet *majoribus* contra vulgatam lectionem *moribus,* quæ tamen parvipendenda est, ut evidenter ex altera proveniens.

3 Ita rursus C pro communiori *cederet.*

4 Ex Josepho lib. 1, cap. 5 *de Bello judaico, Papyrenem.*

modum et in monte altissimo situm. Quo cognito, jubet eum Pompejus descendere; at ille tamquam herili præcepto obedire indecorum existimans, periculum potius subeundum quam obtemperandum imperio animi immodicus arbitrabatur. Sed referta populis romana castra desuper spectans, simul a suis monitus, non lacessendos quorum in nomen ac potestatem totus prope orbis terrarum concesserat, descendit, pluribusque usus, quibus regnum sibi jure delatum adstruere contenderat, vel generis debitum necessitudine, vel exercitus judicio, qui secutus sit validiorem, deseruerit ignavum; vel eventu prælii vel pacti conventione, ad munitiones
1 revertit.[1] Rursus cum Hyrcanus consulem adiisset, vocatus ad judicium Aristobulus sese repræsentavit; sed cum adhuc comperendinari cognitionem videret, in castellum regressus est. Medius enim inter spem et timorem putabat, quod imperiis ejus obediendo ad sui gratiam Pompejum inflecteret. Sed ne iterum vi adigeretur imperio cedere, in Alexandrium sese recipiebat. Nec præteriit Magnum regis versutia: jubet eum decedere munitionibus, idque facturum datis ad singulos custodes muni-
2 tionum litteris sese adstringere.[2] Jussis quidem paruit quæ non audebat refellere; protinus tamen Hierosolymitanis mœnibus se abdidit, et bellum adversus Romanos parare cœpit.

3. Pompejus quoque fugientem insequi, clausum urgere, neque parandis belli usibus tempus ullum dare. Direxit Magni intentionem de Mithridate nuntius quod morte bellum finisset: urbs Hiericho in finitimis suis Pompejum tenebat, rei cum me-
3 moratæ indicia venere.[3] Locus prope urbem in quo balsamum gignitur virgultisque innascitur, quæ acutis lapidibus incidunt pueri agricolarum, perque eas incisiones destillat humor lacrymis pulchre rorantibus. Inde vir militiæ vetus compositis ordinibus ad vesperum castra movit, et primo diluculo Hierosolymitanis mœnibus adstitit, atque improvisus armatas acies infudit.

CAPUT XVI.

1. Obstupefactus Aristobulus dispositionis specie, virorum robore, militum alacritate, sponte accurrit veniam precatum, pecuniam, urbem seque offerens. Verbisque in mollius suppliciter inflexis mitigaverat indignationem consulis; sed irrita precatione, quia effectus deerat promissioni, non solum negatis pecuniis sed etiam urbe excluso Gabinio, qui oblata petitum venerat, bellum incubuit.

2. Namque Magnus adhibitis custodibus Aristobulo, urbis mænia speculari cœpit atque explorare diligentius, quibus in locis tentaret irruptionem,
4 sed[4] et valida murorum circumspectare, quod expugnari nequirent, et templum in urbe haud inferioribus circumdatum munitionibus, ut geminum esset ingressis periculum et a defensoribus templi et ab his qui murorum propugnacula tuerentur.

3. Hæsit animi dubio sententiæque incerto[5] per aliquantum temporis, cum subito intra urbem seditio orta, volentibus Hyrcani sociis urbe recipere

A Pompejum, renitentibus Aristobuli propugnatoribus; illis portas aperire Magno, istis obserare bellumque inferre ne regem eriperent. Sed pluribus quos terror potentiæ romanæ auxerat, cessere inferiores, atque in templum se recepere soluto ponte, qui transitu pervio urbem ac templum medius conjunxerat. Receptus itaque intra urbem est exercitus romanus, et suis manibus Judæi aperuere portas non multo post urbis ac templi expugnatoribus futuris. Completumque est illud Davidicum: *Deus, venerunt*
B *gentes in hæreditatem tuam, polluerunt templum sanctum tuum.* Sponte itaque tradidere regalia sua, Ps. LXXVIII, 7.
cessere aulicis. Pisoni claro inter suos viro et militiæ stipendiis exercitato id negotii commissum, ut manu valida aulam regiam ceteraque urbis tuenda existimaret. Quod ab eo sollicite curatum, quasi ad ea defendenda potius quam occupanda romanum exercitum ductaverit.

4. Ad templi autem irruptionem, quoniam pertinaciter resistebatur, Judæos Magnus paravit, socios
C videlicet Hyrcani, ut si fieri posset aliena Romani mysteria non profanarent; simul ut suis manibus Judæi fossas replerent, impio ministerio et turpi obsequio servierunt manus eorum in cophino, mentes in sacrilegio. Sed nihil proficiebat congestio, cum Ps. LXXX, 7.
reniterentur e muris Aristobuli fautores, et desuper afferrent impedimentum; irritaque Pompejo fuissent exordia, nisi incurrentibus sacris religionis diebus, quibus ab omni vacare opere Judæos vetus observatio foret, imminere suos aggerendis terrarum tu-
D mulis imperavisset. Sola enim conserendæ manus usurpatione in consuetudinem versa etiam sabbato, si tamen inferatur prælium et salutis extremum petatur periculum, decertandum sibi ferro Judæi existimant; reliqua certamina religioni ducunt. Jam vallum excreverat, jam machinæ admotæ; repugnabant regi murorum altitudine ferociores, nec intermixti præliis propiore Magni accessu inclinabantur.

5. Stupebat Pompejus acres virorum animos,
E muri decorem ac magnitudinem et nusquam remissa officia sacerdotum in medio belli furore tamquam profunda pax esset; nihil deerat sacrificiorum solemnitati; inter bellatorum jacula mortesque cæsorum fundebatur sanguis hostiarum. Victima altaribus imponebatur, ante aram positi feriebantur. Tertius jam mensis anceps adhuc certamen tenebat. Primus Sylla ortus Cornelio, Faustus et duo centuriones, quorum uni nomen Furio, alteri Fabius erat, dejecta turre[6] murorum, 6
F templum irrupere, singulis sequentibus sese catervis, et circumdantes undique templi interiora, quoscumque repererant gladiis transverberabant. Cædebantur fugientes, repugnantes alii obtruncabantur.

6. Nullus parcendi modus, nec tamen ea sævitia bellantium obsequia vatum[7] impedita: nudatis gla- 7
diis imminebat hostis; illi tamen sine ulla perturbatione soliti vicem muneris exsequebantur. Nullum intermissum est officii genus; quidquid ad purificationis solemnitatem, quidquid ad cultus sacri
G observantiam spectare poterat, impletum est: tanta erat cura ministerii, atque utinam pro veritate

[1] Ita melioris notæ mss. pro *revertitur* vulgatiori.

[2] Ita Am et C; edd., *adstringeret.*

[3] Ita Am ac C; edd., *venirent.*

[4] Ita Am et C; sed edd. hic inserunt *cum,* et pro subsequenti *circumspectare* habent *circumspectaret,* ac periodum complent verbis *hæsit animi,* etc.

[5] Ita Gronovius e suis membranis, et quidem conformiter Ambrosii stylo, ut Mazochius demonstrat, pag. 815, nota 648.

[6] Edd. nonnullæ, *terra;* sed valde melius Am ac Ba, *turre.*

[7] *Vatum* stat pro *sacerdotum,* quod Ambrosio insuetum non fuit. Locum pluribus illustrat Mazoch. in *Comment. ad marm. Neap. eccles. Kalend* Vol. III, p. 771.

1 devotionis et fidei fuisset.[1] Majora quoque a suis orta pericula, quæ sibi ab Hebræis invicem inferebantur, atque intus pugna vehementior et a seditiosis propius et anceps periculum: a fronte externus hostis, a tergo lateribusque domesticus urgebat.

CAPUT XVII.

1. Itaque conclusi undique, alii se præcipitabant, alii patriæ incendiis exurebantur; sacerdotes tamen usque ad ultimum in suo munere perseverabant hortantes se invicem, ne in posterioribus ponerent officium religionis quam salutis præsidium; recte secum agi si pietati impenderent, quod deberetur necessitati, pulcherrimumque si in patriæ sinu sepeliri liceret. Quid autem juvaret evadere et superstitem vivere religioni? Præclarum potius opus muneri commori pio. Quod si quis periculi metu deserat, sacrilegium est; si quis impleat, sacrificium et piæ passionis victoria. Infulati itaque sacerdotes inter suas hostias immolabantur, et amicti sacerdotalibus stolis inter cadavera cæsorum humi jacebant. Fusa illic Judæorum duodecim millia; Romanorum pauci extincti, plures
2 vulnerati sunt.[2]

2. Nihil tamen gravius in illa miseria ingemuerunt Judæi quam quod illa abscondita ante sanctificationum mysteria retecta gentibus ac manifestata sunt. Denique Pompejus curarum istiusmodi declinans superflua, dum triumpho potitus ambusta obiret, sequentibus se suorum plurimis, vidit tabernaculum secundum, quod soli principi sacerdotum solemni accessu patebat, atque intus
3 inspexit lucernam et mensam et thymiamateria[3] et tabulas testamenti superque eas Cherubim, mul-
4 titudinem aromatum dispersam[4] et sacræ pecuniæ talenta duo millia. In quibus cum plurimum auri esset, integer tamen ab omni cupiditate, vel ipsa vel etiam si qua sacrorum vasorum inventa sunt, intacta servari præcepit, et sequenti post excidium die neocoris jussit mundare templi interiora et celebrare assueta sacrificia. Hyrcano quoque principatum sacerdotii dedit, prompta ejus opera usus in obsidionis necessitate; nam etsi infidus suis, Romanis tamen fidelis ut sua patria expugnaretur. Sed puto neminem posse dici fidelem qui suis fuerit infidus. Non perfunctorie itaque in ipso prælio juvit hostes suorum vel quod extramurani populi multitudinem adnitentem Aristobulo retraxit ab ejus societate. Ad omnia tamen, quibus vel præve-
5 niendi Aristobuli deducendique[5] ejus auctoritate, vel conficiendo celeriter bello Pompejus egregius imperator fuit, præclarum hoc addidit ut in victoria modum teneret: denique benignitate sibi magis quam terrore quos vicerat associavit, auctores tantummodo belli securi percussit. Tributum quoque

A victis imposuit, statuit ducem, Judææ fines determinavit.

3. Suis ergo finibus circumscripta Judæa est; reformavit[6] etiam Gadaram quam Judæi everterant, rogatus a Demetrio, qui patriæ suæ hujusmodi gratiam a patrono poposcerat, et in hac causa et in pluribus[7] apud Magnum supra libertorum modum usque ad invidiam excellens. Aristobulum autem cum filiis et socero ejus captivos statuit secum Romam deducere; sed unus ex so-
B bole regia in itinere elapsus custodibus domum revertit;[8] ei nomen Alexandro, ætas fratre provectior et sorores duæ. Antigonus itaque ævo junior cum feminei sexus germanitate ad urbem deducti; Pompejus[9] Ciliciam et inde Romam petivit.

CAPUT XVIII.

1. At in Syria Scaurus, cui[10] ducis officio præerat, receptis urbibus quas Judæi invaserant in mediter-
C raneis, Scythopoli, Ippone, Pella, Samaria, Jamnia,[11] Mirisa,[12] Azoto, Arethusa, maritimis quoque Gaza, Joppe, Dora et ea quæ Stratonis turris olim vocabatur, postea autem Cæsarea nuncupata sub imperio Herodis, qui et ornatum addidit et nomen mutavit, adversus Arabas bellum moliebatur; Judæam inter Euphratem et Ægyptum, Syriam quoque suis reformatam finibus judicio coercens, prædandique cupidine, quod potius reor, ac[13] proferendi imperii gratia summam regni Arabiæ Petram in-
D vadere volens, difficultate quidem locorum impeditus, irrumpere nequivit; plura tamen vel propinqua urbi, vel longe posita devastavit, quibus in locis exercitum ejus morantem fames incesserat, ac pene incidisset facinus miserabile, nisi per Antipatrum laborantibus Romanis Hyrcanus alimoniam ministrasset, idemque de consilio Scauri Aretam monuisset solvere bellum pecunia. Denique trecentis talentis Arabs hoste se exuit, Scaurum redemit; hoc regressionis ejus pretium fuit, quæ res
E fidam Hyrcano cum Romanis firmaverat societatem, et profundæ pacis securitatem fovebat,[14] quod in locis hostilibus exercitui romano ope ejus ex indigentia gravi frumenti satietas facta auxiliumque præsto fuit.

CAPUT XIX.

1 Sed ubi Alexander e vinculis Magni elapsus primum occulte et per aliquantum temporis ma-
F num idoneam sibi congregans, deinde palam percursare cœpit Judæam, exagitari Hyrcanus et rebus suis diffidere, Romanos cura urgere ne bellum glisceret. Quin etiam murum reparare Hierosolymis constituerat, quem Magnus destruxerat, ac prope aggressus fuerat opus, nisi Gabinius qui Scauro successit, curatis strenue ceteris, quibus terrorem

[1] Patet postrema verba additamentum liberi translatoris esse.

[2] *Sunt* deest in C.

[3] *Thymiamataria*, C. *Thymiamata*, Pa. etc. *Thymiamateria*, A., quod Gualthero probatum. Ga. ex V. 9, p. 495, huc quoque revocandum putat et præterea Mazochium op cit., p. 794 affert; sed restitui *thymiateria*, quod et Joseph. l. I confirmat. *Thymiamaterium* proprie nullum est vocabulum; attamen ab Ambrosio pro *thymiaterium* exclusive adhibitum.

[4] Vulgo cum Am, *multitudinem aromatum dispersam*, quod nempe adhuc regitur ab *inspexit;* C, *multitudine.... dispersa*, non congruenter contextui.

[5] Ita Am et C: communior lectio, *ducendique*.

[6] Valet hic *reædificavit* de quo cf. Mazoch. p. 819.

[7] Ita C; sed Am et edd., *plurimis*.

[8] Ita Am, C et Pa; edd., *revertitur*.

[9] Ita C; sed Am atque edd. addunt *que*.

[10] Migu., *qui*, sed valde melius C, *cui*.

[11] Ita C; sed Am, atque Pa, *Jamnia*.

[12] Josephus, Μάρισσαν.

[13] Edd., *quam;* C, *ac* elegantius quidem sed eadem significatione, cum regatur a *potius*.

[14] Ita C aliique plures mss.; Am omittit *fidam;* edd.: *Hyrcano fidem cum Romanis firmavit, societatem et profunda pace securitatem fovebat*.

sui nominis sparserat, occurrendum Alexandri tentamentis æstimavisset. Nec Alexander refugiendum arbitratus, sed decertare[1] prælio ausus cum decem millibus peditum, mille et quingentis equitibus etiam castella reparavit, Alexandrium, Hyrcanium, Macheruntem receptaculo sibi, si res poposcisset, futura vel hostibus impedimento, quoniam et Arabia, non satis fida Romanis, proxima erat.

2. Gabinius quo citius occurreret M. Antonium cum parte exercitus præmisit ut iter hostium impediretur, donec ipse cum toto agmine adventaret. Antipater cum electis adveniens et Malichus et Pitholaus, diversis Judæorum subnixi catervis, cum Antonio vires junxere, quos ubi confertos Alexander vidit, nam jam et Gabinius aderat, flexit consilium ut retrorsum cederet; sed cum jam non longe esset ab Hierosolymis, coactus manu conserere, victus aufugit, necatis ferme tribus millibus suorum, ceteris captis aut dilapsis. Vix Alexandro pauci superfuere ad fugæ potius societatem quam ad rebellandi audaciam.

3. Denique pacem a Gabinio petens, etiam castella ne quid suspectum haberent, Romanis tradidit. Eo bello egregie Antonii virtus emicuit, quamvis ubique præclarum documentum suæ fortitudinis dederit.

4. Gabinius in quinque conventus Judæam divisit, ut potestatem minueret, ex qua oriebatur potito rerum insolentia. Hyrcano pro mansuetudine ingenii ejus sacerdotii honor remansit,[2] totius autem regionis ejus conventus non uni, sed in commune Hierosolymitanis a Gabinio cura impertita; itemque ceteri conventus simili modo attributi, per Gadaram et Amathuntem et Hiericho Sefforitanosque, urbes scilicet potiores divisi, quo et singulorum potentiæ nihil relinqueretur, et functio regionum non vacillaret, quæ publicam expectaret sollicitudinem. Quod et a Romanis ad relevandum rebellionis metum, et a Judæis ad deponendam invidiam cum gratia susceptum; quoniam non sub rege, sed sub optimatibus degeret Hebræorum genus ad reipublicæ romanæ similitudinem, in qua non unus imperitaret, sed per vices optimi quique, quibus sortito magistratus cesserat, administrabant, regni exsortes sed regum arbitri, consultum[3] provide adversus inquietudinem gentis æstimabatur.

CAPUT XX.

1. Sed Aristobuli fuga reditusque in Judæam plurimum turbarum exciverat, plerisque refluentibus ad eum, quos amicitiæ veteris gratia sollicitaverat aut res ultimæ, quibus remedium ex discordia publica quærebatur; ima summis submiscere[4] cupientibus, atquæ aliæ spes lapsæ forent. Regressus igitur Aristobulus munitiones ædificare, Alexandrium reparare occœperat,[5] quo comperto Gabinius, Sisinnio et Antonio Servilioque cum parte exercitus directis, cœptum opus impedivit. Desertis enim munitionibus Aristobulus se bello paravit, et quia majore numero quam usu agmen trahebat, deoneravit inermis populi multitudinem, et sola octo millia armatorum coegit, adjuncto quoque Pitholao, qui voluntarius ex Hierosolymis cum viris mille advenerat. Deinde orto prælio, imminebant enim Romani ejus cervicibus, aliquamdiu quidem strenue pugnatum; tamen prævaluit virtus romana. Cæsa Judæorum quinque millia, Aristobulus cum mille viris irrupit aciem, et in castelli Macheruntis munimenta sese recepit; duo millia alio dilapsa. Adorsi tamen castellum Romani, per biduum ferme dilati, quoniam de ultimo periculo Aristobulus totis viribus decernebat; sed nequaquam diutius sustentare potuit: captus cum filio Antigono, quem pariter fugiens de vinculis secum abduxerat, ad Gabinium missi, et ab eo Romam directi sunt. Senatus, Aristobulo in custodiam detruso, filios ejus ad Bithyniam[6] dimisit, quod Gabinium ferunt epistolis insinuasse: id Aristobuli conjugi promissum remunerandæ sedulitatis ejus gratia ob traditas sibi munitiones.

CAPUT XXI.

1. His in Judæa gestis, Gabinius audendum aliquid ratus, in Parthos expeditionem paravit; sed suspecta partium Ptolomæi regis revocaverunt profectum. Nam ab Euphrate in Ægyptum Gabinius iter convertit, usus necessariis ad omnia ministeriis Antipatri et Hyrcani, sed Hyrcani per Antipatrum, qui pecunia, frumento, armis, auxiliis quoque exercitum juverunt;[7] ac maxime congressiones circa Pelusium, nisi gnaris locorum et totius belli generis Judæis omnia procurantibus, Gabinium facile deterruissent. Sed rursus morante exercitu, Alexander Aristobuli in Syriam sese alteram velut in vacuam provinciam immergere moliebatur, nisi rumoribus excitus Gabinius reditum maturavisset, præmissoque Antipatro revocasset plurimos Judæorum ab Alexandri societate; quorum multitudine fretus parabat omnes quos in regione offenderat Romanos exitio dare; denique dilapsis licet Judæorum plerisque per Antipatri conventionem, audaciam tamen non deposuerat, præliumque adorsus in triginta millibus virorum[8] circa Itabyrium montem, fusis[9] decem millibus, aufugit: reliquorum dispersione bellum confectum. Gabinius, compositis ad arbitrium Antipatri reipublicæ Hierosolymitanæ negotiis, inde profectus Nabathæos prælio subegit, Mithridatemque et Orsanen fugientes de Perside occulte remisit, palam tamen militibus intimavit fuga lapsos.

2. Successit Gabinio Crassus, et profecturus ad Parthicum bellum omne quod erat Hierosolymis in templo aurum abstulit, et præterea duo millia talenta detrahi jussit, quæ Pompejus intacta reliquerat; nec longum lætatus, ubi transmisit Euphratem, exercitum amisit et ipse extinctus est.

3. Eo successu Parthi elatiores, transeundum in Syriam crediderunt, quos strenue insidiis excepit Cassius, et commissæ sibi provinciæ finibus repulit, non sine gravi detrimento hostium, cum

[1] Am atque Pa cum aliis, *decernere*, C ut in textu.

[2] Ita C; sed Am aliique nonnulli mss., *mansit*.

[3] Hoc *consultum* cum priori *susceptum* cohæret.

[4] *Submiscere* habent Am ac C; alii plures mss. et edd., *miscere*.

[5] Lectio communis *cœperat*, sed Am et C, *occœperat*; præferenda etiam quia rarior.

[6] Josephus lib. I, εἰς Ἰουδαίαν; unde Gronovius putat substituendum *ad Judæam*.

[7] *Juverunt*, C, melius quam aliæ lectiones *juvare*, *juvaret*, aliorum mss. et editt.

[8] Editio Mignii habet hic *verum*, quod contextui non congruit.

[9] Am et edd. habent *cum*, sed minus recte.

effuse venientes, quod neminem sibi obsistere ausurum arbitrarentur, locis præventos angustioribus occupavisset. Denique fusis suorum pluribus, bellum deseruere. Cassius, repulso hoste, securus provinciæ in Judæam irruit, et Tarichæis deletis, triginta millia Judæorum in servitutem vendidit. Pitholaum quoque suspectum doli, quo partes Aristobuli fulciret, jugulari jussit, neque expers consilii ejus Antipater fuit, ut æmulum potentiæ quam maxime excluderet.

CAPUT XXII.

1. Is cognovit uxorem cui nomen Cypris, splendidissimo inter Arabiæ feminas loco ortam, atque ex ea suscepit liberos quatuor sexus virilis et unam feminam. Viris hujusmodi vocabula, primus Phaselus, sequens Herodes vocati, tertius Josephus, quartus Pheroras et Salome filia; eaque causa vir egregie factus ad emerendam muneribus atque amicitia societatem potentium, gratiam præ ceteris sibi regis Arabum conciliaverat, quia de locis Arabiæ uxoris acceptæ prætendebat necessitudinem. Denique adversus Aristobulum decertare prælio parans filios suos, eidem prædicto Arabum regi[1] quasi mutuæ caritatis pignora direxit. Quos ille quasi depositum invio labile susceptos eo cultu quo liberos domi habuit, et postea repetitos patri reddidit.

2. Sed cum Aristobulus bello superatus in vinculis haberetur, Alexander filius ejus secundum conventiones pacis, quibus eum Cassius ad Euphratem rediturus devinxerat, prælio vacaret, confinia Persidis haud ullo suscepto Parthorum transitu infestarentur, et blandæ tranquillitatis species Orientis in partibus humanas levaret sollicitudines, Cæsar e transalpinis regionibus Galliarum Italiæ sese infundens, Pompejum senatumque ultra Jonium mare expulit. Italia exclusus Emathiam Magnus petit, eoque diversis ex locis romana jussit agmina sequi, quod ibi bellum pararet; quibus intentus gerendis Aristobulum Romæ vinctum reliquerat. Eum Cæsar, qui inter urbem Romam atque Pompejum medius erat, quoniam de Flaminia in Appiam compendiariis tramitibus Magnum sequebatur, ut vel ipsum exciperet, vel interciperet ejus exercitum, vinculis levatum, tributis etiam militaribus numeris in Syriam direxit, ut Judæam sibi adjungeret Pompejumque a tergo urgeret. Sed in exordio tentamentorum ubi ad locum pervenit, veneno interemptus infectum negotium reliquit. Opinio mortis

A ejus Pompeji fautoribus adscribebatur. Ita lusæ sunt dispositiones Cæsaris et destitutæ Aristobuli cupiditates nova quadam mutationum varietate, ut tutior fuerit exul inter hostes, in vinculis captivus, quam inter suos cives dominus in cubiculo, rex in convivio.

3. Quo comperto Pompejus, quod Aristobulus in Judæa recidiva[2] sibi bella reparare tentaverat, etiam filium ejus Alexandrum jugulari jussit suspectum nimis partes[3] Cæsarianas. Scipio Gnei B mandatis obediens pro tribunali statuit reum, ut species judicii prætenderetur, accusatoribus quoque adhibitis, atque in eum qui romanam rempublicam armis inquietasset sententia prolata, ut pro juris potius auctoritate quam pro exsecutione præcepti, more quo duces hostium, convictus rebellionis, securi percussus æstimaretur.

CAPUT XXIII.

C 1. Cognita utriusque nece Ptolomæus, qui susceperat Aristobuli germanos[4] et uxorem Alexandram,[5] Philippiona[6] filium suum in urbem Ascalonam direxit, memoratos[7] accersiturum. Ille adveniens suscepit Antigonum atque ejus sorores ut ad patrem deduceret; usu et consuetudine amoris igniculus obrepsit adulescenti, ignoscendus[8] profecto, si scirent tyranni ignoscere, atque alteram de sororibus accepit sibi in conjugii societatem. Non tulit hoc Ptolomæus pater, sed, occiso filio, nurum D propriam sibi junxit, morum egregius censor, qui inexoratam damnaret in filio conjunctionem, ut ipse se parricidio et incesto contaminaret. Pompejo interfecto, qui dum arma Cæsaris fugit, spadoni Ægyptio caput suum amputandum præbuit, conversæ[9] res: præbuit tamen ea patientia caput, qua tantorum populorum aliquoties victorem decebat, ut[10] in illa victi sorte exulisque condicione despiciens humanarum ludibrium varietatum,[11] gladio cervicem offerret, ab eo cui regnum dederat pro E gratia mortem recepturus.

2. Post cujus necem mutatio facta, plerisque ex familiaribus Magni amicitiam Cæsaris expetentibus, præcipueque Antipatro incredibilem in modum prædito ad omnium quos affectaret[12] amicitiam: omnibus enim necessariæ opes et maxime in prœliorum apparatibus,[13] ubi ex inimicis atque adversariis sæpenumero cariores efficiuntur. Etenim quia Ptolomæus Ægypti rex fidem læserat, ab ipso Cæsare bellis gravissimis premebatur. F

[1] Verba *prædicto....* quæ occurrunt in Am atque in edd., in C leguntur in margine.

[2] *Recidiva* pro *renascentia,* quod et lib. III capite ultimo occurrit, estque Virgilii imitatio qui Æneidis lib. x, v. 58 habet *recidiva Pergama* ad hanc urbem post casum renascentem designandam, et in eodem sensu utitur hac voce etiam lib. IV, v. 344 et VII, v. 322. Unde et Tertullianus *de Resurrectione carnis* c. 18: *Scripturæ recidivatum*, pro resurrectione *carnis pollicentur.* Sed plura alia hujusmodi exempla ex eodem Tertulliano videantur apud Mazochium, opere præcitato, pag. 1007.

[3] Edd., *ob partes,* sed Am, C et Pa omittunt *ob*, et hæc videtur genuina lectio ad modum accusativi græci.

[4] Pro *germanos* vel legendum vel ei addendum v. *liberos,* ut seqq. docent; cf. et Joseph. I, 9 (7), 2. τούς δ'αδελφούς αὑτοῦ (Αλεξάνδρου) Πτολεμαῖος - παραλαβών.

[5] C atque Am, *Alexandriam;* editor Weber, *Alexandram;* Pa, *Alexandri;* sed prior lectio probabilior videtur, mutata scilicet in *Alexandram.*

[6] Ita C, Am (*Filippona*) et codex Gronovii; Pa et quidam mss., *Philippionam*, unde Gualtherus in edit. 2, *Philippionem* ex conjectura, quem et alii editores secuti sunt.

[7] Edd. addunt *fratres*, quod omittunt Am, C et codex Cantabrid.

[8] Edd., *ignoscendo,* sed melius C ut nos. Am, *ignoscendos,* nempe pro *ignoscendus.*

[9] Edd., *conversa,* Am ac C, *conversæ.*

[10] Edd. quædam, *et* ante *ut,* quo carent Am, et C, quemque contextus damnat.

[11] Edd., *rerum humanarum ludibrium et varietatem;* sed evidenter melior est lectio Am et C a nobis adoptata, et communis lectio excogitata fuit ab amanuensibus qui inepte *varietatem* pro *varietatum* scribere cœperunt.

[12] Edd. antiquiores, *ad omnes quorum affectarent.*

[13] C, *prœliorum necessitatibus.*

CAPUT XXIV.

1. Pergamenus Mithridates cum omni manu quam secum deduxerat, Pelusiacis repulsus obstaculis, in urbe Ascalone resederat, desperato[1] transitu et conatu irrito, nec jam se committere bello audebat locis iniquioribus et impar viribus. Cui Antipater Arabas primo in auxilium adscivit, deinde tria millia Judæorum valida manu et munita armis secum perduxit. Commovit etiam Syriæ potentes in adjumentum ipsius, et Ptolomæum qui habitabat in Libano et Jamblichum et Ptolomæum alterum, quorum freti societate etiam alii populi ad bellum accensi sunt. Quibus adjunctis viribus fretus Mithridates Pelusium accessit et, cum transitu prohiberetur, obsidionem adorsus est. Quo loci Antipater præclarum militiæ documentum dedit, siquidem, resistentibus oppidanis, cum summa vi utrimque decerneretur,[2] primus cum suis, dirupta murorum parte, in qua ipse præliabatur, urbem irrupit eamque[3] vi cepit.

2. Nec tamen hic finis laboris adjumentique, sed etiam cum introrsus exercitus pergeret, et circa eam quæ appellabatur Oniæ regio Judæi Ægypti vellent resistere, quo intercluderent iter, rursus Antipater non solum removit prælium, sed etiam ad exercitum juvandum quæ necessaria forent usui humanitatis, ab ipsis qui arma contra paraverant, ministrari effecit. Unde Memphitæ quoque animos a prælio revocaverunt, et se Mithridatis societati volentes dedere, qui prætergressus suspectiora, cum reliquis Ægyptiis conserendum ratus, liberioribus quidem locis, sed validioribus viris regionis ipsius, cujus incolatus Judæorum exercitus appellabatur, strenue decertavit, adeo ut prærupto sese periculo daret ac pene extinctus foret, nisi Antipater videns totum in quo Mithridates erat dextrum cornu ab hoste[4] urgeri, ex alia quoque parte includi flumine, nec ullum effugium viris, irruisset a cornu sinistro super eos qui Mithridatem cedentem persequebantur; quos eo usque insectatus est, donec omnis hostium populus extingueretur. Eo prælio octoginta solos Antipater viros de suis amisit, supra octingentos Mithridates, ita ut ipse præter spem evaserit, atque hæc uno momento clades sequuta. Antipater multis vulneribus corpore exceptis egregium virtutis suæ testimonium apud Cæsarem invenit, Mithridate præsertim non solum suæ absolutionis interprete, sed etiam fortitudinis prædicatore.

3. Quibus[5] egregie Cæsar delectatus, in honorem Antipatrum ut oportebat inter amicos recepit. Deinde ubi ea quæ in Ægypto constituenda forent disposuit, atque in Syriam processit, romanæ eum reipublicæ honoribus affecit; talentum[6] quoque contulit, ceteraque ut probato sibi viro gratiæ suæ pignora impertivit. Hyrcano etiam summum sacerdotium de sententia Antipatri volens firmavit.

CAPUT XXV.

1. Antigonus quoque in Syria Cæsari occurrit, et quem vel patris deflere ærumnam convenerat, veneno per amicos Pompeji interfecti, vel supplicium germani, quem Scipio summa crudelitate tamquam reum securi percusserat, invidiæ magis quam doloris partes exsequebatur, ut Hyrcanum et Antipatrum incubare alienis, quæ sibi et fratribus suis per scelus erepta forent, questu gravissimo coacerbaret;[7] extorrem se factum habitationis paternæ; terram in qua sit natus negari sibi: tamen suas injurias tolerabiliores videri; multo acerbiores illas quibus tota gens populi Judæorum ab Hyrcano et Antipatro afficeretur; eosque de bene gestis in Ægypto rebus vindicare gratiam, cum illud Mithridatis juvandi munus non ex insita in Cæsarem benevolentia sedulitas ulla detulerit, sed ex Pompejanæ conscientia societatis formido extorserit, ut esset offensioni[8] obtentus.

2. Adversus ea Antipater, non verborum referens vicem, sed rerum assertionem, scidit vestem, et nudus indumentorum, plenus vulnerum, diloricato amictu, offerens[9] oculis circumstantium spectatæ indicia virtutis, En, inquit, malevolentiæ meæ in Cæsarem testimonia defendant reum, quæ tamquam lumina animi micant. Has ego cicatrices tibi, Cæsar, voluntatis internæ obsides tribuo; hæc ego fidei meæ depono pignora, et inscriptos cordi apices gero. Si civibus non creditur, hostes interrogentur, pro quo vulnera illa susceperim. Quid in me aliud nisi fidem quam tibi deferrem, persequebantur? At objectat[10] mihi Pompeji gratiam; fateor, Cæsar, me non homini[11] sed nomini romano amicum fuisse, idque studuisse egregie, ut vestræ reipublicæ mea officia impenderentur. Militavi itaque non uni sed omnibus; fuerit mihi carus Pompejus, sed ante mihi ille cœpit amicus esse quam Cæsari esset inimicus. Tuus ille gener erat et tu socer illius. Cum esset in partibus Judææ, juvi ut romanum imperatorem; non tamen ea pro illo quæ pro te, excepi vulnera. Tibi impendi vades mortis, et ictus telorum excepi hostilium. Quid mirum autem, si captivus vulnerum decus nescit, et fugitivus fides quid sit ignorat? Quid autem perpetuus hostis objiciat mihi nisi vestram amicitiam? mirum sane videtur quod accusatum quemquam Romanos adeat Antigonus, quos bello soleat incessere, atque apud eos exutum se imperio queratur, cujus usum ac negotium non ad sui potentiam nec ad insigne domesticum, sed ad lacessenda arma romana et ulciscenda patris[12] germanique exitia desidera-

[1] Ita Am et C; edd., *desperatoque.*

[2] Edd., *vi belli utrimque decerneretur.* C, *decertaretur.*

[3] Am et C addunt *vi*, quod edd. non habent.

[4] Edd., *a cohorte*, sed Am ac C, *ab hoste*, quam lectionem ob mss, vetustatem sequendam duximus.

[5] Edd. addunt *rebus*, quædam antiquiores *regibus*, ortum ex *rebus*; Am, A et C ut nos in textu.

[6] Ita edd., C, *ad Italiam;* Weber rite emendavit in *ateliam*, nempe immunitatem, ex Josepho, πολιτείᾳ τε αὐτὸν τῇ Ῥωμαίων ἐτίμησε καὶ ἀτελείᾳ.

[7] Licet ita sit in mss. ac etiam in priori editione, cl. tamen Mazochius, pag. sæpius citati operis 820, vellet vocem *coacerbaret* emendandam esse in *coacervaret*, quæ revera melius contextui respondet.

[8] Am et C, *offensioni* melius quam *offensionis*, quod in edd.

[9] C, *ostendens;* videtur arbitrio amanuensis substitutum voci *offerens*, quæ forte ei minus propria visa sit.

[10] C, *objectant;* sed edd. et Am melius, cum *objectat* referatur ad Antigonum.

[11] Ita Am, C et Pa; *hominum* alii mss. et edd. Prætulimus ut veram lectionem *homini* propter respondentiam cum *nomini*.

[12] Aristobuli nempe a Romanis interfecti.

verit; ingratus salutis tribunal romanum non timeat, sed etiam audeat ultro incessere, cum sciat istic rebellionis suæ consortem pœnas luisse.

3. Ubi Antipater finem dicendi fecit, Cæsar pronuntiat dignum magis sacerdotio Hyrcanum videri, Antipatro autem detulit potestatis electionem. Tum ille eumdem arbitrum honoris et moderatorem expetens, atque in eo qui honorem daret ponens mensuram honoris, astute satis et verecundiæ decus retulit et incrementum potentiæ: totius eum Judææ procurator factus est Antipater: sane poposcit, ut muros Judææ qui bello diruti fuerant, exædificaret, tantumque negotium datæ fidei securus et postulavit et impetravit. Eaque, ut moris erat romanis imperatoribus, arbitrio Cæsaris in Capitolio scripta sunt, quæ insignia honoris Antipatro conferenda Cæsar æstimavisset, ut et suæ justitiæ et meritorum viri posteritatis quoque cognitioni indicia extarent.

4. Prosequutus autem Cæsarem Antipater, ex Syria in Judæam flexit iter, et primo quem Pompejus destruxerat murum in veterem statum reformavit; deinde tumultus repressit conveniens singulos affectu parentis, nunc mollioribus monitis, nunc minis ut quæ pacis essent potius quam belli sequenda arbitrarentur, neve exasperarent animum regis. Qui si inoffensus maneret, civem præstaret; si commoveretur, tyrannum exhiberet; et si mitis esset natura Hyrcanus, caverent tamen ne eum contumelia exacerbarent; sibi quoque studium esse ut in medium consuleret pro sollicitudine pia,
1 non pro potestate; sed si novare[1] aliqua tentarent, vindicandi animum sibi non defuturum, Romanorumque amicitiam potius quam dominationem experirentur. Cui enim dubium foret ex amicis in arma erupturos, si eum cui regnum ipsi firmaverant, cognovissent regno exutum? Simul quia lentitudine ingenii tardiorem Hyrcanum noverat ad exsequendas publicorum munerum necessitates, filiis suis dividendam tuendæ regionis curam putavit, quod ille impar tantæ moli imperioque esset. Phaselum itaque seniorem ex liberis præsulem Hierosolymis et ducem militiæ constituit. Herodem quoque minorem natu atque admodum adulescentem pari honore Galilææ præfecit. Qui ubi potestatem adeptus est, natura acrior ad obeunda negotia, statim ingenio suo materiam invenit.

CAPUT XXVI.

1. Laborabat enim Syria Ezechiæ latronis incur-
2 sionibus,[2] quibus ille prædatoriæ manus princeps totam infestabat provinciam atque omnibus locis
3 infensus erat:[3] quem correptum jugulari jussit, multosque prædonum interemit, quod ei maximam virtutis gloriam peperit et uberem apud Syros gratiam. Unde in urbibus ac vicis canentium vocibus celebrabatur, quasi qui pacem et quietem publicam multo post tempore reformavisset. Excitabat hic sermo secundo plebis rumore æmulationem piam laudis fraternæ, ut Phaselus, quem juniorem natu adæquare virtute non poterat, adæquaret mentis benignitate, allectis in primorum locum benevolentia præstantioribus, qui severitatem temperarent gratia. Unde maximus honor Antipatro quasi parenti publico deferebatur. Ipse tamen nihil de benevolentia ac fide mutavit, qua observare Hyrcanum solitus erat.

2. Sed difficile est in prosperis invidia carere: denique primo tacitus Hyrcanus ad juvenum laudes vellicabatur; vehementius tamen eum quæ præclare gesta in Herodis operibus ferebantur exasperabant, quem ultra leges Judæorum et privati modum progressum videbat, ut omnem sibi cum fratre ac patre vindicaret potentiam, regemque exuerent omni honore, cui nihil præter nomen resedisset, quod vacuum potestatis inanem speciem præferret. Denique inconsulto eo plurimos neci datos ac sine mandatis regalibus interfectos, quos lex patrum perire non sineret, unde oportere Herodem in causam vocari ut rationem daret, qua gratia violaverit legem, quæ inauditos vetaret exitio dari; debere assurgere Hyrcanum vel hinc experiri, utrum regem an privatum sese Herodes gerat: qui vocatus in judicium nisi adesset, manifestum fore quo tanta ejus insolentia adspiravisset.

3. His atque ejusmodi regiorum satellitum sermonibus Hyrcanus per invidiam paulatim accendebatur, qui propiorem ignaviæ pudorem increpitabant, quod regalium negotiorum jure decesserit transfusa in Antipatrum et liberos ejus potestate, quos dominos constituerit licentia sibi regnandi imminuta: quibus excitus statuit Herodem judicio suo non defore purgaturum, quæ adversum leges usurpata objectarentur. Herodes tametsi in judicium se vocatum indignaretur, tamen vel patris monitis vel consilio placidiore adventabat præoccupatis Galilææ munitionibus; sed tamen neque invidioso agmine ut bellum minari videretur, nec iterum intuto præsidio ut salutem proderet. Fultus quoque Sexti Cæsaris erat adspirante sibi gratia, qui metuens ne quid juveni insidiarum irrogaretur præscripserat Hyrcano mandatis severioribus, ut a judicii gravioris periculo temperandum putaret. Unde magis absolutionem judicii Sexto detulit quam voluntati, quamvis Hyrcanus, etsi insimulantibus cesserat ut eum in causam vocaret, volens tamen absolverit, quoniam servare Herodem quam persequi malebat.

4. Sed ille juvenili calore injuriam dolens, absolutionis ingratus perrexit ad Sextum proposito studio, ut si iterum vocaretur non obediret, deditque obtrectantibus insimulandi locum, quamvis Hyrcanus non assurgeret ad ultionem, cum videret superiorem. Recordatione tamen injuriæ, quæ retractando alitur, excitus Herodes congregato exercitu petebat Hierosolymam, ut solveret omnem Hyrcani potestatem, ac pœne effecerat, nisi a fratre infractus[4] et patre impetus ejus consenuisset, rogantibus, ut insurrexisse satis putaret, et minitatione vindictæ modum poneret, abstineret tamen ab imperatoris exitio, sub quo non mediocrem assequutus foret gratiam, ut tantam potestatem adipisceretur: læsum quidem videri quod in judicium vocatus sit, sed rursus affectum gratia quod absolutus: durum nimis si injuriam persequatur et pro salute ingratus sit: dubium deinde ancipi-

[1] Edd., *navare* e quibusdam mss., sed codex Am et cantabr. valde melius, *novare*.

[2] C, *incursibus*.

[3] Am, *aderat*.

[4] Nempe *valde fractus*, ut ipse Ambrosius *de Viduis* n. 88, et epist. *ad Ecclesiam Vercell.* n. 97.

temque esse bellorum eventum, gravem quoque invidiæ sarcinam, cum imperatori suo arma inferat et ei, qui paterno affectu eum foverit, sæpius juverit, numquam læserit, nisi cum malis consiliariis usus umbram ei excitaverit iniquitatis, qua se læsum arbitraretur.

CAPUT XXVII.

His et talibus fregere juvenalem[1] impetum bellumque intestinum a Judæa remotum, sed Romanorum internecione transfusum atque in eos versum; siquidem a Cæcilio Basso Sextus Cæsar dolo interemtus est, et postea Julius Cæsar triennio et septem mensibus potestate functus perpetua, quia privati habitum supergressus fuerat, in senatu graves pœnas dedit Cassio Brutoque auctoribus; unde congregatis viribus cum ultum iri filius Julius adoptivus patris exitium adjuncto sibi Antonio destinavisset, quia maximam belli partem missis auxiliis Herodes juvisse æstimaretur, totius Syriæ eidem regendæ mandata sollicitudo, quæ res Antipatro causa lethalis exitii fuit.

CAPUT XXVIII.

1. Timens enim Malichus[2] Antipatri potentiam, quæ virtute Herodis cumulabatur, corrupto uno de regalibus ministeriis, Antipatro venenum paravit, quo epoto post convivium statim moritur Antipater, impigro in ceteris ingenio et maxime quærendo stabiliendoque Hyrcani imperio vir strenuus.

2. Tulit graviter Herodes obitum patris, commotoque exercitu, ultorem pollicebatur; sed fraterno consilio revocatus, ne bello intestino Judæa inter Herodem et Malichum vexaretur, parato ad repugnandum et maxime dissimulante Malicho quod necis Antipatri conscius foret, in aliud genus ultionis facile traductus est, ut satisfactione accepta, quod nulla fraude Malichi Antipater obiisset, Hyrcanum ac Malichum Herodes ad cœnam vocaret.

3. Et de sententia Cassii, qui etiam suis id negotii mandaverat ad obeundam ultionem directis, parati centuriones præpositique romani exercitus venientibus Hyrcano simul ac Malicho occurrere in litore, atque evaginatis gladiis utrumque eorum circumstetere; solum tamen Malichum multis vulneribus confossum ac laniatum supremo exitio trucidaverunt. Consternatus eo terrore Hyrcanus sensum amisit, atque omni solutus vigore mentis et corporis corruit; paulisper tamen ubi sese recepit, interrogato Herode quis præcepisset Malichum occidi, ubi cognovit ex præpositis Cassii romani imperatoris jussu necatum, illico respondit: Cassius ergo et mihi et patriæ meæ saluti fuit, qui utriusque insidiatorem peremit; sed hoc sive præ metu dixerit sive ita senserit Hyrcanus, haud liquido patet, neque nostro judicio definiri potest.

4. Insurrexerat Elichus, qui fraterna necessitudine Malichi mortem cuperet ulcisci; sed quia Herodem lacessere non audebat, fratrem ipsius A Phaselum pulsandum arbitrabatur. Quo cognito, Herodes movere se cupiens, retentus est corporis infirmitate. Elichus interea munitiones quasdam et præcipue Masadam[3] impositis præsidiis occupaverat.

5. Sed ubi Herodi refusus salutis vigor, recepit omnia, ipsumque Elichum de munitione Masadæ obsecrantem dimisit. Interpellaverat ejus potentiam Antigonus Aristobuli, adminiculante sibi Ptolomæo socero, quos Herodes prælio fudit, et ejecto Antigono B Hierosolymam victor revertit. Magna gratia etiam recentis triumphi et præcipue novæ conjunctionis: nam primo Doris[4] ei conjux adhæserat, ex qua Antipatrum suscepit filium, postea Mariammen[5] Alexandro Aristobuli filio genitam secundis sibi nuptiis copulaverat, Hyrcano proximam atque ob ea regali præditam nobilitate.

6. Nec tamen invidiam evasit, ut quod regnum præreptum ire Hyrcano affectaverit: nam ubi bello macedonico Cæsar atque Antonius Cassium Brutumque C oppressere, victoresque alter in Italiam regredi maturavit, alter in Syriam properandum credidit, legationibus plurimis affluentibus convenere ad Antonium Judæorum quique potiores atque in Bithyniam processere, accusantes Herodem fratremque ejus Phaselum, eo quod ipsi violenter invasere rerum omnium potestatem, nomen solum Hyrcano ad speciem honoris dereliquissent. Sed præsentia Herodis prævaluit et gratia, qui non mediocri pecunia sed muneribus opimis Antonii D animum sibi devinxerat. Unde ne sermone quidem ullo perstrictus ab Antonio evacuavit invidiam adversum se directæ legationis.

7. Iterum centum fere viri Judæorum Antiochiam adusque non minore spiritu accusatum profecti, apud Daphnen offendere Antonium, jam totum Cleopatræ amoribus deditum atque ejus libidini deservientem, ibique arguere cœperunt intolerabilem fratrum potestatem. Messala contra refellebat assistente Hyrcano, et insolentiam gentis redarguebat, E quæ factione paucorum excitata suos detrectaret, alienos quæreret, Hyrcanique injuriam prætexeret, cum Hyrcanus quod civibus esset accommodum præoptavisset. Cognitis itaque allegationibus partium, interrogavit Hyrcanum Antonius, quos aptius præesse arbitraretur. Cujus affectu secundum Herodem ac fratrem ejus conveniente, cum voluntati suæ responsa congruerent, delectatus admodum, quod erat fratribus paternæ hospitalitatis copulatus necessitudine, quando cum Gabinio advenientem in F Judæam gratissime satis Antipater hospitio recepit multisque percoluit officiis, Herodem et Phaselum tetrarchas ordinavit, totiusque Judææ procurationem agere præcepit.

8. Hinc quoque multiplicatus est numerus conquerentium: nam etsi alios legatorum custodia receperat, alios affecerat contumelia, illi tamen postea legati, ad Antonium in urbe Tyro degentem, facta in Hierosolymis seditione, pergere præcepti, voluntati civium non defuerunt. Et quamvis G graviter esset in reclamantes vindicatum, rursus tamen perstrepere ausis missus est ab Antonio

[1] Ita Am et C; edd., *juvenilem.*

[2] Quidam mss. et quædam edd., *Malachus;* sed consone cum Josepho alii codd. et editiones, *Malichus* (Μάλιχος).

[3] Vulgo *Massada*, sed C cum Josepho, *Masada.*

[4] Vulgo *Dosis*, sed *Doridem* ei nomen fuisse constat e Josepho, ubi Δωρίς constanter legitur.

[5] Quidam mss. *Mariamnen;* sed Am et C, *Mariammen*, et quidem conformiter ipsi Josepho; quibus auctoritatibus et nos ubique obsequemur.

Tyriorum præses, qui corriperet insolentiæ reos, cum tam ipse quam etiam Herodes atque Hyrcanus quærerent, ne sibi gravissima supplicia patriæque perturbationes et causas bellorum gignerent.[1]

9. Ubi nihil profectum sed irrationabili contentione misceri omnia cœperunt, direxit Antonius armatos. A quibus alii cæsi, plerique graviter sauciati, ab Hyrcano tamen aut sepulturæ mortui aut medicinæ qui potuerant evadere gratiam adepti, geminæ humanitatis occasionem dedere, qua ejus in cives benevolentia manifestaretur. Ceteri quoque qui effugerant, ita urbem exagitando exasperaverant Antonium, ut etiam in eos quos vinctos tenebat, suprema supplicia mandarit.

CAPUT XXIX.

1. Cesserat acerbitati insolentia; sed decurso fere biennio infuderat se Syriæ Parthorum exercitus, Pacoro regis filio et Barzafarne Persarum satrape barbarum agmen ductantibus: quibus stimulator accessit Lysanias Ptolomæi filius, defuncto patre, cui cognomentum Menneo fuit. Exutus jam potestate per memoratum satrapen, sollicitavit Pacorum promissis mille argenti talentis et quingentis mulieribus, ut Antigono regnum daret, Hyrcani solveret sacerdotium. Pacorus ministro regio partem equitatus dedit, quoniam ipse rebellionibus intra Syriam detinebatur, ut in Judæam transiret, atque Antigono rem gereret, studium ejus juvaret.

2. Sed hoc quoque parum processerat, nisi confligentibus adversum se Judæis, Herode ac Phaselo et contra Antigono, ducibus de sententia Antigoni propositum foret, ut Pacorum conciliatorem pacis reciperent. Quod Phaselus ingenii facilitate, obnitente Herode, probatum in tempore, mox sibi perniciosum expertus, cognovit natura barbaros esse infideles.

3. Nam missus ad Barzafarnen quasi pacis executorem et cum Hyrcano profectus, occurrit satrapæ astute satis velanti insidias specie benignitatis: denique profecturis munera dabat et quemadmodum circumvenirentur dispositionibus suis constituebat. Prosequebantur eos magis custodiæ causa quam socii periculorum. Deferebantur nuntii quod mille talentis Parthus redemtus foret ad exitium memoratorum.

4. Ofellius quoque fugam suadebat, quod a Saramalla Syrorum ditissimo factionem eis paratam cognoverat. Sed ne sic quidem adductus est Phaselus, relicto Hyrcano, sibi consulere; verum adorsus est satrapen gravibus contumeliis, quod pretio fidem proderet, plurisque pecuniam quam æquitatem duceret, amplius pro salute sese dare quam Antigonus pro regno adnumeraret. Sed Persa fidem quam prodiderat perjurio conciliare sibi nisus, et suspicionem omnem depellere, haud multo post dolum patravit. Nam eo profecto ad Pacorum, quibus id negotii dederat, Phaselum et Hyrcanum corripiunt execrationibus, quando aliud facere nequibant, ultum iri cupientes barbarorum perjuria et perfidiam proditionis.

5. Nec minus vini[2] minister missus in Judæam dolis prætenderat ut caperet Herodem, sed illum jamdudum suspectantem insidias barbarorum gravis ad cavendum cura exercebat, seseque intra munitiones tenebat, nec simulatis a Pacoro mandatis, quibus de Phaselo ejusque insolentia fratrem conveniret, muros egredi et alloquiis hostium sese committendum putavit.

6. Cognitoque fratrem et Hyrcanum teneri noctu in Idumæam, suos præmisit atque ipse cum servulis insequentes barbaros fudit; multisque cæsis in Masadam sese properato contulit, graviores tamen Parthis expertus Judæos, qui fugienti incubuerant, et suos quidem intra munitiones composuit, ultus sese de insequentibus. Ipse autem relictis præsidiis, quæ matri et fratribus junioribus præsidio forent, in Arabicam Petram contendit.

7. Infudere se Persæ Hierosolymis, irruentes in fugientium domos: versa omnia in rapinas, bellum, tumultus, eoque injuria processit, ut regnum Antigono traderetur, Phaselus quoque et Hyrcanus in potestatem ejus ad subeunda quæ libitum foret, consignarentur. Ille autem tenere sese diutius nequivit, sed, continuo in Hyrcanum facto impetu, aures ejus dentibus suis abscidit, ne quando ulla rerum conversione recursus ei pateret ad sacerdotium. Summum enim sacerdotem immutilatum esse oportet, nec licere per legem liquet, ut mutilato corpore quisquam summo fungatur munere sacerdotii.

8. Phaselus adscitæ sibi mortis celeritate contumeliam prævertit, illiso capite saxis quæ forte occurrerant, dedignatus servari ad ludibria vel jussu alieno mori, qui posset vinctis licet manibus et ferro negato exitum vitæ invenire. Fuit tamen etiam alius de eo sermo hujuscemodi, quod saucio Antigonus medicum adhibuerit, a quo venena vulneri tamquam medicamenta infunderentur. Quilibet horum exitus principium habuit spiritus ferocioris; addidisse allegatur in ultimis suis cum jam exhalaret spiritum, cognito quod Herodes viveret et fuga paratas insidias evaserit, cum gratia sese obire, quia superstitem relinqueret, qui sibi ultionem inferret.

9. Herodes autem properavit in Arabiam sperans se accepturum pecuniam, qua sola barbaricam inclinari posse crederet avaritiam, ut fratris redimeret captivitatem, ac si vel Arabem paternæ immemorem dilectionis vel referendis muneribus tenaciorem offenderet, æs mutuum posceret redemtionis pretium, pro quo oppigneraret redimendum filium, quem ad hos usus septennem puerum secum deduxerat. Sed præventum est piæ studium germanitatis morte Phaseli, et in vacuum Herodes tam sedulo fraterni studia muneris exsequebatur. Prius tamen quam de morte fratris cognosceret, Bocchum Arabiæ regem alienum reperit, quem amicum credebat: nam is fidem cum tempore mutavit, et jam adpropinquantem Arabiæ finibus Herodem vetuit intrare, composito quod sibi Parthorum nuntiis insinuatum foret, ne profugum suum in regnum Arabiæ recipiendum putaret, bellique gravissimi causam sibi gigneret.

10. Quibus offensus Herodes continuo retulit, quæ justæ commotionis dolor promserat, atque inde

[1] Editio Mignii *ne ibi .... gigneret*. Sed melius lectio nostra. Sensus est: Ne sibi isti incusatores causas gignerent decernendi gravissima supplicia etc.

[2] Quidam mss., *Nini;* sed alii multo verius, *vini*, quia Nini nomen apud Josephum non legitur, sed οἰνοχόος, *fundi tor vini, pincerna.*

in Ægyptum convertit. Mox tamen Bocchum pœnituit violatæ gratiæ, missisque per quos revocaretur, Herodes prævertit. Cui ingresso regiones,
1 quas Rhinocorii inhabitant,[1] et de fratris interitu et de Hyrcani captivitate, qui sub vinculis in Parthienen ductus est, veris indiciis manifestatum, tantumque mæroris assumptum, quantum depositum sollicitudinum, ut pro bello fugam pararet. Denique Alexandriam summo studio contendit, atque ibi cum honore a Cleopatra susceptus, quod tanti nominis virum ducem militiæ suis expetendum partibus arbitraretur, posthabitis reginæ petitionibus Romam enavigavit, minores procellas hiemis ratus perturbationesque Italiæ compertas, quam quos in Cleopatræ mobilitate graviores omni naufragio fluctus perhorrescebat.

11. Denique inexpectatis ventorum flatibus profectus, circa Pamphiliam periculum incidit, sed evasit tamen et mutato navigio Brundisium prius, atque inde Romam pervenit. Ibi amicitiæ paternæ prærogativa adiit Antonium, deploratisque suis et domesticarum ærumnis necessitudinum, quibus in obsidione positis Romam precatum venerit, Antonium flexit, assumpta ex tanta rerum conversione misericordia, quod rex dudum potentissimus, et qui romanæ reipublicæ sæpius tulerit opem, repente ut naufragus et rerum omnium egens auxiliique inops, quo suis in periculo constitutis suppliciter imploraret, exilio sedem mutaverit. In quo etsi Antonius hospitalitatis gratia, quæ sibi cum patre ejus Antipatro fuerat, propense inclinaretur,
2 maximeque quod idem eum[2] tetrarcham faciens regno prædestinatum reliquerat,

CAPUT XXX.

1. Cæsar tamen benevolentia naturali effusior, et toleratam in Ægyptum Antipatri militiam omnibus patris sui Cæsaris præliis, et hospitalem conjunctionem tamquam renovatis gratiæ pignoribus cariora habebat; suspectabat tamen versutum ingenium regis, non æquo et bono, sed negotiorum suorum utilitatibus prave intentum. Senatus adeundi data copia, apud quem Messala et Atratino adstruentibus paterna bene gesta, ipsius quoque Herodis officia erga romanam rempublicam, patrum auctoritate decretum est, utile romano imperio regnum Herodis videri, quod adstipulante Antonio bello adversus Parthos gerendo adjungi Romanis memorati regis societatem conduceret. Dimisso senatu, Cæsar atque Antonius et Herodes pariter egressi curia prosequentibus magistratuum officiis deducuntur, primoque die, quo regnum Herodi senatusconsulto delatum foret, Antonius adornat convivium regemque invitat.

2. Eodem fere tempore Josephus frater Herodis aquæ inopia fugam in noctem composuerat; sed tanta subito vis pluviarum terram infudit, ut omnes repleret ductus aquarum; itaque revocato transfugio, quod ad gentem Arabum parabat, obsidentis Antigoni copias partim insidiis partim congressione atque aperto prælio fudit; sed ipse
3 plerumque adverso impetu[3] sese in castrum recepit.

A 3. Et jam Herodes ex Italia in urbe Syriæ Ptolomaide improvisus aderat, propereque egressus navigio cum ingenti manu civium et peregrinorum Antigonum petebat, occurrentibus sibi Ventidio et Silone ducibus militiæ romanæ, quos Antonius deducendo Herodi adesse præceperat. Eos Dellius[4] in 4
hos usus directus ab Antonio licet abhorrentes studio, quod utrumque eorum Antigonus pretio averterat, specie tamen de proximo convenire suaserat; siquidem in proximis urbibus opprimendi belli
B Parthici tumultus Ventidius immorabatur; Silon autem intra Judæam positus aperta cum Antigono societate pecuniam conficiebat. Nec tamen Herodes auxilio egebat, cui præter paucos Galilæorum universi adhæserant, et quia propositum erat ut de Masada suos quamprimum eriperet obsidioni, Joppen in medio positam pugnando cepit, adversariorum manu refertam, ne ad ulteriora progressus hostem a tergo relinqueret; et quamvis iter ejus Antigonus impedire cuperet, tamen facili negotio Mas-
C sadam recepit, suosque exemit periculo.

4. Dehinc profectus Hierosolymam, cum omnia fecisset ne pugnandi haberet necessitatem, asserens se pro civibus adversus rebellionem, non adversum suos prælium recepisse, lacessitus ab Antigoni fautoribus sagittis et levioribus spiculis de muro sibi obstrepentes fugere coegit.

5. Nec ulla fuisset victoriæ mora, ni dux romani agminis Silon subornasset milites, qui de inopia querelam expromerent, vastataque omnia circa
D muros, difficultatemque utensilium et angustias alimentorum prætenderent, et jam[5] tempus adesse, 5
quo ad hiberna eos concedere oporteret, rupturos imperium minarentur, ni sibi adquietum foret. Jamque seditio convaluerat, nisi Herodes centurionibus pariter ac militibus romanis medium se offerens oravisset, ne desererent eum, quem Cæsar et Antonius, senatus quoque tuendum sibi commiserant, cum præsertim nihil defuturum usibus pollicereturt; et completa oratione in regionem
E egressus, subito rerum omnium abundantiam exercitui suppeditari fecit, ut nulla Siloni superesset causatio.

6. Deinde erectis universorum animis, cum duobus millibus peditum et quingentis equitibus Idumæam recepit, quieto jam Romanorum agmine atque in hibernis locato, dux facti Josephus leviori electus negotio, ne quid adversus Antigonum majore periculo usurpandum arbitraretur.

7. Ipse autem suos ex Massada translatos cum
F in Samaria, provisis quæ munimento et usui fore crederet, constituisset, glaciali hieme et repletis nive locis omnibus, præveniens adventus sui nuntium, Sepphorim[6] prisco vocitatam nomine, quam 6
Diocæsaream postea nuncupaverunt, sine ullo ingressus prælio reficiendis, quos hiemales pruinæ atque asperiora gelu itinera fatigaverant, opportunam existimavit; erat enim illic et alimentorum multa copia; ubi refectis cibo et stativa interpositione militibus adversum latrones prælium ado-
G riundum putavit, qui totam percurrentes regionem non minore quam bellica incursione locorum incolas attrivere. Itaque primo partem quamdam

[1] Edd., *inhabitabant;* C, *inhabitant,* cum alio mss.

[2] Ita Am et C; edd., *Idumæam,* A, in *Idumæa.*

[3] Ita C; sed Am ac edd., *exitu.*

[4] Ita plures mss. et Josephus, non *Gellius* ut, alii et nonnullæ edd.

[5] Weber arbitrario immutavit *jam* in *cum* ad regendum sequens *adesset,* quod in pluribus mss. et in edd. occurrit; sed nos prætulimus *adesse* codicis C, cui satis bene respondet præcedens *jam* omnium mss.

[6] Ita et Josephus, Σέπφωριν.

equitum et peditum in vicum Arbelam præmisit, et ipse cum reliqua manu post quadraginta dies affuit. Nec tamen exercitus specie territi latrones, sed cum armis occurrendum rati, præferebant disciplinam bellicam et latronum audaciam. Conflictu habito, cessit cornu Herodis sinistrum, sed cito reparavit Herodes et adhibitis adjumentis suos statuit, insequentes perculit, atque infregit impetus eorum.

8. Qui cominus pugnantem Herodem pati nequivere, declinantesque usque ad Jordanem secutus neci tradidit: reliqui omnes supra fluvium dispersi, ut omni incursionum metu Galilæa absolveretur, residentibus tantummodo, qui se latebris recondentes ac velut infodientes speluncis, victoriam morabantur.

9. Erant autem in prærupto montium, concavis saxorum latibulis, inhorrentes specus inter scrupeas rupes invio undique et impossibili nisi locorum incolis accessu, qui transversariis semitis et angustis callibus, quibus solis adiri solerent periculi usu, adversus periculum deprehendendi tutiores forent. Cæci intus antrorum recessus, quorum in fronte petra, usque ad profundas congregationes aquarum velut quodam continenti jugo prominens, spem adeundi excluderet lubrico undique situ, de supercilio montium cadentibus aquis et amnium cursu fragoso, ut præcipitium fluentorum ruina et saxum imminens charybdis [1] plus terroris daret. Denique aliquamdiu rex incerto hæsit, non reperiens quemadmodum naturam vinceret; postea vero hujusmodi commento usus, ut in modum arcarum machinato munimine validissimos quosque includeret. In ipsa spelæorum ora armatos retinaculis quibusdam deposuit, qui facile inermes cædere, et cum omnibus necessitudinibus et generatione interficere cœperunt, ac si qui resistere auderent, eos injecto igni exurere. Nullus pietati locus, quin etiam volens Herodes plerosque eripere neci atque ad se confugiendi fiduciam dare, avertit magis, ita ut nullus voluntarius Herodi adjungeretur, et si qui vi adigebantur, mortem præferrent captivitati. Denique unus de senioribus, cui septem filii uxorque adessent, quorum saluti consulere posset, omnes eos tali occidit modo: singulos quosque progredi jubens, ipse in ingressu stetit et procedentem de filiis interficiebat. Adspiciens Herodes tam triste facinus ac miserabile, paterna perstrictus necessitudine, arcebat manu et verbis rogabat, ut parceret liberis impunitatem pollicens: at ille haud quaquam ullis inflexus vocibus, atque insuper regi conviciatus, supra filios et uxorem peremit et præcipitatis ex alto cadaveribus filiorum, ad ultimum semetipsum in profundum præcipitem dedit.

10. Perterritus his Antigonus, quod tam facile Herodes latronum multitudinem locorumque superasset difficultatem, ipsius quidem præsentiam declinavit, sed convertit se ad Ptolomæum, quem Herodes parti exercitus præfecerat, et vir ad furta belli peridoneus, per eos, quibus mos erat turbare Galilæam, improviso impetu Ptolomæum jugulari coegit.

11. Josephum quoque fratrem Herodis, germano in aliis occupato partibus, impigre repugnantem cum militibus romanis, qui in adjumentum ejus temere collecti advenerant, delevit.

12. Nec tanto contentus triumpho addidit victoriæ gravem in defunctum contumeliam, ut absciso capite relinqueretur, pro quo Pherora frater peremti quinquaginta talenta obtulit nec impetravit; qua victoria rursus in Antigonum plurimorum intra Galilæam studia conversa, renovataque belli negotia.

13. Antiochiam Herodes contenderat; illic amœno satis loco quem Daphnen vocitant, requiescebat, ubi accepto germani necis nuntio, paulisper ingemens passioni mærorem distulit, vindictam paravit. Non tulit Antigonus furentem dolore, sed se intra munitiones recondit.

14. Irruit Herodes, ut persequeretur tanti facinoris auctores, et facile occurrentia avertit agmina. Erat multorum nex plurima, obstructæ viæ jacentium cadaveribus, ut itinera ipsa peremtorum funeribus replerentur. Peractum esset prælium omnibus fuga versis, si Herodes Hierosolymam protinus dirigendum iter æstimavisset: abjecerat Antigonus hastas; ultimum supplicium pertimescebat.

15. Confusi omnes metu adeo ut, cum asperitate hiemis revocatus a persequendo esset Herodes, et armis depositis balneum esset ingressus uno comitatus servulo, occurrerent ei tres viri districtis mucronibus, deinde plures, qui fugissent de prælio latibula quærentes; hi, viso rege, turbati metu pertransierunt, atque ad exitus balnei festinaverunt, ut possent evadere, qui potuerant necem regis patrare bellumque absolvere. Denique nemo fuit qui fugientes corriperet: unde conjiciens Herodes, quanta hostibus formido inesset, incubuit prælio, et Pappum ipsum ducem adversi agminis interfecit, atque ejus abscidi caput jussit, quod ab eo frater regius Josephus interemtus foret.

CAPUT XXXI.

1. Antigonus interea qui fugam paraverat, distulit; quem morantem Herodes circumfuso exercitu obsedit, incubuitque ea parte quæ erat ante templum, qua parte etiam Pompejus urbem [2] irruperat. Tanta autem jam victoriæ regi præsumptio, ut obsidione cœpta ad accipiendam uxorem Alexandri filiam deflecteret, hymenæis classicum mutans et nuptias bello intermiscens, atque ex occasione prælii conjunctionis opportunitatem adeptus, a festis ad bellum revertitur.

2. Occurrit et Sossius [3] missus ab Antonio in adjumentum regium: ita conjunctis viribus, cum usu belli et disciplina militari Romani præstarent, et regi studio placendi inniterentur, vix quinto mense facta irruptio, Herodianis murum ascendere ausis. Irruentibus autem Romanorum centurionibus oppidum,[4] innumeræ factæ cædes, vastata circa templum omnia: alii fugientes ad templum, alii congregati intra domos obtruncabantur; nulla miseratio senectutis, nulla infantiæ aut muliebris in-

[1] C, charybdis; Am, *caradis;* edd. *charraris,* quæ nulla est vox. Weber marte suo posuit *catarractis*, nulla tamen necessitate, quia bene stat *charybdis,* pro vorticibus generice.

[2] Edd. recentiores, *murum;* C, *urbem*, quæ lectio perspicue melior apparet.

[3] Ita nonnulli mss. cum Josepho, dum edd. habent *Sosius,* hic et ubique.

[4] Am et C loco *oppidum* habent *ibi tum;* sed lectio communior genuina ostenditur tum eo quod valde melius congruit contextui, tum e consonantia cum verbis Josephi εἰςπίπτουσιν εἰς τὴν πόλιν, *irruunt in civitatem.*

firmitatis. Obtulit se Antigonus et immemor loci dejecit se ad pedes Sossii; at ille, quem tanta rerum conversio admonere debuit misericordiæ, conviciatus jacentem Antigonam[1] vocavit, nec tamen quasi mulieri pepercit, sed vinctum in custodiam[2] detrusit.

3. Fluctuare Herodes, quomodo Romanorum manibus eriperet patriam, templum a gentilibus incoinquinatum reservaret: festinabant enim Romani spectare mysteria interiora, profanare sancta sanctorum; rex vero nunc prece nunc minis removere singulos, fuga deteriorem arbitratus victoriam, si quid sacramentorum divulgaretur. Instare ad prædam Romani; Herodes resistere, ne vacuam urbem sibi relinquerent, regnumque sibi superesset[3] deserti; Sossius contra captæ urbis prædam militibus deberi asserebat. Sed rex de proprio spopondit militi se pecuniam daturum, atque ita reliquum patriæ quod remanserat, pecunia redemit, ut promissum impleret;[4] humanissime milites suscepit, rationabiliter duces, ipsum quoque regia liberalitate Sossium remuneratus est, nemo ingratus recessit. Sossius coronam Deo obtulit, et profectus secum abduxit Antigonum ad Antonium, quem ille quasi degeneris animi virum securi percussit.

CAPUT XXXII.

1. Herodes autem plurima etiam suis largitus, plurima Antonio amicisque ejus dono dedit, nec tamen redimere ab Antonio potuit securitatem sui. Jam enim Antonius Cleopatræ amori defœneratus[5] inserviebat, atque addictus ejus libidini famulabatur; sed vincere non poterat femineas aviditates, et maxime exercitatæ mulieris in cædibus propinquorum, quibus extinctis, possessionem eorum quasi spolium suis junxerat. Eadem avaritia simul et crudelitate si quos de Syria locupletiores fama acceperat, interfici faciebat,[6] atque addicto jam ad suas libidines Antonio, regnum quoque Judææ atque Arabiæ, extinctis utrique genti imperitantibus, avaritiæ suæ adjungi posse opinabatur.

2. Sed quamvis libidine ebrius, somno gravis, in hac tamen parte resipuit Antonius, ut tales viros et potentissimos reges pro imperio petulantissimæ mulieris extinguere detrectaret: tamen ne immunes dimitteret, amicos eorum[7] perculit, possessionis maximam partem ademit eamque præcipue, quæ balsamum gigneret, urbesque omnes intra Eleutherum amnem sitas, Tyro tamen et Sidone exceptis, Cleopatræ cupiditati adjudicavit. Quæ tali mercede a viro delinita, usque ad Euphratem prosequuta proficiscentem in Parthos Antonium, per Judæam revertit, ubi donis muneribusque maximis conciliare sibi reginæ animum Herodes non prætermisit. Cui secundæ res superbiam augebat, ut muliebris impotentia supra modum sese extolleret; siquidem non multo post ei Parthorum rex Artabazes, Tigranis potentissimi

A regis filius, dono est datus. Quem Antonius captivum tenens, cum omni præda et spoliis Persicis triumpho debitum, quasi vile mancipium mulieri addixit, ut quo illustrior fuerat victoria, eo turpior esset largitio, quæ regem tanto ludibrio dehonestaret.

3. Nec tamen diutius potitus secundis, qui uti illis nesciebat, insolentia muliebri Augustum in se excitavit. Itaque bellum actiacum magnis utrimque parabatur motibus. Promtissime rex cum Antonio
B gestiebat bellum subire, quia et Judæa ab hostili tumultu vacabat, et Hyrcaniam a sorore Antigoni diu retentam receperat; sed in hoc quoque Herodes beatissimus, cui invisum est periculis alienis sese miscere. Volens itaque Cleopatra alienare animum ejus a regibus atque avertere, suadet viro, ut bellum adversus Arabas gereret Herodes, quo si superior foret, Arabia reginæ cederet; si inferior, dominatus Cleopatræ in Judæam extenderetur: uter vicisset, alterum solveret.

C 4. Quod consilium non ex dispositione, sed ex usu in Herodem inclinavit, qui simul ut prælium adorsus est, ut validior equitatu avertit hostem; in exitu multitudine hostium superatur et numero circumvenitur, congregatis in Canatha viribus adversariorum; adversus quos densare aciem volens, elatis suorum animis successu priorum, eaque causa in hostem erumpentibus, destituitur, et maxime fraude Athenionis, quem Cleopatra ducem adjunxerat, non ut juvaret Herodem, sed ut in ipsa
D desereret necessitate. Denique destitutum exercitum ejus in locis saxosis atque inviis adorsi Arabes, gravi cæde sternunt funduntque, et fugatos usque ad refugia sequuti, exitio dedere.

5. Adfuit Herodes serius quidem quam necessitas postulabat; sed tamen ultus ærumnam posterioribus præliis, ita Arabas afflixit, ut unam illam victoriam suam sæpius deplorarent. Accidit etiam motu terræ gravis animorum defectio, quo pecoris plurimum, hominum quoque triginta fere millia
E consumpta sunt. Militaris tamen omnis manus, eo quod sub dio habitabat, incolumis perseveravit. Hinc quoque erecti animi hostium, ut arbitrarentur quod desertam Judæam facilius invaderent, et perculsos talibus prodigiis affligerent. Unde eos Herodes ad defensionem sui erigendos putavit, et maxime quia legatos, quos in Arabiam miserat, necatos dolo compertum habebat. Hoc igitur trepidantes sermone adorsus est:

6. Cum tot secundis nostrorum præliis fractæ
F res hostium usque ad ipsorum fuerint confessionem, qui vesano dolore perciti quasi victi legatos nostros peremerunt, mirum mihi videtur, quod metus vos irrationabilis in tantum perculerit, ut fortuita elementorum notis jam virtutum successibus præferatis. Nulla congressio fuit, qua non statim Arabes cesserint, atque in fugam conversi cedendum existimaverint, et, ut se habent furta[8] belli, fraude atque insidiis remedia captaverint, non ut ipsi

[1] Editio Mignii iterum *Antigonum;* sed contextus evidenter requirit *Antigonam.*

[2] Edd. recentes, *in carcerem;* sed C, *in custodiam,* cui voci facile conspicitur amanuenses quosdam *carcerem* substituisse.

[3] Evidens mendum est in edd. *superesse.*

[4] Melius postrema hæc verba præcedentibus quam subsequentibus copulantur.

[5] Pro *obnoxius,* quod non infrequens Ambrosio exemplis ostendit Mazochius pag. 791, nota 610.

[6] Ita C; edd., *interficiebat.*

[7] Sensum obscuriorem explicat Joseph. l. l. [τὸ δὲ τούτων ἔγγιον φίλος εἶναι διεκρούσατο. Id est, causa persecutionis erat esse proximiorem istorum amicum.

[8] Ga *fata belli* legere maluisset. Sed *furta belli* dictio est ab Ambrosio et alibi adhibita, ut Mazochius demonstravit pagin. 821, eo sensu quo et ipsa usi sunt Sallustius atque Virgilius, ut significarent belli dolos fraudesque.

vincerent, sed ut nostram different victoriam. Pro quibus cum confidere oporteret, exagitatio successit quasi formidabilis belli, quia terra tremuit, cum soli innocui fuerint qui prælia gererent. Aut si considerare velimus quibus obfecerit, Arabas[1] potius existimabimus, quos in bellum reduxit, ne se fugiendo subtraherent fortioribus: video enim illos non armis et viribus fretos, sed pecoris nostri dispendio in aciem remeasse. Fragilis autem spes, quæ non ex propriæ virtutis fiducia, sed ex aliena pendet miseria, cum in terris nihil tam mutabile quam vel secundæ res vel adversæ. Exiguis enim momentis status rerum humanarum novantur: nec prosperitas diuturna, nec ærumna est pertinax. Itaque nec miserum esse, nec contra perpetuum est; sed alternæ frequenter et in iisdem variæ vices rerum. Denique ex nobis exemplum capessere licet: conflictu superiore potiores fuimus; sed in processu prælii sors mutata, ut vinceremur ab his quos viceramus: ergo et nobis sperare suppetit, quod vincantur a nobis qui nos vicerunt. Incauta enim semper nimia præsumptio et sui neglegens; timor autem prospicere futuris admonet, et diligentiam docet. In prosperis audacia obrepit, et inconsulta temeritas nescit consilium ducis expectare. Denique contra sententiam meam progredientibus vobis, Athenionis nequitia nocendi locum reperit: nunc mihi trepidatio vestra vadatur prærogativam victoriæ.[2] Erigite igitur animos, et veterem Judæorum magnanimitatem attollite; nec vos insensibilium commotiones perterreant, nec terrarum motus alterius ærumnæ indices arbitremini. Habent suam noxam passiones elementorum, nec aliud timeatis quam quod in ipsis offensionis est: non enim signa periculorum sunt in terræ motu atque animantium lue, sed ipsa pericula. Nihil est ergo quod timeamus quasi gravia passuri qui pertulimus gravissima: propitius jam potest esse qui vindicavit et mitior, quam si non vindicasset. Quid servatur post terræ motum ac pestilentiam nisi misericordia, quia solvimus duplicia peccata? Et tamen nos quod bello utile sit, integrum habemus; pestilentia enim extra bellum positos abstulit, nostra autem victoria id hostibus ademit, quod bello idoneum legerant. Deinde nobis pecus mortuum, illis consilium, qui legatos quos misimus contra jus fasque jugulandos putarunt. Prævaricati sunt legem omnium hominum, ipsorum etiam barbarorum, quoniam apud ipsos quoque, qui nesciunt humanitatem, inviolabiles legati habentur, dum vindicta cœlestis reformidatur, et tanti sceleris ultor Deus timetur: hoc ergo admiserunt adversarii nostri, quod nec humanæ nec divinæ leges inultum relinquunt. Egrediamur ergo non pro finibus aut spoliis, sed pro divina injuria præliaturi: incitet nos ad bellum non conjugii aut prolis caritas, sed præsumpta protectio Dei. Non arbitria nostra, sed divini juris præcepta exsequimur sacra, ut pro his vindictam reposcamus, quos inviolabiles esse oportere religio jubet. Inter arma hostilia legatio sola pacis sequestra est; exsit hostem qui legatione fungitur: quorum nunc sanguis clamat ad Deum et vindictam reposcit. Festinemus igitur ad prælium, dum ultorem habemus Deum cæsorum vindicem. Illi pro nobis melius præliantur, et circumfusi angelorum legionibus in acie prætendunt.

7. Talibus hortatus milites, in hostem ruit, omnem occasionem bellandi requirens. Erant Arabes præstantiores numero, sed animis inferiores, unde congressione habita ceciderunt fere eorum quinque millia; reliqui sese in munitionem recipientes aquæ inopia fatigabantur, ut legatione missa pacem pretio deposcerent. Sed cum se protrahi viderent, et sitis amplius aquis deficientibus accenderetur, egredientes plerique offerebant sese hostibus voluntarii, ferro quam siti præoptantes perire, quos vinctos servabat Herodes ne quid esset insidiarum. Itaque diebus quinque quatuor ferme millia[3] recepta sunt, aliis ad bellum prodeuntibus, iterum ad septem millia virorum cæsa. Qua plaga humiliati Arabes, a rege quantum virtute inferiores tantum consilio præstantiores, quem adversarium habebant, quasi defensorem et auxiliatorem sibi ipsum expetiverunt.

CAPUT XXXIII.

Sed major eum victorem sollicitudo perculit, ut qui sibi alios subjecerat, non jam de finibus, sed de toto regno periculum imminens perhorresceret, victo Antonio quem fida sibi amicitia copularat. Denique Augustus Cæsar actiaci triumphator certaminis, necdum superatum Antonium arbitrabatur, cum Herodes superesset victoriæ. Anxius itaque rex cum Rhodum accessisse Cæsarem vero indicio comperisset, navigavit ad eum ne fama terrenum iter ejus præverteret, adveniensque deposito diademate, sese obtulit privato habitu, sed mente regia: denique nihil veritati subtrahens, constantiam tenuit, auctoritatem reservavit adoptivam.[4] Ego, inquit, Auguste, fateor me fidelem fuisse Antonio socium, utpote qui ab eo regnum acceperim, cui me debitorem adhuc non abnuo; idque armis probassem, si Cleopatra non invidisset et Arabes non impedissent. Ea necessitate arma adversum te non tuli, non quasi amici desertor aut prælii pavidus, sed quasi domi rebus gerendis occupatus. Ingratum me tamen sibi non sensit Antonius, cui et adjumenta exercitus, et frumenti innumerabiles copias absens miserim. Sed et tu, Cæsar, me non ingratum beneficiis ejus judicavisses, si actiaco bello interfuissem. Vide quam nihil subtraham: plus metuo apud te ingratus in hostem tuum, quam in te hostis videri. Judicium mihi tuum gravius quam bellum est, apud quem non virtutum merita, sed crimina periclitantur; et ergo malo apud te de fide quam de perfidia causas dicere. Vide, Cæsar, quam integrum Antonium non deseruerim, victum non refugi. Vicisti, Cæsar, Antonium legionibus tuis maximis; vicisti consiliis tuis, vicisti imperii romani viribus quod dereliquit, et quod negavit, et vere victus est virtutibus tuis, sed magis moribus suis. Vicit eum Cleopatra uxor, vicit eum ægyptius amor, vicit eum conopæa luxuries. Victus est quia maluit cum Cleopatra vinci, quam sine ea vincere; vicit eum mulier infestior suis quam

[1] Ita Am ac C, non *Arabes*, ut communius.

[2] Ita Am et C.; edd., *victoriam*, ita ut *prærogativam* sit adjectivum, non substantivum. Sed veritas lectionis nostræ firmatur ex verbis Josephi ἀσφάλειαν νίκης.

[3] Id convenit cum Josepho, licet Pa cum aliis quibusdam edd. habeat *quatuor diebus quinque ferme*, etc.

[4] Am habet hic: *Oratio Herodis ad Cæsarem.*

adversariis. Suaseram mortem mulieris, si vellet sibi consulere; promiseram auxilia quibus repararem afflictum; promiseram vires quibus fugacem tuerer, me ipsum belli consortem obtuleram; sed
1 mentem ejus obstruxerant[1] Cleopatræ cupiditates. Victus est quia audire me noluit; victus sum et ego cum Antonio, minore tamen flagitio, quia illum Cleopatra, vicit me Antonius. Ille barbaram, ego amicum non dereliqui. Cum illo posui diadema; sed ad te venire timens amici fidelis gratia sequestravi regni insignia, sed non abjeci virtutis conscientiam. Ut voles judica; ego tamen quavis sorte judicii tui referam mecum, quod cujusmodi fuerim amicus æstimabitur.

CAPUT XXXIV.

2 1. Respondit ad ea Cæsar:[2] Salve, inquit, et nunc magis regno tuo utere, quia non invidemus virtutibus, sed delectamur: dignus enim es pluribus imperare, qui sic tueris amicitiam, ut in adversis positum non abneges, et amicum tibi confiteri non erubescas; sed adorere felicioribus adhærere, et servare fidem in prosperis, quam in adversis satis probasti. Vicerit te Antonius, sed non ego victum putabo, quem amicitia parem fecit victoribus. Propterea expeteris a nobis, quia nullus te belli eventus mutavit, quandoquidem non tu Antonium
3 deseruisti, sed te[3] Antonius, qui Cleopatræ magis quam tibi credidit. Insipientia illius te nobis adquisivit, quia perniciosissimam sibi elegit, fidelem repudiavit. Nec mirum si Cleopatræ Antonius victus adhærebat, a qua victor captus est. Quid miraris, si a te desciscere fecit Cleopatra Antonium, cum a me dissociaverit, atque ex consorte imperii hostem fecerit? Ergo et tu nobiscum repudiatus es, et ideo nobiscum regna; nec hoc quidem beneficio vacat quod, dum nos bellis occupamur civilibus, tu indomitam gentem Arabum subjectam fecisti, quia Judæorum hostes pro nostri ducimus: nobis enim arma inferunt qui vos lacessunt. Nobis ergo militasti, cum tibi vinceres, et ideo te remunerabimus, ut regnum tuum confirmetur nostro munere. Interim nihil imminuisse non parva gratia est; adoriemur in reliquum ut non requiras Antonium; neque enim dignum est, ut quem bello vicimus, non vincamus benevolentia.

2. Cum hæc dixisset, imposuit diadema capiti ejus, sedulitatem adjungens muneri. Qua dignatione
4 Cæsaris invitatus, Alexandrum[4] ex amicis Antonii, virum cui Cæsar maxime indignaretur, volens sub-
5 ducere offensioni,[5] multa deplorabat prece; sed indignatio nimia nullum veniæ locum reliquit. Pro-
6 ficiscentibus[6] inde in Ægyptum prosecutus Cæsaris iter, suppeditatis omnibus, quæ usui vel ipsi vel
7 exercitui forent, maxima[7] gratia imperatoris studia conciliavit, præcipue quia in locis aridioribus usque Pelusium regali provisione aquarum affluentia sub-

A ministrata. Quibus officiis tantum sui amorem infudit omnibus, ut plus videretur meruisse quam accepisse, minorque regni potestas quam humanitatis largitas æstimaretur. Unde Cæsar ex sententia rebus intra Ægyptum gestis, Antonio et Cleopatra defunctis, non solum quæ adempta erant Herodi reddidit, verum etiam præter illa, quæ Cleopatra averterat, Gadara,[8] Hippon, Samariam ei 8
concessit; maritimasque urbes, Gazam, Anthedona, Joppen, turrem Stratonis simul donavit; quadri-
B gentos quoque stipatores ex Gallia, quibus septa incedebat Cleopatra, ab custodiam corporis regi concessit multaque alia. Sed his omnibus rex pluris habebat, quia a Cæsare super omnes, infra Agrippam tamen, diligebatur, ab Agrippa infra Cæsarem.

CAPUT XXXV.

1. Quintodecimo itaque regni sui anno, ut beatitudini suæ responderet et gratiæ, tanto rerum
C secundarum successu levatus, ad pietatem intendit, et ut se gratum cœlestibus in se supra modum fluentibus beneficiis demonstraret, templum ornavit, omnemque illum circa templum loci ambitum circumvallavit muro geminatisque spatiis inclusit immenso ædificandi sumptu et exquisito decore. Indicio[9] erant magnæ circa sacrarium porticus, 9
quas extruxit a fundamentis. Nec minor tuendi quam ornandi intentio; siquidem castrum Aquiloni
D objacens communivit, quod appellavit Antoniam[10] 10
propter Antonii gratiam, nullo inferius superiorum palatiorum. Addidit etiam in ipsa arce regiæ domus gemina habitacula maximi ambitus et mirabilis pulchritudinis, quorum gratiæ nihil conferendum arbitrareris. Unum eorum Cæsarium, alterum Agrippium nuncupabat, ut in suis ædibus tantorum amicorum diuturna memoria celebraretur.

2. Urbem quoque Sebasten non solum exædificavit,[11] sed etiam replevit inhabitantibus; ac ne 11
E singula persequar, haud ullum facile præteriit locum vetustarum urbium, quem non renovaret labentem, aut additis, quæ deesse videbantur, ædificiis ornaret. Liberalitates quoque suas usque ad quinquennalia diffundens certamina, vile illud hominum genus effusis divitiis locupletavit.

3. Templum etiam Cæsari de marmore albo condidit ad fontes Jordanis, adeo immemor factus religionis, ut homini templum sacraret, usumque gentium in Judæam induceret. Loco nomen Panium
F est, ubi mons altitudinis excelsæ vertice summo in sublime porrigitur, cujus in latere umbrosum aperitur antrum, per quod graveolentis præcipitii profundum sævam exhalat mephitim. Intus aquarum congregatio et sine ullo motu multa vis inerat, ut nulla[12] æstimatio profundæ altitudinis compre- 12
henderetur; foris autem circa ipsius montis[13] ra- 13
dices fontes scaturiunt. Unde ortum illic Jordanis

[1] Ita concinnius Am et Pa, quam communior lectio *obstrinxerant.*

[2] Ante *respondit* legitur in cod. Am: *Oratio Cæsaris ad Herodem.*

[3] Am habet *ante Antonius*, sed cum *ante* in nullo alio cod. reperiatur, patet esse posteriorem glossam.

[4] Mss. atque edd., *Alexander;* sed manifeste e contextu atque ex Josepho *Alexandrum* legendum erat.

[5] Nempe ipse Herodes.

[6] Ita edd.; sed Am ac C, *proficiscentes.*

[7] Am atque edd. addunt hic *sui.*

[8] Ita cum Josepho; edd., *Gadaram;* rite pariter cum eodem *Hippon,* non *Joppen.*

[9] Nempe magnificentiæ, τῆς πολυτελείας, ut apud Josephum.

[10] Ita rite ex Josepho ὃ Ἀντωνίαν ἐκάλεσεν. Corruptam exhibent lectionem edd., *quod appellavit Antonii gratiam.*

[11] Ita C et codex cantabrid.; pro qua voce nonnullæ edd., *rex ædificavit.*

[12] Ita Am, C aliique nonnulli codd. vetustiores, ac Pa; sed deest *nulla* et adest *non* post *altitudinis* in aliis quibusdam mss. et in edd. recentioribus.

[13] Edd., *antri;* sed melius C, *montis.*

plerique æstimavere; nobis tamen quid veritas habeat, in posterioribus aperiendum videtur.

4. Erat in maritimis civitas, quæ Stratonis turris appellabatur, jam fessa bellis frequentibus et vetustate ipsa inclinata in ruinam, opportunitate tamen et gratia loci præeminens, quam renovavit lapide albo et aulicis ornavit ædificiis, atque in ea magnanimitatis suæ virtutem et elegantiam operis
1 expressit. Inter duas enim maritimas urbes Dorum[1] atque Joppen in medio sita, utraque ex parte perstringitur importuoso littore, ut omnes, quicumque ex Ægypto Phœnicen prætermeare desiderant, in salo fluctuent, quia frequenter illic mare ventis
2 excitatur et maxime Libis[2] spiramine, cujus etiam moderatiore flatu fluctus attollitur, idemque illisus
3 procurrentibus[3] saxis, et fracto repercussus impetu,
4 efferum mare cædendo[4] exasperat. Itaque rex nullum impensis statuens modum, magnanimitate vicit naturam, portumque majorem Pyræo constituit, atque in eo penetrata rupium vastitate stationes tutas composuit.

5. Mensus quoque spatium, quod magnitudini portus conveniret, saxa ingentia in mare jecit, quibus inesset plerisque altitudo pedum quinquaginta, aliis etiam excelsioribus, distinxit ipsum maximis turribus portum, quarum unam Drusion vocavit, ut Drusi nomen, qui de Cæsaris majoribus fuit, insignibus sui operis intexeret.

6. Gradus etiam breviores locis interposuit frequentioribus, per quos sine gravi labore navigia subducerentur; tribus etiam colossis ingentibus totam portus illius gratiam venustavit. Iterum templum Cæsari editiore fundavit loco, et templi medio colossum constituit Augusti nomine velut simulacrum ipsius, quod non minoris magnitudinis foret simulacro olympii Jovis aut Junonis argivæ. Nescias pulchritudinem in tantis difficultatibus, an validitatem operis ac munimentum in tanto decore præstare amplius putes, quandoquidem insolubile maneat opus et mari et vetustati. Accessit itaque in uno opere multiplex gratia; nam et urbs maxima accrevit provinciæ, et portus navigantibus, et honos Cæsari, cujus ex nomine Cæsarea in hoc tempus vocatur.

CAPUT XXXVI.

1. Hanc regis potentiam prosperis affluentem successibus unius mulieris expetita societas inclinavit mæstisque infregit doloribus, ex quo adversum jus fasque conjugium dignitate potius generis quam caritate, usu quodam regio, metiendum exi-
5 stimavit. Habebat autem in consortio Doridem[5] nomine, Hierosolymitanam feminam, privato sibi ante sociatam, quæ gratior eo esse debuerat, quod fuerat felix maritus, cum qua regale fuerat adeptus fastigium. Verum immemor gratiæ projicit
6 Doridem, sociat Mariammen,[6] Aristobuli neptem, Alexandri filiam. Itaque dum sequitur nobilitatem, perturbationem incidit. Quasi domus propria non conveniret cui diversarum provinciarum multiplex

A populus obtemperaret, ac ne oculi novæ nuptæ odio novercali, domi posito eo quem Doris generaverat, offenderentur, ejectus non solum paternis ædibus, sed tota quoque urbe Antipater: id enim juveni nomen, infaustis nuptiis locum fecit, quas pater unici filii exilio concelebrabat, vixque festorum dierum solemnitatibus accersebatur. Videns mulier morigerari sibi maritum etiam pietatis convicio, in superbiam versa: addita est etiam causa, qua jure animus ejus inflammaretur, quia Hyrca-
B num avum suum viri sui insidiis compererat extinctum, falso suspectum propter regni cupiditatem. Ipse est de quo supra memoravimus, quem Barzafarnes, qui Persis imperitabat, cum occupasset Syriam, captivum abduxerat atque in Parthia primo retentum, postea Judæis postulantibus, qui supra Euphraten inhabitabant, miseratus sortem inclinatam permiserat. Atque utinam ut concessus fuerat deprecantibus, ita etiam credidisset monentibus, ne more ingenii humani propinquorum eum
C potentia sollicitaret, ut ad Herodem transitum faceret; eam illi periculo futuram, quod nullos magis regni cupido servandi quam proximos exagitaret, atque a propinquis caveret. Verum ille tædio peregrinationis et suorum desiderio transivit Euphraten, in Judæam revertit. Quod altius in pectus Herodis, quam quisquam ratus erat, descendit, non quo ille regnum affectaverit, sed quia vir regii generis et diu exercitæ privilegio potestatis incertum an ab eo abstinere se posset æstimabatur. Laqueus igitur
D mortis Hyrcano conjugium neptis fuit, cujus gratia properavit ad Herodem nescius tutius apud hostem captivos degere quam apud regem propinquos. Nulla itaque vel levi regnandi suspicione hoc solo interemptus est, quod ei competere regnum videbatur.

2. Diligebat interea Mariammen impenso amore, nec offensam volebat. Cumulaverat mulieri gratiam numerosior partus; nam quinque ei generaverat filios, sed ex tribus maribus junior Romæ obierat dum litteris inbuitur liberalibus; reliqui duo ultra
E privatorum modum regio cultu celebrabantur. Suffragio erat juvenibus matris nobilitas et suus ortus in regno, quod imperante jam patre geniti forent, sed amor maxime Mariammes, quo rex magis magisque quotidie accendebatur, ut cum ipsi nulla vicissitudo amoris a conjuge rependeretur, caveret tamen ne in aliquo mulieris animum mœstificaret. Æqua lance odium mulieris et amor viri adversum se certabant: justius tamen Mariamme amantem se virum oderat, quam Herodes Mariammen non
F amantem amabat. Suppetebat mulieri odium de flagitio, fiducia de amore, quia alterum dolore neptis aversabatur, altero per obsequium amantis extollebatur; et ideo ne a convicio quidem objiciendorum criminum temperavit, quod avum sibi Hyrcanum et fratrem Jonatham per scelus eripuisset, cum alius prosocer, alius affinis, ille propter senectutis infirmum[7] reservari debuerit; hic saltem 7
propter ætatem adolescentulam: facinus indignum: cui septem et decem annorum adolescenti summum
G commiserat sacerdotium, huic continuo honorem

[1] Ita Am et C, et recte cum Josepho.

[2] Edd., *lybico*, sed Am, *libi*; C, *lybiis*, Pa, *libyis*, Josephus ἐκ λιβὸς, unde Weber posuit *Libis*.

[3] Ita Am et C; alii mss. cum edd., *præcurrentibus*.

[4] Edd., *cadendo*, sed inepto sensu; C, *cædendo*, quod Weber in *cedendo* immutavit pro *recedendo*. Sed multo aptiorem sensum præbet lectio *cædendo*.

[5] Generice mss. atque edd. habent *Dosidem*, sed Josephus *Doridem*, unde et nos retinuimus semper *Doridem*, vel *Doris*, etc.

[6] Hoc quoque nomen damus ut apud Josephum.

[7] Edd. recentes, *infirmitatem*, sed melius e nonnullis mss., *infirmum*, quod consonum est Ambrosiano stylo, ut demonstrat Mazochius, pag. 826.

contulit et mortem intulit nulla alia causa, ut accepimus, nisi quod sacerdotali amictu indutus, ubi primum accessit ad altaria sacrato et celebri die, subito populus illacrimavit; quod suspectum adeo Herodi fuit, ut præ gaudio populum crederet illacrimasse, atque eo erga ephebum prodidisse affectum suum, lacrimas illas voti indices, studium populi sibi periculosum, qui intimis visceribus significaverit quod studium erga cultum adolescentis haberet, et nobilem illum regium nepotem, impotentis mulieris filium, fratrem reginæ protervioris, quæ regem virum dedignaretur, prorupturum ad imperandum, nisi maturius sublatus e medio foret; cui forma, cui decoris gratia suppeteret, ut jure præferendus omnibus æstimaretur. Proposuit itaque adolescentem occidere. Exagitabat eum mater adolescentis, quæ et ad investigandum acrior et ad ulciscendum vehementior, nihil occultum nihilque inultum patiebatur, eoque revocare sese ac reprimere deliberabat. Rursus exagitabat eum cumulatior in dies erga adolescentem amor universorum et regni periculum; unde prærupto furore excitus statuit quovis modo sibi consulere.

CAPUT XXXVII.

1. Mittitur adolescens nocturnis temporibus ad urbem Hiericho, atque ibi solitus delectari studio natandi, a plurimis quasi in ludum coeuntibus, dum sine modo mergitur, in piscina necatur.

2. Id tacitum soror non tulit, sed affectum germanitatis per convicium prodidit atque objectavit marito jussu ejus fratrem sibi ereptum; destitutam se omnibus, funestam sibi domum conjugis, qui primo sibi avum ademerit, postea germanum interemerit; miseram se exitio suis fuisse; imprecari dira viro, socrui et regis sorori; commune omnium flagitium ultorem Deum poscere, ne tantum facinus impunitum relinqueretur. Ferebat ista Herodes quasi amore captus et nutibus deditus, sed furebant mulieres,[1] et ferre non poterant maledicta exsecrantis et indignantis arrogantiam, maxime quia victus miraculo ejus Herodes insurgere adversus dilectam nequibat; et ideo quo magis excitari quasi amans posset, scena adulterii contexitur, atque in mulierem istiusmodi crimen componitur, quod imaginem suam Antonio in Agyptum destinavisset. Quantæ istud intemperantiæ fuisse, ut absenti et prompto in libidines viro, tum præterea potenti, qui potestate pro jure uteretur, formam suam venalem offerret, et pulchritudine licitaretur;[2] novæ auctionis commercio se mulierem prostituisse vi ne amoris an odio mariti, cujus periculum pro mercede adulterii postulavisset. Hoc itaque commento mulierum apud Herodem Mariamme, quo magis amabatur, ea gravius appetebatur, nec tamen insimulatio ipsa quamvis indignantium feminarum aliena veri penitus fuit. Matrem enim Alexandram furentem, quod alius filio suo Aristobulo in sacerdotio præferebatur, — hoc enim nomine Jonatham filium suum, quo avum sibi regem fuisse in memoriam reduceret, appellari malebat, — ab Antonio per musurgam[3] quemdam litterarum sequestrem petisse filio suo sacerdotium fides vero propior erat. Deinde adveniente in Judæam Dellio[4] Antonii amico cognitum adolescentem miraculo fuisse propter excellentissimi gratiam decoris, non minus etiam Mariammen, cujus quo dignitas clarior, eo fama illustrior, et forte compertam more quodam humani ingenii, quo viri quoque eo se interioribus amicis cariores cupiant declarare, si præsentibus quoque necessitudinibus suis mensæ[5] hospitalitatis societatem indulgeant.

3. Ibi quoque Alexandræ datam cum Sossio[6] colloquendi copiam, licet liberiori viduæ alia quoque cognoscendi hospitis deesse copia non potuerit, cum præsertim hujusmodi et causas et personas requireret; deinde collato utrimque consilio id sedisse sententiæ, ut utriusque imagines Antonio dirigerentur. Perstrinctum illum splendore imaginum et Sossii præcipue testimonio, qui nihil tale se umquam vidisse in terris asseveraret, et gratiam illis non hominum sed divinam inesse, lenocinante ut excitaret viri minime sobrii cupiditates, scripsisse Herodi ut Aristobulum ad se sine mora mitteret, de Mariamme quod ei conjuncta foret prætermisisse, non quo operire libidines suas vel in his quæ nuptæ essent apud maritos soleret, cui sine periculo usus foret flagitium sine pudore, sed quo Cleopatræ caveret indignationem, quæ utriusque quidem sexus rivali offenderetur, sed amplius si sociatam viro mulierem deprehendisset, quia se decore super omnes excellere mulieres arbitrabatur. Perlectis itaque litteris Herodem excusavisse, quod sine seditione populi et perturbatione totius gentis avellere a suis nobilem non posset adolescentem, atque ut satisfaceret Alexandræ spopondisse Aristobulo sacerdotium, sed cum moras fieri promissis vidisset, et arte se ludi putaret, Alexandram paravisse navigium atque in ipso fugæ apparatu cognito per Sabbionem consilio revocatam esse cum filio. His motum Herodem dissimulasse ad tempus injuriam et accelerasse Aristobulo sacerdotii collationem, ut honoris specie paratæ necis invidiam velaret.

4. Qua peracta, ut diximus, quasi fulmine ictus exagitatus est, simul et affectati adulterii afficto a suis crimine, quod sciret Antonium promptum ad libidines et invelatas, ex eo quod plurimum poterat, inflammantem in omne genus amatorium cupiditates. Cleopatræ quoque inexpiabilem rivalitatis præcipue dolorem atque immanitatem, quæ plurimos virorum quos segniores circa uxorum reprimendam intemperantiam compererat, interemisset, imminens sibi periculum non solum amittendæ conjugis, sed etiam subeundæ mortis perhorrescebat. Proposuit itaque ipse contendere in Ægyptum ut Antonium vel Cleopatram, quam maxime metuebat, deflecteret. Vocatum alii ferunt M. An-

[1] Idest, ut explicat Josephus, mater et soror *Herodis*.

[2] Recentiores edd. et quidam mss., *ut pulchritudine illiceretur;* sed vetustiores codd. ut A, C, codex Gronovii et editio princeps, et..... *licitaretur*, ubi Gronovius intelligere maluit caput Herodis in licitationem mitti pretio pulchritudinis Mariammes; qui sensus revera sequentibus consonat

[3] Vox ista non est nominis proprii, sed tibicinem vel musicum significat, ut e Josepho deducitur.

[4] Ita ex Josepho pro communi Gallio, ubi et Gronovius emendavit in *Monobiblo*.

[5] Quidam mss. et edd. recentiores loco *mensæ* habent *in se;* verum Am, C et codex Gronovii nostram lectionem habent, quam et ipse Gronovius defendit.

[6] Ita Am et C pro communi *Sosio*. Josephus hæc et sequentia Dellio, non Sossio, adscribit.

tonii litteris eo tetendisse ut necati adolescentis causas præstaret.

5. Profecturus tamen affini suo Josepho, cui Salome germana regis in conjugium convenerat, secreto aperit suspectam sibi necem propter conjugalis formæ appetentiam, quam missa sui decoris specie prodidisse mulier argueretur. Id se quasi affini negotii committere, ut si ipse ab Antonio extinctus foret Mariammen necaret, ne merces flagitii superesset. Josephus haudquaquam, ut arbitror, studio proditionis, sed quo mulieris erga virum sopiret querelas, quibus afflictam se diceret ardere odiis viri, mandatum exprimit, atque affectum amantis interpretatur, quod ne mortuus quidem pateretur Herodes sejungi se ab uxoris societate. Sed mulier longe aliter quam Josephus æstimaverat, ad argumentum traxit implicatæ adhuc in se crudelitatis, cujus exercendæ post mortem quoque suam exsecutionem affini proprio mandavisset. Infestum illum sibi injuria, qui suspiciones suas non argumento aliquo veritatis examinaret, sed præruptæ mortis exitio urgeret; nullum odiis finem fore quæ ultra ipsum vitæ ac salutis defectum extenderentur. Sed Josephus domestici mali immemor, dum alienam conjugem viro reconciliare expetit, suæ conjugis adversum se inflammavit suspiciones, quæ colloquia viri proprii cum Mariamme et moras in aula regia haud perfunctorie ferendas arbitrabatur. Denique ubi frater revertit, insimulationes non distulit, injuriam suam addens regalibus contumeliis, quod sibi quoque Mariamme ademisset maritum. Sed Herodes perstrictus, licet tamen haudquaquam gravius, primo commotus est, nec infestum se uxori præbuit, quin etiam vi amoris infractus quodam die jurare mulieri cœpit, quod tanto eam diligeret affectu, ut numquam alterius mulieris flagraverit cupiditate; ita omnes ex animo abiecerit, ut uxori fidem servaret. At illa satis, inquit, amorem erga me tuum mandatis quæ Josepho dederas declarasti, præcipiens ut me occideret: quomodo potest amare qui occidere potest?

6. Amens illico rex ubi audivit secretum suum proditum, cogitare cœpit numquam proditurum fuisse Josephum, nisi captus amore mulieris mercedem proditionis stupro quæsisset; manifestatum quod diu latebat in aperto crimen, indubiam cor-
1 ruptionem,[1] non frustra exagitatam sororem quæ domesticam injuriam præ ceteris deprehendisset. Itaque indignatione nimia furens animique impos exilivit de lectulo, fugiens corruptelæ turpis contagia; nec furentem capiebat aula. Audivit soror vociferantem, continuoque rapiens tempus ad argumentum insimulandi et occasionem nocendi, confirmavit indignantis suspiciones. Impulsus itaque dolore injuriæ, insimulatione germanæ jubet occidi utrumque.

7. Nec multo post secuta est factorum pœnitentia, et ubi ira cecidit, amor successit, et passio resuscitata est, tantusque incanduit fervor cupiditatis, ut defunctam non crederet, atque in excessu mentis positus quasi viventem alloqueretur; et sicut ad eam quæ viveret, pueros dirigebat rogans ut depositis simultatibus ad sese veniret, et red-

A deret se conjugali gratiæ. Vix denique multo edoctus intervallo temporis obiisse credidit, quam pro amore tamquam immortalis feminam decoris mori non potuisse arbitrabatur: tantus erat affectus erga defunctam. Denique efferasse[2] postea atque 2
in multorum necem præsentium odio fertur exasperatus; nec solum morbo animi laborasse, sed etiam gravi corporis ægritudine, quam ex pestilentia quoque aeris contractam ajebant: nam tractus cœli corruptior plurimis pestem creavit. Unde
B consultis medicinæ peritis, silvarum secretis sese abdidit,[3] et refuso paulatim vigore, venatibus sa- 3
lubritatem corporis ac mentis sobrietatem[4] recepit. 4

CAPUT XXXVIII.

1. Hoc quoque addebat miraculis suis, quibus defunctæ suspiciebat gratiam, luisse se injusti pœnas flagitii et elementorum ægritudine expiatum interitum tanti decoris, excidio mundi et populo-
C rum lue unius mortem, sorte tamen impari vindicatam, cum fructus terra abnegaret,[5] fames augeret 5
pestilentiam.

2. Hunc Mariamme exitum tulit sobrie viro pudica sed insolens formæ conscientia. Cui magnanimitas superfluebat, sedulitas deerat, ut blanditias dedignaretur mariti, secura quod nihil ab eo qui supra modum diligeret, exitii perpeti posset.

3. Nec solum ad præsens ultionem reperit, sed etiam in reliquum hereditaria odia trasmisit. Cui
D successere filii materni doloris exsecutores pio erga matrem quidem affectu, sed erga patrem impio, quum utrique parentum pari munere jus naturæ solvendum foret. Nec inexercitatos dolor reperit: nam diu Romæ eruditi latinis juxta et græcis litteris, astutiam non mediocrem assumpserant, et absentes, comperta nece matris, plerisque in odium patris impulsoribus asperabantur. Regressis quoque ne conspectus quidem paterni reverentiam sedulitatemque infuderant; crescebat cum ætate malitia.
E Accessit etiam ex conjugii societate præsumtio, quod alteri Salomes filia neptis Herodis, alteri Archelao genita, qui Cappadociæ regnum tenebat, in jus copulæ nuptialis convenerant, et nobilitas conjunctionis odiorum dederat auctoritatem. Offendebatur igitur Herodes vel tacito filiorum ingenio excitatiore quam paterna pietas pati posset, quæ etiam vultu frequenter læditur: addebantur et stimuli ab his qui ab insidiis filiorum cavendum quasi solliciti crebro denuntiabant, asserentes quod
F ultrices materni exitii armarent manus.

4. Quibus perterritus Herodes, Antipatrum Doridis filium præferre fratribus, atque ad sui gratiam uberiore affectu cœpit lacessere, ardere majoribus odiis aula regia et certamine fratrum concuti, dum illi indignantur quod privatæ mulieris filius sibi in regno ortis præferebatur. Ille versutus adulandi, quo se inferiorem materno latere cernebat, eo studiosius commendare sese patri, appetere germanos compositis insimulationibus non
G quiescebat, donec ipse per se ac per alios, quos sibi adjunxerat, excluderet eos ab affectu paterno. Denique regnandi his spem omnem ademit, ita ut

[1] Ita C; edd., *indubia corruptione,* minus apte. Item statim postea idem C, *exagitatam* pro *excitatam* in edd., iterum melius quoad contextum.

[2] Ita rectius Am, C et codex Gronovii pro communi *efferus.*

[3] Ita e utatis mss. melius quam recentiores edd., *abdit.*

[4] Nonnulli mss., *sobrietatem* aptius quam *salubritatem,* quæ in edd., excepta Pa, ubi *sospitatem.*

[5] Am et C, *abneget.*

publice condito testamento solus imperii successor designaretur, missusque Romam ad Cæsarem, præter insigne diadematis, omni ornatu cultuque regio fulciebatur. Inde in Judæam regressus, aucta erga se Cæsaris plurimorumque illustrium virorum gratia, exigui prope temporis intervallo tantum prævaluit, ut etiam matrem conjugio patris redderet, geminisque armis adulandi arte et insimulandi versutia ita germanos urgere apud patrem cœpit, ut pater
1 filiis[1] necem pararet.

5. Denique furens animi Romam petit attracto secum Alexandro, quem reum magici adversum se criminis ante Cæsarem statuit. Ille data sibi copia deplorandæ calamitatis ærumnarumque omnium, cum videret sibi suppetere tanti judicis auctoritatem, qui nec ab Herode transduci per gratiam posset, nec ab Antipatro circumveniri, nihil prætereundum ratus, flagitia patris quadam perstrinxit modestia, ut nec urgere tamquam accusator videretur, nec occulta esse sineret, cum plurimum causam juvaret si se ob necis maternæ dolorem paternis peti odiis demonstravisset. In talibus enim judiciis nihil magis liberos gravat, quam naturæ pietas et pietatis auctoritas; quæ si aliquo traducuntur flagitio, præjudicium minuitur, prærogativa excluditur. Ubi vero ad objecta patris ventum, validis refellens assertionibus alienum sceleris primo fratrem demonstravit, qui suorum esset consors periculorum, quem innoxium in crimen vocari ingemiscebat. Adstipulabatur puræ conscientiæ agendi jus et dicendi peritia, nihil sibi ac fratri relictum honoris, sublata omnia per scelus germani patrisque facilitatem. Amarissime deplorabat necem sibi irrogari, quam pater eo usque expetat, ut crimen adjiciat, flagitium adjungat: quibus dictis coegit in lacrimas universos, atque eo sortem deduxit judicii, ut Cæsari accusatio non probaretur, pater reconciliationem amplecteretur. Id gratum admodum et præcellentissimum romano principi, non solum regi inclyto regnum donasse, sed etiam liberos reddidisse. Itaque justo definitum examine, ut et paterni juris inviolata reverentia maneret, et tuta filiorum innocentia, patri ut decebat obtemperarent liberi, ipse inoffensum naturæ affectum exhiberet filiis; cui vellet tamen regnum relinqueret.

6. Redit ex urbe Roma cum patre Alexander judicio magis quam suspicione absolutus: vacare enim mentem Herodis ab odio filiorum Antipater non patiebatur. Ipse etenim erat odiorum materia; premebat tamen studium suum contuitu reconci-
2 liatoris[2] ne appetitæ germanitatis scenam proderet, insidias manifestaret. Ubi ventum est in Ciliciam,
3 et navigantes in Eleusiam[3] applicaverunt, suscepit eos Archelaus opimo convivio, gratias agens Antipatro generi sui causa, quod exemptum periculo reconciliatione etiam dignum æstimavisset. Ipse etiam litteris, per suos directis, amicos rogaverat, ut generi defensioni adjumento forent, et discedenti obtulit triginta talenta hospitalitatis munere, atque Zephyrium adusque regem deduxit.

7. Regressus rex domum continuo populum advocat, apud quem hoc disseruit modo.

A

CAPUT XXXIX.

Causa[4] mihi, Hebræi cives, et utilis et fructuosa 4
fuit Romam petendi profecto ut de filiis meis Cæsar judicaret, ne solus ego, qui irascebar, cognoscerem. Perrexi ad Cæsarem ut qui mihi regnum reddiderat, de successore meo pronuntiaret. Adjecit beneficiis suis ut quod difficile erat, prope amissos filios, patri repræsentaret; fratribus, quod supra regnum est, concordiam redderet. Redeo igitur
B ditior quam profectus sum; didici esse melior pater, quia didicerunt filii mei esse meliores liberi Cæsaris beneficio. Statuit enim ut ex meo arbitrio penderet filiorum successio, ne prærogativa successionis superbiam gigneret; ipse mihi successorem darem quem elegissem, eum scilicet qui meruisset; eum qui patrem amplius honoravisset. Imitabor Cæsarem; ille enim absolvendo juniores filios meos seniori filio pares fecit. Itaque simul tres liberos hodie reges constituo; illi ætas, his nobilitas ad-
C stipulatur. Nec numerus moveat; magnitudo regni et pluribus abundat. Arbiter primo sententiæ meæ Deus; deinde etiam vos accedite. Quos Cæsar conjunxit, constituit pater, vos honore congruo prosequimini, ut neque immoderatus, neque infirmus honor sit: aliud[5] inflat; aliud exasperat. Quod 5
cuique portionis suæ meritis suppetit, inpertiatur. Non enim tantum quis delectat eum quem supra mensuram honorat, quantum lædit eum cui debitum negat; et plerumque uterque eorum offen-
D ditur ubi prælationis adulatio est. Sum certe omnibus pater: honor filiorum haud dubie patris gratia[6] est; si tamen supra modum quis liberos 6
meos excolat, reus est etiam mihi pro liberis meis, quibus auctor prolapsionis est. Nimius enim cultus audaciæ sumptus est. Numquid invideo liberis meis? Absit; sed malo eos minus cum gratia posse quam plurimum cum seditione: quod enim superbiæ vel rapinæ est, cito labitur, quod gratiæ, diu tenetur. Unde curæ erit mihi, ut sponsores concordiæ ad-
E jungam liberis meis parentes amicosque, quorum hortatu mutuæ dilectionis affectum induant. Nam cum omnis sermo malus facile mentem audientis inficiat; tum maxime assidua colloquia et diuturnus usus pestem animis infundere solent, quæ contagio quodam in mores cohabitantium cito transeat. Etsi tranquillitas morum sit, tamen ut stagnum mite licet, ventis exagitantibus assurgere in æstus valet; ita bona natura improbis monitoribus fluctuat. Arbitror itaque quod in me unusquisque spem sibi
F potissimam debet recondere: non enim quod accedit liberis meis mihi deperit. Plus unusquisque tribunorum vel militum revereri debet patrem imperatorum: ego sum, ego sum qui mercedem universis rependam pro his etiam quæ filiis meis detuleritis. Si recta advertero studia, factis remunerabor; malevolentia pretium referet suum, ut apud eum quoque quem putaverit adulandum, fructu excidat. Vos autem, boni filii, considerate primum naturæ religionem, cujus gratia et bestias ligat, quæ
G etiam feras cogit in amorem necessitudinis. Manet inter indomitas pecudes mutuus amor, et periculis

[1] Minus recte in ed. Mignii, *ut patri filius.*

[2] Ita Am et C; edd., *reconciliationis.* Sed lectio nostra firmatur etiam ex Josepho, ubi τὸν διαλλακτήν.

[3] Ita edd., præter Pa ubi *Eulesiam.* Josephus habet Ἐλεοῦσαν; *Antiq.* vero *Judaic.* XVI Ἐλαιοῦσα.

[4] Edd. ante *causa* addunt *modo* ex superioribus ortum.

[5] Solus Am hic addit *enim.*

[6] Ita Am, C, ac Pa; recentiores edd., *gloria.* Prior lectio præferenda, atque e contextu significat, honorem ab Herode filiis delatum *ex ejus gratia* esse.

propriis redimunt suos liberos belluæ. Reveremini etiam Cæsarem, qui vos ex inimicis amicos fecerit; tertio me ipsum, qui rogare malo cum possim ju-
1 bere. Manete fratres, nolite exuere[1] quod generati estis. Do vobis vestem et cultum imperialem, sed pretiosius est quod persuadeo, vestri amoris intemeratum signaculum. Si pietas maneat, regnum delectat; si desit gratia, vile imperium est et plerumque noxium. Ergo dum vos experiar, habebitis interim non regnum sed regni honorem. Si patrem
2 dilexeritis, jus sequetur[2] mei tamen amorem in vobis probate. Omnibus quibus delectare regnum solet, ut principes potiemini: onera imperii et moles negotiorum me solum, etsi nolim, manebunt; et ideo vobis prodest mea velle, quia ego quæ vestra sunt, et volo et mea arbitror. His dictis osculatus est filios, ut eos uno osculo caritatis invicem sibi necteret. Quo facto, conventum dimisit.

CAPUT XL.

1. Discessere plerique læti, quibus placebat concordia germanitatis, sed cum fratribus revertit dissensio eoque gravior, quo dignitas potior cui amplius invideretur, et nocendi suppeteret major potestas. Dolebant filii Mariammes æquatum sibi privatæ filium mulieris, qui regni nesciret prosapiam; contra Antipater distinctam sibi ac fratribus regni spem dedignabatur, et invidebat germanis, quibus posteriora pro primis vix reservarentur. Sed hic sese tegebat et velabat odium, prætendens gratiam; illis consilium omne in sermone obvium, etiam non quærentibus, promptiore lingua et secre-
3 torum prodiga.[3] Quidquid locuti forent apud Alexandrum, continuo apud Antipatrum erat; multa etiam quæ non dixerant, simulabantur: pleraque internuntius cum incremento adjiciebat. Architectus omnium, quibus appeterentur fratres, Antipater erat, cujus vita nihil aliud erat nisi quoddam versutiarum conciliabulum, scena improbitatis, argumentum scelerum, flagitiorum mysterium. Subji-
4 ciebat indices,[4] subornabat testes, simulabat defensionem quasi in theatro personam fratris circumferens, ut leviora excuteret objecta, gravioribus cederet, quo magis patrem falleret et vehementius in fratres moveret, maximeque acerbabat arte invidiam paternæ necis paratæ ut regnum eriperetur, quæ regibus metu periculi suspectior; sed ne sine repulsore minus verisimilia regi viderentur, ipse primo tentabat refellere, dein constringi se manifestis rerum indiciis volebat videri, ut perorata utrimque causa, quasi nihil judicio defuisset amplius, pater tamquam in convictos filios excitaretur. Nulla enim res majorem fidem assertis dabat, quam quod Antipater fratrum defensor æstimabatur. Hac fraude plurimorum captabat gratiam, ipsius quoque patris in se mentem inclinabat.

2. Quidquid quotidie minuebatur fratribus de affectu paterno, in ipsum transfundebatur. Abducebat amicos regios, parentesque, et præcipue fratrem regis germanum Pheroram, et Salomen ejus
A sororem alienos a nepotibus fecerat, ut non modo eos non defenderent, sed etiam appeterent atque odissent. Accedebat odiorum materia uxor Alexandri Glaphyra, quæ muliebriter satis insolens præsentium, extollere sese occœperat fastu superbo, eo quod omnibus præemineret prosapiæ claritudine. Itaque quasi dominam se omnibus, qui in aula erant regia, præferebat, patrem avumque reges sibi et præcipue Darium Hystaspen materni generis apicem solita jactare, contumeliisque igno-
B bilitatis afficere Salomen regis sororem vel Doridem conjugem, quod illis dolori, sibi odio foret. Ceteras quoque feminas similiter exasperare, quæ regi propter decorem magis quam propter nobilitatem generis copulabantur. Plurimis enim Herodes, præter regium morem, etiam Judæorum usu quasi quadam erroris licentia delectabatur, qui figuras majorum vitiis suis obtentui ducunt. Gravabatur ergo Alexander uxoris insolentia.

3. Aristobulus quoque iisdem quibus Glaphyra
C sermonibus uxorem incessebat, dejecti illam status nec conferendam regiæ proli, imparem Glaphyræ, sibique esse opprobrio quod frater regalis generis conjugio potiretur, ipse privatæ uxoris contubernio degenerasset, demens, qui conturbaret convicio proprias necessitudines. Quibus perstricta contumeliis uxor Aristobuli, ad matrem cum lacrimis omnia perferebat; Salome autem comperta per filiam Herodi annuntiabat.

4. At ille monere filios quam perdere commodius
D ratus, vocatos partim imperatorie terruit, partim affectu paterno hortatus est ut fratrem amarent, neve ut hostes dissiderent, veniam tribuens superioribus, denuntians correctionem futuris. At illi, compositis sese insimulationibus peti pluribus deplorantes, orare simul et polliceri operibus ipsis in reliquum propriæ fidem defensioni daturos; tantummodo pater factum exspectaret, nec temere auditis crederet: non enim defuturos delatores improbos, quamdiu auditor credulus suppeditaret.

E 5. His et talibus emollito patre, quamvis in tempore imminentem depulerint metum, mœstitiam tamen coacervarunt, quod urgeri sese a Pherora et Salome videbant, quorum alter patruus, altera soror patris, quibus defensioni esse debuerant, insidiabantur. Accedebat enim formido gravis, quod plurimum poterant apud patrem: nam, excepto diademate, prope universam regni potentiam cum fratre suo Herodes participaverat, nec mediocres utrique contulerat opes et maxime Pheroræ. De-
F nique is centum annua talenta recondebat præter eam regionem, quæ ultra Euphratem[5] sita reddi- 5
tuum copias multiplicabat. Tetrarches quoque petitu Herodis a Cæsare fuerat constitutus, donatus etiam regalis conjugis necessitudine, quia sororem regiæ conjugis in connubii sui sortem adsciverat. Post cujus obitum, desponsata sibi seniore regis filia, in gratiam successerat gener, nisi amore captus ancillulæ regalis puellæ copulam declinavisset. Qua exasperatus Herodes contumelia ei
G filiam[6] tradidit, qui postea Parthico bello occidit. 6

[1] Ita Am, C, forte etiam codex Gronovii, ac Pa. Reliquæ edd. perperam *exurere*. Exuere nempe, idest abjicere sensus germanitati respondentes.

[2] C, *requiretur;* sed melior apparet lectio communis.

[3] Retinuimus *promptiore* cum C, pro communioni *promptior*, et cum Weber huc transtulimus punctum quod edd. habent ante *promptior*.

[4] Perperam edd., *judices*, quorum officio nullus hic locus; sed bene C atque Am, *indices*, qui nempe referrent audita.

[5] Josephus Jordanem e converso commemorat; ideoque in errorem inductus Ambrosius videtur.

[6] Ita Am, C ac Pa. Recentiores edd., *filium*, sed contra contextum, ac etiam contra Josephum. Eam Herodes tradidit alteri nepoti ex fratre Phasæli.

6. Insimulatum tamen apud se Pheroram quod venenis appetisset fratris salutem, qua suspicione ne vivente quidem caruerat uxore, plurimorum primo et ad postremum amicorum ejus quæstione exercita, vacuum ejus, cujus arguebatur, facinoris inventum volens absolvit, dans etiam fugæ veniam, quod rapta, quam diligebat, ancilla dispositionis initæ, ut ad Parthos confugeret, familiarium suorum confessionibus detegebatur. Respiraverat aliquantum Alexander, dum Pheroras incessitur, et ipse incessit Salomen quod spopondisset nuptias suas Obodæ Syllæo, qui erat regis Arabiæ procurator, Herodi inimicissimus.

7. Sed remisso utrique crimine, tempestas domus in Alexandrum incubuis, atque ipsum gravi periculo involvit. Furebat enim sæva pestis et procella totius aulæ Antipater, omnibus modis et concentu etiam propinquorum ingravans fratrem, ita ut turbato mentis sobriæ statu instare sibi Alexandrum cum gladio pater magnis vocibus protestaretur. Venerat in medium scena hujusmodi, quod eunuchos tres, quorum unus pocula regi ministrare solitus foret, aliud fercula cænæ inferre, tertius torum observare regium nec usquam discedere cum se Herodes lectulo composuisset, donis uberioribus illexisset Alexander ad sui gratiam et turpis flagitii societatem: quo prodito, suppliciis adacti spadones, obscenæ ludibria libidinis manifestarunt. Promissa etiam amatoria tegere nequeuntes, quibus sermonibus sollicitatis forent et qua stupri mercede retexuerunt, ut involutum dedecore parricidium crederetur, inesse sibi juventæ gratiam, formæ decorem, robur ætatis; contra invalidum Herodem et jam senecta gravem, qui capillum inficeret, ne ætatem proderet, a quo cum vellet regnandi jus transferret in se, præmiaque polliceri ingentia et ideo eos in juvene spem suam constituere oportere, non in decrepito sene, cui ipsa natura finem acceleraret.

8. Quæ graviter quidem Herodem movebant, sed illud præ ceteris quod conspirare et militarem manum ducesque exercitus et centuriones spadonum indicio conpertum haberet. Denique ita exagitatus est, ut nullum sævitiæ genus prætermittendum putaret, nulli crederet, omnes suspectos haberet. Velociores erant pœnæ quam interrogationes flagitiorum, et judicium præveniebat reorum exitus. Rapiebantur passim ad supplicium quos aliqua incesserat suspicio. Fervebant calumniæ; multi volentes regi placere deferebant reos, sed illico etiam ipsi, qui alios detulerant, deferebantur et cum reis suis deducebantur ad locum pœnæ. Ita efferverat Herodes in universos, ut[1] si aliquis superesset, suspectus foret, aliter rex non putans se esse tutum nisi genus deficeret humanum, insimulatis irreconciliabilis, amicis incredulus, familiaribus superbus, immitis reis, pavidus ad omnia ut crebro sedes mutaret, noctes sine somno duceret. Quibus omnibus exasperatus repente Alexandrum alligatum vinculis sepsit custodiis, et amicos ejus in quæstiones vocavit; qui negabant, inter supplicia moriebantur; rursus tacentes, quia nihil quod esset suspicionibus consentaneum confitebantur, usque ad mortem supremam exulcerati. Tamen aliqui vi tormentorum et pœnarum victi acerbitate, propositum adolescentibus asserebant ut venationi intentum occiderent patrem, et ad urbem Romam sine mora pergerent, ut effugio[2] pœna eluderetur. Quod etsi nullo argumento fulciebatur, tamen ad solatium studii ferocis derivabat pater, volens vinculorum filii causas justas habere.

9. Considerans itaque Alexander obseratas aures patris ad omnem sui defensionem, nec ullo modo rem posse deduci, ut de innocentia sua præsumeret qui tantis calumniarum molibus appeteretur, simili arte nequissimis delatoribus occurrendum putavit, ut fraudolentos et calumniæ machinatores dolis circumveniret, atque in calumniam reos vocaret, quorum se calumniis urgeri credidit. Scripsit igitur quatuor libellos, quibus commentum sceleris quo paternam salutem appetierit, confiteretur, atque insidiarum hujusmodi conscios plerosque eorum, a quibus ipse appeteretur, exposuit; atque iisdem inscripsit libellis[3] præcipue Pheroram et Salomen, quod ea quoque intempesta nocte, irrupto adulescentis, in quo habitaret, cubiculo, illexerit invitum, et reluctanti extorserit, ut incestum patraret. Transmisit ad regem libellos velut indices flagitiorum suorum, quibus potentissimos quosque involverat regis comites atque amicos. In tempore illo Archelaus in Judæam properato advenit, ut si quid posset, genero ac filiæ opis auxiliique ferret. Sed prævidens apud infestissimum patrem obstructos sibi aditus, legitimæ defensionis arte commotionem ejus repressit. Nam simul ut aulam ingressus regiam est, magna voce, cum jam audiretur et videretur ab Herode, velut furens animi vociferari cœpit: Vivitne adhuc ille veneficus gener meus, et carpit hanc lucem? Ubi quæso est; ubi parricidale illud reperiam caput, ut manibus discerpam meis? Parricidio perire debet, qui parricidium voluit implere. Quid facturus est socero qui non pepercit patri? quis demonstrabit eum? Eviscerabo primo scelestum; adjiciam filiam bono sponso: etsi sceleris non fuit conscia, non est tamen aliena contagii, quæ parricidæ conjugio potiebatur. Non agnosco filiam quæ artes non deprehendit mariti; quæ se non talem exhibuit socero nurum ut subjectum filium patri redderet. Ego illam non ad sceleris ministerium junxi, sed ad consortium matrimonii, ut coheredem gratiæ præstarem, non criminis adjutricem. Te miror, Herodes, si adhuc vivit Alexander ille insidiator patris. Putabam justas illum jam pœnas dedisse, quem differri non oportebat. Quid enim diutius servatur confessor ausi parricidalis?[4] Sed fortasse hoc quoque divinæ fuerit providentiæ, ut amborum parentum judicio condemnaretur qui in te læsit utriusque pietatem. Non me negabo ultorem, qui me ultionis exactæ prædicatorem parabam; sed nec filiam excipio, quam infaustis nuptiis ipse despondi te sponsorem sequutus: non enim ego illam mariti moribus, sed fidei tuæ tradidi. Reddat causas quod vadem suum dissimulavit, maritum dilexit: de utroque nunc nobis judicium est. Si firmus exse-

[1] Edd., *ubi;* sed melius C aliique nonnulli mss. atque Pa, *ut.*

[2] Edd., *effugii;* sed A et C, *effugio;* quod unice contextui convenit.

[3] C, *scripsit libellis;* edd., *inscripsit libris.*

[4] Edd. cum aliquibus mss., *confessor aut parricida talis;* sed multo melius Am et C, *confessor ausi parricidalis.*

quutor tanti doloris es, accingere, pater, sequestra pietatem: non optandum quidem officium patribus, sed non dissimulandum. Si te pietas mollit, inflectit natura, mutemus vices, ut ego in tuo filio, tu in meo pignore ministerii mutui simus exsequutores.

1 10. Hujusmodi oratione circumfremens[1] transduxit Herodem, atque a furore animi paulatim intentionem ejus emollivit, ut quasi compatienti atque unanimo sese crederet, et daret ei libellos legendos quos Alexander composuerat. At ille singula quæque advertens, ubi intellexit magis dolo
2 recongesta[2] quam fide nixa, profundo consilio minuere paulatim invidiam tentamenti parricidalis, atque objectorum causas in eos qui descripti fuerant, et maxime in Pherorum cœpit transfundere. Itaque ubi advertit regem a sua sententia non abhorrere, Considerandum, inquit, ne forte adolescens magis tantorum improborum insidiis appetitus apud te sit quam tu ab adolescente. Quid enim causæ erat, ut tuam appeteret vitam, cui regni honorem concesseras, regnandi jus reservaveras et spem successionis? Quid expeteret quod habebat, aut quemadmodum tantis muneribus ingratus foret? quidve aliud ageret in tua nece, nisi ut suum affectaret periculum, quod te vivente metuere non posset, defuncto timeret ab his utique, a quibus etiam sub patre positus propriæ salutis excidium perhorresceret? Patet ista ætas fallaciæ, facile decipitur et fraudulentorum insidiis circumvenitur. Vix resistit dolis ætas senilis; plerumque
3 tamen et senum prudentia circumscribentium[3] versutiis irretitur. Ergo si maturior usus sæpe labefactatus est, quid mirum si ætas immaturior adesse non potuit sibi, cum insidiantium catervis perurgeretur? Illos igitur perturbatores regiæ domus esse, illos incitatores adolescentium, seminatores discordiarum, qui in desperationem salutis deduxerunt adolescentem, ut stomacho magis indulserit et ultioni potius quam absolutioni intenderit, aliquid etiam impertierit commotioni.

11. Quibus paulatim inflecti Herodes cœperat, et mollire indignationem circa Alexandrum; at vero in Pheroram commoveri vehementius, quod illis quatuor libellis ipse omnium flagitiorum minister et totius scenæ architectus exponebatur. Qui videns regem Archelao mentem suam inclinavisse, atque in eum præ ceteris præponderare gratiam interioris amicitiæ, ad ipsum se contulit obsecrans ut animum sibi regis conciliatum redderet. Verum ille innexum plurimis scelerum vinculis, quibus evidenter regi parasse insidias convinceretur, atque appetisse adolescentem, nullum habere ajebat veniæ locum, nisi deposita inficiandi versutia, quæ objecta sibi fuerant confiteri germano sui amanti, atque ab eodem poscere sibi indulgentiam non dubitavisset: hujusmodi sese actioni quibus posset studiis non defuturum.

4 12. Mutata itaque veste, suffusus[4] lacrimis, specie A miserabili fratris inhærens vestigiis orare veniam, improbitatem fateri, omnia, de quibus argueretur, non abnuere sed recognoscere, dementiam sibi causam fuisse tantæ prolapsionis, quod nimius in eo furor amore dilectæ sibi mulieris exæstuasset. Statuto itaque Pherora suorum flagitiorum accersitore pariter ac teste, tamquam pro mercede compositi quod in usus suos cederet[5] argumenti, Herodem Archelaus deprecabatur, ut naturæ contemplatione molliret iram, fratrique ignosceret B supra vindictam constituens justum[6] naturæ. Nec mirum si in maximis regnis tamquam in magnis corporibus, sæpe aliqua pars ferveat,[7] quæ non incidenda sed mollioribus sit curanda medicamentis; sibi quoque multo graviores compositas a germano insidias, sed remisisse se necessitudini quod debebatur dolori, ut quo magis pœnam levaret ingrati, eo amplius causam gravaret.

13. Cum hæc atque hujusmodi alia subtexeret, mitigavit quidem Herodem ut germano remitteret, C sed ipse tamquam inexorabilis genero manebat. Denique minitabatur quod divelleret ab eo filiam, tantisque infremebat indignationis suæ motibus, ut ipse Herodes satis expiatum filii adversum se facinus arbitraretur, ultoremque suarum injuriarum rogaret, atque ipse pro reo suo apud socerum interveniret, quod ei de integro renovaret nuptias. Perseverabat Archelaus, cui vellet Herodes alii nurum suam jungeret præter Alexandrum, cujus causa etiam uxor traduceretur, atque ea arte D multo amplius impellebat Herodem, ut ille filium sibi redditum putaret, si conjugium ejus non solveretur; quod ille uxorem impense diligeret, ex qua etiam filios suscepisset dulces avo, gratos parentibus; hoc munus restituti sibi filii fore, quia non mediocri ex parte bona uxor viri sui reprimeret errores, aut compensaret officiis invidiam flagitiorum. Quæ si ab eo divelleretur, nullum remedium viro futurum quin præceps in omne rueret nefas: molliores enim fieri solere scelerum præsumptiones quæ domesticis affectibus revocarentur. E Vix tandem Archelaus inflexus reconciliatur ipse genero, atque eidem reconciliat patrem. Hoc consilio eripuit generum neci, ut pro mercede acciperet ejus absolutionem, dum condemnare sese simulat quam intervenire, pro quo si intercedendum putasset, haud dubie nihil impetravisset. Addidit oportere eum Romam pergere purgatum quæ in eo pater suspectaverat, quoniam ipse scripsisset Cæsari. Quod æque compositum reor, ut hoc genere F Alexander cum se purgasset, Cæsari commendaretur atque Antipatri paratæ fratribus insidiæ patescerent.

CAPUT XLI.

1. Hoc consilio soluta factio, et conversio facta in lætitiam, instauratur convivium initæ indicium[8]

[1] Edd., *orationem circumfremens;* C, *oratione circumferens;* aptius in textu voces delectæ.

[2] Ita C, melius quam alii mss. et edd., *dolore congesta,* vel *dolore congesta.* Forte primigenia lectio erat *dolose congesta.*

[3] Hæc quoque vox est Ambrosio non peregrina, mori præcipue juris consultorum obsequenti, in circumveniendi significatione. Videas Mazochium de ea pag. 811.

[4] Edd., *suffusis;* sed valde melius *suffusus,* ut C et Pa.

[5] Edd., *caderet;* sed cum C habeat *cæderet,* rite e contextu conjicitur *cederet* esse legendum.

[6] Edd., *jus;* sed e Josepho eruitur veram esse lectionem *justum* a C exhibitam, cum apud illum legatur τὸ τῆς φύσεως δίκαιον. Etiam codici Am inscripta erat primitiva vox *justum,* quæ abrasa conspicitur, eique serius substitutum *jus.*

[7] Ita in A, C, aliisque nonnullis antiquioribus mss., atque in Pa; sed in recentioribus aliis mss. atque edd., *membra ferveant,* ac dein *sint* pro *sit.*

[8] Edd., *in indicium;* sed valde melius, ut monet et Gronovius, deest *in* in suo cod., et in C.

1 reconciliationis, cujus auctori Archelao[1] septuaginta talenta et sedile aureum gemmis insignitum, electi quoque eunuchi regali conferuntur magni-
2 ficentia, et concubina, cui Pannychis[2] nomen erat, dono datur atque accipitur. Similiter et propinqui monitu regis clarissimis donis Archelaum munerabantur, nec quisquam familiarium ejus exsors muneris fuit, quibus omnibus Herodes pro uniuscujusque meritis plurima impertiebat. Prosequutus est etiam cum potentibus suis usque ad urbem Syriæ splendidissimam Antiochiam nomine in regnum suum regredientem.

2. Evaserat Alexander, nisi se immersisset in Judæam vir Archelai artibus longe exercitatior,
3 Lacon genus,[3] Eurycles nomine, nimis cupidus opum earumque pro negotio contemptor, ubi majora potiundi spes refulgebat. Denique non contentus laconicis facultatibus, in effusiones regias animum intenderat, venandique artifex Herodem opimis adorsus muneribus, remunerationi amplissimæ locum paravit, longeque uberiora quam obtulerat adeptus, tamen non satiabatur, nisi cruentis atque impiis factionibus gratiam sibi regis emercaretur. Itaque more quodam usuque Græcis familiari regem adulando prædicandisque omnibus ejus, non solum quæ laudis aliena, sed etiam involuta vitiis forent, in intimam ejus amicitiam brevi pervenit, ut inter primos secretorum arbitros eligeretur, adstipulante etiam patriæ prærogativa, quod Spartiatas Judæi cognato sibi genere copulatos pro fratribus habent.

3. Is ubi regiæ domus vitia cognovit, suspectum animum patris, fratrumque inter se odia, novis artibus carum se omnibus simulans, quasi fidus singulis habebatur, sed pro ingenio regis aut munerum merito sua studia formabat, ut adjunctior esset Antipatro, Alexandrum dolis atque insidiis circumveniret, familiaris specie utrumque exasperans, illum prærogativa ætatis regno debitum; istum materni generis præditum nobilitate jure superiorem, neque cum vilissimæ corruptelæ pignore æquale illi consortium. Quibus captus Alexander utpote adolescentior, qui delectaretur his quæ dicerentur sibi, non perpenderet illa, quæ rursus de se apud Antipatrum componerentur, effudit sese mercenario Antipatri et proditori suo, aperuitque mentem lubrico ingenio affectuque incauto, patrem sibi auctorem malorum conquerens, qui matrem eripuerit, regnum decoloraverit, quod sibi ad avo veterisque prosapiæ infulis debitum cupiat avertere; fraudari legitimos jure successionis, præferri spurium stupri mercede: sed non diu quietura judicia Dei, ut qui uxorem innocentem necaverat non etiam ipse propere parato per conjugem eam imperio defraudaretur. Quæ sine mora Lacon ad Antipatrum deferebat, circumvento etiam Aristobulo ut ejusdem querimoniæ laqueis innecteretur, et pretio coacervata regi insinuabat dicens silentio se premere nequivisse tam immane facinus, et pro hospitii munere gratiam se lucis repræsentare, quam ereptum ire filii pergerent, quos nisi ipse simulatione fidelioris consilii revocavisset,

A jamdudum Alexandri gladio interfectum patrem regnumque indignis heredibus vacuefactum. Neque Alexandro religioni esse parricidalem atrocitatem, qui maximi sceleris loco duceret, quod adhuc avi matrisque necem inultam haberet: conveniri se ac perurgeri peremtorum querelis, ut tam atrox flagitium ulcisceretur. Deberi sibi inferias interfectorum exigi, successionemque eorum non oportere contaminari, ut ab eo qui majores eorum occiderat, regnum adipisceretur. Renovaturum se judicia
B Cæsaris non simili ut ante reverentia, sed ut Cæsar ipse cognosceret omnia secreta regis, quæsitas sanguine opes, provinciam labefactatam. Repetiturum se ab inferis avum, matrisque acerbissimam necem demonstraturum, ut successor alienus in regnum subrogaretur.

4. Excitaverat regem Eurycles; Antipater tamen parvi æstimans unius suggestionem, alios quoque accusatores fratribus subornabat, qui dicerent cum ducibus quondam equestris exercitus Jucundo et
C Tyranno sermonem initum, compositas regi insidias dolore decessionis, in cervicibus periculum nisi mature caveret. Denique non distulit Herodes, illicoque raptos severe interrogat; sed nihil illi de quibus arguebantur, confessi reperiuntur; et quia impune tam gravia simulabantur apud eum, qui criminum se vindicem profiteretur, et calumniarum negligentem, non deerant qui hujusmodi insidias machinarentur, quas acceptiores patri fore crederent. Nam et epistola prolata est quasi ad castelli
D præpositum ab Alexandro et Aristobulo data, ut occiso rege confugiendi sibi potestatem faceret, donec se armis adversum insectatores munirent, ceterisque subsidiis defensionem pararent. Excruciatur castelli præpositus et nihil fatetur.

5. Nihilominus tamen haud ullis affectati sceleris indiciis extantibus quasi rei Alexander et Aristobulus dantur custodiæ. Eurycles quinquaginta donatus talentis auctor salutis ac vitæ habetur.

E 6. Dignum est nec Euaretum silere, qui Eurycli tempore in Judæam transmiserat, fidissimus amicorum Alexandri, quem rex quasi consocium tentamentorum illius interrogandum putavit, utrumnam vero congruerent quæ Spartiates de adolescentibus intimavisset. Verum ille nihil se de illis quicquam ejusmodi cognovisse sacramento interposito fidem fecit, sed adolescentibus nihil profuit. A se quæstionem depulit, ne minueret delationis invidiam et evacuaret Eurycli[4] fraudulentiam, si 4
severius interrogatus negaret. Quasi indignus igitur
F qui crederetur ab Herode excluditur: bonus enim pater accusari filios libenter audiebat, non sinebat defendi; delectabatur cum appeterentur, offendebatur si purgarentur. Denique Spartiates ditatus regalibus præmiis, ubi tamen Achajam attigit, calumniarum pretium luit.

7. Salome cum purgare sese nequiret quod Syllæo Arabi pepigisset nuptias, ubi generi secretum prodidit monentis, ut consuleret sibi quo fratris commotionem evaderet, eo quod spe futuræ con-
G junctionis consilia regis Arabi[5] annuntiare suspecta 5

[1] Ita veteres mss., dum edd. turpe exhibent mendum verbis *auctores Archelaus*.

[2] Ita recte hoc nomen ex Josepho, ubi Πανυχίς.

[3] Edd., *genere*, ut retro; sed melius C, *genus*, iterum græcanice.

[4] Quidam mss. ac Pa habent *Eurycli*, ut secundæ declinationis.

[5] Lectio communis *Arabis*, ac si concordaret cum *regis*; sed sensus et Josephus *arabi* legere jubent; ut voce *regis* intelligatur Herodes, voce *arabi* Syllæus.

accersiretur, delicti gratiam meruit, et omnem sævitiæ regalis in adolescentes procellam intorsit, quo ultimo atque inevitabili naufragio demersi pœnas dederunt. Vinciuntur itaque et, quod ipsis erat durius vinculis, a se fratres separantur, missisque Volumnio militiæ magistro atque Olympo ex amicis regis viro, arguuntur apud Cæsarem. At ille, offensus licet quia filiorum supplicia pater posceret, negandum tamen patri non arbitratus potestatem, in liberos suos dedit licentiam, sed consilium adjunxit asserens melius consulturum, si proximorum regis eorumque qui præessent provinciis concilium congregaretur, et judicio communi procederet interrogatio, utrumnam aliquæ patri insidiæ paratæ a filiis forent: si convincerentur intentati parricidii, ferirentur; sin vero fugæ aut leviorum arguerentur, esset vindicta moderatior.

1 8. Hac permissa sibi Herodes non[1] parricidii potestate sed judicii conditione, etiam moderationis admonitus, ad urbem illico Beryton properat, quam judicio celebrando Cæsar præscripserat. Conveniunt præsules provinciarum secundum scripta ad se data a principe romano Cæsare; Saturninus legatique considunt, inter quos et procurator Volumnius, deinde cognati amicique regis, Salome etiam et Pheroras et Syriæ primores. Archelaus
2 solus excipitur rex Cappadociæ,[2] suspectæ in generum accersitus gratiæ, cum accusatores adolescentium insidiatoresque judicium repræsentarent. Sed quæ judicii species, ubi rei adesse sibi non permittebantur, et absentes accusabantur? Advertebat enim Herodes quoniam si tantummodo viderentur, absolverentur prona hominum conditione ad misericordiam, maxime ubi naturalis esset gratiæ prærogativa; deinde si ulla copia defensionis Alexandro permitteretur, quod objecta facile dissolveret.

9. Itaque relegatis illis in vicum Sidoniorum, quasi in præsentes accusatio dirigebatur. Objiciebantur a patre insidiæ sibi paratæ; nulla probatio deferebatur, nulla indicia tentamentorum. Hærebat accusator quem nullus redarguebat, destitutis undique congregabat invidiam contumeliarum, injuriarum genera, quæ graviora morte ab his qui consederant æstimarentur. Sed nemo discutiebat, nemo examinare audebat quod a patre arguebatur, a rege imperabatur: præjudicabat pietatis species, terrebat jus potestatis: interrogabat sententias securus victoriæ, nescius quod in ejusmodi judicio ærumnosior esset qui vinceret, quam illi qui tam acerbe addicerentur. Saturninus condemnat adolescentes quia aliud non licebat, sed moderatur sententiam cavendum asserens ne, peremtis duobus ex tribus fratribus, tertio fratri adscriberetur mors duorum. Timide quidem sed causam loquutus est, quod ille esset fratribus auctor periculi. Sequuti sunt eum pauci ex pluribus; Volumnius autem funesta immurmurat et post eum omnes,
3 volentia regi[3] tali auctore pensantes; mortis sententiam diverso quidem affectu sed pari sorte expromunt, quibus hoc aut adulatio extorserat aut

A odium infuderat, ut aut regis affectaretur gratia, aut parricidæ crudelitas graviore pœna afficeretur, qui in victoria sua tam amarum de se triumphum reportavisset. Nemo tamen quasi factum horruit et quasi commotus pronuntiavit: scenæ etenim species erat, non judicii disciplina, condemnare absentes, condemnare sine teste, sine indice, solo naturæ privilegio, quod ad salutem magis quam ad periculum derivari soleret. Stupebat omnis Syria atque omnis Judæa, et attonitis mentibus tantæ
B tragœdiæ finis expectabatur. Quum enim nota esset Herodis crudelitas, nemo tamen credere poterat, quod usque ad parricidium perseveraret. At in illo effera vis animi nec mari nec terra cohibebatur: itaque tamquam usu triumphantium, ut per diversa filios pertraheret,[4] Tyrum urbem inclytam 4
petit, inde in Cæsaream navigio transmisit, spectaculum miserum parricidii circumferens, donec color ullus acerbissimæ necis filiis inveniretur.

10. Movebatur omnis exercitus, sed metu indi-
C gnationem premebat. Erat in exercitu regio veteris militiæ vir, Tyro nomine, filium habens conjunctum Alexandro, indulgentissimus pater atque ob ea pignori carus, quoniam popularis quædam pietatis est gratia et maxime in suos illex dilectionis. Circa adolescentes quoque filios regis studio propensior, quod ab his suus filius diligeretur. Qui supra modum concepta indignatione turbatus animi vociferari cœpit, opprimi justitiam, veritatem excludi, aboleri religionem, confundi jura necessitu-
D dinum, naturæ gratiam superfluere iniquitates. Ad postremum in os ipsius regis progrediens, ingerebat miserum esse illum, qui adversum filios suos credendum improbissimis arbitraretur. Pheroram et Salomen consilii arbitros regis. Quam fidem ab his referri posse, qui se condemnatos capitis a rege frequentissime cognoscerent, aut quid eos aliud agere nisi consulere vindictæ, ut destitutus idoneis successoribus ad unum inclinaret ceteris infirmiorem? Qui facile subduceretur, quod ipse regius
E exercitus odio persequuturus foret eum, cui mors soluta esset fratrum duorum. Neminem esse quem non innoxiæ ætatis tangeret misericordia; plerosque autem ducum indignationem suam non jam premere sed divulgare; quorum vocabula loquutus finem dicendi fecit.

11. Quibus illico cum Tyrone correptis, Tryphon ex ministeriis aulæ regiæ, cui tondendi ars atque usus suppeditaret, subito quadam animi vanitate indicium sui facit, compositum a Tyrone asserens
F sibique persuasum ut quum ex more barbam Herodi raderet, novaculam gutturi ejus imprimeret quoad perageret necem, idque ei maximo emolumento fore quod de muneribus Alexandri polliceretur. Statuitur Tyro cum filio; exercetur deinceps simul quæstio. Negantibus illis, isto nihil amplius deferente, cum deesset manifesta rerum fides, nullum suppeteret argumentum, nullum indicium documentorum, Tyro jubetur vehementioribus tormentis excruciari. Tunc miseratus filius supplicia
G patris spondet aperturum se omnia, si patris salus sibi condonaretur, atque a rege promissa venia,

[1] Deest *non* in A, Am, Pa et seqq. edd.; sed non posse deesse insinuatur etiam sequentibus.

[2] Edd., *ex Cappadocia;* sed melius juxta quosdam mss. *rex Cappadociæ.*

[3] Ita C et codex Gronovii, melius quam communior lectio *volentiam regis,* A et Pa, *violentiam regis.* Ceterum, ut demonstrat Mazoch. pag. 807, *volentia* pro *placita* non modo ab Ambrosio adhibitum epist. XXIV *ad Valentinianum,* sed etiam a Sallustio, *plebi volentia fuere,* et Tacito, *Muciano volentia rescripsere.*

[4] Ita C; A, Am et edd., *traheret.* Alii quidam mss., *traderet:* sed hoc evidenter erronee.

suggerit quod impulsus ab Alexandro pater necem
1 regi parasset. Id[1] plerique ad tempus compositum
rati, ut tali pignoris indicio Tyroni consuleretur;
2 alii pro vero editum[2] loquebantur: sed Herodes
dubia pro certis adjudicavit tamquam metuens ne
parricidii sibi facultas periret.

12. Convocato itaque populo et congregatis ducibus, de insidiis deprehensis motu gravissimo promit querelam, atque in mortem eorum plebem excitat, ibique Tyro cum filio pariter atque tonsore saxis ac fustibus interficiuntur.

CAPUT XLII.

1. Alexander quoque et Aristobulus missi ad urbem Sebastem, quæ non longe aberat ab urbe
3 Cæsarea, strangulantur imperio patris.[3] Hunc finem habuere filii Mariammes.

2. Quorum interitu non longum lætatus, successionem sibi remotis illis Antipater indubium[4] blan-
4 diebatur; sed in eum totius gentis mox grave odium exarsit, quia apud omnes patebat ejus factione fratres occubuisse. Successit etiam non mediocris timor consideranti quam multiplex in dies adolesceret interfectorum prosapia, cum Alexander ex Glaphyra genitos sibi Tigranem et Alexandrum filios dereliquisset; Aristobulo ex Berenice Salomes filia Herodes et Agrippa atque Aristobulus superstites manerent; Herodias quoque et Mariamme filiæ, quas sexus non impediret, et regni cupido exagitaret. Quibus rebus perterritus Antipater in fraude ac versutia spem constituere, et donis ac muneribus singulos sibi magis magisque oppignerare, etiam amicos ac domesticos Cæsaris allicere ad sui gratiam pretio tentabat. Sed contra illi etiam quæ domi erant in adversum cedebant: nam rex paulatim processu temporis erga nepotes suos Alexandro et Aristobulo genitos molliebatur, et facti pœnitentiam prætendebat, cum eorum, quorum parentes occiderat, misereretur.

3. Denique congregatis amicis et proximis suis, quadam die lacrimis suffusus ora dicit ad eos: Video mihi ætatem procedere, et sine lacrimis adspicere non possum parvulos hos infelicium germina patrum, quibus ego sum auctor doloris. Ne pejore eos derelinquam conditione quam parentes abstuli: sed illos mihi quædam eripuit ærumna; hos mihi magis magisque commendat natura et misericordia, altera quia nepotes, altera quia destituti parentibus sunt. Erraverint in patrem filii; quid fecerunt avo nepotes? Satis infelix pater fui; avus esse debeo sollicitior. Tentabo post me consulere nepotibus; utinam et in filiis mihi consuluissem: verum in illis communis hostis atque inimici obrepserit fraudulentia; cavendum est ne hos quoque illorum involvant pericula, atque uno vulnere simul filios amiserim, nepotes perdiderim. Provideamus his defensores quibus ademimus. Desponsabo itaque seniori ex filiis Alexandri tuam, Pherora, filiam, et te ei constituam patrem; tuo autem, Antipater, filio Aristobuli filiam, ut hoc modo fias pupillæ pater. Germanam quoque ejus

A accipiet Herodes meus ex Mariamme Hyrcani susceptus, filiam. Hæc, inquit, est mea sententia, ut invicem sibi coeunte copula jungantur posteritatis meæ successiones, quo nemo suspectus alteri sit, ipse tranquillioribus oculis videam nepotes meos quam vidi eorum parentes.

4. Quibus dictis junxit memoratorum dexteras, et osculatus singulos illacrimavit. Quod Antipater, lætantibus aliis, ita graviter accepit, ut statim dolorem suum etiam vultu proderet haud mediocri
B constrictus sollicitudine, quod Alexandri filiis Archelai regis et Pheroræ, qui tetrarchiam tenebat, suffragia suppetere cerneret ceteris validiora. Advertebat odia sui crescere, nepotibus autem adstipulari misericordiam.

5. Nec poterat Aristobuli filiam recipere domo, ne sceleris indicium diuturnis ejus conspectibus offenderetur. Adire non audebat patrem, ne ad omnes mobilem suspectiones exagitaret, si complacitarum fœdera nuptiarum solvenda existimaret:
C subtiliter tamen præsumpsit orare ut consuleret ei pater, ne adversus duorum potentium opes, regis et tetrarchæ, nudo regni nomine invalidus exponeretur; foveret certe honorem, quem conferendum filio judicaret, ne species regni ad eum, virtus ad illos perveniret. Neque vero solos Alexandri atque Aristobuli filios suspectos habebat, sed omnes obstare sibi arbitrabatur, quicumque ex diversis Herodis conjugibus competere vel taciti videbantur regni successionem, quorum fre-
D quens numerus erat. Novem etenim mulieres regali conjugio potiebantur; ex his duæ tantum sine liberis erant; ceteris soboles suppeditabant. Antipater Doridem attollebat parentem, Herodes Mariammen; Antipas et Archelaus Malthaces[5] erant 5
filii Samaritanæ et filia Olympias, quæ Josepho jure connubii sociabatur. Cleopatra quoque Hierosolymitana Herodem et Philippum genuerat Herodi, Pallas Phaselum. Erant quoque etiam aliæ regis filiæ Roxane et Salome, quarum uni Phædra erat
E mater, Elphis[6] alteri: supererant etiam Alexandri 6
et Aristobuli germanæ sorores, quas Mariamme ex Herode susceperat, sicut supra memoravimus.

6. Multiplicem itaque generationem Herodis metuens Antipater, ægre licet atque in primis tentamentis multum rege commoto, quod destitutis paterno auxilio nepotibus invideret dispositas copularum societates, ad postremum tamen effecit ut sibi Aristobuli filia, atque ex ipso genitus[7] Phe- 7
roræ parentis sui filiæ conjungeretur: tantum adu-
F latione prævaluit, ut pactas nuptias solveret.

7. Contra autem Salome cum vellet Syllæo nubere, ne suffragio quidem Liviæ, quæ uxor erat Cæsaris, potuit de fratre impetrare, sed invita Alexæ cuidam ex amicis regis in nuptias convenit.

8. Subversis itaque dispositionibus regis Antipater, quasi is qui ut voluerat, sibi consuluisset, exsultabat animo et superabat omnes versutia. Odium tamen nullo modo comprimere poterat, sed accendebat, quoniam terrore affectabat sibi muni-
G mentum parare.

9. Conjunxerat autem sibi cooperarium factionum

[1] Edd. recentiores, *idque;* sed Am, C et Pa, *id,* quod melius contextui respondet.

[2] Ita A, C, Pa; alii mss. ac recentiores edd., *edictum.* Utrumque consistere potest: *editum* tamen congruentius videtur, qua propositum, propalatum.

[3] Am, *imperio regis.*

[4] Ita C; Am, *indubie:* vulgo, *haud dudie.*

[5] Ita ex Μαλθάκης Josephi, dum edd. habent *Matehatis,* codex Gronovii *Matthates;* C, *Matthaches,* Am, *Mattaces,* etc.

[6] Ita rursus ex Josepho, ac C et cod. Gron.; recentes edd., *Helphis.*

[7] Nempe ejus filius, ut Josephus clarius habet.

suarum Pheroram patris germanum, quem Herodes non multo post recusantem ab uxore propria divelli,[1] cui ob injurias, quas ea mulier Doridi conjugi ejus intulerat, infensior habebatur, domo expulit. Pheroras autem amplexatus injuriam in partes suas concessit, quibus ut tetrarcha præsidebat, ea sane mentis intentione ut ad Herodem viventem numquam reverteretur. Denique nec tunc quidem, cum eum ægritudine gravi affectum comperisset et frequenter orantem ut ad sese veniret, quod ei quædam quasi moriturus committenda arbitraretur, visitandum existimavit. Qua percussus licet injuria rex, ubi præter spem incommodum depulit, tamen fraterno affectu venit ad eum, ubi ægrum comperit, et sedulo compatiebatur, et defunctum Hierosolymam transtulit, et magno fletu celebrique pompa funus curavit; nec tamen his indiciis sedulæ caritatis conceptam exclusit opinionem, quod eum frater veneno appetisset. Ita erat etiam in suos crudelis, unde[2] nec difficilis fides rerum quod potuerit fratrem occidere qui filios interemisset.

CAPUT XLIII.

1. Hunc itaque unus de interfectoribus Alexandri et Aristobuli improbitatis suæ finem invenit, a quo exordium sumens, in Antipatrum pœna transivit sceleris auctorem. Namque libertorum querelis, qui patronum suum veneno interfectum assererent, stimulatus Herodes, dum sollicitius quærit, cognito quia ab uxore de succis Arabiæ accepisset Pheroras poculum, quod amatorium putaretur, idque venenum fuisse, quod Syllæi studio traditum et illico in pestem conversum, in plurimorum quæstionem tetendit.

2. Unde quædam inter tormenta de ancillulis exclamavit, ut Deus omnipotens in matrem Antipatri omnia supplicia transferret universorum arbitram flagitiorum: per ipsam occultos conventus Antipatri ac Pheroræ die noctuque exercitos,[3] potationes usque ad temulentiam, ut a convivio regis recipientibus sese totis noctibus biberetur.

3. Quod non otiosum nec a conjurationis vacuum tentamento, remotis præsertim servulis et ministris, jure suspectabatur, magnumque vinculum connexionis et conspirationis indicium tam diuturnæ moræ, quæ regibus suspectior in solitudinis secreto et noctis silentio. Ibi compositum ut Antipater Romam peteret et Pheroras in Peræam[4] pergeret: quod frequenter inter se conferre soliti prodebantur, eo quod post Alexandrum et Aristobulum in ipsorum necem sese Herodes conversurus foret. Miseros se qui putassent quod Herodes in illis parricidales cogitationes odisset, qui regni heredes persequebatur; sublatos esse non potestatum æmulos sed consortes miseriarum; in se periculum omne et odia transisse: ne mulierum quidem parciturum sexui, qui dilectæ sibi Mariammæ atque ex ea genitis non pepercisset: nullum sibi aliud remedium, nisi ut longius aliquo secederent, quo tantæ bestiæ furori vel fuga eximerentur. Adjiciebantur crebræ apud matrem Antipatri conquestiones deplorantis ardere se invidia regalis successionis, cum sævitia regni super ipsum præcipue incubuerit,[5] ut jam sustinere non queat ultimis deditum[6] obsequiis et postremis urgeri periculis; nec solum regnandi jus sibi perisse, sed vivendi quoque curricula convoluta[7] temporum. Ætatem sibi maturiorem, incanum[8] jam verticem, contra autem juvenescere patrem, frustra sperari ejus hereditatem, qui fortasse etiam superstes heredi tamdiu reservaretur. Quod autem sibi emolumentum successionis futurum longævo heredi, cui tam multiplex Alexandri atque Aristobuli soboles velut quædam hydra renatis, quæ amputata fuerant, capitibus regerminaret? Ex testamento patris etiam jus commune ereptum, ut data spe regnandi, cujus ad tempus vicarius foret, non aliquem ex suis filiis in suum imperium substitueret;[9] sed Herodi Mariammes filio necesse haberet regnum refundere. Itaque non ad fructum sibi regni spem datam, sed ad periculum, ut esset decessori suspectus, successori gravis; postremo ipsum patrem longa senectute vividum et intentum cædibus suorum, sui esse testamenti exsecutorem, ut nemo superesset qui posset succedere. Ferri odio gravi in filios, nec in fratrem minore, qui sibi dederit centum talenta ne cum patruo suo sermonem haberet; et respondente Pherora: In quo enim eum læsimus? num etiam ipse successor sum? retulisse Antipatrum nonnullas habere eum causas offensionis. Utinam amissis omnibus liceret res offensionis componere;[10] sed ipsum feram esse bestiam, quæ ne mortibus quidem satiaretur, nec posset perpeti ullam inter propinquos caritatem manere: atque utinam, amissis omnibus, liceret ut nudi eum tantummodo viventes evaderemus; sed impossibile, ideoque sibi occulta ad tempus colloquia necessaria. Fore tempus quo uterentur virili mentis vigore et consilii vivacitate, dexteræ quoque vindicis ministerio.

4. Hæc a mancipiis in supplicio positis respondebantur, et credebat Herodes, maxime quia de centum talentis soli Antipatro dixerat, nec ullus sermonis ejus adfuerat interpres: succensus itaque indignatione rapit ad supplicium plerosque et innoxios, ne quis de obnoxiis relinqueretur.

5. Accersitur ad supplicia Antipater Samaritanus, eo quod esset Antipatri procurator, et diversis excruciatur modis. Prodidit quæstio[11] missum ex Ægypto venenum per Antiphilum[12] quemdam contubernalem, idque ab illo datum Theudioni[13]

[1] Edd., *divellit;* sed multo cohærentius contextui, *divelli,* ut C; unde et subsequenter non *domoque,* ut edd., sed *domo.*

[2] *Unde,* quod effert C, deest in Am atque in edd.

[3] Edd., *exercitas;* sed valde melius ex Am et C *exercitos.*

[4] Ita veteres mss., ac recte, ut etiam scribit Josephus; non autem *Petram;* ut edd. Am priori manu, *Peream,* quod insipienter posteriori manu mutatum fuit in *Persidem.*

[5] C, *cum sæva.... incubuerint.*

[6] Ita Am, C ac Pa pro communi *deditus.*

[7] Am et C, *evoluta,* forte præferendum.

[8] Ita Am ac C, pro *canum;* edd., *incanuisse,* quod facile conjicitur substitutum ab aliquo librario ex inscitia fuisse voci *incanum.*

[9] Ita A, C aliique mss.; edd., *sustineret* vel *sustinere.*

[10] Corruptus locus. Edd. recentes, *liceret offensioni seipsum componere;* Am, *liceret sed ipsum componere;* C, *liceret offensionis sed ipsum componere;* edd. antiquiores, *liceret res offensionis se ipsum componere.* Secuti sumus lectionem a Weber e diversis compositam.

[11] *Quæstio* in similibus contextibus semper significat tormenta illa quæ italice dicuntur *la tortura.*

[12] Edd., Am, et quidam alii mss., *per Antiphili,* sed C *per Antiphilum* (ex mendo *antifilium*), quod firmatur ex Josepho, διά τίνος Ἀντιφίλου.

[13] Ita pariter ex C, atque ex Am et Josepho, non *Theodioni.*

amico Antipatri, per ipsum Pheroræ redditum, cui regis filius Antipater exsecutionem commiserat, ut dum ipse in urbe Roma degeret, pater ejus Herodes extingueretur, quo tempore nulla de absente patratæ necis suspicio foret; sed Pherora cum in tempore venenum acceptum uxori propriæ commendavisset, recurrit altera in uxorem Pheroræ veneni invidia. Jubet illico rex Pheroræ uxorem,[1] venenum deferre. Egreditur mulier quasi perlatura quod petebatur, et sese de fastigio præcipitat ædificiorum, quo gemini pondus criminis evitaret atque obitu præveniret indicium rei et quæstionis acerbitatem. Sed quia maturabatur Antipatro feralis ultio parricidii, non supra verticem capitis ruit, quo casu facile extingueretur, sed in aliam partem corporis decidit ut mors protelaretur. Consopita erat tamen atque attonita mulier, quia ex alto deciderat loco. Jubet eam paulisper recreari Herodes, donec ad se rediret, spondet veniam si simpliciter aperiret gestorum ordinem; non de nihilo esse quod sese præcipitaverit, sed magni criminis consciam compendium supplicii quæsisse: impunita sibi omnia flagitia confitenti fore; at inficianti acerbanda supplicia, ipsam quoque sepulturam negandam.

6. At illa ubi se resumpsit paululum, Et cui, inquit, adhuc ego secretorum servabo silentia Pherora mortuo? Illi enim debui fidem tacendi, pro quo supplicia non recusarem si necessaria forent; sed ille nunc liber a cruciatibus, et si veniabilis[2] erroris correctio est, liber a culpa: quid igitur involvere veritatem mendaciis cogit? an ut Antipatro morem geram? Parcam ego[3] illi, non parcam mihi? Egregiam enim mercedem debemus viro qui nos omnes sceleribus suis in hæc supplicia deduxit. Audi, rex, Deo præsule, qui solus mihi veritatis arbiter est: proposui enim nihil fallere; audi, inquam, sed prius repete quemadmodum assederis lacrimans germano periclitanti, ut impleveris omnia circa Pheroram munia piæ germanitatis; quibus ille inflexus, ubi discessisti, continuo me ad sese vocavit et ait: Non exiguum ego, mulier, a fratris affectu et studio deerravi, qui oderam sic amantem mei, et volebam occidere tam impatientem doloris in periculis meis. Ferre ille non potest fortuitum, quod ego urgebam indebitum. Circumventus sum, fateor, Antipatri dolis, sed eo contagionis[4] ejus ego pretium fero; tu quod habes venenum ab eo relictum, mihi cito perfer, et sub meis effunde oculis, ut vel ad inferos non feram animum parricidalem. Pœnituisse correctionis sit, quod criminosum est præparavisse. Cito, inquam, mulier, ut vel mortem præveniam, quoniam culpam nequivi. Tum ego detuli venenum, et in conspectu ejus exinanivi;[5] parum tamen ex eo reservavi mihi quæ te metuerem, ut esset remedium si proderetur paratum ad hos usus venenum.[6]

A 7. His dictis, pyxidem cum eo quod resederat veneni protulit. Subjicitur quæstioni mater Antiphili et frater[7] ipsius. Confitentur ex Ægypto Antiphilum detulisse pyxidem plenam veneni, quod ille accepisset a fratre, qui Alexandriæ commoraretur sub medicinæ professione. Deprehenditur etiam Mariamme filia pontificis insidiarum conscia quæ pararentur marito, idque fratribus ejus inter supplicia confitentibus manifestatur; unde Herodes junior maternæ audaciæ pretium luit, quem in B regni successionem Antipatro substitutum idem qui[8] subrogaverat pater de testamento delendum putavit. Et hic quidem non mediocris error Herodis senioris, ut alterius flagitio deprehenso alter multaretur; sed etiam Herodis junioris non injusta multatio: nam divinitus præcautum videtur, ut licet nondum facti sui merito, tamen ob pretium futuræ improbitatis regno abdicaretur. Nam quis eum regem perpeti potuisset, qui tetrarcha tam insolens fuit ut tolerari nequiret?

C 8. Adjicitur etiam aliud veneficii genus, quod Bathyllus[9] Antipatri libertus Pheroræ et ejus uxori detulit compositum ex succis serpentum et veneno aspidum, ut si primum non convaluisset ad mortem Herodis, secundo uterentur.

CAPUT XLIV.

1. Reperiuntur etiam litteræ adversus Archelaum et Philippum fratres compositæ. Hi regis D erant filii, qui Romæ instituebantur, quos Antipater ea vel maxime causa appetebat, quod videbat non mediocri præditos sapientia, supra quos rex patrium animum reclinabat. Denique evocaverat eos litteris ut maturius domum regrederentur. Obstare itaque eos suis utilitatibus Antipater arbitrabatur, atque incumbere suis artibus, ut spe adolescentium simulata, omnia factionis suæ studia obumbrarentur. Componit itaque epistolas nomine virorum potentium, quos Romæ positus in suam amicitiam illexerat: E aliis quoque pretio extortum ut scriberent, quod adolescentes infestis patrem odiis urgerent, et nimio questu mortem Alexandri et Aristobuli deplorarent.

2. Et cum hujusmodi epistolas clandestinis artibus per aulicos sceleris sui ministros patri ingereret, eadem, versutia, qua supra, simulabat fratrum intercessorem, ut prætento pietatis patrocinio impietatis subtexeret parricidium. Quibus omnibus in medium deductis, cum quæstionibus patris vita, epistolis mors fratrum appetita evi- F dentissime panderetur, consilium definitur de auctore supplicium sumendum, qui posteriore prodidisset calumnia quod germanos suos non quasi parricidas, sed quasi legitimæ successionis æmulos persequeretur; non quo patrem defenderet, sed ne consortem regni haberet. Interea cum septem mensium curricula inter documenta flagitiorum et re-

[1] C habet tantum: *jubetur venire, venenum*, etc. Am, *uxorem venire, venenum*, etc.

[2] Pro *venia digni*, quam vocem notat Barrensis et Macrobium usurpasse.

[3] Edd., *ergo;* sed Am et C, *ego*, quod melius, quia respondet per antithesim subsequenti *illi*.

[4] *Eo* habetur in Am et C, sed deest præsertim in edd.; istæ pro *contagionis* veterum mss., Am tamen excepto, cum hoc ipso legunt minus apposite *cogitationis*. *Contagio* hic valet malignitatem vel culpam.

[5] *Exinanivi* valet *effudi, evacuari*, qua significatione hoc verbum Ambrosius non semel adhibuit, ut demonstrat Mazochius, pag. 818.

[6] Desunt in C *paratum..... venenum*, et ideo Weber putat ea aliquam esse glossam; quod tamen admitti nequit, quia et contextus illa requirit, et habentur in Am quoque aliisque mss.

[7] Edd. recentes, *fratres;* sed, teste quoque Josepho, melius *frater* in A, Am, C, Pa, etc.

[8] Recte *qui*, non *quem*, ut in edd.

[9] Recte, ut in Josepho Βάθυλλος.

ditum Antipatri concluderentur, nulla innotuere Antipatro indicia rerum gestarum; tanta circa eum universorum odia fervebant! Incertus igitur omnium, scribit ex urbe Roma continuo se adfore, summoque se honore dimissum a Cæsare.

3. Quibus litteris lectis, rescripsit Herodes maturato eum contendere oportere securum affectus paterni, cui non solum nihil imminutum per absentiam foret, verum etiam tantum accederet gratiæ, ut ejus contuitu matris offensa minueretur. Nam iterum domo eam deprehensam in artes filii consentire, consortio exutam, regiæ liberalitatis compendiis eliminaverat, cui se remissurum indignationem scriptorum specie manifestaret,[1] metu ne comperta matris expulsione suspiciones suas Antipater ad cavendum exsuscitaret. Adveniens itaque Tarenti primum, de Pheroræ obitu cognovit, ibique magnum luctum exercuit, quod a quibusdam pietatis affectui datum, eo quod patrui mortem impatienter doleret. Ille autem ministrum ausi parricidalis sibi sublatum ingemiscebat, nec solum non processisse sceleris apparatum, verum etiam venenum se dedisse terrori erat, ne quo modo ad cognitionem regis perveniret, et ille scenam criminis publicaret. Transmittit[2] itaque in portum Cæsareæ haudquaquam vacuus gravioris curæ ac sollicitudinis, cum ejecta mater non mediocre præjudicium condemnatæ sobolis daret. Sed urgentibus amicis, qui patriæ cupiditate posthabenda omnia quæ Antipatro conducerent arbitrarentur; deinde[3] spectato ejus ingenio, quo vel aversum patrem a sui gratia facile consiliis suis flectere solitus erat, hortantibus ut sese patri et prædestinato sibi regno ocius repræsentaret, quod nemo auderet eo præsente contra niti, sed occasio absentiæ ejus sola arriserit,[4] ut averti posse ab eo regis animus æstimaretur, et ideo præveniendum mature, ne demorando magis aut desiderantem offenderet aut suspectum exacerbaret, cum diffidentiam sui proderet, — credidit itaque volentia[5] magis quam necessaria suadentibus.

4. Verum ubi portum ingressus est, neque quemquam sibi obvium circumspectavit, et quasi pestem aliquam sensit suam præsentiam declinari, in summa locorum frequentia maximam solitudinem, cum occurrere nemo auderet, metuentibus aliis, aliis aversantibus;[6] etenim id temporis et odia quominus se tegerent auctoritatem acceperant; reputare secum scelera sua cœpit, conscientiæ stimulis exagitari; nullum fugæ locum neque evadendi subsidium sibi relictum; circumventum se velut quibusdam retibus et captum teneri: fiduciam omnem assumpsit ex impudentia, ut dissimulatis omnibus improvisum se patri offerret, in amplexum rueret, pietatis officia prætenderet.

5. Verum ille extentis manibus ingerentem sese repellens et reclinans caput, ne parricidæ osculo contingeretur, exclamavit et hoc esse amentiæ parricidalis, ut amplexum petas cui invisum te recognoscis, ut horrore tui afficias patrem et contactu noxii corporis vivendi suavitatem extorqueas. Ne igitur contigeris, ne attaminaveris[7] quem scelere petisti. Purga certe prius si potes, et deprehensa dilue. Judicium non refugiam, nec audientiam tibi negari patiar, nec ipse mihi assumam cognitionem, nec argumentandi tibi occasionem relinquam. Opportune adest Varus, apud quem defensionem tui præpara; nec differendi locus: crastina die, quamvis dolis et fraudibus præditus, habes purgandi tui copiam. At ille obstupefactus tantæ commotionis pavore nihil est ausus referre nec potuit, sed egressus foras fluctuabat animo, quod nihil omnino ex his quæ gesta erant et prodita apud regem, compererat. Advenientes autem ad eum postea mater et uxor aperuerunt omnia; quibus cognitis colligere sese ac præparare animo cœpit, quibus modis criminationi occurreret, confessiones[8] extenuaret.

6. Sequenti die congregantur omnes regis propinqui, et amici Antipatri intersunt examini universi: qui diversa de Antipatro prodiderant, induci præcipiuntur. Leguntur etiam epistolæ matris Antipatri, in quibus illa ad filium scripserat, ut cognosceret proditam patri suorum scenam flagitiorum, nequaquam eum debere adesse, nisi a Cæsare aliqua manus accerseretur, cujus se presidio circumvallaret, neque se judicio committeret, qui tantorum confessionibus appetebatur, sed armis muniret. His ad superiora additis, ingressus Antipater et sese ad vestigia dejiciens patris obsecrat, ne se prædamnatum haberet, confidere se, si deferatur audientia, vacuum criminis fore si pater vellet.

7. Jubet pater silere, atque eum ejusmodi sermone prævenit: Quod nulli justo veniabilis[9] Antipatri nequitia possit videri, satis certus sum, sed eo magis gravari me apud te, Vare, arbitror: vereor enim ne etiam me oderis qui parricidas generavi filios, quibus non posset etiam pater parcere, licet hoc quoque miserandus magis sim quod etiam tales amavi. Sed de illis taceo quos ipse exasperavi, et justas adversus hunc allegationes eorum respui: nullas enim hi adversus me habuerunt causas doloris, nisi quod his Antipater præferebatur, et consortii regalis prærogativam acceperat qui natus in regno non erat. Putabam tamen quod majorem natu minoribus ad tutelam adsciscerem; sed hostem induxi, qui invideret nobilioribus, excitaret puerulos, infirmos circumveniret, incautos proderet: lapsos non nego, sed excusari potius quam urgeri oportuit. Antipater mihi et illos abstulit; hic mihi et illos fieri insidiatores compulit. Dolui, fateor, quod hi quibus regni spem dederam, quibus successionem reservaveram, adversum me improba machinarentur; sed in me non patrem, sed Antipatrum oderant. Perierunt itaque ad dolorem patri, ad fructum Antipatro. Quæris, Vare, quis eos oc-

[1] Weber emendavit in *manifestarat*, quod, licet contra codicum fidem, a contextu requiritur.

[2] Edd. recentes, *transit;* sed Am, C, Pa, *transmittit,* quod et elegantius.

[3] Ita Am, C, Pa; sed alii quidam mss. ac edd., *denique,* quod forte melius ex indole Ambrosii. Item edd., *expectato;* Am, et C, *spectato.*

[4] Edd., *arserit;* sed unice recte *arriserit* ex A, Am, C, etc.

[5] De *volentia* videatur quod præcedenter dictum est. Firmatur autem lectio omnium præcipuorum mss. auctoritate, contra aliam lectionem *volenda,* quæ aliquorum est. Hæc autem lectio in margine quarumdam edd. mutata est in *violentia,* cui nullus prorsus locus in hoc contextu dari poterat.

[6] Melius hoc quam *adversantibus,* quod in edd.

[7] *Attaminaveris* pro *attrectaveris.* De qua voce ab Ambrosio adhibita, videas Mazochium pag. 798, nota 621.

[8] Ita Am, C, ac Pa, melius quam *confessionem* aliarum edd.

[9] *Veniabilis* sæpius apud Ambrosium et nostrum legi notavit quoque Gronovius ad hunc locum in *Monob.* I, pag. 16.

ciderit? Cognosce cui mors eorum profecerit. Vacuata est domus novercæ filio; patuit aula uni ad succedendum, quæ multos successores habebat, nec expletus est morte fratrum cruentus animus et mens impia. Postquam non habuit fratres quos
1 odisset, patrem persequebatur. Reputo[1] mecum; qui huic munimentum hereditatis paravi, visus sum et ipse diu vivere decessorem fastidienti. Docuit quid vellet; cui successionis competitores ademeram, morantem non passus est, nec expectavit regnum nisi parricidio adipisceretur. Reddidit mihi vicem, qua projectum collegeram et prætuleram nobilioribus. Cui enim tantum ex illis quantum huic contuli? Cui ipse vivens potestatem cesseram, testamento aperte heredem designaveram, quod solet esse perniciosum regibus, ut aliquis se successurum noverit. Quinquaginta in fructibus talenta concessi, trecenta Romam proficiscenti dedi, commendavi Cæsari quasi solum filium; nihil mihi reservavi quod deberem parricidam timere; sed hoc eum magis ad parricidium armavit, quod se meis beneficiis superiorem videret. Quid tantum sceleris commiserunt fratres ejus, quos ad mortem coegit? aut quæ istiusmodi adversum illos indicia detecta, qualia istius deprehenduntur? Sed interrumpere atque obstrepere audet parricida, et dolis tentat veritatem involvere. Caveas, Vare, admoneo, caveas simulatas ejus lacrimas et gemitus arte compositos nec ullo expressos dolore. Hic est qui mihi pietatis affectum abstulit, quum afficto metu cavendum admoneret Alexandrum, cum illo mentes plurimorum convenire asserens, non temere committendam universis præsentiam meam. Simulabat se circumspectare omnia, usque ad lectum deducere, discutere atque examinare singulos; hic erat somni dispensator et minister securitatis, in quo ego solatium constituebam, atque ejus officiis levabam de interfectis dolorem. Arbitrabar quod et illos mihi redderet, mœrorem auferret, pietatem obtenderet: hic erat protector meus, cui credebam corporis senilis custodiam. Quomodo vivam nescio; quomodo tantum insidiatorem evaserim, quibus me circumvenerat delinimentis, quibus fraudibus vinctum tenebat, ut soli huic me crederem quem solum caveri oportuit. Incredibile mihi est quod evasi, nec vivere mihi videor, sed somnium puto. Quis enim crederet aut illum tam ingratum futurum, cui in me omnem potestatem commiseram, aut me posse evadere si Antipater nollet? Tutiorem tamen gratia me factum putabam: sed quæ (malum!) infelicitas mea, ut adversum me eos faciat insurgere quos plus dilexerim! Deploro ærumnam domus meæ, Vare; defleo solitudinem, ingemisco vim tanti doloris; sed tamen tanta est acerbitas sceleris parricidalis, ut neminem mihi patiar evadere, quicumque sitierit sanguinem meum, etiamsi in omnes filios meos affectati parricidii indicia promantur.

8. Quum hæc diceret, indignatione pariter ac dolore intercepta vox est loquentis. Continuo Antipater elevans caput, velut ictus enim et saucius gravi vulnere jacebat ante pedes patris nec as-

A surgere audebat, exclamans ait: Tu quidem, pater, ut iratus accusas; sed mihi nulla est defensio major quam testimonium accusationis tuæ, quia semper custos fui tuæ salutis: defensionem igitur pro me voto accusantis adhibuisti. Quomodo enim parricida ego quem ipse tuum protectorem fateris, aut quomodo circumspectus atque astutus, quem commentatorem arguis parricidii, quum extremæ insipientiæ sit cogitasse quod et apud homines exsecrabile sit, et apud Deum inultum esse non possit? Vel
B fratrum exemplum doceri potui nullum tanti sceleris effugium fore, quod scelus istiusmodi nec latebram inveniat nec pœnam evadat; quandoquidem et illi pro tanta in te malevolentia pœnas dederunt. At illos, ut dicis, invidia quædam impulerit ad parricidium, quod me sibi præferri videbant, quibus materni generis nobilitas animos dabat, ut regnum quasi ex materna successione sibi debitum vindicarent, et quasi a te ereptum reposcerent. Quid tale ego, qui nescivi regnum nisi de te spe-
C rare, tuum judicium quærere, tibi soli placere? Quid autem erat quod me adversum tuam salutem audere aliquid impelleret; an regni cupido? Sed regnabam. An odii suspicio? Sed diligebar. An injuriæ dolor? sed præferebar. Si illos sola formido prælationis meæ armavit ad parricidium, ego absolvor, quia nesciunt prælati parricidium cogitare, sed odisse. Nisi forte aliquis ex te metus compulit; verum ego, ut mihi tua vox testis est, nihil sciebam nisi pro te timere. Quid enim mihi timerem
D qui minister eram tuæ securitatis et dispensator quietis? An vero inopia pecuniæ et egestas coegit, quæ solent indigentibus suadere latrocinium? Sed dederas quod non solum in præsens, sed etiam in omne tempus abundaret, et divitem Romam miseras, ut regum reges pronuntiarent imperii apud se principatum esse, non divitiarum. Denique Fabatum, illum romanæ rei moderatorem et intimum Cæsaris, tibi cepi, et a Syllæo ingenti ambitum pecunia ut te impugnaret ita commutavi, ut fieret
E tuus defensor et sollicitatoris sui proditor. Per quem, pater, alium insidiatores tuæ salutis detecti sunt? Quomodo igitur parricida ego qui custodem tui corporis Corinthum latentem deprehendi, insidiantem removi, ad confessiones negantem deduxi? Potui parricidium non cogitare, et parricidii fructum habere si tacuissem. Sed mihi si bestiarum immanitas, si atrocium ferarum inesset furor, tamen tantis beneficiis tuis mansuescere potui, ut nullam opem nisi in tuæ salutis subsidio con-
F stituerem, ut pro omnibus tibi vel solam caritatem referrem, te meo corpore protegerem, te intimis, si fieri posset, visceribus includerem. Protuleras nobilioribus filiis materna stirpe minus nobilem; matrem quoque regni exulem in regnum vocaveras, nec jam successorem me imperii, sed quasi consortem habebas. O miser ego, cui tantum liberalitas tua[2] bonorum effuderat, ut invidia succederet! 2
O stultissimus ego qui te, pater, reliqui! Sic datus est invidiælocus et potestas insidiantibus: namque
G ut[3] ego pro tua salute diu demoror, meam prodidi, 3
et tamen nihil habeo quod mihi adscribam. Tu

[1] Hæc lectio communis est: editor Weber eam mutavit in *reputa*, quæ magis reapse contextui convenire videtur. Sed textum ipsum immutare absque ulla auctoritate ausi non sumus: alioquin et *reputo* sensum non improbandum admittit.

[2] Am et C, *liberalitatibus suis se*, etc., juxta quam constructionem *tantum bonorum* esset propositionis subjectum.

[3] Ita C, sed Am ac edd., *dum*.

me, pater, abire jussisti; tibi ego peregrinabar, pater, ne tuam senectutem Syllæus circumveniret, ne te viventem regno exueret, ne apud Cæsarem tuam salutem appeteret. Testis est mihi Roma pietatis, Cæsar quoque præsul orbis terrarum et censor universorum atque arbiter mei pectoris, qui me amantem patris appellare solitus erat. Testificare, Cæsar, quid ego de patre apud te loquebar, apud quem solum nocere potuissem; testificare, inquam, mihi, qui de aliis pronuntiaveras, nec dissimulandum parricidium sed inquirendum putasti. O si mihi adspiraret præsentia tua! Sed absens es et longe positus, et ego sine te a patre adjudicor. Ades tamen et in litteris tui præsens; tua scripta offero, quæ solent parricidæ timere; tuam epistolam porto, quam solent promere qui cupiunt parricidium non latere. Suscipe, pater, litteras Cæsaris; ipse te instruat qui dudum vindicavit; suscipe Cæsaris scripta argumentis omnibus validiora. Quibus usus es dudum ad ultionem, utere nunc ad salutem. Hos ego apices defero innocentiæ meæ testes; illa dextera te numquam fefellit; illa dextera Cæsaris diadema tibi imposuit, non ademit; illa manus Cæsaris regnum tibi quod abjeceras, repræsentavit. Potuit me prius Cæsar odisse, si fratrum similem deprehendisset; sed cognovit et pronuntiavit pietatis interpretem, qui nisi Romæ fuissem, Syllæus vicerat. Illi ego hodie adjudicor; illi pœnas miser pendo. Memento, pater, quia non voluntarius navigavi: videbam mihi jam parari foveas insidiatorum; malui tamen, pater, me potius quam te periclitari. Nec tamen exhorresco salutis periculum; sed apud te, pater, doleo me quasi tuum hostem periclitari. Pericliter tamen, si apud te et Cæsaris testimonia periclitantur. His ego utor indiciis meæ defensionis; Cæsarem ego non appello quasi audiendus, sed imploro quasi absolvendus. Quodsi judicium exercendum æstimas, ecce me, pater, ad te veni post Cæsarem, ad te festinavi a Cæsare. Utinam quidem nusquam a te abiissem; sed tu me, pater, nesciens periculis objecisti jubens pergere. Præsto sum, pater, nec perfunctorie de vilioribus testibus requirendam pro salute tua veritatem æstimo. Non præjudicent qui possunt timere tormenta, nec qui possunt contemnere:
Ps. cxi, 11. *Omnis homo mendax* dixit Scriptura. Ego defero incorruptibilia elementorum testimonia: venio ad te per maria et terras nusquam aliquid passus. Parricida debui non evadere si reus essem: absolvat me, pater, apud te cœlum quod non fulminavit, mare quod non demersit, terra quæ non absorbuit. Per hæc ad te tutus venio, pater, quæ non solent evadere etiam qui non sunt patrum genitalium parricidæ. Dathan et Abiron hiatus voravit terræ, nec tamen genitalem appetierant
1 patrem. Abessalon[1] fugientem arboris suæ ramis terra suspendit, ne ad patrem perveniret, ad quem si pervenisset, evaserat. Ego ad te veni et adhuc periclitor. David parricidam suum quia servare non potuit, vindicavit; ego de inimicis et calumniatoribus vindicari non expeto, ut eos ad tormenta evocem: lucrentur illi pœnam calumniæ: unum rogo, pater, ne alienis credas tormentis; de me ipso adversum me require, suspende reum tuum;

A in viscera mea pergat interrogatio veritatis: in corpus meum atque in interiora penetralia descendant fidiculæ quæstionum; profluat sanguis qui solet parricidium clamare; ferantur ignes in artus noxios. Quid dubitas, pater? Si parcis, innocentem pronuntias; si a cruciatu temperas, absolvis a crimine: non est parricida, qui simplici morte dignus putatur. Aut si ut filio parcis, et ex te genitis membris compateris, non sunt membra tua quæ sunt ministeria crudelitatis. Hæc ubi loquutus
B est, magno fletu et gemitu lamentabili finem dicendi fecit, ululatuque maximo Varum et omnes ad miserationem inflexit: solus Herodes nullis movebatur lacrimis, atque ipse a fletu temperabat intractabilis ad veniam, quæstioni imminens, vindictam expetens.

CAPUT XLV.

1. Successit orationi Antipatri Nicolaus regis
C mandato, qui astute ejus responderet versutiis, et inflexos a miseratione abduceret referendo in Antipatrum fraternæ invidiam necis, allegando quod si quos moveret misericordia, illorum misereri deceret, qui ejus peremti fraudibus ultionem requirerent; si unum absolverent, omnis domus regia in periculum deduceretur, germani, affines, parentes, ipse rex, cujus saluti non pepercisset. Itaque conversus ad oratorum versutias velut (narratione miserationis)[2] epilogo quodam excitabat
D ab inferis peremtorum animas, qui miserabili questu replerent subsellia, insontes se oppetisse subornatis gravatos testibus; compositis epistolis, fraudolentis sermonibus circumventum patrem credidisse filio, quem non putaret de fratribus posse mentiri: offerre nunc eum supplicia sua, qui fratrum tormentis non credidisset, quos onustos vinculis obligaverit, ne cognitioni interessent. In absentes latam sententiam, cum longe positi essent, necatos, ne eorum pater misereretur. Nullum itaque reliquum futurum, si iste evaderet doctus venena
E parricidalia suorum visceribus infundere, mutare mentes hominum, qui etiam Pheroram semper amantissimum fratris Herodis in necem ejus parricidio funesto exsuscitaverit.

2. Ad hæc cum plurima alia excitandæ commotionis gratia Nicolaus addidisset, ubi sermonem absolvit, interrogatus a Varo Antipater si respondere vellet, nihil aliud retulit, nisi Deus mihi testis est quia nihil læsi. Tum Varus venenum proferri
F atque id dari jussit uni de his qui jam rei mortis essent adjudicati, quo epoto statim mortuus est. De quo relatum ad Cæsarem est, et in vincula Antipater imperio patris ducitur.

3. Nec tamen ab insidiis vacuus erat: nam tum maxime Salomes periculum dolis tentabat directis epistolis, quas Salomes nomine Antipater composuerat, plenis in regem contumeliarum, atque ad Acmen ancillam Juliæ, quæ uxor Cæsaris erat, per Antiphili servulum perferri jusserat, quas Acme
G sibi redditas regi transmitteret. Ac pene in mulieris perniciem fraus convaluerat, ni reperta esset epistola Acmes ad Antipatrum, quæ dolum prodidit scripta in hunc modum: Sicut voluisti, patri

[1] Ita Am, quæ lectio utique præferenda eo quod et alibi apud D. Ambrosium semper occurrit.

[2] Est quædam glossa in edd., quæ in A, Am ac C non legitur. Notavit jam Barrensis abundare hujusmodi dictiones parenthesi inclusas.

tuo scripsi, et epistolas illas direxi, nec dubito regem in periculum sororis insurrecturum; tu vicem restitue optato effectu potitus.

4. His litteris deprehensis rex in suspicionem deductus, quod etiam Alexander pari arte compositis a fratre esset appetitus epistolis, et nimia commotione exasperatus, ægritudinem gravem contraxit. Quo se videns urgeri periculo, Antipam unum ex filiis heredem imperii testamento scripsit prælatum Archelao et Philippo senioribus liberis, quoniam ipsos quoque Antipater dolis atque fallaciis suspectos patri fecerat. Cæsari legavit mille talenta donis muneribusque additis; in uxorem et filios, libertos atque amicos quingenta contulit, nec Salomen sororem munerum suorum expertem reliquit.

5. Procedebat in deterius ægritudo, atque accessu temporis asperabatur, quam imbecilla senectus suis incommoditatibus acerbabat quotidie;
1 siquidem non minor [1] septuagenario, gravatum annis corpus, crebro quoque mœrore animi afflictum ge-
2 rebat, tot parricidiis convulneratus,[2] quæ aut deprehendisse in filiis extremæ miseriæ erat, aut intulisse. Immedicabilis tamen ægritudinis fervor, quod superstes Antipater metuebatur.

3 6. Contemptus quoque in dies vilior [3] quod imagines Cæsaris atque animalium similitudines contra Legem templo appositæ detrahebantur auctoribus maxime Juda atque Matthia juventutis doctoribus,
4 qui cognitis [4] et conspirantibus sibi venisse tempus ajebant, quo violatæ legis injuria vindicaretur. Dare pœnas sacrilegum, qui putaret fas esse quidquid potestati liceret, nec religione inclinatum sed elatum superbia in penetralibus templi faciendi quod vellet libidinem pro jure exercuisse; et quam-
5 quam vis divina [5] ultionem acceleraret, tamen pulchrum videri si etiam templo sacrati libertatem suam in defendendis paterni ritus observationibus adprobarent; nec periculi metu quemquam revocari oportere, cum etiam mori pro lege patria insigne immortalitatis sit.

7. Primique adorsi auream aquilam supra fastigium portæ affixam detrahere; comprehensi atque ad regem perducti quum interrogarentur, cui obedire cupientes tantum facinus adorsi forent, responderunt, legi paternæ. Iterum quærenti quo freti lætiores adessent, quum ad mortis vocarentur periculum, retulerunt, pietatis et devotionis præmiis, quorum remuneratio pro ritu patrio mortem expetentibus persolveretur.

8. Nec diutius ferre potuit responsionis constantiam; sed indignatione super ægritudinem fa-
6 ctus,[6] ut infirmitatem vinceret, in conventum populi processit. Ibi tamquam sacrilegii reos ad plebem deferens accusare cœpit, quod majora de factis talibus suspectarentur. Quæ etiamsi non

A probarentur, tamen cuncti sibi quisque metuentes, auctorum qui comprehensi forent, luenda supplicia deprecabantur; nec pergendum in ceteros, ne quæstio plures atque alienos et innoxios perturbaret. Rogatus itaque, in præsentes sententiam tulit ut vivi exurerentur.

9. Unde incommoditas aucta, et gravioris ægritudinis vis diversis totum corpus ejus passionibus depascebatur. Febris erat vehemens, prurigo intolerabilis, continui ac sine ulla intermissione inte-
B riorum dolores viscerum, colo medius vexabatur, hydrope gravabantur vestigia, abscondita corporis scatebant vermibus: spasmi totius corporis, anhelitus gravis et suspirius perniciosi [7] cuivis indicio 7
erant, quod injusti parricidii et sacrilegæ damnationis pœnas reposceretur. Non cedebat tamen animo, et vivendi cupiditate passionibus reluctabatur. Petitæ trans Jordanem Callirrhoes aquæ calidæ [8] nihil profuerant. Asphaltides lacus plerisque 8
medicabilis sine ullo profectu ægrum tenebat; ubi
C dum oleo plurimo foveretur, laxato resolutus corpore morientium specie oculos invertit, et vox defecerat, nec sensus manebat, sed excitatus strepitu conclamantium resumpsit.

10. Et ad sua regredi cupiens, ubi ad regionem loci, qui adpellabatur Hiericho, advenit, atro felle exagitatus, et ipsi quodammodo morti minitans, immane facinus excogitavit, quo velut inferiæ sibi populi mitterentur: namque ex omni Judæa congregari jamdudum præcipiens quosque nobiliores,
D ut ex singulis vicis in unum convenirent, ubi imperio obtemperatum est, claudi eos intra hippodromum jussit, et accersita Salome atque Alexa ejus viro, legatum sanguinis mandavit, asserens lætitiæ populis gentis Judææ suam mortem futuram, et ideo commentum se, quo præclarissime suum epitaphium celebraretur, deposcere a suis, ut cum ultimum exhalasset spiritum, statim eos omnes, qui clausi tenebantur, necari juberent. Ita neminem futurum in universa Judæa atque in
E omni domo, cui mors ejus esset illacrimabilis, quum universis domestici luctus hereditatem dereliquisset, qui dum suorum deplorant necem, justa regi viderentur persolvere, atque ita publicorum lætitia votorum domesticis doloribus impediretur. Ac ne forte scelesta imperia mandata exsequutio destitueret, quinquagenas drachmas jussit militibus dari, ut tali sceleris imposita mercede ferale ministerium milites non recusarent, compensaturi exsecutionis horrorem remunerationis emolumento.

F 11. Cedebat prope jam tantæ incommoditatis suppliciis, sed expetebat [9] funesta responsa legationis, 9
quæ retulit de Acme supplicium sumptum ad Herodis querelam; Antipatrum quoque convictum parricidii morti adjudicatum, tamen repulso patria et regno pater fugæ potestatem tribuere si vellet,

[1] Edd., *minus*; C, *minor*, id est ipse Herodes non minor (anno) septuagenario.

[2] Sic cum C editio Pa, ut habet Ambrosius etiam epist. XLIII *ad Horontianum*. Videas Mazochium, pag. 796, nota 619.

[3] Scilicet magis vulgaris.

[4] Barrensis habet *cognatis*; sed *cognitis* pro *notis* sat bene contextui convenit.

[5] Edd., *quamvis divina ultio mortem ei acceleraret*; cui lectioni prætulimus eam mss. C et Am.

[6] Edd., *super ægritudinem facta*, sed C, ut nos in textu, emendato tamen *fractus* in *factus*, refert verba Josephi, *propter excessum iræ superior ægritudine factus*.

[7] C et codex Oxoniensis habent *suspiritus* quæ vox videtur mendum librariorum pro *suspirius* (quartæ declin.). Hanc vero lectionem ex lege critica prætulimus communiori *suspiria*. Sed et codex Gronovii habet *suspiritus*; verum in singulari cum adjectivo *perniciosus*. Ita prætulimus quoque sequentia *cuivis indicio erant.... pœnas reposceretur* (Herodes) lectionibus aliis, *res indicio erat.... pœna reposceretur*.

[8] Ita Am et C. Edd., *petit trans Jordanem calores aquæ calidæ*, quæ lectio manifeste mendosa est.

[9] Ita melius Am et C quam communior lectio *expectabat*.

Cæsar juberet, sententiam sceleri ferens, consilium pietati relinquens. Solverat natura parricidii necessitatem; nam recreatus paulisper, permissa sibi utendi ut vellet potestate, dum de genere necis tractat, distentus doloribus propriæ diem mortis prævenire desideraverat. Poposcit itaque malum pariterque gladium, ut eo pomum solitus incidere refectionis aliquid assumeret, et paulisper sese attollens cubitoque annixus levavit dexteram cupiens sese ferire; sed occurrit Achiabus et impedivit ictum, luctuque tota concrepuit domus, ut obiisse Herodes foris æstimaretur. Exsultavit Antipater ad sonum planctus, et a custodibus postulavit ut vinculis solveretur. Sed præpositus ei muneri non solum abnuit quod rogabatur, sed etiam regi annuntiavit. Exclamans ille insultari sibi adhuc viventi, percussores direxit qui Antipatrum interficerent, cæsumque in Hyrcania sepeliri jussit; atque iterum mutavit testamentum regemque Archelaum instituit seniorem ex fratribus, Antipæ tetrarchiam reliquit.

12. Quinque itaque diebus Antipatro superstes, defecit triginta septem annis, ex quo a Romanis imperitare jussus est, regno potitus, ex quo autem Antigonum sustulit regni æmulum, annos triginta quatuor imperio exegit, utinam tam domestico usu
1 quam publicis lætus successibus.[1] Namque ita foris secundæ ei res adspiraverant, ut privatus in regnum adsciscetur, eoque per multa usus annorum curricula, quod difficile, salvo potestatis usu decederet, relinquens liberis imperii successionem, quam ipse a suis non acceperat; sed intra domum infelicissimus, quam acerbo suorum sanguine et luctu replevit. Nec tamen exsecutionem invenit ultimæ crudelitatis, hoc uno Salome obliterante criminum suorum ludibria superiora, quod eos quos percuti rex jusserat, omnes dimisit, dicens regem præcepti feralis postea pœnituisse, revocatisque mandatis superioribus præcepisse ut ad sua omnes dimitterentur.

CAPUT XLVI.

1. Dehinc postea facta in amphitheatro militum et reliqui populi congregatione, de obitu regis in-
A dicium factum: processit Ptolomæus, qui regis amicitiæ inter fidissimos quosque usque in extremum adhæserat, et annulum deferens, quem defuncti digito detraxit, collaudat regem, et populum admonet tranquillitatis. Aperit itaque epistolam, qua precatus fidelissimos sibi milites hortabatur, ut successori suo benevolentiam exhiberent et gratiam. Apertis etiam tabulis testamenti recitatur Philippus Trachonitidis regionis et finitimorum locorum heres; nuncupatur tetrarches Antipas, rex
B Archelaus, ita tamen ut ad Cæsarem deferri annulum suum atque ei arbitrium et firmamentum omnium dispositionum suarum reservaret.[2] Actum 7
demum ratum esse testamentum suum si Cæsar probasset; reliqua secundum priora sua testamenta custodiri præcepit.

2. Continuo acclamatio facta est militum Archelao plaudentium; circumvallabatur illico stipatorum ambitu, promittunt benevolentiam, spondent fidem. Post hæc competenter atque magnifice fu-
C nus curatum omni ambitu regalium divitiarum præmisso ad pompæ funebris celebritatem. Lectus erat auro totus et gemmis insignitus, stratum refulgens murice, corpus adopertum purpurea diploide, quam internectebat fibula lapidibus pretiosis coruscans, diadema adhærebat vertici supraque corona aurea, sceptrum in dextera, ut viventem putares. Præibat agmen Thracicum; Germanique et Galli stipatores regii militarem servabant ordinem, pari modo succincti armis
D ac si in bellum prodirent, sed ora mœsti[3] et 3
dolentibus similes prosequebantur. Reliqua manus prægrediebatur[4] ornatu solito et cultu assueto, 4
comitantibus pariter ducibus et centurionibus. Quingenti etiam servorum et libertorum regiæ domus adspergebant aromata, ut suavi odore tota fragraret via: lectum filii regis et propinquorum vis maxima circumfundebantur. Sepultus est in Herodio, ut ipse mandavit, quod aberat ducentis stadiis ab eo loco, in quo finem vitæ invenit, magno
E obsequio per tantum spatii deductus universorum, sed non omnium pari affectu. Metus enim officium non votum extorserat; dolor intra se saltem liberam habebat sententiam. Hunc finem habuit Herodes.

[1] Obiit ante Pascha anni 750 ab Urbe condita. Unde error patet *æræ vulgaris*, quæ ab anno U. C. 753 initium ducit, tamquam illo quo Christus natus sit: nam quum mundi Salvator vivo adhuc Herode diem adspexerit, saltem anno ab U. C. 749 ortum habuisse oportet. Nonnulli autem Christi nativitatem etiam ad annum 748 ab U. C. retrahunt.

[2] Ita C; Am, *reservaretur;* Edd., *reservarent;* quæ postrema lectio aliis minus apta videtur.

[3] Edd., *ora mœstitia plena.*

[4] Ita C; Am et edd., *prosequebatur.* Sed lectione nostræ convenit Josephus: προῆγε δὲ ἡ λοιπὴ δύναμις, *præcedebat autem reliqua manus.*

LIBER SECUNDUS.[1]

CAPUT I.

1. Sepulto igitur[2] Herode, libera, ut in defunctos solent, judicia populi depromebantur, gravem fuisse illum et intolerabilem sibi, injusta imperia in cives exercuisse, tyrannum non regem suorum, parricidam domesticum, expilatorem[3] publicum, nemini quidquam dereliquisse, tributis exhausta omnia, locupletatos alienigenas, Judæos exinanitos, qui templo hostem induxerit, sancta[4] omnia sacrilegio contaminarit: beatos illos qui defecissent, cum tormenta viventibus non deessent, plura malorum Judæam post depulsam captivitatem in paucis annis sub Herodis imperio pertulisse quam in ipsa captivitate sub hoste barbaro sustiruerit, quum sibi Babyloniorum reges imperitarent: sub illis tolerabiliora exilia quam sub Herode domesticum domicilium; ab illis ad sua remissos, ab hoc fugatos: immitiorem Dario, Artaxerxe[5] superbiorem, Medis rapaciorem. Sperasse finem malorum ut sibi exire liceret exilio, si diem clauderet; sed accessisse ad servitutis miseriam Archelaum spontaneum successorem, qui et Herodem referret et nova adderet. Miserum hoc in regnis esse quod dominus eligeretur; miserius quod invitis imponeretur: solatium servitutis videri, si ipsi sibi dominum eligant, eo quod fiat benignior si deferatur imperium, superbior si usurpetur. Longe itaque Archelaum Herode intolerabiliorem futurum, cum iste assumpserit regnum, ille acceperit.

2. Ea non solum crebro in Judæa conferebantur, verum etiam Romæ assistenti[6] Archelao, perorantibus accusatoribus, in os objecta apud Cæsarem senatumque, ubi de regno Archelai confirmando abrogandoque diu decertatum. Denique quum in templo Apollinis, quod Cæsar condiderat multisque ornatibus venustarat, locus esset cognitioni datus, Salomes filius Antipater illa quæ supra diximus et multa alia dicendi validius prosequebatur; mirari se quod Archelaus quasi petendum a Cæsare regnum prætenderet, quum usurpatione temeraria jamdudum intra Judæam inconsulto Cæsare regem exercuisset. Quid enim sella aurea allatumque diadema nisi regni insignia forent? Quo spiritu sedere præsumpserit supra thronum regium, de sublimi solio salutare plebem circumfusam stipantibus

A numeris[7] militaribus? More quodam et usu imperatorum promi[8] diadema, quod Cæsaris judicio reservari oportuerat non solum pro potestate romani imperii sed etiam pro jure testamenti? Herodem enim nec præripere potuisse Cæsari vel senatui, quod ipse vel a senatu accepisset vel a Cæsare recepisset,[9] et superiore testamento expressisse satis propriæ indicium voluntatis, quo Antipam succedere sibi in regnum sensu integro, perpenso consilio declaraverit, et postremo[10] omnia
B Cæsaris judicio reservavisse, quamvis soluto jam corpore, anxius supremo periculo nec ullius jam sensus aut consilii capax dictaverit non quod arbitrabatur, sed quod ingerebatur. Præreptorem[11] igitur imperii de se ipso pronuntiasse quod non mereretur tuo, Cæsar, judicio in regnum substitui. Nam si meriti sui conscius foret, petere potius quam eripere[12] maturavisset. Non petendo autem, sed usurpando quæ in petitione consisterent, etiam in pecuniariis negotiis[13] præjudicare solere, ut præ-
C posteri litigatores cadant causa; hic vero non pecuniarum quæstum in crimen vocari sed imperii romani violatum jus, reverentiam despectam, spretam potestatem, indignum æstimatum[14] romanæ curiæ senatum, qui soleret regnum dare atque eripere, et cum Cæsare vetustam conferendi imperii servare prærogativam. Quid facturum esse, cum regnare legitime cœpisset qui ante regnum insolevisset?[15] Necatos præterea plurimos, quia opem fessis rebus et tributorum allevamentum
D poposcerant; remedium postulantibus bellum irrogatum, interfecta novem millia Judæorum in ipsa venerabili apud suos paschæ celebritate, pro pecudibus homines immolatos, sacratorum qui ad templi festa convenerant sanguinem fusum, spectaculum miserabile: si quis cæsorum stragem recenseat, Babylonios revertisse arbitraretur. Quanto crudelius a cive commissa quæ in hoste barbaro plena immanis sævitiæ atque impietatis æstimarentur! Hanc sportulam civibus datam, hoc sacrificio Ar-
E chelaum regni sui primordia commendavisse. Debere misereri Cæsarem senatumque reliquiarum Judææ, quæ quondam liberis fulta populis servitutem optaret, si modo tolerabilem liceret perpeti sub rege justo.[16] Longe illum abesse a jure imperandi, siquidem nulli apud Judæos regnum com-

[1] Cod. C. *Incipit liber secundus.* Codex Am, *Egesippi liber primus explicit Incipit secundus Ambrosi episcopi de grego* (sic) *transtulit in latinum.*

[2] *Igitur* ex C.; deest cum in aliis Edd., tum in Mediolanensi MDXIII, quæ sua non ex codice hausit, sed ex principe editione repetiit. — *defuncto* C., *defunctos* Edd. — *sibi* ex Am et C.; deest in Edd.

[3] Am ac C, *expoliatorem*, sed videtur minus recta amanuensis substitio difficilioris vocis *expilatorem*, quæ cæteroquin etiam ab omnibus edd. firmatur.

[4] *Sancta*, C, Barr. (etiam *sacra*) et Gualtherus in notis; lectio communior, *sacrata.*

[5] C, *Xerxe.*

[6] Edd., *assistente*, excepta Barr., quæ melius habet *assistenti*, ac etiam C, quia convenit sequentibus *in os objecta.*

[7] Pro communiore *armis* ex A et C *numeris* cum Barr. adoptavimus, scilicet quia legiones et cohortes certo militum numero constabant. *Circumfusum* in Am et C, pro *circumdatum*; edd., *circumfusam*, quod melius videtur.

[8] *Poni*, Barr. et A; sed *promi* melius et communius. Am, tantum *pro.*

[9] Desunt in editt. Mignii verba *vel a Cæsare recepisset.* Subjectum est autem *Herodes.*

[10] Am, *posteriora*, lectio non contemnenda.

[11] Ita legimus propter contextum cum Am et C; non *præceptorem*, ut habet editio Mignii, aliique nonnulli mss., eodem tamen sensu, nempe *qui antea ceperit.*

[12] Am ac C ita; edd. *usurpare.*

[13] Edd. hæc addunt interpolata ex I, 44: *nedum divitiarum. Denique Fabatum illum Romanæ rei moderatorem et intimum Cæsaris tibi cepi, et a Sylæo ingenti ambitus pecunia ut impugnarent* (Pa., *impugnaret*); quæ desunt in Am, C. et nonnullis aliis Codd. Librarius nempe aliquis similem locum de imperii et divitiarum principatu comparavit, ejusque adnotatio marginalis in textum aliorum inscitia pertransiit.

[14] Ita etiam e contextu pro *æstimantem* Mignii.

[15] Edd., *insolentissimus necasset plurimos.* Nostra lectio dum congruit contextui innititur codd. A, Am, C aliisque.

[16] A, Pa, Barr., *injusto.*

peteret,[1] nisi eī qui esset ex generatione Judæ, sicut lex diceret. At vero istum, Idumæum genus, quem nulla prosapiæ regalis origo contingeret, irrepsisse honorem indebitum, siquidem cum Antipater sibi atque Archelao fuerit avus, præstans divitiis ceterisque artibus potens, et maxime Romanorum amicitia Cæsarique seniori bello probatus, cum posset regnum sibi adsciscere, numquam tamen affectaverit; quin etiam defendere aliis maluerit quam sibi parare, meritoque illum habitum ut parentem optimum, qui Judæam in libertatem vindicaverit vulneribus suis, nec in servitutem deduxerit. Herodem Antonii testimonio, qui paternus hospes sibi fuisset, in regnum adspiravisse; ex illo Judæorum res imminutas; egisse ut hostem, non ut rectorem. Quum igitur etiam ipse adulter regni fuerit, quomodo potuisse ab eo legitimum regem creari? Non deprecari tamen quominus sub regno sint, sed poscere ut sub romano sint,[2] cujus sibi gratiam jam inde a Machabæis partam tantum per usurpationem regni postea degeneraverint, ut multo inferiores sint his, adversum quos romanam petierunt societatem. Denique orare sese ut eadem conditione Judæa qua Syria præsidiale judicium a vobis adipiscatur, quo devotionis nostræ detur experimentum, utrum qui seditiosi ac rebelles vocamur, possimus moderatis judicibus obtemperare.

3. Adversus ea Nicolaus pro Archelao respondens, inquietissimam nationem insolentiæ suæ asseruit pœnas dedisse; ne hinc potissimum Archelaus in invidiam inexcusabilis criminis accerseretur, si per seditionem pacem turbarent atque a Romanorum societate animis atque armis discederent. De testamenti autem prælatione quis dubitaret, cum et posterius præferri soleat superioribus, et hoc multo validius ceteris videri debeat, in quo Cæsari confirmandi regalis judicii servata sit prærogativa, quo cumulata potius quam imminuta romani nominis reverentia sit, si et a vobis, Cæsar, non præripiatur regibus quod privatis licet, ut eorum valeant testamenta, et quem potissimam sibi cupiant succedere ultimo scribant stilo, atque ab illis iterum ea vobis honorificentia servetur, ut confirmatio judicii a vobis petatur, et is succedat quem pater elegerit, vos probaveritis? Quando igitur magis sapuit Herodes, cum tibi, Cæsar, servaverit prærogativam, an quando præteriit? Ubi Antipas substituitur, Cæsar præteritur; ubi Archelaus subrogatur, Cæsar adsciscitur: sine firmamento nulla res stabilis. Divino itaque judicio ubi justitia deerat, vel simulationi vel voluntati firmamentum defuit; ubi autem æquitas examini suppetebat, robur quæsitum, ut judicium confirmaretur. Considera igitur utrum fecerit injuriam qui te elegit, aut[3] rescindi debeat quod te arbitro sanciendum reliquit rerum omnium domino, cui jure etiam reges cedunt potestatem. Qui enim scivit quem eligeret ad confirmandum, scivit utique quem eligeret ad imperandum, nec in successore falli potuit qui non est falsus in confirmatore. Nam qui te arbitrum constituit, cognovit utique talem successorem sibi constituendum, qui tibi quem constitueres, non displiceret.

[1] *Competeret* C., vulgo, *competere*.

[2] Ita ex C, melius quam edd., *sub romano agere*.

[3] Edd. subnectunt *si*, quod deest in C, dum revera non est necessarium, quia adhuc subintelligitur *utrum*.

4. Auditis partibus Cæsar sententiam distulit: deinde collato cum senatu consilio, Archelaum genti præposuit, ut fungeretur rectoris munere, non regni honore. Spopondit tamen et regnum daturum, si se ita gereret ut probaretur; jam enim tentamenta dissensionis Israelitici populi nuntiabantur. Tetrarchas duos constituit Herodis filios, Philippum et Antipam, qui cum Archelao de regno certaverat; Herodis sorori, cui nomen Salome, legatum[4] servavit; etiam alia ipse adjunxit: duabus quoque filiabus Herodis mille talenta, quæ sibi relicta erant, dispertienda arbitratus, addidit etiam alia sexcenta millia, et ea Pheroræ liberis sociari censuit.

CAPUT II.

1. Interea quidam e juvenibus, simulans se Alexandrum, et propter misericordiam ab iis, quibus necandi munus ab Herode patre mandatum foret, subrogatis aliis in locum suum, cum fratre se Aristobulo dimissum, Miletum petiit et inde Romam, quo difficilius apud ignotos cognosceretur.

2. Ubi facile Judæos ad rerum novitatem promptissimos excitaverat, nisi comperto eo, Cæsar ad se eum perduci ocius per Celadum quemdam, qui Alexandrum plene noverat, præcepisset. Celadus ubi juvenem vidit, similitudine deceptus hæsitavit, sed reliqua perspiciens indicia non convenire, quæsivit ubi esset Aristobulus. At ille in Cypro insula degere asseruit caventem insidias, eo quod conjuncti inter se fratres facilius extinguerentur. Deinde ad Cæsarem deductus aperuit illico, impunitate promissa, fretum se specie similitudinis, quod esset Alexander simulavisse, ut innumerabilia munera quasi regis filius a Judæis consequeretur. Cæsar dolum risit, sed et ipsum immunem dimitti jubet et eos, qui ultra privatum modum quasi regis filio detulerant, satis multatos esse pronuntiavit, quod superfluis sumptibus infinita dispendia toleravissent.

3. Archelaus autem profectus in Judæam, obscenitate morum et insolentia accusatus apud Cæsarem, cognita inter partes causa, Viennam relegatur, opesque ejus thesauris Cæsaris associatæ.

4. Hoc merito pretium luit qui nec a fratris sui germani conjuge suas compresserat cupiditates. Nam ubi Alexander obiit patris imperio neci traditus, Glaphyra uxor ejus Archelao rege Cappadocum genita, quemadmodum supra memoravimus, Libyes regi Jubæ[5] secundis est copulata nuptiis, quo defuncto revertit ad patrem. Illic eam contemplatus Archelaus, quod fratrem mariti, filiorum patruum haudquaquam pie refugiendum arbitraretur, ita deperire cœpit, ut uxorem ejiceret Mariammen et Glaphyram in locum illius substitueret. Non multo post ubi mulier in Judæam rediit, vidit in somnis Alexandrum et complecti desideravit; at ille indignanti similis a complexu refugus visus est dicere: Hæc est, Glaphyra, promissi fides? ita amores erga te servasti meos, quorum memorem te esse oportuit? Sed esto, adolescentula secundas nuptias non refugeras, etiamne tertias, etiamne fratrem mariti? Ita te mea dele-

[4] Ita Am, C etc.; edd. inepte, *delegatum*.

[5] Ita C conformiter Josepho, dum edd. habent *Tibæ*, et alii mss. *Jobæ* vel alia.

ctavit injuria, ut in meam domum tertio nupta conjugi remeare non erubesceres? Sed mihi curæ ne diutius maneat contumelia mea contagioque tua, nec longum lætabitur fraterni incestus matrimonii. Exsurrexit mulier et familiaribus narravit somnium, atque ipsa biduo post defuncta fidem fecit, quod hujusmodi conjugia nec vivorum legibus impunita[1] sunt, nec mortuorum voluntatibus.

CAPUT III.

1. Ipse quoque Archelaus vidit in somnis spicas novem plenas et magnas a bobus vorari; cui quærenti respondit interpres, novem spicis novem annos signari, quibus potestate usus sit maxima et amplissima: itaque anno nono imperii sui mutationem eidem fore, eo quod boves, qui arva aratro soleant invertere, mutationem signent laboriosam, quæ devoret atque absorbeat merita superiora. His cognitis, quinto die venit a Cæsare qui eum ad judicium Romam deduceret, in quo condemnatus et actus in exilium, etiam morte implevit somnium suum.

2. Principatus gentis, qui ad Archelaum pertinebat, conversus est in nomen provinciæ, quo nomine Romani, cum in jus suum vincendo redigerent, procul positas regiones provincias appellaverunt. Manserunt tamen tetrarchæ, ut erant, Philippus et Herodes mutato vocabulo, qui Antipas prius nuncupabatur. Nam Salome moriens loca quæ tenuerat, et potestatem suæ gentis Liviæ[2] uxori Cæsaris dereliquerat. Is status erat Judææ quando Cæsar defunctus est, relinquens Tiberium privignum suum Liviæ uxoris filium, ex superiori genitum conjuge, successorem romani imperii, cujus in honorem Tiberiadem Herodes condidit. Philippus quoque Liviam[3] urbem matris ejus vocabulo nuncupandam putavit.

3. Et quia propositum nobis est aperire causas, quibus populus Judæorum a romano imperio desciverit, sibique exitium acceleraverit, Pilatum provinciæ præsidem initium ruinæ dedisse res indicat, quandoquidem Cæsaris imagines Hierosolymitanis ædibus inferre primus omnium non dubitaverit; quo motus populus cum resisteret, atque ille recipiendas censeret imagines, plurimos in mortem coegit.

4. Dum hæc in Judæa geruntur, Agrippa Aristobuli filius Romam advenit cupiens adversus Herodem tetrarcham apud Tiberium judicio decertare; sed despectus a Tiberio cum Romæ degeret, plurimos sibi adscivit ad amicitiam et maxime Germanici filium Gajum, quem sive paterni nominis gratia amabilem populo, seu regii generis propinquitate proximum imperio ratus an quodam præsagio studiosius excolebat, quam vel ætatis vel honoris ejus ratio patiebatur, ita ut quodam die manus elevans deprecaretur, ut maturius Tiberio mortuo Gajum videret imperatorem. Quo prodito per Eutychum libertum suum, Agrippa jussu Tiberii in vincla ducitur et gravibus modis excruciatur, non ante dimissus quam Tiberius diem clauderet. Cujus tempora fœda ludibriis, Caprearumque[4] secessus ignavia intolerabilis, nullum tamen efficacis virum operis in necem ejus excitaverunt, recentis ut arbitror romani imperii reverentia sive terrore sævissimæ crudelitatis, quia plerumque asperitas quo gravior, eo tutior est.

CAPUT IV.

Eo imperitante famosum ludibrium Paulinæ spectatissimi generis feminæ Romæ percelebratum est; quæ cum egregiam castitatis famam apud omnes haberet, esset autem præstantissimi decoris et eminentis gratiæ, tentata Mundi equestris militiæ ducis interpellationibus nec inflexa, vitio nimiæ superstitionis patuit errori;[5] namque subornatis Isidis sacerdotibus, qui velut Anubis ad eam mandata perferrent, quod eam ad templum invitaret; delectatum se ejus sedulitate et pudicitia noctem poscere; habere se quod eidem secreto vellet committere. Quod illa accipiens læta ad maritum detulit, deum suis adesse votis, ab eo suam posci præsentiam, negare se non posse obedientiam. Itaque et ex sua et ex mariti sententia pergit ad templum Isidis, noctem exigit, remotisque procul arbitris quasi sacri cognitionem mysterii perceptura sese stratis composuit fusis, æstimans quod ad eam Deus suus in somnis veniret et per visionem sese eidem demonstraret. Verum ubi aliquid noctis processit, quo facilius mulier plena somnii deciperetur, Mundus assumpto vultu Anubis habituque advenit, vestimenta allevat, in oscula ruit. Expergefactæ mulieri Anubem se esse dicit, vultum Anubis prætendit. Illa deum credidit, beatam se asserit quod eam dignatus sit visitare deus suus: amplexum poscenti non negat, refert tamen utrum deus possit homini misceri. Ille promit exempla quod et Jovem summum deorum Alcmena susceperit, et Leda ejusdem concubitu potita sit, et plurimæ aliæ, quæ ediderint deos partu. De se quoque et illa deum esse generandum persuadet, mulieri concubitu miscetur. Redit ad maritum lætior dicens quod mixta deo sit mulier, et ejus promissu deum esset generatura. Fit ingens in stupro mulieris et mariti gaudium. Postea occurrit Mundus mulieri et ait: Beata Paulina concubitu dei; magnus deus Anubis, cujus tu accepisti mysteria; sed disce te sicut diis ita et hominibus non negare, quibus dii tribuunt quod tu negaveris, quia nec formas suas dare nobis nec nomina dedignantur. Ecce ad sacra sua deus Anubis vocavit et Mundum ut tibi jungeret. Quid tibi profuit duritia tua, nisi ut te viginti millium quæ obtuleram compendio defraudaret? Imitare deos indulgentiores, qui nobis sine pretio tribuunt quod abs te magno pretio impetrari nequitum[6] est. Quodsi te humana offendunt vocabula, Anubem me vocari placuit et nominis hujus gratia effectum juvit. Hoc perstricta

[1] Ita Am et C; edd. perperam, *punita*.

[2] Josephus habet *Juliæ*, quæ Augusti erat filia.

[3] Hic quoque Josephus habet Ἰουλιάδα. Error rursus notatur in translatore.

[4] Edd., *caprarumque*, quod Gallandus legi voluisset *capuanoque secessu*. Sed recta lectio est *Caprearumque secessus*, ubi apud Tacitum *Ann.* IV, 67.

[5] Edd. habent hic *Mundus;* sed ista vox, cum sit absque suo verbo, melius caret in C et Am.

[6] Vox antiquis non inusitata. Exemplum affert Mazochius pag. 804, nota 634, ubi Festius ex Pacuvio: *Cum contendi nequitum.*

sermone mulier illusum sibi intellexit, et dolens injuriam pudicitiæ confessa est, fraudem marito. Ille nihil habens quod uxori indignaretur, cui ipse cubandi in templo potestatem permiserat, et conscius conjugalis castimoniæ, principi querelam detulit. Qui motus potentis viri contumelia atque atrocis flagitii commento, sacerdotes e templo rapit, quæstioni subjicit, confessos necat, simulacrum Isidis Tiberi demergit. Mundo fugiendi potestas permissa, eo quod vi amoris et formæ superatus gratia, levioribus commissorum suorum pretiis multandus æstimaretur.

CAPUT V.

1. Quod igitur ludibrium imperitante Tiberio acciderit, non putavi prætereundum, ut ex eo deformitas colligatur imperatoris. Sicut enim boni principis vita probitatis quædam præscriptio, et per universos vivendi forma est, ita imperatoris
1 2 colluvio lex flagitiosorum[1] est. Ab eo missus[2] Pilatus in Judæam, vir improbus atque in exiguo ponens mendacium, circumvenit Samaritanos, ut
3 montem cui nomen Gadir[3] peterent; erat enim illis sacratus, eo quod vellet eorum mysteria cognoscere; et ascendens populum prævenit equitatu, pedestrique exercitu stravit afficto crimine, quod a Romanis discedere et conciliabulum sibi quærere præparavissent.

2. Quid enim non auderet, qui etiam Christum Dominum ad salutem humani generis advenientem, multis et divinis operibus profundentem in homines misericordiæ suæ gratiam,
4 nihilque aliud docentem, nisi quo[4] primum Deo, deinde imperatoribus faceret populos obedientes,
5 cruci suffixerit?[5] Demens qui minister esset sacrilegi furoris ut interficeret auctorem sa-
6 lutis. Ex illo itaque Judæorum res perditæ;[6] ex illo exitium genti, temploque maturatum excidium. Nam si Herodes, qui Johannem neci tradidit, perfidiæ et crudelitatis suæ pretium luit dejectus regno atque exilio datus, quanto magis præcipitibus furiis actum intelligi datur eum qui Christum occiderit!

3. Quæ causa autem mortis fuerit Johanni breviter expediam. Philippum et Herodem, qui prius Antipas dictus est, germanos fuisse supra ostendimus. Uxorem Philippi Herodes illicito ac nefasto so-
7 ciavit sibi[7] jure matrimonii. Non tulit hoc Johannes et ait illi: Non tibi licet habere uxorem fratris
Marci, VI, 18. tui. Tum ille commotus in carcerem detrusit Johannem, nec multo post necavit virum justum et constantem divinæ legis exsecutorem. Non solum enim quasi prædicator Evangelii fraterni cubilis incestum reprehenderat, verum etiam quasi Legis exsecutor prævaricatorem legis condemnavit, qui fratris viventis uxorem eripuerat, præsertim habentem semen de germano ipsius. Hinc excitata

A Judæorum fere omnium in Herodem odia et pœna accelerata.

3. Cujus auctor Herodias, videns Agrippam plurimum prævaluisse apud Cæsarem, compulit eum Romam pergere, quo sibi imperatoris gratiam conciliaret, objectans desidiæ contumeliam, quod fugitans laboris[8] dum moratur domi, indignos sibi pateretur anteferri. Nam cum Agrippa ex privato rex factus sit, quanto magis ipsi jamdudum tetrarchæ, quo regnum conferat, Cæsarem non dubita-
B turum? Itaque mulieris opprobria nequaquam sustinens, Romam profectus, dum Gaji[9] amicitiam petit, ab Agrippa accusatus etiam tetrarchiam amisit, quam a Julio Augusto acceperat, et fugitans in Hispaniam una cum uxore Herodiade mœrore animi consumptus est.

4. Mortuo quoque Tiberio Gajus successit, qui dominum se et deum videri atque appellari volens, causas dedit Judæis gravissimæ seditionis, ac nisi propero fine imperium clausisset, Judæorum genti
C finem fecerat maturiorem. Non solum enim ab illicitis non revocabat suos, verum etiam missis in Judæam ultima supplicia minitabatur, nisi omnia adversum jus et fas religionis armis patrarent. Plurimum ejus imperio potuit Agrippa, sed dum vellet muro ambire maximo Hierosolymam, ut Romanis fieret inexpugnabilis, prævidebat enim imminentem ruinam, morte præventus opus inperfectum reliquit.

5. Nec minorem potentiam exercuit imperitante
D Claudio, quia ipsius quoque primitiis interfuit, cum Gajo peremto ipse a militibus assumptus in imperium, resistente sibi senatu regni tædio, Agrippam legatum direxit, quo interprete promissa moderatioris imperii fides est, inita gratia, pax convenit. In locum Agrippæ patris Agrippa filius ejus a Claudio Cæsare rex subrogatus est.

CAPUT VI.

E 1. Ipse quoque Claudius exactis tribus et decem annis cum deficeret, Neronem romano imperio principem dedit captatus uxoris Agrippinæ persuasionibus, quæ tantum fraudibus valuit, ut filium imperatoris Britannicum, designatum successorem ipso jure naturæ, principatus exsortem redderet. Cujus artis mox pœnituit eam, quia dum ex se genito consuluit, principi jus suum negavit ignara quod elatus imperio nec matrem agnosceret, atque in exitium ejus beneficii mercedem inverteret. Idem
F tamen Octaviam Claudii filiam conjugio tenebat, præpostero ordine gener filio prælatus, quia mala reipublicæ præponderabant, cui debebatur parricida, sacrilegus, incestus, ut in eo crimina, non ulla bonæ artis merita regnarent.

2. Tali imperatore, seu morum ejus intuitu atque ignaviæ contemptu, sive quia Judæis ob gravia sacrilegia averso præsidio Dei summi ultimum excidium præparabatur, erupit in seditiones graves,

[1] Ita C, melius quam *flagitiorum* communior lectio.

[2] Edd. addunt *est*, quo C caret, cum propositio compleatur verbo *circumvenit*.

[3] Ita Am et edd.; C, *Gadira;* sed Josephus *Garizin*.

[4] Edd., *quod;* Am, *quia;* C, *quo*, melius, nempe *illud quo*.

[5] Ita edd.; tamen Am et C, *crucifixerit*.

[6] Ita Am et C; edd., *proditæ*.

[7] Ita C, ac etiam Am, nisi quod librarius solvit vocem *nefasto* in *nefando fastu*. Sed edd. periodum exhibent syntaxi laborantem: *Uxorem Philippi Herodiadem, quam Herodes illicito ac nefando sibi sociavit*, etc.

[8] Ita C et Am, elegantius ac stylo Ambrosii conformius quam *labores*, ut in edd.

[9] Gajus nempe vel Cajus Caligola. Gajus et Cajus indiscriminatim scribebatur.

latrocinia, discessiones[1] eorum insolentia, quos per viginti annos Eleazarus princeps latronum gravissime depopulatus, aliquando tamen captus a Felice, qui Judææ præerat, et Romam directus, graves pœnas dedit.

3. Nec sic quidem gravi cæsorum numero infractus est populus Judæam inhabitantium, sed et in ipsis Hierosolymis aliud latronum pullulavit genus, qui vocabantur sicarii, non jam secretis abditi, nec tenebris nocturnis insidiantes sine aliquo præsidio commeantibus, sed luce diei, atque in medio urbis et turbæ stipamine percutiebant quoscumque propius accesserant, breves manu gladios gerentes, conferto populo permixti, ubi adhærentem fixerant. Cadebat imprudens cæco vulnere ut querelam mors præveniret: funus in promptu, sed percussor latebat, et si quis commotus fuisset alieno vulnere, propior suo factus erat cæsorum portio. Ita vel periculi metu vel dissimulatione facinoris sicarius non deprehendebatur: tanta erat insidiantum velocitas et latendi[2] ars. Occiditur sacerdos Jonathas; addebantur multi quotidie, graviorque erat metus viventium quam ærumna interfectorum. Quasi ad pugnam sic quotidie unusquisque progrediebatur, graviore tamen conditione, quia hostis prævidetur, sicarius delitescebat; mors in oculis, in animis timor. Nemo se regressurum credebat, nec amicis fides deferebatur dum sicarius metueretur.

4. Quo plerique perterriti, insontes quidem a flagitio latrocinandi vel sicariorum contubernio, etsi manu innoxii, consilio tamen infirmiores, desertum petiere. Sed dum sibi consulunt, terrorem fecerunt discessionis, ex quo belli adversus Romanos suspicio primo, deinde invidia exarsit; quo motus provinciæ rector, misso equitatu et pedestri agmine, maximæ[3] multitudinis stragem edidit.

CAPUT VII.

1. Ægyptius quoque pseudopropheta adveniens et magicis inbutus artibus, dum jactabat se prophetico spiritu cœlestia annuntiare oracula, triginta millia ferme[4] Judæorum associavit sibi, eosque ad montem Oliveti congregans, frequenti irruptione penetrabat Hierosolymam, ita ut etiam romanas incursaret custodias, quæ ne quid a populo moveretur, Hierosolymis prætendebant.

2. Ubi etiam hæc compressa est insolentia, quasi in ægro corpore alia pars gravius inflammabatur: plurimi enim palam discedendum a Romanis, libertatem servitio præferendam vociferabantur, progressisque in agros quibus alimonia deerat, vi expetebatur.

CAPUT VIII.

1. Postremo in urbe Cæsarea gravis inter Judæos et gentiles seditio incessit, vindicantibus sibi Judæis urbis totius quasi ab Herode Judæo conditæ possessionem; referentibus gentilibus quod conditor quidem Judæus fuerit, sed Cæsaris eam nomine declaraverit, denique et templa intra eam instruxerit et statuas apposuerit, eoque videri magis eam gentium[5] usibus mancipatam. Harum contentionum seditio in manus vertit,[6] quia neque primi Judæorum suos seditioni deditos comprimere poterant, et gentiles opprobrio ducebant, si Judæis sibi cedendum arbitrarentur. Itaque excitaverunt Felicem, ut dum utriusque partis gestit comprimere multitudinem non adquiescentem, præsertim armis, quando aliter nequibat, consuleretur.

2. Cui successit Festus, qui, latronibus plurimis comprehensis, haud exiguos ultimo exitio dedit. Albinus quoque, eadem a Romanis potestate sibi credita, nullum nequitiæ genus prætermisit, rapinarum improbus prædo, ut qui non dedisset pecuniam, in vincla raperetur quamvis innoxius; qui dedisset, etiam reus absolveretur. Avaritia gignebat superbiam, ut pauperioribus se tyrannum præberet, mancipium ditioribus.

3. Idem tamen ut supergressus[7] nequitiam superiorum, ita a successore Floro quasi deses ac lentus in flagitiis, longo sed proximo intervallo præteritus ac derelictus, ut comparatione deterioris integer æstimaretur; et qui primo questi fuerant ut afflicti, postea Festum quasi bonum judicem desiderabant. Hic enim singulos exuerat; Florus urbes diripiebat, inquinatissimus in obscenitatibus, in sævitia crudelissimus, armis omnia conturbans et prælia de præliis serens.

4. Qui nec obsecratus ignosceret, nec exsaturatus parceret, in conspectu Berenices,[8] quæ soror Agrippæ regis ad templum religionis causa venerat, acerbissima cæde in populum desæviebat, nec obsecranti deferendum arbitratus, quum inservientem religioni nudis pedibus adstantem cerneret, et orantem fastidio haberet; unde ad Agrippam regem et ipsa scripsit, et populus Judæorum direxit precatum auxilia libertati.

5. Cui regredienti ex Ægypto occurrerunt plerique ultra sexaginta stadia Hierosolymitanæ urbis obviam progredientes, et circumducto per urbem cum fidem querelarum probarent, insistere cœperunt ut legatos ad Neronem mitteret. Verum ille dolorem ut civium et ipse miseratus, tentamenta tamen belli adversum Romanos alta prudentia cernens moveri, ne et sibi invidia populoque ultimum gigneretur periculum, coacto in unum populo, eo loco, qui templo proximus et ponte divisus Xystus appellabatur, hujusmodi orationem habuit:

CAPUT IX.

1. Etsi in plerisque improvidus consulendi, moderandique inpatiens dolor gravibus aliquos faciat inæstuare querimoniis, tamen ubi consilium sumitur, sequestratur affectus doloris. Nam si promptos ad ulsciscendas injurias et ad inferendum romano bellum imperio universos ex hoc populo comperissem, ac non melioris partis et tranquillioris sententiam

[1] Ita A et Pa, nempe secessiones in loca deserta, quæ lectio firmatur etiam circa finem capitis. Communior lectio, *dissensiones*.

[2] Ita C; sed Am et edd., *celandi*.

[3] Vulgo *maximam;* Am, C, Pa, etc., *maximæ*, consonanter Josepho qui habet πολὺ πλῆθος.

[4] Ita C, vulgo *fere*, in quod tamen *ferme* videtur a librariis immutatum.

[5] Ita C; sed Am et edd., *gentilibus*.

[6] Ita Am et C, cohærentius stylo Ambrosii quam *vertitur*, quod in edd.

[7] Ita C, probante quoque Barrensi; Am, *ut sit prætergressus;* edd., *idem tamen etsi prætergressus*.

[8] Am et C, *Beronices*. Notandum hoc nomen, cum in græco desit littera *v*, idem esse ac latine *Veronica*.

quod pacis est præoptare, quod quietis præferre, nec venire ad vos ausus forem, nec consilium darem. Superfluum enim est suadere quid fieri oporteat, cum audientium assensus in deteriora it.[1] Sed quia aliis inexpertus bellicorum usus malorum, aliis perfunctoria spes libertatis, prædulcis ad expetendum, sed plerumque irrationabilis ad adipiscendum, — multis enim dum libertas petitur, servitus accumulatur, et frequenter totum eripitur, quibus vel nomen libertatis remanserat, — alios quibus præsentia vilitate sui displicent, rerum novitas invitat, ac si turbentur negotia lucrum putatur; ideo vobiscum consilium conferendum putavi, ne aut prudentiorum sobrietas præripiatur insolentiorum audacia, aut qui recte sapere nesciunt, nostro saltem admoniti sermone cognoscant adquiescendum esse consultioribus. Silentium igitur deserendum censeo, ut et nos quæ conducere vobis arbitramur, aperiamus, et vestrum nemo perturbet, si aliqua præter suam voluntatem audiat. Nemo enim poterit æstimare quale sit quod dicitur, nisi audierit prius, cujus ipse futurus arbiter sit, probetne an respuat, frustra conturbat ne audiat. Licet enim et post consultationem unicuique sentire quod sentit, et si discessio placet, etiam post sobrios monitus servare inconsultæ voluntatis sententiam. Sed dicet aliquis: Cur frustra audiri velim, si non adquiescant qui audiunt? Quia si nolint adquiescere cum audierint, portio mihi concionis; non omnis populus periclitabitur. Si autem audire nolint, etiam cum pars conturbat audiri, universo populo eripitur[2] audiendi profectus. Itaque apud eos mihi sermo morietur qui audire voluerint, si vel ex parte aliqua mihi silentium non deferatur. Intercipietur enim sermo omnis et quasi totus decidet, si concionalis fragoris et inquieti strepitus examinetur impedimento. Duo sunt itaque quibus primum respondendum arbitror, quæ in maximo sunt querelarum pondere: quod plerique vociferantur de injuriis præsidum, et quod plerique periisse sibi libertatem gemunt: quarum propositionum separanda mihi complexio videtur. Si enim præsides improbi, quid opus est libertatem attollere? Ne videamini non eorum merito, sed servitutis fastidio accusare præsides quasi dominationis ministros. Aut si intolerabilis servitus, superflua ergo de præsidibus querimonia: nam etsi in illis moderatio[3] sit, nihilominus tamen turpis servitus est. Consideremus igitur ne in utroque eorum non perfunctoria bellorum materia sit. Quid autem ineptius quam de injuriis queri, et bellum subtexere ac periculis mutare contumelias, dum judicem refugias, hostem inducas, cum judex iniquus plerumque juris interpres sit, hostis autem etiam justus semper sit appetitor salutis? Temperari, non exasperari judicem decet, hostem caveri, ne alterum acerbes, alterum accersas, cum et ille delinimento mitior fiat, et iste declinari debeat ne possit nocere. Cavendum igitur de judicibus ne major querela quam injuria sit, graviorque objectionum invidia quam commissorum pretia. Sæpe enim qui primo vere-

A cundius deliquerint, accusati insolentiores sunt, et qui occulte ante furati sunt, postea palam latrocinantur. Nihil itaque tam exasperat fervorem vulneris quam ferendi impatientia. Denique in ipsis agrestibus feris arctissima vinculorum[4] si se excitent imprimuntur, si quiescant relaxantur, gravisque febrium vis tolerando minuitur, inquietudine augetur. Quodsi norunt sibi consulere agrestia ut naturæ obliviscantur quo dolorem allevent, quanto magis in hominibus frequens docuit usus quod

B eorum qui læsi sunt, tolerantia[5] lædentibus fuerit verecundiæ, ut sine accusatore correxerint quod accusati non emendassent? Sed esto; fuerit intolerabilis romanorum judicum insolentia: quid igitur intolerabilius? universos an unum perpeti? quæ autem justitia cum unus læserit, bellum inferre omnibus? numquid omnes Romani injuriæ auctores? numquid ipse Cæsar? aut studiose electus est improbus qui ad vos mitteretur? Sed neque speculari possunt trans maria,[6] oculosque ad orientem et

C occidentem intendere ut illic videant quæ hic geruntur, neque audire facile, quod etsi sollicitudo exigat, longinquitas negat probationum difficultatem.[7] Unius igitur culpa dissidium pariet orbis romani, cum etiam sine querelis vestris propera correctio sit nulla accusationis invidia, itineris nullo labore? Annuis enim vicibus romani magistratus mutantur; quo fit ut nec insolens diu maneat, et moderatior cito succedat. Nihil igitur oberit quievisse, cum remedium deferatur etiam

D quiescentibus. Causas autem belli intexere perniciosum, quia dura belli adversum omnes conditio, adversum Romanos ultima; quos si fugere velis cum superare nequeas, orbis terrarum tibi relinquendus est. Sed libertatis cupiditatem prætenditis. Sera ista deliberatio; prius certandum fuit ne amitteretis libertatem, quam ut amissam reposceretis. Durus servitutis usus, et ideo aut a principio non fuit subeunda, aut suscepta æquanimiter ferenda. Tunc decuit restitisse, cum ad servitium

E vocaremini: illa justior pugna. Qui autem semel se dederit in servitutem, etsi postea subtrahere se velit, non ille tamquam amator libertatis asseritur, sed tamquam servus contumax adjudicatur. Ubi erat ista libertatis defensio, cum Pompejus vestris ingrueret regionibus, urbem dominus intraret? Ubi erant arma pro libertate? Cur deposita sunt a patribus nostris? Et certe illi fortiores nobis fuere: vigebant animis, abundabant subsidiis, cupiebant repugnare; sed exiguam portionem romani exer-

F citus non sustinuere. Victi sunt; sed reservati agnoverunt jugum servitutis, ne tolerarent pœnam captivitatis. Quid recusatis heredes quod debetis jure successionis? Adstringunt vos negotia patrum. Quomodo obedientiam refugitis tanto inferiores obedientibus? Aut quid vobis reliqui erit, qui in vos Cæsarem et omnem virtutem romanam movetis? Quomodo potestis sustinere eos, qui de omnibus triumpharunt, atque ab omnibus sibi militantibus nunc adjuvantur? Et Athenienses quidem

G pro libertate totius Græciæ incendio patriam tra-

[1] Communis lectio *sit;* at syntaxis ipsa ostendit præferenda lectio cod. C, *it.*

[2] Ita recte Am et C; edd., *eripiatur.*

[3] Ita Am et C; minus recte edd., *moderatior.*

[4] Ita Am et C; edd., *vincula,* quæ, ut facilior lectio, non genuina habenda.

[5] Ita recte Am ac C, uti et paulo post *tolerantiæ,* pro *verecunda, toleranda,* quod in edd.

[6] Edd., *transmarina;* sed etiam propter syntaxim præferendum *trans maria,* ut Am et C.

[7] Ita communiter; sed ob sensum legendum videtur *difficultate,* vel *ob probationum difficultatem.*

diderunt, exilio mutantes domos ne sibi Xerxes dominaretur, quem in terris navigantem, in fluctibus gradientem, cum eum nec maria caperent, nec terra sustineret, quod Europæ totius spatia transitus ejus itineris includeret angustioribus terrarum finibus quam exercitus commeatu, ita persecuti sunt fugientem, ut vix una navi fugitans auxiliique indigens se subtraheret captivitati. Verum ipsi illi viri, qui totam fregerunt Asiam propter exiguam Salaminam et imperitantem fluctibus Xerxem, subigentem maria, in eo ipso quod sibi subjectum putabat elemento gloriosissime debellatum fugarunt, nunc Romanis serviunt; et principes totius Græciæ Italorum imperiis obtemperant; atque illæ Athenæ, quæ leges aliis dabant, nunc alienis legibus famulantur. Lacedæmonii quoque post Thermopylas et Leonidæ defuncti triumphos, post Age-
1 silaum scrutatorem[1] Asiæ nunc amant dominos
2 suos. Macedonia atque Africa, quæ per duos[2] validissimos duces totius orbis imperium in sua jura et possessionem transfuderant, translatam a se potentiam non indignantur, tantaque rerum mu-
3 tatione contentæ optant propitios,[3] quos ad servitutem petebant. Nec Philippi divitiis Macedones, nec Alexandri excitantur triumphis, quos duces omnium prudentissimos non immerito invictos arbitrantur, quia alter se intra Græciam tenuit, alter fugiens arma romana usque ad regna Caspia et extrema subactæ Persidis atque Indorum secreta victor pervenit. Magni nomen obtinuit, quia maximos omnium non lacessivit; quem licet immatura mors triumpho Romanorum subtraxerit, servit tamen et ipse in posteris suis, quibus victi orientis spolia non ad fulcrum dominationis quæsita, sed ad pretium servitutis, ut nobilitas famulantium ad victoris opes perveniret. Magna virtus in Alexandro, quid tamen mirum? Ille usque ad oceanum victoriam extendit, Romani ultra oceanum. Testis est
4 Britannia[4] extra orbem posita, sed Romanorum virtute in orbem redacta. Quos ætas superior ignoravit, didicit Romanorum victoria. Serviunt et ipsi qui, quid esset servitus, ignorabant, soli sibi nati et semper sibi liberi, qua superiorum potentia interfuso oceano secreti, metuere non potuerant quos nesciebant. Plus itaque fuit transisse ad Britannos quam triumphasse de Britannis. Quid facerent enim, elementis jam romano imperio subjectis? Docuit illos oceanus servitutis patientiam, postquam transfretantibus et ipsum Romanorum
5 navigiis insuetam sibi servitutem agnoverat.[5] Nam

A de Annibale quid retexam? qui tot regionum victor romanis et ipse militavit triumphis, quibus Alpes aperuit, viam stravit, urbes subegit quæ victoribus victus reparare sese nequivit. Cessit sponte victoribus, quos victos non sustinebat, abjectisque armis victricibus ad Prusiam sese contulit regem, ex duce mercenarius, ex triumphatore fugitivus. Veniamus ad Galliarum incolas, populos natura feroces et naturalibus muris ferociores, quos non cementa parietum, sed juga Alpium ab ortu solis tuentur,
B ab occasu oceanus includit, a meridie prærupta Pyrenæi, a septentrione Rheni fluenta, immanisque Germania[6] insuperabiles et inaccessibiles 6
reddidisse claustrorum beneficiis æstimabantur. Romanis tamen supra nubes viantibus, et ultra columnas Herculis imperium propagantibus nihil invium fuit; tanta facilitate[7] hostis et qui la- 7
tebat repertus, et qui resistebat victus est; quorum improviso adventu consedisse montes Germania credidit, Rhenum exaruisse; qui magnitu-
C dine corporum et contemptu mortis ceteris validiores; qui ante ferociæ suæ retinaculum Rhenum putabant, nunc salutis defensionem. Itaque jam non caupulis[8] Germanorum repletur, sed Romano- 8
rum liburnis, quæ pererrantes toto usque ad mare bicornis amnis fluento[9] quondam liberas gentes ser- 9
vitio premunt, ut quæ ante sibi totius orbis imperium præsumpserant, nunc servitutis propriæ mercedem exsolvant. Quid Illyriis[10] erutum venis 10
terrarum suarum aurum profuit, quibus non abun-
D davit ad libertatis præmium? Quanto pretiosius ferrum romanum, cui servit aurum Pannoniorum! Dat itaque Pannonius auri tributum, et opes suas ad romanum ærarium volens transfert, ut sit tutior in servitute. Nec incolam suum auro turbida Pactoli unda extulit in superbiam; servit libenter quibus servire imperia videt. Nec miratur Indus gemmam suam aut Seres lanam suam: ad usum dominorum exercentur illa, non pretia[11] mercium 11
sed functionum munera. Persarum audivimus su-
E perba imperia; sed eorum quoque obsides vidimus, et cum ipsi imperitent plurimis nationibus, tamen offerunt liberos suos et nobilitatem suam. Servire Romanis gaudent pro fide pacis simul, ut serviendo Romanis discant suis imperare; offerunt vestes, monilia, elephantos quoque. Romanis unum tributum est,[12] reges imponere. Attexamus Ægyptum 12
abundantem opibus suis nec indigentem pluviæ cœlestis, quæ sibi ipsa imbres generat et pluviarum ubertates creat; denique cum sit ferventior

[1] Ita C; edd., *servatorem*, ac etiam Am post rasuram, ex qua tamen conspicitur originalis lectio *scrutatorem*. *Servatorem* autem non congruit sensui nec Josepho qui habet τὸν ἐρευνήσαντα, *scrutatorem* vel *excussorem*.

[2] Ita A et C, dum edd. habent *suos*. Per illos duos intelliguntur Alexander et Annibal.

[3] Edd. addunt *dominos*, quod deest in veteribus mss., in edit. principe et apud Josephum.

[4] *Britannia* retinuimus ex edd. more communi; sed revera C melius respondet Josepho, qui habet Βρεττανιῶν, scribendo *Brittania*. His autem similia occurrunt et libro V, cap. 15; ac deprehenditur imitatio illorum Virgilii:

.... *toto divisos orbe Britannos.*

[5] E veteribus mss. Sed edd., *agnoverant*. Sed sensus est: Britanni servire didicerunt ab ipso Oceano, quando iste a romanis navigiis ipsum transfretantibus insuetam antea servitutem agnoverat.

[6] Ita C propius Josepho accedens, quam edd. per *immanesque Germani*.

[7] Ita Am ac C; et hanc veram lectionem habent etiam Gualtherus ac Barrensis. Edd., *felicitate*.

[8] Edd. *copiis*, veterum mss. A, *copiis*, cui superscriptum est *copolis*, C, *caupialiis*; Am, *cauplis*; sed recte conjecit Gualtherus *caupulis* fuisse genuinam lectionem; quod genus navigiorum excavatum in usu Germanis fuisse narrant Tacitus et Marcellinus.

[9] Ita C et Am, dum edd., *tot.... fluento*. *Fluentum* idem ac fluidum elementum.

[10] Videtur legendum Iberis ex Josepho; sed forte translator utrumque populum eundem habuit, ut insinuat sequens Pannoniorum mentio.

[11] Edd. *pretio.... munia* pro *pretia* et *munera*, ut habent Am et C; unde cadit votum Mazochii, qui *pretio* et *munio* legere malnisset. Mazochius *functionum* interpretatur *pensitationes tributorum*.

[12] Edd., *quoque Romanis. Unum tributum reges*, etc. Sed valde melius Am et C, ut in textu.

omnibus regionibus, sola non queritur de siccitate, et quod nulli alii loco suppetit, alit irriguo suas adquirerentur; et qui frequenter superior, spem tamen victoriæ victis numquam interclusit, semel messes. Navigatur in arenis, navigatur per sata ubi pluvia nescitur. Cujus tamen nova gratia et naturalis fecunditas Romanis militat, ut quatuor mensibus dominos alat. Quid ipsam urbem loquar cognomine régis fortissimi, quæ sæpta fluminis muro nescit obsidionem, cui universorum amnium maximus diffuso per spatia terrarum alveo et obsidionis summoveat impedimenta, et invehendis quæ necessaria sunt ad usum remedia ministret? Quæ magis poterat ad rebellandum quam Ægyptus excitari, quæ decies septingenta et quinquaginta
1 millia hominum[1] præter Alexandriæ incolas populos romanis fascibus numerat adscriptos? Et cum habeat tantam multitudinem, mavult tamen romani imperii tributis se exercere quam suis militare stipendiis. Non transiliam Cyrenenses Lacedæmoniorum genus, qui quondam cum Carthaginiensibus de finibus atque imperio certarunt, finem certaminis mortem offerentes, qua oblatione victi, sed
2 ulti tamen injuriam Phileniis[2] fratribus victoriam concessere; nec Syrtes præteribo terribiles etiam solo auditu, quod omnia ad se trahant et appropinquantia vadoso mari hæreant. Tertiam partem orbis totius ab Atlantico mari et columnis Herculis usque ad mare rubrum atque Æthiopas definiri rerum periti asseruere. Quis tot gentium populos numero recenseat, quibus fulta Carthago Scipionis dexteram non tulit, maluitque Romam duabus anni partibus adversum se pascere, quam aliorum opibus nixa adversum Romanos rebellare? Creta quoque centum urbibus nobilis, uberrima præferens regna, circumfusa undique mari et fluctibus tamquam mœnibus solita hostem repellere, unum consularem veretur; et plurimi populi sex fascium virgulis metu inclinantur. Asia, Pontus, Eniochi, Scythæ Nomades, Tauroscythæ, Mæotiaque regna Bosphoranique omnes romano imperio subjiciuntur, et illud ante innavigabile pelagus quadraginta naves ad pacem exercent. Nam de Armenia quid dicam, quæ non solum limitis sui servat quietem, verumetiam portarum intenta custodiæ diligenter explorat, ne pacem turbaturus aliquis irrepat? Omnes ergo Romanis servire gestiunt; vos soli dedignamini his esse subjecti, quibus subjiciuntur universi? Quibus freti armis, quo superbi
3 milite? Ubi est stolus[3] navium vestrarum, qui obsideat freta, percurrat maria Romanorum? In ipsorum enim nomen elementa etiam transierunt, in quos transivit etiam orbis terrarum, qui romano imperio clauditur et definitur, denique a plerisque orbis romanus appellatur. Nam si verum quæramus, ut supra diximus, terra ipsa infra Romanorum imperium est, supra quam progressa romana virtus ultra oceanum alterum sibi orbem quæsivit, et in Britannia remota a confinio terrarum novam sibi invenit possessionem. Denique quibus jus non solum civitatis romanæ, sed etiam ipsius prope humanæ conversationis negatur, illo diriguntur,

A ut illic habitent quasi mundi exules. Cessit oceanus finibus suis; novit Romanus interiora ejus petere secreta: cum ipsis vobis erit bellum, adversum quos nec natura suum jus possidet. Euphrates ille inaccessibilis ante nisi suis incolis, ex utraque jam ripa romanus est, et sub imperio romano totum esse significat orientem. Hister in septentrionalibus partibus inter sævas et innumeras profluas gentes obsides suscipit, hostes coercet. Meridiana plaga, quousque habitabilis esse potest, arat Romanis,
B atque ipsis messem suam colligit. In occasu quondam ultima terrarum Gaditana ora novos suscipit hospites, qui romano imperio tributa sua deferant. Habet et ipsa quo dirigat merces suas; ubi ante solum naufragium putabant, ibi nunc mutuatur commercium. Cum igitur Romanorum omnia sint, unde vobis adversum Romanos præsidia quæretis? ex qua vobis inhabitali parte socios postulabitis? Quicumque enim in orbe terrarum sunt, Romani omnes sunt. An ultra Euphraten ad Adiabenos
C dirigetis legationem? Sed nec ipsis vacat sua relinquere; nec Parthus sinit petitam sibi pacem interpolari, ne ipse in finitimis reus sit rebellionis. Ne istud bellum simile putetis ac si adversum Arabas et Ægyptios vobis gerenda prælia sint; alia romana arma, aliæ opes ex toto quæsitæ orbe: nec Hierosolymitana vobis blandiantur præsidia murorum: validiorem murum oceani ruperunt. Sed de religionis auxilio præsumitis, cum orbem jam romanum Jesu discipuli repleverint; aut sine
D Dei nutu putamus illam crescere religionem, urbemque Romam supra omnes regiones proferre imperium suum? Ne[4] nostra nos jamdudum religio deseruit, quia nos deseruimus fidem et frequenter interdicta mandatis cœlestibus requisivimus. Unde in nos venit Ægyptius, quemadmodum captivi facti sumus Assyriorum. Nonne Scriptura dixit hæc eventura? nonne scriptum est profananda omnia templi sacramenta? Quæ jam sæpius profanata vim suam atque omnem divinorum mysteriorum gra-
E tiam non repræsentant. Contaminatum est templum humano sanguine: repleta sunt pulvinaria cadaveribus, perfusæ aræ cruore; pugnatum est sabbato; prævaricatio facta est dum templum non sua observatione et feriarum solemnitate, sed cruento defenditur prælio; et hoc utique iterum fiet. Ergo quomodo possumus tamquam adversum hostes et religioni adversarios divinum auxilium mereri, cum ipsi prævaricationem inferamus nostræ religioni? Quod igitur remedium, cum et humanæ
F opes non suffragentur, nec divina opituletur gratia? Alterum horum aliquos invitare ad bellum solet; vobis utrumque deest. Quid ergo superest nisi manifestum excidium? Quod si non declinatis dum cavere licet, nihil aliud nisi vos ipsi vestram patriam concremabitis templumque exuretis, conjuges quoque et liberos dabitis neci: quibus auctores eritis supremæ amissionis, cum malorum omnium incrementum inconsolabile sit nostræ culpæ adscribi quæ sustinemus. Accedit huc quod aliarum
G urbium bella suorum incolarum excidiis determinantur; vestra rebellio totius erit excidium reli-

[1] Gronovius notavit et explicavit errorem interpretis, quia Josephus ait, *habens quingentas ultra septuaginta miriades hominum.*

[2] Ita Am ac C, quod opinatus est quoque Barrensis. Edd., *Philineis.*

[3] *Stolus*, a græco στόλος, classem significat, unde et vox italica *stuolo.* Notat Mazochius, pag. 996, nota 619, reperiri hanc vocem lib. VII *Codicis Theodos., de Navigatione.*

[4] Vulgo *Hæc*, sed valde melius C, *ne* pro *næ*, quod *certe* significat.

gionis,[1] quæ toto diffusa orbe populos ubique disseminavit, et in omnibus urbibus nostri portio est. Vestro igitur prælio Judæi omnes implicabuntur, nec erit ulla regio nostri expers cruoris. Aut si tales sunt Romani, ut Judæos non persequantur nec bello lacessiti, quam injustum est bellum iis inferri quorum humanitatem speretis! Bonum est, carissimi, bonum est, dum adhuc in portu navis est, prævidere tempestatem futuram, nec imminentibus quemquam sese objectare periculis, ne cum in altum processeris, jam naufragium non possis cavere. Et plerumque quidem repentina exsurgit procella, et bellum excipitur etiamsi non inferatur: sed interest lacessere hostem an excipere? Magis parcit non lacessitus, et necessitas excusat insolentiam; ubi vero in præruptum quisquam se immergit periculum, oneratur etiam opprobrio. Non is hostis est, quem fuga possitis vitare: quocumque ibitis, sequetur periculum, immo ubique hostem reperietis. Omnes enim Romanorum amici sunt, et quicumque præter Romanorum amicitiam est, hostis universorum est. Subeat vos patriæ amor: si non pignorum vestrorum, non conjugum vos contemplatio revocat, revocet templi contuitus sacratissimi; parcite saltem religioni, parcite sanctissimis sacerdotibus, quibus jam non parcent[2] Romani neque ipsi templo, quos pepercisse pœnitet, quoniam jamdudum volunt omnes gentes nostram extinguere religionem, cui Pompejus tamen cum extinguere posset, pepercit. Ego nihil prætermisi, monui omnia quæ ad vestram spectant salutem. Hoc vobis suadeo quod mihi eligo: vos considerate quid vobis utile sit. Opto mihi et vobis pacem esse cum populo romano: si recusatis, ipsi vobis eripitis meam societatem; aut communis erit gratia aut sine me periculum.

2. Hæc dicens illacrimavit; Berenice quoque soror ejus, nam et ipsa erat in Xysti[3] superioribus; et multum eos Agrippa suis lacrimis inflexerat, ita ut dicerent Judæi: Non Romanis rebellamus, sed Floro, qui bello digna commisit, bellum inferendum arbitramur. Respondit Agrippa: Sed hoc est Romanis bellum movere; facta vestra Romanorum injuriam petunt: non Floro sed Romanis, non Floro sed Cæsari tributum negatur; non Flori sed Romanorum miles in castro est, quod appellatur Antonia, a quo dirutis divisisque porticibus templum separastis ut custodia sequestraretur. Restituite statutum superiorum[4] tributum: quod Cæsari debetur, Cæsari solvatur, ne Florus hoc referat, non se a vobis, sed Cæsaris imperium repudiatum.

3. Adquieverat populus his dictis, ita ut cum Agrippa in templum ascenderent, porticus ut fuerant, inciperent ædificare, tributum cogerent. Denique brevi missis in hujusmodi munus industriis exsecutoribus, congregata sunt talenta quadraginta, quæ deerant tributariæ solutioni. Compressus fuerat omnis belli tumultus; sed adjungere iis Agrippa volens ut Floro obtemperarent, donec ei a Cæsare successor veniret, ita plebem exasperavit, ut ne ab ejus quidem contumelia temperaretur, sed extrusum urbe nonnulli[5] jactis lapidibus incertum an percusserint: qua motus injuria rex auctores eorum comprehensos ad Florum direxit, ipse autem in regnum suum concessit.

CAPUT X.

1. Eo discedente, concitatores belli compositis insidiis Masada castellum occupaverunt, necatisque Romanorum custodibus suos constituere. Eleazarus quoque, principis sacerdotum filius, præruptæ vir audaciæ, suasit ne cujus alienigenæ donum vel sacrificium reciperetur, quæ tuba belli adversum Romanos fuit, universosque in tumultum excitavit.

2. Videntes itaque potissimi quique quod ea res præruptæ[6] causa dissensionis foret, agebant cum populo non solum Cæsari bellum irrogari, sed violari etiam instituta religionis templique imminui reverentiam, argui et condemnari patrum traditiones, qui ex muneribus alienigenarum templum ornaverint, cui multo amplius accesserit divitiarum ex collatione gentium donisque diversarum et innumerabilium nationum; obliterari sancta majorum, sacros ritus novari. Quid futurum de his quæ ante collata sint, si simili modo conferri in posterum dona gentium prohibeantur? Aut si solis Romanis interdictum sit quod omnibus liceat, quod incentivum belli futurum? Postremo impium, si apud Judæos tantum nec sacrificare, nec inferre munera alienis permitteretur. Considerare eos oportere quia Cæsaris pax solveretur, quem hujusmodi motum offensione haud dubie facturum, ut eriperet Judæis omnem usum sacrificiorum, ut nec pro se sacrificarent qui[7] sacrificium Cæsaris refutavissent. Præveniendum mature, nam talia consulta si ad Florum atque inde haud dubie ad Cæsarem pervenirent, Judæorum genti pestem factura.

3. Simul hæc adstruere sacerdotum testimoniis desiderantes, interrogabant si umquam a majoribus esset sacrificiis gentilium renuntiatum. Id quominus liqueret, obstrepebant ad seditionem parati, nec ministri quidem altaris audebant sese tantæ discordantium inserere contentioni: unum remedium superesse visum est, ut Florus atque Agrippa rex cum militari manu adessent, ut saltem metu desisterent qui consilio nequaquam revocarentur. Sed Florus, qui augeri vellet seditionem ne ullus Judæis esset veniæ locus, quibus si involuti bello forent, arguendi rapinas ejus et commissa graviora facultas omnis extingueretur, passus est crescere belli furorem, nihilque legatis responsi reddidit. Agrippa, quem[8] maxime ambiebat Scyli et Antipæ Custobarique propinquorum suorum legatio in commune bonum, ut et Judæos Romanis servaret et Judæis religionem, patriæ templum,

[1] Quidam mss. ac etiam Am, *regionis;* sed huic lectioni evidenter adversantur sequentia, *quæ toto orbe diffusa;* voce autem *religionis* intelligendi sunt omnes qui religionem judaicam profitebantur, toto orbe diffusi.

[2] Ita Am ac C, melius quam *parcunt* in edd., quoniam hæc lectio orationis seriei repugnat, ubi Romani nondum ut persecutores exhibentur.

[3] Nempe in eo loco de quo in fine cap. VIII.

[4] Id est jam a patribus persolutum. Lectio autem *superiorem* a Barrensi proposita, idcirco admitti nequit.

[5] Ita C; edd., *nonnullis;* melior apparet lectio nostra.

[6] Vulgo *præsumptæ,* sed melius *præruptæ,* ut Am, C et Pa, ac cum Josepho congruenter.

[7] Voces *sacrificarent qui* omissæ fuerant in editt. posterioribus priori, donec Gallandius, post Mazochii animadversionem, eas restituit. Subsequens *refutavissent* idem sonat ac *repudiassent.*

[8] Ita Am, C, Pa; communius *quam,* ob cujus vocis incongruentiam Gallandius suspicatus est legendum *qui quam.*

urbem civibus sibique imperii decus, regni tranquillitatem, misit tria millia equitum Dario et Philippo turmarum ducibus, ut auxilio freti bonarum consultores partium promptius adniterentur.

4. Hinc fiducia bonis orta, improbis indignatio, bellum adolevit. Cum hos causa justior, quæ nihil tamen armorum conflictus juvaret, illos furor et multitudinis numerum accenderet, divisæ acies præliatorum. Principes sacerdotum et vulgi portio, quæ pacem optabant, cum regiis equitibus partem civitatis superiorem occupavere; illi alii in inferioribus siti, templum et propinqua loca sacris sibi vindicabant. Primo lapidibus et saxis et jactu
1 telorum utrimque bellum lacessunt, decernunt[1] sagittis; postea ut sese obtulit præliandi necessitas, consertæ manus. Peritia usuque regii præstabant volentes arcere accessu belli excitatores ne tem-
2 plum intaminarent.[2] Contra Eleazaro cum suis etiam superiorem urbem, quæ vocabatur Sion, invadere studium erat. Septem diebus sine inter-
3 missione aliqua bellatum.[3]

5. Octavus solemnitatis dies, quo ligna omnes altaribus solebant imponere ne quando ignis deficeret, quem oportebat inextinguibilem perseverare, furorem addidit ut omnes a templo ministri excluderentur. Audacius solito sicariis sese proripientibus, cessere regii, nec in superioribus partibus consistere ausi. Incensæ ædes Agrippæ ac Berenices, direptum omne instrumentum regium. Ignis circumferebatur, ut etiam chirographa debitorum,
4 quæ recondita in tabulariis erant publicis,[4] exurerentur, et quo fœneratoribus suis inopes insolentius insurgerent omni nexu sese absolutos arbitrati, incendebant urbem manibus suis. Exurebantur nervi civitatis, expugnatum est castrum cui nomen Antonia, cæsi omnes custodes reperti, incensum postea.

6. Masadam quoque proripiens sese Manaimus
5 Judæ Galilæi filius, acer et peritus[5] sophista et turbandis rebus exercitatus, armorum invasit officinas et induit armis inermos, regressusque in Hierosolymam stipatoribus tamquam regio more comitantibus, immane quantum insoleverat, ut supergrediens usum privatum, ne ab illicitis quidem, quæ liberi populi ferre non possent, temperandum arbitraretur. Insurgentibus in eum pluribus, qui fultum regali indumento tyrannum et dominum incubuisse libertati civium increpitarent, graves pœnas dedit ut afflictus prius cruciatibus immoreretur. Nec tamen bellum remotum; nam multo gravior motus insurrexit.

7. Denique Metilius cum Romanis militibus oravit ut sibi discedere liceret, dataque fide et interpositis sacramentis, ubi juxta pactum arma deposuere, cum sine metu abirent, ab Eleazaro et sociis
6 factionis inulti[6] obtruncantur non resistendum adversum vim nec precandum rati, sed tantummodo violatam fidem et perjurium perfidorum vociferantes. Omnes itaque interfecti; Metilius ipse

A præfectus militum rogando et obsecrando, simul pollicens usque ad circumcisionem quoque se Judæum futurum, solus reservatur.

CAPUT XI.

1. Ardebat omnis Judæa, Syria quoque provincia omnis in bellum excitata.[7] Denique Cæsa- 7
rienses quoscumque Judæos habebant, interfecerunt, quo dolore excitati plurimas Syriæ urbes Judæi adorsi debellaverunt: nusquam jus, nusquam re-
B ligio; nobilior erat qui plura diripuerat, quasi præmia congerens fortitudinis. Erat spectaculum miserabile, cum inhumata corpora passim jacerent in urbibus, pueris permixti senes, mulieres quoque, nec propter verecundiam spectantium munimentis, quibus pudenda tegerentur, relictis; omnia fœda et plena specie miserabili; quæ cum tetrum horrorem excederent gravis ac nefariæ crudelitatis, graviora tamen adhuc sibi invicem minitabantur. Erat immane latrocinium inter Judæos ac Syros,
C cum spes nulla salutis esset nisi ut invicem se prævenirent. Quæ enim civitas, quæ non simul Judæos et Syros permixtos haberet? Dies in sanguine, noctes in formidine transigebantur; nec odiis nec avaritiæ modus ullus: nam præter festorum et cultus diversitatem, quæ in malum publicum eruperat, ut e diverso se perditos vellent, avaritia habendi et rapiendi cupido ita animum invaserat, ut nulli, quem prædæ studio deputassent neci, parcendum existimarent.

D 2. Quid de minore numero cæsorum loquar? Nam præter Antiochenos et Sidonios et Apamenos, difficile quisquam populus inhabitantes secum Ju-
dæos non persecutus est. Geraseni[8] autem et vo- 8
lentes egredi usque ad fines proprios prosequuti sunt; ut sine ulla fraude abirent.

3. Alexandriæ vero orta inter gentiles et Judæos contentione, cum Hebræi vindictam reposcerent ac raptis facibus congregatum in amphitheatro populum gentilium minitarentur exurere, alia cu-
E rantem Alexandrum Tiberium præfectum loci in se convertere; ac primo quidem concordiam publicam reformare pacificis tentabat sermonibus.

4. Ubi vero irrideri ab iis quæ sedulo moneret, advertit, nec ullo alio modo tolli posse tantam seditionem, invadendi in eos militibus potestatem dedit, qui circumfusos adorsi maximam per totam urbem stragem fecere, cum alios resistentes, alios fugientes, alios in domibus suis latitantes necarent, neque ulla subiret[9] vel parvulorum miseri- 9
F cordia vel reverentia senum vel mulierum verecundia. Cæsa itaque Judæorum quinquaginta ferme millia: natabant plateæ sanguine, repleta erant omnia cadaveribus, crepitabant flammæ sævo per urbem incendio, quæ Judæorum domibus injectæ, vicina simul depascebantur. Inflexus tamen Alexander tandem milites abstinere et receptui canere jubet; vulgi tamen ira semel progressa in potestatem necandi, nequaquam mitigabatur.

[1] Ita communiter; C, *decertantes*, forte pro *decertant*.

[2] Id est *polluerent*. Vide Mazochium pag. 795, nota 618, qui rite animadvertit hanc vocem adhibitam esse in sensu illi opposito in quo *intaminatis* usurpavit Horatius.

[3] In Am et C deest hic *est*, quod in edd.

[4] *Publice* Pa, quod adoptarunt Gualtherus et Barrensis; sed *publicis* Am, C, ac reliquæ edd.

[5] Desunt *et peritus* in Am, C ac Pa, sed genuina esse suadet Josephus, ubi habetur *peritissimus sophista*, vel *terribissimus*, δεινότατος.

[6] Ita Am et C; vulgo autem *multi* pro *inulti*, sed hanc veram esse lectionem sequens *omnes* ostendit.

[7] *Excita*, Am et Pa.

[8] Vulgo *Cerassem*; sed lectionem nostram habent A, Am et C, et consonat præterea cum Josephi textu.

[9] Vulgo *subjaceret*; Am, *subiceret*, æque pro *subjaceret*, sed C, *subiret*, quæ lectio melius convenit voci Josephi εἰςῄει, *inesset*.

CAPUT XII.

1. Luebant enim scelerum suorum supplicia, qui postquam Dominum Jesum crucifixerant divinorum arbitrum, postea etiam discipulos ejus persequebantur. Plerique tamen Judæorum et gentilium plurimi crediderunt in eum, cum præceptis moralibus operibusque ultra humanam possibilitatem profluentibus invitarentur; quibus ne mors quidem ejus vel fidei vel gratiæ finem imposuit, immo etiam cumulavit devotionem. Intulerunt itaque parricidales manus, Act. III, 15. atque Auctorem vitæ interficiendum ad Pilatum deduxere; reluctantem cœperunt perurgere judicem; in quo tamen non excusatur Pilatus, sed Judæorum amentia coacervatur, quia nec ille adjudicare debuit, quem reum minime deprehenderat; nec isti sacrilegium parricidio geminare ut ab iis, quibus ad remediandos[1] et sanandos eos sese obtulerat, obtruncaretur. De quo ipsi Judæi quoque testantur dicente Josepho[2] historiarum scriptore, quod *fuerit illo in tempore vir sapiens, si tamen oportet*, inquit, *virum dici mirabilium creatorem operum, qui apparuerit discipulis suis post triduum mortis suæ vivens iterum secundum prophetarum scripta, qui et hæc et alia innumerabilia de eo plena miraculis*[3] *prophetaverunt. Ex quo cœpit congregatio Christianorum*, et in omne hominum penetravit genus, nec ulla natio romani orbis remansit, quæ cultus ejus expers relinqueretur. Si nobis non credunt Judæi, vel suis credant. Hoc dixit Josephus, quem ipsi maximum putant, et tamen ita in eo ipso quod verum loquutus est, mente devius fuit, ut nec sermonibus suis crederet; sed loquutus est propter historiæ[4] fidem, quia fallere nefas putabat; non credidit propter duritiam cordis et perfidiæ intentionem. Non tamen veritati præjudicat,[5] quia non credidit verbis suis,[6] sed plus addidit testimonio, quia nec incredulus et invitus negavit. In quo Christi Jesu claruit æterna potentia, quod eum etiam principes synagogæ, quem ad mortem comprehenderant, Deum fatebantur. Et vere quasi Deus sine exceptione personarum aut ulla mortis formidine loquutus, excidium quoque templi futurum annuntiavit. Sed non eos templi injuria commovit, sed quia in flagitiis ab eo et sacrilegiis corripiebantur; hinc ira exarsit ut interficerent eum, quem nulla habuissent tempora. Nam cum alii precando meruerint facere quæ fecerunt, hic in potestate habebat ut omnia quæ fieri vellet, imperaret.

Matth. XIV, 1 2. Occisus erat ante mortem Jesu Baptista Johannes, vir sanctus, qui numquam in secundis[7] A salutis veritatem posuerit. Denique ad omnia, quæ plena justitiæ docebat, quibus ad cultum Dei invitabat Judæos, etiam baptismum propter purificationem animæ et corporis instituerat. Cui causa necis libertas, quod perpeti nequivit ab Herode fraterni violata connubii jura, germano[8] abductam conjugem. Nam cum idem Herodes Romam pergeret, hospitii causa fratris ingressus domum, cui erat uxor Herodias Aristobuli filia, regis Agrippæ soror, ausus est B eam naturæ immemor sollicitare, ut relicto fratre sibi nuberet, cum de urbe Roma revertisset, et consensu mulieris inita incesti pactio est. Cujus indicium rei pervenit ad Aretæ regis filiam in conjugio adhuc Herodis manentem. Ea rivalem indignata, redeunti marito insinuavit ut ad Macherunta oppidum dirigeretur, quod erat in confinio Petræi regis et Herodis. Ille qui nihil suspicaretur, simul quia omnem jam circa eandem imminuerat affectum, quo facilius C Herodiadi pactionis fidem præstaret si ablegaret conjugem, adquievit ejus suggestioni. At illa ubi patrio regno appropinquavit, cognita patri Aretæ prodidit, qui per insidias omnem exercitum Herodis bello lacessitum delevit, proditione facta per eos, qui ex Philippi tetrarchæ populo Herodi se associaverant. Unde Herodes querelam Cæsari detulit, sed vindictam imperatam a Cæsare indignatio Dei sustulit: nam in ipso apparatu belli Cæsaris mors annuntiata, D idque a Judæis æstimatum comperimus et creditum, auctore Josepho adversum se idoneo, quod non fraude hominum sed Dei commotione Herodes exercitum amiserit, et juste quidem propter vindictam Johannis Baptistæ viri justi qui dixerat ei: *non licet tibi uxorem habere illam.*[9] Matth. XIV, 4

3. Sed ita hæc contexîmus quasi vel in suis Judæi legitima custodierint, apud quos interierat summi jus sacerdotii aut avaritia interceptum, aut potiorum insolentia, qui licere quod E vellent, jus putabant. Namque a principio Aaron summus sacerdos fuit, qui ad filios suos ex voluntate Dei unctione legitima transmisit sacerdotii prærogativam, a quibus per ordinem successionis constituti sunt principatum sacerdotii gerentes, unde patrio more convaluit neminem fieri principem sacerdotum, nisi qui esset ex sanguine Aaron, cui primo jus istiusmodi delatum est sacerdotii; alterius autem generis viro, nec regi quidem, liceret succedere. F Denique Ozias, qui usurpavit sacerdotii munus, perfusus lepra temploque ejectus reliquam ætatem sine imperio exegit; et certe rex optimus fuit, sed usurpare ei non licuit officium religionis.

[1] Am et edd,. *qui ad redimendos;* sed cum syntaxis hac lectione non currat, præferenda absque dubio lectio cod. C in textu exhibita.

[2] *Antiquit.* lib. XVIII, cap. 3, n. 3. Authenticitatis hujus mirandi testimonii rationabiliter invalidari nequit, cum in hoc quoque tam vetusto opere consignatum habeatur.

[3] A, *Deo pleni miracula,* pro *de eo plena miraculis. Deo pleni* idem nempe ac *Deo inspirante.*

[4] Vulgo additur *suæ*, sed melius deest in C.

[5] Ita C et Pa; minus opportune vulgo, *præjudicabat.*

[6] Omittunt *verbis suis* Am, plures alii mss. et edd.; sed ex C admissa sunt in textum quod e contextu genuina apparent.

[7] Ita A, Am et C. Vulgo *sæculis,* sed respuenda hæc lectio quæ nullum idoneum fundit sensum.

[8] Gualth. legere voluisset *germanique;* sed immo elegantius *germanoque* propter præp. *ab* in *abductam.*

[9] Ita Am et C; vulgo, *habere fratris uxorem.*

CAPUT XIII.

1. Fuerunt itaque ex quo egressi sunt ex Ægypto patres usque ad ædificationem templi, quod Salomon condidit, principes sacerdotum tredecim: qui fiunt anni sexcenti duodecim,[1] quoniam primo qui erat princeps sacerdotum usque ad mortem perseverabat, nec quisquam in locum viventium substituebatur; postea etiam a viventibus subrogabantur. Ergo isti tredecim per successionem adepti sunt sacerdotium, quibus temporibus et aristocratia fuit et monarchia judicum et regum potestas. Rursus a Salomone usque ad tempora captivitatis, quando in Syriam populus demigravit, urbe capta temploque exusto, fuerunt sacerdotum principes octodecim per annos quadringentos sexaginta et menses sex et dies decem. Septuaginta
2 autem annis[2] in captivitate populus fuit. Postea Cyrus cum dimitteret populum patrum de regione Assyriorum, et templi ædificandi potestatem daret, etiam sacerdotum principem Josedech, qui simul abductus fuerat, redire permisit, ut ritus veteris solemnitatis per assueti sacerdotis scientiam reformaretur. Ipse igitur et posteri sui quindecim numero viri a reditu populi usque ad Antiochum Eupatorem officio functi sunt per ordinem successionis, et principatum sacerdotii repræsentarunt annis quadringentis quatuordecim.[3] Primus Antiochus, quem supra memoravimus, et dux ejus Lysias, occiso Onia sacerdotum principe, in locum ejus
4 substituerunt Alchimum[4] in sacerdotium. Qui licet fuerit de Aaron genere, non tamen fuit de ipsa domo; unde Ananias frater Oniæ pergens in Ægyptum petiit ab Ptolomæo Philometore et Cleopatra conjuge Philometoris, qui ritus observationis ad hierosolymitanæ solemnitatis similitudinem in Alexandriæ urbis cultibus inseruerat, ut illic princeps sacerdotii subrogaretur, eo quod Alchimus legitimam non haberet sacerdotii successionem. Atque idem tamen exacto triennio defunctus nec successorem habere meruit, quia abrogaverat legitimæ successionis solemnitatem. Fuit itaque septem annis civitas sine principe sacerdotii. Usque ad hoc tempus regressionis patrum de terris Assyriorum democratia tenuit, eo quod per iniquitates regum in captivitatem se esse deductum Judæorum populus
5 recognosceret. Et[5] Asamonæi postea nacti potesta-
6 tem populo præsidendi, Jonatham[6] sacerdotum principem constituere, qui per septem annos functus suscepto munere, per insidias Tryphonis finem vitæ invenit. In cujus locum Simon frater germanus tamquam jure hereditario, per electionem tamen successit, quem generi insidiis inter epulas extinctum accepimus; a quo ad filium ejus Hyrcanum, quem fuga periculo exemerat, prærogativa sacerdotii demigravit. Hyrcano autem Aristobulus, qui etiam regnum memorato adjunxit muneri ut utriusque esset particeps, et Aristobulo Alexander substitutus est. Penes Alexandrum et regnum et sacerdotium

A usque ad diem vitæ ejus mansit supremum, per septem scilicet et viginti annos, sed plerumque dubio statu; nam et anceps inter ipsum et Demetrium victoria fuit, et odium immane a civibus.

2. Moriens Alexander, qui periculosam filiis suis cerneret odiorum suorum hereditatem, Alexandram conjugem suam exercitam usu imperii et communium assuetudine consiliorum, gratiorem tamen populo, quod et adversum viri sævitiam periclitantibus frequenter præsidio fuerit et conjugi tem-
B peramento, regni præesse voluit gubernaculo, arbitram simul statuens, cuinam potissimum filiorum summum sacerdotium committeretur. Illa Hyrcanum patri substituit in sacerdotium, vel propter senioris ætatis prærogativam, vel quod lentiore[7] quam frater ingenio, nullas super regni negotiis matri videretur molestias excitaturus. Aristobulo nihil publicorum commisit officiorum, sed ille etiam vivente matre, ægritudinis tamen ejus occasione, in remotis et munitioribus locis regem agebat.
C Quo offensa mater, et Hyrcani querelis anxia, vim morbi aluit, nec ultra novem annos imperii progressa, omnium heredem Hyrcanum reliquit, non quo servaturum præsumeret, sed ne indignum juvaret, aut usurpatoris insolentiam judicio prosperiore accenderet.

3. Verum Alexandræ mors etiam Hyrcano sacerdotium regnumque ademit; nam bello victus ad munitiora se contulit, retentisque conjuge et filiis Aristobuli, quos in castro invenerat, ample-
D xatus est mutare conditionem ut ad Aristobulum potestas omnis transiret et sacerdotium, ipse privatus in domum Aristobuli concederet.

4. Nec tamen diu contentus fuit aulam regiam privatis mutasse ædibus: nam excitatus ab Antipatro primo in Arabiam contendit velut contestaturus[8] pacti iniquitatem, deinde ubi infirmum sibi adversum Romanos, quos in sui societatem per Scaurum Aristobulus illexerat, arabi regis auxilium advertit, Pompejo venienti querimoniam
E detulit.

5. Qui eludentem Aristobulum anno jam tertio imperitantem bello perculit, auctoritate cepit atque ante victoriam custodiæ dedit, superatoque ejus populo et capta urbe, captivum ipsum cum filiis Romam dirigi præcipiens, Hyrcano sacerdotii dignitatem refudit, atque eum præsidere[9] civibus absque diademate tamen regnique infulis statuit, largus quidem honoris sed consultor quietis, ne fraternæ insolentiæ spiritu pax turbaretur. Ita
F Aristobulus captus licet, Hyrcanum tamen regno exuit, qui quatuor et viginti annos postea majore usu quam nomine in potestate exegit.

6. Nec tamen is vitæ finis Hyrcano qui potestatis fuit: nam reliquum tempus dedecori cessit, ut supra memoravimus; siquidem superatus prælio, Parthis Euphratem transgredientibus, captus et Antigono Aristobuli filio in potestatem datus, truncatis quoque[10] auribus, nec sic quidem ærumnæ mi-

[1] Id juxta A, Am, C ac Josephum; probatur etiam Gualthero ex Eusebii chronico. Vulgo *ducenti et duodecim.*

[2] Hic legitur *post* communiter, quod deest in C, et serior insertio videtur ob subsequens *postea.*

[3] Ita et Josephus; sed supputatio communior est tercentorum ac septuaginta quatuor annorum.

[4] Juxta Josephum vocabatur *Alchimus* et *Jacheimus,* unde in cod. Am, hic et postea, *Jacimus.*

[5] Vulgo omittitur *et,* quod refert cod. C.

[6] Am, *Jonathen;* C, *Jonathem;* retinuimus autem formam communiorem.

[7] Edd., *leniore;* sed Am ac C, *lentiore,* quod unice congruit contextui.

[8] Ita melius apud Gualtherum, quam commune *contestatus.*

[9] Ita C et apud Gronovium, loco vulgatæ lectionis *præsidem.*

[10] Ita C; edd., *truncatisque.*

serabilis implevit acerbitatem. Nam post illam in Parthiam quoque abductus exul, debilis senex ludibrium de se barbaris præbuit, et cognito postea quod Herodes imperitaret, cujus conjugio Mariamme neptis sua potiebatur, in Judæam revertit; ubi primo summa honoris specie susceptus, quo insidiarum velamen obtenderetur, haud multo post afficto crimine quod potestatem repetere vellet, interemtus est.

7. Nactus igitur Herodes regnum, quod a Romanis pro oppugnatæ vel proditæ patriæ mercede acceperat, in locum Antigoni, qui triennio et tribus mensibus tenuerat imperium, substituit successores in sacerdotium non Asamonæi generis, quos clarioris fuisse prosapiæ accepimus, sed ignobiles quosque quos aut libido aut casus dedisset; tamen fatigatus Alexandræ precibus socrus, vel insimulationibus territus, Jonatham[1] conjugis suæ fratrem septemdecim annos agentem sacerdotem creavit: quem mox ipse exitio dedit suspectum imperii, quod circa eum ingentem populi totius gratiam in dies videret adolescere. Posthabito itaque Ananelo, quem jam ex ignobilibus ante Jonatham in sacerdotium subrogaverat, reliquos per ordinem hujusmodi elegit, de quibus nihil suspectum haberet. Nam quod in affine perpeti non poterat, quemadmodum non caveret in alienis similia? In hujusmodi ordinationibus Archelaus, sequutus paternæ speciem consuetudinis, angustioris animi tenuit sententiam more quodam insito mortalibus, ut apud eos minus suspecta sit ignavia hebetiorum quam gratia bonorum; cum infirmus animus insolentior sit in rebus secundis, prudentior autem noverit vicem referre beneficiis.

8. Igitur a regno Herodis usque ad Romanorum imperium, quod Archelao dejecto Judæam reliquis provinciis associaverat, atque inde usque ad templi excidium et triumphum Titi fuerunt sacerdotum principes viginti et octo per annos centum et septem.[2] Sane apud plerosque eorum dignitatis sola functio;[3] penes paucos etiam jus potestatis fuit. Liquet igitur in sacerdotum principibus non perseverasse legitimi generis successionem, quia non omnes ex Aaron neque ex filiis ejus, qui in ejus subrogati locum, formam præscriptæ successionis ceteris dereliquere. Itaque cum avaritia aut perfidia suorum corrupta essent majorum instituta, violata jura religionis, convulsa antiquitatis præsidia, non immerito eos divina deseruit opitulatio. Ex quo tamquam in vacuum populum omni injuriarum genere processum, ut seditionibus domesticis in se ipsos manus verterent, latrociniis gravibus afflictarentur, teterrimos sortirentur judices, ut improbis nequiores succederent.

9. Denique Albinus deterrimus habebatur superiorum, sed Floro successore[4] inter bonos relatus, qui facem belli extulit præliumque inter Romanos et Judæos accendit, quæ causa supremo templi et urbis excidio fuit.

CAPUT XIV.

1. Namque Cestius ubi ardere Judæos comperit belli furore, qui summam militiæ regendam in partibus Syriæ a Romanis susceperat, duodecimo anno imperii Neronis movit arma ut militum romanorum, quibus erat custodia commissa coercendæ insolentiæ et pacis tuendæ, necem ulcisceretur, congregatisque etiam sociorum auxiliis Judæam ingressus, urbem cui nomen Zabulon, dilapsis metu incolis, plenam divitiarum, quas ad superiora montium confugientes domini secum auferre nequiverant, diripi ab exercitu passus, admiratus quoque publicorum operum pulchritudinem, incendi jussit.

2. Et quasi hoc parum ad vindictam foret, Joppen, præmisso exercitu, ne quis fuga sese exitio subduceret, terra marique irrumpentibus qui destinati fuerant, occupavit, necatisque octo millibus virum et quadringentis ferme amplius, ubi præda rapinæ cessit, exusta civitas est. Vicina quoque Cæsareæ depopulatus diripuit inventa, vicos incendit.

3. Cujus infregit impetum Sephoris,[5] egredientibus cunctis obviam Cestio, quorum[6] favore et gratia delinitus, immune cladis urbem reliquit. Fervebat in his locis congregatio latronum; sed adveniente exercitu in montes concesserant. Qui conferentem signa Gallum præpositum duodecimi ordinis adorsi, fortiter exagitaverunt, ut ducentos ferme Romanorum occiderent. Verum ubi superiora locorum occupavere, neque peditem cominus potuerunt latrones pati, et fugientes ab equitibus facile circumventi necantur. Cæsi itaque supra duo millia, pauci fugati, qui in arduis montium potuerunt latere, et omni a latrocinio regione purgata.[7]

4. Gallus in Cæsaream revertit,[8] Cestius cum omni manu Antipatridem perrexit, quibus non mediocrem Judæi coacervaverunt multitudinem; sed priusquam consererent manum, per diversa dilapsi, regionem et vicos direptioni et igni dereliquerunt. Lydda quoque vacua incolarum reperta, et incensa Gabao,[9] quæ ab Hierosolymis quinquaginta stadiis aberat.

5. Ubi romanum exercitum susceperunt in conspectu, posita sabbati celebritate,[10] quod veteri cultu et solemni observatione initiabant, tanto impetu in Romanos prosiluere, ut omnem exercitum averterent, nisi equites subvenissent peditibus laborantibus. Cæsi Romanorum quingenti et quindecim viri, sed omnes graviter periclitati; de Judæis autem duo et viginti bello amissi. Quo loco emicuit virtus Monobazi et Cenedæi,[11] qui cognito quod

[1] Idem nempe qui Aristobulus.

[2] Ita C, conveniens Josepho. Am et edd., *et septuaginta.*

[3] Ita Am et edd.; C, *dignitas sola; penes,* etc.

[4] Vulgo, *is inter;* sed *is* deest in Am, C ac Pa, idque rectius; subsequens vero *qui* non ad Albinum, sed ad Florum refertur.

[5] Cum apud Josephum sit Σέπφωρις, Am et C habent cum levi immutatione *Sedforis.*

[6] Edd. pro *quorum* habent *civium,* minus recta syntaxi. Unde genuinam habemus lectionem mss. Am et C, in quam convenit et Gualtherus.

[7] Ita lectio communior; C e converso: *Et omnis a latrocinio regio purgata.*

[8] Jam notavimus proprium Ambrosio hoc verbum in forma activa adhibere, unde retinuimus lectionem cod. C præ *revertitur* communi.

[9] Pro communi *Lidda* et *Gabaon*, Am et C, *Lydda* et *Gabao,* ut Josephus.

[10] Hæc lectio ex C, Josephi textui conformis; sed mendosa lectio communis quæ est etiam cod. Am: *exercitum accepit* (Am, *suscepit*) *in conspectu posita, armavit Judæos. Qui posthabita sabbati,* etc. In lectione autem nostra *posita* idem sonat ac *posthabita.*

[11] Ita Josephus, C, *Cœnezæi;* non tamen *Cedei* ut Am ac edd.

a Judæis in romanas acies insurgeretur, a fronte adgressi[1] repulere plerosque et coegerunt in urbem redire.

CAPUT XV.

1. Simon quoque ascendentes Romanos propinqua urbis, impedimentis exuit, unde et Cestius in regione sese triduo tenuit. Qua mora circumfusi hostes et in superioribus siti, ingressus speculabantur universos, ne quis impune irrumperet.

2. Quod considerans sine multa clade partis utriusque tentari nequire, misit suos Agrippa rex Borcium et Phœbum,[2] qui dicerent populo veniabile quidquid ab iis esset adversus Romanos flagitii commissum, si modo in reliquum positis armis sibi consulerent, æstimans quod vel universis suadendum crederet, ut prælio renuntiarent, vel partem ceteris avellendam. At contra seditiosi, metu ne eorum alterum procederet, legatos adorsi, Phœbum interfecere, Borcius autem excepto vulnere vix potuit evadere.

3. Videns Cestius hujusmodi in urbe contentiones, quibus alii in legatos insurgerent, alii Romanos urbe recipiendos suaderent, irrumpere conatus usque Hierosolymam, resistentes repulit, et ipse ad tertium stadium memoratæ urbis cum exercitu appropinquavit, atque illic exegit triduum. Quarto die impetu facto ingressus Bethesdam illico incendit et Cænopolin,[3] et contendens[4] ad superiora urbis, refugientibus in interiora seditiosis, si irrumpendum in urbem putasset, haud dubie omne bellum esset solutum.

4. Denique plerosque Ananus Jonathæ filius collocaverat, ut invitarent Romanos vocibus suis quasi portas reseraturi. Sed dum Cestius vel revocatur a Prisco et plerisque centurionibus, qui corrupti a Floro bellum adolescere cupiebant, vel parum credit, Ananus cum suis muro dejicitur: quibus ad sua refugientibus, locum eorum seditiosi occupavere. Romani quinque diebus tentantes diversos aditus, cum impossibilem sibi cernerent irruptionem, electis validioribus quibusque et sagittariis, a septemtrionali latere templum petebant. Judæi quoque non feriabantur prœliantes fortiter, et repulsis crebro hostibus elatiores. Ad postremum tamen multitudine sagittarum vulnerati alii, alii percussi et territi, cessere Romanis murum suffodere et portam incendere templi adorsis.

5. Magna seditiosos[5] formido incesserat et quædam mentium consternatio: denique plurimi quasi continuo perituræ urbis excidio sese subtrahebant fuga, nec consistere ausi dederant populo confidentiam ut discedentibus eis, quorum circumvallatus fuerat multitudine, tamquam jam liber et quadam exutus improborum obsidione, circa portas sese effunderet, quibus apertis reciperet Cestium, quasi non oppugnatum urbem sed defensum venisset. Sed ipsum quoque Cestium subito quidam[6] invasit stupor, ut nec desperationem improborum nec studium plebis intueretur, qui si paulisper cœptis incubuisset, bellum depulerat, urbem ceperat. Sed adversa, quantum intelligi datur, Judæis voluntas Dei imminentem belli exitum comperendinavit, donec complures ac pene universos judaicæ gentis ruina involveret. Expectabatur, ut reor, ut in omne nefas scelerum enormitas crescceret, et impietatis incremento supremorum adæquaret mensuram flagitiorum.

6. Quid fuit illud quod, cum perurgere debuerit Cestius, subito exercitum revocavit solvitque obsidionem? Qua repentina contra expectatum commutatione rerum fracti animi bonorum, et erecti latrones[7] sumpsere fiduciam, atque a fuga ad insequendum regressi, invadunt posteriora agminis, multosque illic confuse ruentes equitum et peditum obtrucavere. Et jam inclinaverat dies, unde metuens Cestius noctis propinquitatem et tenebrarum caliginem, quibus amplius fiderent gnari locorum, quo incertos regionis undique urgerent, vallum ante urbem constituit, sequentique die, cum hostem relinqueret, in sese armavit, ut discessionis ejus causam metum arbitrarentur. Circumfusi itaque[8] a lateribus, a tergo, postremos cædere, incedentem exercitum jaculis infestare, in confertos missa telorum vis haud facile frustrari. Si quis referire audebat, patere vulneri; si quis convertere sese ad infestantem, a suis relinqui, ab hoste claudi. Munitior enim semper est qui sequitur, quam qui præcedit; quia hic pectus tegit, ille hosti terga sua detegit. Vehementer itaque urgebantur Romani tamquam obsessi, qui obsessum venerant, nec jam sustinere aut perpeti poterant armorum pondere ipsi graves, hostibus velocioribus, quos neque consequi facile erat; et metus summus ne acies interrumperetur. Iniqua ergo certaminis conditione nocere hosti nequibant, cum ipsi graviter afficerentur. Hærebat Cestius consilii incertus, cum per totum iter conteri suos videret, et jam plerisque afflictis militiæ primoribus substitit biduo quasi fessos reparaturus. Sed cum magis ac magis augeri numerum hostium cerneret, et omnia in circuitu referta adversariis, sibique officere, quod moraretur, eoque plures congregarentur, tertio die compendium quærens transitus facilioris impedimenta agminis amoveri[9] præcepit.

7. Cæsa jumenta, pleraque vehicula comminuta, aliaque hujusmodi, quæ oneri magis quam usui in periculis erant, consumpta aut præcipitata, ut obsidionum instrumenta aut genera telorum, quibus rebus amplius conterrebantur,[10] ne adversum se hostem suis subsidiis armarent. Quod ubi advertere Judæi, fugam potius a Romanis quam bellum parari, occupare itineris angustiora, diffusioribus locis minus instare, prohibere a fronte, coartare a lateribus, urgere a tergo, cogere in præcipitium, in quod undique conclusi aut lapsi dejiciebantur; plerique obtexere cœlum jaculis, operire agmen

[1] Aggressi sunt Romanos, cum illi Judæi essent; unde si interpres non erravit in Josepho exponendo, non de Hierosolyma, sed de alia civitate intelligendum hoc *in urbem* coactos esse regredi, et quidem non Judæos, sed Romanos.

[2] Ita Josephus; C, *Lorcium;* alii mss. et edd., *Lorcyum;* item C hic *Phœbam,* deinde *Phœbum;* edd., *Phœbam.*

[3] Ita C, ut Josephus; vulgo *Cenopolim.*

[4] Ita pariter C, non *conscendens* ut communiter, sed contra contextum.

[5] C, *seditiosis;* communis lectio et etiam in Am, *seditiosos.*

[6] Melior sane hæc lectio *quidam* codicis C et editionis Pa quam communior *quidem.* Conformior est præterea iterato illi adjectivo in præcedentibus.

[7] Lectio codicis C conformis Josepho, et aptior contextui, ideoque præferenda vulgatæ *latronum.*

[8] Edd. addunt *latrones,* quæ tamen vox in veteribus ms desideratur, unde glossa superaddita videtur.

[9] Vulgo, *admoveri;* Barrensis, *moveri;* sed melius C ac Ba, *amoveri.*

[10] Ita vulgo; Am, C ac Pa, *terrebantur.*

sagittis, numquam remisso officio et sola adversariorum pernicie. Jam nec ipsi pedites sustentare poterant, equitibus vero majus periculum, qui per prærupta saxorum ac lubrica labentibus equis devolvebantur, nec ordinem servare poterant angusto impediti tramite. Ex altera parte rupes, ex altera præcipitia et fugæ locum et defensionis negabant. Judæi contra spe victoriæ amplius accendebantur, imminebant fessis, instabant hærentibus, insultabant desperantibus, et prope omnes romani exercitus delessent copias, nisi nox subvenisset, cujus tenebris bellum impeditum, quam Romani in proximo loco cui Bethoron nomen, egerunt, ita ut Judæi circumfusi undique specularentur locorum exitus, ne qua Romani dilaberentur.

8. Cestius aperto itinere diffidens, dolo fugam tentavit. Quadraginta itaque legit viros, quibus evadendi desperatio contemptum mortis infuderat: eos constituit in munitionibus præcepto, ut tota nocte cum strepitu maximo officia prætendentium vallo circumsonarent, ne Judæis proficiscentis exercitus apparatus aliquis indiciis solitis manifestaretur, quibus sese ipsi quicumque turbantur, prodere solent, silentio autem egrederentur universi nihil suspectantibus Judæis, qui solemnes custodiarum strepitus audirent, ex quibus omnes in loco manere Romanos arbitrarentur. Hac fraude eduxit exercitum Cestius, et jam confecerat stadia triginta usus paucorum in rebus dubiis fide, qui perituri gratis præstare sociis pericula sua quam perdere malebant. Et quidem nox dolum texerat, sed dies prodidit: nam ubi luce diffusa res apertæ sunt, et omnis locus, in quo inhabitaverant Romani, vacuus apparuit, impetu facto Judæi in eos primum, quorum simulatis officiis decepti fuerant, irruunt, levique negotio deletis quadraginta viris, exercitum sequuntur, qui et nocte plurimum spatii confecerat, et per diem properantius iter urgebat, ne noctis jam periculis involveretur. Plena erat via impedimentorum, quæ fugientes Romani derelinquebant, ne injusto quisquam sub fasce remoraretur. Passim jacebant vasa, utensilia vel etiam bello necessaria, arcubalistæ, arietes ceteraque instrumenta in excidionem[1] urbis advecta, quæ sequentes Judæi præteribant ne essent moræ, revertentes colligebant ut his adversum eos uterentur, quorum socii ea dimisissent. Secuti enim usque ad urbem Antipatridem, posteaquam prætergressum omnem offendere exercitum Romanorum, et comprehendendi spes lapsa, retorquent vestigium, captantesque spolia cæsorum cum triumpho et hymnis Hierosolymam regrediuntur. Quibus tantum lætitiæ cesserat, ut paucis suorum amissis, quinque millia peditum de exercitu romano et trecenti equites extinguerentur. Quod gestum est duodecimo anno imperii Neronis, ut supra memoravimus.

CAPUT XVI.

1. Sed non omnium Judæorum illa exultatio erat. Nam fuere qui se, post illam non pugnam Cestii sed ærumnam, quasi de supremo periculo navigii mergentis eripere gestirent atque enatare de civitatis naufragio, ac præ ceteris Custobarus et Saulus fratres cum Philippo principe militiæ regis Agrippæ. Hi fugientes ad Cestium sese contulere petentes ut ad Neronem in Achajam dirigerentur. Quod Cestius volens accepit, nec postulata abnuit, ut per ipsos Cæsar edoceretur causam belli Florum fuisse; sibi vim maximæ[2] necessitatis bello incubuisse, ut inopinata conspirantium multitudine exercitus circumveniretur, quem magis consilio ducis ereptum periculo quam implicatum relinqueret. Tentasse Cestium excitata in Florum odia sedare sed nequivisse, itaque incidisse in bellum, non intulisse. Hæc enim mandata erant, ut commotione omni Cæsaris in Florum excitata, minui circa se speraret Cæsaris offensionem, quam male gestæ rei conscientia pertimescebat.

2. Ita autem plerique perterriti sunt romani clade exercitus, ut Damasceni metuentes suspectæ societatis contagia propter habitationis consortium, interficerent Judæos in gymnasio congregatos, qui secum urbem incolebant: quod illi vel suspicione vel dolo jamdudum procuraverant ut a gentilium cœtibus segregarentur, ne quid per noctem novarent, vel ut exitio soli paterent, summo sane silentii mysterio ut ne ad uxores quidem suas conatus istiusmodi tractatus mearet, quoniam ipsæ quoque ex parte maxima Judæorum cultibus admiscebantur.

CAPUT XVII.

Angusto itaque in loco omnes adorsi, peremerunt Judæorum decem millia, quod facile fuit ut præventi ab armatis inermes perirent. Equidem immanitatis ejus exemplum recens Scytopoli etiam in majus processerat, quo incitatos Damascenos reor. Nam cum Judæi finitima quæque popularentur, venerunt Scytopolim, atque illic inhabitantes Judæos tentare adorsi, adversarios experti sunt, quos sibi fidos arbitrabantur, quoniam more ingenii humani præponderabat[3] apud eos salutis cura necessitudini. In secundis igitur constituentes tribule collegium, præferunt inhabitantium societatem, tribulibus cladem minantur: quod suspectum gentilibus, quia promptioribus studiis odiorum in suos exsequutio prætendebatur, ne simulationis specie dolus adornaretur, atque urbem incautioribus incolis noctu adorirentur, prostratisque omnibus gentilibus apud Judæos sibi gratiam reconciliarent; ac per hoc si vellent fidem suam etiam circa gentiles probare, cum omni generatione sua urbe excederent, vicinumque peterent nemus. Quo facto, per biduum quieverunt Scytopolitæ ut portio Judæorum suspectionem deponeret, indueret securitatem. Tertia nocte cum jam præsumpta fides gratiæ[4] removisset custodiæ sollicitudinem, incautis et dormientibus vis illata, decemque et tribus millibus hominum necatis, quæcumque etiam habuerunt, direpta sunt.

[1] Ita C; communiter, *excisionem*, æquali significatione.

[2] Vulgo *maxime;* sed Pa, *maximæ*, quod valde melius convenit contextui.

[3] Ita C; vulgo *præponderatur*, quod non rectum effundit sensum.

[4] Vulgo, pro *gratiæ*, quod habet C, legitur *gentilibus*, quod minus quadrat; post *removisset* vero communiter deest *custodiæ*, quod legitur in A et C.

CAPUT XVIII.

Expositionem exigit Simonis passio acerba visu et auditu miseranda, sed rei novitate memorabilis. Is erat in populo Judæorum Saule haud ignobili genitus patre, animi audacia præditus et corporis fortitudine; quarum utramque in exitium tribulium suorum exercuit, qui plurimos de populo adventitio Judæorum crebro incursu peremit, ac
1 si forte conspirati[1] adessent, solus sustentare aciem et conglobatos solitus avertere, totius erat nodus ac mora belli, et plerumque desperatis rebus
2 conversio. Exhibebat[2] hanc civibus adversum suos scytopolitani incolatus militiam; sed non diutius cognato debita sanguini vindicta defuit. Namque ubi fracta fides, et Scytopolitæ circumventis, qui ex composito ad nemus sese contulerant, instare bello atque ingruere cœperunt, etiam filios ac parentes Simonis, deleta multitudine ceterorum, eminus licet missilibus ac telis petebant. Videns Simon innumerabilem multitudinem facili negotio superiorem, ut diutius tolerari nequiret, gladium extraxit atque in hostem conversus clamabat dicens: Digna, Scytopolitæ, factis recipio meis, qui cognatorum nece quam vobis impenderem benevolentiam testificatus sum, et fraternum sanguinem vobis obsidem dedi gratiæ, quibus justius perfidia tribueretur. Nunc dum alienigenis fidem defero, in domesticos amisi: prodidi etiam liberos parentesque,
3 quos a vobis tamen necari non[3] oportebat, si mer-
A cedem sceleris æstimaretis. Moriar igitur, sed iratus omnibus, nulli amicus, qui circumvenerim meos, et propriis manibus ultionem de me prius expetam. Peremi socios religionis et fidei consortes; recognosco sceleris mei debita: solvam tanto dignum sacrilegio parricidium, ut ea sit et pro flagitio pœna et ad virtutem gloria. Ne quis se jactet alius meo vulnere; in me ipsum postea convertetur dextera mea, ut videatur furoris esse quod morior, non imbecillitatis. Ne quis insultet cadenti,
B sit vindex parricidiis dementia, parricidium sacrilegii. Hæc loquutus convertit obtutum in liberos parentesque, et indignantibus oculis, cum jam misericordia mixta iræ succederet, abreptum e medio patrem gladio transverberat; post eum mater attrahitur, uti ne esset qui pro nepotibus intervenirent; offert se per ordinem volens uxor ne tanto dejecta conjuge superviveret; occurrunt filii ne degeneres tanto patre in ipsa morte judicarentur; festinabant ictu celeri hostem prævenire. Omni itaque peremta familia, stetit in medio
C funerum suorum, et tamquam triumphatis domesticis passionibus, quod neminem de suis alieno gladio vidit perire, elevavit dexteram ut omnes viderent, ac formidabilem cunctis subjiciens sibi mortem proprio victor sese transfixit mucrone. Memorabilis juvenis ob egregiam fortitudinem corporis et animi magnitudinem; sed quia fidem alienigenis potius quam suis detulit, tali dignus exitu fuit.

[1] Mazochius hanc vocem, ut lib. v, capp. 6 ac 10, pro *conjurati* intelligit; sed de simul tantum accidentaliter convenientibus melius intelligenda videtur.

[2] Ita rite Am, C ac Barrensis pro communiori *exhibuerant*, quod contextui repugnat.

[3] Deest *non* in recentioribus edd. et quibusdam mss. Adest in Am, C, Pa, etc., dum contextu quoque requiritur.

LIBER TERTIUS.

CAPUT I.

1. Ea postquam Neroni nuntiata sunt in Achajæ
1 partibus sito, quo tragicorum cantuum[1] meditatione contenderat, ut de pluribus scenicam coronam referret (nescias quo magis turpis, utrum quod in scenam imperator prodiret, an quod scenam suis flagitiis impleret, qui turparet Orestem canendo et parricidio repræsentaret), gravis eum invasit metus, non illa ludorum similia sed bellorum suprema pertimescentem, ut aliquando a theatralium voluptatum obscenitate et parricidalis amentiæ furore resipisceret, atque ad curas reipublicæ conversus, intra se fremeret et desæviret; quod incuria ducis potius quam virtute adversariorum tantam cladem respublica romana acceperit. Tentabat quidem simulare audaciam; sed redarguebat timor, et quasi speciem magnanimitatis prætexere, ut supra ærumnam negotiorum
2 mentem haberet; sed distringebatur[2] animi sollicitudine, quem demendæ ignominiæ belloque conficiendo legeret ducem.

2. Urgebant Judæam ultimæ labis futura excidia, ut Nero regalem personam indueret et providi consultoris voce salubrem exprimeret sententiam.
D Vespasianum solum esse, cui summa militiæ orientis in partibus jure committeretur, virum ab adolescentia militiæ triumphalis inveteratum stipendiis, qui impacatas Gallias Germanorum tumultu et ferocia genuinæ temeritatis in bellum relapsas pace diuturna conposuerat. Britanniam quoque inter undas adhuc[3] latentem romano imperio armis adquisiverat, cujus triumphatæ opibus Roma ditior, Claudius consultior, Nero fortior æstimabatur. Itaque quarum gentium bella non viderant, subju-
E gatarum tropæa celebraverant. Sub hoc duce, iterum dico, Nero terribilis erat, Nero metuendus, potens foris, domi tutus, æquatis inter se Vespasiani fide ac fortitudine. Quantus iste vir, cujus armis vitia Neronis apud exteras gentes abscondebantur, ut ludibrium rerum humanarum et eviratæ impuritatis opprobrium triumphis quoque illustraretur!

3. Cum præliandum itaque in ultimis romani orbis esset confiniis, Vespasianus ex omnibus eli-
F gebatur; cum bellum depositum foret, Vespasianus præ ceteris sociabatur, ne vel publicus superesset hostis, vel domesticus obreperet insidiator: dignus qui stipendiis militis regnum præveniret, docebat fidem; præferebat virtutem. Invitus misit hunc

[1] Ita Pa; C, *cantu;* vulgo *carminum.*

[2] Ita communiter; sed C, *distendebatur.*

[3] *Adhuc* deest in cod. Gualtheri.

Nero, qui sibi auferebat præsidium; sed artabatur futuris scelerum suorum pœnis, ut se tanto dissociatum comitatu ducis inermum[1] relinqueret. Numquam profecto Galba adspirandi ad imperium studia usurpasset, nisi Vespasianum absentem comperisset. Sed procuravit hoc Deus, ut in Syriam dirigeretur vir, qui Judæorum insolentiam supremo gentis excidio captivitatisque dedecore labefactaret, et Neronis auxilium destitueret, licet nullius virtus statutis afferre possit cœlestibus impedimentum.

Demens tamen Nero, cum Judæorum bello afflictam romani exercitus validam manum cognovisset, adversus Christianos insurrexit, ut ei debitus finis adpropinquaret.

CAPUT II.[2]

Erant tunc temporis Romæ Petrus et Paulus doctores Christianorum, sublimes operibus, clari magisterio, qui virtute suorum operum Neronem adversum[3] fecerant, captum magi Simonis delinimentis,[4] qui sibi animum ejus conciliaverat; cui adjumentum[5] victoriæ, subjectiones gentium, vitæ longævitatem, salutis custodiam feralibus[6] artibus pollicebatur; atque ille credebat qui vim rerum nesciret examinare.[7] Denique summum apud eum tenebat amicitiæ locum, quandoquidem etiam præsulem[8] suæ salutis, vitæque custodem arbitrabatur. Sed ubi Petrus ejus vanitates et flagitia detexit, et species illum rerum mentiri, non solidum aliquid aut verum efficere demonstravit, ludibrio habitus et digno est consumptus mœrore.[9] Et quamvis[10] in aliis terrarum partibus[11] Petri esset expertus potentiam, tamen præveniens[12] Romam, ausus

A est jactare, quod mortuos resuscitaret. Defunctus erat id temporis Romæ adolescens nobilis, propinquus Cæsaris, cum universorum dolore. Admonuere plerique experiendum utrum posset resuscitari. Celeberrimus in his operibus habebatur Petrus, sed apud gentiles nulla factis[13] hujusmodi deferebatur fides. Dolor exegit remedium; perrectum est ad Petrum. Fuere qui etiam Simonem accersendum putarent: uterque adfuerunt. Ait Petrus, Simoni, qui se de sua B jactaret potentia, priores sese partes dare ut, si posset, mortuum resuscitaret; si ille non resuscitasset, se non defuturum ut Christus opem ferret defuncto, quo posset resurgere. Simon, qui putaret apud urbem gentilium plurimum suas valituras artes, conditionem proposuit ut si ipse resuscitasset mortuum, Petrus occideretur, qui magnam potentiam, sic enim appellabatur,[14] lacessendo injurias irrogavisset; sin vero prævaluisset Petrus, in Simonem pari genere vindicaretur. Adquievit Petrus; adorsus C est Simon. Accessit ad lectum defuncti; incantare atque immurmurare dira carmina occœpit: visus est agitare caput qui mortuus erat.[15] Clamor ingens gentilium quod jam viveret, quod loqueretur cum Simone; ira et indignatio in Petrum quod ausus esset conferre se tantæ potestati. Tunc sanctus apostolus poposcit silentium et ait: Si vivit defunctus, loquatur; si resuscitatus est, surgat, ambulet, fabuletur: phan- D tasma illud esse, non veritatem, quod videatur caput movisse. Denique separetur, inquit, a lectulo Simon, et tunc ne id quidem ostentui futurum. Abducitur a lectulo Simon; manet sine

[1] Ita C loco communis *inermem*, et quidem exemplo Virgilii, quem Ambrosius unice excoluit.

[2] Cf. Nicephor. Callist. II, 36 et H. Schlurick de Simonis M. fatis Romanis p. 27 seqq. (Weber).

[3] Pro *adversum* Mazoch. p. 855, scribi voluisset *aversum*, ut elegantius et ambrosiano stylo conformius; sed recte vulgatam lectionem servavit propter Abdiæ *Histor.* testimonium c. 16, ubi est *adversari*. Abdias iste babylonius quamdam edidit *Historiam Apostolorum* fabellis refertam, in quam ex hoc opere universam intulit enarrationem de Apostolorum certamine cum Simone, sed putidissimis infartam commentis. Extat ejusmodi *Historia* in *Codice apocrypho Novi Testamenti* a Fabricio edito.

[4] Id intelligendum videtur de *potibus* vel *filtris incantatoriis*, ut hæc *delinimenta* explicantur in lexicis. Ita occurrunt *delinimenta novercalia* apud jurisconsultum Cajum, Quam vero perdite Nero magicis artibus addictus fuerit, præter Svetonium, cap. 34, ac Dionem, testis est Plinius amplissimus, lib. XXX *Hist. natur.* cap. 2, ubi enarrat, illum eo usque magicis artibus pervenire voluisse ut ipsam deorum potentiam iis subderet sibi, donec tandem, cognita earum inanitate, iis valedixerit.

[5] Vox est Ambrosio valde usitata, ut conspici potest epistol. XXXVII *ad Simplicianum*, num. 30.

[6] Nempe *magicis*, ut apud Quintilianum, *declam.* XIV: *Ferarium præcantationum terrore*, et in Ambrosii *Hexaem.* lib. IV, 33: *Ferale licet carmen* (magus) *immurmurat*. Ferale synonimum habetur horrendi, sive atrocis, quodque mortem animi afferat.

[7] Consonant præcedentibus ac sequentibus de Nerone Lactantii verba, cap. II *de Mortibus persecutorum*: « Primus omnium persecutus Dei servos (*nempe christianos*), Petrum cruci adfixit, Paulum interfecit. Nec tamen abiit impune. Respexit enim Deus vexationem populi sui. Dejectus itaque fastigio imperii » etc. Cum autem Petrus et Paulus e præcedentibus Romæ adessent post initium judaici belli, nempe anni vulgaris supputationis sexagesimi sexti decursu, non *simul* tamen illuc advenerunt, ut Valesius transtulit testimonium Dionysii Corinthii, lib. II *Historiæ eccles.* Eusebii cap. 25; sed *simul* ibi prædicaverunt, ut ipsius Dionysii verba sonant.

[8] *Præsulem* pro *præsidem*, quod frequentissimum Ambrosio est. Plura conspici possunt exempla a Mazochio conferta, pag. 857, nota 690. *Custodem* vero statim postea, simulque cum *præsule*, ostendit æque Ambrosio domesticum esse.

[9] Per anticipationem hæc dicta sunt de Simonis obitu. *Ubi* vero e stylo Ambrosii valet etiam *postquam*, prouti exemplis rursus demonstrat Mazochius eadem pagella 857, nota 692.

[10] Juxta lectionem a Mazochio exhibitam istud *quamvis* regeret non vocem *esset*, ut habet textus noster ac Mignii, sed vocem *est*. Ipse autem, nota 694, iterum exemplis probat consuetum Ambrosio fuisse huic voci modum nectere indicativum, idque nec Columellæ insuetum; et huic ac Virgilio idem usuvenisse cum aliis synonimicis particulis.

[11] *Actor.* VIII, 18 et seqq. Sed et in VI *Constit. Clement.* cap. 8 narratur, Petrum in Stratonis Cæsarea Simonem *virtute Domini devicisse*, atque ut in Italiam confugeret effecisse; cumque ex Irenæo discamus hunc magum ubique Apostolis restitisse, nil magis probabile quam Petrum pluribi ejus audaciam fregisse. Estius vero, aliique Bibliorum interpretes opinati sunt Simonianos illos esse pseudoprophetas in quos Petrus in altera epistola acerrime invehitur.

[12] Opinantur nonnulli Simonem Romam advenisse anno 41, id est ante priorem Petri adventum anno 42.

[13] *Facti* legitur in mss., quod evidenter in *factis* emendandum fuit juxta Mazochii sententiam.

[14] Ita in *Act. Apost.* VIII, 10. Confer etiam Irenæum lib. I, 20.

[15] Imitatio verborum Joan. XI, 39, 44.

specie motus alicujus qui mortuus erat. Adstitit Petrus longius, et intra se orationi paulisper intentus, cum magna voce ait: Adolescens, surge; sanet te Dominus Jesus.[1] Et statim surrexit adolescens et loquutus est et ambulavit et cibum sumpsit, et dedit eum Petrus matri suæ.[2] Qui cum rogaretur, ut ab eo non discederet, ait: Non derelinquetur ab eo qui illum fecit resurgere, cujus nos servi sumus. Secura esto, mater, de filio; non verearis: habet custodem suum. Et cum populus in Simonem insurgeret ut lapidaretur, ait Petrus: Satis est ad pœnam ejus quod cognoscit suas artes nihil valere; vivat et Christi regnum crescere videat vel invitus. Torquebatur magus apostoli gloria: colligit sese atque omnem excitat carminum suorum potentiam, congregat populum, offensum se dicit a Galilæis,[3] relicturum urbem quam tueri soleret. Diem statuit, pollicetur volatum, quo supernis sedibus inveheretur, cui quando vellet, cœlum pateret. Conscendit statuto die montem Capitolinum,[4] ac se de rupe déjiciens, volare cœpit. Mirari populus[5] et venerari, plerique dicentes Dei esse potentiam, non hominem,[6] qui cum corpore volitaret; nihil tale Christum fecisse. Tunc Petrus in medio stans[7] ait: Jesu Domine, ostende ei vanas artes suas esse, ne hac specie populus iste qui crediturus est,[8] decipiatur. Decidat, Domine, sic tamen, ut nihil se potuisse vivens recognoscat.[9] Et statim in voce Petri implicatis remigiis alarum[10] quas sumpserat, corruit, nec exanimatus est, sed fracto debilitatus crure, Ariciam[11] concessit, atque ibi mortuus est.[12] Quo comperto, deceptum se Nero et destitutum dolens tanti casu[13] amici, sublatumque

A sibi virum utilem et necessarium reipublicæ[14] indignatus, quærere cœpit causas, quibus Petrum occideret. Et jam tempus aderat, quo sancti vocarentur[15] apostoli Petrus et Paulus. Denique dato ut comprehenderentur præcepto, rogabatur Petrus ut sese alio conferret. Resistebat ille dicens nequaquam se facturum, ut tamquam metu mortis territus cederet; bonum esse pro Christo pati, qui pro omnibus se morti obtulisset; non mortem illam, sed immortalitatem futuram; quam indignum ut ipse fugeret passionem sui corporis! Qui multos doctrina sua compulerit hostias se pro Christo offerre,[16] deberi sibi secundum Domini vocem, ut et ipse in passione sua Christo gloriam[17] atque honorem daret. Hæc et alia Petrus obtexere; sed plebs lacrimis quærere,[18] ne se relinqueret, et fluctuantem inter procellas gentilium destitueret. Victus fletibus Petrus cessit, promisit se urbem egressurum.[19] Proxima nocte salutatis fratribus et celebrata oratione,[20] proficisci solus cœpit. Ubi ventum est ad portam, videt sibi Christum occurrere, et adorans eum dixit: Domine, quo venis? Dicit ei Christus: Iterum venio crucifigi. Intellexit Petrus de sua dictum passione, quod in eo Christus passurus videretur qui patitur in singulis, non utique corporis dolore, sed quadam misericordiæ compassione aut gloriæ celebritate.[21] Et conversus in urbem redit, captusque a persecutoribus, cruci adjudicatus[22] poposcit ut inversis vestigiis cruci affigeretur, quod indignus esset qui simili modo crucifigeretur, ut passus est Dei Filius. Quo impetrato, vel quia ita debebatur[23] ut Christus prædixerat, vel quia persecutor non invitus indulget pœnarum incre-

[1] Ita idem Petrus *Actor.* IX, 34. Unde arguendum et hic *sanat* pro *sanet* legendum fore, quod revera habet Abdias, non contemnendum primævæ lectionis testimonium.

[2] Ita et Lucæ VII, 15 *de Christo.*

[3] Etiam ante Julianum apostatam ita christianos a gentilibus vocatos esse, certis documentis constat. Videas Mazochium, pag. 362, nota 710.

[4] Alii turrim ibi sitam conscendisse eum dicunt. Plures veteres de hoc volatu loquuntur.

[5] Non *potius,* ut primus Gualtherus in suam editionem invexit.

[6] Ita recte, ut Gualtherus monuit se alicubi reperisse pro communi *hominis,* quod minus contextui convenit.

[7] Fere ex *Act.* I, 15.

[8] Allusio ad I *Tim.* I, 16.

[9] Notat rursus Mazochius, pag. 864, nota 717, *recognoscere* pro *agnoscere* ex iis vocibus esse quibus Ambrosius apprime delectabatur.

[10] Non consentiunt veteres, qui de Simonis volatu loquuntur, de modo quo ipse se extulit. Notandum interea virgilianam locutionem *alarum remigiis* Ambrosio perpetuam esse ubi de volatu loqui deberet, quod iterum ostendit Mazochius, nota 719.

[11] Vulgo, *Aritiam,* C, *Arichiam.* Posuimus *Ariciam* e frequentiori denominatione. Oppidum erat in Via Appia, sexdecim millibus passuum ab Urbe distans.

[12] Quidam eum e vestigio obiisse enarrarunt. Sed præstat enarratio quæ Simonem aliquandiu infirmum supervixisse tradit. Totam vero hanc de volatu Simonis enarrationem confirmavit Ambrosius jam provectus episcopus lib. IV *Hexaemer.,* cap. 8.

[13] Ita A, loco communis *casum,* quod valde melius contextui convenit, et Gualtherus quoque in suo veteri codice invenit, in quo tamen pro *dolens, videns* legebatur, minus recte.

[14] Hoc elogio ab imperatoribus vel senatu donabantur qui domi militiæve præstantissima bono publico operati essent.

[15] Sive a Deo ad gloriæ coronam, sive ad tribunal ut damnarentur. Postrema interpretatio melius sonat Mazochio, nota 723. Hanc autem enarrationem de Christi apparitione et Petri morte, rursus præmissis verbis *victo Simone,* cum jam a duodecim annis pontifex esset, iteravit Ambrosius sermone *contra Auxentium,* n. 13.

[16] Huc sane referri possunt Petri verba in priori epist. II, 21; IV, 13-16, etc.

[17] *Deo gloriam dare* communis Hebræis elocutio erat ad veritatis professionem significandum. Ita et I, Petri IV, 16.

[18] Hæc infinitiva historica in Ambrosio quoque frequentissima ostendit Mazochius, pag. 866 post notam 725. *Quærere* autem habet C pro *quærens* communiori, et quidem melius quia cohærenter præcedenti *obtexere.*

[19] Egressum istum apocrypha quædam perperam post comprehensum Petrum differunt.

[20] Pervetusti loquendi more universa intelligitur liturgia, hinc et missæ sacrificium.

[21] Illius nempe gloriæ quæ ex martyrum passione in Deum redundat.

[22] Locutio satis latina, quæ ex Vulgata quoque firmatur, *Deut.* XXI, 22. Cæterum hoc supplicii genus a Nerone in christianos decretum constat ex XV *Annalium.* Taciti, cap. 44: « Et pereuntibus addita ludibria, ut ferarum tergis contecti, laniatu canum interirent, aut *crucibus affixi,* aut flammandi, atque ubi defecisset dies, in usum nocturni luminis urerentur ».

[23] *Deberi* quod vel vaticiniis prædictum, vel fato constitutum esset, modum loquendi esse et Ambrosio et classicis usitatum demonstrat iterum Mazochius pag. 868, nota 732. Christi autem prædictionem de Petri morte ita Ambrosium interpretatum esse ut ejus capitis ad imum inversionem si-

menta, et ipse et Paulus, cruce alter, alter
1 gladio[1] necati sunt.

CAPUT III.

1. Sed ut ad propositum redeamus, turbatus gravi nuntio Nero, rebus in Judæa minus prospere gestis, Vespasianum expertum belli virum omni militiæ, quæ in Syria erat, præfecit. Ille propere, neque enim differendi tempus dabatur, misso Alexandriam filio Tito, ut inde militum qui prætendebant, partem aliquam deduceret, ipse, transmisso
2 Hellespontiaco freto, pedes[2] in Syriam contendit.

2. Interea Judæi rebus elati secundis, principes militiæ bello legunt; distribuunt loca quibus quisque præesset, quæ munia singuli, quos ordines, quid muneris exsequerentur. Josephum Gorione genitum et Ananum principem sacerdotum Hierosolymitanæ urbis negotiis et præcipue instaurandis muris præficiunt. Ardebat Eleazarus Simonis filius aliquid sibi publicorum committi munerum; et licet omnem prædam, quam de romano exercitu ceperant, sub potestatem suam redegisset, ditem præsertim atque opimam avaritia Cestii atque immodicis rapinis

A coacervatam, tamen parandæ magis sibi potentiæ intentum quam communi usui proniorem arbitrati, declinandum æstimaverunt. Sed paulatim ambiendo singulos, dando et largiendo effecit ut rerum omnium summa ejus arbitrio committeretur.

3. Idumæam quoque Jesus, unus de sacerdotibus, et Eleazarus sacerdotis filius militiæ præpositi, tuendam receperunt, principi tamen totius Idumææ Nigro de summis rebus prærogativam omnem servantes. Josepho Simonis Hiericho obvenit, Ma-
B nassi Peræa regio commissa trans Euphratem[3] 3
sita, cui ab eo inditum nomen, quod Euphrates ad eam partem pergentibus transmitteretur. Johannes Essæus, alius quoque Johannes Ananiæ filius ceterique diversis attributi partibus, quas sua tuerentur sollicitudine.

4. Itaque singuli commissa sibi munia non deserere, instruere muros, manum legere bellatoriam. Ex quibus Josephus in Galilæam descendens munire castella, instaurare propugnacula, validissimos
C quosque et belli promptissimos adsciscere sibi impigre curabat, regiones prohibere latrociniis,[4] 4
prætendere quotidie in castris, militem romanæ militiæ more exercitare, dividere ordines, distribuere cen-

gnificaret, constat etiam ex ejus hymno de Apostolis Petro et Paulo; sed in notis ad eum jam declaravimus hanc interpretationem, quæ et Mazochio probatur, in nota 733, nobis non arridere, et quare. Hic tantum adjiciemus Christum dixisse: *Extendes manus tuas.* Si speciatim mortem crucis designare voluisset Christus, dixisset potius: Extendes brachia tua. De illa *manuum* extensione igitur nos potius verba illa intelligimus, quam facere cogitur ille, cui manus ipsæ catenis aut vinculis costringuntur.

[1] Gladio necatus Paulus ut romanus civis. Communiter vero caput clauditur verbis *necatus est;* sed C habet *necati sunt,* et hanc adoptavimus lectionem ut magis latinæ indoli respondentem, dum altera ab amanuensibus adoptata supponi potest ad concordantiam cum singulari *alter* inducendam.

Quoad universam hujus capitis enarrationem animadvertimus, neminem e veteribus, sive christianis, sive ethnicis mortui a Petro excitati explicitam saltem mentionem facere; sed tam infelicis Simonis volatus, quam Christi apparitionis ad Petrum et hujus crucifixionis complures Patres mentionem fecisse, quorum nonnulli ipsi Ambrosio coævi vel etiam anteriores extiterunt, licet quoad Simonis volatum et obitum in accidentalibus circumstantiis inter se atque ab Ambrosio differant; quod ostendit, eos minime ex aliqua commentitia scriptione suas notitias eduxisse, sed vel tantummodo ex orali traditione plus minusve fideliter in diversis locis asservata, vel partim ex hujusmodi traditionibus, partim ex aliquo scripto documento quod per summa tantum capita res exhibuerit. Sæpius commendatus Mazochius de Simonis volatu testimonia fuse exhibuit Arnobii, ex ejus *Apologiæ* lib. II, quam circa annum 303 scripsisse perhibetur; Cyrilli Hierosolymitani e *Catechesi* VI, cap. 15; item ex epistola Legatorum Romanæ Sedis ad Eusebium Vercellensem (apud Baronium ad annum 355); ex epistola s. Paciani secunda; Epiphanii ad *hæresim* XXI, quæ est Simonianorum; Philastrii Brixiensis item *de Simonis hæresi;* Augustini *in Psalm. IX,* aliorumque a quibus vel tantum memorandis abstinemus, cum posteriores ex antiquiorum auctoritate locuti videri possint. Sane tanta est horum testimoniorum vis ut ipsi acriores critici Fleurius et Tillemontius se factum inficiari non posse professi sint, ac Tillemontius diserte asseruerit (in fine artic. 34 de ap. Petro), si historia hæc conficta omnino esset, malle se potius, donec claræ et perspicuæ hujus falsitatis probationes haberentur, cum Arnobio, Cyrillo (*et aliis quos recenset*)..... illudere, quam cogi ad arguendos indiscretæ credulitatis tot numero e magis illustribus et gravibus magistris Ecclesiæ latinæ ac græcæ, absque alio argumento præter hoc: non esse absolute certum eos verum dixisse. Insuper Theodoretus lib. I *Hæreticarum fabularum*, cap. 1, ubi de Simonis et Petri factis in Urbe loquitur, his verbis: *Quem* (Simonem) *tandem ad miraculorum certamen quum provocasset* (Petrus), *atque inter divinam gratiam interque præstigias quantum discrimen esset, ostendisset,* implicite ad miraculum juveni per Petrum a mortuis excitati allusisse videtur, ut rite Mazochius animadvertit, quia ad ipsum Simonis infelicem volatum ea referri non possunt, cum ad aliqua ipsum volatum præcedentia referantur. Dubia autem a Cotelerio proposita ad lib. VI *Clementinarum Constitutionem* contra hoc Petri miraculum in Simonem, plenissime ipse Mazochius disjicit, præcitati operis pag. 878 et seqq., ad quem remittimus qui plura cupiunt, ne nimis diu hac in re immoremur. Non tamen omnino præterire possumus præcipuam difficultatem contra veritatem certaminis, ut ita dicam, inter Simonem et Petrum desumi e silentio ecclesiasticorum scriptorum trium priorum Ecclesiæ sæculorum. Sed hoc silentium, cum negari non possit, potest tamen aliis de causis explicari, quin exinde cogamur illius certaminis veritatem denegare; ac præterea notandum illud ipsum silentium suppleri sat claris duorum ethnicorum secundi sæculi allusionibus auctorum. Nam Dio Chrysostomus, qui altero ineunte sæculo Trajano imperante claruit, oratione XXI, quæ *de pulchritudine* inscribitur, postquam dixit de Neronis insania, qua impossibilia jubebat, subdit: « Hac vero parte maxime excellebat Nero: nec adeo illi quisquam de re ulla quamcumque dixisset contradicebat, aut impossibile quod jussisset, esse affirmabat, ita ut etiam si quem forte volare jussisset, et ille id ei sponderet, et multo tempore intus apud eum in aula, tamquam volaturus, nutriretur ». Hic igitur evidenter ad sponsionem Simonis alluditur de volatu præstando. Svetonius vero in *Nerone*, cap. 12 volatum ipsum præstitum ita commemorat: « Icarus primo statim conatu juxta cubiculum ejus (*Neronis*) decidit, ipsumque cruore respersit ». Ubi nomen *Icari* non ut proprium volantis intelligendus, sed ut ironice volanti appositum propter infelicem casum, ut Icaro contigit. *Cubiculum* vero ex eodem Svetonio intelligendus locus in theatro recinctus ex quo ipse Nero, modo per foramina quædam, modo *toto podio adaperto* spectacula conspiciebat.

Pro re nata notamus demum in codice 281-1324, e seculo circiter XV, Bibliothecæ Vaticanæ, inter alia plura, sub titulo: *Dicta beati Ambrosii translata de græco in latinum de beato Petro Romæ apostolo et Simone mago*, occurrere primo particulam quamdam lib. II *Historiæ eccl.* Eusebii, ac deinde initium hujus enarrationis, quæ post pauca abrumpitur.

[2] Animadvertas voce *pedes* non significari proprie pedestre iter, sed iter terrestre.

[3] Gualtherus recte monet *Peræam* trans Jordanem potius positam fuisse; cf. Joseph. B. J. III, 3 (4), 3. Confudit latinus scriptor Jordanem cum Euphrate, ut I, 40, quod et Gron. l. l. 16, p. 167 bene observavit.

[4] Ita duo cod. cantabridgenses, quorum lectionem nos cum Weber adoptavimus pro communi *prohibere latrocinio.*

turiones, plurimos præficere quo facilius disciplina A ab omnibus exigeretur, ne quisquam lateret quicumque munia propria dereliquisset. Instituebat etiam ut agnoscerent excitationes tubarum et repressiones, sequerentur ordinem, aciem dirigerent, clypeos intexerent ut murali vice, si forte magna hostium vis ingrueret, sese adversum incursantes defensarent, subvenire laborantibus, fessis compati, pericula aliorum in se transfundere, nec solum belli artes ad instar romanæ militiæ docere, sed etiam ante bellum quæ amplius bellantes juvarent B denuntiare, ut miles cibum sibi et arma portaret, vallo et fossa sese muniret, castrisque ponendis præveniret hostem, obtemperaret præceptis, furto ac rapinis abstinere assuesceret, lucrum proprium putaret, si nihil dispendii ruralibus cultoribus irrogaretur. Quid enim distet ab hostibus qui ipse hostili modo auferat, nisi quod gravius est sua quam aliena incessere, et socios quam adversarios despoliare?[1] Plurimum in bello valere bonam conscientiam, eo quod amplius de divino auxilio præsumeret qui se nulli affinem crimini recognosceret.

5. Sed his rebus citius sibi apud improbos expertus est nocuisse invidiam, quam apud bonos profuisse gratiam. Nam cum ad sexaginta millia peditum paucissimos equitum congregavisset, eos vero qui mercede bella tractarent ad quatuor millia viros, sexcentos quoque electos custodes sui corporis, tanta a Judæis pertulit, ut plus ante bellum a suis quam in ipso bello a Romanis periculi[2] perhorresceret. Omitto quid seditionis excitatum, quia latrocinio erepta reddere iis qui amiserant, suspectabatur, ac maxime Agrippæ ac Berenicæ, quibus redhibenda juste forent, ne regem facerent infestiorem. Et tamen ille, quo populi molliret impetum, ad constructionem potius murorum quam ad dominorum indemnitatem servatam pecuniam; omniaque illa ajebat, quæ erepta Ptolomæo forent, qui regium aurum, vestes ceteraque munera portavisset, æstimare debere Taricheatas, apud eos enim res gerebatur, utrum id instaurationi suorum E murorum reservandum putarent, an diripiendum latronibus depromeretur. Indignum certe videri ut eo pœnam exciperet quia melius consuluisset.

6. Itaque conversis illis in sui gratiam, invidiam simul et periculum evasit. Iterum cum gratiam regis Agrippæ Tiberias societatemque deposceret, proripiens se Josephus de memorata urbe Taricheatarum, clausit portas, ne quis nuntius ad urbem Tiberiadem pergeret, et deesse Josepho auxilia militaria significaret; ipse autem congregavit de lacu navigia piscatoria, quæ in tempore potuit investigare, et Tiberiadem remigiis petiit. Sed ubi ad eum locum venit, in quo conspicua quidem in urbe positis foret species navigiorum, deprehendi tamen nequiret utrum essent vacua præliatorum, jussit ea dispergi per totum spatium lacus ut major numerus æstimaretur, ne quisquam vacua potius quam referta bellatoribus existimaret. Quo territi, quod adversus tantam multitudinem infirmos sese arbitrarentur, projecerunt arma, portisque reseratis effuderunt sese supplices Josepho, qui veluti dux agminis militaris propius accesserat.

7. Quæsitum qua tandem vesania discessionem animis induissent, quibus auctoribus impulsi sese adversariis tradituri forent; et simul occurrentes sibi jubebat gubernatoribus ut Taricheas deducent, atque illic sexcentos[3] ferme curiales, plerosque de plebe in vincula rapit.

8. Clytum quoque ejus facinoris accersitum principem manibus amputatis pœnas luere jubet, atque illo rogante, ut una saltem sibi manus relinqueretur, præcepit Josephus, ut ipse sibi quam vellet B demeret. Tum ille arripiens dextera gladium lævam abscidit. Ita recepta Tiberias est, sed etiam Sephoris, tentata discessione, Josephi tamen vivacitate[4] inter urbes Judæorum socias attinebatur. Tranquillioribus enim consiliis sua defendere quam aliena incursare malebat.

CAPUT IV.

1. At vero Peraites[5] Niger et Babylonius Silas C et Johannes Essæus, omne quod erat in Judæa pubis validæ congregantes, Ascalonem petunt, amplam quidem et muris subnixam validis urbem, sed opis subsidiique indigam, quæ septingentis viginti stadiis ab Hierosolymitana urbe discernebatur, et odiis ingentibus. Propterea Judæi inimicam sibi urbem diruere cupientes, collecta manu involavere. Præerat urbi Antonius minore numero romani exercitus quam resisti posse Judæis æstimaretur.

2. Sed vir acrioris consilii et ex æquo prudens D bellator, diffusos et numero magis quam virtute fidentes eductis equitibus transire ad urbem sinit; deinde incursat progressos, fatigat sequentes, confertos dissipat, turbatos fugat, totoque campo insectatur palantes. Alii versa vice urgentur ad muros interclusa fugæ copia; alii diversa petunt, sed circumventi ab equitibus obtruncantur; multi supra se ruunt et se invicem impetu suo sternunt. Itaque usque ad vesperum cæsi amisere ex suis E decem millia virum, Johanne et Sila ducibus pariter extinctis: pauci autem Romanorum eo vulnerati prælio.

3. Nec tamen repressa est Judæorum temeritas, sed incanduit: nam dolor audaciam accendit, et labes ulciscendi cupidinem. Armantur itaque majore longe furore, necdum sauciorum sanatis vulneribus et congregatis pluribus quam vice priore irruunt, sed eos dispositis insidiis exceptos, priusquam in manus venirent, clausit circumfuso equitatu Antonius, et circumventos præcepit sterni. F Cæsa iterum octo millia, reliqui fugati. Niger ipse elapsus in munimentum se contulit. Turris erat septa undique valido saxo, quam Romani, qui ascendere non poterant, appositis ignibus circumdedere. Ea incensa in spelæum quoddam de turre transgressus, hostem latuit, ignem evasit, Romanisque securis, quod ipse simul incendio consumptus foret, post tertium diem quærentibus suis corpus ejus ad sepulturam, vivens et vigens redditur. G Atque ita cum magno gaudio Judæis servatus ex hoste repræsentatur.

[1] Ita C pro communi *spoliare*.

[2] Vox *periculi* deest vulgo; habet Am et C; A vero, *pericula*.

[3] Ita Am, C aliique antiquiores codd. Edd., *trecentos*.

[4] *Vivacitate* non consonat verbis Josephi, ἀποδόσει χρημάτων, *erogatione pecuniæ*, unde suspicari licet veram lectionem fuisse *liberalitate*.

[5] Istud est verum nomen ex Josepho. Edd., *Petates* vel *Perates*.

CAPUT V.

1. Vespasianus interea, superato Hellesponto, Bithyniam Ciliciamque transmittens, ubi Syriam attigit, legiones ceterasque militares copias, quas in ea reperit, Antiochiam deduxit.

2. Urbs ea Syriæ sine retractatione prima ideoque metropolis habetur, condita ab iis qui Alexandro Magno bellanti adhæsere, conditoris sui nuncupata vocabulo. Situs urbis porrectus in immensum longitudine, in lato angustior, quia prærupto montis a læva artatur, ut extendi ulterius metandæ urbis spatia nequirent. Necessitas locum signavit, quia per occulta et devia irrumpentibus Parthis mons celsior latibulum daret, ex quo se inopinato adventu et promptiore impetu in imparatam Syriam effunderent, nisi civitas monti velut claustrum objaceret, exitusque obstrueret advenientibus, ut si quis Barbarorum ascenderet, statim e medio urbis sinu prospectaretur. Denique ferunt, cum ludi scenici in ea urbe celebrarentur, quemdam actorem mimorum elevatis oculis ad montem Persas vidisse advenientes, et dixisse continuo: Aut somnium video, aut magnum periculum: ecce Persæ. Ita mons urbi præeminet, ut nec theatri altitudo ad prospiciendum montem impedimento sit. Fluvius eam medius intersecat, qui a solis ortu oriens non longe ab urbe in mare conditur, quem de originis suæ tractu Orientem veteres appellavere, ut vulgo putetur locis nomen dedisse, cum inde acceperit: cujus fluentis ipso impetu, frigidioribus et zephyris assiduo per ea locorum spirantibus, tota civitas momentis omnibus refrigeratur, ut orientis in partibus orientem abscondat. Intus dulces aquæ; foris finitimum nemus intextum cupressis crebris, fontes
1 aquæ uberes. Daphnem[1] vocant, quod numquam deponat viriditatem. Frequens et lætior populus ut pleraque orientis facetiorque prope omnibus, sed
2 promptior[2] lasciviæ. Urbs tertio loco ante ex omnibus, quæ in orbe romano sunt civitatibus æstimata, nunc quarto postquam Constantinopolis excrevit civitas Byzantiorum, Persarum quondam
3 caput, nunc repulsorium.[3] De situ urbis satis dictum puto: neque enim describendis ejus ædificiis immorandum videtur. Cujus a tergo cum orientem dixerim, satis liquet a læva meridiem jacere, a fronte Europam occurrere, in dextra septentrionales gentes degere Caspiaque regna haberi, quæ ante promptissima ad incursandam Syriam erant. Sed postquam Alexander magnus Caspiam portam
A Tauri montis prærupto imposuit, atque omne interioribus gentibus interclusit iter, memoratam urbem quietam reddidit, nisi forte motus Persicos suspectantem.

3. In ea urbe Agrippa rex cum omni virtute[4] 4
sua expectabat Vespasianum advenientem, nec diutius moranti comitatu adhæsit. Conjuncto itinere Ptolomaidem petere cœperunt. Ad eam urbem occurrere inhabitantes Sephorim pacem cum Cestio Gallo jamdudum initam firmari a Vespa-
B siano petentes. Quorum laudata prudentia, quod saluti propriæ consuluerint non lacessendo Romanos, atque accepta fide, et in amicitiam recepit eos, et additis peditum equestribusque auxiliis fovit securitatem, ne forte destitutionis commoti dolore insurgerent in eos belli excitatores, cum velut claustrum quoddam Judææ, Sephoritanis sese romano imperio offerentibus, resolveretur, ut in eam pervium iter hosti pateret, quæ ad custodiam totius gentis opportuno quodam in hostem objectu occur-
C reret. Erat enim præter opportunitatem[5] loci mu- 5
nitioris etiam urbs Galilææ maxima: quæ res admonuit ut cum duæ sint Galilææ, una superior, altera inferior, connexæ et conjunctæ sibi, alteram ab altera distinguamus. Sed prius de utraque dicendum.

CAPUT VI.

1. Utrique Galilææ Syria et Phœnice adhæ-
D rent, disterminantque eam a solis occasu Ptolomais territorii sui finibus et mons Carmelus, qui erat ante Galilæis, nunc vero Tyriorum finibus associatus; cui conjungitur Gabaa[6] civitas, quæ 6
quondam Judæis causa gravis exitii fuit: ab oriente eam Hippene[7] et Gadara suis finibus resecant. 7
Eidem autem et Gaulonitide regio et regni Agrippæ confinia præscripta veteri ævo fuere:[8] a meridiano 8
latere Scythopolis et Samaria suis utraque excipiuntur regionibus, nec ultra fluenta Jordanis pa-
E tiuntur extendi: septentrionalia ejus a dextro latere Tyrus claudit omnisque regio Tyriorum, cujus objectu Galilææ spatia definiuntur. Ipsæ autem inter se hoc distinguntur modo, ut quæ inferior Galilæa dicitur, ab urbe Tiberiade usque ad urbem cui nomen Zabulon supra maritima Ptolemaidis extenta longitudine diffundatur; latitudo autem ejus a vico Xaloth, qui est in campo maximo, usque ad Bersaben haud dubie deducitur. Unde etiam superioris Galilææ aperitur exordium, quoad

[1] Subintelligitur *suburbium*.

[2] Edd., *propitior;* sed A, C, *propior*, in quo translator antiquiores secutus est. Weber posuit *promptior* marte suo.

[3] *Repulsorium* idem est ac munimentum ad hostes repellendos. Hæc lectio a vetustioribus mss. exhibetur, nempe ab A, Am ac C. Sed Mazochius, horum auctoritatem ignorans, vocem damnavit, *Digressionis*, etc. cap. IV, et proprie nota 605, pag. 787, ut insuetam ac prorsus ab Ambrosii elegantia alienam, et quæ Wossio occasionem præbuerit opinandi historiam nostram nonnisi post annum 968 consarcinatam esse, quo Nicephorus Phoca Antiochiam a Saracenis sive Persis recepit (lib. II *de Historia Græcorum*); prætulit autem lectionem *repulsorum*, quæ in edd. Pa et Barr. adoptata fuit. Verum cum prior lectio veterum codicum pro se auctoritatem gerat, non est cur immutetur eo quod insueta aut minus elegans videatur. Præterea nec opus est eam deserere ad Wossii difficultatem eliminandam, quia si hæc vera esset, tam ex una quam ex altera lectione pariter exurgeret. Persarum nomine hic, ut ab Ambrosio passim, Parthi simul et Medi ac alii finitimi populi intelliguntur, qui prius in ipsa Syria dominati sunt, deinde a Romanis ex ea pulsi, ita ut Antiochia, quæ prius princeps eorum civitas extiterat, postea a Romanis propugnaculum adversus eorum incursiones constituta est. E quibus patet nullatenus hunc locum ad Nicephori Phocæ adversus Saracenos victoriam referri. Sequuntur verbo in edd. verba: *Prima enim Roma, secunda Alexandria, tertia Antiochia, quarta Constantinopolis*, quæ in antiquioribus codd. desunt, et evidenter sunt quædam marginalis adnotatio, postea malesano judicio in textum invecta. Unde recte in Pa ea omissa jam fuerant.

[4] Scilicet cum omnibus copiis.

[5] Ita in A, loco communis *opinionem*, quæ nullum aptum sensum fundit, unde et Gualtherus, editione sua altera, *opportunitatem* genuinam æstimavit lectionem.

[6] In editis Josephi Γαβά; in quibusdam ejus mss. Γάβαλα vel Γάμαλα.

[7] Ita ex Josepho, non *Hyppenæ* ut vulgo: regio nempe Hippi.

[8] Hic aliquantum discessimus tam a lectione communi quam a cod. C, ut vulgatam Josephi lectionem sequeremur, quia neutra illarum sat clarum exhibet sensum.

vici Bacatæ fines attingat; ipso autem vico etiam Tyriæ terræ fines determinantur. Longitudinis quoque ejus initium vicus est Meroth, finis est
1 Thella Jordani finitimus.[1]

2. Hinc intelligi datur, quantum se porrigant spatia Galilææ superioris, cujus initium Jordanis est vel ejus confinia: hac igitur suæ magnitudinis æstimatione utraque Galilæa distinguitur. Terra autem pinguis, herbosa, diverso culturæ genere nitens, distincta arboribus, ut quemvis alliciat ad
2 sui gratiam et fugitantem laboris[2] ad studia culturæ invitet atque excitet. Denique nulla illic vel exigua terræ portio vacat, frequentatur plerisque inhabitantibus: crebræ urbes, vici frequentes, mul-
3 titudo hominum innumerabilis, ut exiguus vicus[3]
4 in suo tractu habeat quindecim[4] millia inhabitantium. Circumfusis quoque nationibus alienigenis utraque Galilæa circumdatur, et ideo genus ho-
5 minum bellicosum a prima ætate,[5] exercitum præliaribus tentamentis, abundans numero, audacia promptum atque ad omnes belli artes paratum.

3. Præstat tamen magnitudine Peræa regio, quæ unde vocabulum acceperit, supra diximus. Major hæc, sed utilior Galilæa, quia tota exercetur, nec ulla pars ejus fructibus infecunda est, sed universa terra ejus opima ac ferax; Peræa autem diffusior, sed ex majore parte deserta ac rigida, quæ mansuescere arando nesciat, nec aspe-
6 riores facilis sulcos[6] domare. Sed rursus portio ejus mollis ad cultum, fertilis ad usum, grata ad aspectum, mitis ad exercitium, insitivis utilis pomis, omnia ferens, ut campos ejus distinctæ in fronte prætexant arbores, in medio venustent et plerumque a nimio sole vel frigore defendant sata, maximeque olea vestitus ager, aut vitibus intextus, aut palmis insignitus. Inenarrabile quanto decori sit, cum vento impulsi palmarum ordines concrepant, et suaviores solito funduntur dactylorum odores. Nec mirum si omnis illic gratia viriditatis est, ubi amœnis fluviorum meatibus, ex superiore decurrentium jugo montium, superfusus ager rigatur, ut niveis fontibus scatens possideatur cum invidia, desideretur cum gratia. Longitudo ejus a Ma-
7 8 cherunte usque[7] Pellam, id est a[8] meridiano usque in septentrionem; latitudo autem a Philadelphia usque ad flumen Jordanem, hoc est ab ortu solis
9 usque Arabiam[9] prætexitur, in occasu autem usque
10 ad Jordanem fluvium[10] extendi manifestatur.

A 4. Samaritana quoque regio inter Judæam atque Galilæam media jacet, incipiens a vico cui nomen Ginea,[11] deficiens in terra Acrabatenorum, natura 11
consimili nec ullo[12] differens a Judæa: utraque 12
enim montuosa[13] atque campestris est pro locorum 13
diversitate, neque tota campis diffunditur, neque in locis omnibus montium rupibus scinditur; sed utriusque qualitatis habet gratiam. Ad exercitium culturæ solubilis terra, mollior, eoque frumentis utilis et prope circa fertilitatem soli nulli secunda,
B maturitate certe fructuum prior omnibus: nam cum adhuc alibi serantur frumenta, istic metuntur.

Species quoque atque ipsa frumenti natura haud usquam præstantior habetur: aqua dulcis, decora ad speciem, suavisque ad potum, ut secundum elementorum gratiam æstimaverint Judæi eam promissam patribus terram fluentem mel et lac, cum spoponderit illis resurrectionis[14] 14
prærogativam. Et utrumque quidem divina pietas
C contulerat, si fidem servassent; sed infidelibus animis utrumque ereptum, hic jugo captivitatis, illic vinculo peccati. Nemorosa regio, et ideo dives pecoris et abundans lactis: denique nusquam sic lacte distenta pecus ubera gerit; poma silvestria vel insitiva super omnium regionum copias, referta autem utraque vel Samaria vel Judæa hominum multitudine, ut mihi videantur hinc illud interpretati Judæi quod scriptum est,
D quia *nulla erit in his locis sterilis et infecunda,* Exodi XXIII, 26.
cum hoc lex de meritorum fecunditate præscripserit et virtutum fertilitate.

5. Principium Samariæ de Arabiæ finibus a vico cui nomen Jarda,[15] finis ad aquilonem vico Borceo; 15
latitudo autem Judææ[16] a fluvio Jordane usque 16
Joppen: incipit enim a fontibus Jordanis ea a monte Libano et usque ad Tiberiadis lacum dilatatur. A vico quoque Arfa[17] initium longitudinis 17
ejus, quæ usque ad vicum extenditur Juliadem,[18] 18
E in quo Judæorum pariter ac Syrorum[19] communis 19
habitatio. In medio autem Judææ civitas Hierosolyma quasi umbilicus regionis totius, ut prudentibus placuit, nuncupatur. Abundans regio mediterraneis copiis nec fraudata maritimis, quia prætendit usque ad Ptolemaidem, et totum illud mare prætexit litoribus suis. Multæ urbes, sed inter omnes Hierosolyma eminet, ita ut quasi caput in

[1] Vulgaris lectio hujus periodi est: « Longitudinis quoque ejus initium vicus est Thalla, finis est Rothala Jordani finitimus ». In eo vero sive translatoris, sive transcriptorum adest error, qui in nostro textu ex Josepho a Weber emendatus fuit.

[2] Vulgo *labores;* sed lectio *laboris,* quæ est codicis C et edit. Pa, elegantior est, ut apud Terentium *Phorm.* IV, 3, 18, *litium fugitans.*

[3] Josephus non de *exiguo vico*, sed de *minima urbe* dixisse apparet.

[4] Vulgo, *viginti;* sed vetustiores codd. habent *quindecim* una cum textu Josephi.

[5] Vulgo comma habetur post *bellicosum*, sed nos cum Josepho hanc vocem sequentibus conjunximus.

[6] Ita C recte, dum communior lectio *succos* tolerabilem sensum minime exhibeat.

[7] Vulgo, *usque ad;* sed C et codex Gronovii, sine *ad*, quod et Gronovio probatur.

[8] Vulgo, *a latere;* sed in C et cod. Gronovii deest *latere.*

[9] Ita ex cod. A, pro communi *Arabiæ*, atque ex C *prætexitur* pro communiori *protexitur.*

[10] Vulgo, *flumine*, quod Gallandius ambiguit mutare in *flumen;* sed optimam lectionem *fluvium* præstitere C et Pa.

[11] Editio Mignii, *Elas,* secus *Eleas*, C, *Æleas;* cum Weber substituimus *Ginea* ex Josepho.

[12] Vulgo *ullo modo;* sed *modo* recte deest etiam in edit. Barren., et textui insertum apparet ab aliquo amanuensi qui vim non perspexit vocis *ullo.*

[13] Ita C et Pa; vulgo, *montosa.*

[14] Idest gloriæ statum, in quo sensu frequenter Ambrosius vocem *resurrectio* adhibet, ut ostendit Mazochius, frequentius memorati operis pag. 819, 820.

[15] Vulgo *Jordani;* nos tamen secuti sumus Weber qui scripsit *Jarda* e Josephi communiori textu, licet duo hujus mss. habeant Ἰαρδάν (καλοῦσι), non Ἰορδάν. Et quidem possibile est ut *Jorda* verum extiterit loci nomen, unde et flumen Jordanes fuerit appellatum.

[16] Hoc nomine hic intelligitur regio universa quæ regnum quoque Israelis complectebatur.

[17] Vulgo *Artha;* sed C et Josephus habent *Arfa*, quod nempe ex Josepho *Arpha* scribendum fuisset.

[18] Nempe Bethsaide, ad lacum Genesareth.

[19] Ita cum Weber scripsimus loco communis *Tyriorum*, Josepho obsequentes.

corpore non obumbret sua membra sed regat,
1 atque eis tuitioni[1] sit et pulchritudini. De Judæa itaque et finitimis regionibus, opportuno licet compendio, ea quæ significanda fuerant, non prætermisimus.

CAPUT VII.

2 Sephoritanis quoque tributa subsidia militaria[2] regiones finitimas incursabant, auctoritatem latrocinandi liberam sibi belli specie vindicantes, quod imperio romano a Judæis inferebatur; unde Josephus acceptæ acerbitatis injuriam ulcisci gestiens, irruere in urbem Sephorim sociato sibi plurimorum numero contendit, ut eos aut revocaret in societatem Judææ, aut resistentes supremo, si posset, excidio labefactaret. Sed utriusque conatus effectu excidit, quia nec dissuadere potuit romanæ conjunctionis electionem, nec urbem evertere, quam ipse talibus munimentis firmaverat, ut a Romanis quoque longe præstantioribus expugnari nequiret. Cecinit itaque classicum tentata irruptione sine ullo profectu, atque in totam regionem bellum excitavit. Vastabant omnia die noctuque exurentes ædificia, diripientes patrimonia, perimentes quoscumque bello habiles comprehendissent, infirmos servituti subjicientes. Repleta erat Galilæa omnis incendio, sanguine, latrocinio, nullius immunis mi-
3 seriæ et deformi[3] rerum omnium specie, cum si quid igni aut neci superfuisset, captivitati reser-
4 varetur; cujus malis[4] illa quæ paulo ante acerbiora æstimata sunt, præferebantur.

CAPUT VIII.

1. Hæc prolusio quædam belli facta antequam Titus veniret; qui simul atque ex Achaja Alexandriam transmisit, perductis militibus secundum mandatum patris, ad urbem occurrit Ptolemaidem, ibique connexis ordinibus quinto et decimo, addito etiam quintodecimo, qui erant præcellentissimi, congre-
5 6 gatoque vel Romanorum[5] vel sociorum exercitu,[6]
7 atrox et memorabile bellum cœptarunt.[7]

8 2. Nam ubi primis initiis Placido[8] duci prospere gestis secunda in adversum cessere, profectus infestior Vespasianus cum filio de Ptolemaidis finibus in Galilæam sese immersit, cognitoque quod pacem abnuerent, quibus obtulerat condemnandæ
9 discessionis[9] copiam si sibi consulendum putarent,
10 Gabara[10] funditus evertit, vacuam bellatoribus offendens, quod omnes validiores, diffidentes infirmibus munimentis, ad munitiora sese contulerant. Repertis itaque non pepercit, sed omnes necari jussit nulla ætatis contemplatione, nulla infirmitatis misericordia, quod non tam jure belli quam Cestianæ pugnæ dolore et effusis in Judæos odiis

A exsequebatur. Denique non solum urbem, sed etiam vicos et municipia exuri præcepit; nec injusta erat commotio, quia post tantam insolentiam emendandi erroris facultatem dederat, nec obtemperatum.

3. Transierat ex urbe Josephus in Tiberiadem, priusquam romanus exercitus appropinquaret; sed plus formidinis ex fuga quam fiduciæ dederat ex præsentia. Hoc ipso enim territi sunt, quod bello adversus Romanos gerendo imparem se Josephus
B arbitrabatur, neque vero aliunde præsumpsit, nisi forte Judæi studia belli deponerent. Ea erat illi
11 potior[11] sententia: si bellum eligerent, malle se subeundo periculum fidelem civibus, quam decli-
12 nando proditorem videri:[12] nihil enim magis cavere quam ne commissum sibi honorem militiæ turparet. Itaque scribit ad urbem Hierosolymam bellum incubuisse, propereque rescriberent pacem an prælium mallent; consulendum mature: hæc strictim significavit nihil propense in alteram par-
C tem, ne aut bellator meticulosus, aut pertinax rebellis judicaretur.

CAPUT IX.

1. Rursus de urbe Tiberiade Jotapatam petit, sive quod munitior ceteris esset, et propterea in eamdem plurimi se contulissent bello promptiores, sive quod eo Vespasianus plerosque ex suis direxerat qui munirent iter, quod per montes difficile
D saxosumque, asperum peditibus, equitibus autem invium atque insuperabile foret. Denique diebus quatuor ne angustiæ officerent reserata sunt viarum strata, compositum iter quo facilius omnis exercitus transmitteretur; quinto die transivit eo Josephus, dejectosque Judæorum animos erexit. Vespasiano quoque ubi factum indicium eo Josephum commeasse, incentivum celerandi itineris accessit, quod conficiendi belli compendium putaret, si dux et populus bello promptior interciperetur.

E 2. Advenit itaque cum exercitu, et primo die curandis cibo militibus, ne ex itinere fatigatos cura belli incesseret, tempus dedit. Sequenti die duplici acie vallavit urbem et tertio equestri ordine. Quod videntes Judæi, inclusos se et obsessos undique nec ullum effugii locum, ipsa desperatione audaciam sumpsere: nulla enim res promptiorem bello militem reddit quam necessitas prœliandi et præruptum periculum.

3. Urgebat Vespasianus jaculis, urgebat sagittis:
F missilibus quoque plurimi Judæorum ultra muros progressi destinata feriendi arte vulnerabantur; manebant tamen impavidi. Tentabat omnia virtus romana, et maxime ubi infirmiora adverterant mu-
13 rorum subsidia, illic majore incumbebant[13] manu. Pudor hos, illos armabat spes ultima, ferro sibi

[1] Notat Mazochius, pag. 796, nota 619, in prima aliisque (quibusdam) editionibus legi *tutioni*, a vetere supino *tutum*, unde et frequentativum *tutor, tutaris*.

[2] Ita ex C et Josepho, nempe a Romanis *tributa* (præstita) *subsidia militaria*. Minus recte communis lectio: *Sephoritani quoque et tributa et subsidia militaria*.

[3] Ita Am et C; sed Pa et Barrensis, *deformis*, quam ut veram lectionem tuetur quoque Gualtherus in ed. 2.[a]

[4] Lectio hæc codicum Am et C præfertur vulgari *mali* etiam a Gualthero et Barrensi.

[5] Ita C loco communis *romano*.

[6] Weber pro communi *exercitu* posuit *equitatu;* sed quo jure nescimus.

[7] Ita C, quod genuinitatis indicium exhibet præ communi *cœperunt*.

[8] Nomen proprium ex Josepho, quod in edd. perperam pro communi habitum est.

[9] Vulgo *dissensionis*, sed manifeste vera lectio in C, *discessionis*, Gualthero quoque et Barrensi probata.

[10] Vulgo *Gadaram*, urbem Perææ, sed rite ex Josepho emendatur in *Gabara*, quæ urbs est Galilææ inferioris.

[11] Ita C, Pa, Gualth. et Barr., pro communi *prior*.

[12] Pro communi *præstare* habent *videri* A et C, rursus probantibus Gualth. et Barr.

[13] *Adverterant, incumbebant*, ita C; subintellige *milites*. Communis lectio *adverterat, incumbebat*.

aperire viam salutis desiderantes. Gravia tolerabant Judæi, nec minora referebant tentamenta audaciæ. Peritia a Romanis cum virtute; furor a Judæis cum temeritate certabat. Fessis itaque toto die illis pro salute, istis pro triumpho dimicantibus, nox prælium solvit.

4. Sequenti quoque die et tertio quartoque consimiliter et quinto præliatum acriter, sed ut solent
1 in ferentariis[1] præliis plura vulnera quam neces inferebantur, licet sæpe et excursus a Judæis et
2 a Romanis tentarentur irruptiones,[2] quos in iram accendebat pudor eo quod victores Annibalis et Antiochi omniumque gentium, judaicis præliis immorabantur. Tanta erat romanæ virtutis con-
3 scientia,[3] ut non cito vincere pars victi æstimaretur; sed adversus naturam magis erant illis quam in hostem certamina.

5. Nam civitas præruptis undique prope erat interclusa rupibus, non vallo et fossa, ut aliæ urbes, sed profundis erat circumvallata præcipitiis, quæ nec visus hominum comprehenderet, nec
4 usus investigaret, et horror sollicitius intuentes[4] magis magisque involveret. Tantum ab aquilone in defectu montis unus ad urbem accessus arduo tamen ascensu patebat, quem Josephus muro interclusit, propugnatoribus sepsit, ut inter murum inferiorem et urbem superiorem periculosa irruptio fieret obsidentibus, et intuentibus inæstimabilis esset cognitio superiorum. Civitas enim ipso in montis supercilio sita circuitu finitimorum montium
5 velut quodam naturali vallo circumdatur,[5] septo genitali abscondita, ut nemo prius illic urbem esse intelligat, quam in ipsam urbem fuerit ingressus.

CAPUT X.

Vespasianus cum vincere naturam nequiret, eam sibi ipse in adjumentum accersivit, ut obsidione diuturna per inopiam potus et cibi cogeret obsessos ad deditionem; sed frumenti copia multo ante congesta propulsabat periculum famis. Aquæ erat difficultas maxima, quia neque ullus in urbe fons et solemnis siccitas, raris per ea locorum imbribus, bibendi subsidium attenuaverat. Ductus omnes aquarum obstruxerat ne in urbem mearent. Augebat inopia aviditatem, repugnabat natura. Commentum Josephus detulit, ut infusæ vestes muro suspenderentur, quo paulatim rorantibus aquis crederetur illis non deesse ad potum, quod abundaret ad lavacrum vestimentorum.

CAPUT XI.

6 1. Dejectus[6] eo Vespasianus rursus ad expugnandam urbem accenditur, omnem exercitum congregat, machinis murum quatit; pulsat aries.[7] 7
Nomen hoc species dedit eo quod validæ ac nodosæ arboris caput ferro vestitur, eoque ut frons arietis prætexitur,[8] quæ obductis laminis turgescit 8
et prominet; e medio ejus quasi cornu procedit ferri solidioris. Magnitudo arboris in modum mali navalis, quam non ventorum procella, non velorum sinus flectant. Ea suspensa funibus ad superiora, atque robusta arborum nexis multorum manu valide in murum impellebatur; deinde retrorsum ducta atque in stateræ modum sustentata retinaculis, majore impetu destinabatur, ut crebris ictibus fatigatum muri latus cederet, cavatumque irrupturis[9] fenestram daret, qua Romanis via in 9
interiora urbis pateret. Primo igitur ictu murus concussus est contremuitque omnis: clamor illico universorum quasi expugnata urbe trepidantium, ne repercussus murus fatisceret.

2. Sed Josephus saccos paleis repletos in eum dimitti locum præcepit, in quem aries a Romanis intorquebatur, ut laxo saccorum sinu elusa plaga omnis arietis emolliretur. Illisa enim solidis solida nocent, solutioribus evacuantur: denique facilius solidiora mollioribus cedunt, quam molliora solidioribus. Nam et aquæ alluvione scopuli solvuntur, nec ruina rupis ullum est damnum aquarum; et jactis in freta molibus aqua suos usus reservat, sed petra inter undas servare suos nescit. Arenam quoque marmoris ruina non frangit, et marmor arenæ ruina comminuit.[10] Retulerunt tamen etiam 10
Romani quo commenta refellerent Judæorum contis[11] falces ligantes, quibus dimissos inciderent 11
saccos, quo vacuati paleis evirare arietis ictum nequirent.

3. Reparato itaque impulsu machinæ cum se Judæi urgeri viderent, unus ex iis Eleazarus, ingentis magnitudinis saxum elevans, de muro super arietem elisit tanta vi ut comminueret caput machinamenti. Exsiliens quoque in medium hostium rapuit illud, atque in murum ferebat intrepidus in conspectu adversariorum et patens vulneri. Denique jaculis quinque figitur, sed nequaquam conversus ad vulnera, quomodo ipse saxi ruina hostem involveret, intendebat. Adscendit itaque murum, et victor doloris stetit conspicuus tantæ præsumptionis, ac super arietem se saxumque dejecit, et cum eo corruit, victus quidem morte sed victor machinamenti, cum ipse[12] solus decesserit 12
patriæ, in machinamenti autem comminutione totam urbem ab excidio servaverit. Netiras[13] quoque et 13
Philippus in medium se jecere agmen, ut averterent quos petierant.[14] 14

4. Josephus autem ignibus jactis ut machinamenta omnia exureret, brevi consumpsit plurima, sed consumpta reparabantur.

[1] Ita rite Am et C; sed quia hæc vox ab aliquibus amanuensibus intellecta non fuit, extitit editionum erronea lectio *ut solet fieri in talibus*, etc.

[2] Edd., *eruptiones;* melius Am et C, *irruptiones.*

[3] Vulgo *constantia*, sed melius Am ac C, *conscientia*, quæ vera lectio habetur etiam in Pa, a Gualthero in ed. 2ª et Barrensi probata.

[4] Ita C, quod Weber in *intuentis* mutavit. Edd., *intuentem.*

[5] Ita Am et C ac Pa, melius quam communis lectio *circumdabatur.*

[6] Nempe *animo fractus.*

[7] Weber mutavit in *ariete*, quod melius syntaxi respondet, sed nulli fecit documento innixus, et aliunde stat per se propositio, mutato subjecto.

[8] Ita C melius quam edd., *et quod ut frons arietis prætenditur.*

[9] Vulgo, *vi rupturis;* sed Gualth. et Barr. jure, *irrupturis*, quod firmatur et C, ubi *interrupturis.*

[10] Ita Am, C et Pa; vulgo *comminuitur.*

[11] Ita recte Am ac C; minus apte edd., *contra.*

[12] Quod loco communis *in se* legendum supposuerunt Gualtherus et Barrensis, nempe *ipse*, revera habet C; itemque *decesserit* pro communi *discesserit.*

[13] Ita scribendum ex græco, potius quam *Netyras*, ut edd.

[14] Ita C, ac communiter, nempe *in quos impetum facerent*, ut ex Josepho. Gualtherus et Barr. mallent legi *quos poterant*, quod idem sonat.

CAPUT XII.

1. Instabat Vespasianus, urgebat ita ut in talo feriretur jaculo sagittæ. Turbati sunt Romani, cum sanguinem ducis fluere cernerent. Exagitatus filius cucurrit ad patrem; sed ille supra vim vulneris virtutem animi gerens, prohibet trepidare filium, magisque in prælium accendit milites, ut injuriam ducis ulciscerentur. Ipse signifer revocabat exercitum et ad muros cogebat; ipse in bellum ceteros adhortabatur.

2. Alii sagittis, alii telis, alii balistis hostem urgebant. Tanta autem erat hujus tormenti vis, quo saxa in hostem jaciebantur, ut percussus unus ex sociis Josephi, qui prope adstaret, comminuto
1 capite rueret, et occipitium ejus ultra[1] tertium stadium excuteretur; mulier quoque alvo gravis
2 percussa uterum,[2] supra dimidium stadii de intima sede secreti genitalis excuteret infantem.

3. Ad postremum cum victor jam muros romanus miles succederet, et in ipso aditu utrimque
3 valida manu decertaretur; sicut erant conferti,[3] oleo ardenti Josephus perfundi Romanos jubet, quod facile a vertice ad ima defluebat vestigia, nec minor incendio flammæ candentis olei fervor omnes artus depascebatur. Succedebant tamen alii, plerisque etiam sudor profluus olei vim refrigerabat. Et quamvis hujusmodi olei natura sit, ut cito calescat et serius conceptum deponat calorem; tamen victoriæ studio abscondebant injuriam. Ardebant animis ut nullum corporis sentirent incendium, nec tanti æstimabant pœnæ ferventis dolorem, quanti dispendium gloriæ, si tamquam exsortes triumphorum desisterent bello qui duces fuerant periculorum. Vel sanguine itaque suo restinguere incendium olei certabant.

CAPUT XIII.

4 Hac mora obsidionis etiam Japhæ[4] urbis, quæ vicina erat, populus insoleverat, quod tam
5 diu decertabatur,[5] unde motus Vespasianus Trajanum, qui præerat ordini quinto decimo, ductoris officio direxit cum mille equitibus et duobus millibus virorum militiæ pedestris. Qui sine retractatione profectus, vir acer et bellandi artibus præditur, convenientem studiis suis eventum belli reperit. Nam cum esset civitas et natura loci septa, et gemino muro circumvallata, non contentus tegere se populus ejus munitionibus, occurrendum Romanis putavit; sed paulisper resistere ausi, intra murum exteriorem recipere se volentes, hostem pariter recepere: nam cum ipsis festinantibus etiam Romani subintraverunt. Confugientibus quoque ad murum interiorem clausæ portæ, ne rursus Romani pariter irrumperent. Ita averso a se Dei auxilio Judæi præliabantur, quo ante vincere solebant. Sed offenderant scelestis flagitiis, et ideo ab iis pœna debita reposcebatur, ut donarentur

A eorum supplicia nationibus. Denique plures prope suis inter se bellis quam ab hostibus obterebantur. Exemplo est Japhæ populus, qui Romanis portas aperuit et sibi clausit. Nam ut primum murum Romani irrumperent, ipsi patefecerunt; ut secundum murum Judæi non penetrarent, Judæi clauserunt. Receptus itaque hostis, socius exclusus: receptus ille ne percussor deesset; exclusus iste ne periturus evaderet: intra duos itaque muros cædebantur Judæi manu cominus, de muro eminus.
B Plerique enim Romanæ militiæ viri constricti angustiis murum adscendebant, atque inde in subjectos tela jaculabantur. Itaque Galilæi suis quam hostibus infestiores rogabant ut in interioris muri vestibulo reciperentur; sed resistebant sui. Dimi-
6 cabatur in portæ limine Judæis in[6] se pugnantibus: isti irruentem cuneum gladiis excipiebant; illi resistentes moriebantur; moriebantur sæva imprecantes sibi invicem, et minora se meritis suis perpeti supremis vocibus attestabantur. Itaque extincta
C sunt duodecim[7] millia virorum omnium præliato-
7 rum; ratusque Trajanus vel nullum jam sibi repugnaturum, vel facilem urbis expugnationem,
8 veteris vir disciplinæ, summam victoriæ[8] Vespasiano reservavit, misitque ad eum postulans ut filium suum dirigeret Titum, qui finem prælio daret. Quo adventante facta irruptio cæsique multi mortales, nec sine labore ac periculo victoria cessit Romanis;
9 quibus ingressis murum interiorem, objecere[9] se quicumque erant bello idonei, et in angustiis positi
D anceps bellum victoribus effecere, pugnantibus desuper virili ac muliebri sexu, ac sæpe etiam in suos saxa atque omnia, quæ forte repererant, telorum genera jaculantibus. Denique sex horis in ipso fine quasi ab exordio pugnatum: ad postre-
10 mum cæsis, qui constiterant repugnaturi, tum[10] in ceteros sine ordine, sine modo, sine misericordia, senes cum adolescentibus jugulabantur; mulieres et parvuli reservati non ad veniam sed ad servitutem; masculi omnes interfecti nisi quos pueritia
E aut infantia defendit. In prædam ducta sunt duo millia centum triginta mancipia, domini cum servulis, æqua jam sorte conditionis quos captivitas pares fecerat.

CAPUT XIV.

Nec Samaritæ immunes miseriarum fuere. Nam cum secundum consuetudinem suam montem Ga-
11 rizim,[11] qui erat illis sanctus, congregati ascen-
F dissent, ubi adorare solebant (unde et in Evangelio dicit Samaritana: *Patres nostri adoraverunt in hoc monte,* et responsum est ei: *Veniet hora, quando nec in hoc monte neque Hierosolymis adorabitis patrem:* debebatur enim ut Joan. IV, 20, 21.
cessaret superstitio et, vera religio succederet, evacuaretur umbra, veniret veritas, ut jam non in monte sicut Samaritani, non Hierosolymis

[1] Edd., *usque ad;* C, *ultra;* quæ ut vera lectio habetur in 2ª ed. Gualtheri et a Barrensi.

[2] Ita C, græcanice, more Ambrosii; edd., *utero.*

[3] Melius *conferti,* ut Am et C, id est, conglomerati Romani, quam *conserti,* ut edd.

[4] Oppidum Galilææ inferioris, ut ex Josepho.

[5] Ita rursus C; dum edd., *decernebatur.*

[6] Ita C; communiter, *inter;* sed prælata ut genuina lectio *in* quia majori vi exprimit conceptum auctoris.

[7] Ita C et Josephus; edd., *duo.*

[8] Melius ita in Am et C, quam *victoriam* in edd.

[9] Vulgo *objecerant;* C, *obicere* pro *objecere,* ut Am, quæ ut vera lectio habetur etiam in Gualtheri edit. secunda.

[10] Ita vulgo, sed Weber pro *tum* substituit *itum,* quod probabilis quidem videtur lectio, sed ab universali recedendum non duximus.

[11] Ita composita lectio ex C et Josepho, cum aliquantisper communior discedat in verborum collocatione.

ter in anno sicut Judæi, sed in spiritu in omni loco elevans puras manus omnis homo adoraret Deum et in nomine Jesu genu flecteret), cum igitur, ut supra diximus, in monte collecti secundum suos ritus manerent, belli autem minas prætenderet ipsa congregationis species vel sensus eorum, qui nec malis finitimis resipiscebant, multo autem amplius prosperioribus Romanorum successibus per invidiam commoverentur, ac prope tumultum res essent, consultius æstimatum est præveniri eos ne in majorem pestem erumperent; vocatoque præfecto ordinis quinti cum tribus millibus utriusque militiæ viris, eo eum Vespasianus direxit. At ille ascendere montem primo exordio periculosum ratus; erant enim simul juncta terrori multitudo populi et præruptum naturæ; circumdedit exercitu montis confinia, et toto die deferri fecit custodiam ne quis aquatum descenderet. Cum igitur tantam hominum constipationem vexaret sitis, quæ magis ac magis æstu exardescebat, et plerique servituti se vel etiam neci mallent offerre ne vel fame vel siti perirent, Cerealis, hoc enim nomen præfecto, ex descendentibus universos
1 æstimans defatigatos cinxit montem agmine[1] militari, pollicens salutem si arma deponerent, recusantesque jussit feriri: itaque extincti sunt illic undecim millia et sexcenti viri.

CAPUT XV.

1. Jotapaten quoque quadragesimo et octavo die
2 facta irruptio[2] primo diluculo, cum adhuc multo superioris diei fessi labore quiescerent. Primus omnium Titus cum Sabino ingressus ceteris viam præbuit; comprehensisque superioribus locis, in angustiis platearum passim et ignari adhuc factæ irruptionis feriebantur; alii in suis stratis, alii expergefacti, alii vigilantes, sed inedia ac somno soluti, pœnas dabant. Adhuc tamen totam urbem vis latebat malorum; sed ubi exercitus ingressus militari infremuit ululatu, ad solum fere subeundæ mortis affectum insurrexerunt, et si qui superiore petere tentaverant, repulsi cædebantur, et quibus ulciscendi vis suppetere poterat, ipsa coartatio vindictam ademerat; et si qui resistere parabant, irruentibus supra se aliis bello abscondebantur; alii multo fessi certamine dimissis manibus sese offerebant vulneri, ut vel morte feralibus malorum suorum spectaculis eriperentur.

2. Hac deceptus securitate pereuntium centurio Antonius rogatus a quodam, qui in spelæa confugerat, ut ei dextram daret obsidem veniæ et salutis sequestram, porrexit illico doli negligens et væ miser! nimium securus triumphi. Sed ille in-
3 cautum spiculo ferit et statim transigit,[3] ne impleta esset Romanis victoria.

3. Illo ipso die interfecti omnes quicumque inventi; sequentibus autem diebus etiam de hypogæis et ceteris defossis specubus producebantur, vel ibidem extinguebantur, exceptis parvulis ac mulieribus. Cæsa per omnes dies quadraginta millia, quæ numero comprehensa sunt; in captivitatem deducti mille ducenti. Eversa et exusta est

A civitas et castella ejus omnia anno imperii Neronis decimotertio.

4. Josephus interea in lacu quodam inter favillas urbis delitescebat, haud nescius quod studiosius quasi dux adversi agminis requireretur. Egressus secundo die, ubi septa advertit omnia, revertit in lacum: tertio die mulier quædam reperta cognitas sibi Josephi latebras quærentibus demonstravit. Sed in lacu pariter quadraginta[4] viri, qui eo con- 4
fugerant, sese tegebant; qui ubi adverterunt Jo-
B sephum primo per Paulinum et Gallicanum a Vespasiano ad spem salutis vocari, postea per Nicanorem, qui Josepho veteris amicitiæ gratia copulabatur, et ideo missus, ut dextram daret, promptius officium mandati muneris exsequebatur, circumfusi Josephum talibus adoriebantur sermonibus:

CAPUT XVI.

Nunc major Judæi nominis tentatur ruina, nunc
C favilla tetrior, quæ sepeliat et abscondat splendidissimæ disciplinam prosapiæ, atque omne decus subruat, quando Josephus ad triumphum captivus reservari jubetur. Quid sibi volunt tam sedula subito invitamenta hostium? quid dona salutis spontanea? Rogantibus vitam aliis non pepercerunt. Josephus accersitur, Josephus rogatur ut vivat: metuunt videlicet ne pompam amittant triumphi, ne desit quem spectet Roma captivum, quem catenatum Vespasianus ante currum suum dirigat.
D Ad hæc ergo ludibria vis reservari? Et unde triumphabunt, si dux eorum defuerit de quibus triumphatur? aut qui triumphus, si amicitia datur victis? Ne credas, Josephe; vita tibi promittitur, sed parantur graviora morte. Vicerint te romana arma, non capiat fraudolentia: atrociora sunt dona eorum quam vulnera; illa enim captivitatem minantur, hæc libertatem reservant. Inflecteris, Josephe, et animi quadam fractus mollitia vis esse patriæ superstes? Ubi est doctrina Moysi, qui se
E de libro cœlesti deleri petebat, ne plebi Domini superviveret? Ubi est Aaron, qui inter vivos ac mortuos medius stetit, ne mors viventem populum sævo contagio depasceretur? Ubi est regis Saul et Jonathæ devotus patriæ animus, et mors illa pro civibus suscepta fortiter, gloriose expetita? Filius patrem exemplo invitavit; pater filium mortis proposito non dereliquit, qui cum posset vivere, maluit se interfici quam ab hoste triumphari; hortabatur armigerum suum dicens: *Percute me,*
F *ne veniant incircumcisi isti et percutiant me et deludant me.* Quia armiger timuit, ipse se gladio I Reg. XXXI, 4
transverberavit, dignus quem David spiritu prophetico vindicaret, quia se degener Amalekita de ejus morte falso jactaverat, et gloriam viri, qui se ipse hosti exemerat, imminuendam putavit, ut a se interfectum ementiretur; dignus etiam quem tantus laudaret propheta dicens: *Saul et Jonathas speciosi et carissimi, inseparabiles in vita sua, et in morte non sunt separati, super aquilas*
G *leviores, super leones potentiores.* Ipse quoque II Reg. I, 23.
David cum populum percuti ab angelo videret, in se voluit cœlestem derivare vindictam, ne pereunte

[1] Ita Am et C, sed vulgo pro *agmine* legitur *ac more.*

[2] Ita Am et C; communius, *irruptione*, absque puncto post *quiescerent.*

[3] Ita Am ac C, vulgo, *transfigit;* sed nostra lectio a Josepho firmatur, qui habet διεργάζεται.

[4] Pa, *duo* pro *quadraginta;* Gualtherus in 2a edit. habet pro vera lectione *quadraginta duo.*

populo reservaretur. Postremo ubi lex divina, cujus interpres semper fuisti, quæ pro hac brevi vita perpetuam justis promisit immortalitatem? Ubi Hebræorum Deus, qui docet justos mortis contemptum habere, refugere etiam debere terrenum habitaculum, revolare[1] ad superna, ad illam regionem paradisi, ubi pias animas Deus ipse sacravit?[2] Hiccine demum cupis, Josephe, vivere quando non oportet, immo nec licet, immo quod majus est, non decet? Et carpere desideras lumen istud, ausim dicere, servitutis, quod in aliena potestate est, quod quando vult Romanus eripiat, quando vult carceris tenebris obducat, ut optes hinc fugere nec liceat mori? Et quo pudore ad eos ibis, quibus persuasisti pro patria mori? Quam excusationem habebis quod tam diu resederis?[3] Expectant quid agas, dicunt jam profecto: Quid moratur Josephus qui prævenire debuit? Cur tam sero sequitur? Cur discipulos suos, quibus pro libertate moriendum suasit, imitari recusat? Perferemus certe nos quod servire elegeris assertor libertatis, quod mancipium te Romanis addixeris, quod captivitatem libertati præposueris? Sed esto, velis vivere: quomodo hoc impetrabis ab iis, adversus quos totiens præliatus es? Quomodo te intuebuntur, quibus oculis, quibus animis? Quomodo iratis dominis, etsi liceat, vivere voles? Aut quis proditorem patriæ non credet fuisse, cui mercedem solutam proditionis videbit? Utrum malis[4] eligere, horum alterum sit necesse est: vita tua aut præmium proditionis erit, aut servitutis supplicium. His dictis, intentarunt gladios addentes: Si adquiescis mori, quasi amici ministerium præbemus; si recusas, quasi proditi ultionem exigimus.

CAPUT XVII.

Ad hæc Josephus refert: Ecquis velit esse tantæ mortis superstes? Quis eligat fieri heres doloris? Quis animam suam nolit ex isto corpore mortis, si licet, absolvi? Sed non licet solvere nisi ei qui ligaverit: naturæ vinculo conjuncta est anima corpori. Quis auctor naturæ nisi omnipotens Deus? Quis hoc animæ et corporis nostri Deo placitum contubernium interrumpere ac dissociare audeat? Si quis imposita manibus suis præcepto herili vincula sine arbitrio domini sui detrahat, nonne is gravi pulsasse injuria suum dominum condemnabitur? Dei possessio sumus, Deo servitium debemus; quasi servi expectemus imperia; quasi vincti reservemus vincula; quasi fideles bonum depositum custodiamus: non recusemus vitæ istius munus quod dedit nobis; non refugiamus donum cœleste. Si hominis data rejicias, contumeliosus es; quanto magis servare debemus quod a

A Deo nostro accepimus! Ab ipso itaque accepimus omne[5] quod sumus; ipsius quoque debet esse ut quamdiu velit, simus: utrumque enim ingrati est, et citius discedere quam velit, et diutius vivere quam voluerit ipse, qui vitam donavit. Numquid ante festinavit exire Abraham? Numquid ante ascendit Abarim Moyses quam diceretur ei: *Ascende in montem Abarim?* Sed dictum est ascende, et ascendit, et mortuus est: quasi bonus servulus expectavit domini præceptum. Ipse Job qui dixit:
B *Pereat dies illa in qua natus sum,* tamen in vulneribus et doloribus positus vitæ hujus vincula non disrumpebat, sed ut liberaretur rogabat dicens: *Ut quid datum est in amaritudine lumen, vita autem in doloribus animæ?* Laudabat utique[6] mortem cum diceret: *Mors viro*[7] *requies;* tamen non præripiebat, sed postulabat, ut scriptum est: *Concutior omnibus membris, et quia sum impius quare non sum mortuus? Cur de ventre matris non in sepulcrum decidi, aut numquid breve*
C *tempus vitæ meæ? Dimitte me requiescere paululum.* Alius quoque sanctus dicit: *Educ de custodia animam meam:* petit evadere, petit ex hoc corpore quasi de quodam liberari carcere; nullus tamen sanctorum necem sibi ipse usurpat, nullus præripit. Si lucrum est mori, furtum est usurpare ante expectatum;[8] si bonum est vivere, sacrilegum[9] est repudiare antequam reposcatur. Sed gloriosum putatis in bello mori: nec ego abnuo bonum esse pro patria, bonum pro civibus in bello
D mori. Sed belli lege offero jugulum, si hostis petat, si mucronem Romani demergant, quibus de nobis Deus victoriam dedit; quibus propter peccata nostra nos adjudicavit. Nec mihi blandior quod parcendum spondeant: utinam fallant! Vel hoc lucrum feram quod me sic timuerunt ut fallerent, vel hanc ultionem feram quia frangunt fidem. Malo illorum latrocinio perire quam meo: latrocinium meum est si mihi ipse intulero manum; si hostes, beneficium. Ergo istud cum beneficium dare possent
E interimendo, servandum[10] putaverunt quod in potestate habebant, et ut captivum[11] occiderent, latrocinati sunt. Sed pollicemini mihi manus vestræ ministerium. Revera percussor nobis defuit, ut nostro scelere pereamus. Nolo meo, nolo vestro scelere perire, quod plus est quam meo; nolo mutuo. Hoc est enim unumquemque nostrum sibi manus inferre, vicariæ necis mercedem solvere, ut jam non solum pro suo quisque, sed etiam pro alterius sanguine scelus debeat. Verum regis Saul exemplum promitur, ejus certe qui et adversus volun-
F tatem divinam rex postulatus est, et offensam meruit Dei, unde etiam cum viveret successorem accepit. Egregium exemplum viri, cui defuit Dei gratia, et tamen voluit mori, quia jam non poterat

5 — 5 — Deut. XXXII, 49 — Job III, 3 — 6 Ibid., 20. — 7 Ibid., XVII, 16 — Ibid., X, 18-20. — Ps. CXLI, 8 — 8 — 9 — 10 — 11

[1] Ita A et Am, quod pro vera lectione habet et Gualth. edit. 2a, et Barr.; C, *revocare;* vulgo, *anhelare.*

[2] Edd., *conservavit;* sed A, Am et C, *sacravit,* quod iterum probatur Gualthero et Barrensi.

[3] Idest, *moratus fueris,* juxta veterem vocis significationem, uti advertit Mazochius, pag. 819, nota 644, unde voces aliæ *residuus,* et plurale *residua.*

[4] Ex Am et C sumpsimus *malis* potius quam communius *mavis;* itemque *eligere* quam *elige.*

[5] *Omne* ex Am et C, quod in edd. deest.

[6] Ita rursus ex Am ac C, melius quam edd., *itaque.*

[7] Rursus ex Am priori manu (postea erronee mutatum in *vero*) et C, potius quam *vero,* quod edd. *Viro* etiam Gualthero et Barrensi probatum, ac biblico textui respondens.

[8] Adverbialiter, ut monet Servius, subintellecto *tempus,* et ideo significat *intempestive.* Mazoch. pag. 807. Virgiliana vero est dictio, Georg. III, v. 348.

[9] Ita ex Am et codice Gronovii, melius quam commune *sacrilegium,* probantibus adhuc Gualth. et Barr.

[10] Am et C, *signandum,* a Weber probatum, quod tamen æque minus quadrat, unde Gronovius locum corruptum putans, emendandum arbitratus est in *sic dandum.* Sed neque hæc lectio satisfacit; melior adhuc vulgata lectio *servandum;* nempe hypothetica locutio est, qua dicitur forte Romanos servare eos quos in potestate jam haberent, ut dein occiderent.

[11] Iterum ex C, pro communi *captum.*

vivere. Voluit tamen et ipse ut eum socius occideret; sed ille scelus putavit, recusavit ministerium. Non ergo usus consilio, sed destitutus ministerio fecit, ut ipse gladium in se converteret. Si timens fecit, ne sibi illuderetur, quid laudas quod timoris est? Si non timuit, cur primo aliud elegit? Ego nec illudentes Romanos timeo, nec mentientes. Saul tamen se solus peremit, non Jonathas, non quisquam alius in nostris Scripturis. Quid mirum si potuit se perimere, qui potuit etiam filium occi-
I Reg. XIV, 44. dere? Aaron inter vivos ac mortuos stetit, et hoc virtutis est, non temeritatis; non enim mortem sibi intulit, sed mortem non timuit, quia eam cor-
1 pore suo repulit et serpenti in omnes[1] obstaculo
Num. XVI, 48. fuit. Non ego quidem Aaron, sed tamen non de-
2 gener ab eo en offero manus; feriant ut volent.[2] Si possum eorum manus timere, dignus sum qui manibus peream meis; si parcunt illi adversario, cur ego non parcam mihi? Si quæritis cur parcere velint; et in hoste virtutem mirantur: tanta est enim virtutis gratia, ut frequenter etiam hostem delectet. Nostis etiam ipsi quanta intulerim exitia Romanis, quo modo victores omnium gentium Jotapatæ ignobilis urbis diuturna obsidione ab Hierosolymitanæ civitatis excidio averterim: brevi damno totius belli aleam lusi. Didicerunt ceteri meo periculo pacem optare. Fortasse ad hoc reservamur ut non deterreantur ceteri, sed provocentur. Sed suave asseritis mori pro libertate. Quis negat et illud? Tamen dulce vivere cum libertate: nam qui amicitiam offert, libertatem promittit: quodsi servitutem inferat, tunc erit certe opportunior moriendi voluntas si oportuerit mori. Nunc autem vitam offerunt, nolunt occidere. Timidus autem est et qui non vult mori quando oportet, et qui vult quando non oportet: quis enim ignorat femineæ timiditatis esse et muliebris for-
3 midinis,[3] ne moriare, mori velle? Denique pavidæ mulieres, ubi aliquod imminere sibi periculum cognoverint, solent se præcipitio dare: angusti enim animi molem formidinis et metum mortis sustinere non queunt; vir autem patiens, qui præsentia non timet et futura cogitat, nescit trepidare ubi non est timor. Denique scriptum est, quia *animæ effe-*
Prov. XVIII, 8. *minatorum esurient*, quæ cibum utique virtutis non habentes esuriunt, *ideoque ad mortem ante tempus festinant.* Neque enim repletus cibo gratiæ spiritalis sibi ipse manus irrogat, cum scriptum
Eccli. V, 15. sit quia *os imprudentis mortem invocat*, et iterum Scriptura dicit: *Et qui non curat seipsum in operibus suis, frater est ejus qui seipsum*
4 Prov. XVIII, 9. *exterminat.* Condemnatur ergo qui se ipse[4] percusserit. Quid enim tam contra legem naturæ? Quid etiam tam contra naturam omnium animantium? Quibuslibet, feris licet atque agrestibus, insitum est se amare: naturæ enim lex valida est velle vivere nec sibi mortem adsciscere. Denique ferro in se armari omnia genera animantium nec si velint possunt. Informem leti laqueum homines invenerunt, feræ nesciunt. Sed morsus ferarum arma sunt, dentes earum gladii. Quando tamen

A quisquam audivit, quod sibi aliqua fera proprio morsu membrum ademerit? Adversum alios faucium suarum armis utuntur; adversum se osculis. Nobis quoque quid tam dulce quam vita? Quid tam inimicum quam mors? Denique qui vitam protexerit, patronus est; qui mortem appetere tentaverit, insidiator est. Quod ergo in aliis exsecramur, si nos appetant,[5] ipsi nobis volumus inferre? Et 5
quod ab aliis pro pœna exigimus, hoc ipsi nobis irrogamus pro gratia? Et gubernatorem, si commis-
B sam sibi navem saxo illidat, persequimur; nos commissum nobis nostri corporis gubernaculum ferro extinguimus et voluntario naufragio addicimus? Sed objicitis mihi mortem maturam, cum in potestatem hostium fuero deductus. Quid ergo lucrifaciam, si quod ab hoste metuo, hoc ipse mihi inferam, cum possit accidere, ut quod suadetis mihi facere, non faciat inimicus? Hujusmodi istud est, ac si videns gubernator tempestatem futuram, tempestatis gratia declinandæ navem fluctibus
C mergat. An quia graviora supplicia exacturus est adversarius, ideo præveniendum putatis? Vel quia strenuum arbitramini, ut in nos ipsi ferro utamur? Sed jam imbecillitatis suffugium est, non virtutis tropæum, captare lucrum suppliciorum. In hoc igitur inhæremus, quod nec insignia habeat fortitudinis, nec profectum utilitatis. Quid autem at-
texam violari[6] depositi religionem? Deus omni- 6
potens thesaurum nobis optimum dedit, atque inclusum in hoc vase fictili et consignatum commisit
D nobis custodiendum, quoad usque ipsi placeat reposcere. Nonne in utroque crimen est, vel rejicere depositum non reposcenti qui dederit, vel reposcenti negare? Si hominis depositum violare pœna infamiæ est, quanto magis violare depositum Dei! Depositum Dei anima est in hoc corpore, anima quæ mortis istius capax non fit. Non enim ullo
mortis vinculo adstringitur atque illigatur;[7] sed 7
videtur mortem operari, cum solvitur corpore, atque a commisso sibi contubernio sejungitur.
E Cur igitur ante repetitum depositum mortem irrogamus, et animam quasi inutilem nobis remittimus, atque e domo nostra excludimus, et corpus sine decore et gratia sui in terram resolvimus? Cur exeundi hinc præceptum non expectamus? Miles tesseram expectat, servus imperium. Si quis horum sine præcepto exierit, alter desertor, alter fugitivus est. Qui hominem fugit, pœnæ obnoxius est, quamvis improbum fugerit dominum. Nos optimum omnium fugientes possumus non adstringi impie-
F tatis flagitio? Num etiam illud præteriit nostram opinionem, quod *apposuit Deus angelum in circuitu timentium eum?* Est ergo qui prohibeat, Ps. XXXIII, 7.
nisi præceptum acceperit. Si nullum præceptum, nullum viaticum; et quomodo perveniemus sine viatico? Quis nos recipiet in illo puro et secreto loco? Quis nos admittet ad illa sanctarum animarum consortia? Adam latebat, quia præceptum Dei prævaricatus est; exclusus est de paradiso, quia non servavit mandatum. Dicitur ei: *Adam,*
G *ubi es?* quasi ei qui fugerit; quasi ei cujus apud Gen. III, 9

[1] Edd., in *omni;* sed melius C, *in omnes,* quod probant Gualth. et Barr.

[2] Melius ita ex C, quam edd., *volunt.*

[3] Ita Am, C, ac Pa pro communi *fortitudinis,* consentientibus quoque Gualth. et Barr.

[4] *Ipse* C, melius quam edd., *ipsum*, et stilo Ambrosii conformius.

[5] Edd., *appetamus,* sed contra sensum: rite Am et C, *appetant.*

[6] Vulgo *violati;* sed Am et C melius, *violari,* quod veram lectionem habuerunt et Gualth. ac Barr.

[7] Ita Am, C ac Pa loco communis *alligatur.*

Deum non sit præsentia. Nonne et mihi dicetur: Ubi es, qui præter præceptum venisti, quem ego naturalibus vinculis non relaxavi? *Tollite eum in tenebras exteriores, ibi erit fletus et stridor dentium.*[1] Hæc non solum moribus hominum, sed etiam legibus interdicta accepimus: namque alii insepultos projici jubent eos qui in se ferrum dejecerint: dignum est enim ut qui patris imperium non expectaverunt, priventur quasi quodam matris gremio, terræ sepulcro. Alii dexteram manum abscidunt[2] defunctis, ut separetur a membris sui corporis quæ adversus corpus suum vesano militavit furore. Sed hunc exitum sacrilegi ferunt aut proditores vel percussores parentum, qui verum patrem non agnoverunt nec se recognoscunt.[3] Ideo aut penitus sepeliri prohibentur, aut non toti sepeliuntur. Animas quoque eorum non paradisus recipit, sed inferorum tenebræ sævaque supplicia. Hæc mihi reputanti, quamquam omnia erepta sint, sola tamen terrori ac formidini sunt, ne mihi ipse inferam quæ nec hostis poterit inferre, et illa paradisi eripiam, quæ Romanus adhuc non potuit eripere. Certe accelerare potuit, non poterit auferre, quæ sola impatienter desidero. Non enim vitæ hujus ulla me cupiditas tenet, in qua nec apud cives nec apud hostes cepi quod delectaret. Isti mihi pacem negarunt, illi patriam eripuerunt. Inter tot mala quid potest suavitatis in hac vita superesse? Tu modo, omnipotens Pater, qui naturæ auctor atque arbiter es, honestum largire exitum; tu rumpe naturale hoc vinculum, redde animam meam secretis suis. Extinctus sit populus, ereptum jus, libertas infracta; non prævaricabo[4] tamen legem tuam ut moriar injussus. Expecto ut jubeas; expecto ut volentem liberes. Multos habes tui[5] exsecutores; a te expecto imperium, ab exsecutore ministerium. Bonum est mori, sed moriar ut hebræus, non ut latro, non ut carnifex, non ut hostis. Victus sim licet bello, manebo tamen quod natus sum, ut Abrahæ patris hereditatem non deseram. Non transibo in numerum hostium, ut ipse meus percussor sim. Offerre me hosti percutiendum sine pietatis possum dispendio; manus meas mihi in hostem convertere, sine scelere non possum. An vero metus est, ne non liceat nobis secundum legem vivere? Revera nunc magna libertas est, quibus non licet secundum legem mori.

Matth. XXII, 13.

CAPUT XVIII.

1. Hæc Josephus allegabat, quo evacuaret voluntariæ mortis assertionem;[6] sed illi qui semel sese morti devoverant, quia verbis resistere non poterant, gladiis quasi feriuri illico virum circumstetere nisi adquiescendum putaret. At ille circumdatus alium ducis revocabat auctoritate et virtutis conscientia,[7] alium severo obtutu conveniebat; hujus revocabat dexteram, illius inflectebat iram, mulcebat consilii salubritate. Diversis modis unicuique irrationabilem extorquebat furorem. Etenim quamvis ultima sors victi dignitatem extorserat, non penitus tamen aboleverat reverentiam. Paulatim itaque deponebantur manus, recondebantur gladii; tamen intentio perseverabat.

2. Cum videret unum a pluribus se obsessum teneri, sive casu quodam sive consilio commentus[8] est, ut minueret numerum repugnantium. Committamus, inquit, sorti moriendi ordinem, ut se nemo subtrahat, cum sors conveniat universos. Sortis istiusmodi conditio sit, ut is qui sorte exierit, ab eo qui sequitur interimatur. Itaque fore ut sors unumquemque, non propria voluntas morti adjudicet. Stet igitur unusquisque sub sorte judice et exsors sceleris et liber captivitatis, ut non alieno arbitrio acceleret, nec declinet suo mortem futuram. Nemo recusare poterit eventum, quem vel casus intulerit, vel Dei voluntas signaverit. Fidem fecit oblatio, et universorum assensus sorti adquievit: quisquis sorte est designatus, paratam sequenti necem præbuit. Itaque accidit ut interemptis reliquis Josephus cum altero superesset neci. Manebat necessario ut aut sorte condemnaretur, aut certe si exitio superfuisset, sanguine socii contaminandus foret. Suadet ut sorti renuntiarent.[9]

3. Sic domesticum evasit prælium et per Nicanorem ad Vespasianum deducitur. Fit concursus ad ejus advenientis spectaculum, Romanis fere omnibus confluentibus. Alii videre dejectum desiderabant, quem paulo ante in amplissimo honore positum summæ rei præesse intuebantur; alii certabant capto illudere; alii vices rerum humanarum tam varias atque flexibiles mirabantur; plerique consultius ingemiscebant, qui in alienis casibus sibi posse eadem accidere putabant. Titus præ ceteris movebatur ingenita animi mansuetudine, illum dudum bellatorem superbum, subito potestati addictum hostium, alieni nutus sortem adopperiri[10] vitæ naufragum, exulem spei, incertum salutis; tantum valere momenta in præliis, ut brevi casu dispares sui reddant, cum aut potentes dejiciuntur, aut afflicti levantur. Itaque pars melior eorum, scilicet qui honore potiebantur, mitiora consilia dabant. Maxima tamen portio salutis apud patrem Josepho Titus fuit. Vespasianus eum asservari præcepit, ne forte elaberetur.

CAPUT XIX.

Inde paucis post diebus Ptolemaidem repetit atque inde Cæsaream[11] contendit, urbem Judææ maximam, sed magis gentilibus refertam inhabitantibus, unde cum plausu et lætitia suscepere exercitum romanum, non solum romanæ societatis exoptata sibi gratia, sed et insito quoque odio

[1] Edd. addunt *et dolor*, quæ desunt in Am et C, conformiter Evangelio. Hæc et alia, quæ e Scripturis novi Testamenti desumpta sunt, planum est a libero translatore inserta fuisse; sicut et ipsæ orationes ab eodem expolitæ sunt et ampliatæ.

[2] Ita Am, C ac Pa; *abscindunt* reliquæ edd. Item postea *quæ* in Am, C ac Pa, probantibus Gualth. ac Barr.; *quod*, vulgo.

[3] Rursus ita Am, C et Pa. Vulgo, *sese cognoscunt.*

[4] Ita Am et C, edd., *prævaricabor.*

[5] Gualtherus addidit *imperii* ut verbum necessarium, et Weber retinuit. Nos tamen omisimus, quia et nullo fulciatur documento, et sensus præterea æque currat.

[6] Ita rite A, Am et C; loco communis *affectionem.*

[7] Ita Am melius ac communiter, *constantia:* C, *consciæ*, mendose pro *conscientia.*

[8] Ita C, quod pro vera lectione habuere et Gualtherus et Barrensis. Vulgo *commentatus.*

[9] Ita Am et C, melius quam vulgo, *renuntiaret.*

[10] Ita C; edd., *opperiri.*

[11] Diocæsaream, scil. Sephorim.

plebis Judææ, cujus principem Josephum oportere puniri maximis clamoribus vociferabantur. Quam Vespasianus, ut vulgi iram sine judicio conceptam, silentio dissolvit; et quia ad hiemandum et tempus opportunum et civitas erat, duos ordines in Cæsarea constituit, decimum quoque et quintum ordinem in urbe Scythopolitana, ne Cæsarea totius onere exercitus attereretur. Ideoque memorata urbs Dianæ Scythicæ consecrata, tamquam ab Scythis condita, et appellata civitas Scytharum ut Massilia Græcorum: situs loci declarat ingenitam duritiam
1 conditoris patentia[1] magis camporum quam condu-
2 cibilia habitationis usui delegisse. Namque aperta[2] et aspero hiemis et ferventi tempore æstatis plus laboris habent quam delectationis, quoniam et hieme plus frigori patent, et gravior in his locis æstatis flagrantia est, in quibus solem totum recipiunt sine ulla arvi virentis amœnitate. Itaque campestris et maritima regio memoratæ urbis etiam æstu maris amplius vaporabatur.

CAPUT XX.

1. Nec tamen a negotiis bellicis Vespasianus vacuus erat. Cognito etenim diversis ex locis ad urbem Joppen sese contulisse plurimos, eamque opportunam sibi ad excursus piraticos reparatis ædificiis, quæ a Cestio destructa fuerant, instauravisse; quoniam vastata regione subsidium alimoniæ mari quærebatur, diligenter exploravit omnia. At illi statuentes hujusmodi navigia, quæ usui prædonum accommoda forent, speculati commeantium transitus, universa prope Phœnicis atque Ægypti commercia populabantur, adeo ut crebræ prædationes terroribus omne illud mare clauderent, atque indubii periculi metu navigandi usus interciperetur. Quo comperto, pedestris militiæ manum et equitum plerosque pergere jubet, et nocte Joppen ingredi; quod facile factu fuit, cum custodia nulla civitati prætenderet, quoniam eversæ urbis fama nullas excitatura romani curas ducis æstimabatur. Præsentes erant tamen, sed non ausi resistere atque ingressum negare Romanis advenientibus. Navigiis ascensis ultra jactum sagittæ progressi, in mari pernoctaverunt.

2. Res postulare videtur situm litoris quo prætexitur Joppe, breviter exponere, ut quemadmodum sine ullo prælio prædictæ urbi secunda clades fuerit, liquido manifestetur. Importuosa est natura civitas, cujus ab ora maris litus asperum directumque, sed cornibus utrimque leviter inflexum, in quibus profundæ rupes saxaque ingentia quæ mari prominent; et cum de imo maris surgant, in mare excurrunt tamen, unde etiam Andromedam illic fuisse, cum ceto objectaretur, formæ locorum atque ipsæ rerum species prodere videntur, non

A mediocrem vetustis fabulis fidem accommodantes. Cædentibus itaque litus adversis flatibus Boreæ immane quantum undæ attolluntur, quæ scopulis illisæ fragorem ingentem excitant, atque in fluctus relapsæ inquietum illud maris sinum reddunt, ut plus periculi in portu quam in deserto sit. In eo igitur fluctuantibus scaphis, quas ex Joppe urbe productas supra diximus, ad matutinum flatus vehemens ingruit, quem Melamborium[3] per ea locorum navigantes vocant, statimque inter se
B undis impellentibus scaphas miscuit atque involvit. Alias ruptis anchoralibus egit in petram, aliis cum in adversum mare violenter subrigerentur (saxosi litoris periculum vel a Romanis cladem, qui se circumfuderant litori, nautis fugientibus), occurrit unda, quæ præcelsa mole supereminens oppressos demersit.[4] Nec confugiendi erat ullus locus, nec manendi spes, cum ventus de mare expelleret, Romani urbe excluderent. Gravis erat navigiorum sonus cum inter se colliderentur, intolerabilis ho-
C minum gemitus cum frangerentur; qui ubi vacillantibus alveis videbant mare irrumpere, alii se præcipitabant natandi periti,[5] alii dum in appropinquantes exsiliunt scaphas, in mare lapsi concursu alveorum proterebantur. Plerique cum ipsis in profundo sidebant myoparonibus, quos enandi[6] fiducia destituerat; minore tamen cruciatu, quibus ars deerat vel spes ulla tentamentorum, mors transigebatur.[7] Ceterum nare[8] adorsos convulsas navium fragmenta crebris quatiebant ictibus, late-
D ribusque illisa miseros artus fœde mulcabant,[9] aut scopulis impulsos inter ipsa amplectendi litoris vota mors sequebatur, qualecumque tamen habentes solatium in terris periisse. Miseranda itaque facies erat, cum excusso infelicium cerebro cautes aspergerentur, sanguine maderent litora. Cerneres infectum cruoribus mare, repleta omnia cadaveribus; et si qui forte evaserant appropinquantes litori, interficiebantur, æstimantibus Romanis, quod non ex locorum asperitate usuque ventorum in illis
E locis desæviret procella, sed divina indignatione præter solitum conspirantibus ventis mare involveretur, ne Judæi evaderent, et ideo metuentibus eis parcere, quibus Deus non pepercisset. Fuere qui se ferro interficerent tolerabilius rati ferro quam naufragio perire; alii qui contis protrudere volentes navigia perforarent; nonnulli qui lapsos in mare, si forte orarent ut a navigantibus elevarentur, remis repellerent aut telo ferirent. Quod ideo non prætermisi, quo clareat ab ipsis sibi Judæo-
F rum populis quam ab hoste periculum majus fuisse, qui se ipsos interimebant, quasi exigua essent ad eorum excidium[10] infesta simul omnia, cœlum, hostes, mare, rupes. Quatuor itaque millia quingenta defunctorum numerata corpora, quæ despuerat mare: sine bello capta urbs et excisa a fundamentis.

[1] *Patientia* in ed. Mignii; quod probabiliter est error typothetæ.

[2] Hanc lectionem codicum A, Am et C probant Gualtherus et Barrensis; subintelligitur vero *hæc loca*, de quibus præcedenter, *patentia*, etc. Edd., *aperto*.

[3] Josephus, μελαμβόρειον.

[4] Edd., *vel a Romanis, qui se circumfuderant littori, nautis fugientibus, clades occurrit, undaque præcelsa more supereminens oppressos demersit.* Lectio nostra maxima ex parte e C desumpta, ad textum Josephi a Weber aptata fuit. Cum eadem fere omnino conveniunt Gualtherus, Barrensis et codex Gronovii.

[5] Ita Am et C; edd., *natandi peritia.*

[6] Pro hac certe vera lectione ab Am et C exhibita substituta in edd. *enatandi.*

[7] *Transfigebat*, edd.; Am et C, *transigebatur*. Gualtherus in ed. 1ª exhibuit pro lectione genuina *transigebat*. Sed nostra lectio conformior est contextui, et significat *occurrebat, obveniebat.*

[8] Iterum edd., *natare* pro *nare*, quod in Am et C.

[9] Edd., *mulctabant*; C, *mulcebant*, sed evidenti mendo scriptionis pro *mulcabant*, quod in Am, ut notat Lipsius ad Tacitum, aliique critici demonstrant, v. g. Pareus in *Plautino lexico critico*. Vide Mazochium, pag. 805, nota 635.

[10] Ita Am et C; edd., *exitium*, editio Mignii probabiliter ex mendo typographico, *exitum*.

3. Sic in brevi tempore secundo Joppen romana manus diruit, quod jure Vespasianus præcipiendum putavit, ne iterum illic piratica conderentur habi-
1 tacula. Unde et equitatum eo loci[1] cum peditibus paucioribus licet proficiscens reliquit, ut pedites in loco manerent, ne quid auderet prædonum manus assueta latrociniis, equites autem percursarent fini-
2 tima regionis vicosque et oppidula,[2] quo penitus omnia ne conspirarent in aliquos ausus diruerentur.

CAPUT XXI.

2 1. Dum hæc in Jotapaten[3] geruntur, quamvis procul Hierosolymitani degerent, ne sic quidem a consortio cladis feriabantur. Auditis enim quæ gesta a Romanis fuerant in Judæa, et maxime quia Josephum interfectum compererant, primo, quia nemo de locis ad eos index advenerat, non credebant, deinde ducem tantum non temere in manus hostium incidisse arbitrabantur. Et revera nullus nuntius tantæ cladis superfuerat, et hoc ipso supremi excidii fama, quia nullus index superfuerat, adstruebat periisse omnia nihilque rese-
4 disse, vel ad indicium rerum gestarum manabat[4] opinio quovis major relatu, quod ipsa incertos dum tenent silentia, credebantur omnia quæ timebantur, tantumque aberat quominus aliquid nuntiaretur, ut etiam quæ gesta non fuerant, adjicerentur. Nam Josephum quoque interfectum fama asseveraverat, idque dolori maximo fuit universis.

2. Sed ubi apud Romanos eum degere compertum, tanto odio persequebantur, ut cujus primo mortem dolebant, ejusdem vitam vel ignaviæ vel proditionis indicem detestarentur. Hinc major in Romanos commotio ut se de Josepho ulciscerentur, et quo magis eorum res inclinabatur, eo amplius in bellum incendebantur: ubi finis esse debuerat, inde exordium malorum capessebatur. Nam sapientibus adversi rerum exitus ad cavendum magis docu-
5 mento sunt, ne rursus ad eadem accedant[5] quæ jam male cesserint; imprudentibus autem incentivum miseriarum. Debuerat ergo Hierosolymitanis causa sobrietatis esse sociorum periculum; sed
Ps. XXXV, 4. quia noluerunt intelligere ut bene agerent, in exitium vertit.

CAPUT XXII.

1. Vespasianus tamen, ut et ipsa mora in melius consuleret sibi, et a labore exercitus paulisper requiesceret, roganti cessit Agrippæ ut in urbe regni ejus labore Cæsarea Philippi viginti fere interponeret dies, simul ut ægra partium ejus a commotionis et discordiæ furore resipiscerent, qui se interventu regis suscipi posse si converterentur, cognoscere deberent, cum tam sedula officiorum fœdera inter regem et Romanos intervenirent. Denique Tiberias proxima Cæsareæ remedium non
A abnuit, sanitatem invenit. Nam et ipsa gravi morbo dissidentis inter se plebis exæstuabat; unde Vespasianus tres ordines validiores accire et Scythopolim petere directo in negotium filio decernit: ea erat decem urbium maxima, vicina Tiberiadis. Inde appropinquare muris Valerianum cum quinquaginta equitibus jubet, qui pacifica suaderet et ad fidem societatis clausos vocaret, ut congregati exercitus terror aversos percelleret, nuntius pacis volentes invitaret. Valerianus prope muros equo desiliit;
B eadem fecere etiam qui simul propius accesserant. Quos pro numero spernendos arbitrati, Jesus prædatoriæ manus princeps cum suis, qui pariter incessere ausi, repentina eruptione deturbant loco, cedentiumque[6] simul quos deduxerant equos invo- 6
lavere, dementes qui non adverterent consultius Valerianum cessisse insolentiæ, quam spolia de iis qui pacem offerebant, usurpavisse.

2. Denique seniores offensi facinoris acerbitate, relinquentes urbem ad Vespasianum precatum ve-
C nere, ne paucorum insolentia universæ plebi adscriberetur. Vespasianus Trajanum illico ad urbem direxit, ut exploraret si populus insidiatorum temeritatem aversaretur. At ille convenientia populi studia seniorum precibus annuntians, fidem legationi accumulavit. Ita petentibus venia data, maxime quia sollicitum regem pro totius urbis statu Vespasianus intuebatur, cujus fide interposita nihil tale ausuros postea, delicti gratiam volens cessit.

D

CAPUT XXIII.

1. Inde Taricheas sollicito atque instructo agmine petit, eo quod plurimum ad ipsam urbem propter munitionem loci confluxerat multitudinis; et quia muro eam vallaverat Josephus, nisi qua pedestribus invia Genesari lacus fluctibus alluebatur, ideo navigiis congregatis anceps bellum fremebat. Si terrenum inclinaret adversum se prælium, ad naves confugerent; si navali certamine
E cederent, urbem reviserent, murisque sese ambientibus defensarent. Consimilia utrobique præsidia vel in urbe Tiberiade, vel Taricheis; sed Taricheis peritiora ingenia, murus validior Tiberiadis; sed Taricheorum furor promptior, ut si necesse esset, miscerent omnia, navalia terrenis certamina, terrena classicis. Denique circumvallati adversa acie cum majora auderent viribus, nec adversus romanæ dispositionis moderamina, veterani quoque exercitus virtutem, quicquam temeritas promoveret;
F priusquam aliquid exitii subirent, versi in fugam ad naves convolavere. Quibus confertis tamquam densata acie præliabantur, ac si in terris manu res gereretur. In campo etiam multitudo innumerabilis hostem præstolabatur. Eo cognito filium cum electis equitibus Vespasianus direxit.

2. Qui ubi se ingentibus circumfusum copiis vidit, ad patrem quidem retulit majorem esse ho-

[1] Edd., *illinc cum*, etc.; sed Am ac C non habent *illinc;* Pa habet *illic.*

[2] Edd. recentiores, *oppida;* sed Am, C et Pa, *oppidula,* quod melius et cum Josepho convenit.

[3] Loco Joppe, ut vulgo legitur, e Josepho *Jotapaten* substitutum fuit, uti etiam sequenti contextu requirebatur.

[4] Ita Am et C, melius quam *manebat* edd.; unde et Gual. ther. et Barr. illam habent ut veram lectionem.

[5] *Rursus eadem accident,* edd.; sed valde melior lectio cod. Am et C, quam exhibuimus.

[6] Edd. recentiores, *cædentesque;* Pa, *cedentesque;* Am et C, *cedeuntimque* (more solito in codice *cædentiumque,* nempe *æ* pro simplici *e*); et hanc veram esse lectionem demonstravit Weber tam e textu Josephi, qui ita sonat: *Ipse autem* (Valerianus) *descendit, et equites qui cum eo* (erant) *descendere fecit.... et fugit pedestris;* quam e subsequenti contextu, unde constat non *cæsos* fuisse romanos, sed fugiendo *cessisse loco.*

stium multitudinem quam opinio comprehenderat; sed convocatis quos secum deduxerat, bellandi incentivum hujusmodi alloquio infudit.

CAPUT XXIV.

Viri, inquit, romani, meminisse enim vestri vos nominis et generis præliaturos decet, quorum manus nemo effugit qui in orbe romano est. Unde enim hoc nomen universis terris nisi vincendo dedistis? Meminisse etiam loci oportet, in quo nunc sitis, et adversus quos Romani bellum geratis. In extrema enim parte orbis terrarum consistimus. Tanta ergo terrarum spatia transeuntes nihil alienum vidistis. Quid enim vobis alienum, quorum in possessione orbis terrarum est? Quidquid ubique est, jus vestrum est; quidquid universorum incolatus tenet, possessio vestra est. Currebatis bene:
1 quis statuit[1] vestros toto orbe currentes triumphos? Quos non Hasdrubal Pœnus, non Pyrrhus Æacides, non Brennus Gallorum rex Capitolinis vestibulis incumbens, non Persarum catervæ, non Ægyptiæ phalanges statuere potuerunt, hos statuet rebellis Judæa ineruditam præferens bellandi temeritatem rixæ quam pugnæ aptiorem? Neque tamen est quod vereor, sed plenum verecundiæ arbitror, quod vos vincendo defatigamini; illi autem qui toties vincuntur, audaciam sumpsere;
2 et lassari[2] vos rebus secundis, cum illi adversis duriores sint. Attollite igitur animos, romani viri, et adversus catervas hostium freti, patria virtute exsurgite. Neque vos numerus moveat plebis Judææ, cum illos tot nostræ virtutis insignia non deterreant, quæ longe numero validiora sunt. Neque enim ulla in Hebræis vel rei militaris scientia, vel præliandi peritia, vel moderandi gratia; nullus disciplinæ
3 usus, nulla tolerandi patientia. Solum in prælia[3] deferunt mortis contemptum; sed nemo umquam moriendo vicit hostem, sed perimendo. Illi nesciunt arma nisi in bello; nos in pace armis exercemur, ut in bello casus belli dubios non sentiamus. Insuetis enim eventus dubii; veteranis solemnis triumphus. Quid enim aliud agimus quotidie nisi ut nobis numquam nova prælia sint? Unusquisque domi quasi in prælio exercetur, ut in prælio meditatio quædam certaminis sit. Denique non erraverit quisquam asserens quod meditationes nostræ bella sine sanguine sint, bella nostra meditationes sint. Progredimur in bellum muniti undique; tegitur galea caput, lorica pectus, totumque clypeo corpus. Ubi feriat hostis romanum militem reperire non potest, quem ferro septum circumspicit. Aliis talia arma oneri sunt, nobis integumento, quia usu levantur. Adversum inermos igitur ac nudos prælium nobis est. An vero metuimus ne numero circumveniamur? Primum liber in præliis equitatus est; cedendo atque insequendo bellum proludit, et quamvis maximas acies circumcursat, et quibus libitum fuerit, spatiis excedit. Deinde in ipso pedestri certamine non tam plurium numerus conficit pugnam, quam virtus paucorum. Multitudo enim disciplinæ insolens ipsa sibi est impedimento in prosperis ad victoriam, in adversis ad fugam;

A virtus vero patiens et secundis valescit, nec usque labitur in adversis. Accedit illud quod assuetudo victoriarum incentivum nobis sit præliandi: nam etsi illi pro patria, pro liberis dimicant, non ideo promptiores eos esse quam nos oportet. Neque enim minus est, immo haud scio an etiam amplius, pro nobis, quam pro nostris decertare. Pro nobis præliamur, et cum præliamur pro gloria, ne minores simus eo quod sumus. Quis ergo dubitet plus esse pro gloria decertare quam pro salute?
B Nobis autem bellum hoc pro existimationis periculo est, ne jus partum intercidat. Periclitamur etiam victores gentium et principes orbis terrarum Judæis pares videri, quos ex æquo nobis in adversarios constituimus, si non aliter nisi pari numero congrediamur. Majores nostri magnas hostium copias parva manu frequenter fuderunt. Et quid nobis conferunt romana exercitia, quid diurnus labor, si pares ad prælium venimus? Nuntiavimus quidem de numero patri, quia aliud non licebat;
C sed advertat nos non de periculo metuisse, sed reverentiam belli arbitrio reservavisse. Licet prælibare bellum, tenere hostem, rapere victoriam, dum adjumenta veniunt; ne non tam superatos adversarios communi robore, quam protectos nos virtute sua jactent qui venerint. Quo igitur ore in conspectum patris veniemus, si incipere bellum timuerimus? Quo pudore degener filius subibo oculos tanti viri, qui nesciat militem suum nisi victorem videre? Quomodo ejus me militem et filium pro-
D babo, cum ille semper triumphator, ego etiam meo, quod gravius est, victus judicio, qui hosti Judæo cesserim? Quid vobis fiet condemnato duce, quem vobis pater securus commiserit? Sed malo de virtute ducis vos quam de ignavia causas dicere. Proruamus igitur in adversarios; properemus, proteramus hostem. Primus in periculum excurram; vos sequimini ut depositum patris custodiatis et commissum patri[4] reservetis. Ego autem non pe- 4
riculi socios exigo, sed consortes victoriæ; vos
E tamen cavete ne oblatam vobis palmam triumphi aliis reservasse videamini, vobis eripuisse. Certe si secus cesserit, malo me filium pater in vulneribus meis recognoscat, si in militibus suis non recognoverit. Ponamus tamen offendi patrem prælii aggressione. Quid igitur tolerabilius, præripuisse victoriam, an deseruisse? In præripiendo properatio est fortitudinis; in deserendo culpa ignaviæ. Condemnet certe victores pater; reatum hujusmodi non reformido; malo reus esse triumphante repu-
F blica, quam læsa innoxius. Utinam Manlii Torquati filium vel in solo mihi liceat imitari periculo, quem securi pater jussit feriri, quod contra imperium patris exercitum in hostem produxerat. Stabat hostibus cæsis adolescens amictus adoreis triumphalibus, sub carnifice mortis securus, quoniam beatissimum putabat in victoria mori. Quid enim illustrius quam vitam triumpho claudere; nec ad incerta rerum reservari post certam victoriam? O expectendum prudentibus crimen victoriæ! Uti-
G nam et nobis hoc objiciatur quod vicerimus. Certe illo exemplo solus ego periclitabor, vos triumphabitis. Et tamen non prohibuit nos pater pugnare,

[1] Nempe *quisnam sistere fecit;* quod et in Plauto legitur, nec semel in Ambrosio. Vide Mazochium, pag. 809.

[2] Ita Am, C ac Pa, quod probatur etiam Gualthero et Barrensi. Vulgo, *lassati.*

[3] Edd. recentiores, *prælium,* sed melius Am et C, *prælia,* quod et legitur in ed. Pa, et præfertur a Gualth. et Barr.

[4] Edd., *patris;* C, *patri,* melius.

sed jussit quos ad pugnam direxit; unde magis indignaturum arbitror cessisse nos Judæis, cum possemus vincere, quam pugnavisse.

CAPUT XXV.

1. Hæc dicens primus equum in hostem egit, et cum clamore magno sequuti ceteri toto campo extendebantur, quo etiam plures æstimabantur. Trajanus quoque cum trecentis equitibus missus a Vespasiano jam progrediente Tito supervenit. Nec diutius resistere potuerunt Judæi, cum virorum contis et fremitu equorum perturbarentur. Con-
1 versi itaque diversa[1] alii, plerique urbem petebant. Emicat Titus et alios a tergo fugientes opprimit, alios cædit palantes, universos præverso itinere a muris repellit, et obvius recurrentibus fugam intercludit. Rursus tamen dum alii sternuntur, elapsi alii, quibus urbs refugio erat.

2 2. Sed illic[2] quoque acrius prælium. Nam qui de locis finitimis affluxerant a principio, pacem præferebant; sed populus superveniens invitis bellandi studia extorserat. Inde intra urbem dissensio et tumultus gravis, quo strepitu excitus se convertit ad milites Titus. Hoc, inquit, est tempus,
3 sanctissimi commilitones, quod expetebam.[3] Inter se hostes intra urbem tumultus serunt; foris cæduntur, intus digladiantur: festinemus dum adhuc dissident, ne forte periculi metu in gratiam redeant.

3. Itaque ascendit equum quo desilierat muris proximus, et conversus ad lacum per fluctus aquarum urbem petebat, primusque in urbem irruit et
4 post eum[4] ceteri; statimque omnes, qui interius erant, dispersi in fugam, alii prosternebantur, alii
5 ascendentes[5] navigia in lacum demergebantur; cæsi intus multi mortales. Sane qui de agris erant, offerebant sese Romanis alienos culpæ asserentes, quibus pio moderamine Titus parcendum putabat, solos urgens rebellionis auctores.

6 4. Misit itaque[6] ad patrem equitem qui nuntiaret eventum victoriæ; quo delectatus Vespasianus et maxime filii triumpho, qui maximam portionem totius belli confecerat quod adversus Judæam gerebatur, eo contendit et jussit observari urbem diligentius ne quis elaberetur, eo quod universi pœnæ deberentur. Alio tamen die propter eos, qui in scaphas sese contulerant, rates fieri jussit, quæ sine mora factæ, quoniam et silvæ finitimæ et operarii plerique celerandi muneris facultatem dedere.

A

CAPUT XXVI.

1. Namque lacus ipsius, velut quodam maris ambitu, sinus amplissimus in longitudinem centum quadraginta extenditur stadia, latitudine quadraginta diffunditur, crispantibus aquis auram de se ipso sibi excitans. Unde et Genesar[7] dicitur græco 7
vocabulo quasi generans sibi auram, aquæ[8] dulcis 8
et ad potandum habilis, siquidem nec palustris uliginis crassum aliquid aut turbidum recipit, quia
B arenoso undique litore circumvenitur; et temperatior est fluviali aut fontis rigore, frigidior tamen placidæ paludis æquore, eo ipso quod non in stagni morem sternitur aqua, sed per diffusiora spatia lacus frequentibus auris spirantibus agitatur. Unde et purior haustus ejus, ac mollior est ad usum bibendi, et si quis naturali gratiæ studium adjungere velit, ut æstivis suspensam ad auras noctibus more incolarum potui paret, haud quaquam a nivis
ritu[9] distare arbitretur. Genera quoque piscium 9
C gustatu et specie quam in alio lacu præstantiora. Res exigere videtur ut Jordanis ortum quem alibi promisimus, aperiamus.[10] Nam superioris ævi dubio, 10
utrum de lacu, cui Genesar nomen, Jordanis exoriretur, Philippus tetrarches Trachonitidis regionis falsam opinionem redarguit, erroremque
absolvit mittens paleas in Phialam, quas in Panio[11] 11
fluvius ebullivit; unde liquet non exordium esse Jordanis in Panio, sed fluentum. Non enim ibi fons ejus est, ut ab eo ceterorum usu fluminum
D cœperit, sed de Phiala in Tracho eodem subterraneis derivatus meatibus, ibi iterum quasi fons scaturit atque emergens producitur. Est autem Phiala in Trachonitide terra centum viginti interjacentibus stadiis usque ad urbem Cæsaream. Phialæ
autem nomen species[12] dedit quasi rotæ qualitatem 12
exprimens, quod ita jugiter plena est aquarum, ut neque superfluant nec rursus aliqua derivari minutione intelligantur. Inferius itaque mensura quadam labitur aqua, et ubi Panium est, rursus ebullit,
E ut paleis resurgentibus manifestatum est. Ita ibi Jordanis resurrexisse proditus est, ubi nasci a superioris temporis viris æstimabatur. Nec tamen a principio eadem Panii nisi sola naturalis gratia; sed regali Agrippæ munificentia ornatus loco uberior splendidiorque additus,[13] quo spelæum decore admirabili, per quod sese attollit Jordanes, extructum venustatumque accepimus. Unde non latenti
jam nequo abdito per cava terræ meatu,[14] sed vi- 14
sibili per terras atque aperto flumine incipiens se
F superfundere, Semechonitidem lacum paludesque ejus intersecat. Inde quoque cursus suos dirigens, centum viginti stadia sine ulla interfusione pro-

[1] Edd., *in diversa,* dum *in* deest in Am et C; inductum autem videtur a librariis non animadvertentibus *diversa* quoque regi a subsequenti *petebant,* et *conversi* omnes complecti.

[2] Ita Am ac C; edd., *illis.* Sed *illic* probatur merito etiam Gualthero et Barrensi.

[3] Barr. mallet legi *expectabam;* nostra tamen lectio Am et C aliisque præstantioribus mss., et magis naturali sensu fulcitur.

[4] Edd., *postea,* sed Gualth. et Barr. præferunt *post eum,* quod habet Am et C.

[5] Edd. et Am ita habent, sed C *descendentes,* quod Weber tuetur quia a littore descenditur ad mare, vel lacum.

[6] Am et C, *etiam;* sed *itaque* magis contextui conveniens apparet, ut in edd.

[7] Josephus Γεννησαρ; in Evangeliis autem Marci et Lucæ *Genesareth,* apud Matthæum, *terra Genesar.*

[8] Ita Am ac C, subintellecto adhuc *lacus,* edd., *aqua,* in primo casu.

[9] Id est *more,* in qua significatione *ritus* ab Ambrosio, ut ab aliis veteribus, alibi quoque adhibetur. Vide Mazochium, pag. 809.

[10] Nimirum lib. I, cap. 35.

[11] Vulgo *Pannio,* sed Am, C ac Pa, *Panio,* conformiter Josepho, ubi το Πάνειον.

[12] Vulgo, *spes;* sed evidenter *species* est vera lectio, uti in A, Am, C et Pa.

[13] Edd., *aditus,* sed Am et C, *additus,* ut a sensu requiritur.

[14] Ita e duobus mss. cantabridg. melius quam vulgo, *per cavos terræ meatus,* quia duo adjectiva *latenti* et *abdito* suum habent substantivum in *meatu.*

greditur usque ad urbem cui Julias nomen; postea lacum istum, qui Genesar dicitur, medio transit fluento, quibus ex locis plurima circumvagatus deserta, Asphaltio[1] suscipitur lacu, atque in eum conditur. Itaque duos lacus victor egressus, in tertio hæret.

2. Prætendit autem regio Genesar ejusdem nominis lacum, de quo et ipsa vocabulum assumpsit, mirabili naturæ gratia et specie pulchritudinis. Nam et spontaneos fructus soli ubertas ministrat, et nemorum ferax in universa genera sponte se subrigit arborum pomiferarum, et culturæ solertia imitata naturam, in quos voluit usus opimæ fecunditatis deflexit gratiam, ut nihil sit illic quod natura negaverit, nihil quod cultura præterierit: ita aptus omnibus nec ullis umquam alienus fructibus; cujus tanta temperies ut omnium nascentium conveniat diversitati. Illic et quæ frigore aluntur sese multipliciter effundunt, et quæ æstu foventur; illic æstiva hibernis mixta simul adspicias, arctoas nuces et dactylos, nisi locis ferventioribus generari nescios. Quid ficus aut oleas loquar, quas cœli mollior alit tractus? Nec tamen æquantur illis superioribus: illi enim principales Palæstinæ et quidem domestici fructus eoque uberiores; hi suppares, et licet longo intervallo, sed tamen proximi.[2] Dicas naturæ et temporum jucundam contentionem: illa quasi mater fecunda omnia creat; horum temperies quasi bona nutrix molli fotu universa educat. Itaque non solum affatim generantur pomorum diversitates, sed etiam conservantur, ut aliqua genera maxima parte anni non deficiant; reliqua omnia tota anni ætate usque ad finem supersint. Nam et uvæ et ficus, quæ sunt in insitivis[3] regalis cujusdam gratiæ, decem mensibus sine ullo defectu redundant, et reliqui fructus ramorum, quos vel volentia[4] rura sponte propria procreaverint, vel ingeneraverit industria humana, ministerium suum, nisi novis succedentibus, usu quodam administrantium deserere non norunt. Ad hanc naturæ fertilitatem et aeris temperiem accedit et fontis gratia, qui memoratam regionem genitali quadam irrigat infusione. Capharnaum[5] nomen ei, quam Nili fluminis venam haud superfluo quidam æstimaverunt, non solum quia irriguis[6] arva opimat, verum etiam quia hujusmodi creat piscem, ut coracinum putes qui in Alexandrino lacu ex Nili infusione reperitur. Locus quoque de nomine lacus dictus prætendit[7] in longitudine triginta stadiis, in latitudine viginti. Quoniam de natura loci diximus, ad consummationem prælii regrediamur.

3. Præparatis itaque ratibus secundum præceptum suum, manum militarem imposuit Vespasianus, quæ insectaretur eos qui navigiorum effugio pestem evaserant. Quid igitur facerent, non reperiebant. Nullus in terris salutis locus, circumfusa hoste omnia, nulla in aquis fugiendi potestas utpote lacu clauso et undique Romanis circumdato; nulla etiam in exiguis myoparonibus resistendi fiducia. Quid enim pauci adversus plurimos facerent, ratibus appropinquantibus? Tardior quidem harum appulsus et efficacior excursus navigiorum;[8] sed sine ullo sui vulnere soli clypeorum, repercussis spiculis, crepitus audiebantur. Appropinquare non audebant Judæi, nec impune quisquam scaphas propius accesserat, cum de proximo facile vel telorum figeretur ictibus, vel ratibus demergeretur; et si quis enare[9] vel emergere tentavisset, sagittæ jaculo insertus miserabilem in fluctibus vitam deponebat.[10] Nec diutius resistere potuerunt, cum diverso genere minuerentur. Namque paulatim concurrentibus plurimis ratibus, ad litora cogebant Romani maximum numerum navigiorum; atque illico coartati aut in terram desiliebant[11] ibique a Romanis interficiebantur, aut cædebantur ab iis qui de ratibus urgebant, aut concursu ratium proterebantur, aut ipsi se in lacum dejiciebant, cum scaphas eorum hostis insiliret. Cerneres mixtas sanguine aquas, plenum cadaveribus lacum. Nulli enim parcebatur quicumque occurrerat. Gravis odor, teterrimus fœtor locorum. Sex millia Judæorum, cum superioribus tamen, et septingenti[12] eo interempti prælio.

4. Victor Vespasianus Taricheas revertit.[13] Illic regionis populum ab urbano discernere parabat, ut qui non fuerant auctores seditionis, reservarentur; sed plurimorum consilio qui tantam superesse multitudinem, quæ posset recidiva[14] prælia resuscitare, paci adversum et inutile locis arbitrarentur (ubi enim consisterent patria excussi?[15] quibus se alimoniis sustentarent exsortes omnium, nisi rapto viverent?) sententiam flexit, et inspirata[16] venia mortis, præcepit ut egrederentur ea porta, quæ esset e regione Tiberiadis, atque ad eam urbem contenderent. Facile crediderunt quod exoptabant. Cœpere egredi, sed præoccupato itinere, commeantia Judæorum omnia clausere[17] agmina, atque in urbis stadium introduxere. Ingressus quoque Vespasianus, spectata ætate vel robore omnium, quos sibi statui præceperat, elegit sex millia juvenum validiorum, quos Neroni in Isthmum direxit; senes autem et invalidos mille ducentos jussit necari; reliquorum triginta millia quadringentos venumdedit. Universos autem, quicumque de partibus regni Agrippæ reperti sunt, regi donavit, quos æque rex accepto pretio in servitutis

[1] Ita Am ac C. Sed forma *Asphaltide* communior.

[2] Edd., *proximis;* sed rursus Am et C, *proximi*, quod legendum supposuerant Gualtherus quoque et Barrensis.

[3] Weber marte suo posuit *incentivis*, quod non adoptavimus, licet et sensui et stylo Ambrosii bene conveniat.

[4] Ita recte Am et C; perperam edd., *violentia.*

[5] Sic rursus C cum Josepho; edd., *Capernaum.*

[6] Nempe irrigationibus ad modum Nili; sed C, *impinguis*, significatione transitiva, idest *impinguans*, ac deinde *opimat*, dum edd. minus recte, *opima.*

[7] Ita Am, C ac Pa; ut alibi, dum edd. recentiores, *prætenditur.*

[8] Nempe Taricheorum.

[9] Ita rursus Am et C; edd., *enatare.*

[10] Ita vulgo; Am tamen et C, *deponeret*, rectum adhuc a præcedenti *cum.*

[11] Vulgo, *illi vero coarctati .....resiliebant;* sed lectio cod. Am et C, quam adoptavimus, melior habita est etiam a Gualthero et Barrensi.

[12] Communiter apud Josephum *quingenti*, sed codex ejus Paris., *septingenti*, ut noster textus.

[13] Ita iterum Am et C, quod indicium securum originalis lectionis est, loco communioris *revertitur.*

[14] Id est *nova, reiterata.* Vide quæ ad cap. 22, lib. I notata jam sunt.

[15] Gualth. et Barr. legere mallent *exclusi;* sed cum mss. non suffragentur, nulla necessitas hujus suppositi, dum et *excussi*, ut expulsi, contextui optime quadrat.

[16] Ita C; Am et Pa, *sperata*, habita pro vera lectione a Gualth. et Barr.; sed *inspirata* melius, id est, *infusa illis spe*, etc.

[17] Subintellige *Romani.*

obsequia transcripsit.[1] Præterea populus alius Trachonitidis et Gaulanitidis regionis, et Hippeni[2] et Gadaritæ tamquam belli excitores[3] et perturbatores concordiæ, deserentes propria, incursantes aliena, qui sumptis armis pacem violavissent, justas et debitas pro flagitiorum meritis pœnas dedere.

[1] Ita Am, C et cod. Gron., elegantius ac *transmisit* editionum. Idem Gronovius in sæpius memorata *Monobiblo observatorum in scriptoribus ecclesiasticis* (Daventriæ, 1651) ostendit exemplis e Seneca et Ambrosio idem esse *transcribere* ac *pro mancipiis vendere*.

[2] Vulgo *Joppeni*, C, *Hippenii*, Weber rite scripsit Hippeni e Josephi Ἱππηνοί, ut jam cap. 6.

[3] Melius ita Am, C et cod. Gron. quam vulgatum *excitatores*. Videas ipsum Gron. pag. 171.

LIBER QUARTUS.

CAPUT I.

1. Extinctis Taricheis maxima ex parte, Romani Galilæis urbibus ac finibus potiebantur, nisi quod Gaulanitidis regionis urbs Gamala contumacis populi alebat spiritus locis nixa asperioribus. Namque ea in monte est sita; dextra lævaque præruptis circumcisa rupibus, ad summum artatur, a fronte absciditur profundo hiatu, in posteriora aliquantum diffunditur, ab ea quoque parte angusto difficilique accessu ut caudæ simile iter judices ad urbem meantibus; a summo vertice collum in immensum extendens ut arcem tamquam caput præferat, atque in sublimem erigat altitudinem, exilis a principio, et tamquam sinuato clivosis anfractibus solo atque in profundum demerso; dein quasi tenontem[1] quemdam cervicis medio attollens, cetera prærupta atque invia. Unde plerique a superioribus Camalam vocitatam putant, quod formam cameli præferat; sed corrupto incolarum usu Gamalæ nomen urbi inhæsisse. Jam si contexta ædificia spectes, suspensam urbem arbitreris, et maxime septentrionalia ejus pendere existimes, reflexa paulisper meridiana.

2. Addiderat huic quoque urbi munitiones Josephus, quibus freti et confluentis eo multitudinis numero, regis Agrippæ per septem menses obsidionem luserant: nam et ipsa et Soganis[2] et Seleucia regni ejus portiones erant, Seleucia juxta amœnissimum illud et celebre per Syriam Daphnes nemus, cyparissis arboribus intextum, scatens fontibus, quibus prætermeanti fluvio loci, quem minorem Jordanem vocant, nutrimenta quædam lacteis uberibus infundit. Ea tamen civitas et Soganis superior Gaulanitidis portio, inferior Gamalis; unde et studiis dissonantibus, illæ societatem romanam elegerant.

3. Hæc rebellabat adeo pertinaciter ut cum rex propior muris eos alloqui vellet, fundæ jaculo sauciaretur. Cujus injuria Romani accensi, vehementius incubuere obsidioni, conflictumque promptissime a parte utraque, quoniam a Judæis quoque, qui regem proprium violavissent utilia suadentem, sine ulla venia se futuros æstimantibus si vincerentur,[3] totis viribus decertabatur.

4. Agrippa itaque saxo dextrum percussus cubitum bello excessit, Romani urbem irrupere. Cessit enim hostis missibilibus, murus arietibus. Nam illi qui machinas impediebant, nequaquam diutius resistere potuerunt, et murus trino ariete convulsus pervium obsidentibus in obsessos iter præbuit. Sed ea res festinationis impatientia non mediocrem victoribus cladem invexit; namque ubi sese infudere domiciliis, dum perscrutantur vel præreptum[4] ire spolia contendunt, cedentia domorum angusta ponderi, nutantibus fundamentis, ruinam traxere, et proxima quæque proximis illisa excidio erant. Multi Romanorum illis involuti casibus, in victoria pestem[5] incidere. Plerique præjicientes se, lapsis ædibus occupabantur, alii lacero corpore vix semineces servabantur. Plerosque pulvis necabat; cædebantur angustiis artati; desuper quoque mulieres et invalidi senes et qui de junioribus refugerant, saxa in subditos dejiciebant, vel quæcumque genera telorum occurrerant. Caligo infuderat omnia, prospectum eripuerat, mentem confuderat, ignorantia quoque exitum non reperiebat.

5. Vix itaque subtrahentes se periculis urbem excessere. Vespasianus interea, dum urget hostem, in interiora urbis concesserat, mediusque inter agmina circumfusa hostium bellum accendebat. Neque enim terga hosti dare tantum conveniebat virum, neque tutum putabat. In Syriam direxerat filium[6] Titum: excitavit notæ virtutis conscientiam[7] et sese in arma colligens, consertis clypeis cum paucis quos præsentes habebat, imperterritus stetit quasi in quos sese excuteret considerans; cujus impetum reformidantes Judæi, minore vi insistere cœperunt, et metuentes sibi quisque laxare aciem. Ita Vespasianus hosti adversus paulatim gradum retulit præliantibus[8] magis similis quam cedentibus. Illic decemprimus[9] cecidit Ebutius multis ante bellis probatus, et adversum[10] Judæos notæ vir experientiæ et validæ fortitudinis. Centurio quoque cum decem

[1] Ita scripsit Weber loco *montem*, quod in edd.; C habet *tendentem*, codex Gron., *temonem*, quod ipse Gronovius opinatur in ms. ut glossam pro *tendinem* positum esse. Sed rite *tenontem* ex Josephi τενοντα, quia e græca lingua in latinam pertransiit ad tensionem muscolorum significandam; atque hic loci protuberantiam se extollentem designat.

[2] Edd. et Am, *Sotanis*; C, *Sothanis*; sed *Soganis* ex Josephi Σωγάνη.

[3] Hæc vera lectio, quæ in C et Pa, etiam a Gualth. habita est, nam et a contextu requiritur, loco communioris *vincerent*.

[4] *Præceptum* edd. recentiores; sed rite *præreptum* Am, Pa et C, quod et Gavantus legendum arbitratus est.

[5] Idem nempe ac mortem vel ingentem jacturam.

[6] Edd. addunt *suum*, quod deest in Am ac C, et glossa inutilis videtur.

[7] Ita Am, C et Pa, et convenit Josepho, qui ait: *Propriæ memor virtutis*. Edd. recentiores, et alii mss. minus recte, *constantiam*.

[8] Vulgo additur *sibi*; quod jure deest in Am, C ac Pa.

[9] Vulgo, *illic cum decem primis excidit Brutius*: sed C, *illic decem primus cæcidit* (correcte, ut Am, *decemprimus cecidit*) *Ebutius*, quod in omnibus convenit cum Josepho, qui habet ὁ δεκαδάρχης Ἐβούτιος, nempe *decurio Ebutius*. *Decemprimus* idem nempe est ac *decurio*, quam vocem minime recte intellexit qui ei surrogavit *cum decem primis*.

[10] Recentes edd., *apud*, quod est contra contextum. Rite *adversum* A, Am, C, Pa.

aliis Syris rem egregiam fecit ac memorabilem; nam in ipso tumultu cum Romanos urgeri cerneret, in abdita cujusdam domus sese contulit, atque ibi inter cænandum cum Judæi colloquerentur quæ Romanis machinati forent, nocte intempesta omnes eos interfecit, et cum militibus romano sese exercitui repræsentavit.

CAPUT II.

Vespasianus autem ubi mœstum exercitum ad-
1 vertit[1] plurimorum amissione et maxime deserti ducis pudore, quod eum solum intra urbem hostium dereliquissent, cum summa eos gratia consolabatur dicens: Si mei sors periculi verecundiæ vobis est, nec ego sic ad bellum processeram ut declinarem
2 pericula, sed usurparem;[2] sin vero quia et de nostris plerique interfecti, nequaquam mirandum; quando enim victoria ulla sine sanguine est? Habent prælia suos eventus. Etsi spectata virtus præminere soleat in bello, solet tamen aliquid licere casibus. Sed prudentis est in adversis lapsum corrigere, in prosperis moderationem tenere. Contra rudis cujusdam atque ineruditi ingenii secundos semper successus præsumere, quasi non adversum viros certamen sit; infirmi autem lapsu aliquo summæ rei diffidere, cum exiguis momentis subito inclinentur omnia quæ in bello geruntur. Itaque
3 ille præstantissimus qui inter adversa sobrius[3] colluctatur casibus, et supplantat superiorem, seque reparare, et corrigere proprias quærit prolapsiones. At vero incuriosior suis sæpe motibus cadit, et dum irruit incautus, impetu suo fusus procumbit. Quodsi hoc sæpe accidit ubi nuda virtus, quanto magis in bello ubi diversi generis conserta decer-
4 tant[4] agmina, nec unum consilium, nec consors sententia est, locus adversus, difficiles asperitates, iniqua in angusto decertandi conditio plurimis adversum paucos, cum et ipsa multitudo sibi oneri sit, et pauci in pluribus minus frustrentur! Sed hæc ad momentum sæpe obrepunt, quæ non ex virtute veniunt, sed casu accidunt; unde nihil est quod vos angere debeat, commilitones, quia non per infirmitatem aliquam manus vestræ, neque per fortitudinem Judæorum versæ res; sed difficultas locorum nobis ad victoriam impedimento fuit, illis ad differendum moræ. Neque quidquam est quod argui possit, nisi inconsultus impetus atque incon-
5 ditus.[5] Etenim dum ad superiora urbis illos sequimini atque irruitis in domos eorum, ipsi vos periculis implicavistis: quorum successistis hospitia, suscepistis pericula. Tenebatis urbem; quis vos coegit introrsum pergere? Descendere ad vos ho-
6 stis debuit, non vos intemperanter[6] ad victoriam

A immemores vitæ ac salutis contendere. Reparate igitur animos et de virtutibus vestris non solum consolationem, sed etiam, quod amplius est, vindictam præsumite: me certe habebitis prævium pugnæ. Estote parati animis; pericula vos fortiores fecerint, non timidiores. Facile est injuriam solvere si virtus sese recognoscat.

CAPUT III.

B 1. His dictis accendit militum fortitudinem, quibus reparantibus vallum, plerique[7] per prærupta 7
subtraxere se obsidioni. Nam jam et alimoniæ inopia incessebat, et infracta[8] muri cessura machinis ar- 8
bitrabantur. Unus deinde fons intra urbem, et ipse muris proximus erat; quæ res eos in summo timore posuit, ut frequentissimi dilaberentur; qui vero permanendum putaverunt, pertinaciter prælabantur.

2. Interea Romani turrem altissimam suffodientes,
C vi maxima subruerunt, quo casu concussa civitas, perturbati omnes, totius urbis paventes ruinas; unde et Chares, æger corpore, tanti terrore sonitus exanimatus, mortem implevit.

3. Romani tamen, patefacta urbe, ingressu ab-
stinuere, donec Titus regressus, et dolore[9] paterni 9
periculi excitus, cum paucis in urbem irruit et maximam Judæis cladem invexit. Tamen[10] qui in 10
superioribus erant saxa volventes, accessa prohibebant Romanos, spicula torquebant, sagittas jacu-
D labantur. A Judæis impulsa facile in pronum saxa devolvebantur, missilia perveniebant, descendebant sagittæ non sine eorum periculo quos offenderant. Romanis adversum editiora montis[11] jactus inef- 11
ficax, conatus irritus atque ipsis periculosus, cum subito orta venti procella Judæorum retorquebat sagittas, repellebat spicula; quæ vero romanus exercitus jaculabatur, in hostem ferebat.[12] Ita ele- 12
mentorum ipsorum repagulis et ventorum turbinibus oppressi, supremo excidio captæ urbis universi
E quicumque illic reperti sunt, interiere. Quatuor millia tamen a Romanis interfecta; quinque millia præcipitio periisse accepimus; nulli ætati venia data.

CAPUT IV.

1. Gischala[13] adhuc sola de partibus Galilææ 13
in se hostem non converterat, quoniam incolarum ejus quietiora ingenia, utpote plebis agrestis, con-
tenta suis fructibus, nihil bellicum ferebant.[14] Sed 14
F multorum coalitu, qui latrocinio vitam exercerent suam, etiam mitiorum studia pravis moribus cor-
rumpebantur. Erat præterea vir Levi filius[15] Johan- 15
nes nomine, indigena, populi lues, dolis nulli versu-

[1] Ita Am, C ac Pa; vulgo, *animadvertit.*

[2] Edd. recentes, *superarem;* sed A, Am, C, Pa, *usurparem,* quam lectionem pro genuina habent etiam Gualth. et Barr. Josephus, *viriliter ferre,* cui utraque lectio aliqua ratione convenire potest.

[3] Non *sobriis,* ut edd. pluresque mss., sed *sobrius,* ut Am et C, contextui respondet atque Josepho.

[4] In cod. C semper verbum *decertare* ubi in edd. ac plerumque etiam in Am, *decernere,* quod ideo ab ulterius monendo abstinebimus.

[5] Ita recte A, Am, C, cod. Cantabr., Pa; dum minus contextui convenit vulgata lectio *increditus.*

[6] Vulgo *intemperantes;* sed melius Am, C ac Pa, *intemperanter.*

[7] Intelliguntur Gamalenses.

[8] Gualth. et Barr. legere vellent *intacta,* quæ lectio tamen documentis nullis firmatur. *Infracta* est pro *fracta.*

[9] Edd. et Am, *Titus ingressus est, qui dolore;* sed hæc lectio satis non congruit antecedentibus et consequentibus; unde prætulimus exhibitam a cod. C.

[10] Ita Am et C, valde melius ac edd., *tantum.*

[11] C, *editos jactus,* ita tamen ut *jactus* sit semper propositionis subjectum.

[12] Ita Am et C; edd., *referebat,* nempe *procella.* Unde incassum Gualth. et Barr. putant legendum *ferebantur.*

[13] Ita recte C (Am, *Gisghala*) cum Josepho; vulgo *Giscala.*

[14] Ita Am et C, quod preferendum communi lectioni, *utpote plebs.... nihil belli conferebant.*

[15] Ita rite Weber ex Josepho; vulgo *vir levis,* quod ipse Weber explicat ortum e scripto *Levi f.*

torum secundus, improbitate parem nesciens, cui numquam defuerat nocendi affectus, aliquamdiu tamen fuerit inopia exercendæ iniquitatis impedimento (quid tamen definiam haud liquido scio, utrum eum indigentia texerit an represserit); doli callidus, fallendi artifex, doctus mendaciis fidem quærere et credulitatem compositis adsciscere, qui fallaciam virtutem putaret, et elegantiæ duceret et carissimos circumvenire, promptus ad conspirandum, vehemens ad audendum, acer ad officiendum, conturbator in otio, desertor in periculo,
1 assuetus latrociniis, bellorum insolens, quæ[1] cum persequi nequiret, sereret tamen parandæ causa
2 dominationis. Huic igitur animus inquies,[2] prompta audacia, quam processus alebant opesque ad consociandam perditorum manum.

2. Unde cum ejus factione memoratæ urbis populum excitari ad bellum Vespasianus comperisset, ne totum exercitum defatigaret, filium Titum cum mille equitibus direxit, quibus comitatus ad urbem appropinquavit. Sed ubi muros populo vidit refertos, mirari se ait quod eorum exemplum sequerentur ad rebellandum, quorum excidio resipiscere debuissent. Esto tamen ut primo tentamenta habuerint aliquid præsumptionis; quid universorum exitia spei ferrent? Veniabilis certe fuerit in principio spes libertatis; inexorabilis tamen est in ultimis et desperatis rebus perseverantia. Nam qui non exemplo humanitatis, non sedulo verborum monitu flectuntur, adversum eos non verba sed arma necessaria sunt. Muris fiditis quasi adversum
3 Romanorum virtutem ullos[3] protexerint. Quid aliud possunt clausi præferre, circumsessi prætendere
4 nisi quod in captivitate audaces sint?[4]

3. Nemini erat loquendi potestas; occupaverat omnem murorum ambitum prædatoria manus: cavebat Johannes ne quis colloquio familiari Romanos invitaret. Itaque ipse præripuit sermonis relationem dicens, libenter se tractatum suscipere de rebus communibus, nec experiendi usum declinare, si forte ipsi utilia suadeat, aut iis quæ referuntur adquiescendum sit; sed prohiberi se lege patria, cum supersit hebdomadis sacræ dies, tractare de pacis conditionibus, siquidem ut movere arma interdictum, ita etiam illicitum consulere de pace feriatis diebus. Etenim de negotio verbis saltem
5 decernere et illis sacrilegum[5] qui cogerentur, nec illis inultum qui cogerent. Veniam se unius diei poscere, dilationem tam exiguam nequaquam impedimento futuram; neque enim circumfuso hoste effugium clausis liberum, offerri sibi arbitrium pacis, tam æquabili optione formidinem abesse;[6] urgeri se interim non oportere ad pacis consulta
7 quibus religioni esset legem[7] patriam non præva-

A ricari; convenire autem tam liberali pacis oblationi, ut qui præter spem sponte offerat pacem, ne quis periclitetur, evasuris etiam leges suas reservet. Hæc sine dolo Titus allegata arbitratus, receptui cecinit, et revocavit a muris quos secum deduxerat.

4. Ita Johannes fugiendi adeptus copiam, nocte intempesta cum plerisque abscessit: sequebantur etiam mulieres proficiscentem. Sed quo ulterius progrediebantur viri, eo plures mulieres vel parvuli relinquebantur, desertæque a suis spectabant
B pavidæ viam feminæ, et cum jam viros proprios e conspectu amitterent, hostem adesse arbitrabantur ad omnem trementes sonum. Si quis curreret,[8] miseræ convertebantur, sese peti, sibi catenas injici trepidantes, quasi jam præsentes essent qui timebantur.

5. Titus juxta conventum jam sole infuso ad urbem cum exercitu contendit: aperiuntur portæ, egreditur populus cum exultatione, et Romanos
C cum lætitia suscipit et alacritate, abiisse[9] gaudens pestilentem virum; fugisse per noctem; sibi liberi judicii facultatem[10] datam; orare se veniam ne fraudi sibi esset ejus fuga, quem tenere sine sui exitio non possent. Ille dilationem[11] vindictæ consolatus consummati negotii celeritate, ad comprehendendum Johannem e vestigio plurimos misit, si forte eum consequerentur: ipse urbem ingressus, minis magis quam suppliciis affecisse contentus pacis perturbatores, remisit omnibus, ne quis vel
D odio, vel domesticis excitatus negotiis, innoxios in invidiam deduceret, et gravissimi criminis pulsaret atrocitate; cum multo tolerabilius sit id, quod incertum est, formidini participis conscientiæ derelinquere, quam condemnare innoxium. Sæpe enim reum corrigit metus; pœna autem innocentis sine ullo remedio correctionis est. Johannes itaque non est repertus ab iis quos direxerat Titus, sed reperti qui sequebantur eum, parvuli vel mulieres. Ad duo[12] millia fere interfecti; tria millia autem
E infirmæ ætatis et sexus, ubi satietas necandi facta, captivitati adjudicati sunt. Custodiam militarem civitati impertivit. Itaque Galilæa omnis in potestatem romanam deducta.

6. Nam et Itabyrius[13] mons, cujus altitudo triginta stadiorum, vertex autem ipse campestris viginti et tribus[14] stadiis jacet, penuria aquæ ab aliis desertus, ab aliis orata venia Romanis traditus, licet virtute quoque et industria Placidi, cui id negotii a Vespasiano commissum fuerat, omnis
F convenarum turba, dum cedentem[15] sequitur et arte revocantem gradum perurget, campi medio circumfusa refugium amiserit, pestem invenerit.

[1] Edd., *bello insolens, qui,* sed alio sensu, et contextui conformiori A, Am et C, ut superius.

[2] Edd., *inquietus;* sed *inquies* Am, C et cod. Gron., qui pag. 176 *Monobiblii* hanc vocem firmat exemplis Sallustii ac Taciti.

[3] Ita recte Am et C, dum edd., *virtutes illos.*

[4] Forte genuina lectio *sunt,* quæ in C.

[5] Ita A, mss. Gron. (quod ipse firmat e lib. III, cap. 17) ac Pa; *sacrilegium* Am, C et edd.

[6] Edd., *tam æquali.... obesse;* ubi duplex error evidens est. Ideo iterum lectionem codicum Am et C amplexi sumus.

[7] Edd., *contra* ante *legem;* sed codd. Am et C omittunt *contra,* quod deest etiam in cod. Gron.; et hic ipse probat hanc omissionem, pag. 264 *Monob.*

[8] Ita A, Am, C, Pa; vulgo *concurreret.*

[9] Ita Am, C ac Pa, magis convenienter præcedentibus; *abesse,* vulgo.

[10] Edd., *sibi liberam facultatem;* melius Am et C, ut in textu.

[11] Rursus ex Am et C, *dilationem* loco communis *dilatione;* nam elegantius *consolatus* (activo) *dilationem.* Pariter subsequenter ex Am ac C, *suppliciis* pro communiori *supplicio.*

[12] Apud Josephum legitur sex millia.

[13] Vulgo *Thabirius:* Am, *Taberius;* C, *Thabyrius;* ex Josepho *Itabyrius.*

[14] In Josepho, *viginti et sex.*

[15] Ipsum nempe Placidum. Postea melius *perurget* ex C et Pa, ut respondeat voci *sequitur,* quam *perurgeret,* ut vulgo.

CAPUT V.

Hactenus circumvagari licuerit, dum templi sancti a majoribus conditi et sacræ legis contagia[1] refugientes circa alias urbes stilum occupamus: sed jam tempus est ut quæ Hierosolymis gesta sunt, adoriamur non ingenio freti, sed ne patriæ legi veterique cultui nostri doloris videamur negasse ministerium, fuerit licet in illis umbra, non veritas; sed tamen umbra designat veritatis vestigia. Habet enim umbra picturæ lineamenta, fulgorem non habet; nec ad summam perfecta est manum, sed diligenter intuentibus futura exprimit, et ideo minus delectat figura, plus allicit[2] gratia. Unde placuit rerum arbitro abolere vetera, nova condere, ut veritatem sequerentur qui per angustias infidelitatis imagines non sequebantur.

CAPUT VI.

1. Ut supra diximus, de Galilææ fugiens partibus Johannes ad Hierosolymitanam urbem se contulit, et quasi quædam pestis infecit[3] animos complurium, qui ex diversis regionibus principes flagitiorum eo quasi in sentinam confluxerant. Hoc enim illi urbi majoris causa excidii fuit, quia quod sceleribus suis deferebant perditi, ut eo convenirent plerique, ubi vel tutiores se fore crederent, vel insolentiores ad flagitia coacervanda, fidei deferre æstimabantur. Recipiebantur itaque passim quasi pio templi amore defensum venirent.

2. Hæc prima labes malorum; hinc oppressa est paucorum mansuetudo per plurimorum insolentiam; hinc itum in cædes, cum minus parceret alienus; hinc conspiratum ut legis solemnia negligerentur, sacerdotia a bonis ad improbos derivarentur, quod hominibus non solum a pio cultu, sed ab ipsa legis cognitione peregrinis, quid[4] sanctum esset ignorabatur. Vincti sunt primo regalis generis[5] viri qui resistebant, quo ceteri metu cederent, deinde necati; et ut flagitium velaretur, quos sine judicio peremerant missis in carcerem sicariis, eosdem afficto crimine proditionis interemptos ementiebantur. Perterriti[6] itaque universi metu, quod homines potentes atque innoxii Antipas, Levias et Sophas[7] tam facile oppressi forent, nec jam audebant resistere.

3. Hinc eo processum ut ignobiles atque indignos substituerent sacerdotum principes, et[8] quibus nulla emerendi honoris gratia suffragabatur, ii

A contra meritum suum adepti sacerdotia ad omne nefas conferentium arbitrio subjicerentur.

4. Sed cum obviarent sacerdotales viri et maxime Ananus ceteris senior, ne per gratiam donaretur summi nominis prærogativa, sortito creari principem sacerdotum expetunt, in quo nihil gratiæ sed divino judicio committi sortis eventus æstimaretur. Et revera prætendebant veterem consuetudinem, qua substituendos in sacerdotii principatum mos erat ad sortem vocari; evidenter autem so-
B lutionem legis operabantur.

5. Cum enim lex sacerdotalis successionis viros ad sortem legeret, illi ad speciem de sacerdotalibus tribubus unam[9] Eniachim nomine præsentem statuunt, et sorte agi præcipiunt. Tunc Phanis[10] quidam sorte exiit filius Samuelis vicanus[11] vir, cui non modo per principes sacerdotum ducta successio nulla suppeditaret, sed ne ulla quidem scientia muneris sacerdotalis, eo quod ruri vacaret, et ideo quid[12] esset princeps sacerdotum incognitum ha-
C bebat. Denique attracto ex agris et reluctanti quasi in scena aliena[13] persona imponitur, induitur quoque sacratum veteri more amictum vestium, docetur in tempore quid eum facere oporteret. Ita sortis eventu exposita est nequitia seditiosorum, ut ad imperitum et agrestem tanti sacerdotii functio deduceretur. Sed illis ludibrio erat circumscriptio veteris solemnitatis, sacerdotibus dolori; qui irrideri legem a perditis flentes ingemiscebant.

6. Ipsi tamen freti pietatis auctoritate et bo-
D norum indignatione congregant sese et supra perturbatores irruunt.

7. At illi cum et causæ et numero diffiderent, ad templum quasi in arcem confugientes, velut castrum quoddam sibi constituerunt ad repellendam irruentis populi multitudinem; ac primo ante fores templi atque in ipso vestibulo siti, adversum populum præliabantur. Si quis vulneratus fuerat, interiora templi petebat, illic sanguinem suum infundens[14] interno limini et cruenta pavimentis sau-
E ciosiora[15] detergens ulcera, fibræque patentes vulneris, vestibus quas non liceret illis contingere, farciebantur.[16] Bellum erat intra urbem, bellum inter cives, bellum ante templum. Ne hoc quidem reveriti latrones, cum a populo instantius perurgerentur, intra ipsum templum sese receperunt et clausere illico fores. Quo objectu revocatus est Ananus, ne videretur bellum templo inferre, et sacratas religione majorum perrumpere fores templi, reflexit impetum plebis et sex millia virorum in
F porticibus constituit, qui muniti armis prætenderent, sollicitam adhibentes custodiam. Paulatim tamen mollivit animum ut paci consuleretur[17] eo

[1] Idest *profanationes*. Mazochius, pag. 818, demonstrat e veteribus Patribus, atque ex aliis Ambrosii locis, *contagium* in significatione quoque piaculi aut profanationis adhibitum esse.

[2] Ita C; vulgo *illicit*.

[3] Ita Am, C ac Pa; vulgo, *inficit;* ac statim postea C, *complurium*, edd., *plurium*. Deinde rursus C, *confluxerant;* edd., *confluxerunt*.

[4] Ita C; vulgo *quod*.

[5] Adhuc ita Am et C; vulgo *regali genere*.

[6] Edd., *pertracti;* sed Am et C, *perterriti*, ut correxit Gronovius, pag. 264, et Josepho consonat.

[7] Vulgo *Lebias et Phoras;* sed juxta Josephus, et emendavit Gronovius, *Levias et Sophas*.

[8] Am ac C, *et;* vulgo, *ut*.

[9] Gualth. correxit in *unam*, ex contextu; vulgo *unum*. Vulgo dein *Enachum*, sed A et C, *Eniachim*, ut etiam Josephus. Ita vero per *tribus* intelligantur oportet familiæ, ut hoc loco *una familia Eniachim*, etc.

[10] C, Phanes; Josephus Φαννίας, al. Φανίτης

[11] Ita C, consonans Josepho et contextui; vulgo autem minus recte, *incanus*.

[12] Ita bene C; vulgo, *quod*.

[13] Rursus ita recte Am et C, quod et Gualthero et Barrensi probatur; vulgo *alia*.

[14] Ita C et Pa; vulgo, *fundens*.

[15] Vocem esse ignotam lexicis etiam in gradu simplici notat Mazochius, pag. 796, nota 619, C, *sauciora*.

[16] Ita C; vulgo, *fovebantur*, quod voci illi minus communi substitutum videtur ab aliquo indocto librario.

[17] C, *consuleret*, sed videtur præferenda communior lectio, ut sequentibus magis conveniens.

studio maxime, ne templum sanguis civium contaminaret; suadet[1] quoque mittendam legationem pacis sequestram, ut bellum intestinum deponeretur.

8. Adsciscitur Johannes ad exsequendam legationem suspectæ fidei vir et affectandæ potentiæ succensus cupiditate: sacramentum petitur; non abnuit ne damnum perjurii pateretur si negasset. Simulabat se plebi favere ut circumscriberet.

9. Quid plura? pergit, de pace pauca præmittit, plura subtexit ad belli incentivum, dicens nomine pacis bellum involutum, latere insidias, paravisse[2] Ananum Romanis urbem tradere quo solemnitas veterum dissolveretur, legis abrogarentur præcepta, componens e diverso omnia, atque invidiam in principem sacerdotum referens eorum, quæ ipse meditaretur. Callide etiam quos sciebat illorum, qui conclusi fuerant,[3] esse præsules et factionis principes, incitabat paratæ mortis formidine, asserens quod specialiter ipsis Ananus exitium conposuisset, venisse se ut fraudem manifestaret; mature subsidia quærenda priusquam ab eis pœna reposceretur.

10. Quid plura? pacis medius[4] bellum accendit. Eliguntur qui Idumæos ad prælium rogent, genus mobile, inquietum, insolens, promptum ad discordias, rerum mutationibus lætum, periculi improvidum, præceps ad prælium.

11. Itaque sine mora flexi veniunt, congregantur viginti millia virorum utpote nullis terrarum intenta cultibus, sed parata latrociniis.

12. Nec latere potuit Ananum adventus Idumæorum. Denique portas[5] claudi jubet, ne cum tumultu ingrederentur, sed si fieri posset veritatem cognoscerent, bello renuntiarent.

CAPUT VII.

Ascendentes itaque sacerdotum principes murum, Idumæos de turri alloquebantur; maximo sibi esse miraculo, quod tam cito irretiti mendacii, causas quas nondum cognoverant, armis persequerentur, cum oportuerit eos prius disceptatores esse negotiorum quam bellorum præliatores, et præ ceteris merita cognoscere quam arma sumere, et arma adversum viros sui generis, sui cultus, suæ solemnitatis: nullis amplius irrogatum injuriæ quam Idumæis, qui ad societatem flagitiorum tam gravium concitarentur. Quid enim aliud ab iis nisi parricidium adversum cives, sacrilegium adversus templum deposceretur? Non solere diversa inter se studia diversosque mores convenire. Similitudo enim morum facit voluntatum societatem et cognata studia sibi nectit. Nequissimos homines, qui latrocinio sumptum exercerent suum,[6] arrogasse sibi ut Idumæos sibi socios accerserent, tantum abhorrentes ab eorum proposito a quibus rogarentur, ut illi patriæ suæ bellum intulerint, vos vero obsecraverint quasi alienam urbem defensum venire. Nihil vobis commune innoxiis cum prædonibus, nihil commune sobriis cum se inebriantibus; utinamque vini esset illa ebrietas et non furoris. Qui ubi se flagitiis ingurgitarunt, dissipando proprias successiones, diripiunt aliena, et male parta nequius dissipant, deterius effundunt. Nullus rapiendi finis, quia nullus abliguriendi modus. Ubi se vino infuderint et impleverint ebrietatis, publicorum eructant crapulam negotiorum, ut nostro rursus sanguine inebrientur, et sanctæ illudant religioni, quæ vobis venerationi semper atque reverentiæ fuit.[7] Fugite igitur cœtus parricidales, et ausus sacrilegos destituite; deserite latronum conciliabula. Vocati estis ad consortium sceleris; veneritis[8] ad remedium patriæ. Videmus ornatissimum populum, quem venire decuit publico rogatum consilio, ut urbi Judæorum præstantissimæ, quæ totius gentis metropolis habetur, adversum hostes auxilio foret. Sed etsi nos defuimus petitioni, dum pacem speravimus et fatigare vos præpropere noluimus, qui excitatoribus belli pacem offerebamus, vos tamen, quasi divino arbitrio veneritis; consulite in medium, et exhibete partis utriusque arbitros. Quærite unde cœperint exordia tumultus, qui cecinerint quietæ urbi classicum, qui effuderint præstantissimorum civium sanguinem, quibus auctoribus pœna exacta de indemnatis sit, qui nobis ante Romanos exitio fuerint. Adversum illos bellum parabamus, et hos jam hostes patiebamur. Quorum igitur cum Romanis suspecta gratia? Eorum qui Romanos vindicant, an eorum qui Romanos repellunt? Graviora hæc certe nobis quam Romanorum prælia: ab illis enim pro libertate moriemur; ab istis quasi pro scelere jugulamur. Simulantur innoxii criminis proditionis, et post mortem calumnia componitur, cum cognitio pœnam prævenire soleat, non pœna cognitionem. Quid enim prodest defuncto absolvi, cum judicio jam nihil debeat? Suscipimus[9] tamen etiam sortem hujusmodi, ut post necem de innocentia quæratur, et libenter apud vos quoque causam agimus nostræ defunctorumque integritatis, qui statis armati pro adversariis. Ita nulla argumenta calumniantibus suppetunt, ut apud vos quoque graviorem causam habeant qui tam cito credidistis. Bonus enim judex circumscriptum se esse mendaciis dolet, et eo est fallenti infestior quam adpetitior,[10] quod temere se impulsum ut falsis crederet ulciscendum arbitratur. Integrum igitur nobis examen reservate, et colligite veritatem, non ex contextione sermonum, sed ex serie negotiorum: primum omnium cur Romanis proderemus patriam, quos potuimus et non lacessere, et forte oportuit fieri, ut non excitaremus universarum victores gentium; sed hoc non est jam præsentium partium deliberare. Superioris fuit temporis eligere quid sequeremur; nunc oportet pro libertate occumbere: præstat enim pro patria mori. Commo-

[1] Ita C; vulgo *suaderet*, quod regi deberet a præcedenti *ut*.

[2] *Paravisse* habent A, Am et C; admittunt quoque Gualtherus et Barrensis; deest tamen in aliis mss. et edd.

[3] Ita C; vulgo *erant*.

[4] Nempe *mediator*, ut Horatius:

..... *sed idem*
Pacis erat mediusque belli.

[5] *Portam* vulgo; sed *portas* rite C cum Josepho.

[6] *Sibi* nempe *victum quærerent*, oquendi modus Ambrosio frequens, ut demonstravit Mazochius, pag. 790, nota 610.

[7] Ita Am et C, Gualthero probante loco communis *adfuit*.

[8] Vulgo, *venitis*; sed C, *veneritis*, quod multo melius contextui congruit.

[9] Vulgo, *suscepimus*; sed melius Am et C, *suscipimus*, quia in præsenti est et subsequens *quæratur*, et ita possit etiam contextus.

[10] Nempe *propensior*. Sequens *quod* connectitur præcedenti *eo*, ut sensus sit: *est infensior*, etc. *eo quod ulciscendum arbitratur temere se*, etc.

dius fuerit ante bellum pacem morti præferre; sed quia bellum in cervicibus, multi jam ex fratribus capti, alii necati,[1] dolor ex mortuis, gemitus ex revinctis; eligenda magis libera mors quam vita captivitatis. Suppetit tamen morituris falsi criminis abolere infamiam proditionis. Apud vos, Idumæi, causam agimus; prodantur conscii, deducantur in medium nuntiorum interpretes. Si tenent indices,[2] prodant; si non tenent, quid[3] accusant et vanis insimulant suspicionibus, quas ipsi sibi composuerint? Non debent arguere quod non possunt probare. Sed quia accusare non audent, dissipare per vulgus desiderant, et ideo ad bellum prosiliunt, ne in judicium vocentur. In bello enim concentus furoris[4] est; in pace veritatis examinatio. Adsumus en primi suppliciis; nos spontanei offerimus. Si tamen aliquis accusator prodeat, aut si in populum invidia torquetur, quærite diligentius quid consiliis fuerit in cœtu publico. Nonne ut bello instructa pararentur agmina, ut[5] pro libertate unusquisque patriam juvaret? Adversum ipsos certe latrones quid deliberatum fuerat nisi ut pax conveniret? Exasperaverat publicam indignationem singulorum dolor, innocentium sanguis, mulierum gemitus, paternorum statutorum prævaricatio: increpuit gemitus universorum, quia unusquisque sibi similia pertimescebat. Ad indignissimos sacerdotia deferebantur: peti cœperunt vocibus; illi lapidibus plebem cædere, telis necare. Exarsit publicus dolor: illi in templo latronum sibi receptacula constituere. Itaque pacis locus reverendus etiam gentibus et domicilium sanctitatis factum est prædonum conciliabulum, et quo ex omnibus terrarum partibus confluebatur ad cultum festæ celebritatis, ibi nunc stabula quædam ferarum sunt humano cruore madentia. Licet nobis[6] hæc quærere vel armatis sine lege belli. Tamen fuit plerumque inter arma judicium, et justitia deposuit belli instrumenta, compescuit tubas æquitatis sententia. Potestis hæc arma ad defensionem urbis convertere, quæ sumpsistis ad eversionem: licet etiam introire sine armis, audire et percontari omnia: si quid remissum adversum hostem repereritis,[7] proditionem putate. Quodsi neque vindices vos, neque arbitros exhibere vultis, quid miramini si portæ armatis non aperiantur? Non istæ adversum cognatos, sed adversus arma clausæ sunt. Bellum deponite, et portæ patebunt.

CAPUT VIII.

Hæc ubi sacerdotes loquuti sunt, et maxime Jesus ceteris senior, post Ananum tamen qui secundo loco fungebatur, indignantibus Idumæis quod non continuo urbe recepti forent, Simon unus de ducibus Idumæorum. Minime, inquit, mirum si adversum cives sæviunt[8] et clausos tenent qui nationi suæ portas clausere et non patiuntur consortes et participes suos ingredi, nobis de muro loquuntur, et quasi adversarios muris repellunt, quos amicos habebant. Quis dubitet quod parent suscipere Romanos, et forte coronare portas quando illi ingrediuntur? Quæ major injuria? Patere nempe omnibus hominibus ista civitas solet causa cultus et observantiæ; nobis solis intercluditur quasi hostibus, soli abdicamur, soli repellimur. Simulant se nostrum petere judicium, quos ne limine quidem urbis dignos putarunt. Lateant quæ adversum illos gesserunt; nostræ injuriæ testes et judices sumus. Advertimus quid clausi patiantur, quando nos arma jubemur deponere; et credibile potest esse quod eorum exspectetur sententia, quorum suspecta est fides? Festinemus itaque eripere clausos, quibus templum carcer est factus, ne serventur usque ad adventum exercitus romani et captivi tradantur Vespasiano. Auferamus a templo obsidionem, custodes teterrimos removeamus, qui neminem vel ad purgandum alvum egredi sinunt. Si quis introferre cibum clausis desiderat, prohibetur; si quis exire, ad mortem rapitur: crimen factum est cultus religionis.

CAPUT IX.

1. Hæc audiens cessit Jesus,[9] considerans adversata Dei voluntate frustra sese obniti, quandoquidem domi forisque hostilia streperent et gemina ex parte civitas oppugnaretur. Fremebant Idumæi quod excluderentur; machinabantur in templo siti quomodo jungerentur Idumæis: hos angebat metus ne Idumæi ante effectum abirent; illis extorquebat pudor propositum regrediendi. Et jam pene obrepserat diffidentia, cum subito nocte oritur procella intolerabilis, tempestas atra: fremunt venti, cœlum inhorrescit, vis imbrium multa infunditur,[10] terribiles coruscationes, tonitrua immania, terrarum mugitus ut solvi mundus æstimaretur. Quis crederet plus nocuisse istud intra urbem positis quam extra urbem degentibus, cum utique hi tectis muniti forent, illi objecti ad imbres? Sed amplius terruit injuriæ metus quam ipsa injuria: denique illi qui nulla habebant refugia tectorum, clypeis sese tegebant manentes in officio nec dilabentes; isti circa domos suas quisque dispersi locum dederunt ut ab iis qui intra templum erant, portæ aperirentur.

2. Anceps tamen et diversa populi sententia. Alii Deum summum indignantem Idumæis tempestates movisse arbitrabantur, quod adversum participes suos armati venerant; Ananus et profundiora seniorum ingenia conjectabant Idumæos injuria sui amplius excitari in sociorum perniciem. Denique sollicitior ceteris noctibus Ananus illa nocte non fatigatione corporis, sed animi magis despe-

[1] Vulgo, *aliis dolor;* sed *aliis* deest in A, Am, C, Pa, et quidem ita rectius exprimitur omnium esse dolorem, etc.

[2] Vulgo, *vindices,* quod contextui extraneum; melius Am, C ac Pa, *indices,* probante quoque Gualthero.

[3] Vulgo, *qui;* unde nec periodus interrogationem exhibet, sed usque ad *probare* deducitur. E converso in C, *quid,* quod interrogationem usque ad *composuerint* tantum perducit.

[4] Ita A, Am, C, Pa; vulgo, *contentus furor,* multo deterior lectio.

[5] Vulgo, *aut,* sed C, *ut,* valde melius.

[6] C, *vobis,* quod videtur etiam melius contextui convenire.

[7] Vulgo, *reperitis;* melius syntactice, *repereritis,* ut C; itemque melius postea C, *aperiantur,* quam edd., *aperiuntur.*

[8] Ita A, Am et C, contextui respondentes melius quam communior lectio, *si cives sæviunt.* Juxta nostram lect. subjectum est *qui.*

[9] Edd., *Joannes,* sed omnino legendum *Jesus,* ut A et C, constat e Josepho et contextu. Sequitur in C *adversata,* vulgo, *adversa.*

[10] Ita vulgo; Am et C, *effunditur,* quod veram lectionem habent Gualth. et Barr.

ratione resolutus,[1] cessit rebus adversum se fluentibus, et militantibus in excidium suum mundi procellis, nec revisendas putavit custodias, quasi daret auctoritatem dilabendi quo cuique esset sententia; quam occasionem nacti qui in templum refugerant, surgentes secuerunt vectes portarum. Cooperatus est illis cœli fragor ut serrarum sonus non audiretur et tumultus egredientium.

3. Deinde venientes ad murum, portam quæ vicina erat Idumæorum cœtibus, reseravere. Ultimus ille universo populo dies fuisset, si non ad templum prius quam in urbis sinum[2] dirigendum putassent. Sed quia metuentes sibi qui intra templum clausi tenebantur, ne cognito ingressu Idumæorum, in ipsos circumfusæ plebis impetus fieret, ut vindictam morituri exposcerent, rogaverunt ut ipsi primitus cladi[3] eximerentur, tunc postea, liberatis ipsis et conjunctis viribus, in populum effunderentur. Deflexere ad eos qui legatos miserant oratum auxilia saluti, simul ut insperatæ merces irruptionis auctoribus ejus hoc munere potissimum rependeretur.

4. Quod ubi processit ex sententia, simul omnes a templo quasi quodam castro effusi extenta acie, quoscumque repererant, dormientes alios, alios perterritos, totis cædebant viis. Nihil proderant preces, nihil lacrimæ, nihil insignia honoris, nullorum meritorum gratia: omnes passim jugulabantur. Denique videntes bestialem in persequentibus immanitatem, quod nulli parceretur, ipsi sese illaqueabant miserabiliore, ut mihi videtur, exitu quam si ab hoste perimerentur, quia voluntaria mors immanitati adscribitur, informis laquei nodus etiam probro datur. Sed quid consilio locus, ubi tantus erat metus suppliciorum, ut metueret unusquisque non mortem, sed cruciatus ante mortem, quibus mors remedio foret? Redundabat ubique[4] sanguis et maxime circa templum, quia ibi congregati erant qui clausos custodiebant. Reperta denique illo die cæsorum octo millia quingenti viri.

5. Inde conversi ad urbem sicut gregem quemdam pecorum, ita homines quoscumque obvios habuere interimebant. Erat miserabile spectaculum intra urbem omnibus ante reverendam bellum geri, perniciem juxta pauperibus ac debilibus inferri. Sane juvenes ac validiores in carcerem retrudebantur, quos factioni idoneos arbitrabantur: sed magna virtute plerique omnia subire supplicia malebant, quam ut perditis sociarentur. Nec modus erat ullus, nec pudor; ita furebat rabies immanitatis. Post ubi defurere[5] visi, processu temporis causas sibi simulare cœperunt perimendorum, quo ad judicia reos ducerent, non ut requireretur justitia, sed ut crudelitas excitaretur.

CAPUT X.

1. Erat in civitate Zacharias, qui odisset improbos nec se misceret flagitiosis, dives opum, A quarum illi abundantiam vel ad dissolvendam factionem suam efficacem opinabantur, vel ad prædam sibi uberem. Hunc proditionis crimine accersendum putarunt; at ille ab hujusmodi integer conscientia adesse sibi cœpit cum libertate, ut non solum diluceret objecta, verum etiam reos ipsos maximorum adstrueret flagitiorum. Apud septuaginta viros dicebatur negotium: absolvunt omnes, quia nihil quod affine sceleri esset, proferebatur. Verum illi irruentes, et ipsum præcipitant in profundum, et proturbant[6] judices non solum cum B injuria, sed etiam cum periculo, ut eorum exemplo ceteri in reliquum caverent constantiam in judicando adversum eorum voluntatem assumere.

2. Rursus tamen ne quis absolveretur, ipsi irarum suarum exsecutores, quos libitum erat sine judicio necabant. Cæsus Gorion,[7] vir gratus et amabilis; Niger quoque Peraites,[8] qui inter propugnatores Judææ ad tuendam rei summam fuerat electus, bellator vir, ut etiam vulnerum cicatricibus virtutis insignia præferret, rapitur ad mortem, et cum se extra urbem duci videret, non jam pro vita sed pro sepultura cœpit rogare; ac ne hujus quidem tam miserabilis petitionis responsum accepit conveniens misericordiæ. Fingebantur calumniæ: si quis se redimebat, innocens erat; qui non offerebat pecuniam, tamquam reus feriebatur.

CAPUT XI.

D Dum hæc Hierosolymis aguntur, Vespasianus interea partes alias debellabat gentis Judææ. Pervenit ad eum quæ seditio esset Hierosolymis, quas domesticis præliis neces sibi ipsi irrogavissent, quæ supplicia civium exacta a civibus. Hortari plerique ut eo pergeret, ne quid triumpho romano et suæ gloriæ decerperetur. At ille moderatus et providus vir, qui non id quod ex usu vulgi accommodum æstimaret, sed quod altiore consilio rei summæ conducere arbitraretur, referre illa sua- E dentibus cœpit, non semper præliis juvari rempublicam, sed plerumque etiam depositis armis laudem parari et debitum patriæ solvi. Quid interest quomodo vincatur hostis, nostrone an suo ferro, nisi quod suo sine romana invidia prosternitur? Non enim possunt de nobis queri, cum se ipsi consauciaverint: simul quam injusta[9] bella nobis moverint, significant, quando nec sibi parcunt. Vindictam hanc de cœlo videri, ut furore insaniant qui Romanos lacessiverint. Sed si quis derogari F aliquid gloriæ nostræ asserit; cognoscat præponderare sæpe remedium cum silentio, quam prælium cum periculo. Denique noster Maximus cunctando magis fregit Annibalem quam præliando; et si Scipiones subegerunt Africam, tamen communis bellorum cum multis victoria; Maximo soli datum quod cunctando restituerit rem romanam. Plus itaque est servasse romanum imperium quam propagasse. Æquemus tamen merita virtutum: non mi-

[1] Ita Am ac C, probantibus Gualth. et Barr.; vulgo, *solutus*.

[2] Scilicet, *in urbis centrum, in mediam urbem*. Vulgo, *signum*. *Sinum* habet C; *signum* quidam alii mss.

[3] Ita edd. ac C, sed *clausi* vera habetur lectio a Gualth. et Barr. Josephus: *Festinarunt zelotas e custodia eripere*. Sed potest et lectio *cladi* huic sensui suffragari.

[4] Ita Am ac C; vulgo, *undique;* ac postea ubi rursus C, *denique*, vulgo, *itaque*.

[5] Ita A, Am, C, Pa. Edd. recentiores, *defuere*, quod tamen videtur esse mendum typographicum numquam correctum.

[6] Ita Am et C; vulgo, *perturbant*.

[7] Ita ex Josepho correxit Weber quod *Gorgon* habetur in documentis latinis.

[8] *Quoque* in Am, C et Pa, quod vulgo deest. *Peraites* iterum ex Josepho; in edd. *Pereites;* in mss. diversimode.

[9] Ita Am et C; vulgo, *justa*, quod staret ut ironice dictum. Postea vulgo, *ipsi sibi*, dum *ipsi* deest in Am, Ca c Pa.

nora utique in ipso bello sapientiæ commenta sunt, quam insignia fortitudinis. Pereant igitur suis armis: nihil laudi demitur,[1] et plurimum victoriæ nostræ adjungitur. Nesciunt suos servare quibus nos parcimus. Quid quod si imminere cœperimus, fortasse inter se resipiscant atque in gratiam redeant? Quod non vereor, sed adversus vestram sententiam profero; aut si permaneat seditio, videantur ipsi sese expugnavisse, nihil romanus egisse exercitus; manus nostræ otiosæ fuisse, victoria, non virtute nostra, sed hostili internecione inter se parta.[2] Itaque hoc prudentius consilium, ut absentibus nobis sæviant in exitium sui, ne quis putet eos nostris magis quam suis exercitos[3] factionibus. Tunc melius appropinquabimus, ubi victor superfuerit qui nostro accedat triumpho. Certe veniant ad nos qui fugiunt suos; inveniant apud nos salutem sibi quos suorum pestis exagitaverit.

CAPUT XII.

Nec fefellit opinio Vespasianum; nam qui poterant pretio se redimere ut dimitterentur, ad Romanos confugiebant. Repleta erant dilabentium strata viarum omnia, omnes semitæ; relaxabantur divites; pauperes interficiebantur, quibus pecunia deerat ad redemptionem. Multi etiam extra urbem insidias et latrocinia pertimescebant, et maxime inopes quibus comitatus deerat. Pari itaque foris et domi proposito sibi periculo, utrobique[4] pernicioso; plerisque tamen patrii spe sepulcri mors apud suos tolerabilior æstimabatur.

CAPUT XIII.

1. Ubi strage maxima populorum metus in omnes sparsus subditos factioni fecit universos, non contentus communem cum principibus factionem exercere, Johannes per potentiam tyrannidem affectare occœpit,[5] et parem indignabatur. Destruere itaque aliorum statuta; nihil nisi quod sibi libitum foret, ratum habere, paulatimque sibi adsciscere stipatores; artifex dolo, quos vellet, et fraude circumvenire, obligare pecunia, terrere potentia; quibus artibus plurimos sibi associaverat. Rursus non deerant qui vel periculoso studio servitium detrectarent, cum præsertim dominationi assueti, tolerare servitutem nequirent. Decertabant itaque in una urbe tria genera exitialium calamitatum; tyrannides, bellum, seditio, quarum unaquæque non unam, sed plurimas urbes deleret. Ex tribus tamen levius bellum erat, et justus hostis tyranno aut factione tolerabilior videbatur.

2. Accessit his quartum genus sicariorum, qui occupatam tyrannicis motibus aut seditionis tumultibus[6] urbem videntes, vicina omnia populabantur, asportabant omnia, mulieres et pueros[7] qui laborem itineris vel sexus vel ætatis infirmitate perpeti non poterant, neci dabant. Septingenti itaque numero peremti: convectatum in castella frumentum: irruebant agris, urbibus, templis, prædas agebant, necandorum occasio non prætermittebatur, agminis specie latrocinium exercebant[8] plures quam usus habebat latrocinandi. Latrocinii sævitia bellum acerbabant sine venia deditionis aut susceptionis indulgentia.

CAPUT XIV.

Rogatur itaque Vespasianus ut ad remedium veniat, a quo excidium metuebatur. Contendit Gadarum, ubi opulenti plurimi, qui patrimonii sui causa magis magisque latronum insidias et incursus pertimescebant, et ideo occulte ad Vespasianum miserant ut ad se adpropinquaret, quo civitas a latronibus erueretur. Adfuit exercitus romanus, quem videntes Gadarenses confugiendi votum habebant; sed qua via inexitiabile sibi id foret, non reperiebant, ne in discedentes insurgeret factio, atque universos deleret. Non præteriit tamen legatione Gadarensium invitatum Vespasianum, ejusque legationis conscium, utpote urbis primorem, nomine Dolesum, quem capientes interemerunt, atque ulti injuriam egressique urbem, in abdita et munitiora sese contulere. Gadara Romanis tradita, et cum ingenti plausu susceptus est Vespasianus. Is continuo ad persequendos eos qui refugerant, Placidum direxit, ipse revertit in Cæsaream.

CAPUT XV.

1. Placidus, præmissis quingentis equitibus,[9] fugientes sequutus, coegit eos in vicum qui proximus erat, concedere,[10] in quo reperta electorum pube juvenum, audaciam sumpsere ut insurgerent in Romanos; quæ res illis maximæ[11] cladi fuit. Nam circumfusis equitibus a vico exclusi, sine ullo cædebantur impedimento, et dum alii conferti sese reciperent, ante limina portarum trucidabantur. Cæsorum cadaveribus aggerata[12] moles adæquaverat murorum altitudinem.

2. Romani alios sagittis figebant, alios sauciabant diversis missibilibus; ad postremum castellum expugnavere, ibique omnes, nisi quibus elabendi facultas fuit, interfecti. Alii fugientes ingentem famam romanæ virtutis suis sermonibus exaggerabant; majora sibi quam hominum visa corpora; nullam cuiquam resistendi adversum invictos fiduciam: unde perterriti omnes fugere illico; nec solum vicina et finitima, sed etiam Hiericho urbs, quæ propter incolæ multitudinis agmina spem ceterorum fovebat, relinquebatur. Placidus, rebus ex

[1] Ita Am ac C, dum vulgo, *laudis diminuit*, vel *demittitur*, et Gualtherus ac Barr. veram lectionem opinantur *laudi deminuitur*.

[2] Syntactice rectius omnia subjecta habet Am et C in primo casu, quia dependent a *videantur;* dum edd. ea exhibent in quarto.

[3] Hanc vocem Weber marte suo putavit se in *excitos* emendasse, dum sensum vocis *exercitos*, nempe *vexatos*, se non percepisse ostendit.

[4] Ita ex Gualtheri ed. 2ª, et Barr.; vulgo, *utroque*.

[5] Ita Pa; vulgo, *cœpit*.

[6] C, *seditionibus tumultuosis*.

[7] Ita Am et C, edd., *parvulos*.

[8] Ita Am ac C, quam rectam lectionem habent Barr. et Gualtherus, loco communioris *excitabant*.

[9] Addit Josephus: *Cum tribus millibus peditum*.

[10] *Concedere* deest in Am et C. Josephus vocat vicum illum Βηθεναβρίν.

[11] C, *maxime;* Am et Pa, *maximæ;* deest in aliis edd.

[12] Ita Am ac C; probantibus quoque Gualth. et Barr.; vulgo, *aggregata*.

sententia fluentibus, eos quoque per equites insectatus, alios confertos, alios palantes sternit usque ad flumen Jordanem: maximum quoque numerum ad ripam fluminis reperit impeditum transitu, quod tunc forte prædictus amnis imbribus auctus, aut resolutis nivibus intumuerat. At illi ubi Romanos adesse viderunt, parant sese, et ad oram fluminis stipant. Necessitas intercluso fugæ subsidio remedium in manus vertit, et impetu facto, multi supra
1 pauciores, equites arietantur.[1] Illi arte nota et ve-
2 teri militiæ more interequitantes disjicere[2] hostium cuneum, dissolvere globos, fessos urgere, cedentes
3 sequi cœpere. Sic[3] alii ferro hostium, alii suo, quod
4 conferti in unum atque in se elisi[4] incurrerant, interficiebantur; alii in flumen ruebant, qui ipsa sui ruina et alius alio impliciti demergebantur. Plerique etiam æstimantes quod possent prætergredi, sese fluvio dabant; quos paululum progressos sorbebat gurgitum vis aut fluminis ictus abripiebat; et si qui natandi usu super aquas processerant, aut fluentis subterlabentibus se suspenderant, aut arborum ramis impediti fluvio deducebantur, aut ipsis caudicibus oppressi animam ponebant in flumine. Sæpe etiam nandi indoctus, ubi natantem apprehendisset, tenebat ut ipse pariter evaderet, et adstrictum brachiis defatigabat, donec uterque mersus, alter alteri exitio foret. Ac si quis forte secundo amne decurrens
5 evasurus æstimaretur, insuebatur[5] sagittis, ac subito resupinus cessantibus brachiorum remigiis interibat. Fuere etiam qui natare nescii, dum expertem doloris mortem requirunt, edito riparum toro in fluvium sese excuterent voluntarii. Alii arenoso ingressi littore, merso vestigio deprimebantur; plerique etiam saxorum teretium lubrico aut vadosis offensi locis, instabili fluctuantes gradu fluentis sequentibus obruebantur. Cæsa ferro tredecim millia; innumerabilis autem multitudo fluvio consumpta; præda ingens de ovium gregibus et camelorum atque asinorum et boum facta.

3. Quæ licet strages hominum maxima fuerit,
6 tamen[6] vero major æstimabatur, quia non solum regio omnis repleta erat cadaveribus humanis, cum dispersi ac palantes quibuscumque in locis comprehensi fuerant, interimerentur; verum etiam ut Jordanis ipse, defunctorum corporibus obstructus, cursus proprios dirigere non posset, et Asphaltius quoque lacus cruore et visceribus defunctorum mutaret naturæ suæ speciem, in quem omnia quæcumque Jordanis attraxerat, invehebantur. Denique nonaginta duo millia et ducenti illa die Judæorum periisse æstimati, a quingentis tantummodo equitibus et tribus millibus exercitus pedestris. Progressus quoque ad ulteriora Placidus, Abilam et
7 Juliadem et Betesmon[7] et omnes vicos loci ipsius usque ad Asphaltium lacum romano imperio restituit. Scaphis quoque imposuit milites, a quibus
A universi qui in lacum memoratum confugerant, extinguerentur.

CAPUT XVI.

1. Itaque et hæc omnia usque ad Macheruntem recepta. Vespasianus tamen tempus prælii opperiebatur, quo metropolim totius Judææ exercitu romano adoriretur. Inter quæ occupato rebus sibi creditis motus novi ex gallicanis partibus insi-
B nuantur, quod a Nerone potentes quidam romanæ militiæ viri descivissent. Quo comperto, cupiens intestina bella ac summæ rei totiusque romani imperii periculum confecto in oriente bellorum tumultu levare, ut rerum secundarum nuntiis motus omnes Italiæ vel comprimeret vel præveniret, ubi primum sæva hiems temperata veris principio, cum majori parte exercitus de Cæsarea iter movit. Excepit eum Antipatri nomine civitas appellata. Inde procedens exurebat vicos,
C necabat eos quos reperiebat alienos, ac maxime Idumæis vicina quæcumque offenderat, depopulabatur, quod inquietum genus hominum bellis potius quam otio vel quieti amicum foret. Duos quoque Idumææ vicos Betarin et Caphartoban[8] 8
eorumque incolas comprehendens, maxima strage labefactavit. Siquidem supra decem millia virorum peremit, mille captivos abduxit, reliquum vulgus expulit, ut ibi constitueret manum suorum, quia montana locorum regionis ejus latrociniis infesta-
D bantur. Ipse cum exercitu Ammaunta[9] repetit, 9
quæ de aquis calidis vocabulum sumpsit, quod aquarum vapor syro sermone Ammaus[10] appellari 10
fertur. Thermæ igitur græce dicitur eo quod calidum fontem habeat intra muros. Deinde per Samariam juxta Neapolim Hiericho contendit, ubi occurrit ei Trajanus multam manum agens ex iis qui ultra Jordanem siti Perææ regionis populi in ditionem romanam victi reverterant.

2. Nuntio itaque advenientis romani exercitus
E plerique ex urbe Hiericho, quod eam intutam viderent, in montana Hierosolymitanæ regionis sese contulerant. Residentium turba omnis consumitur. Neque enim difficile fuit urbem properato capi, quæ nec naturali fulta esset munimine, et a suis esset dilabentibus deserta ac destituta. Urbs condita in campo, cui supereminet mons diffusior et nudus gignentium; namque secundum septemtrionalem plagam usque ad Scythopolis urbis terram extenditur, ex parte meridiana usque ad regionem
F Sodomitarum et Asphaltios[11] fines diffusus habetur. 11
Ægrum autem et jejunum solum, et ideo desertum ab incolis, quod sine ullo usu esset cultoribus naturali sterilitate. Adversus huic mons supra Jordanem, cujus exordium a Juliade et plaga septemtrionali assurgit; ipse autem prætendit in meridianum usque ad Sobaros[12] Arabiæ petrææ con- 12

[1] In significatione activa, ut notat Mazochius, pag. 796, nota 619.

[2] Vulgo, *dissecare*, Am et C, *disjicere*, quod aptius.

[3] Am ac C, *sic*, quod probatur Gualthero et Barrensi; *hic*, Pa, vulgo, *hinc*.

[4] Ita rursum Am et C; vulgo, *relisi*, quod insuetum.

[5] Ita Am et C, id est *configebatur*, metaphorice ex opere acus. Vulgo, *irruebatur*, quod minus convenit, unde Gualth. et Barr. supposuerunt legendum *obruebatur*.

[6] Vulgo, *tum*; A, Am et C, *tamen*, ut vellent etiam Gualth. ac Barr.

[7] Josephus, Βησιμώθ, quod Beth-Jesimoth, sive Bethsimoth in Peræa.

[8] Ita e Josepho. Edd., *Ligarum et Capartorem*; Am, *Legarim* et *Caparthorem*; C, *Legarin et Caparthoren*; alii mss., aliter.

[9] Ita ex Josephi Ἀμμαοῦντα; vulgo, *Amathunta*; quæ cum oppido *Emmaus* prope Jerusalem confundi nequit; nam ad lacum Tiberiadis sita erat.

[10] Ita rursus ex Josepho. Edd., *Amathus*.

[11] Ita Am ac C; vulgo *Sodomitanam et Asphaltitis*.

[12] Ita edd.; sed Josephus, Σομόρρων vel Συμόρων.

terminos, ubi etiam mons est usu veterum Ferreus nuncupatus. Inter hos duos montes campus jacet, quem propter magnitudinem, quod in multa spatia
1 porrigatur,[1] veteri usu incolæ Magnum appellavere; cujus longitudo triginta et ducentorum stadiorum, latitudo centum et viginti, exordium a
2 vico Ginnabri,[2] finis usque ad Asphaltium lacum. Jordanis eum medius intersecat campum, non solum inoffensa sed etiam adjuncta gratia viridantibus ripis, fluminis alluvione et succedentibus Asphaltio et Tiberiade unius fontis et utroque diversæ qualitatis lacu. Namque alterius aquæ sapor salsus et sterilis usus, Tiberiadis autem dulcis atque genitalis. Sane in diebus æstatis immodicus per spatia campi exæstuat vapor, unde et coalescente vitio nimiæ siccitatis atque humo arida corruptior aer miserandas incolis conficit ægritudines. Arida sunt enim omnia præter oras fluminis. Denique in remotioribus ægrescit et fructus arborum, siquidem et copia uberior et fructus palmarum opimior est, qui supra ripas Jordanis flu-
3 minis gignitur, alius[3] longe exilior.

CAPUT XVII.

Est etiam juxta Hiericho urbem fons abundans atque idem uberior ad potum, pinguior ad irrigandum, quem Jesus Nave natione Hebræus, manu validus, primum genti eripuit Chananæorum. Is in principio corruptior habitus, sterilis ad generan-
4 dum, potantibus[4] usui parum salubris. Unde ro-
5 gatus ab incolis Elisæus[5] propheta idemque Eliæ discipulus et tanto successor nequaquam indignus magistro, ut hospitalitatis suæ mercedem relinqueret, quos visitaverat, locis et corruptelam aquarum levaret, remedium dedit, sicut Regnorum vetus Scriptura edocet, præcipiens vas fictile cum sale deferri sibi, quod accipiens dejecit in fontem sal et dixit: *Sanavi aquas istas et non erit in his moriens neque sterilis ab eis. Et sanatæ sunt*
IV Reg II,21,22. *aquæ secundum verbum,* inquit, *Elisæi prophetæ.* Ex illa itaque benedicti salis infusione temperatæ aquæ reserataque ora fontis, sanctificati aquarum meatus, ut dulciores potus venarum scaturigo effunderet, et omnis illa dulcesceret amaritudo aquarum, uberiores fructus terra daret; generandæ
6 quoque sobolis opima[6] successio largam posteritatis copiam subministraret, nec deficeret genitalis aqua, cum divina gratia pro justorum fidelibus studiis tanti prophetæ benedictionibus adspiravisset. Convertit itaque naturam aquarum ad preces prophetæ cœlestis oraculi resultatio, continuoque sterilitatem depulit, fecunditatem infudit. Cœpere illic crebescere generationes hominum, fructus terrarum, succusque aquarum, ante jejunus et amarus, internecare solitus sata, tristiaque bibentium ora torquere, fertilitatem solo, potantibus suavitatem

A infundere, ut si breviter culta contingat, plus prosit quam ubi diutius irrigaverit. Est enim nova gratia, ut profectus redundantior sit, ubi usus minor, et ubi amplior quisquam usus fuerit, ibi minor fructus sit; eoque plus ceteris fontibus rigat, quia vel exiguum ejus abundat ad ubertatem. Denique campus eum circumjacet septuaginta stadiorum in longitudinem viginti in latitudinem patens. In eo mirabilem hortorum gratiam cernas, varia palmarum genera, tantamque dactylorum
B dulcedinem, ut mella defluere putes haud ceteris inferiora. Sunt etiam illic præstantissimi apum fetus, nec mirum ubi tam diversis inhalantes floribus, paradisi suaves fundunt odores. Illic opobalsamum gignitur, quod ideo cum adjectione significavimus, quia agricolæ cortice tenus virgulas incidunt eas, in quibus balsama generantur,[7] ut 7
per illas cavernas paulatim distillans humor se colligat; caverna autem græco sermone[8] ὀπή di- 8
citur. Illic cuprum,[9] illic mirabolanum nasci ferunt 9
C et alia istiusmodi, quæ in aliis locis haudquaquam reperiuntur. Aqua, ut cetera fontium, illic tamen præstantior, æstate frigida, hieme tepens; aer mollior ut summa hieme lineis incolæ utantur exuviis indumentorum.

CAPUT XVIII.

Nunc Asphaltii lacus qualitatem spectemus. Melius est enim in locorum veterum descriptionibus,
D vel ceterorum elementorum miraculo, quam in Judæorum seditionibus stilum[10] occupare, siquidem 10
ista flagitia mentem exasperant; illa demulcent animum dum recensentur, et ad veteris historiæ revocant cognitionem. Nobis autem, quibus incultius ingenium est, cordi est patrum ex Ægypto
egredientium[11] usque in terram repromissionis re- 11
petere vestigia, ut si cui forte nostra in manus veniant, non nostra legat sed patrum relegat. Dulce est enim inter majorum versari habitacula, et ve-
E terum dicta factaque recensere memoria atque eorum inhærere gratiæ. Sed jam naturam sive qualitatem aquarum exprimamus, ne noster quoque
in eo lacu excutiatur[12] stilus, ex quo omnia, quæ- 12
cumque mergenda putaveris viventia, tamen resilire opinio est, et quamvis vehementer illisa, statim excuti. Aqua ipsa amara et sterilis, nihil recipiens generum viventium, denique neque pisces nequa assuetas aquis et lætas mergendi usu patitur aves. Lucernam accensam ferunt supernatare sine ulla
F conversione,[13] extincto demergi lumine et quavis de- 13
mersum arte, quod vivat, difficile hærere in profundo. Denique Vespasianum ferunt præcepisse natandi ignaros revintis manibus in profundum dejici, eosque omnes illico supernatasse quasi spiritu quodam venti levatos, et ad superiora vi magna repulsos resilisse. Multa fabulosa de hoc lacu plerique æstimave-

[1] Vulgo, *dirigatur;* sed *porrigatur* in Am, C et Pa, quod ut veram lectionem probant etiam Gualth. et Barr.

[2] Ita ex Josepho; vulgo, *Gennabar.*

[3] Weber scripsit *alias*, quod melius sonaret; sed nullo documento firmatur.

[4] Hic in C deest *et* quod occurrit in edd.; ac revera minus opportune.

[5] C, *Elissæus* conformiter Josepho, ubi Ἐλισσαῖος. Notat Mazochius, pag. 797, *Elisæum,* non *Helisæum,* ut Alexandrinus, semper scripsisse Ambrosium.

[6] Ita Am et C; communius, *optima.*

[7] Edd., *gignantur;* Am, C, Gualth. ac Barr., *generantur.*

[8] Ita Am et C; vulgo, *nomine.*

[9] Edd., *cupreon;* Am, *cybrum;* C, *cyprum,* ut Josephus.

[10] Edd. et Am, ut in textu; C, *studium.*

[11] Ita Am et C, ac probatur quoque Gualthero et Barrensi; Edd., *regredientium.*

[12] Ita rursus Am ac C, quæ vera lectio habetur etiam a Gualth. et Barr.; edd., *projiciatur.*

[13] Ita Am ac C, cod. Cantabr., Pa etc., edd. cum Gualth. ed. 2ª et Barr., *conversatione,* sed in eadem significatione.

rant, quæ nobis inexpertis veritatem rei promere nequaquam[1] consilium fuit. Mutari etiam ter in die colorem aquæ et ad radios solis varie refulgere non placuit pro vero locare, cum sit ipsius aqua lacus obscurior ceteris aquis, et quasi adusti præferens similitudinem cibi.[2] Certe si ad radium solis et ipsa resplendeat, nihil novum et quasi pro miraculo promendum, cum hoc commune sit aquis omnibus. Vagari super aquas bituminis glebas certum est atro liquore, quas scaphis appropinquantes colligunt quibus id muneris est. Hærere sibi fertur bitumen, ut ferro haudquaquam vel alia præacuta metalli specie recidatur. Sanguini sane cedit mulierum, quo menstrua solventes levari feruntur. Cujus attactu vel urina, ut allegant quibus experiendi usus fuit, interrumpi[3] proditur. Utilis *(asphaltus)* autem ad compagem navium fertur, et corporibus hominum salubris admixta medicamentis. Longitudo lacus ejus usque ad Zoaros Arabiæ dirigitur stadiis quingentis et octoginta, latitudo in stadiis centumquinquaginta usque ad viciniam Sodomorum, qui quondam uberrimam regionem inhabitabant abundantem fructibus, distinctam quoque urbibus splendidissimis. Nunc autem ea locorum deserta atque exusta incendio sunt; nam cum omnia illis Deus suo contulisset munere, arva frugum feracia, et vineis ceterisque fructuosis arboribus rus consitum, ingrati nec præ oculis habentes potentiam Dei summi quasi non omnia cerneret, omnia expectaret[4] flagitia, nihilque esset quod illum latere aut præterire posset; ita intemperantiæ suæ probris miscere universa ac polluere cœpere, quibus divinam traxere offensam; et pro scelerum pretio de cœlo descendit ignis qui regionem illam exureret. Quinque itaque urbes incensæ, quarum umbra quædam et species in favillis videtur. Arsere terræ, ardent aquæ, in quibus cœlestis ignis reliquiæ recognoscuntur atque adhuc manent. Spectes illic ad speciem poma viridantia, formatos uvarum racemos, ut edendi generent spectantibus cupiditatem: si carpas, fatiscunt ac resolvuntur in cinerem, fumumque excitant quasi adhuc ardeant.[5] Hæc propter impiorum supplicia de Sodomitano territorio comperta silentio obducere non oportuit: his enim decursis remunerationem piis fore dubitari non potest.

CAPUT XIX.

Vespasianus itaque proxima quæque Hierosolymitanæ urbis castella vel urbium munimenta distributo exercitus romani vel sociorum subsidio A replebat, ut adversa sibi omnia cognoscerent,[6] quæ ante conspiratura secum ad bellum contra Romanos gerendum arbitrabantur. Nihilominus etiam[7] Lucio Annio Gerasam destinato, insidiis urbem cepit.[8] Mille etiam juvenes interfecit, quibus præventis exempta est fuga. Captivi abducti plurimi atque universorum[9] patrimonia a militibus invasa præcepto ducis; possessiones quæ repertæ fuerant, exurebantur, rapinæ exercebantur licentia. Vastabant Romani montana atque campestria, quibus Hierosolymitana B civitas circumfusa bello undique ardebat. Nec feriati erant Hierosolymitani a suorum sensu periculorum, quibus omnes interclusi erant exitus ne quis fuga periculo eximeretur. Intus malum intestinum, foris clausa omnia: neque manendi voluntas, neque fugiendi erat copia; et si quis a Romanis veniam transfugio speraverat, a suis egredi prohibebatur.[10]

CAPUT XX.

C 1. Regressus erat Vespasianus in urbem Cæsaream, ut inde collectis omnibus viribus adoriretur Hierosolymitanæ urbis obsidionem; nuntiusque advenit cæsum Neronem decimotertio exacto imperii sui anno, cum jam de anno sequenti octavum diem degeret. Dignus ea pœna, qui non solum fidem sacrilegio, pietatem parricidio, pudicitiam incesto violaverat; sed ipsam quoque potestatem romani imperii, cujus vel officia vel negotia improbissimis libertorum D commiserat. Cum enim ipse nulli fidem servaret, omnes suspectos habebat, et ideo nequissimis se Nymphidio et Tigellino[11] præcipue credendum putavit, quos vilis conditio obnoxios fecerat. Sed et ipsi exemplum crudelitatis ejus aliquando perhorruere, et quia carissimos sibi quoscumque interemerat, cavendum in se rati, prævenire voluerunt quod metuebant. Itaque facta cum ceteris conspiratione, parricidam deserunt. Cui enim parciturus æstimabatur qui matri non pepercisset? Desertus E igitur ab omnibus suis, fugit ex urbe cum quatuor libertis suis; et cum se urgeri imminentibus conjuratis atque agmine adverso videret, in suburbanum rus clanculo concessit, discissus et dilaceratus sentibus, dum formidat a quoquam videri ne proderetur. Deinde cum se circumseptum intelligeret, ne graves pœnas exigeretur, manganum[12] quoddam sibi de ligno paravit et manibus composuit suis quo se necaret, et ad libertos conversus, Qualis, inquit, artifex moritur! Ita[13] acerbissimus parricida dignum meritis suis vitæ exitum tulit, ut qui F matrem ac suos occiderat, nec sibi parceret, vere

[1] Edd., *numquam;* sed magis conveniens visum est *nequaquam,* ut Am et C.

[2] Ita C conformiter Josepho; dum edd. verbis, *quasi adustæ præferens similitudinem*, incongrue loquuntur, quia nulla habetur aqua adusta.

[3] Ita edd.; C *interruptio; urina* autem in casu ablativo assumenda est.

[4] Vulgo, *prospectaret;* Am, *spectaret;* C, *expectaret*, quam lectionem retinuimus ut genuinam quatenus minus facilem; *spectaret* nempe *e cœlo.*

[5] Præcedentem periodum transcripsit Orosius, Historiæ suæ lib. I, 5, ut notat Havercampius ad Josephum.

[6] Nempe Jerosolymorum incolæ.

[7] *Etiam* adest in Am et C, deest in edd. *Gerasam* pariter Am et C, uti Josephus; vulgo, *Geresam.*

[8] Ex Josepho intelligendum, ipsum Annium eam urbem cepisse. Vespasianus autem eam cepit, id est in suam potestatem redegit, per Annium.

[9] Am ac C, *universorum*, melius quam communis lectio *universa eorum.*

[10] Vulgo, in plur. quod Am et C in singulari proferunt, nempe, *si qui.,.. speraverant.... prohibebantur.*

[11] Vulgo, *Gemellino,* emendatum ex Josepho, ut jam Gronovius notaverat, pag. 270. Melius autem Am cum C habet *se.... credendum,* quam edd., quæ *se* omittunt.

[12] Vulgo, *pœnæ exigerentur.* Ita etiam Am; sed elegantius C ut nos in textu. *Maganum*, vulgo; sed Am, C et Pa, *manganum,* e græco μάγγανον, *machina*, proprie belli machinam significat; sed etiam mechanema quodcumque, ut hic loci. Cf. Dufresne in *Lexicon mediæ et infimæ latinitatis.*

[13] Sic Am et C, ut voluere etiam Gualth. et Barr. *Itaque,* vulgo, quod Gallandio probatur tamquam *et ita.*

bonus necis suæ artifex, qui commentus est ut sic
1 periret, ne vel mors sua scelere[1] vacaret.

CAPUT XXI.

Fama itaque interfecti Neronis prævenerat more ingenii humani, cui satis est, ubi cupita acceperit,
2 cetera non requirere, sed statim dissipare,[2] atque inexploratum in vulgus mittere quod delectaverit. Nec multo post tamen Galbam romano imperio præesse innotuit: unde sententiam novi principis de bello Judæorum sciscitari Vespasiano consilium fuit, misitque Titum filium et regem Agrippam. Titus de Achaja revertit, comperto quod etiam Galba septimo mense ac die assumptæ potestatis exutus insignibus pœnas luisset in medio sinu urbis, id est romano foro, et Otho potiretur rebus secundis ac successu imperiali. Agrippa Romam contendit, ut apud novum principem locaret gratiam. Tito pluris visa est paternæ pietatis reverentia quam principalis potestatis, quod inconsulto patre
3 si pertenderet,[3] ne ipsi quidem principi placitum putaret. Certe exitus docuit opportune eum re-
4 diisse ad patrem rebus novis, et incertum[4] quo vergerent. Denique etiam Vespasianus anxius de totius imperii romani ac patriæ statu, bellum sus-
5 pendit atque impetum[5] tenuit suum, posthabitis quæ in Judæam gerebantur præ totius summæ cura et pia erga patriam sollicitudine.

CAPUT XXII.

1. Sed Judæa non feriabatur, quæ gravius bellum inter suos quam adversus externos gerebat. Nam cum Johannis factio esset intolerabilis, insurrexit præterea Simon, inferior quidem morum improbitate, sed forma corporis magis fretus ad omne audendum nefas, et latrociniis assuefactus ad usum et tentamentum flagitiorum. Civis erat Gerasenus, robustus juventa, quem princeps sacerdotum Ananus
6 perculerat[6] propter nequitiæ commenta, pulsumque eo quem inhabitabat loco, in alias regiones concedere coegit. At ille, cui nullus inter quietos et modestos locus, contulit sese ad consortia latronum. Ipsis quoque in principio suspectus, ne eos factione circumveniret, facile postea morum se infudit societate. Populabatur cum his ea quæ essent finitima munitionibus, quod illi ulteriora petere non præsumebant, sed quasi in foveis latitantes insidiabantur prætermeantibus, sine ullo excursu, quasi domestico latrocinio contenti. Id Simon animi immodicus tolerare diu nequivit, brevique sibi multorum quæsivit manum, pollicens servis libertatem, liberis præmia, perditis remunerationem.

A 2. Ita confluentibus plurimis ad deprædandi licentiam, expugnare munitiones, occupare urbium populos ausus, terribilis omnibus erat; receptaculum sibi in vico, cui nomen Nais, muro[7] paravit. 7

3. Jamque viginti millibus armatorum stipatus incedebat, cum subito metuentes Hierosolymitani quotidianos ejus processus et adversum se futuros rati, si diutius adolevissent, succidendos putarunt, repentinoque excursu armati Simonem adoriuntur; nec ille incautus atque imparatus insidiis patuit,
B sed excepit advenientes et plerosque fudit, alios coegit in urbem sese recipere bello fugatos.

CAPUT XXIII.

1. Idumæis quoque congressus, æqualis recessit, et quasi victus, quia non vicerat, angebatur. Rursus cum congrediendum foret, commodius arbitratus dolo experiri, reperit spontaneum fraudis ministrum. Namque ubi intellectum est quid iste affe-
C ctaret, Jacobus unus ex principibus Idumæorum, vafer et callidus ad hujusmodi negotia, venit ad Simonem clanculo, et obtulit patriæ suæ proditionem, ut fidem daret quod universos Idumæos circumveniret, postulataque mercede futuræ societatis, quod potissimus apud eum et fidissimus[8] 8
foret, pollicetur universorum proditionem. Convivio fœderata gratia, promissisque ingentibus Simonis firmata inter utrumque est pactio. Ubi ad suos revertit Jacobus, jactare primo paucioribus
D cœpit exploratum processisse vires adversariorum, vidisse validam manum, expertos belli viros, multitudinem maximam et bello insuperabilem. Inserere[9] paulatim sermonem istiusmodi principibus, 9
postremo infundere per universos,[10] ipsum Simonem 10
admodum strenuum, qui regio more exercitum instituisset, ordines servaret, numeros distributos haberet, ductores idoneos præfecisset; consulere sibi Idumæos oportere ut talem virum amicum potius quam hostem experirentur; certe si in
E congressu superiorem viderent, cederent sine periculo, caverent prælium. Ubi plurimorum inclinata in sententiam suam studia cognovit, edocto Simone ut in aciem prodiret securus futuræ dispersionis Idumæorum, ille non distulit; hic velut antesignanus cum suis et quasi ad præliandum promptior, ubi ferentariis tentatum prælium, priusquam in manus veniretur, converso equo fugæ se dedit: idem sui fecere. Ita convertit dispersitque acies universas, et victoriam Simoni sine certamine
F belli tradidit.

2. Ille[11] potitus tantæ gentis triumpho, insolentior in ceteros factus, Chebron vetustam urbem, celebrem populis, opum divitem ante expectatum cepit, multamque in ea prædam reperiit, diripuit 11

[1] Præstantior videtur hæc lectio cod. Am et C quam communior, *suo scelere.*

[2] Id est *diffundere, divulgare.*

[3] Vulgo, *prætenderet;* sed Am ac C, *pertenderet,* id est, si in itinere progrederetur, et hanc verum lectionem habuerunt et Gualth. et Barr. Deest autem vulgo *principi* post *ipsi*, sed adest in Am, C ac Pa, et voci *ipsi* optime convenit.

[4] Nempe, et dum ipse incertus esset.

[5] Edd. ac Am et C cum nonnullis aliis mss., *imperium;* sed A et Pa, *impetum*, id est, bellum conficiendi ardorem refrænavit, et hanc lectionem prætulerunt quoque Gualth. ac Barr.

[6] Id est, pœna exilii mulctaverat, ut sequentibus explanatur, et Josephus quoque ait voce φυγαδευθείς, *in exilium pulsus.*

[7] Vulgo, *Ajacis murus.* Sed ex Josepho nomen vici est *Naïs*, unde minus recte notavit Barrensis eum a Josepho *Aim* appellari. Erat alius vicus *Ain* (vox hæbraica quæ significat fontem) in montanis ejusdem Judææ. *Muro* habet C; Am, *muros; muris,* Pa.

[8] Nempe habitus ut *fidelissimus,* idesque? in maxima familiaritate.

[9] Vulgo, *inferre;* sed valde melius Pa, et alii, *inserere.*

[10] Communior lectio *numeros;* sed omnino cum C, *universos.*

[11] Ita Am, C et codex Gronovii. Vulgo, *Simon vero.*

fructus uberrimos. Fertur enim antiquissima non solum Palæstinæ urbium civitas, sed etiam omnium quæ sunt in Ægypto a vetustis conditæ, ut etiam Memphim, quæ antiquissima habetur, posteriorem plerique existiment. Fuere etiam qui habitasse in ea patrem Abraham dixerint, posteaquam de Mesopotamia profectus Ægyptum petiit, filiosque ejus illic sepulcrum habere, pulcherrimo exstructum marmore et opere elegantissimo, septimo a civitate stadio. Terebinthus illic magna arbor a constitutione mundi fuisse asseveratur; nunc tamen utrum adhuc maneat incertum nobis est. Inde progrediens vastabat territoria, expugnabat urbes, congregabat populos. Quadraginta millibus armatorum stipatus exinanibat omnia quocumque vel quasi amicus et socius accesserat. Quis enim locus tantorum suppeteret alimentis? Solo peditum vestigio in modum pavimenti proterebantur universa, in quibus tantus constiterat numerus præliatorum. Nec solum quicumque erat fructus, auferebatur, quasi quibusdam exesus locustis, sed etiam in posterum pavimentata humus fructus negabat.

3. Terrebat Johannem quod Simonis augebatur potentia, et totius factionis socii quatiebantur. Volebant perditum, sed bello non audebant lacessere. Iterum insidias parant, et obsidentes itinera, uxorem ejus cum omni comitatu muliebri et paucis virorum prosecutoribus rapiunt. Jactabant se quasi omnem confecissent victoriam, ac veluti ipsum Simonem captum tenerent, supplicaturum sibi arbitrabantur. At ille durus, immitis, qui nullius affectu conveniretur, nihil carum aut sanctum haberet, inflammatur quasi accepta injuria potius
1 quam erepta gratia, multoque sævior gravius[1] excruciabat tormentis quos reperisset. Plerisque incidebat manus quos ad hostem truncato corpore dimittebat, ut ejus insanam nunciarent crudelitatem, insinuarent minari quod muros subrueret, urbem excideret, nisi sibi ocius uxor propria restitueretur; similiter manus et viscera truncaturum omnibus, qui intra urbem degerent, nisi mature consuluissent. Ita perterrefacti uxorem ejus ad eum dirigunt, quo mitigatus furor ejus
2 aliquantam[2] requiescendi copiam clausis dedit, ut non urgeret obsidionem.

CAPUT XXIV.

3 *Civile bellum et in Italia exarsit,*[3] nec solum Galba interfecto, sed etiam Othone extincto, Vitellii ducibus congredientibus, quem gallicanus exercitus creaverat imperatorem. Et primo quidem certamine superior Otho visus est. Repetito post diem prælio cum comperisset Otho Valenti
4 et Cæcinæ[4] Vitellii comitibus victoriam cessisse,
5 plurimos quoque suorum interfectos, Brixelli[5] positus voluntaria nece eripuit se ludibrio, duobus

A diebus et tribus tantum mensibus rerum potitus. Victor itaque Vitellius cum eo, qui utrimque superfuerat, exercitu, Romam contendit.

CAPUT XXV.

1. Vespasianus tunc temporis profectus ex urbe Cæsarea vastabat Judæam, montana omnia finitima et munitiones debellabat; interficiebat resistentes, precantibus impertiebat veniam salutis,
B fugabat adversarios, constituebat suos. Cerealis quoque dux romani exercitus cum equitatu percurrebat omnia, extinguebat alios, alios subjiciebat, captivorum quoque cogebat agmina. Omnia circa Hierosolymam exurebantur, ne ullum Judæis esset perfugium. Sic interclusi ante obsidionem universi Judæis exitus.

2. At illi non solum non consulebant sibi, sed etiam domestico inter se decertabant certamine, Johannes interior tyrannus, Simon extramuranus
C hostis, qui recepta uxore paulisper excurrens, Idumæam depopulatus validior rediit, et Hierosolymitanæ muros urbis armis circumsonabat. Johannes intus positus suos ad bellum vitiis exercebat data criminum auctoritate. Fervebant studia rapinarum, probrorum cupiditates, luxuriæ effusiones, unguentorum odores; calamistris crispabant capillos, stibio oculos depingebant, muliebrem amictum induebantur; nec solum ornatus feminarum, sed etiam mollitia muliebris affectabatur, et illicitarum
D libidinum passiones. Viri muliebria exercere, effeminare vocem et fluxu corporis sexum dissolvere, pascere comam, vultum dealbare, pumicare genas, vellicare barbulam, et in hac dissolutione sævitiam crudelitatis exercere intolerabilem. Denique fracto gressu incedebant, et subito momentanei[6] 6
bellatores, reconditos sub conchyliatis[7] chlamy- 7
dibus gladios occulentes,[8] cum repente nudassent, 8
quemcumque[9] repererant, diloricabant. Qui Simo- 9
nem evaserat, a Johanne interficiebatur, si se
E intra urbem recepisset; qui Johannem fugerat, captus a Simone ante muros immolabatur.[10] 10

3. Erat dissensio gravis. Idumæi querebant tyrannidem Johannis extinguere, invidebant ejus potentiæ, et oderant ejus crudelitatem. Congrediuntur adversum satellites tyrannidis, avertunt eos, insectantur usque ad aulam regiam, quam condiderat genere[11] proxima regis Adiabeni; ir- 11
ruunt exclusis propugnatoribus templumque occupant, diripientes spolia tyranni, quoniam illic Jo-
F hannes opum suarum condiderat receptaculum. Gravis incesserat metus, ne per noctem Idumæi de templo urbem introgressi ferro plebem interimerent, incendio urbem delerent; quo metu territi de consilii sententia, dum unum tyrannum ferre nequeunt, alterum introduxere. Et Johannes fraude irrepserat in tyrannidem. Hic Simon rogatus,

[1] Post *sævior* vulgo habetur *graviorque gravibus excruciabat, quos reperiebat, tormentis.* Sed Am, C et Gualth. omittunt *graviorque.* Dein Am et C habent ut in textu.

[2] Ita Am, C ac Pa; vulgo, *aliquantum.*

[3] Locus non integer, notavit Weber. Exciderunt nempe e textu verisimiliter vv. *civile bellum et in Italia exarsit:* cf. Joseph. l. l. Οὐ μόνον δὲ κατὰ τὴν Ἰουδαῖαν στάσις ἦν καί πόλεμος ἐμφύλιος, ἀλλὰ καὶ ἐπὶ τῆς Ἰταλίας κ. τ. λ. In codd. Oxon. 697 et 150 nulla est lacuna.

[4] Ita Am et C; vulgo, Cecinæ cum Josepho.

[5] Vulgo, *Brixiæ;* sed lectio nostra consonat Josepho et Lipsio in correct. ad Tacitum.

[6] Id est, raptim ac subito motu, ut Tertullianus *adv. Marcionem,* v, 10, et *de Resurr.* 42, *momentaneo motu.*

[7] Tinctis nempe muricum sanguine.

[8] Ita Am et C elegantius quam vulgo, *occultantes.*

[9] Ita rursus Am ac C, unice recte, pro *quœcumque* quod vulgo habetur.

[10] Hic lacuna in codice Am usque ad cap. xxx.

[11] Pro *genere* forte originalia exhibebant *Grapte,* ut *proxima* absolute steterit. Nam Joseph. habet: ὑπὸ Γραπτῆς, συγγενὴς δὲ ἦν αὕτη τοῦ τῶν Ἀδιαβηνῶν βασιλέως Ἰζάτου: scilicet; *A Grapte; erat autem hæc consanguinea Izati, regis Adiabenorum.*

quasi remedium salutis daret, dominatum invexit civibus, urbi tyrannum. Missus est Matthias princeps sacerdotum ut ejus ingressum obsecraret. At ille superbe satis dominari abnuit, et quasi gravaretur, concessit ambitus, ut se in urbem cum omni sua virtute infunderet. Aperuere portas manibus suis ut perniciosiorem inducerent, dum inferiorem[1] exsecrarentur. Itaque[2] Simon ex sententia ingressus, æque se hostem exhibebat universis, ut et illos qui vocaverant et illos, adversum quos ejus auxilium postulatum fuerat, communi in omnes odio persequeretur. Urgebat Johannes fraudibus suis, fluctuabant civitas. Certamen erat inter Johannem et Simonem, quis amplius suis noceret.

CAPUT XXVI.

1. Sub ea tempestate convaluit rumor civilium bellorum in exercitu romano de Galbæ et Othonis nece manifestatus, et imperio Vitellii, qui nequior superioribus quasi fæx resedisset. Conferre secum veteris militiæ viri cœpere, et indigne ferre tantum usurpare prætorianas Romæ legiones, ut cum jam bellorum desuevissent experiri pericula, nomina ignorarent gentium quæ bellum moverent, ipsæ tamen statuerent[3] bellis imperatorem et in sua manu rerum romanarum legendum arbitrum constituerent. Deinde hujusmodi exemplo in Gallia positos milites adspiravisse ut Vitellio imperium darent inconsulto senatu et populo romano; se interea quasi mercenarios haberi, qui aliena arbitria sequerentur. Primos ad periculum, ad honorem ultimos, tanto tempore bellum gerere triumphis quotidie crescentibus, et ab inferioribus dominos accipere, ne eos quidem utiles, sed vel ignavissimos quosque, vel ventri deditos et turpitudini. Pergendum obviam, et removendam injuriam. Esse sibi virum strenuum Vespasianum, quem legi decuerit ad omnibus imperatorem, ævi maturum ad consulendum, validiorem junioribus ad præliandum: properandum maturius, ne prius ab aliis eligeretur, et iis, cum quibus in militia consenuerit, triumphando esset despectui. Quando opportunius tempus, quo digna merces laboribus ejus rependeretur? Vitellianam[4] voraginem privatorum dedecus (non dicam imperatorum), non diutius hoc toleraturum senatum, non populum romanum, ut opprobrium vinolentorum diutius in culmine maneat imperii, cui[5] res romana ad sumptum non suppetat. Quis enim ferat tyrannum regnare, cum habeat in exercitu dignum romani imperii gubernatorem? Quæ vero gentes luxui se subjiciant et vitiis dedant, cum belli incentivum sit ignavia imperatoris, et contra firmitudo pacis in hoste virtus, sobrietas in reipublicæ moderatore? Quis non suspiciat in Vespasiano adhuc privato regni decus et romani imperii auctoritatem, cui tot militares numeri præsto sunt, et omnis romani exercitus validior manus? Quid expectamus? An ut nostris fultus virtutibus aliis debeat quod imperator est, et nos aliis cedamus quod in jure nostræ potestatis est? Certe si honorare nolumus, non derogemus, nec faciamus hanc injuriam, ut nostro judicio repudietur quasi indignus imperio, quo dignus habetur Vitellius. Postremo cum in Italia sint frater ejus et filius Domitianus, verendum profecto est, ne qui suis ornamento esse jamdudum debuit, sit periculo, aut si illi, ut arbitramur, tyrannum urgere cœperint, huic fraudi sit quod frater et filius rebellaverint, et incipiamus reum spectare, quem videre nolumus imperatorem.

2. His secum milites vociferantes adoriuntur Vespasianum, rogant[6] romani imperii suscipiat gubernaculum; ille vero abnuere ac se indignum dicere, esse jam constitutum imperatorem, refugiendum civile bellum. Illi instare promptius; ille resistere perseverantius. Postremo reluctantem armati circumsistunt gladiis mortem minantes, qui adverterent sibi crimen manere et grave periculum, si refugisset. Ita cessit potius imprimentibus[7] quam recepit voluntarius quod ambire alii solent: urgebant milites, suadebant duces; curam prius quam honorem induit.

3. Festinavit in Ægyptum: sciebat enim maximas vires illic esse romanæ reipublicæ, unde alimonia ministraretur. Subsidium sibi quærendum si vinceret, aut refragium[8] Vitellio, si trahendum diutius bellum putaret. Esse illic etiam duos ordines militarium virorum, quos sibi adjungere properavit, ut urbs maxima, et plurimis naturæ munimentis circumdata, in suo potius jure quam in alieno maneret, ad utrumque belli eventum satis utilis; ideoque de locorum situ ac potissimum de ipsa urbe metropolitana vel pauca dicenda[9] rati.

CAPUT XXVII.

Urbem Alexandriam condidit Alexander, cui ob virtutem inditum magni ducis cognomentum. Ea inter Ægyptum et mare quasi claustrum interjacet, civitas importuosa, ut fere pleræque Ægypti, et ab externo difficilis accessu, cum sit in remotioribus Asiæ partibus[10] jacens. In Hespero[11] ipsa Ægyptus aridis Libyæ conterminat, meridiana autem ejus superioraque disterminant ab Æthio-

[1] Ita C ac Pa, quæ lectio preferenda visa est communiori *infirmiorem.*

[2] Ante *itaque* C habet *vir* quod Weber in *vix* emendavit, et optime quadraret contextui; quod tamen non admisimus, cum nullo alio documento fulciatur.

[3] Vulgo, *statuerunt,* et subsequenter, *constituerunt;* sed Gualth. in edit. 2ª et Barrensis pro vera lectione habent *statuunt* ac *constituunt;* Pa, *statuerent, constituerent,* quam ut syntaxi magis congruam ipsi *prætulimus.*

[4] Gallandius legit *Vitellianum,* sed communis documentorum lectio est *Vitellianam.*

[5] *Cui* C, Pa, et pro v.ª l.ª Gualth. ed. 2ª et Barr.; *cujus* vulgo, quod cum v. *sumptum* conjuctum ferri posset.

[6] Vulgo, *rogant ut;* sed concinnius C, absque *ut.*

[7] *Imprimentibus* idem ac *pressionem facientibus,* nempe eadem significatione ut simplex *prementibus.* In eodem sensu utitur Ambrosius voce *impresso* in epist. ad Ecclesiam Vercell. Hoc monet et Mazochius, pag. 818.

[8] *Refragium* novam vocem appellavit Gronovius in *Monob.* cap. 21, pag. 236, oppositam suffragio.

[9] Vulgo, *paucis dicendum,* sed prætulimus *pauca dicenda,* quod in C.

[10] Ab antiquis Ægyptus non Africæ, sed Asiæ deputabatur, ut apud Pomponium Melam I, 9.

[11] Vulgo *in Europa;* sed librariorum inscitia in veteribus exemplaribus debuit contigisse commutatio vocis *Espera* in *Europa,* quia κατὰ μὲν ἑσπέραν habetur in Josepho, et aliunde lectio *in Europa* omnino absona esset. Ideo ut prorsus necessariam substitutionem adoptavimus a Weber textui inductam. *Ægyptus* pro communi *Ægypti* habet C; ipsamque lectionem pro genuinam habuerunt Gualtherus in ed. 2ª et Barrensis.

pibus Syene et innavigabiles Nili fluminis cataractæ.[1] Ab oriente refunditur mare rubrum Clithro[2] tenus, qui locus extremis ultimus terris, pervium ad Indos aperit iter navigaturis. Septa igitur ex una parte ferventibus incendiis solis, Indico inde atque hinc Ægyptio mari, uno tantum muro septemtrionali innititur terræ qui ducit in Syriam. Cetera interclusa undique et naturæ subsidio vallata. Dividuum tamen septemtrionalis plagæ eidem munimentum et gemino quodam limine patens, quo vel peregrinæ ad eam per mare Ægyptium devehuntur copiæ, vel liberior ad terras usus diffunditur. Terra jacet in infinitum modum. Nam inter Syenem et Pelusium longitudo immensa[3] stadiorum duum millium, si fides assertis adest, et a Plinthine usque Pelusium stadiorum item trium millium sexcentorum, inassueta imbribus regio, nec tamen pluviarum indiga, cui Nili irrigua spontaneos imbres ministrant. Utrumque[4] ei Nilus est, cœli ubertas, terræque fecunditas: arva temperat, solum opimat, nautis et agricolis juxta usui: hi navigant, illi serunt; isti circumvehuntur[5] sua rura navigiis; illi excolunt sine aratro serentes, viantes sine carpento. Distinctam cernas fluentis, et quasi quibusdam excelsam mœnibus navigiorum; totis domicilia terris vagantur, quæ Nilo circumfluunt. Est enim navigabilis usque ad urbem ut appellant Elephantorum.[6] Ulterius navem procedere cataractæ, quas diximus, non sinunt, non defectu gurgitis, sed totius fluminis præcipitiis et quadam[7] aquarum ruina. Portus urbis, ut plerique maritimorum locorum aditus, difficilis accessu et longe ceteris difficilior, quasi ad formam corporis humani, in capite ipso et statione capacior, in faucibus angustior, qua meatum maris ac navium suscipit, quibus quædam spirandi subsidia portui subministrantur. Ubi quis angustias atque ora portus evaserit, tamquam reliqua corporis forma, ita diffusio maris longe lateque distenditur. In dextera vero portus insula est brevis, et in ea turris maxima, quam Pharum in commune Græci ac Latini ex ipsius rei usu appellaverunt, eo quod longe videatur a navigantibus ut, priusquam ad portum appropinquent, nocturno maxime tempore terram finitimam sibi esse flammarum indicio[8] cognoscant, ne decepti tenebris in scopulos incidant aut vestibuli liminem non queant comprehendere. Sunt itaque illic ministri, per quos subjectis facibus ceterisque lignorum struibus adoletur ignis quasi terræ prænuntius et index faucium portuensium, demonstrans ingrediendi angustias, undarum sinus, vestibuli anfractus, ne perstringat tenuis carina cautes, et in ipso ingressu offendat inter opertos fluctibus scopulos. Itaque directum cursum pauli-

A sper inflecti oportet, ne cæcis illisa saxis ibi incurrat navis periculum, ubi speratur effugium periculorum. Angustior enim aditus in portum, quia a dextra parte latere[9] artatur, a læva rupibus, quibus obstructum est sinistrum latus portus. Circa insulam quoque instructæ ingentis magnitudinis moles dejiciuntur, ne assiduo assurgentis impetu maris cedant fundamenta insulæ atque injuria vetere[10] solvantur; unde fit ut illidentibus se in partem insulæ fluctibus et recurrentibus in B adversum inter scrupeas rupes molesque constructas, canalis ille medius semper sit inquietus, atque exasperato transitu periculosus fiat navigiis ingressus. Amplitudo portus stadiorum triginta, statio tuta, placiditas maxima quavis tempestate, quia memorati oris angustiis atque objectu insulæ repellit a se undas maris et fit intus tutissimus portus, compensatione quadam ingressus periculosi, quia per easdem portuensis oris angustias totius portus defenditur sinus et summovetur a tempesta- C tibus, placidatur a fragoribus,[11] per quos ingressus exasperatur. Nec immerito vel tutamen, vel magnitudo portus hujusmodi est, cum in eum quæ ad usum totius orbis proficiant, convectari necessarium sit. Nam et populi innumerabiles eorumdem locorum ad usum sui expetunt totius orbis commercia, et frugum regio ferax ceterorumque terræ munerum vel negotiorum abundans, totum frumento alit atque instruit necessariis mercibus orbem terrarum.

D

CAPUT XXVIII.

1. Compositis itaque erga se rebus in Alexandria, Vespasianus, et studiis omnium qui rem militarem regebant circa suum imperium conspirantibus, securus absentiæ, reditum in Syriam maturat; convento mandatis tamen Tiberio Alexandro, qui tunc Ægypto præsidebat, ut ejus exercitus, qui in superioribus partibus erat, gratiam sibi conso- E ciaret, ipse quoque necessitatem imperii romani, quibus posset, adjuvaret viribus. Quæ sibi imposita forent, Tiberius per epistolam provincialibus et militibus insinuavit, idque ab omnibus cum lætitia susceptum, fides promissa, effusus favor. Vespasianum Cæsarea suscepit; inde Berytos legationibus urbium cum summo gaudio confluentibus.

2. Illic etiam Josephus solvi præceptus vinculis jussu imperatoris: adjuvit Titus ut frangerentur potius quam solverentur catenæ; quod si frange- F rentur, ita esset quasi non fuisset ligatus. Placuit patri securim deferri, jussit frangi catenas, ut adverterent Judæi sibi quoque veniam non negandam, si converterentur et pacem rogarent: simul

[1] Ita rursus aliquanto recedendum fuit a communi lectione, ut grammaticæ satisfieret. *Syene* vero juxta Josephum pro vulgata *Sienem*.

[2] De hoc ita Weber: « *Clitro* vulgo; *clysthro* sed *s* int. lin. C. Joseph. l. l. Κοπτοῦ, quæ urbs sane apud Plin. H. N. V, 9 dicitur *Indicarum Arabicarumque mercium Nilo proximum emporium;* sed aperte h. l. stare non potest. Scripsi *Clithro* ex græco Κλεῖθρον sive Κλῆθρον, quod idem atque Deren (Babel Mandeb) fuisse videtur, quum *claustrum* maris ibidem sit, quod simul *pervium ad Indos aperit iter navigaturis.* »

[3] Vulgo, *universa*, sed habent *immensa* C, ed. 2ª Gualtheri et Barrensis.

[4] Ita C, codex Gronovii et Pa, et quidem melius quam vulgo, *utrimque*.

[5] Hic vulgo adest *per*, quod deest in C, in cod. Gron. et Pa, quodque Gronovius delendum merito asseruit.

[6] Hæc recta lectio, quæ in C ac Pa, Josepho, ed. 2ª Gualth., Barr. Vulgo, *Elephantinorum*.

[7] Ita C, melius quam *ob quamdam*, ut communiter.

[8] Vulgo, *incendio*, sed C, *indicio*, quam veram lectionem asserunt etiam Gualth. et Barr.

[9] Opere scilicet lateritio, ut habet et Josephus.

[10] Ita pro communiori *vi nimia* habent A, C, Pa, et probant ut veram lectionem Gualth. et Barr.

[11] Communior lectio, *frigoribus;* sed evidens librariorum mendum pro *fragoribus*, quod in C, Pa, Gualth. et Barr., nec non apud Gronov. lib. I, pag. 18.

quia non alieno eum arbitrio jam reservabat, cum ad se rerum omnium delata arbitria forent.

CAPUT XXIX.

1. Ventum Antiochiam: ibi tractatu habito, unde oporteret ad Italiam trasmittere, quia tuta in Ægypto vel Alexandriæ omnia consideraverat, consultum celeritati. Dimittit itaque Mutianum cum parte multa equitum et exercitus pedestris,
1 ut præveniret in Italia[1] adventum imperatoris. Ille prolixæ navigationis revocatus formidine, per Cappadociam et Phrygiam iter direxit.

2. Antonium quoque præcepit præfectum tertio ordini militari, qui erat in Mysia, in imparatam se Italiam effundere, priusquam Vitelliani sese moverent. Nam Vitellius quasi crapulatus et somno demersus, convivii rem geri æstimans, non imperii, in tantis positus negotiis indormiebat. Denique vix tandem excitatus nuntio advenientis Antonii, dirigit Cæcinam cum exercitus parte, et periculi sui summam alieno arbitrio committit, fretus Cæcinæ viribus, quod Othonis manum fuderat. Ille circa urbem Cremonensium Antonio occurrit advenienti, explorat omnia, cognoscit prævalidam
2 manum e diverso[2] adfore, strenuam bellis, exercitam triumphis; se contra nec viribus æquis, nec numero pares posse decertare adversum validiores. Convocatis centurionibus suadet bello desistere, quod essent numero inferiores, et gloria imperatoris præponderaret; satis in bello valere famam ducis rem summam gerentis; Vespasianum
3 in gallicanis[3] partibus et Britanniarum victoriis emicuisse: Vespasianum orientalibus succinctum
4 adoreis magno niti[4] sui nominis præjudicio: Vitellium nihil aliud nisi vino solutum et inter con-
5 vivia pridianas[5] semper eructuantem epulas nihil aliud exspectare, nisi ut cum hostis advenerit, ebrius pereat sine sensu doloris. Ex illo augeri militum animos tanti gloria imperatoris; ex isto dejici per opprobria ejus et turpitudines. Consu-
6 lendum ne prioris belli famam amitterent.[6] Licet vicerint Othonem Vitellio parem, adversus eum nunc esse negotium, qui totum orbem triumphis suis cinxerit: præveniendam gratia necessitatem, ut civem potius Vespasianum eligant quam hostem experiantur. Miserum esse bello civili vincere; quanto miserius vinci, ut videaris hostis tuorum! Victori patria manet, victo perit; aut si manet, ad sceleris invidiam manebit, ut videamur civibus intulisse bellum pro tyranno: qui enim vincitur, non jam civis, sed tyrannus est. Quid conserimus noxias manus? Semel satis sit sceleri vicisse, ut
7 pudeat cui vicerimus. Putavimus vel in imperio[7] sobrium fore, vel rerum molibus expergefactum somno perpetuo renuntiare. Quid exspectamus diu-

A tius? Pericula nostra ingrata sunt omnibus commilitonibus; omnibus populis judicia nostra reprehensa et condemnata propter electi flagitia. Qualis sit, considerate, qui etiam victor repudiatus est. Consultandum certe prius de belli eventu, et sic præliandum. Si pericula prævenerint, frustra consules; ubi consilium placuerit, recte incipias.[8] 8
Quod solliciti ducis esset, explorata sibi omnia; patuisse Vespasiani exercitum esse validiorem: fidem suam pro Vitellio jamdudum probatam,
B quando præsumpsit de belli eventu; victoriam secutam, quando diffidit; in promtu esse quid sit futurum. Neque vero mortem suam sibi formidini esse, sed exercitus romani periculum, et, quod plus dolet, viris partæ jam dispendium laudis, ut videantur victi qui solent vincere. Sibi certe cavendum ne judicetur et illud non fortitudinis, sed eventus fuisse quod vicerit bello superiore, et istud ignaviæ, quod victus postea sit.

C

CAPUT XXX.

His atque hujusmodi sermonibus adduxit in sententiam suam milites, ut secum ad Antonium pergerent voluntarii, atque ei se traderent; sed, ut se habet vulgi maxime militaris mobilitas, compuncti sunt plerique per noctem in cubilibus suis deserti Vitellii pœnitentia, ne si superior fieret, nullus sibi locus veniæ superesset, qui imperatorem proprium dereliquissent; et surgentes primo
D cum obviis quibusque, dein cum omnibus conferre cœperunt, quomodo erratum emendarent; evaginatisque gladiis insilierunt super Cæcinam, volentes ultum ire injuriam suæ prolapsionis. Sed intervenientibus centurionibus et chiliarchis, a nece quidem ejus temperandum rati, vinctum[9] tamen Vi- 9
tellio dirigere parabant. Quo cognito, Antonius movit eos, quos secum deduxerat, et armis super defectores irruit. At illi, viso agmine partis diversæ,[10] paraverunt se ad prælium, sed paulisper 10
E ausi resistere, ubi se convertere ut Cremonam confugerent, cum equitibus Antonius occurrit atque omnes prævenit aditus, ne confugientes reciperentur, clausosque ante urbem interfecit. Cæsa illic multitudo maxima; reliquos in ipsam urbem persequutus peremit. Direpta omnia; plurimi negotiatores ex aliis locis advenientes, plurimi incolæ, prædæ causa necati dum sua vindicant. Extincta triginta millia et ducenti viri, qui aderant de exercitu[11] Vitellii. Primus quoque, id enim 11
F Antonio cognomentum erat, quatuor millia quingentos de Mysiacis militibus amisit, quoniam desperatione salutis ulcisci se volentes Vitelliani, ubi circumventos se videre, haud incruentam et ipsis Antonianis victoriam cessere. Solutus vinculis Cæcina dirigitur ad Vespasianum ab Antonio,

[1] Vulgo *Italiam*, sed C, *Italia*, quod magis grammaticæ consonum videtur quia *præveniret* refertur ad *adventum*.

[2] Ita C ac Pa, veramque habent lectionem Gualth. et Barr. Vulgo, *e diversis*.

[3] *Gallicanis* pro *germanicis*; cf. *Belli Jud.* III, 1, 2, et Sveton. in *Vespas.* 4.

[4] *Niti*, C, melius quam commune *uti*.

[5] Vulgo, *pridiana*; sed contextus exigit *pridianas*, ut concordet cum *epulas*, ut in C. Item in hoc *eructuantem*, loco communis *eructantem*, veramque esse lectionem suadent exempla Augustini, serm. CXXXV *de Temp.*, et Tertulliani *de Resurr.*, carn. 32 (in uno e tribus codd. Vatic.); nec non *eructuari* deponens in vers. antiqua Evang. Matth. a Majo edita, uti notat Weber.

[6] Vulgo, *omitteret*; quod inepte prorsus. *Amitterent*, C, ac pro vera lectione jam habuere Gualtherus et Barrensis.

[7] Vulgo, *imperium*; A, C, *imperio* (subintellecto *Vitellium*); *in imperio* habent veram lectionem Gualtherus in ed. 2ª et Barrensis.

[8] Ita C, valde melius quam commune *incipies*.

[9] Communiter, *victum*; sed *vinctum* et contextus requirit, et codd. C ac Gualtheri, et ed. Pa.

[10] Vulgo, *adversæ*; sed C, Pa et codex Gronovii, *diversæ*, quam lectionem ipse Gron. commendat.

[11] Hic rursus reviviscit codex Am.

ibique non solum salutis securitate, sed etiam præmiorum solutione consolatus est maculam proditionis.

CAPUT XXXI.

Cujus victoriæ nuntio elatus Sabinus, volens et ipse commendationem sibi apud imperatorem parare, si præveniret advenientem Antonium, Vitellii vel exitio vel expulsione aut, si resisteret Vitellius, subveniret Antonio, qui jamjamque adfuturus audiebatur, congregat sibi militarem manum ex iis ordinibus, qui Romæ positi curabant munia vigiliarum. Occupat nocte et Capitolium; plurimi ad eum nobilium per diem confluxere, inter
1 quos etiam Domitianus Vespasiani germano editus,[1] qui metueret, ne in se quasi in Vespasiani nepotem Vitelliana ultio derivaretur. Inter duos positus Vitellius propiorem adoritur, minus sollicitus de remotiore; plus enim propiora terrent pericula; indignatusque mittit Germanos in Capitolium, qui præferoces immanitate gentis, simul numero validiores circumvenerunt bellatricem Sabini catervam. Interfecti prope omnes. Domitianus tamen cum plerisque nobilium, dum Germani ad superiora Capitolii nituntur, et a Sabino ejusque sociis loci pelluntur suffragio, fugiendi locum reperit, aut forte quia et ipse malo publico reservabatur tyrannus futurus. Sabinum Vitellius excruciatum necat, diripiuntur omnia munera oblata Capitolio, templumque incenditur.

CAPUT XXXII.

Post diem Antonius adest; e diverso occurritur. Trino circa urbis mœnia congressu habito, fusi cæsique omnes Vitelliani. Interea Vitellius epulabatur, ne amitteret moriturus prandium, et
2 redundantioribus, ut in extremis solent,[2] mensæ sibi ultimæ dapibus refertiebatur. Obruebat se vini poculis frequentioribus, ut sensum amitteret futuri vel opprobrii vel periculi. Rapitur e convivio, trahitur per multitudinem, insultatur morituro, inferuntur injuriæ quas ebrius non sentiebat. In media perimitur urbe vina simul et sanguinem fundens, eructuans crapulam; qui, si diutius vixisset, luxuriæ sumptibus et pretio mensarum romani imperii opes abligurisset. Denique octo mensibus et quinque diebus imperitavit, et jam Roma
A edacitati ejus defecerat. Numerata sunt alia cæsorum supra quinquaginta[3] millia. 3

CAPUT XXXIII.

Sequenti autem die Mutianus et Antonius cum exercitu pariter ingressi vix finem necandi furentibus militibus imposuere, eo quod præsumptores constituendi imperii Vitellianos persequebantur, et explorabant privatorum domos tanta perciti indi-
B gnatione, et cum de populo aliquos metu latentes investigassent, prius quasi Vitellianos ferirent, quam cognitio veritatem manifestaret, ut sæpius vincentium furor interrogationem præveniret. Et quia absens erat Vespasianus, quasi interregni vicem Domitianum publicis Mutianus præfecit negotiis, ne qui nævus[4] deesset rebus secundis. 4
Nondum tamen Domitiano se penitus infuderat libido flagitiorum: rudis erat adhuc vitiis et tiro criminibus ut potestatibus. Vespasianus hieme re-
C tentus, atque intercluso ventis mari, cum filio Alexandriam rediit. Illic victoriæ nuntio plebisque romanæ comperto in se favore, profectionem maturandam constituit, ne quid absente se novaretur; nec tamen incuratum Judææ bellum reliquit, quod filio quasi consorti suorum operum ac successori committendum putavit, ut neque Romanis ipse deesset, nec Judæis Vespasianus, quem filius repræsentaret. Executor igitur paterni electus triumphi, cum electa manu dirigitur Titus, pedes egre-
D ditur, Nicopolim petit. Abest ea civitas ab Alexandria vigintiquatuor stadiis, unde militibus classi navium majorum impositis Nilo decurrit usque ad urbem Thmuin.[5] Unde progressus habitavit in ci- 5
vitate cui nomen Tanis.[6] Secunda mansio viantibus 6
civitas Heraclea, tertia Pelusium. Duobus diebus stativorum gratia Pelusii transactis, per desertum agens iter pervenit usque ad Casii Jovis templum. Successit ei Ostracine mansio, aquæ locus indigens; tamen diligentia incolæ sibi subsidium compara-
E verant ut instituerent ductus aquarum. Exceperunt etiam Rhinocoruri[7] exercitum progredientem non 7
sine grata refectione. Occurrit urbs Raphia,[8] quæ 8
civitas Syriæ principium est ex Ægypto commeantibus. Ventum est Gazam; ea erat quinta civitas advenientibus. Inde in Ascalona, deinde in Jamniam, ex qua transitum in Joppen, perventum in Cæsaream, ubi necesse erat paulisper morari, congregare quoque militum manum quæ adhuc in hibernis agebat. Et jam hiemis asperitas deficiebat.

[1] Hic certe non error Ambrosii adest in Josepho interpretando, dum legitur Domitianum filium fuisse Sabini, cum esset Vespasiani. Nam Ambrosius cap. XXVII habet: *Frater ejus* (Vespasiani) *et filius Domitianus;* sed alicujus vetusti librarii est mendum, qui *Vespasiani* scripsit pro *Vespasiano*. Perperam igitur Mazochius et Weber turpem errorem Ambrosio affingunt. Rite autem statim postea Am et C, *metueret,* loco communis *metuens*.

[2] Vulgo, *solet;* sed recte C, *solent*.

[3] Communior lectio, *quingenta;* sed recte C et Pa cum Josepho, *quinquaginta*.

[4] Vulgo, *ne quid ejus;* sed A, *ne quis nævus*, suffragante Gualth. in ed. 2ª et Barrensi; Am, C et cod. Gron., *qui nævus,* quod ipse probat in *Monob.*, pag. 230.

[5] Vulgo, *Thoni;* Am, *Thmuit;* Josephus, Θμούεως in genit.

[6] Communi lect., *Thamna*, sed Am et C, *Thanis,* et recte *Tanis* ex Josepho.

[7] Am, *Rhinochiri,* similia C et Pa; sed Josephus, Ῥινοκορούροις, cui accedit lectio communior *Rhinocoluri*. Nos Josephum secuti sumus.

[8] Vulgo Raphæa; Josephus, modo Ῥάφεια, modo Ῥαφία.

LIBER QUINTUS.

CAPUT I.

1. Anno primo delati imperii Vespasiano bellis asperis Judæa et seditionibus domesticis lacerabatur, nec per hiemem inducias malorum egerat, quando solent bellorum sæva requiescere.

2. Quinetiam tertius ei tyrannus Eleazar accesserat quasi emendaturus vitia superiorum, qui conju-
1 rantibus secum Juda et Ezronis[1] Simone et Ezechia non ignobili juvene, quos plurimi alii comitabantur, et occupatis templi interioribus et circuitu omni, supra fores in vestibuli ipsius fronte arma constituere. Johannes tamen conspirantium numero præstabat, et factionis multitudine, sed loco inferior, quamvis nequaquam feriaretur, sed repugnaret superioribus, gravabatur tamen quod supra verticem hostes haberet.

3. Simon vero, quem sibi tyrannum populus introduxerat, superiora urbis tenebat, inferiora quoque populo ipsius replebantur. Trino prælio laborabat intra se civitas: nulla intermissio, nulla requies, nullæ induciæ; momentis omnibus dimicabatur. Multi ruebant, innumeri jugulabantur, manabat sanguis, fœdabat universa, ipsa replebat templi limina; passim ruebant cadavera; sagittis alii, alii missibilibus feriebantur. Inter tres medius erat Johannes, inferior Eleazaro, superior Simone; quo superabatur ab Eleazaro, eo ipse superabat Simonem: medius enim inter utrumque eum locum tenebat, ut quo plus gravaretur ab altero, et ipse plus alteri noceret: instructior tamen ceteris subsidiis machinarum et genere telorum, bellum æquabat, ita tamen ut præter eos qui bellum moverent, plerique etiam sacerdotum interficerentur, atque inter ipsas, quas mactaverant hostias, immolarentur. Quamvis enim frequens super universos rueret telorum seges, et ubique ferverent prælia, tamen sacerdotes sacrificandi ministerium solemniter obibant, nec feriabantur a commisso sibi munere; et quo in interioribus erant templi, eo
2 gravius perimebantur, quia tormento acta[2] vehementiores ictus habebant. Plerique etiam qui de ultimo orbe precatum venerant sperantes remedia salutis, quo magis templo inhæserant, eo majoribus periculis involvebantur. Cerneres externos cum civibus, sacerdotes simul et profanos jacere, graves cum turpibus, luxuriosos cum abstinentibus, con-
3 fusoque omnium promiscue[3] sanguine et quasi profluvio decurrente interiores ipsos stagnare templi recessus, in circuitu omnia cruore tumescere, ut plerique, dum se invicem propugnatores partium
4 petunt, lubrico offensi quasi satiaturi furorem[4] in sanguinem demergerentur. Nec sic vel periculis territi abstinebant tamen prælio tyrannorum satellites, et quo majus periculum, eo amplius desæviebat tempestas furoris: si iis gravius incubuerat exitium, alii quasi ad victoriam vehementius in-
5 nitebantur ut turbatos delerent.[5]

A 4. Et Eleazaro quidem vel Simoni cedendi potestas erat, ut quasi quibusdam vel horarum reparentur induciis. Johannes tamen semper in procinctu, momentis omnibus in certamine. Si superiores quieverant, urgebant inferiores ex parte Simonis; si hos proturbaverat,[6] Eleazarus infestabat. Nec 6
ipse tamen illos quietos esse patiebatur: ubi alios depulerat, in alios prosiliebat, pervigil in certamine et ipsa impiger crudelitate. Ubi parcebant telis, ignes jaculabantur, qui apprehensis tectorum
B fastigiis depascebantur domos, quæ refertæ frugibus ceterisque subsidiis alimentorum ad belli tolerantiam prolixioris, pariter exurebantur, majoraque pabula incendio dabantur. Ruebant ambusta materiarum, devolvebantur sublimium ædificiorum culmina.

5. Ita sanguine, incendio, ruina, fame totius urbis nervi succidebantur. Nullus locus periculo vacabat, nullum consilio tempus reperiebatur, nulla spes conversionis, nulla refugiendi copia erat. Mœsta
C omnia, plena horroris, plena immanitatis; ubique luctus, ubique pavor, ubique clamor mulierum, ejulatus senum, morientium gemitus, viventium desperatio, ut miserabiles eos diceres qui remanserant, beatos qui obierant.

CAPUT II.

Quomodo decepta es, civitas, populis tuis,
D quibus quondam videbaris beata! Quomodo expugnata es tuis armis, atque in te conversæ manus tuæ sunt, quæ solebas sine armis vincere, et sine ullo prælio hostem ferire, cum pro te angeli dimicarent, et militarent tibi fluctus maris, terræ hiatus, cœli fragores! Exsurge nunc, Moyses, et vide gentem tuam et hereditatem populi tibi crediti perire manibus suis. Adspice populum illum Dei, cui pervium gradienti mare patuit, cui esurienti escas cœlum Exodi XIV.
E subministrabat, sine mari clausum, sine Pharaone obsessum, sine terrarum sterilitate jejunum. Exsurge, Aaron, qui aliquando, cum propter offensam Dei omnipotentis mors plurimos populi depasceretur, stetisti inter viventes ac mortuos, et mors stetit atque objectu corporis tui hæsit lues, nec transire potuit ad contagionem viventium. Suscitare et tu, Jesu Nave, Ibid. XVI. Num. XVI, 47, 48.
qui muros inexpugnabiles Hiericho sacerdotibus
F tuba canentibus complanasti, et vide populum, Jos. VI, 20.
cui exteros subjecisti, nunc eumdem subjectum opprimi. Suscitare, David, exasperantem spiritum citharæ suavitate solitus excludere, et vide quemadmodum dominetur furor, atque omnem suavitatem psalmorum tuorum ex perditorum sensibus aboleverit,[7] et unusquisque de principibus 7

[1] Communis lectio, *Zenonis;* sed A, Am, C, Pa, Gualth., *Ezeronis;* conformiter vero Josepho, *Ezronis.*

[2] Vulgo, *acti;* sed *acta* in Am et C, et quidem conformiter Josepho: subintellige *jacula.*

[3] C habet *promisce,* ut apud Gellium *Præf.*

[4] Ita A, Am, C et cod. Gron. Vulgo, *quassati furore.*

[5] Ita Am et C; vulgo, *deferrent.*

[6] Ita Am et C, valde melius ac communis lectio *perturbaverant.*

[7] Ita A, Am, C, et cod. Doestensis, et pro vera lect. habent Gualth. in ed. 2ª et Barr.; item probat Gronovius. Vulgo, *obsoluerit.*

populum universum ad mortem offerat, ut libertatem extorqueat, pro quo te ipsum morti offerebas. Suscitare, Elisæe, qui hostem introduxisti in Samariam et amicum fecisti: per te in castris Syriæ quadrigarum increpuit fragor et vox equitum et vox virtutis; fugit hostis,
IV Reg. VI. evasit obsidionem Judæus. Ubi nunc ista merita, ubi nunc istæ operationes sanctorum? Nec mirum si amiserunt prophetarum opera, quod
1 negarunt prophetarum arbitrum.[1] Ideoque in te, Judæa, arma tua vertuntur, et orationes tuæ nihil tibi prosunt, quia fides tua nihil operatur; ideo adversum te factus est populus tuus, quia in te conversa est perfidia tua. Quod remedium quæritur, ubi auctor remedii non reconciliatur? Quid putabas futurum, cum tuis manibus Salu-
2 tarem[2] tuum crucifigeres; cum tuis manibus vitam tuam extingueres; cum tuis vocibus advocatum tuum exterminares, tuis infestationibus auxiliatorem tuum interficeres, nisi ut in te quoque tuas injiceres manus? Habes quod petisti; eripuisti tibi præsulem pacis, petisti necari vitæ arbitrum, concedi tibi Barabbam, *qui propter seditionem factam in civitate et*
Lucæ XXI I, 19. *homicidium missus fuerat in carcerem:* ideo salus abs te recessit, pax abiit, quies destitit, data est tibi seditio, datum excidium. Agnosce tibi hodie Barabbam vivere, Jesum mortuum. Ideo in te regnat seditio, pax sepulta est, ut crudelius a tuis pereas quam si ab alienis perires. Quid tantum tibi, miserabilis civitas, Romanus suis armis, quantum populus tuus ma-
3 lorum invexit? Ut cum Romanis pugnares,[3] tui fecerunt. Pacem volebant Romani; tu bellum
4 indixisti.[4] Quid causæ erat ut fortiores lacesseres? Durum sane quod contra legem sacram templum gentilis intravit; sed jam non eras Dei templum, non eras Dei civitas, nec esse poteras, quia eras mortuorum sepulcrum, et præsertim tuorum quos ipsa occideras, non quos ab hoste amiseras. Quomodo enim poteras vitæ esse domicilium, quæ eras mortis habitaculum,
5 diversorium[5] scelerum, latronum spelæum? Jacuerunt in te Ananus et Jesus insepulti sacerdotum principes, et illi dudum sacerdotalibus amicti stolis, qui venerationi etiam exteris fuerant, deformi jacuerunt cadavere, escæ volatilium et devoratio canum, membra laceri et tota
6 dispersi[6] urbe, ut deplorare veteris sanctitatis
7 species[7] videretur tantam sacri nominis contumeliam et speciosi quondam muneris defor-

A mitatem. Sed ipsa tibi hujus indignitatis exordium fecisti, quæ in medio sinu tuo occidebas prophetas, quæ lapidabas sanctos Domini. Ante templum Zacharias jacuit exanimis, jacuit inhumatus: hic ergo sanguis illum lavat. Quæ causa autem mortis Anano nisi quod increpavit populum tuum, quia non insurgeret pro templi defensione, quia expostulabat libertatem proditam, virtutem desertam, calcatas veterum sacrorum reliquias, commaculata altaria? Relin-
B quendum asserebat populum usu simulacrorum insensibilium et statuarum de marmore, nihil jam sentientem. Muta[8] enim animalia referre 8
solent vel vindictæ vicissitudinem, sentire injuriam, incitari aculeo, declinare verbera. Qui ergo nec excitatur, nec declinare novit quod noceat, similis est non sentientibus. Et revera ubi est illa libertas tua, cujus studio quondam non Ægyptiis, non Palestinis, non Assyriis, postea non Medis cedendum æstimavisti? Ubi
C est illa Machabæorum fides, quæ quondam in paucis fudit Babylonios, Persas fugavit, Demetrium perculit, ad postremum in parvulis et mulieribus Antiochi arma, gladios incendiaque superavit, et pro observatione patriæ[9] mori 9
maluit quam regis imperiis obtemperare? Ubi est illa devotio[10] patrum pulcherrima passionum 10
omnium, qua se non pro liberis, non pro conjugibus magis quam pro templo Dei morti offerebant? Ante et virga sacerdotalis floruit recisa
D de silvestri radice; nunc et fides aret, et sepulta est pietas, et abiit omnis virtutis æmulatio. Nec mirum si populus, qui a Deo recessit, et improbum contradictionis spiritum sequitur, in seipsum divisus est. Quomodo enim pacem suam tenere poterat qui pacem Dei repudiavit? *Pax Dei Christus est qui fecit utraque unum.* Merito Ephes. II, 14
ergo ex uno populo plures adversum se facti sunt, qui noluerunt sequi divisa sociantem Jesum, sed secuti sunt conjuncta dividentem fu-
E roris spiritum. Solvebas igitur, Hierusalem, mercedem perfidiæ tuæ, cum ipsa tuis manibus destrueres munimina tua, cum tuis mucronibus foderes viscera tua, ita ut hostis misereretur tui, et tu occideres; ut ille parceret, et tu sævires. Videbat[11] enim quod Deus adversum te pugnaret, 11
et Romanorum fungeretur partibus, ut ipsa tibi inferres voluntariam proditionem; et ideo exspectatores malebant esse Romani quam percussores, ne furentibus[12] tuis inter se visceribus 12
F manum admovere contagionis magis quam for-

[1] Nempe prophetarum dominum, idest Jesum Christum. Unde perperam Weber marte suo immutavit *arbitrum* in *arbitrium*.

[2] Communius, *Salvatorem;* C, *Salutare;* codex Gronovii, *Salutarem*, quod ille jure præferendum putavit, et mori ambrosiano etiam conformius est.

[3] Vulgo *impugnares;* sed melius Am et C, ut in textu.

[4] Ita lectio communis et C. Sed Gualth. in ed. 2ª et Barr. vellent lectionem genuinam esse *induxisti*, ut in Am.

[5] Hic et cap. 16 C, *devorsorium*, quod a *devortor*, antiquior forma pro *divertor*, et forte genuina est lectio.

[6] *Dispersa*, vulgo. Sed melius C, *dispersi*, ut pro vera etc. habent et Gualtherus ed. 2ª, et Barrensis.

[7] Idest supremi sacerdotii sanctitas.

[8] Vulgo, *multa;* sed *muta* exigit contextus, habet C, et veram reputant lectionem etiam Gualtherus, ed. 2ª et Barrensis.

[9] Gavantus supplevit hic *legis*, quæ tamen vox deest in mss. et præcedentibus edd.; ideo intelligendum, juxta documenta, de patriæ cultu in genere, licet contextui vox *legis* optime conveniret. Am, *patria*, quod forte melius, ut adjectivum, nempe pro patrio cultu custodiendo.

[10] C, *devotatio*. Forsitan vox lexicis adjungenda.

[11] Ita Am, C et Pa, nempe *hostis videbat;* valde melius quam vulgo, *videbas*.

[12] Vulgo, *ferventibus;* sed recte, *furentibus* Am et C, uti censent etiam Gualth. et Barr.

titudinis æstimarentur. Ad hæc nefandæ cædis supplicia accedebat impiæ immanitas crudelitatis, ut sepulturam omnibus, qui vel in templo necati fuerant vel circa urbis plateas, negarent; nec humare cuiquam vacabat dum bello inter se occuparentur, feriendique magis quam humandi cura universos tenebat. Ita quodam furore occiderant pietatis officia, crudescebant impietatis ministeria, nihilque magis in tantis calamitatibus perierat quam misericordia, quæ sola solet ablevare miserias, solari ærumnas. Namque et ii qui amiserant suos, non audebant humare propter formidinem, cum gravis terror ingrueret a diversæ factionis principibus, et ii qui necaverant alienos, cavebant ne quis illos præriperet ad sepulturam. Itaque necesse erat omnes timere ne quod alteri donare vellent, id sibi sumerent; vel quod pejus est, quem paraverant aliis usum sepulcri, eum ipsi non impetrarent. In templo igitur ipso pro unguentis
1 bene olentibus, pro thymiamateriis[1] bene spi-
rantibus, pro diversorum florum odoribus gravis erat insepultorum cadaverum fœtor, quos pluvia
2 dissolverat, quos flamma ambusserat,[2] quos sol calefecerat. Omnes artus cæsorum civium dirum odorem fœtebant: hinc resolutorum putredo viscerum; inde exustorum nidor, sensus omnes atque ora complebant viventium, ut ipsi non multo post graviore morbo consumerentur, ac se superstites ingemiscerent, quod duriore pœna perirent, eoque reservatos ut viderent cum patria simul solvi etiam leges naturæ, negari jus viventibus, pacem civibus, sepulturam defunctis, humana pariter atque divina maculari ac pollui, permixta omnia, criminosam esse misericordiam, religionis loco haberi crudelitatem. Castrum in templo, bellum in limine, funus in altaribus, ea se spectare oculis quæ prophetis denuntiantibus non credidissent futura. Nonne de ipsis dixerat David: *Polluerunt templum sanctum tuum, posuerunt morticina servorum tuorum escam volatilibus cœli; effuderunt sanguinem eorum velut aquam in circuitu Hierusalem et*
Ps. LXXVIII. 1-3. *non erat qui sepeliret?* Simul enim tunc et gentes venerunt in hereditatem Dei, quæ auferrent omnia, et templum pollutum est suorum funeribus, et insepulta jacuerunt cadavera interfectorum ad escam avium et bestiarum voracitatem. Effusus sanguis ut stagnaret in templo, deesset qui sepeliret, quia a viventibus in mortuos, a mortuis in eos qui adhuc viverent furor transferebatur. Volebat aliquis defunctum humare? Ipse extinguebatur, et qui defunctum occiderat, in sepultorem transferebat iracundiam: ut illi sepulturam negaret, hunc extin-

A guebat. Rursus qui sepultorem occiderat, majorem crudelitatem circa defunctum exercebat, ut jam nihil debentem odio, non sentientem supplicia spoliaret supremo naturæ debito. Quid illis aliud accidere poterat, qui divina non recipiebant oracula? Irridebant prophetarum annuntiationes, fas omne calcabant, non credebant futura, quæ ut fierent, ipsi acceleraverunt. Erat enim sermo vetus et frequens, tunc perituram urbem Hierusalem[3] et sancta ejus exurenda, 3
B cum seditio belli legem incesseret, et domesticæ manus templum Dei contaminarent; sed ne hoc quidem intellexerunt. Quoties enim excisa domus Dei, quoties seditio, quoties obsidio, quoties bellum, et numquam illa urbs periit, nisi quando verum templum Dei domesticis manibus crucifixerunt! Quod illud templum? Audiant: *Solvite hoc templum, et in triduo resuscitabo illud.* Quid enim aliud nisi sacrilegium Joan. II, 19.
fuit, cum impias manus extenderent in Auctorem salutis, cum lapidarent, cum verberarent, C cum corriperent, cum occiderent? Tunc vere sancta eorum absumpsit ignis divinus. Nam et exusta a Babyloniis, reparata postea; destructa a Pompejo, reformata iterum; sed penitus exusta ubi Jesus venit, et Spiritus divini calore resoluta evanuerunt. Oportuit uberiore quadam deploratione præire nos funus quoddam paternæ solemnitatis, et velut quasdam exequias prosequi ac solvere justa[4] majorum institutis. Sed 4
D veniamus ad exordia[5] obsidionis Hierusalem. 5

CAPUT III.

1. Reverterat in Judæam Titus, et paucis diebus interpositis, ut replerentur ordines militarium numerorum, de quibus lecta manus missa fuerat in Italiam, bellum adolebat festinans comitari patrem, ne in pericula solum dimitteret adversum Vitelliana arma præliaturum. Movit itaque iter magno decore exercitus sollicito ubique et parato agmine,
E suspectus[6] insidias, quia virtute se superiorem 6
videbat. Venit per Samariæ loca; suscepit eum Gophna,[7] quæ ad Romanos jamdudum concesserat. 7
Ventum in Aulonam,[8] unde aberat Hierosolyma 8
stadiis triginta, nihil amplius. Inde assumptis equitibus numero sexcentis, perrexit equitatum ante urbem, exploratum quoque loci situm, munimentorum qualitatem, murorum altitudinem, studia plebis, quæ ferebatur latronum armis premi, et factionum stipamine circumveniri, ut invita adquiesceret obsidioni, quominus voluntatem suam
F erga Romanos proderet si libertas daretur. Speciose igitur cum paucis equitabat in aggere[9] publico qui ad muros urbis dirigebatur, nec quisquam est visus progredi.

2. Verum ubi ad obeundum murorum circuitum

[1] Ita Am, C, Gualth. in ed. 2ª, Pa. Vulgo, *thymiamatis.*

[2] Ita Am et C; communiter, *combusserat.*

[3] Ita Am. C ac Pa; *Hierosolymam,* vulgo.

[4] Ita C, ac valde melius quam vulgo, *juxta,* quod sensum aptum non daret.

[5] Communiter, *exordium;* Am et C, *exordia,* quod pro vera lectione habet et Gualth. ed. 2.ª

[6] Vulgo, *suspectans*; sed Am, C et cod. Gron., *suspectus,* quod etiam cap. v.

[7] Ita ex Josepho; vulgo, *Gosna.*

[8] Vulgo, *Aulanam,* sed recte *Aulonam* ex Josepho, qui nomen habet integrum Ἀκανθῶν αὐλῶνα, id est, *Spinarum vallem.*

[9] Notat Mazochius pag. 797, idem significare ac *viam,* quæ aliquantum elata esset a solo.

flexit equum in latus, cum cetera turma[1] sequeretur ducem, erupere subito plerique de loco qui appellabatur contra Helenæ sepulcrum, et exilientes occupaverunt iter, ut intercluderent majorem equitum partem quæ Titum sequebatur. Ipse cum paucis præterierat consulto insidiantium, ut destitutus a ceteris facilius opprimeretur, quia neque ad suos regredi facile erat propter insertam hostium multitudinem, neque progredi ulterius fossæ[2] aut vallum sinebant, ceteraque locorum impedimenta, quibus anceps periculum inferebatur.

CAPUT IV.

1. Videns itaque in virtute sola[3] positum sibi remedium salutis, nec aliter nisi ferro iter aperiendum; jam enim alii reflexis equis discesserant, dum et ipsi imperatoris filium sequuturum sperarent, convertit equum hortatus clamore ceteros ut sequerentur, et super hostem irruit. Impossibile hoc videretur quomodo potuerit evadere, nisi notum esset in bello plurimum audaciam posse, quæ vel sola sibi murus est; deinde quia aliis pone sequentibus, vile vulgus sibi magis in periculo consulendum putabat quam hostem persequendum, ac si quis manum extendebat ut equum teneret, feriebatur. Denique duo tantum ex Titi sociis interfecti: cum reliquis imperatoris filius ad suos revertit. Neque sane dubitandum videtur, quod intecto capite, nudus cetera, utpote qui in excursu processerat non ad bellum paratus, nec galeam neque loricam induerat, eo nihil exceperit vulneris, cum maxime in ipsum tela jacerentur, quod ad excidium urbis illius vir tantus reservaretur. *Est, est* profecto *cor regis in manu Dei.*

Prov. xxi, 1.

2. Itaque ne cresceret audacia Judæis eventu fraudis et doli, profectus ad urbem cum exercitu, post noctem redit, et de specula quadam, unde civitas prospectaretur et templi magnitudo amplissima, demonstrat suis cum qua urbe sibi bellum foret; impigros et cautiores esse oportere quod innumerabilis sibi populus expugnandus foret et fraudi paratus. Ordinat qui muris ordines appropinquarent, et quos adhuc fessos nocturno itinere cognoverat, quasi subcenturiatos eminus locat: paulatim proceditur.

3. Ubi ventum ad montem Oliveti, vallis sub ipso media inter eum atque urbem interjacebat, cui nomen Cedron, ubi constitutum exercitum de muris adspicientes, nam sex stadiis aberat, seditionis ad tempus studia deposuere, et externis hostibus advenientibus domestico fœdere sequestrata civilium bellorum certamina. Plerumque enim etiam acerba odia metus conprimit. Denique cohortati sese invicem factionum viri, ut in unum conspirantibus studiis patriam defensarent, ne eorum discordia incruentam Romanis victoriam daret, freti numero hostem subito adoriendum putaverunt, et improvisa eruptione primos turbavere. Sed ubi se Romani ipso usu veteri et diversorum generum præliis exercitati confirmavere animis, ordine suo nixi[4] cædere incursantes cœperunt, scutis repellere, proturbare jactu telorum, haudquaquam tamen sine communi exitio. Et prope jam incubuerant Judæi, et nutabat acies romana, nisi cognitis rebus advenisset Titus, et occurrens adversariis, confirmans suos, reparasset prælium, et erexisset animos militum increpans romanas acies confusæ multitudini non sine maximæ ignaviæ probro victoriam cedere; repulsisque Judæis, qui etiam in valle divisos insectabantur, ad suos se victor recepit, securusque suffragii, quod loci superioris adversum inferiores, si tentarent congredi, subsidia dabat, ad aliam se partem romanus exercitus convertit.

4. Discedente[5] Cæsare infundunt se Judæi de muris, et ingenti agmine supra hostem irruunt, ita ut innumeræ concursu multitudinis milites fugerent, ac sese ad montium conferrent superiora: nudato latere, etiam ceteri qui prælium mallent, fugere. Interea Cæsar in medio situs, orantibus plerisque, ne se periculis daret, atque exercitu disperso summam periculi solus subiret, cum dominus esset orbis terrarum (non enim ut ante vice militis pugnaret, sed imperatoris, in cujus periculo pernicies esset universorum), non adquievit; sed militiæ decus præponens saluti, apud quem gloriosa mors vitæ opprobrio præponderaret, adversum pectus hostibus refert, territisque quos adversum ierat, in alios sese retorquet. Sola enim specie sui et nimis notæ atque alacris fortitudinis gloria proturbat[6] hostem. Cedebant itaque quos accesserat; sed ex aliis partibus Judæi magis magisque infundebantur, ac pene concluserant Titum, nisi quia plerique militum videntes in medio belli versari Cæsarem, conclamaverunt ceteris significantes imperatoris filium periculis non relinquendum. Sic universos revocavit pudor, atque armavit metus, ne deserti Cæsaris ignominia inurerentur; conversique in Judæos, nisu omni ac virtute inconditam multitudinem in vallem urgebant, nec difficile fuit ascendentes relabi. Sic Titus fugientem numerum militarem his revocavit a fuga, periculoque pariter exuit et opprobrio, virtute pari usus et ad postremum pudore, qui dum ignaviam declinat, virtutem invexit; primum ne Cæsar relinqueretur, post etiam ut hostis repelleretur.

CAPUT V.

Post hæc ubi forense[7] prælium paulisper quievit, internum successit. Namque paschalis interventu celebritatis subornatis plerisque Johannes, qui quasi observationis gratia templum adirent, et tamquam sociis data ingrediendi copia, dolum patravit. Ingressi enim specie civili sed interius armati, rejectis exuviis, gladios attollunt loricato pectore et præliari accincti munimine. Quo terrore perculsi qui intra templum inermes celebritati vacabant, exilierunt, templumque vacuum dereliquere. Eos illis sequutis, et quos potuerunt comprehendere jugulantibus, alios ultra templi circuitum persequentibus, irrumpendi Johanni sociisque ejus occasio data. Cæsi illic multi mortales, ita ut etiam qui non restiterant, affictis causis aliquibus jugu-

[1] Ita A Am et C, Gualth. in ed. 2ª, ac Barr. conformiter Josepho. Vulgo, *turba.*

[2] Ita Am et C; vulgo, *fossa.*

[3] Vulgo, *sua;* sed Am et C, Josepho conformiter, *sola,* quod et Barrensi probatur.

[4] Ita Am, C, Gualth. et Barr. Vulgo, *newi.*

[5] *Descendente* pro vera lect. habent Gualth. in ed. 2ª et Barrensis.

[6] Ita C ac Pa; Am, *proturbabat;* vulgo, *perturbat.*

[7] Nempe *extemum,* ut pluries Ambrosius, quod Mazochius exemplis ostendit pag. 791, nota 610. Desunt autem in Am et C præcedentia *post hæc.*

larentur, nec tranquillitas quietis proderat, nec silentium tacitis, nec cedentibus patientia; comprehensisque interioribus templi, etiam Simoni
1 inequitabat[1] Johannes, in secundarium locum Eleazaro ceterisque principibus factionis tertiæ sibi subrogatis.

CAPUT VI.

Tertio quoque Titus progreditur in hostem atque exercitum producit; adveniensque offendit stipatam Judæorum ante urbem multitudinem specie volentium se Romanis tradere, sed quasi reformidan-
2 tium. Suspectus[2] dolum et maxime quoniam proxime conspiratos inter se et pertinaces viderat,
3 non arbitratus credibile subito[3] mutatos, admonuit milites fraudem cavendam, nec temere nisi secundum præceptum suum conferto agmine muris appropinquandum, ne a tergo illi, qui urbem egressi fuerant, circumfunderentur. Subito de civitate increpuit sonus, et quædam seditio dementer resultavit aliorum egressionem voluntariam simulantium, aliorum etiam resistentium; quod illi aperiri portas sibi poscerent, hi clausas servari juberent; alii bellum, alii pacem optarent. Militum vulgus ad subveniendum iis, qui subveniri sibi de muris postulavissent, proripi sese: egrediuntur plerique
4 præscriptum[4] sine ordine, sine ullo modo tamquam occursuri advenientibus, atque auxilium laturi, ut propiore remedio pluribus erumpendi confidentia tribueretur vel resistentibus metus, aut inter luctantes erumpendi sibi copia. Quibus se a tergo circumfundere cœperunt qui foris stabant, urgere circumventos: illi quasi ad murum confugere nihil suspectantes ab iis qui pacem prætenderent. Inde
5 quoque saxa et tela dejici,[5] et subito ficta pax versa in prælium. Inde conciti in hostes recurrunt, qui etsi circumvenire tentaverant progressus militum romanorum, tamen metuebant et ipsi ne ab omni exercitu circumvenirentur. Itaque dum universos cavent, illos licet plurimis vulneribus impressis et ipsi majore ex parte saucii prope de manibus amisere, quos jam captos putabant. Sequuti tamen usque ad Helenæ sepulcrum, sicut moris est insultantibus clypeis concrepabant, illudentes Romanis quod eos jam secundo insidiis circumvenissent.

CAPUT VII.

1. Cæsar commotior regredientes misceri ceteris vetat, et concionem advocat dicens: Magna cum sit virtus romana, præstans universarum gen-
6 tium populis, maxime tamen ea præcellit[6] dispositionis ordine et præceptorum obedientia: ea est enim disciplinæ militaris custodia. Nec mirum si Judæi dolos intexant, fraudes instruant, qui se judicent impares fortitudine. Sed ut inferiorum est niti insidiis; sic fortium cavere ne virtuti illudat dolus. Mirari itaque se, quod illi in desperatione
A sibi congruant, Romanis non conveniat in meliorum processu; eoque fieri ut illis effectus fraudis in vado sit, nobis virtutis conatus in ambiguo. Quodsi validior esset fortitudo hostium quam fraus, superari minus flagitiosum: a paribus enim aut fortioribus vinci opprobrio vacat. Cum vero nihil in nobis offendat nisi sola pugnandi immoderatio et propera[7] quædam manuum intemperantia, quid 7
nequius potest esse quam præsente Cæsare disciplinam militiæ repudiari? Multum arbitror ipsas
B ingemiscere militiæ leges tantæ dissolutionis flagitio; multum imperatorem cum hæc compererit, qui semper audiri se a milite suo quam timeri ab hoste maluit: obedientia enim militis effectum properat; metus hostium differt victoriam. Quid judicaturum de filio patrem putatis, cujus tam vile imperium sit apud exercitum? Pronuntiatur enim de duce, cujus præceptum dissolvitur; nec dubium quod sæpius vindicatum sit in eos qui contra imperium in hostem pugnaverint, quam in eos qui
C secundum imperium progressi, virtuti cesserint: nam legibus egredienti ordinem præscripta mors est. Quid igitur futurum ubi non unus, sed passim exercitus relinquit ordinem suum et statutum ducis negligit? Cognoscite vos milites esse romani imperii plebis senatusque, apud quos sine præcepti auctoritate et vicisse crimen est.

2. Hujusmodi oratione perterruit non solum præpositos militum, sed etiam universum exercitum. Nam cum ipsos principes ordinum acrius peteret,
D videbatur in omnes vindicaturus. Circumfusi itaque omnes rogabant ut paucorum culpa qui primi destiterant, universis concederetur. Etsi non fuit properus ad delicti gratiam Cæsar, non fuit tamen inexorabilis ad indulgentiam. Concessit cum summo pondere dicens: donare se omnibus, satisque in universos vindicatum invectionis auctoritate, eo quod animadversio in singulos usque ad factum procedere debeat, in multitudinem verbo tenus; illa usque ad pœnam, ista usque ad correptionem:
E sæpe enim bonis exercitibus præliares lapsus futuris virtutibus causas dedisse.

CAPUT VIII.

1. Post hæc Titus in hostem iram convertit, et considerans inter tot præcipitia, tot prærupta periculosam obsidionem, cum repentinis eruptionibus præventi non haberent milites quo referrent gradum, unde se in hostem proriperent, ubi ma-
F chinas constituerent, jubet repleri ante urbem præcipitia. Quæ cum fierent, ne sic quidem Judæi exsortes erant præsentium periculorum: afflictabantur domestico prælio, cum Romani replendis præcipitiis occuparentur.

2. Nec exigua manus partis utriusque. Decem millia cum Simone erant, et quinquaginta eorum duces. Idumæi quoque ad quinque millia Simonis partibus adstipulabantur, quibus præerat Jacobus et Simon junior. Johannes autem interioribus templi

[1] Ita Am ac C, nempe *supereminebat*, ut Macrob. *Sat.* VII. Vulgo, *Simonem inquietabat*, quod non bene respondet contextui.

[2] Ita Am C et codex Gronovii, qui lectionem probat. Vide et initio cap. III. Communis lectio, *suspicatus*.

[3] C, *tam facile*, pro vulgato *subito*.

[4] Id est, *violant præceptum* de quo supra. Ita Am ac C, conformiter iis quæ in seq. cap. leguntur: *Legibus egredienti ordinem præscripta mors est.* Vulgo, *præruptim*, ex errore.

[5] Vulgo, *injici*; C mendose, *dejecit*; *dejici* veram lectionem habuere etiam Gualtherus et Barrensis.

[6] Ita Am, C et P, melius quam communis lectio *præcedit*.

[7] Vulgo, *propria*; sed Am et C, *propera*, valde melius, ac ut vera lectio habetur etiam a Gualth. et Barr.

ea fraude, qua supra diximus, occupatis, sex millibus armatorum stipatus bellum accendebat. Adjuncta sunt et ei duo millia cum aliis quadringentis viris, posteaquam coire cœperunt studiis concinentibus ad urbis defensionem, Eleazaro et Simone
1 Arin,[1] quibus et ante utebantur rectoribus. Quibus certantibus inter se, præda erat in medio populus eorum qui vicerant, et quasi præmium certaminis huc atque illuc pro eventu vario transferebatur. Paulisper inter se convenerant more induciarum, et ad primum Romanorum impetum expergefacti, in veterem morbum febris internæ ægris visceribus recidebant ubi remissior erat exteriorum morborum accessio. Foris erat plerumque bellum: intus seditio eo jam gravior, quia et ipsa seditio bello alebatur et bellum alebat. Duo de potentia certabant; populus inter utrumque non de servitute anxius erat, sed ne ad dominum deteriorem perveniret.

CAPUT IX.

1. Urbem Hierosolymam Chananæorum quidam potens condidit, qui patrio sermone voca-
2 retur Rex justus,[2] quam primo Solymam nuncupavit, postea templum addidit, unde Hierosolyma dicta civitas est. Ea a principio suos incolas habuit de gente Chananæorum. David primus vir gentis hebrææ Chananæos expulit, constituit suos, qui in ea domum sibi regiam fecit. Voluit et templum Deo condere, sed prohibitus oraculo, Salomonem heredem reliquit, qui templum, quod ipse voluerat, ædificaret. Salomon; itaque templum fundavit, reliqui quoque reges ad ornatum urbis addidere plurima. Invidia ex magnificentia orta.

2. Inter omnia tamen opera templum præcellebat amplissimo opere et fulgenti marmore,
3 in quo erat[3] peripetasma pretiosum et maximum cocco et hyacintho byssoque intextum et purpura, non otiosa materia tantæ diversitatis, sed
4 cujus species mysteria[4] rerum latentium significaret, eo quod ejus esset templum qui cœlo et aeri, terræ et mari quasi creator elementorum dominaretur atque omnia solus regeret et gubernaret. Cocco enim igneum cœlum figuratur, hyacintho aer, bysso terra quod in ea nascitur, purpura mare quæ conchyliis maritimis inficitur, ut duo ex colore, duo ex gene-
5 ratione colligas.[5]

3. Denique princeps sacerdotum hæc quatuor indumento suo exprimere consueverat, quando maxima celebritas erat festorum dierum, quasi totum mundum indueret pro populo supplica-
A turus in ejus figura, qui venturus erat princeps sacerdotum Jesus, et tolleret peccatum mundi. Femora princeps sacerdotum lineo interius operimento tegebat eo quod præ ceteris in sacerdote fides mentis quæritur et corporis castimonia, quæ succingere debeat carnis intemperantiam. Duo erant tabernacula sacra, unum interius, alterum exterius. In hoc semper introibant sacerdotes; in illud interius, quod secundum
B appellabatur, semel introibat princeps tantummodo sacerdotum non sine sanguine, quem offerret pro se et pro populi delicto, hoc significante Spiritu sancto venturum Jesum, qui vere solus intraret interiora divinorum penetralia sacramentorum et arcana substantiæ cœlestis; qui nosset omnia solus, solus quoque Patrem sanguine suo toti mundo reconciliaret ut et cœlestium et terrestrium misereretur. Denique
C posteaquam venit, *pacificavit omnia per sanguinem crucis suæ, quæ vel in terra, vel in cœlo sunt.*[6] 6

4. Intus thymiamaterium, intus mensa, intus lucerna: thymiamaterium, quod ita ad Deum Patrem, *sicut incensum, dirigatur maximi sacerdotis oratio;* mensa, quod in ea Christi passio sit et mysteria sacramentorum, unde et David dicit: *Parasti in conspectu meo mensam,* cujus
D velut duodecim panes duodecim Apostoli testes sunt passionis ejus ac resurrectionis. Lucerna, quæ supra candelabrum ponitur, ante sub modio erat, id est sub legis mensura; nunc est in[7] gratiæ plenitudine heptamyxo[8] fre- 7 8
quens lumen effundens, eo quod Spiritus sanctus septem maximarum gratiarum virtutibus Dei templum illuminet.[9] Trinitatis igitur cognitio 9
in interioribus erat templi, quæ dicebantur
E sancta sanctorum, ubi reposita quondam virga Aaron floruit, quod gratia sacerdotalis in Christo amplius esset operatura post mortem qua mundum redemit. Ante templum erant quatuordecim gradus, per quos Ezechiæ regis tempore umbra ascenderat, significans ei vitæ finem futurum. Sed oraculo monitus oravit, et meruit mortis dilationem hoc indicio, quod iisdem gradibus sol refunderetur, qui significaret tot numero
F annorum commeatum ei vitæ refusum.

CAPUT X.

1. Cum igitur munita esset undique civitas plurimorum regum operibus et maxime Herodis, qui castrum, cui nomen Antoniæ, ad summi operis magnificentiam communivit, et amplissimo ornavit

[1] Ita C, Am, *Arini;* vulgo *Arim;* Joseph., τῶ Ἀρί.

[2] Scilicet *Melchitzedech,* vulgo *Melchisedech.*

[3] Edd. habent hic *deambulatorium, peripetasma,* etc.; sed *deambulatorium,* quod est versio græcæ vocis *peripetasma,* deest in præstantioribus mss., ideoque eam vocem omisimus.

[4] Vulgo, *materiam,* sed C et Am, *mysteria;* alii mss., *mysterium.*

[5] Superiora repetit Ambrosius initio libri II *de Fide,* nn. 11 et 12; serm. XVIII *in Psal.* CXVIII, n. 22, ac lib. *de Tobia,* n. 77.

[6] Item superioribus valde affinia occurrunt apud Ambrosium lib. I *Comment. in Lucam,* n. 22; et aliis quæ sequuntur æque consona sunt quæ occurrunt in epist. IV ad *Felicem,* n. 3, lib. VII *in Lucam,* n. 98, et in *Apologia altera David,* n. 49.

[7] Vulgo, *sub;* sed C et Pa, *in,* majori proprietate dictionis.

[8] Communiter, *heptamycho;* sed codex Gronovii, *heptamyxo,* cui congruit C et Am, *heptamyxto* (non sine mendo); significat autem *septem narium,* idest canalium quibus per oleum ascendens alebatur flamma in candelabro. Ita in Carmine *de Sodoma,* quod Tertulliano tribuitur: *Si denique testæ* (lucernæ figulinæ) *luciferam narem sistens.*

[9] Ita C, et pro vera lectione habent quoque Gualterus et Barrensis. Vulgo, *illuminaret.*

decore, circuibat Cæsar requirens, qua ex parte se posset facilius urbi infundere; inspectoque per totum circuitum muri ambitu, æstimavit in finitimo tumuli, quo sepultus jacebat princeps sacerdotum Johannes, adoriendam obsidionem. Cui diligentius exploranti adhærens unus ex amicis Nicanor studiosius intendens muneri, sagitta percussus cadit. Propius quippe accesserat, dum putat aliquem profectum fore pacis futuræ, si sibi conserendi sermonis daretur copia, qui[1] potens ac validus ad tentandos audientium animos æstimabatur. Commotus Cæsar quod ei qui salutaria suaderet, improviso vulnere mortem irrogavissent, in prælium cogit agmina, bellumque accenditur jactu telorum diverso missibilibusque maxime; admoventur arietes, queis feriuntur valida murorum.

2. Quo perturbati omnes qui ante de dominationis inter se studio certabant, in concordiam coeunt, dataque impunitate superiorum, unum corpus sese fecere, et conspirati cogente periculo urbem tuentur. Progressi quoque ad tumulos,[2] ignem supra machinas jaculabantur, ut destruerent aggeres, exurerent vineas, arietes incenderent.

3. Ac pene omnia machinarum genera exusserant, nisi plerique militum et sociorum, maxime ex partibus Alexandrinæ urbis, strenue repugnavissent. Quibus tamen valide resistentibus addidit Cæsar adjumentum equitum potentiorum; ipse quoque acriter pugnans sternit duodecim adversi agminis pugnatores. Ita vis multitudinis reliquæ exitium declinans, in urbem revertit, et ab incendio romana opera defensa. Cecidit eo prælio Johannes ductor Idumæorum; dum ante muros cognito sibi romano militi sermonem conserit, ictus terga sagittæ vulnere, continuo labitur. Arabem ferunt peritissimum de jaculatoribus ejus obitus auctorem; gravique mœrore affectos Idumæos, quod virum et manu promptum amiserant, et bonum consilio.

CAPUT XI.

1. Sequenti nocte accidit ut tres turres, quas Titus attolli jusserat supra aggerem, quo Judæos vel ex æquo, vel ex superiore spiculis figeret, subito nulla vi hostium ruerent. Quo sonitu Romanorum exercitus omnis turbatur ea opinione, quod ab hoste destructos aggeres, succisas turres arbitrarentur, quæ ruentes ingentem late stragem dedissent. Ac pene admissum erat facinus miserabile, ut victores incertis per noctem hostibus fuga cederent, nisi quod tenebræ ruinaque ipsa excito pulvere prospectum ademerant, ut quo fugerent incertum haberent. Quærebat unusquisque de proximo quid accidisset, nec cognoscere veri poterat fidem, quia similiter ab omnibus ejusmodi casus ignorabatur, donec Cæsar, rebus compertis, insinuari præciperet, id quod acciderat, casus repentini, non ullius hostilis fuisse irruptionis.

A 2. Sic sedatus pavor, et expugnandæ urbis subsidium omne in viribus locatum. Nam cum altissima murorum essent, et pleraque ferro aut ære operta, atque ipsa altitudine hostes a jaculis defenderentur, Romani admovere arietum machinas, quorum ictu frequenti muri valida[3] laxabantur, inniti levioribus spiculis cœpere et sagittis, ut propugnantes averterent, impedimenta prohibentium detorquerent. Sic paulatim quatientibus murus cedebat,[4] unde majorem ipsum arietem excisorem B urbium Judæi appellaverunt. Soluta itaque parte murorum, dereliquere Judæi muri ipsius propugnacula securi, quod duos alios muros interiores haberent, et concessere ad murum secundum. Illis fugientibus, Romani ingredientes per cava muri, portas aperuere. Sic intromissus omnis exercitus, pene[5] diruit murum exteriorem, ne bellantibus esset impedimento, aut si res adversæ forent, claustrum refugientibus.

C

CAPUT XII.

Diviserunt sibi loca Johannes et Simon conjurati circa murum secundum. Johannes cum suis in castro, cui nomen Antonia, præliabatur: ei propinqua erat porticus templi, quæ vergebat ad partem septemtrionis; nam et ipse locus, in quo castrum postea Antonii vocabulo conditum, duas interjacens porticus, septentrionalis hoc est Baris[6] nuncupabatur. Simon vero ad Johannis sepulcrum D vicem tuendæ urbis susceperat. Iis pro salute, Romanis de[7] victoria certamen erat; quibus etsi virtus potior ad congrediendum, locus tamen inferior ad obsidionem, cum eos de muro gravaret prælium. Temeritas Judæis insolentior; fortitudo Romanis acrior erat. Imminebant partibus duces, eoque major oriebatur contentio, dum quisque suis ductoribus pericula sua gestit probare. Simon suos urgebat terrore et formidine; Romanos Titus pudore sui quam maxime conveniebat, quod morte E gravius arbitrabantur non exhibere pericula sua Cæsari, cum ipse toties pro exercitu periculis offerre se non dubitavisset. Armabat eos vincendi consuetudo et cedendi ignorantia, præcipueque præsens uniuscujusque virtutis arbiter Titus, a quo non remuneratio fortitudinis expectabatur, sed supra omnia fructus amplissimi erat præmii, illo spectante quidquam strenue gessisse, quod ei non displiceret. Eo incentivo Longinus, equestris militiæ vir excitus, adversas pro muris videns F Judæorum catervas, tamquam indignatus quod Romanos bello lacesserent, et ex æquo prodire auderent, desilivit equo, atque in medios se injecit hostes. Et unum in ore[8] ipso parantem occurrere telo percussit, simulque ejus vocem et animam rapit;[9] alteri ereptum de corpore prostrato telum infigit, et ad suos victor sese recepit. De præeminentibus loquimur: ceterum multi imitatores utraque ex parte, sed diverso genere; Judæis despe-

[1] Ita vulgo; sed Am et C, *cujus*, nempe *sermonis*, ipse Nicanor potens, etc.; quæ lectio etiam a Gronovio probata fuit exemplis e Livio et Seneca, pag. 232, nec non ab Arntzen. ad *Paneg. vet.* pag. 677. Optionem lectori relinquimus.

[2] Ex Josepho muri intelligendi sunt.

[3] Ita C et communior lectio, quam retinendam putamus ut contextui magis respondentem quam lectio *valide* editionis Pa, quamque et Gualth. in ed. 2a, et Barr. pro genuina habuerunt.

[4] Ita Am et vulgo; C, *cadebat*.

[5] Am ac C, *penitus*; sed lectio vulgata *pene* magis congruit Josepho, qui ait *multum* eversum esse muri.

[6] Ita et lib. I, cap. 5. Hic vero lectio communis est *Brios*. Am, *Borius*; C, *Uarios*. Sed e *Barios* fieri potuit et *Baris* et *Brios*.

[7] Vulgo, *pro*, sed C, *de*; quæ lectio pro vera habita etiam in 1a Gualtheri.

[8] *More*, vulgo; sed *in ore* Am et C congruenter Josepho, quod et pro vera lect. habent Gualth. et Barr.

[9] Ita communiter cum C; Am, *rapuit*.

ratio audaciam dabat; Romanis gloriæ cupiditas virtutem addebat. Par tamen imparibus animis mortis contemptus: Judæi solatium putabant cum hoste commori; Titus festinabat conficere bellum, sed sine suorum dispendio, qui etiam ipsos hostes servare omnes, si posset, quam perdere malebat. Nec aliud monebat militem nisi consulto bellandum; eam solam esse veram virtutem, cui comes sit providentia: nam sine consilio fortitudinem temeritatem posse videri, nec usquam magis cavendum quam in victoria. Perire enim cum inferiore superiorem, victi triumphus est. Consulendum itaque ne videatur eventus fuisse quod vicerit, ignaviæ quod consortium periculi non evaserit. Jubet itaque arietem admoveri ad medium muri septemtrionalis.

CAPUT XIII.

Erat ibi Castor callidus et ad fraudem paratus, qui fugatis ceteris per jacula sagittariorum, cum
1 aliis novem[1] fraudis sociis prætendebat. Is ubi ad pulsum arietis turrem everti, murum labare, ac facile ruiturum si tormenti repeterent ictus animadvertit, manus tendens rogabat Cæsarem voce miserabili ut perituræ urbi jam parceret, nec supremo excidio labefactandam putaret. Cæsar æstimavit quod sedulo veniam deprecaretur: manus daturus ut deditio procederet, jubet tormentum cessare, jaculatores temperare a prælio; Castori dat loquendi copiam. Ille descensum simulare, dein quasi suadere suis; alii velle, alii reniti, subitoque velut indignantes qui cogerentur supra loricam se percutientes ceciderunt. Miraculum ingens cum
2 fraus lateret: sic tempus ducere.[2] Inter quæ unus e militibus romanis jaculo sagittæ narem Castoris percussit. Ille deplorare et conqueri apud Cæsarem; poscere, juberet aliquem sibi dextram dare; ita se perfugio usurum. Cæsar Josepho mandat negotium; verum ille, qui calleret Judæorum insidias, nihil sinceri in eo intelligere se respondit. Æneas tamen propius murum successit, et ut advenientem susciperet, occurrit; cui Castor vociferans sinum aperiret, aurum exciperet, saxum dimisit. Ille oculis vigilantibus lapidem prævidit, celerique corporis
3 saltu lapsum evasit: alium tamen propter[3] adstantem saxi involvit immanis ruina. Ex hoc Cæsar acrius incubuit ad murorum dejectionem, præcipiens majore vi tormentum impelli. Contra ad exurendas machinas ignes jaciebantur; sed ubi murus solutus est, Castor cum suis quasi in ignem se dejecit dolo prætexens animi magnitudinem in contemptu mortis, cum dolo turpi vitæ effugia captaret.

CAPUT XIV.

1. Unus jam murus, hoc est, tertius supererat, subversis duobus. Adhuc tamen Cæsar servabat

A patientiam, qui adverteret sibi jam perire quidquid periisset. Dum parcit et provocat ad deditionem, non exspectato agmine cum paucis irruens supra murum secundum, congregata manu Judæi in angustiis plurimos sauciaverunt: plerique etiam utrimque mortui. Tunc Cæsar sagittis eminus figebat resistentes; inter confertos jacula nusquam eludebantur; nullus ictus sine vulnere. Sic removere sese Judæi cœpere, et Titus suos recepit.

2. Et jam fames in urbe graviter incesserat;
B Judæi tamen pro victoribus, quia se intra secundum murum receperant, quasi expulsis Romanis gloriabantur; sed neque lapsa reparare, nec lapsura defensare poterant. Restiterunt tamen aliquantulum: pugnatum triduo ad murum secundum; quarto die virtutem romanam non sustinentes, refugere intra tertium murum.

3. Cæsar ab irruptione interim temperari jubet; subverti tamen præcepit murum secundum; et quia supererat belli maxima portio, statuit ut miles
C sibi conveheret alimenta, ne victores inopia urgeret, afficeret indigentia. Quatuor diebus frumenta sibi exercitus[4] convexit; simul et idoneum visum 4
est tempus, quo Judei, si sibi consulerent, converterentur: et populus quidem malebat; sed principes seditionis reputantes quæ in plebem gravibus flagitiis perpetraverant, dum nullum veniæ locum sperant,[5] perire cum omnibus levius arbitrabantur, 5
quam si soli auctores perirent.

4. Quinto itaque die, quia nihil a Judæis paci-
D ficum deferebatur, gemino agmine Cæsar mœnia aggreditur, et duos aggeres attolli imperat, unum contra Antoniam, alterum contra murum qui erat contra Johannis sepulcrum. Eo enim superioris urbis excidia petebat,[6] illo autem altero, si castrum 6
expugnavisset, etiam templi facile potiretur; quod nisi in suam potestatem deduceret, etiam urbem tenere non poterat sine periculo. Diviserat Titus exercitum in duos ordines; e diverso[7] quoque 7
distribuerant sibi Johannes et Simon officia defen-
E sionis. Antoniam defensabat[8] Johannes; Simon cum 8
armatis suis et populo Idumæorum ad sepulcrum Johannis speculabatur, atque omnes obsidentium conatus de superiore loco, quibus poterat generibus, eludebat. Etiam exercitatiores erant, malis edocti, occurrere machinis obsidionis, pluraque genera sibi tormentorum et ipsi adsciverant, quibus Romanorum opera destruerent, cœpta impedirent. Quorum Cæsar advertens præcipitem pertinaciam, admiscere operibus sermonem voluit, ne[9] forte desperatione 9
F veniæ pervicacius obniterentur, ac spe promissorum possent desistere. Suadere itaque cœpit ne se captæ urbis excidiis involverent, permitterent eam suæ potestati, quæ armis jam teneretur, et circumvallata obsidione premeretur ad excidium supremum; cedentibus se veniam daturum, si modo vel sibi vel patriæ consulerent, ne tota civitas diruetur. Mandat quoque Josepho ut ipse patrio sermone cives alloqueretur, si forte contribules

[1] Ita Am ac C, quod convenit cum Josepho, qui ait *decem*, ipso Castore cum sociis supputato. Igitur minus recta lectio communis, *novæ*.

[2] Vulgo, *duxere;* sed *ducere* Am, C et Pa, convenientibus quoque Gualth. et Barr.

[3] Ita Am et C, cum Gualth. in ed. 2ª et Barr., loco communis *prope*.

[4] Vulgo, *miles* loco vocis *exercitus*, quæ in Am et C.

[5] Ita C ac Pa, probantibus quoque Gualth. in ed. 2ª et Barr. Communis lectio, *sperarent*.

[6] Ita Am, C ac comm. lectio; Gualtherus tamen ac Barr. veram lectionem habuere *patebant*. Sed altera præferenda, quia consonat cum sequenti *potiretur*.

[7] Patet idem esse ac *ex adverso*.

[8] Ita communiter cum Am; C, *defendebat*.

[9] Ita Am et C, qua lectione admissa, subintelligi oportet *ut* ante subsequens *spe*. Vulgo, *ut forte;* A, *si*, quod minus apte pro vera lectione habent Gualth. in ed. 2ª et Barr.

suos vel ipse inflecteret, ut furori proprio renuntiarent. Qui licet effusa Judæorum in se odia nosset, tamen quantum ad jactum sagittæ longius poterat remotus a muris, ita vero ut posset audiri, profutura civibus noto sibi alloquio suadebat.

CAPUT XV.

1 Fuerit,[1] Hebræi, humani ingenii contendere pertinaciter, antequam res ad supremum veniret, dum putatis vos loco et notæ regionis subsidiis fore superiores, licet convenerit Romanos bello insuperabiles armis non provocari, a quibus sæpe victi sunt qui vos vicerant. Sed tamen habet hunc lapsum improvida mens hominum in rebus secundis, simul quia plerumque belli dubius eventus, et ideo
2 se unusquisque sorti[2] committit et virtute inferior. Postremo de muris sperastis, non putastis etiam usque ad templi progrediendum eversionem. Parcite aris, parcite altaribus, parcite domicilio quondam cœlesti. Jam enim vos et Deus ipse deseruit, quia vos pietatis cultum deseruistis. In medio templi bellum pertulimus, circumfusi ignes templum oberrant, sed non quales solebant; circumsistunt armati. Adhuc tamen puras a sacrilegio manus habentes volunt parcere Romani, nec sacros contaminare postes, nec veteres abolere ritus, si vos sinatis. Quid expectatur ulterius? Duo muri eversi; tertius superest et ipse infirmior, lapsis duobus. An præsidium speratur divinum atque auxilium de penetralibus? Sed qui nos defendebat, ad hostem migravit, quoniam quem nos colebamus, Romani venerantur, nos offendimus. Quis autem ignorat cum illis esse Deum, qui sibi omnia subjecerunt, nisi quæ nimio æstu aut gelu invia sunt, et ideo extra romanum imperium, quia eadem extra usum humanum? Diversis populis Deum per vices dedisse potentiam, primo Ægyptiis, post Judæis, Assyriis quoque et Persis auxiliatorem fuisse nullus negat; postea conversum ad Romanos cum his perseverare, denique cessisse illis universa regna, omnem terram in possessionem datam. Quid vobis cum victoribus universæ terræ, quibus secreta oceani et extrema Indiæ parent? Quid attexam Britannias interfuso mari a toto orbe divisas, sed a Romanis in orbem terrarum redactas? Tremit hos Scotia, quæ terris nihil
3 debet;[3] tremit Saxonia inaccessa paludibus et inviis septa regionibus, quæ licet furta belli videatur audere, et ipsa frequenter captiva romanis accessit triumphis. Validissimum genus hominum perhibetur et præstans ceteris; piraticis tamen myoparonibus non viribus nititur, fugæ potius quam bello paratum. Sed refertis mori præstare quam libertatem amittere. Quando ista vobis, Judæi, successit sententia, aut quando apud Hebræos utilis servitus libertati inutili non prælata? Jacob ipse patriarcha in Ægyptum deduxit Hebræos, ne perirent fame.

A Descenderunt patriarchæ simul duodecim filii ejus, præclara illa generis nostri exordia. Ibi Judas ille nobilis Judæorum prosapia, qui nomen populo dedit; ibi Joseph curru sublimis et equis subjicere se in potestatem maluit ut aleret suos, quam ad originis propriæ libertatem redire; ibi Beniamin pia fraude germani retentus consensit dolo, quia non erat crimen servire potentioribus; ibi hereditas eorum, cum vocaretur a Moyse, tamen hærere desiderabat. Sic patribus vestris etiam dura servitus
B non displicebat ut periculis anteferretur. Servistis ergo Ægyptiis, atque utinam semel. Sed non solum tunc servistis, quando cœlestis escæ pluviis alimoniam servitutis extremæ præferebatis; sed etiam postea victi atque captivi descendistis in Ægyptum cum Assyrios refugeretis. Servistis etiam Assyriis per multa annorum curricula, et dulcis illa servitus erat; servistis Macedonibus, Persis, Seleucensibus, Palæstinis; solos Romanos graves vobis putatis, quibus et illi serviunt, quibus vos servie-
C batis. Utrum igitur odium his debetis an gratiam, qui vos dominis vestris pares fecerunt? Ultionem vestri hanc, non contumeliam puto, quia vos de iis vindicaverunt, quibus subjecti eratis. Servitio premitur Assyrius, qui Asiæ toti imperitabat; arat Ægyptius Romanis; serit de suo quod illis metat. Macedonia, quæ usque ad Indos, devicta Perside, imperium diffuderat, agnoscit dominos quos ignorabat, et frustra se regibus suis Æacidarum nomen imposuisse reminiscitur. Certe non alias cessisse
D nisi ad Romanorum triumphum, quibus et ipse Pyrrhus, Achilleæ sobolis et prosapiam et vocabulum præferens, victus armis ita se promerendæ pacis studio subjecit ut veniam rogaret. Nam de Palæstinis quid loquar, quos unius præsidis potestas coercet? Ingrati, numquid non vestra nobilitas est cum Persis servire, hoc est servire vobiscum reges, regnumque maximum habere socium subjectionis? Sed quæro, quando fueritis liberi qui nunc servitutem recusatis? Quando ergo
E liberi fuistis? Vel cum aliis dominaremini, qui sub rege eratis? Habebatis regem Deum: repudiastis regnum ipsius, sub quo solo eratis liberi; voluistis servire hominibus. Cur patrum revellistis testamenta? Hereditas et in patres contumax. Elegistis regem, cui nomen Saul. Occiso illo, palæstinus vobis populus imperitavit. Successit post tempora David in totius populi regnum, mitior quidem dominus, sed dominus tamen; et priusquam requiesceret David, genuit tamen et ipse regem,
F cui Salomon nomen imposuit. A Salomone rursus scissum in duo regnum, et divisa per longam seriem dominationis hereditas. Ut transiliam captivitates, Cyrus plerosque terris suis Judæos et sacris suis reddidit. Sed patres vestri cum Persarum præliis gravibus attererentur, quamvis Machabæorum triumphis nobiles, elegerunt sibi romanam
4 societatem. Tenet Scriptura divina[4] multarum

[1] Vulgo, *fuerat;* sed *fuerit* Am et C; quod pro vera lectione habuit et Gualth. in 2ª ed.; atque eleganter dictum.

[2] Ita Am, C, Pa; ac vera lectionem habent Gualth. et Barr. loco communis *forti.* Sequens autem *et* deest vulgo; sed bene occurrit in Am ac C pro *etiam.*

[3] Utpote nempe mari ex omni parte circumdata, quia pro Scotia *Hibernia* intelligitur, ut Hiberni antiquitus *Scoti* appellabantur. Inutiliter vero supponit Mazochius, pag. 788 operis frequenter citati, voluntarium anachronismum hic Auctorem admisisse, ut ad victorias alluderet non quidem temporibus Josephi, sed multo serius, sæculo nempe IV, a comite Theodosio de Scotis atque Saxonibus relatas. Non enim hic dicitur, hos populos tunc fuisse a Romanis debellatos; sed tantum horum potentiam formidare Hibernios, quod utique supponi poterat cum Romanorum potentia minax jam erga eos quoque videretur; Saxones vero interdum eorum vim expertos fuisse, quod jam de gestis Cæsaris intelligi potest.

[4] Notandum vocari hic a libero translatore *Scripturam divinam* libros Machabæorum, uti jam in Prologo appellati fuerant *divinitus inspirati.*

pacta legationum. Facti estis Romanorum amici qui Persarum servi fuistis. Sed rursus maluistis
1 regem habere quam sacerdotum[1] principem, cui populus obtemperaret, cum sævitia vestrorum regum esset intolerabilis. Defuncto Herode, pulso Archelao, sub Cæsare esse romano postulavistis. Tradidistis vos Cæsari, cui subjecti omnes, ad mu-
2 tandum in mollius servitium.[2] In communi enim conditione universorum servire quædam libertas est, quoniam dignitate dominantium cohonestantur obsequia servorum. Quamquam Romani servitutem
3 non exigant, auctores libertatis, qui[3] non solum immitem regem necarunt, sed etiam superbum non passi sunt; et ideo augustum apud eos nomen est imperii, quod augeat suos, non quod alienos opprimat. Sed esto, sit utile vobis non obedire imperio romano: videamus si liberum, si non exitiabile. Urgent vos romanæ acies; urgent patriæ
4 ruinæ; urget templi excidium: non quid[4] utile sit, sed quid possibile, perpendite. Non enim votorum species, sed possibilitatis ratio pensanda. Lex nempe naturæ eadem omnibus hominibus, volatilibus, feris, bestiis infusa, ut unusquisque cedat potentiori, taurus leoni, cervus urso, leopardo caprea, aquilæ accipiter, accipitri columba, ipsi tauro juvenci inferiores, arieti ovium greges, hirco caper; ne diversi generis esse aliqua videatur distantia, vos potentioribus. Romani tamen neminem expel-
5 lunt, vos expulistis;[5] immo illi augent, ne quis etiam victus de terris suis exeat. Antiocho partem regni reservaverunt; et nunc Cæsar quid aliud laborat, nisi ut terra vestra non deseratur, regio vestra non vacuetur, civitas non evertatur, templum non concremetur? Non omnibus victoria datur. Paucis præesse natura dedit; pluribus obtemperare. Tauri armentis eminent, arietes gregibus: penes paucos eminentia; penes plurimos mansuetudo. Et vos induite mansuetudinem, suscipite subjectionem quam etiam feræ induunt. Hæc cum diceret Josephus, conviciabantur de muro; maledicebant utilia suadenti; plerique etiam jaculabantur sagittas, si possent eum morte affi-
6 cere.[6] At ille, qui oratione non flectebat indomitos, Scripturarum quoque testimoniis conveniendos arbitrabatur, maxime quia dicebant Deum templi sui præsidio non defuturum.

CAPUT XVI.

Temerarii, nunc demum divinum vobis auxilium adfuturum speratis, quando armis permiscuistis omnia, bello altaria violastis, diruistis totius urbis munimenta; temerarii, inquam, et vestrorum immemores auxiliorum scuta et gladios parastis, et hoc adversus Romanos. Non talibus armis vincere solebatis. Quando enim in hasta et gladio fuit Hebræorum victoria? Recordamini unde orti et a quibus sitis profecti; quomodo patres vestri hostes suos vicerint. Temerarii, quem vobis adjutorem eripuistis dum aliena subsidia deposcitis? Non in

A multitudine populi, sed in timore Dei pater Abraham penetravit Ægyptum, et cum abductæ conjugis captivam videret pudicitiam, bello tamen abstinuit, assumpsit orationis piæ arma, defensorem adhibuit qui dormiente eo vinceret, et expugnato hoste intaminatam sibi conjugem repræsentaret. Redit Sarra[7] sine armis referens viro triumphalem 7
victoriam. Dormiebat Abraham et torquebatur Pharao: metuebat Sarra et Pharao crimen negabat: ejiciebat alienam, et damnato crimine honorabat
B castimoniam quam spoliare desideraverat. Addit[8] 8
aurum et argentum ad Sarræ pudorem, ut condemnaret voluptatem facinoris expertem. Rogabat patrem Abraham ut pro sua familia ad Dominum deprecaretur: erat enim infecunda domus ejus. Remeat Sarra ditior salvo pudore; revertit Abraham sanctior, qui conjugalis pudicitiæ remunerationem sterilitatis remedio compensavisset. Quid de filio Gen. XII, 10-20.
ejus Isaac loquar? Is quoque patrio fretus munimine adversus finitimi potentis insolentiam, non
C armatas produxit acies, et certe habebat trecentorum et octodecim vernaculorum validam manum, quæ reges quinque bello superaverat, spoliis exuerat, captivum Loth Abrahæ patruo restituerat. Non gladium vagina exuit, sed solam adversum invidentes patientiam induit, simplicitatem retulit. Venerunt rogantes qui exterminandum denuntiaverant; poposcerunt amicitiam qui finitimum non ferebant. Contremisco tanta patrum recensere mi Ibid. XXVI, 14-31
rabilia. Jacob sanctus, Esau fratre parricidium
D minitante, patriam reliquit, parentes deseruit solius secum orationis ferens viaticum, meritoque in peregrinis locis cum fratris metueret insidias, et hominum comitatu auxilioque egeret, invenit angelorum concilium perductus, ut ait, ad castra Dei; colluctatus est Domino et sicut dicit Scriptura, *prævaluit Deo, qui imparem se hominibus arbitrabatur*. Quid aliud Moyses adversus regem Ægy- Ib., XXXII, XXXIII
ptiorum exercitumque et dracones ejus nisi solam virgam levavit? O potens virga quæ cœlum te-
E nebris obduxerit, terram imbribus inundaverit, siccaverit mare fluctibus. Cinxerant Hebræos Ægyptii; orabat Moyses et non dimicabat. Divisum est mare, et populus intravit; sequebatur Pharao; Moyses inter fluctus positus orabat. Demersus est cum suis Pharao; cantabat Moyses. Quis hæc et Exodi VII-XV.
talia considerans non admiretur, non intelligat in oratione nobis meliora esse arma quam in virtute? Illa enim divinum sibi auxilium adhibet; hæc corporis. Didicit hæc arma quæ sunt non carnalia,
F sed fortia Deo Moysi discipulus atque idem successor Jesus Nave, qui imitator et suppar[9] magistri 9
Jordanis aquas convertit retrorsum, idemque cum Jos. III.
inexpugnabiles Hiericho urbis muros videret, sa- Jos. VI.
cerdotes tuba canere jussit, jubilare populum: quo facto repente ceciderunt muri, atque exusta civitas est et omnes necati, nisi quos Raab[10] bonæ 10
meretricis fides a memoratæ urbis excidio defendit. Gedeon quoque trecentos viros ad bellum elegit, eosdemque non arma præferre, sed mysteria præ-

[1] Gualtherus et Barrensis sacerdotum habuerunt pro vera lectione. Sed C quoque habet *sacerdotum*.

[2] Ita A, Am et C, atque hanc habuere pro vera lect. etiam Gualtherus in ed. 2ª et Barrensis. Sed communior lectio: *Cui servistis.... in melius servitium.*

[3] Vulgo, *quia;* sed Am et C melius, *qui.*

[4] Hic et subsequenter vulgo, *quod;* sed Am cum C, *quid,* grammatice rectius.

[5] Am ac C, *expellitis*. Eligat lector.

[6] Ita C; sed vulgo cum Am, *affligere.*

[7] Ita pro communi *Sara* Am et C, ut constanter Ambrosius.

[8] Ita Am et C, et pro vera lect. habet quoque Gualth. in ed. 2ª. Pa, *addidit;* vulgo, *additur.*

[9] Vox *suppar* est Ambrosio familiaris ut notavimus ad Hymnum *de S. Laurentio,* Tom. V hujus ed., col. 683.

[10] Ita Am, C ac Pa; vulgo, *Rahab.*

1 cepit; in manu læva hydrias[1] tenere, in dextera faces. Qua specie perculsi hostes fugere illico,
Jud XII, 15-23. atque ad Hebræos victoria pervenit. Intermissa erat sacræ cura religionis Heli sacerdotis negligentia; divina imperia deserebantur; irrogatum ab Allophylis prælium; victi Hebræi, capta etiam
I Reg. IV et V. arca Dei, et sine ullis armis; quo indicio claruit quod et sine religione arma non vincant, et religionem sine armis vincere. Ezechias rex, infuso Assyriorum populo genti Judææ, cum voce Rabsacis, imperio Sennacherib regis, quæ in Deum jacerentur convicia, quæ populo, quam suprema exitia denuntiarentur satis comperisset, insinuantibus non verba verbis, nec arma armis referenda credidit; sed exsurgens cilicio se ut scuto induit; pro galea cinere caput texit; pro jaculis orationem intorsit. Ascendit oratio; descendit angelus: cæsa per noctem Assyriorum centum octoginta quinque millia
IV Reg. XVIII, XIX. cadavera numeravimus; percussorem non vidimus. Præterieram de quinque regibus, quos inconsulto Domino bellum adorsos, per desertum meantes, aquæ inopia vehementer afflictare cœperat, ut ipsos quoque et equos eorum sitis vexaret. Necessitas prætermissum officium reparari coegit. Erat enim rex Israel negligens circa Dei cultum; admonitus tamen ab aliis ut Domini prophetam requireret, cognovit Elisæum ab iisdem, in quibus degeret, locis non longe abesse. Misere oratum auxilia orationis et remedia necessitati. Licet offensus erat regi Israel, quia perfidus non credebat, promisit tamen et ubertatem aquarum, et victoriæ celeritatem. Manare cœpit aqua per desertum, et sponte se sine ullis imbribus infundere terris fluenta. Surgentes adversarii, quos securos victoriæ somnus uberior laxata presserat sollicitudine, subito videre sole infuso rutilare aquas, et inter regum populos bellatum putarunt, quorum sanguine terra maderet. Itaque in prædam festinantes passim sine ordine, sine modo currere, alius alium prævenire: sic præcipites in medium progressi hostium vallati
IV Reg III, 25. interfectique, ingentem sui stragem dedere. Ita
2 sanctus[2] propheta a patribus nostris sitim pariter, et metum depulit. Idemque adversus famem auxilium tulit; nam cum obsideretur Samaria, atque in ea clausus maneret rex Israel, gravis urgebat fames, ut ne a nefandis quidem alimentis abstineretur. Conventus propheta tantæ miseriæ deformitate simul et regis nuntio, qui putaret prophetæ dissimulatione famem adolevisse, respondit: Se-
3 quenti die et ubertatem frumenti et vilitatem[3] videbis. Non credenti nuntio dixit, ipsum quidem quia non crederet, visurum nec tamen gustaturum, promissorum tamen fidem non defuturam. Subitoque per noctem in castris Syriæ hinnitus equo-

A rum, curruum fragor, quadrigarum currentium fremitus, armorum sonitus auditi metum incussere victoribus, quod in auxilium Hebræis multæ ac validæ gentes commeavissent, ac sese imminenti, ut arbitrabantur, periculo fuga eximere properaverunt. Nox consilium maturavit, terrorem auxit. Fugientibus itaque Syriis, omnes quas invaserant copias in castris die sequenti repertæ. Abundantia vilitatem creavit, vilitas fidem implevit; mors increduli ipsi quidem fructum eripuit, publicum
B tamen remedium non impedivit. Liquet igitur plu- IV Reg VII.
rimos patrum duces cum minime præliarentur, victoriam adeptos, alios quoque bello superiores fuisse, quibus consulentibus bellandi jus oraculo permissum foret. Denique victus Amalech; sed cum Moyses manus levaret; vicit Jesus Nave cum solem statueret; vicit et Gedeon cum in aqua dimicaturos probasset; Samson etiam cum adhuc intaminatum crinem servaret; vicit et Samuel, sed cum adjutorem lapidem figere proposuisset
C in mysterio.[4] Triumphavit David cum Bersabeam,[5] 4 5
hoc est filiam Sabbati, suo conjugio propheticis mysteriis[6] copulavisset; vicit etiam bello civili, 6
quod refugiebat illatum, non inferebat (nihil enim bello civili fœdius), solus qui potuit inferre. Vicit et Asaph[7] prælio sed posteaquam desperantibus 7
suis, quod numero essent inferiores, dixit nihil interesse pauci an plures sint, cum Deus paucos timentes se pluribus faciat validiores; bonus profecto fide, si usque ad finem perseverasset. Vicit
D et mulier armis quæ fidem Deo reservavit. At vero Saul victus est, quia Dei præcepta non custodivit.[8] 8
Vulneratus Josias, quia contra imperium in hostem processit, sanctus cetera et ideo raptus ne captivitatem nostris debitam peccatis videret. Clamavit IV Reg. XXII -29.
Nechao: *Non sum ad te missus,* ferens ejus fidei II Paralip. XXXV, 20-24.
testimonium; sed involvit eum, sicut ante Amasiam, consortium degeneris societatis. Denique et ab homine Dei monitus erat, ut illos quos ad belli societatem centum argenti talentis conduxerat,
E dimitteret, si vellet vincere. Cui dubitanti quod tantum pretii amissurus foret, respondit propheta, quod *haberet Dominus plura unde etiam argentum eidem restitueret*, quo fretum conductis renuntiasse auxiliis, vicisse cum paucioribus, ne ipsum quidem Deo tantæ victoriæ mercedem solvisse, sed illico ipsis simulacris, quæ victor ceperat, detulisse sacrificia, quasi eorum beneficio vicerit quæ in *Ibid.* XXV, 6-24.
prædam captivitatis redegerat. Sedechias[9] ipse, 9
incumbentibus jam patriæ ruinis, per Hieremiam
F conventus prophetam, cum hostili obsidione premeretur, ut urbem egredi non metueret, victorem futurum si cœlestibus imperiis obtemperaret, aut captivum si defendendum[10] putasset, infidelitate semet 10

[1] Hic vulgo et etiam in Am additur, *aqua plenas;* sed hæc desunt in C, et quidem biblico textui conformiter, ubi dicitur Gedeon dedisse *tubas in manibus eorum* (trecentorum), *lagenasque vacuas ac lampades in medio lagenarum.*

[2] Vulgo, *hortatus* vel *oratus;* sed Am et C, *sanctus,* quod pro vera lect. habent etiam Gualtherus et Barrensis.

[3] Vulgo, *utilitatem.* Sed evidens error amanuensium fuit, qui *vilitatem* in illam vocem immutarunt. Ita et subsequenter *utilitas* pro *vilitas.* C in primo loco *utilitatem,* sed in altero cum Am, *vilitas.* In priori Am et Pa, *vilitatem,* conspirantibus Gualthero et Barrensi; in altero *vilitas* etiam Pa, codex Cantabr. et memoratis editoribus.

[4] Verba *in mysterio* ex C, quæ vulgo desunt.

[5] Vulgo, *Bethsabeam;* sed Am ac C, *Bersabeam* conformiter Josepho, ubi Βερσαβή.

[6] Communiter, *ministeriis,* sed recte Am et C, *mysteriis,* pro bantibus lectionem etiam Gualth. et Barr. Hæc eadem habet Ambrosius in *Apol. altera David,* cap. 10, n. 51.

[7] Vox *Asaph,* quæ in omnibus documentis legitur, evidenter diversimode supplenda esset. Gavantus vellet per *Jonatam,* ut ipse ait, e contextu illam vocem suppleri. Sed quid in contextu Jonatæ conveniat nullatenus invenimus. Melius Weber supponit *Asaph* pro *Josaphat* stare, et quidem visum est ei in C potius *Josaph* quam *Asaph* esse legendum. Quæ autem de Josaphat leguntur II *Paralip.,* 20, satis conveniunt iis quæ hoc loco dicuntur.

[8] C, *præcepta contempsit.*

[9] Ita in hoc opere quem nos *Sedeciam* ex Vulgata nominamus.

[10] C, *differendum* scilicet *exitum.*

ipsum et suos decepit. Abductus erat ab Assyriis populus Judæorum in Babyloniam; reliqui ad Ægyptios transferre se, qui resederant, deliberabant. Mandavit Dominus per Hieremiam prophetam ad ceteros ut unius gentis essent imperio contenti, ne geminata captivitas ærumnam augeret. Verum illi, posthabentes oracula Dei, facti sunt duarum captivi gentium, qui unius gentis jugo exire impatienter desideraverant. Itaque in Ægypto exules perseveraverunt; at vero illi qui in Assyrios ducti sunt, expleto tempore captivitatis, quod pro peccatis populi Dominus constituerat, postea Cyro imperante remeandi facultatem adepti reverterunt
II Paralip. XXXVI, 22, 23. I Esdræ I et seqq. cum gratia. Renovatum Dei templum est regum opibus Cyri et Darii ceterorumque Persarum muneribus. Ipsi itaque qui everterant, reparandi sumptum dederunt, restituerunt etiam jus sacerdotum, cultumque juverunt religionis. At vero nostri, dum sacerdotium inter se competunt, et apud Parthos ambiunt conferri sibi memoratum honorem, de religione mercaturam fecerunt. Quid de Babyloniis querimur? Nostros experti sumus deteriores. Illi nobis reddiderunt omne jus religionis; illi sacerdotum creationem restituerunt, et nostri eam Persis refudere. Illi sacerdotales infulas permiserunt nostræ potestati; nostri eas Babyloniis vectigales fecerunt. Quid adjiciam cruentatum sacrarium, sanguine madere sacra limina, semiruta adhuc stare templi fastigia? Minor est circa nos ira Dei, quam nostra contentio. Illa nos captivos fecit; ista sacrilegos: illa disseminavit Judæos; hæc sustulit. Conferte, si videtur, quid intersit inter captivitatem nostram et seditionem. Captivitas nostra gentibus infudit nostræ religionis consortium; seditio nostra etiam Judæis ademit religionis gratiam. Quis autem Romanos in Judæam introduxit, nisi Hyrcani et
1 Aristobuli contentio? Quis Sossium[1] nisi Herodes? Quis Antonium nisi Sossius? Quis Cæsarem sibi regem imploravit nisi vos? Quis alius præter vos Antipatrum regno expulit et libertatem in Antipatro? Et tamen non reprehendo, neque abnuo Florum in vos sceleste consuluisse. Sed querela Romanis deferenda fuit, non arma inferenda. Sprevistis Neronem; sed Vespasianus successit, qui benignus natura, benignior tamen etiam studiis esse potuit, quia in Judæam imperium assumpserat: aut si non movebat pietas, virtus certe ejus vos debuit adigere ut vobis consuleretis. Sed quomodo vobis non parceret qui pepercit Josepho? Cui enim infestior esse quam mihi debuit? Quis majora adversum Romanos munimenta extruxit? Quis stu-
2 diosius pro patria decernendum[2] putavit, postquam vobis bellandi complacita conditio est? Bellorum quidem initia non probabam; sed suscepta non deserebam. Testantur hoc Jotapatæ urbis, quæ bellantem adhuc me texerunt, favillæ, bello non destitisse nisi post ejus civitatis ruinas, delituisse quoad potui in illo eversæ urbis sepulcro, pertulisse famem ne Romanis me traderem, quæsisse veniendi ad vos effugia; sed deprehensum, non sponte egressum, maluisse perire cum meis, sed pepercisse Cæsarem; optasse vobiscum potius periclitari, non quod probarem consilium, sed quo eligerem periculi vobiscum consortium. Gratias tamen

A Deo quod tanti sceleris non incidi societatem, ne seditionum incentor existimarer, aut, quia iis misceri nequibam, parricidium, quod manu declinare poteram, vel morte implerem. Certe ne sanctissimam matrem[3] pro me dilacerari viderem, meo- 3
rumque dispergi viscera, quæ miseranda quidem, sed tamen tolerabilius est ea pati quam fecisse. Quid igitur adhuc expectatis? An signa majorum? Non ea nobis merita; non ea circa Dei cultum officia; non ea Romanorum quæ Assyriorum infi-
B delitas est, qui accepto pretio discessionis fidem fregere, nec recedendum, sed acrius ingruendum putarunt. Quinetiam, ut ex accidentibus colligamus divinæ motum sententiæ, Deum Judæis adversari certum est. Denique Syloa, quæ ante bellum siccaverat, et omnes extra urbem fontium venæ, quæ diu fluere cessarunt, ut aqua nostro deesset usui nisi pretio quæsita, nunc in usus redeunt suos, et Tito se advenienti refundunt. Scaturiunt uberes venæ, atque ita aquarum redundantium
C omnia replentur, ut non solum exercitui large ad potum exuberent, sed etiam equis bellatoribus ac jumentis pecorique universo, hortorum quoque irriguis non desit aquarum abundantia, ut tamquam adnitentibus elementis victoriæ romanæ largiores credas fundi meatus. Recognoscimus prodigia superiora, quæ etiam tunc nostræ urbis prævenerunt captivitatem: cessavit aqua Judæis; refudit se hostibus ne siti obsidio impediretur. Nec mirum est si recessit a Judæis divina gratia, quos tanta fla-
D gitia circumvallarunt. At vero bonus vir plenum horroris refugit diversorium, et domum suam deserit, si quid in ea commissum sceleris agnoverit; declinat indignæ habitationis consortia, exsecratus conversantium iniquitates; et dubitamus de summo et immaculato Deo, quod abhorreat tantorum contagia flagitiorum, et funestorum scelerum aversetur atrocitatem, nec demoretur in parricidarum conciliabulis, qui Dathan et Abiron, quia Moysen et Aaron præripiendo sacerdotii munere lacessiverant,
E separari ab innoxiis præcepit, ne pios aut macula contaminaret de consortio noxiorum, aut pœna involveret? Sed quid ego diutius sermonibus in- Num. XVI, 1-35.
moror, cum plena horroris et gemitus omnia circumfundantur, templique excidium properetur? Qui istud oculi spectare, qui sensus perpeti, qui tolerare animus potest? O saxis duriores, ferro rigidiores, qui in tantis rerum humanarum prodigiis adhuc inter vos tamquam ad virtutis æmulationem de scelere certatis, et quod est gravius,
F vos ipsi patriam destruitis, atque ejus augetis ruinas! Convertimini aliquando, aliquando resipiscite; considerate et videte pulchritudinem patriæ quam prodidistis, quæ urbs, quod templum, quæ sanctorum domicilia sacrorumque penetralia, quæ prophetarum opera vestris manibus eviscerantur. In hæc quisquam flammas ducit, et spargit ignes, et incendia ministrat, nec ullo affectu movetur? Rupium, si sentiret, rigor resolveretur. Certe et insensibilia plerumque in maximis rerum acerbitatibus
G sensus speciem mentiuntur,[4] ut scopuli tremant 4
et madentes sanguine guttæ fluant. Vos autem immobiles perseveratis, ut si quid melius post hæc supersit, quid dignius quod reservetis? Postremo

[1] Communiter, *Sosium;* sed C, *Sossium* conformiter omnibus fere Josephi mss.

[2] C, *decertandum,* ut alibi.

[3] Matrem nempe ipsius Josephi.

[4] Ita Am et C, et pro vera lectione habent etiam Gualth. et Barr. Vulgo, *metiuntur.*

si ista non commovent, quæ apud pios præstantiora sunt, vestrarum saltem miseremini necessitudinum; ponite ante oculos filiorum vestrorum
1 neces aut ferro aut fame, et his acerbiorem,[1] uxorum et filiarum servitutem, quibus tuta libertas erit pacto deditionis, aut captiva servitus urbis eversione. Consulite, dum licet, ne graviora post mortem relinquatis, quam ante mortem fecistis. Nec ego liber ab hujusmodi periculo sum. Novi et ipse quia cum vestris simul periclitatur sanctissima mihi mater et cara uxor, atque haud ignobile genus, et quondam domus clara. Ac fortasse propter meos hæc me suadere arbitramini. Occidite eos, et accipite insuper mercedem meum sanguinem; libenter hanc solvo mercedem vestræ salutis, si post me sapere potestis.

CAPUT XVII.

Ea Josephus cum lacrimis vociferatus, plerosque de populo inflexit, ut ad Romanos confugerent, venditis quæ possidebant. Quos Titus quo quisque cupiebat direxit, ut etiam ceteri provocarentur Romanis se sine metu tradere. Confluebant itaque reperta egrediendi copia, securi salutis si ad Romanos convenirent, nec solliciti de servitute quibus libertas reservaretur. Ii vero qui sequebantur Johannem ac Simonem arbitros et incentores seditionis, magis scelerum pœnas quam adversa belli reformidabant, ideoque intuta sibi refugia opinabantur. Nec solum ipsi non audebant egredi, sed etiam prætendebant ne cui liceret egredi e populo urbe, majorque cura erat egressionem suorum quam Romanorum ingressus cavere. Tenebantur itaque inviti, et si quis deprehensus foret, graves pœnas dabat. Suspicio tenuis gravissimæ causa mortis: non argumentis veritas, sed suppliciis quærebatur. Si qui pecuniosi erant, afficto crimine
2 proditionis[2] rapiebantur ad necem; si qui inopes, quia non habebant quo se redimerent, morti patebant.

CAPUT XVIII.

3 1. Etiam[3] fames sævire, atque amplius seditio grassari cœperat cum furore ac vesania. Frumentum non reperiebatur, nullus panis in publico usu. Sicubi esse compertum fuerat, illico domus expugnabatur: jugulabatur ædium dominus aut frumenti conditor quod occultavisset. Rursus non repertis frugibus, quasi diligentius absconditæ forent, tormenta exercebantur. Optabant plerique mortis compendium, cum aut fames afficeret, aut crude-
4 litas excruciaret. Denique qui sæviores[4] erant, occidere dedignabantur, invidentes beneficium mortis, quibus jam vehementior carnifex fames, miserabili macie visceribus exesis, nuda ossa tenui
5 cute[5] texerat. Spirabant semineces solo adhuc spiritu, atque ægra trahebant cadavera. Sicubi purgamenta olerum vel casu lapsa, vel quasi arida projecta adspexerant, reliqua, invalidi corpore, ore lambebant jacentia humi. Aut sicubi internata pa-

A rietibus visa fuerat herba, rapientes succo infelici miseram solabantur famem. Qui ditiores erant, mensuram tritici toto censu emebant: quid enim servarent non profuturum? Qui pauperiores, vel hordei, ita ut nemo vendentem aut ementem videret. Hoc enim omni gravius scelere puniebatur. Neque vero coquendi panis usus expectabatur, ne mors præveniret aut mora proditorem accerseret. In occultis abditi incoctum mandebant triticum, quibus ulla vel exigua frumenti copia erat. Nulla
B mensa, nullum sedile, nulla lux, ne quis interveniret, atque improvisus deprehenderet. Si sonus ullus, abscondebatur cibus: suspectæ solitudines, frequentiæ parricidales, inter suos triste certamen.

2. Omnem enim affectum excludit fames et maxime verecundiam: esurientibus enim pudor dispendium vitæ et detrimentum salutis est. Si quis vir, cui mulier esset, aut filii vel nepotes, aliquid escæ haberet, vix fatebatur; similiter et mulieres. At cui mitior animus, ubi apposuisset alimoniam,
C de manibus ejus extorquebatur. Miserabilis erat cibus, esca lacrimabilis: rapiebant filii parentibus, parentes filiis, et de ipsis faucibus cibus proferebatur. Plerisque aliorum vomitus esca fuit; nec marcentia sumere ullus horror, aut verecundia adimere suis vitæ ultimæ stillicidia. Et hæc tam infelicis species calamitatis erat metus ne deprehenderetur. Clausis itaque foribus exercebatur, ne quis superveniret, qui de ore alieno cibum quæreret, et canum more vomitus alienos lingua sua lam-
D beret. Sed ne hoc quidem impune; nam ubicumque fores obseratæ, suspecta fraus alimenti absconditi. Prosiliebant ministri seditionum, clausa expugnabant, intolerabilia et novæ crudelitatis exigebant supplicia. Nec ab ipsis quidem pudendis corporis abstinebatur: per ipsa quoque pœna transibat, quod in his gravior sensus pœnarum sit. Multi cum jam percussores irrumpentes viderent, paratos rapiebant cibos, ne vel ipsi defraudarentur supremo viatico, vel certe futuram mortem ulciscerentur;
E et quo gravior videbatur esse crudelitas, non esuriebant ipsi qui rapiebant cibos esurientibus. Rapinis enim sibi aliorum opes coacervaverant, et alienis conditis pascebantur, cum ipsi qui congesserant, esurirent, jejunioque contabescerent. Si qua materno affectu percita, miserans vagitus infantiæ succum ciborum ore proprio vellet infundere, pii operis pœnas luebat, suspensoque a cervice, vel hærente ad mamillas pignore, simul transfigebatur. Plerique etiam beneficium putantes mori, egre-
F diebantur urbem, ut herbas vellerent, vel radices depascerentur, aut cortices arborum detraherent, si quid in his viriditas ad cibi solamina sumministraret, quos invenientes Romani necabant. At qui hostem evaserat, in ipso portæ ruebat limine fame tabidus et ore invalidus, quem jam et ipsa mandendi officia destituissent. Regressos quoque excipiebat feralior manus, quæ de gremiis miserorum summo quæsita periculo per acerbissimum extorqueret nefas, nec partem reservaret pro mer-
G cede saltem periculi. Moriebantur itaque majore suorum quam hostium impressione. Ea enim quæ

[1] Ita communis lectio; Am et C vero, *fame, quæ sunt acerbiores, uxorum,* etc.

[2] Ita Am ac C, ac pro vera lect. habetur quoque a Gualth. et Barr., dum vulgo est *seditionis.*

[3] Vulgo, *Et jam gravis fames;* Am et C, *etiam fames,* cum Josepho.

[4] Communiter, *seniores;* sed rectus sensus exigit *sæviores,* ut in Am ac C.

[5] Ita Am et C, convenientibus Gualth. et Barr.; vulgo autem, *tenuitate.*

etiam hostis indulserat, civis eripiebat, nec rapuisse tamen hujusmodi cibum proderat, quippe non multo
1 post virenti corpore, turgescentibus mediis,[1] intimorum dolore viscerum quatiebantur, aut alvo soluti deficiebant exhaustis viribus, ut voti pœniteret; quod ad tempus solatio erat, post supplicio. Dein lacertis viridibus ceterisque serpentini ge-
2 neris[2] coctis exuviis pestem addebant. Nam equo-
3 rum[3] cadavera si forte reperissent, inter se trahentes, prælio gravi decertabant. Nec ab hoste quidem quæ coacervarentur, exitia feriabantur. Nam cum se de urbe plurimi cum filiis ac mulieribus egredientes in eam partem, quæ præruptorum profundo præcipitiorum sinuaverat, contulis-
4 sent, Romani, vel ut[4] captiva abducerent mancipia minoris præsertim ætatis, vel ut validiorem ferirent, ne quis forte bellantibus obrepere auderet, speculabantur, ut si quis cibi quærendi gratia, dum rimatur radices agrestium, ad ulteriora spatia prodiret, interciperetur.

3. Nec tamen circumfuso licet hoste cohibere se poterant, quibus fames audaciam dabat, cum parvos liberos macie consumi et aperta fame ora frustra extendi ferre non posset affectus parentum, quos socios sibi adsciverant ad periculum, ne pro se quasi obsides fugæ suæ a seditionis auctoribus occiderentur. Cogebat fames egredi quibus beneficium erat ferro perire jejunii comparatione. Contra Romani, quia contemptores mortis eos arbitrabantur, augebant genera suppliciorum verberantes prius, affigentes quoque patibulo crucis quemcumque offenderant, quo vel ceterorum temeritas cruciatum specie a lacessendi insolentia revocaretur. Miseranda itaque passio Tito videbatur tantarumque acerbitas calamitatum. Capiebantur innumeri; quingenti ferme ad diem cruci affigebantur, camposque ante urbem miserabilis pompæ ordine prætexebant ut de muris adspicerentur. Miserebantur Romani; non movebantur Judæi; compatiebatur hostis; socii non flectebantur, ut facilius apud adversarios pietas quam apud socios reperiretur. Tamen accendebantur plerique indignatione, quod in tantis malis
5 deteriores fiebant. Diversis modis affixos[5] cerneres, variasque pœnarum species, formas suppliciorum tam innumerabili multitudine, ut jam locus patibulis deesset, patibula corporibus. Furebat intus Simon, fremebat Johannes, insidiabantur singulis per ministros suos: si quis fugere tentaret, tractus per humum discerpebatur. Eorum quoque qui abie-
6 rant, proximi trucidabantur,[6] aut cruci affixa plerorumque cadavera suis, qui elapsi fuerant, ostentabantur. E diverso etiam ipsi murum quadam patibulorum segete prætexuerant quasi de adversariis triumphantes, si quos de suis ad Romanos velle confugere deprehendissent, ut ceteros transgrediendi metus incesseret. Nullus locus immunis

A acerbitatis; foris captivitas, intus fames, formido utrobique. Minus tamen timebantur arma quam tormenta, leviusque erat confici tumultu potius hostico quam parricidio. Nec intermittebat tamen Cæsar invitare factionum principes ad spem deditionis. Namque extructis aggeribus denuntiabat non longe abfuturum operis effectum, imminere urbi excidia; consulerent sibi ut et salutem lucrarentur, et templum incendiis eriperetur. Id quo facilius crederent, amputatis plerique Judæorum manibus dirigeban-
B tur,[7] ne voluntario transfugio transisse ad Romanos 7
æstimarent et, quasi perfidis non deferrent fidem, vel eos ipsi necarent. At vero illi præ admonitione sedula gravia retorquebant convicia: funestiorem sibi humanitatem Cæsariis quam crudelitatem videri, quod altera libertatem eriperet, altera vitam auferret; malle se liberos mori quam servos vivere; devovisse animam suam templo; immortalitatem futuram, si cum templo exustis aris ac focis patriis immorerentur. Nihil egisse Titum, eripuisse
C parva, dedisse plura. Pro templo sibi paradisum succedere, illoque[8] si qui pro templo Dei pugna- 8
verint transferendos; tantum ne oculis sui triumphos romanos viderent, et captiva jugo colla subjicerent. Consecrari parvulos suos, non interfici, quorum parentes cœlestium propugnatores fuerint sacramentorum. Quo commotior Titus, ut eos saltem eriperet qui inviti attinebantur, admoveri jussit machinas.

D

CAPUT XIX.

Erat in exercitu Antiochi Commageni[9] filius, 9
qui venerat ad belli societatem, impiger sane juvenis et manu promptus, sed consilio parum providus, qui moderationem romani exercitus lentiorem ratus, nec considerans muneris difficultatem, insinuavit Cæsari, mirari se, quod cunctarentur Romani murum succedere.[10] Risit Titus et ait: 10
Commune est opus. Eo sermone juvenis sese pro-
E ripuit cum iis quos armatos Macedonicum in morem promptiores ad bellandum habebat. Namque et aliis subnixus advenerat: cohors tamen, quæ appellabatur Macedonum, et viribus corporis et proceritate ipsa præstare ceteris æstimabatur. Quibus appropinquantibus bellum adolevit, contra de muro promptius decertantibus, quos extrema urgebant pericula, et successus præsentis certaminis animabat; cum inferiores a superioribus frequentius transfigerentur, ad superiores non omnia perveni-
F rent spicula. Filius tamen regis, juventa alacris, armis munitior, comitatu succinctior, alios eludebat ictus, repellebat alios, quos etiam ut caveret suggerentibus sociis instruebatur, et ideo integer a vulneribus perseveravit: sed de Macedonum cohorte plerique, quoniam pudori putabant etiam na-

[1] Weber locum supponit corruptum; sed revera nulla corruptio animadvertitur si pro *mediis* intestina intelligantur, quæ in *medio corpore* sunt. A, *urente* pro *virenti;* sed *virenti* admitti potest pro vera lectione, quia corpus valde extenuatum et infirmum viridem quasi colorem assumit; item habet *membris* pro *mediis*. Gualtherus supponit *inediis* pro *mediis*, sed omnino insulse.

[2] *Serpentini generis*, Am et C loco *serpentum generibus*, quod vulgo. Illam vero pro vera lectione habent etiam Gualth. et Barr.

[3] C addit *et canum*.

[4] *Vel ut* hic et subsequenter valde melius pro sensu legitur in Am, C et Pa ac *veluti*, quod vulgo.

[5] Vulgo, *afflictos;* sed A et C, *affixos*, conformiter Josepho, προσήλουν ἄλλον ἄλλῳ σχήματι.

[6] Hanc veram lectionem censent Gualtherus et Barrensis; vulgo tamen ac C, *cruciabantur*.

[7] Nempe, in urbem. Subsequenter pro communi *æstimarentur*, Am et C, *æstimarent*, quod convenit sequenti *deferrent* Judæi.

[8] Id est, *in Paradisum*. *Illoque* legitur etiam in Am et C.

[9] Ita Am, C ac Pa loco communis *Comageni*.

[10] Vulgo, *succidere*, sed contra sensum, unde legendum *succedere*, conformiter cap. 23.

turæ aut munimentis cedere, pertinacius præliantes vulnerabantur. Itaque conatu irrito cessere superioribus, docti etiam viri Macedonici,[1] si vellent vincere, et alacritatem Alexandri ad præliandum esse necessariam, et vincendi eventum. Namque ille cum obsideret urbem morantibus ceteris et circa solemnes machinas immorante exercitu, appositis impiger scalis murum ascendit, fugatisque præsentibus, qui de muro repugnabant, solus se in urbem dejecit. Nec erat temporis ut ipse sibi sine comite portas aperiret, cum urgerent pericula; sed immodicus animi ac victoriæ avidus in hostem prosilivit. Cessere agmina, sed quantos poterat solus prosternere? Deinde per diversas urbis plateas circumfundebantur hostes, ut si in unam partem Alexander incumberet, aliis post se circumvallandi copiam daret. Retorquebat itaque victor gressum suum, ne a populo circumdaretur. At illi conferti inter se urgere cœperunt, inhorrescere super eum telorum vis plurima. Resultabat galea tinnitu, clypeus fragore saxorum; ac ni metuentes duci irrupissent Macedones, victor innumerabilium gentium intra urbem exiguam fuerat oppressus. Fuit igitur alacritatis quod murum insilivit, hostem dejecit, in urbem solus triumphali saltu sese proripuit, impetu suo fugavit populos; id tamen etiam eventus, qui maxime duci necessarius est, quod tantis ingruentibus populis, tot sagittarum jaculis, tot ruentibus spiculis, nullus fuit lethali vulneri locus. Periculum itaque virtus attulerat, mortem quoque alacritas invexerat, si eventus bellantem deseruisset. Ingressi sunt Macedones prorupta[2] porta. Sic temeritas victoriam invenit, et eventus periculum in gloriam vertit. Noster quoque David cum pugnaret adversum gigantes, intentus[3] in hostem a tergo percussorem habebat; sed librantem ictus suos comes regis Abisai prævenit. Verum Alexandrum eventus servavit, prophetam gratia.

1 Reg. XXI, 16, 17.

CAPUT XX.

1. Cedente itaque Antiochi regis Commageni filio, et cognoscente quod non formidinis sed cautionis esset romani exercitus perpensa moderatio, ut aggeribus et vineis, arietibus quoque et ceteris machinamentis murum adorirentur, extruebantur aggeres per numeros opere diviso. Præcipui quatuor insurrexerant, ex quibus unus e regione munitionis, cui nomen Antoniæ, per mediam ductus erat piscinam, quam Struthiam vocabant. Hunc aggerem quintus numerus triginta cubitorum in altitudinem fecerat juxta Johannis sepulcrum. Quibus e diverso Johannes princeps seditionum cuniculum soffodit, et Romanorum opera suspendit. Ignorantibus iis quid latenti cuniculo Judæi machinati forent, quia fulturis tabularum materia æque subjecta, superiora cuniculorum suspenderant, fraus omnis latebat. Itaque ubi opportunitas visa, ignem apposuere, qui adultus sulphure et pice, quibus illita erat materies quæ fulcra cuniculo dabat, ligna omnia facile consumpsit. Incendium subjectorum ruina sequuta est. Itaque Romanorum opera subito lapsa sonitum ingentem dedere. Pulvere itaque et fumo repleta omnia plurimum tenebrarum obduxerant, majoremque terrorem injecerat latens causa. Deinde ubi consumptis alimentis ceteris, quibus primo opertus erat, liber postea ignis erupit, dolum prodidit, et Romanis ad præsens quidem formido periculi minuta, sed evacuati laboris grave successit tædium; simul quod insultabant Judæi, non mediocris angebat pudor et in reliquum parandæ expugnationis spes[4] refrixit.

2. At in parte alia biduo post, cum jam murus ariete quateretur, Tephtheus de Galilæa et Magassalus Adiabenus et Chagiras direptis facibus in machinamenta muralia prosilierunt. Nihil his viris audacius, nihil terribilius eo bello ex urbe in hostem processit. In medium namque hostium proruentes non trepidaverunt, non retractaverunt, sed tamquam familiarium suorum consortiis immorati, non ante remeandum putarunt, cum undique in eos pila, sagittæ, spicula jacerentur, quam subjectis ignibus adolerent obsidialium instrumenta machinarum. Concursus ingens romani exercitus, ut incendium restingueretur; Judæorum quoque clamor et studium, quo subtexerent impedimenta Romanis, ne subvenirent. Illi arietes properabant flammis subducere; isti adhuc spargebant incendia, unde comprehensis omnibus, quæ uri poterant, Romanos flammæ circumvallaverant, nisi mature consuluissent. Instabant enim acriter Judæi, atque hoc ipso, quod in ea parte conatus irritos non habuerant, successus audaciam alebat. Denique non contenti jam munimentis muralibus, ultra progrediebantur, atque ipsas Romanorum incessebant custodias, et ad castellum, in quo prætendebant Romani, ultro eversum perrexerant. Et nisi romani nominis gloria et militiæ vetus disciplina, quæ munia hujusmodi deserere gravioris pœnæ arceret formidine, furentibus repugnavissent, expugnatores urbium ipsi propriis cesserant munitionibus. Versa itaque species belli et usus obsidionis: catapultis et velocioris generis jaculis sese defensabant Romani, ut Judæos repellerent, quo ipsis ante genere resistebatur.

3. Inter quæ Titus advenit clamore excitus, et accersitus ad remedium. Romanis continuo vires additæ præsente Cæsare, et pudor aluit audaciam clamante Tito, grave romani nominis opprobrium, si versa vice suos amitterent, quibus jam hostium muri, qui diruerentur, defecerant: diffidentes Judæos munitionum sola niti temeritate: starent tantummodo Romani; victoriam non defuturam. Itaque hortando pariter ac præliando Titus statuit suos, avertit Judæos, qui non solum animis ad mortem parati, sed ipso nisu corporis irruebant ut Romanos gradu moverent. Nec mediocre fuit periculum Cæsaris inter confusa omnia, cum ab hoste socius non discerneretur, inter quæ Titus in medio versabatur audax juventa, et gloriæ cupiditate ad præliandum acrior quo celerius victoria consummaretur, in secundis triumphi ponens curam salutis.

[1] Vulgo et C, *viri Macedonibus;* sed rite Gualtherus et Barr. pro vera lectione habent *viri Macedonici,* ut in Am.

[2] Ita communiter; forte legendum *proruta.*

[3] Vulgo, *invectus;* sed Am et C, *intentus,* quod pro vera lectione habent etiam Gualth. et Barr. Item de subsequenti *librantem,* pro quo vulgo, *liberantem.*

[4] In C e compendiosa scriptione *sps* Weber legit *spiritus,* et juxta eum ex illa orta communis lectio minus recta *spes.*

CAPUT XXI.

1. Depulsis tamen hostibus, anceps consilium: alii reformandos aggeres, reparanda machinamenta muralia opinabantur; alii abstinendum obsidionis periculis suggerebant, deesse reparandi materiam, commune cum victis periculum; muro claudendam urbem consultius arbitrabantur, ut conficeret fames defectos subsidiis alimentorum.

2. Præponderavit hujusmodi sententia, ut clauderentur ne liberos excursus haberent, quo amplius et desperatione fugiendi, et indigentia cibi conficerentur. Divisis itaque per numeros portionibus, propere murus surrexit, quo per circuitum omnis inclusa est civitas. Distribuit officia suis Cæsar ut noctibus quoque custodiendi vices non omitterent. Prima vigilia ipse obeundi singulos custodiarum ordines munia curabat; secundam vigiliam Alexandro deputavit; dein per ordinem tribunis, prout cujusque erat solertia comperta, vices mandatæ. Castellis erat murus per intervalla intextus; in his manus militum prætendebat; vigiles ex æquo sibi somnos et tempora vigiliarum sortiebantur. Circuibant momentis omnibus murum per spatia quisque præscripta suo muneri de castello in castellum: per ordinem et munerum vices nox frequentabatur.

3. Præcisa undique spes Judæorum, clausisque se infuderat fames atque in ipsas populi medullas descenderat. Personabant omnia gemitibus deplorantum miserabilis mortis supplicia: repleta erant universa seminecum cadaverum et si paululum expectares, intra momenta deficiebant quos viventes repereras. Ipsi quoque qui adhuc spirabant, macie confecti imaginem mortis gerebant. Exhausti fame et tabe luridi, nemo oculos quidem facile adtollere, quia nullum vigorem naturalis motus consumpta jejunio substantia dabat. Figura sola hominis remanserat, usus interciderat: simulacra cerneres, officia desiderares. Arida cutis siccis hærebat ossibus: si levis motus viventem proderet, fœtor redarguebat: exiles artus et color ita niger ut umbram putares. Nec humandi miseros officia suppeditabant exhaustis primo omnibus et continuo morituris; et si cui vires aliquas recentior cibus dabat, congestio cadaverum spem ademerat, impossibilitatem incusserat. Plerique etiam condendis suorum funeribus immoriebantur, et inexpleta supremi muneris officia suo quoque obitu derelinquebant. Ruebant super defunctos quos susceperant muniendos, ut ipse quoque oneri accederet cui levando advenerat, indigens ejus ministerii quod alii deferebat. Nec erat ullus dolori locus in communi omnium calamitate, nisi quod auctores tantæ miseriæ superviverent, nec tempus querelæ liberis quidem jam vocibus, si loqui possent. Quid enim sibi jam morientes timerent, sed tamen mutis jam sensibus adspicientes templum, quasi inde ultio tam diri exitus deposceretur? Aruerant supremorum
1 munerum[1] lacrimæ, quia omnem affectum vis mali clauserat. Obriguerat animus, omnis sensus hærebat

A plusquam lacrimanda tolerantibus. Deerat jam terra tumulis, defossis omnibus intra urbem locis, quæ potuerant dare usum sepulcri. Tentabant aliqui inter duos muros, novum hostium,[2] veteremque urbis, 2
procedere nocturno silentio; periculosa licet, pia tamen furta persuaserant. Itaque pro uno plures insepulti[3] jacebant, et eo, quod uni deferre ge- 3
stierant pro bono[4] munere, defraudabantur: sed 4
etiam ubi hostis deerat, fames operabatur. Sepultor plerumque præveniebat sepeliendum, et tumulo eo,
B quem alii paraverat, includebatur subito exanimis; et lapsus cum defodit, velut quodam studio operis sui jus vindicabat. Et ubi terra deerat, tabulata innectebantur, ut defunctorum cadavera loculis includerentur. Plerique eos sibi ipsi parabant manibus suis, ne deficeret hujusmodi ministerium, atque in his se sponte condebant suspecti, ne mors præveniret et sepultor deesset. Silebant omnia metu; inedia vocem ademerat; civitas plena mortis, et nullus ejulatus in exsequiis totius urbis. Et
C tamen, cum sensus quidem doloris interierat, injuria non desistebat. Non deerant etiam in tantis malis deteriores omnibus violatores etiam sepultorum. Quid dicam non horruisse cum illuderent mortuis, et gladiorum suorum aciem in defunctorum cadaveribus pertentarent; nonnulli etiam viventium adhuc urgendis corporibus experirentur, si tela sibi præacuta[5] forent: et hic tamen usus 5
plerisque rogantibus denegabatur, ut miseros ad graviora supplicia fames depasceretur? Nequaquam
D tamen ultio morituris deerat: nam quod vivi non potuerant, vindicabant se mortui, ultorem sui fœtorem creantes, quo se de latronibus ulciscerentur. Cui graviter sævienti quærentes remedium, speciem quamdam pietatis induerant etiam ipsi qui latrocinabantur, ut eos de publico ærario sepeliri juberent. Sed ubi nequitum occurrere,[6] tunc de 6
muro defunctorum reliquias in profunda precipitia dejiciebant.

4. Itaque adspiciens Titus præruptos specus
E plenos cadaverum, saniem dilaceratis visceribus innatantem, alte ingemuit, et manum ad cœlum elevans testabatur haudquaquam illud sibi adscribendum, qui voluisset veniam dare si deditio procederet: expectasse se ut pacem rogarent, paratum se fuisse ut incolumes servaret si bellum deposuissent. Jubet itaque aggeres rursus jacere, licet etiam non propinquantibus silvis, quia succisa erant omnia suburbana nemora silvarum. Vehebant materiem milites, spe victoriæ solantes laborem;
F nec tamen frangebantur animis principes seditionum. Furebat Simon, nec tantorum mortibus exsaturatus cedebat; et quia inimici deesse cœperant, in socios convertebatur.

CAPUT XXII.

Denique ne Matthiam quidem, quo auctore in urbem receptus est, inexcruciatum[7] necavit, nul- 7
lius apud se convictum flagitii, sed insimulatum
G proditionis et suspectum consilii, quod in usum

[1] Vulgo, *numerum;* sed Am, C ac Pa ut in textu, et apud Gualth. et Barr.

[2] Vulgo, *ostium*, sed sine sensu; rite C, *hostium*, id est, murus recens ab hostibus extructus.

[3] A Romanis nempe deprehensi.

[4] Ita Am et C; vulgo, *bonorum*, ubi Gualth., supplendum *operum* opinatus est.

[5] Ita Am ac C, Gualth. ac Barr.; vulgo, *acuta*.

[6] C, *occurrere nequeunt*, quæ lectio communi præferenda non fuit etiam quia non convenit in tempore cum sequenti *dejiciebant*.

[7] Vulgo, *excruciatum;* sed *inexcruciatum* requiritur a contextu, et præterea legitur in A, Am, C ac Pa.

plebis sedulo et sine ulla fraude tamquam familiari crediderat insinuandum. Id alte impressum aliquamdiu tenuit, nec jam se ut amico credidit, sed aluit indignationem, indicio dissimulato. Ergo insimulatum apud se quod cum Romanis studio congrueret et conveniret, rapi cum filiis jubet. Accersitur, nec defensionis ulla copia datur; ante examen adjudicatur supplicio, nec soboles ejus excipitur, sed pœnæ adjungitur. Orabat non vitæ usuram, sed mortis celeritatem, naturæ ordinem, ut prior occideretur, ne filiorum neces spectaret, nec superstes esset funeribus liberorum suorum ipse continuo funus futurus. Non impetravit quod ipsa pietas exigebat, etiamsi non rogaret. Et[1] hoc rogabat reddi sibi pro munere quod ei urbem aperuisset, reus quidem patriæ, sed conciliator Simonis. Debuerit ille hanc pœnam civibus, debebat tamen ei Simon gratiam, quo crudelior, qui nec amico pepercit, nec patrono receptionis suæ pœnam relaxavit. Ducitur ad supplicium pater cum tribus liberis; nam quartus fuga se exemerat. Statuitur in conspectu romani exercitus insultationis specie, ut supplicium ejus viderent ad quos egredi desiderasset. Liberent te, inquit, si possunt amici tui. Deducuntur et filii, nec suprema liberis oscula dare, nec ultimo complexu filios suscipere permissus, non fraudatos tamen vocis patriæ libertate miserabili filios alloquio prosequebatur. Ego,[2] filii, vobis hostem induxi; ego carnifices adhibui, quando Simonem ingredi in urbem rogavi. Ille dies nobis mortis hujus, ille parricidalis causa spectaculi. Merui, fateor, nec culpam excuso; dum unum reprimere gestio, accersivi deteriorem. Ad auxilium Simon petitus, et ad parricidium patriæ conversus, sedula consilia in crimen deduxit. Rei fuimus patriæ qui defensorem quæsivimus, et recte quidem solvimus pœnam imprudentiæ, non tamen perfidiæ. Absolvit nos Simon ipse dum perimit, qui pronuntiat non sibi a me donatum, sed patriæ contuitu petitum, ut contra Johannis sævitiam auxilio futurus quam primum adesset et Idumæos induceret. Putabamus duobus inter se conserentibus liberam plebem futuram. Quis mihi crederet, non tibi id me studio detulisse, sed de malis hoc tolerabilius æstimavisse, nisi tu occideres? Sed quid ego sic loquor quasi crimen excusem? Nihil sane mea sententia gravius facere potui, quam quod te in cervicibus nostris locavi. Sed in eo patriæ reus, non tibi fuerim. Debuerim ego civibus mortem, sed tu mihi gratiam. Debuerim patriæ pœnam proditionis quod te induxerim; tibi quando proditor esse cœpi? Si fugiendum putassem, consulueram mihi, non violaveram patriæ necessitudinem. Quis enim hostem non defugit, et hostem internum? Ac te civem putavimus, sed hostem invenimus. Ad auxilium petitus quid rependisti? Quid ante pollicitus, et quo postea conversus? Ingressus eras ut hostem expelleres, non ut hostem

A exerceres; ut prohiberes neces, non ut ipse adjungeres; ut latrocinium repelleres, non ut ipse latrocinareris; ut subvenires innocenti populo; cur in ipsum tua arma vertisti? Ante latrocinio appetebamur;[3] tu bellum intulisti. Ante pauciores ad mortem rapiebantur; tu stragem populorum fecisti. Quis proditor patriæ; quis romana arma plus juvit, nisi qui extinxit patriæ propugnatores; nisi qui eripuit tantorum civium defensionem; nisi qui ab hoste in socios detorsit mucronem? Hostis extra
B muros pacem offerebat; tu intra muros prœliabaris: ille obsidionem volebat solvere; tu expugnationem adproperabas: ille prohibebat incendia nostræ urbis; tu flammas in ipsa templi jaciebas fastigia: ille nostrorum contuitu sacramentorum inducias dabat; tu per ipsos sacrorum dies altaria Dei supremo urbis excidio, sacerdotum quoque sanguine restinguebas: ille muros, tu templum obsederas. Coacervabo[4] crimina mea. Ego patriæ manus intuli; ego tuum furorem armavi; ego hæc
C universa deliramento quodam senectutis excidia[5] impressi. Agnosco dementis ætatis imprudentiam: confessione levemus pudorem, quoniam negando peccatum exuere non possumus. Duo præ ceteris excidium patriæ acceleravimus, ego errore consilii, tu proposito parricidii. Pendo igitur, patria, tibi debitas pœnas, et hoc ipso Simoni gratias ago, quod cineribus tuis superstes non ero. Atque utinam nec liberis essem superstes; sed ad sceleris tui, Simon, acerbitatem filiorum necis spectator
D assisto. Merui, fateor, qui[6] Johannem pictum videre non potui, et te armatum elegi. O præcipitem senectutem! imaginem timuimus; tyrannum expetivimus. Ego fidejussor tuus, ego deprecator tuus legationem pertuli. Ego te dominum rogavi, percussorem introduxi. Spectemus ergo quæ fecimus. Johannis nos cera terruit; Simonis latrocinia delectaverunt. Acceleretur itaque pompa funebris, veniat carnifex, filios ante ora patris, patremque obtruncet super filiorum cadavera. Hauriam miserabilis senex ictum carnificis super colla pignorum
E sævam librantis[7] securim; quo spectaculo nihil funestius nisi ille qui jubet. Crudelis, sceleste, facio quod præcipis, facio sed invitus. Habeo tamen consolationem tantæ calamitatis. Patior quidquid miserrimum est, dum tu jusseris. Quidquid est immanissimum subeo libenter te arbitro. Implesti mensuram scelerum sævissimorum. Liceat saltem affari liberos, extremum pignoribus vale dicere: sit ullus ultimus locus osculis, quæ nobis etiam
F cum feris communia sunt. Non prohibeatur miserabilis amplexus naturæ, quem etiam defunctis potest casus donare. Quod igitur ad pœnam præcepisti, proficiet ad pietatem mihi. Cadam super funera mea, et insepulta adhuc velut quodam corporis mei cespite tegam, ne discerpant volucres, aut feræ devorent. Lambam lingua patria sanguinem meorum pignorum et meo[8] diluam, ne lam-

[1] Vulgo deest *et*, quod habet Am ac C, et admittunt Gualth. in ed. 2ª et Barr.

[2] Apud Josephum nulla hic legitur oratio.

[3] Ita Am et C, quod veram lectionem habent etiam Gualtherus et Barrensis. Vulgo, *appetebantur*.

[4] Ita C, et hanc pro vera habent lectione Gualtherus quoque in ed. 2ª et Barrensis. Am, *coacervo*. Vulgo, *coacerbabat*, quod Gallandus tuetur. Sed quidquid sit de exemplis ab eo adductis, hic loci contextui melius convenit lectio nostra.

[5] Ita C; Am et Pa, *exitia*, ut vellent etiam Gualth. in ed. 2ª, et Barr. Vulgo, *initia*.

[6] Vulgo, *quia*; sed *qui* in C, et hanc pro vera lectione habent Gualth. in ed. 2ª, et Barrensis.

[7] Vulgo, *vibrantis*; sed melius Am et C, *librantis*, quod pro vera lectione habent etiam Gualtherus et Barrensis.

[8] Vulgo, *meum*, sed Am ac C, *meo*, quod meliorem inducit sensum.

bant bestiæ; et fortasse addet hoc pietas et miseratio naturæ ipsius, ut artissimo amplexu moriens liberos meos stringam, ne tu possis separare cum velis. Certe si separabis corpora, animas tamen non separabis. Sed satis, jam satis lacrimarum viaticum sumpsimus. Præite, filii, et secuturo patri viam parate. Si potuero consequi, comitabor simul,
1 etsi[1] illic impedimento erit senectus, quo vigentes juvenes minus consequar. Ad mansionem præcedite ut fessum patrem suscipiatis diuturno hospitio. Volui quidem præcedere ipse, et rogavi, sed non impetravi; tamen quod innoxii estis, eo meliora vobis hospitia deferentur, quam si ipse accersitor Simonis prævenirem. Gravat me illa legatio, licet
2 a civibus mandata, petente populo suscepta.[2] Præcedite ergo, filii, mundiores, supernum iter carpentes vestigio. Et Machabæi matrem prævenerunt;
3 sed illi ad præmium, vos[3] ad supplicium. Spectavit tamen pia mater morientes filios, et supra suorum se volutans sanguinem, vidit complectentes se invicem fratres naturæ necessitudine, et suo lætabatur triumpho, quem de tyranno consequebatur. Diversa quidem patientium merita; sed eadem sævitia utriusque præcipientis. Invenit hoc Antiochus persica immanitate; apud ipsos enim novorum sunt commenta suppliciorum: tu exsecutus es. Ille tamen servavit ultimam matrem ad persuasionem regiæ voluntatis; tu servari jussisti patrem ad cruciatum paterni doloris. Consolamini vos, filii carissimi; patimur nos quod passi martyres sunt. Simon statuit quod persecutor barbarus invenit, tyrannus præcepit. Proficiscamur igitur volentes, ut fugiamus conventus latronum. Sane cum in illam
4 perpetuam domum decesserimus,[4] si qui ad nos venerint qui requirant, quid agat ille quondam populus Dei, quid illis respondebimus, maxime si vobis utpote junioribus integer ævi Jonathas, mihi Saul utpote peccatori occurrerit, quid, inquam, dicemus, nisi populum illum Juda, novellum dilectum, quem mare fugit, cui sol stetit, cessit Jordanis, populum, inquam, illum, cui pervius fluctus fuit, aer fertilis, terra cœlestis, quæ non ut no-
5 stra[5] hæc terra, speciem corruptionis induerit, sed resurrectionis gratiam assumpserit, servire nunc Idumæis, et subjectam esse Simoni latronum principi, nec servitutem ipsam habere securam, nec periculum cum libertate? Quid ad hæc responsuros putamus, qui elegerunt bello perire quam libertati patriæ supervivere? Quid etiam Mathathiam responsurum Machabæorum auctorem, qui maluit observando legem sabbato feriatus mori, quam
6 præliatus vivere,[6] si audierit quomodo Simon non solum sabbato cædes civium innumeras agitaverit, sed et ipsos sacerdotes Domini neomeniis et omnibus sanctis festæ celebritatis diebus jugulare coegerit?
7 Quantum ingemiscet Jechonias,[7] cum audierit Simonem, qui seditionibus primo urbem everterit,

A cæde civium violaverit templi vetustam religionem, conventum[8] toties ut sui deditione urbem exueret 8
incendio, malle perire omnia excidio,[9] urbem, tem- 9
plum exuri, plebem totam interfici, ne occupatæ inclinet dominationis fastigium. Quantum, inquam, dolebit Jechonias, licet tempore malorum urgentium minus felix imperio, melior tamen filio! Pater IV Reg. XXIV, 6-14.
enim sibi minus felix esse, quam patriæ, licet miserabiliter pie, tamen maluit. Itaque se cum sua prosapia egressus urbem, Babyloniis obsidentibus
B in servitium dedit, ne eversam patriam et populum Dei captivum videret; filius autem ærumna pari sed affectu impari, dum sibi metuit, et se in exilium et urbem in excidium deduxit. Hic itaque infelix patriæ nec sibi felix, qui et liberos suos et oculos amisit; ille autem prudentior, qui captivitatem civium sua redemit captivitate. Denique exitus docuit. Iste in regno senior, ille junior in servitio defecit, quamvis ei postea thronum regium babylonius rex juxta se constituerit, et con-
C silii detulerit prærogativam, miseræ solatia calamitatis. Denique tolerabilior jam mea sors est post liberorum necem mori quam vivere, ut scias quam crudelis sit qui filios ante ora jugulet patris, cujus etiam regalia munera deteriora sunt quam pietatis vulnera. Aut enim tam impia inferre primo non debuit, aut tam honorata postea substituere, quasi quævis dignitas redimi possit filiorum amissione, aut compensari cædes sobolis quovis usu honoris. Nulla profecto, nulla dignitas tantum do-
D lorem allevat. Nullus honos curat hoc vulnus, nisi sola mors, quæ sensum adimat, recordationem auferat. Festina ergo, percussor: remorare tamen dum liberos video, dum priusquam moriantur adspicio, ne quis ætatis forsitan immaturitate turbatus mortem timeat, cum sæviorem evadat tyrannum. Beneficium est, filii, mori ne patriæ videamus captivitatem: tolerabiliora corporis quam mentis vulnera. Jam tolerabilius et vestras neces specto quas refugiebam, ne spectem neces in com-
E mune omnium, ne videam patriæ bustum et totam urbem sepulcrum suorum. Beatior tamen qui mortuus fuerit, quam reservatus. Summe Deus, ne inter innoxiorum greges sternatur Simon cum liberis suis: spectet captivus quæ intulit. Immo minime, 10
inquam:[10] nam quæ potuit cogitare potest ferre. Nec tamen ea imprecor; consideret quam grande nefas sit quod non potest vel voto retorquere qui patitur; quam acerba ultio, quam sæva commissi sceleris immanitas, quod optat patriæ captivus
F superstes; quia pejora sunt vitæ ludibria quam mortis supplicia. Sed jam quis verborum sit. Festina carnifex; dum cruentum sanguine filiorum gladium geris, percute patrem ut vulnus refrigeret. Hoc solum morituro medicamentum est; hoc solo non sentitur ictus mucronis, dolor vulneris. Percute sub conspectu romani exercitus, sicut impe-

[1] Vulgo, *et erit illic impedimenta senectus.* Sed rectus sensus requirit lectionem nostram exhibitam ab Am et C.

[2] Ita Am, C ac Pa, Gualth. ac Barr. Ita exigit et logicus sensus, non vulgarem lectionem *suspecta.*

[3] Am, C ac Pa, *nos,* quod pro vera lectione habent etiam Gualth. et Barr. Attamen communior *vos* melius respondet contextui, quia est in relatione ad fratres Machabæos.

[4] Ita Am et C, Gualth. in ed. 2ª et Barr. Vulgo, *discesserimus.*

[5] Ita rursus Am et C, Pa, Gualth. et Barr. Vulgo, *vesart.*

[6] Fuit hic in auctore memoriæ lapsus, cum aliter res enarretur lib. I. Machab. II, 31 et seqq.

[7] Idest Joachinus Judæorum rex, ut apud Josephum lib. X *Antiq. Judaic.*

[8] Scilicet *compellatum.*

[9] Ita juxta lectionem communem *excidio* jungitur præcedenti *omnia.* Sane mendose Am, *omni excidio urbem.* Forte genuina lectio in C, *perire omnia, excidi urbem.*

[10] C, *inquit,* nec duplicat *minime.* Juxta hanc lect. supplendum esset *aliquis.* Jure tamen postea, *quæ,* ut rursus in Am et C; non *quem,* ut vulgo.

ratum est, ut spectent vindicaturi. Misereatur hostis, quia socius non miseretur; judicent Romani, quia Simon occidit sine judicio. Testes sunt ipsi me non proditorem patriæ, sed defensorem fuisse, qui pugnantem viderunt, non deserentem. Liberis ego meis, si potuissem, hostem avertissem, non hostem advocassem; atque utinam nec Simonem accersissem!

2. Nec finis ullus adhibetur tantæ crudelitati; jacebant adhuc cum patre insepulti liberi; adjungitur et sacrilegium spectaculo parricidali. Cæditur Ananias sacerdos claro genere ortus, licet nemo clarior sit splendore generis quam munere religionis. Illo enim affectatur nobilitas, hoc non desideratur. Habeat sibi vetus prosapia diversorum fasces honorum; habent et sacerdotia suos fasces, qui elevantur non humeris, sed moribus, et attolluntur non virgarum proceritate, sed laborum perseverantia, fidei altitudine, pietatis fastigio. Percussus est etiam scriba Aristeus, claræ et ipse originis, et cum ipsis alii de plebe quindecim præeminentes ceteris, licet injustam necem non nobilitas faciat sed innocentia.

3. Præoccupantur etiam undecim viri, qui pariter conspiraverant commoti scelerum ejus atrocitate, et sibi quisque metuentes quæ in alios exerceri videbant, quo infidelis etiam amicis foret et spes ademptæ, populante universos fame, Romanis jamjamque irrupturis, turbato Simone ad opem defensionis, bacchante ad officinam crudelitatis, facilique illecebra proditionis, quod Judas unus ex ipsis turrem tuendam susceperat. Is igitur cum Romanos vocaret traditurum se pollicens turrem, fastidientibus aliis quod tam sero proditio procederet, aliis dubitantibus quia frequenter promissa deditione dolum paraverant, prævenit Simon, et de universis conspirationis sociis pœnam exegit. Corpora quoque eorum de muro præcipitata.

CAPUT XXIII.

1 Clausus tenebatur Josephi pater, nec ulli[1] ad eum accessus patebat. Eo studiosius Josephus ad deditionem invitabat Judæos, et inconsultius murum successerat, ut liberaret patriam cum patre; quo loci saxo percussus caput concidit, ac pene
2 jactis[2] desuper telis oppressus fuerat, nisi præcepto Cæsaris missi forent, qui eum protectum clypeis eriperent neci. Comperto mater filii sui vulnere, et insultantium latronum consternata vocibus, mortis ejus formidinem simul et fidem induit. Miserabiliter quoque deplorare occœpit, ad hos fructus fecunditatis se reservatam, ut nec officio viventis filii potiretur, nec sepeliret defunctum; voti quidem sui fuisse, ut ipse potius matri sepulturam daret, inter ejus manus supremum exhalaret spiritum, ille frigidos artus deficientis foveret, ille ultimos ore anhelitus legeret, ille oculos morientis clauderet, ille spirantia adhuc ora componeret. Sed quia voto exciderat, solatium fuisse, si vel ipsa interesse potuisset filii morientis supremis bis miserabili quidem sorte, sed tolerabili tamen, ut quem superstitem optaverat, ejus vel funus teneret. Verumtamen vel de muro, inquit, spectare mihi mea funera liceat, etsi contingere non licet. Utinam[3] quidem nemo arceret: sed 3
quem metuam destituta tanto filio? Quid pertimescam cui beneficium est mori? Utinam in me tela sua omnes contorqueant, me gladio transfigant; quod vivens non potui, mortua saltem filii mei corpus veste mea protegam. Abundat unius vestimentum ad sepulturam duorum, et fortasse quisquam hostium miserebitur, ut amictu filii matris oculos tegat, et oculos oculis, manus manibus, oribus ora connectat. Proripiens itaque se ad muros, cœlum ipsum miserabili questu replebat. Insultabant sui, flebant Romani; apud socios crudelitas; apud hostes misericordia. Figite, inquit, me, si qua est pietas; ego genui quem persequendum putatis: ego infelicia ubera dedi; me extinguite, si de illo vindictam quæritis.

CAPUT XXIV.

1. Dum ista deplorat, ecce ad vocem matris processit Josephus, et deflere cœpit quod evaserit, cui dulce fuerat ante patriam mori et pro patria, dum salutaria suadet, procumbere; se jam non pro parentum contendere salutem, qui depositi ævo, cum in carcere vitæ finem supremum exigant, liberantur si moriantur; sed pro ara, pro templo, pro semirutis adhuc urbis mœnibus trepidare. Obtulisse se vulneri ne patriam everti videret.

2. Qua excitati querela plerique ad Romanos transeundum rati, qua potuerunt via subtraxere sese insidiis latrocinantum et custodiis prætendentium.[4] Quibus quidem Titus misericordiam promis- 4
sam reservavit; sed alia gravior ærumna accidit. Namque ubi data alimenti copia, cœpit oneri esse cibus qui prius usui erat, desuetisque edendi officiis ministerium feriabatur. Nulla vis dentium ut cibum manderent, nulla arteriarum substantia; panem arrodere nullo poterant modo; si quid sane sorbuissent mollioris alimoniæ, interclusis jam faucium meatibus strangulabantur; obriguerant interiora viscerum; obstructi erant ductus ciborum. Aruerant jecoris venæ quæ cibos attrahunt; perierat usus, aviditas cumulabatur; virtus defecerat, appetentia manebat. Ruebant supra cibos miseri, et invalidos morsus more infantium meditabantur.[5] Pleri- 5
que, visis alimentis, ipso gaudio deficiebant, atque inter exoptatos sibi cibos moriebantur, solati miseriam quod votum impleverant. Sed erat pompa lacrymabilis, cum a cibo ad periculum surgerent quam ad salutem, ut et victus noceret. Inflabantur enim non solito cibo corpora potius quam reficiebantur, et quasi quodam hydropis[6] morbo distenta pœnas 6
dabant; et si quibus ulla adhuc virtus edendi, aviditas modum nescia, quod perferre non poterant, supra mensuram ingerebat; repentino cibo farti dirumpebantur. Quid enim grave non erat quibus erat gravis et solus affectus, ut obesset

[1] Ita Am et C, ut vellent etiam Gualth. ac Barr. Vulgo, *ullus*.

[2] Ita Am ac C; vulgo, *jactatis*.

[3] Hæc est interpunctio codicis C præferenda vulgari, quæ est: *et si.... non licet, utinam*, etc.

[4] Ita Am et C; ac Gualth. et Barr. Communiter, *protendentium*.

[5] Vox Ambrosio familiaris; uti ex. gr.: *Hunc* (psalmum) *meditari gaudet infantia*. Præf. in Ps. I.

[6] Ita Am ac C cum Gualth. in ed. 2a et Barr., loco communioris *hydropisis*.

vidisse quod desideraverant? Incapaces enim affectuum per longam famem oppressit etiam sensus naturæ, et ipse gaudii motus gravavit. Nihil igitur mirum si exhaustis periculo cibus est. Denique post biduanum jejunium si quid avidius sumpseris, statim crudescit. Unde plerisque moris est ut succum lactis infirmis visceribus infundant, eoque cum melle permixto temperent humorum exasperatam jejuniis intemperantiam, et defectionem corporis velut infantiam quamdam molliore cibo nutriant. Sic ergo nonnulli Judæorum, qui ad Romanos confugerant, potuerunt evadere quadam arte pensantes moderamina cibi, donec desueta edendi caro in suos usus rediret.

3. Nec hoc tamen profuit miseris, sed causa majoris exitii fuit. Nam cum ex iis plerique accepto cibo alvum purgarent, egesserant aliqui bio-
1 nes[1] aureos quos absorbuerant cum adornarent fugam, ne deprehensis, quia insidiatores omnia perscrutabantur, non solum dispendio, sed etiam periculo forent: scelus enim ducebatur aurum quemquam præter latrones habere. Hoc itaque postea Judæi specie miserabili inter inquinamenta
2 alvi aurum legebant. Comperit id quidam e Syriis,[2] et ab uno in omnes opinio manavit. Quod genus hominum præceps ad avaritiam et paratum ad versutiam, nihil tam atrox sit quod refugiat, nihil tam turpe quod erubescat studio pecuniæ. A Syriis in Arabas diffusa fama, quibus et non minor avaritia, et feritas barbaricæ propior immanitati, eo quod farti auro Judæi forent, diripiunt quoscumque offenderant advenientes, contra fas, contra leges deditionis, contra promissum Cæsaris. Quos occidi non licebat, incidunt adhuc viventes, cruentisque manibus eviscerant ventris secreta, alvum scrutantur, et inter ejus manantia purgamenta aurum requirunt non minus turpiter quam illi quos adigebat fames, insuper etiam sæva crudelitate. Multa acerba eo commissa prælio; nihil hoc uno acerbius. Denique una nocte duo millia fere virorum discissa sunt tali flagitio, divisisque visceribus quæstus suos Syria numerabat, Arabia negotiationis recensebat emolumenta, quæ sine transfretati maris periculis novo crudelitatis commento in usum lucri verterant, et mercem putabant. Quod etiam nunc in hujusmodi hominum genere reperias et nonnullis Ægyptiorum, ut curandis funeribus negotientur, et officia humanitatis vendant mercaturæ compendiis. Misera fames auri nihil sequendum putat nisi quod ad præsens lucrosum; nihil honestum quod pecuniæ vacuum. Gravis jamdudum, gravis inolevit humanis affectibus quærendi cupido, et mercatura facta est vita hominum: veno et
3 empto vivitur. Serpsit itaque vitium in universos,[3] ut jam tolerabilior sit commutatio mercium quam morum animorumque. Infecit Syrorum avaritia etiam romanum exercitum: nihil enim facilius in alterum transit quam pecuniæ amor et desiderium habendi, præsertim finitimas opes, quibus vicinus
4 adurat;[4] nec est ulla passio quæ magis animi virtutem effeminet quam cupiditas divitiarum. Denique versutia laudi datur, paupertas probro habetur.

A 4. Impedivit hoc vindictæ severitatem, quia innumeri reperti tanto furori obnoxii; ideoque Titus, qui vallare circumfuso exercitu Syros et Arabas proposuerat, contemplatione multitudinis revocavit sententiam, ut superioris delicti gratiam faceret, et ne postea committeretur pœnam denuntiaret, verborumque austeritate gravior suos argueret, quod auro succincti et argento pretiosisque telis nitentes, nec arma sua erubescerent, ut tanto se dedecore dehonestarent. At vero Syros et Arabas
B increpare, quod immemores romani nominis dictu quoque horrenda excogitassent; venisse eos ad belli societatem, non ad exercitium flagitiorum: in exercitu romano non solum virtutem corporis, sed etiam mentis requiri, nec tantummodo fortitudinem in hostem sed etiam disciplinæ normam spectari, ne crudelis, ne impius, ne insolens miles sit, ne prædæ potius quam victoriæ intentus: ea gravia videri militiæ flagitia et vindicari atrociter: inter arma quoque leges valere; fide melius
C bella geri, quæ servetur etiam hostibus. Si ergo et armatis debetur, quanto magis precantibus? Proinde caverent ab hujusmodi flagitiis, ne et victoriæ exsortes et salutis fierent; neque se diutius passurum, ut eorum scelesta facinora Romanis adscriberentur, quibus oneri quam usui forent. Itaque repressit aliquantum, non exsecuit avaritiam Syrorum, ut arbitrum fugerent, non ut præceptum foverent. Denique explorato prius si forte romani militis deesset præsentia, de miserorum visceribus
D execrabile lucrum proferebatur. Nec tamen in omnibus sequebatur etiam prædæ eventus, sed in paucis; quo crudelior feritas, quia non solum propter opes, sed etiam propter spem lucri plurimi extinguebantur, cum latrones ipsi et sæviores piratæ latronibus a latrocinio temperent, ubi prædam non senserint: solius enim barbaricæ immanitatis est gratis nocere. Nam et ipsæ feræ ut interficiant prædam sequuntur. Foris itaque pœnæ acerbæ, intus immanior Johannes.

E

CAPUT XXV.

1. Denique cum talia gererentur a Syriis, etiamsi aliqui revocarentur indicio comperto, transfugere tamen alii non desinebant. Inter quos Manneus Lazari, qui asserebat per unam portam sibi creditam centum quindecim millia mortuorum elata, additis adhuc octingentis octoginta funeribus, ex quo ipse tuendi vicem hujusmodi recepisset mu-
F neris, idque solo eorum numero collectum, qui mercede publica sepulti forent, præter eos quos sepelierant sui. Quæ autem sepultura nisi ut de muro cadavera dejicerentur? Post ipsum plerique non ignobiles viri confugientes ad Titum, sexcenta millia defunctorum fuisse, quæ per portas elata numerata sint, commemorabant; eorum vero cadaverum, quæ propter infinitam pauperum multitudinem efferri nequiverint, atque in maximis domibus diversorumque operum spatiis constipata sint, nu-
G merum fuisse inæstimabilem. Et adhuc erat processus malorum, quæ jam superiorum omnium

[1] Ita vulgo; cod. Gron., *bihmones;* Am et C, *biniones.* Quidquid de nomine sit, constat fuisse nummos duplicis pretii.

[2] Ita Am et C cum Josepho, convenientibus quoque Gualtherus in ed. 2ª et Barr. Vulgo *Assyrius.*

[3] Vulgo, *innumeros;* sed Am et C, *universos,* ut præferunt Gualth. et Barr.

[4] Ita rursus Am et C; insuper cod. Gronovii, qui *Monob.* 21, p. 234 pro *accendat* vel *stimulet* explicat, exemplisque confirmat. Potius *accendatur.* Communis lectio *abundaverat.*

finem vicerant; adhuc sæva obsidio, bellum grave majoribus jam tamen Judæorum animis quam viribus; super omnia vero fames tetrior, quæ insidiaretur jumentis alvum purgantibus, et vetusta rimaretur boum stercora, ut quod visu erat horribile, hoc fieret esca esurientibus.

2. Miserabilis congeries insepultorum corporum, et circuitu longo terre ipsa tecta cadaveribus, repleta ante muros omnia, terribilis species, horror gravis, odor pestilens, qui nec victores nec victos discerneret, utrisque simul noxius et majore Romanorum impedimento, quibus necesse erat jacentes reliquias cruentato proterere vestigio. Terra ipsius
1 inculcata[1] succisis omnibus, quæ ad usum militis et machinarum necessitate convehebantur; per tredecim ferme in circuitu urbis millia longe lateque vastata humus et nudum gignentium solum. Omne illud pomerium, in quo ante nemora viridantia, horti inhalantes floribus, diversa pomaria, suburbana prædia gratam sui speciem dabant, si quis postea vidit hospes ingemuit, incola non recognovit, et ad genitalem regressus locum, cum præsens adesset, patriam quærebat.

CAPUT XXVI.

1. Reparatis itaque aggeribus et vineis ceterisque machinis obsidionis, renovatus est belli furor, et quasi ad extremam operis manum utrimque studiis conspiratum. Totius enim periculo certaminis decertabatur, quia et Romanis solvenda obsidio foret, si aggeres vel arietes incenderentur, quibus per inopiam silvarum reparationis subsidia non suppetebant, et Judæis excidium patriæ incumberet, si manu cederent, cum quassata murorum repetitis arietum ictibus resolverentur.

2. Processere itaque Judæi cum facibus adeo feroces, ut tamquam cessuro sibi romano exercitu incendia in machinas spargerent, obsidionem solverent; sed exhaustæ jam vires fame et res fractæ priores successus negarunt: substantia defecerat, audacia manebat. Contra Romanis major pudor, si ab iis qui extremum fame spiritum traherent, victoria de manibus diriperetur. Conserto itaque prælio repulsi principes seditionis, ad murorum subsidia bello impares recurrerunt. Sed ubi dubia
2 murorum cessura[2] repetitis ictibus, Johannes haud incuriosus extremi subsidii circumspexit; interiorem murum quasi in C literam duxit. Postero itaque die convulsa parte murali, fragor labentis
3 ædificii[3] et exercitus romani clamor simul increpuit quasi patrato excidio muri prolapsione. Sed
4 ubi conclamatæ urbis resultavit[4] sonus, versa rerum vice novi muri species improvisa Romanorum gaudia restrinxit; Judæorum audacia successit quia periculum differebatur.

3. Tunc Cæsar exercitum adhortari cœpit, ut novum illum murum sine ulla cunctatione adoriendum putarent, quem constructio recens infirmum et facile solubilem proderet; auderent modo animis procedere; fragmenta muralia ascendendi
5 facultatem[5] datura, ut prœliantes Romani Judæis de superiore loco decertantibus adæquarentur. Et

A quia cunctantes videbat rei difficultate, validissimos quosque juxta se congregans in bellum accendebat tali oratione:

CAPUT XXVII.

Omnium rerum exitus plus negotii quam principia habere nulli incognitum, fortissimi commilitones, quia consummatio suscepti muneris majorem quærit laborem. Siquidem toto libera navis currit
B mari, et si non semper a puppi ventorum adspirent flamina, gubernator tamen obliquat velorum sinus, et sine refractione fretum scinditur. Sed ubi ad portum venitur, opportuna aurarum temperies necessaria est, et angusto ingressus navium coercetur limite. Major itaque periculi cura, ubi spes propinquat. Ædificantibus quoque plana exordia fundamentorum, sed ardua celsorum opera fastigiorum, et plerumque in ipso claudendi operis fine mercedis suæ munere defraudatur miserandus faber,
C aut culminis lapsu obrutus, aut instabili deceptus vestigio, ut ad inferiora decidat. De agricola quid dicam, cui procinctus laboriosior messis quam segetis, vindemiæ quam putationis, et adultis fructibus graviora semper metuenda pericula? Nihil ergo novum si adhuc vos in ipso portu consummandi cursus periculum manet, quia per angustiora viarum scandendum est ad Antoniam, quo dejectis inde adversariis, superiorem occupantes locum, ac supra verticem locati hostium, ipsos
D quodammodo anhelitus eorum intercludamus. Sed difficile hoc vobis videtur, commilitones, quasi vero ad ludum, non ad bellum convenerimus, in quo aut vincendum aut moriendum sit viris. Tunc ergo debueratis excusare, quando ad prælium veniebatis, ut vindicaretis cladem exercitus romani, et maculatæ militiæ probrum dilueretis. Si Neronis tempore ulciscendam injuriam romani nominis æstimavistis, quid vos decet velle Vespasiano imperatore? Lavemus superioris imperii notam, ne nostro adhæ-
E reat, quam Nero quidem remoturus per Vespasianum æstimabatur, Vespasianus per Titum in se transfuderit, nisi vicerimus. Exsequenda nobis tantummodo supplementa victoriæ, quæ pater reliquit. Quo fusis incassum tantis laboribus dedecores inultique referemus gradum, victoriam derelinquentes, quasi non levius crimen sit de militia decedere quam victoriam deserere? Illud enim formidinis, hoc proditionis est. Sed periculosum putatis in hostem descendere, et murum armis circumsonare, quasi
F vero muliebria de nobis, et non virilia opera ipsa natura expetat, quæ nobis ideo vitalem infudit spiritum, ut eum pro gloria libenter refundamus. Ad quæ igitur nisi ad maxima quæque a duce suo bellator adhortandus est? Nam usitati operis adhortatio non solum conventis, sed etiam convenientibus affert pudorem, ut exigas quod sponte debetur. Id enim de se militem præstare oportet. Et tamen quid immoderatum a vobis exigo? Nonne præstat mori per virtutem, quam vivere ad ignomi-
G niam? In medias Romanorum acies frequenter Judæus excurrit, ac sese hostibus cuneis impavidus infundit non ad spem victoriæ, sed ad indicium

[1] Ita Am et C, idest protrita, quæ lectio magis convenit sequentibus quam communis *inculta*.

[2] Vulgo, *cæsura*, sed Am, C, Gualth. et Barr., *cessura*, dubium nempe vel probabile quod mœnia cederent.

[3] Ita Am, C ac Pa, loco vulgati *beneficii*.

[4] Ita Am, C, Pa, Gualth., Barr. Vulgo, *insultavit*.

[5] Ita Am, C, melius quam vulgaris lectio *facilitatem*.

fortitudinis et ostensionem gloriæ. Vos, quibus terra marique nemo impune adhuc restitit, quibus non est novum vincere, et crimen non vicisse, cum
1 tanta de cœlo vincendi habeatis suffragia,[1] nec semel quidem in hostem proripuisse gradum non pudet; sed armatos otium tenere, in procinctu positos feriatis animis expectare, ut fames pro nobis dimicet, atque inedia potius sua quam nostris fusi gladiis in opprobrium nobis erubescendos vertant triumphos? Non pudet, inquam, strenui commilitones, universarum victores gentium, nihil de armis sperare, nihil de viribus, sed de sola obsidione, et opperiri quando hostis morbo consenescat, atque in suo moriatur lectulo? Et quæ potest esse sine bello victoria? Omnia sunt repleta cadaveribus, deformes exuviæ jacent exsangues reliquiæ defunctorum, nisi quos ipsi inter se suis manibus trucidaverunt. Quid timemus eos quos jam fames, ignis, latrocinium, seditio extinxit? Quid destituimus divina beneficia? Cujus enim nisi Dei nutu in sua collisi arma sunt? Destituti quoque subsidiis alimentorum, nec ullus domestici finis furoris. Vereor ne jam et religionum videamur rebelles, qui et nostris et suis religionibus infidos tamdiu reservamus. Verum, esto, sit atrox bellum et formidolosum. Quid enim vos belli demulceo facilitate? Sit victoria incerta, certum periculum. Nonne apud eos mihi sermo est, qui humana prudentia noverint in periculis promptiorem esse omnium animantium fortitudinem quam in remissioribus contentionibus? Feræ ipsæ cum se circumvallatas
2 armatis[2] viderint, majore in eos impetu ruunt ut vi sibi aperiant iter, et atrociora serpens latibulis excussus infundit venena. Sunt etiam quæ natura
3 innoxia, in periculis tamen suis ad nocendum fortia[3] sint. Habent cervi sua arma, si quid se obvium ferat, et cornibus mortem repellunt; habent læsæ apiculæ suos morsus. Quid autem de viris bellatoribus apud Romanos loquar, cum Leonides ille Lacedæmone genitus, præliaturus adversus innumerabilem Persarum exercitum dixerit: Prandeamus in terra, apud inferos cænaturi? Tantumque valuit apud Græcos hic sermo, ut non solum de trecentis illis Lacedæmoniis viris, quibus ipse præerat, se nemo subtraxerit præter unum tamen superstitem, quem postea nullus recepit; sed etiam de ceteris qui simul ad bellandum processerant, nisi quos Leonides tanto degeneres bello repudiavit. Quid de Romanorum integris legionibus loquar, quas Cato romanæ assertor facundiæ et veritatis sincerus interpres, asseruit cum exultatione ad bellum prodiisse, de quo se redituros non arbitrarentur, universosque libenter procubuisse ne mutarent sententiam? Beati quorum nemo suis hostium victoriam fuga annuntiavit. De trecentis Lacedæmoniis vel unus subterfugit, et illi in angustiis præliabantur ne circumvenirentur. De ro-
4 manis legionibus nullus vitæ[4] elegit, sed omnes mortis hereditatem, quorum vos posteri estis, si contemptu periculorum, quasi gloriosa indoles, virtutis prosapiam non abnuatis. Quis enim fortium virorum esse se mortalem non noverit, omnibus

A positum finem vivendi? Quanto igitur melius patriæ impendere quod naturæ debeas, et necessitatem commutare gloria; nec anhelæ senectutis suspiriis obnoxiam vitam degere, nec ferventis ægritudinis casus reformidare, cum depositis ævo quotidiana fastidia sint; illorum autem, qui languore marcescunt, deficientibus viribus pariter ac sensibus, ut multorum opinio habet, animi simul cum corpore sepulcro adjudicentur? At vero bellatorum et strenuissimorum virorum, qui se pro
B patria, pro liberis, pro religione morti devoverint, animas de vinculis corporis hujus ferro absolutas nulli dubium quin purum illud ætherium elementum, stellarum lumine refulgens, in cœlestibus suscipiat habitaculis, hospitio quodam supernæ quietis; in terris quoque remanere insigne aliquod vel gratiæ vel injuriæ, ut et languore commaceratos oblivio abscondat, et adversum pectus in hostem referentes si mors convenerit, sequatur gloria. Ad hæc vos invito præmia, commilitones,
C ut in hostem pergamus, quem clausum tenemus, et adscendamus in murum per ruinam muri validioris, quæ nobis velut quemdam aggerem præstat, et æquatur muro inferiori. Quisque[5] virtutis ve- 5
xillum præferens primus in murum ascenderit, vel secundus, vel tertius, vel ut pluribus comes, haudquaquam mihi non donatus opimo abibit munere, etsi nulla major remuneratio quam fortitudinis gloria, quæ plerumque est tutior. Nam ubi primum animis et viribus confidentissimus quis
D ascenderit, fugient qui resistebant, aut ad inferiora se conferent, aut latibulis abscondent. Ita quod maximo nunc periculo sit, si in inferioribus quærimus, sine labore magno sequetur, ut dejectis hostibus bellum conficiatur.

CAPUT XXVIII.

Vix sermonem Titus clauserat, et Sabinus se obtulit ex Syriæ viris egregius bellator, et ante
E Cæsarem consistens ait, obedire se imperiis ascensionis paratum, si eventus sibi adesset, ut Cæsari placeret; si destitueretur[6] secundis, nihil præter 6
spem sibi accidere, qui judicio proprio delegisset pro Cæsare mori. His dictis lævam extendens, clypeum supra caput extulit, et dextra vibrans gladium immane quantum in arma insurrexit, ut quis eum non recognosceret, quem paulo ante exilis corporis specie despicabilem putaverat, subito cum videret pergere in adversum, et hostibus pariter
F ac muris minantem sese extendere, quasi jam celsior in subjectis præliaretur, et murum quateret manu. Sequebantur eum viri undecim studiosi ad imitandum, sed impares ad consequendum. Repugnabant de muro Judæi spiculis, saxis, sagittis, et quodcumque telum manus invenerat, in Sabinum dejiciebatur. At ille imperterritus cursu concito insilivit fragmentorum aggerem, et in summo locatus hostem avertit, dum proximus quisque formidat periculum. Sed dum se librat in murum
G attollens, et securus victoriæ in hostem intendit, lapsus in faciem cum magno sonitu ruit. Quo re-

[1] Idem ac subsidia, vel potius indicia favorabilia.
[2] Ita Am, C cum Gualth. et Barr. Vulgo, *armis*.
[3] Ita rursus Am, C et prædicti editores. Vulgo, *fortiora*.
[4] Vulgo, *vitam;* sed Am ac C, *vitæ*, et quidem concinnius, quia regitur voce *hæreditatem* simul cum *mortis*.
[5] Ita Am et C pro *quisquis*, ut apud Plautum.
[6] Ita Am, C, A, Pa; convenientibus Gualth. et Barr. Vulgo, *destrueretur*, sensu prorsus repugnante.

vocati Judæi cœperunt jacentem missilibus urgere. Ille genu nixus, et se protegens scuto, quamdiu potuit, a vulnere defendit, nec immunem reliquit, quem proximum reperit. Ad postremum tamen con-
1 fectus[1] vulneribus spiritum prius quam bellum deposuit, nec dejectus gradu, nec muro excussus est nisi mortuus, tribus quoque aliis necatis: octo semineces, licet a ceteris tamen exitio subtracti.

CAPUT XXIX.

Nec tamen terrori reliquis mors Sabini, sed incentivo fuit: nam Romani viri, qui prætende-
2 rent[2] vigiliarum munia, compensare cupientes operis effectu, quod Sabini studio præventi forent, viginti numero ineunt consilium magnum et memorabile, ut advocato quinti ordinis signifero et duobus equestris militiæ viris, quos promptiores arbitrabantur, atque uno tubicine, quinta hora noctis silentio per aggeres sese fragmentorum muralium in superiora attollerent, cæsisque custodibus Antoniæ murum occuparent. Quo peracto, terribilior solito sonitus increpuit tubæ, ut fessi labore Judæi et somno soluti de improviso perturbarentur, quod omnia repleta hostibus crederent. Ante itaque fugere cœperunt, quam veri fides pateret: neque enim periculi sors tenebrosæque noctis caligo patiebatur, ut quanti essent cognosceretur. Et Cæsar, audito fragore tubæ, armari exercitum jubet, ipse cum electis primus in murum ascendit suis auxilio, hostibus impedimento. Illuxit dies, et jam Cæsar conspicuus e muro suos adhortabatur, alii manibus suorum in murum elevabantur, alii per cuniculum, quem Johannes ad subvertendos Romanorum aggeres defoderat, in urbem se infere-
3 bant.[3] Versa in perniciem perfidis subsidia sua. Exclusi undique in templum se conferunt. Eo quoque volentes Romani irruere, cohibentur angustiis, armis repelluntur: fit in vestibulo grave prælium, nec jam spiculis aut sagittis, sed gladiis res cominus geritur, manus ad vulnera, gladius super gladium, ictus super ictum: percussor cæsorum sanguine perfundebatur, ut ipse potius percussus æstimaretur. In ipso templo furor bellicus dominabatur: natabant pavimenta sanguine; morientium gemitus, vincentium clamores sine ordine et modo personabant. Romanos conficiendi certaminis spes accenderat; Judæis suprema patriæ excidia ademerant mortis formidinem: hi sumptu gloriæ virtutem alebant; illi desperatione salutis omne effundebant virtutis viaticum, nec reservabant.

CAPUT XXX.

Pulcherrimum quoque facinus adorsus est Julianus centurio, vir armis maximus, ex Bithynia profectus provincia, sed romanis assuefactus disci-
A plinis bellisque exercitus, et honoratæ militiæ clarus stipendiis; qui cum Cæsarem propter adstaret, ubi aversos[4] vidit Romanos, quia Judæi 4
numero præstabant, et adhuc Romani pauciores aderant, subito de Antonia se proripuit, et insequentes avertit; nec sunt ausi resistere ipsa specie præcellentissimi viri, et superba quadam ultra humanam formam virtutis auctoritate, ita ut ipse Cæsar miraretur. O varia atque incerta velut quædam bellorum alea, quæ sicut jactu quodam, ita
B casu[5] potius quam virtute plerumque inopinatis 5
ludit eventibus sufficiens novos exitus. Namque et hic jactus sunt, non tesserarum quidem, sed sagittarum telorumque plurium, lapidum quoque, quibus sæpe victor sternitur alieno vulnere. Et dum aliena spolia rapit, ipse despoliatur, velut hic Julianus, qui tergo imminebat hostium. Dum alios perimit et claustro coercet, ipsa alacritate incautior, confixum clavis calceamentum gerens usu militarium virorum, non consideravit polito lapide solum stra-
C tum, quod cavendum foret; sed quasi in campo præ-
liaretur securus, labitur, et ingentem strage[6] sua 6
sonitum dedit. Nec potuit assurgere lubrico soli[7] 7
fusus, genu tamen se sustinens regressum hostem repellebat, ut appropinquantes cæderet, jaculantes quantum posset caveret. Sed ipsa fatigatus atque oppressus multitudine, solus licet, quia nullus tanto se inserere periculo auderet, non despicabilis tamen neque inultus impigre occubuit. Haud equidem, ut arbitror, tali dignus exitu fuit, ut tanta virtus viri
D sic deciperetur; sed plurimum in bello prudentia valet, quæ cauta semper et perspicax incertorum providet casus. Solus se de Antonia proripuit; solus in hostilia agmina ruit; solus se armis miscuit; solus in templum Judæos redire compulit. Vereor ne istud obfuerit magis, quia de templo fuerant exterminandi Deo infideles: ideo lapsus non invenit remedium. Spectabat Titus vincentem cum gaudio, periclitantem cum ingenti dolore; volebat subvenire, sed longe aberat: revocabatur a suis, quia
E in milite unius sors est; in imperatore universorum periculum. Docebat exemplum quid cavendum, potius quam sequendum Cæsari foret. Denique sic consternati fuerunt socii, sic elati adversarii, ut et corpus Juliani in potestatem veniret hostium, quasi adhuc et defunctum timerent, si Romanis restitueretur. Ceteri, Juliano cæso, facili negotio cessere: nondum enim ascenderant numeri,[8] et in 8
Judæis occasio necis ejus virtutem auxerat, promptissimis eo prælio ad repellendos Romanos Alexa
F et Gyptheo[9] Johannis conjuratis, qui factionis ejus 9
propugnatores forent, ex Simonis quoque parte Malachia[10] et Jacobo Idumæorum duce, egregiis bel- 10
latoribus, Arisimone[11] quoque et Juda tertiæ fa- 11
ctionis viris pariter annitentibus, qui conjuncta manu pulsos Romanos intra Antoniam clausere.

[1] Vulgo cum Am et C, *consertus;* sed *confectus* pro vera lectione habent Gualth. et Barr., ac legitur quoque in ed. Coloniensis anni 1544. Forte genuina lectio fuit *confertus,* scilicet cumulatus; et librariorum errore in *consertus* mutata.

[2] Vulgo, *prætenderant;* sed *prætenderent* Am et C cum cod. Gronovii, in quo et pro *munia* legitur *munere:* hanc autem lectionem ipse tuetur, eamque veram habent etiam Gualth. in ed. 2ª et Barr.

[3] Ita Am ac C, convenientibus Gual. et Barr. Vulgo, *deferebant.*

[4] Ita rite legendum monuere Gualth. in ed. 2ª et Barr., et contextus requirit, non *adversos* ut communiter habetur.

[5] Vulgo hic additur *quodam;* deest vero in Am et C congruentius contextui.

[6] Hic *strage,* cum a *sternere* sit, ipsum indicat casum.

[7] Vulgo, *solo;* sed Am ac C, *soli,* et quidem elegantius et mori Ambrosii conformius, qui *lubricum* ut substantivum communiter adhibet.

[8] Vulgo, *numerosi;* sed Am et C cohærenter Josepho, rite, *numeri;* id est cohortes vel legiones, quæ numeris designabantur, ut aliis etiam locis occurrit.

[9] Ita Am ac C conformiter Josepho; vulgo, *Gitteo.*

[10] Ita ex Josepho; communiter, *Melchio.*

[11] Ita Am, C, A, Pa; vulgo, *Arsimone.* Communis lectio apud Josephum, ὁ τοῦ Μέρτωνος; sed quatt. codd., Ἀρισίμων vel Ἀρὶ Σίμων. Gualth. in ed. 1ª proponit *Jairi Simone,* et supplet *filio.*

CAPUT XXXI.

Contra Titus non munimento, sed impedimento sibi angustias Antoniæ ratus, jubet dirui munitionem ejus funditus, ut congressuris iter in hostem aperiretur. Comperto quod solemnitas Judæis festorum dierum appropinquasset, præcepit interpretari Josephum hebræo sermone quæ ipse alloqueretur. Quæ, malum, ratio Johanni suaderet ut Romanos
1 in excidium templi[1] lacesseret. Si virtuti fiduciam gereret, eligeret alium pugnæ locum, eo progrederetur, dummodo urbi parceret, templum non contaminaret, sacrificia festorum dierum non impediret. Relinqueret quos idoneos sacrificiorum ministeriis æstimavisset; fortitudinis suæ documentum ubi vellet, præter urbem et templum, ederet; congressioni milites Cæsaris non defuturos. Invitum se cogi ad totius urbis eversionem, cujus reliquias servare vellet si pateretur Johannes. Imminere templo faces, non quo templum Romani festinarent exurere, sed e templo educere belli
2 excitores.[2] Si victos se crederent, manus darent; aut si victores futuros sperarent, non inter claustra se reciperent, sed in campis defenderent, quo tem-
3 plum lambentibus[3] jam incendiis eriperetur, vacaret purificationibus. Ea interpretante Judæis Josepho cum silentio audita tacitum vulgus probabat; sed metuebat sententiam suam pandere. Quibus respondit Johannes, nullum præstabilius Deo esse sacrificium quam pro aris, pro focis, pro templo ponere animam viros Deo sacratos, et ideo si necesse sit, libenter procumbere pro libertate; tamen sperare se quod excidium perpeti non possit civitas Dei. Titus ad hæc: Merito ergo puram Deo
4 servatis urbem, et sanctum[4] immaculatum necando cives, interficiendo innoxios, perimendo sacerdotes: talibus flagitiis non placantur divina, sed offenduntur. Abdicatis Deum vestrum sacrificiorum suorum cultibus. Si tibi cibum aliquis negaret,
5 Johannes, quæreres eum.[5] Deo vestro suæ hostiæ non immolantur, nec redduntur sua munera; jugulantur homines, et adhuc putas Deum auxiliari? Revera sic gesta edocent, sic testificatur cæsorum congeries et cumuli vestrarum calamitatum. Quis hæc videns non ingemiscat? Nec reprehenderem
6 quod pugnares pro patria, si nollem parcere,[6] si nollem patriam vestram aut templum reservare. Neque enim digna Carthago, aut metuendus He-

A bræus Annibal,[7] qui partem mediam orbis romani 7
subegerat; et tamen ipsa quoque reparata Carthago, quæ usque ad excidium rebelles civium animos tulit. Fide mea salva hæc omnia futura tibi spondeo; veniam tibi salutis polliceor, non pro mercede sceleris, sed pro redemptione urbis, ut a te redimam periturorum culminum statum. Desinas, moneo, latrociniis tui conturbare propositum pietatis romanæ. Non formidabitur[8] Hierosolyma ut diruatur, 8
quando potior viribus reservata est Antiochia.
B Certe Jechonias vester et Persis credidit, et urbem egressus commisit se cum suis proximis barbarico furori, ne propter se civitas everteretur. Celebratur a vobis ejus memoria, sicut vestri asserunt; adest Josephus assertor ejus et testis celebritatis, qua honoratis virum qui pro patria captivitati se obtulit. Servavit eum et barbarus Persa; ego autem tibi spondeo impunitatem. Certe et Josephus arma Romanis adversa intulit; crede promisso, cujus et exemplum præmisimus: vadem tibi sponsionis no-
C stræ Josephum damus, immo jam dedimus quem reservavimus. Loquatur vobis sermone patrio; obliget se ritu quo soletis; non pudet me vadem quærere, fidejussorem dare ne eversorem exhibeam qui volo parcere. Flere ad hæc Josephus, rogare Johannem, deplorare patriæ statum, obsecrare sermone flebili, appellare ut civem, sed ceteris pertinaciorem, testari Dei omnipotentis gratiam, salvum fore cum suis, tantummodo desisteret excitare militem romanum ad urbis eversionem. Quem ubi
D flectere nequivit, non mirum, inquit, Johannes, si perseveras usque ad excidium patriæ, cum jam reliquerint eam præsidia divina; sed mirum quod perituram non credis, cum legeris propheticos libros, quibus excidia patriæ nobis annuntiata sunt, et reparata culmina rursus a romano diruenda exercitu. Quid enim aliud clamat Daniel? Non enim quod jam factum erat, sed quod post futurum prophetabat. Quæ est abominatio desolationis, quam vociferatus est venientibus Romanis fore,
E nisi ista quæ nunc imminet? Quod est illud oraculum, quod a nostris sæpe commemoratum est, a summo denuntiatum Deo, tunc perituram urbem funditus, cum civium manibus contribulis suus fuerit extinctus, nisi quod nunc impleri videmus? Dan. IX, 26, 27.
Et fortasse, quia jam defendi templum non placet, interdicto maculatum sanguine purgari incendio placet.

[1] Desunt communiter verba *in excidium templi;* sed occurrunt in A, Am et C, ac requiruntur a contextu.

[2] Vulgo, *excitatores;* A, *incitatores;* sed *excitores* in Am et C; etiam præcedenter; et veram lectionem putant etiam Gualth. ac Barr.

[3] Communiter, *labentibus;* sed valde melius, *lambentibus* ex Am et Pa.

[4] Idest *sanctuarium* pro toto templo. Etiam in Josepho, τὸ ἅγιον.

[5] Id est, litem in eum ageres.

[6] Ita communiter; C, *pacem.*

[7] Ad præcedentia hæc notavit Weber: « Locus corruptus, quem Gron. Mon. 21, p. 236 sq. ita tentavit: *Neque enim Hierosolyma Carthago aut metuendus Hebræis Annibal*, ut Titus dicat se excusaturum desperationem ultimam Hebræorum, si aut Hierosolyma Carthago esset, h. e. si tam interessent populi romani Hierosolyma everti, quam olim ejusdem interfuit everti Carthaginem, aut si ipse Titus esset Annibal, h. e. odium inexpiabile in Judæos jurasset, ut Annibal juraverat in Romanos. Quæ non satis apta videntur; lege *Neque enim ea excidio digna Carthago aut metuendus Hebræus* (ut vulgo) *Annibal* (ut in cod. C.) etc., ut sit sensus: pacem vero volo patriamque vestram reservare, quum Hierosolyma non digna sit excidio, ut olim Carthago, neque apud Hebræos alter Annibal nobis metuendus. » Julius vero Cæsar, qui Webero successit in ejus curanda editione, subdidit: « Legendum potius videtur: *neque enim indigna* (clementia nostra propter perfidiam) *Carthago aut metuendus Hebræus Annibal*, v. *metuendus* ad utrumque membrum relato. » *Hannibal* C.; *Annibali* vulgo. Hebræus autem dicitur Annibal quia Pœni, ut Phœnicii, linguam loquebantur hæbraicæ affinem. Notamus vero demum nobis locum hunc nullatenus corruptum videri, et ejus hunc esse sensum: Nec digna fuit Carthago ut reædificaretur, nec dignus metuendus Annibal (iterum, ut ejus patria reædificaretur); sed tamen, etc.

[8] Gualth. in ed. 2ª et Barr. habent pro vera lect. *formidabit;* sed contextus requirit *formidabitur,* scilicet, non erit Romanis metuenda Jerusalem, etc. Vetus quidam codex, *formidabilis.*

CAPUT XXXII.

Complevit sermonem Josephus, sed nullis Johannes movetur fletibus, nec promissis flectitur. Urgebat enim Deus jamdudum perfidas mentes, ex quo se impio parricidio commacularunt Christum Jesum cruci suffigentes. Hic est ille, cujus mors Judæorum excidium est, natus ex Maria,
Joan. I, 11. qui ad suos venit, et sui eum non receperunt. Quando enim suos non occiderunt Judæi? Nonne
II Reg. IV, 5-7. filium Saul sui occiderunt? Nabuthe[1] propheta a suis utique lapidatus est. Judæa fuit Jezabel, quæ jussit Judæis senioribus, qui præceptum exsequuti sunt; Judæus Achab, qui causa mortis
II Reg. XXI, 1-13. ejus factus est. Quanti alii a civibus suis peremti, et tamen diu integra civitas mansit, etsi diruta a Babyloniis post annos innumerabiles, sed reparata postea! Hoc est supremum excidium, post quod irreparabile templum, quia averterunt sceleribus suis præsulem templi, reparationis arbitrum.

CAPUT XXXIII.

1. Tali affatu Cæsaris et repetita oratione inflexa est aliquorum sententia, qui se subtrahere potuerunt ut ad Romanos convenirent; ceteros revocavit periculi metus, qui a latronibus intendebatur, et forte quædam inclinatio mentium erat, ne plures eriperentur futuræ eversioni. Quos Cæsar confugientes ad se, quia erant inter eos et viri sacerdotales cum filiis, et alii splendidioris familiæ viri, suscepit bona gratia pollicens securitatem salutis, jus possessionum suarum, atque ad urbem
2 cui nomen Gofna[2] direxit, ne quid offensionis oriretur ritu dispari et cultus diversitate. Quod ab iis, qui in urbe positi repugnabant, seu quia hujusmodi suspicio incesserat, sive ullus composuerat dolo ne plures dilaberentur, in argumentum derivatum est necis, ut extincti objicerentur.

2. Eo comperto revocatos Titus jussit cum Josepho propius muros obire, ut a suis cognoscerentur. Illi cum lacrimis gemituque magno non sua deflere, sed patriæ templique excidium, rogare cives ut sequerentur Cæsaris fidem, eriperent templum parato incendio, nihil sibi adversus legem præceptum, nihil de libertate imminutum; acquiescerent, et ipsi experirentur Romanorum clementiam, quorum insuperabilem virtutem experti sunt.

CAPUT XXXIV.

3 1. Cum talia miserabiliter deplorarent,[3] proturbantur a suis, bellumque accenditur. Insiliunt Judæi
4 atque in ipsa irrumpunt temere[4] penetralia. Omnes recessus, omnia secreta occupant, quæ inaccessa viris erat sacrorum exsortibus. Romani quoque se prælio

A parabant, temerantur interdicta patrum belli necessitate, majore tamen Romanorum quam suorum reverentia. Gentiles cum formidine templum expectabant;[5] Judæi cum furore ac temeritate 5
adibant, et madidas manus humano gerentes sanguine ipsa attrectabant[6] altaria. 6

2. Titus tamen adhuc in proposito manens alloquebatur Johannem, et invitum se deduci ad excidium urbis ac templi contestabatur dicens ad eum: Quid sibi volunt, Johannes, impressi illi ante
B fores templi apices elementorum? Nonne significant neminem nisi sacratum debere templo appropinquare? Quid illa septa pro templo? Nonne ut conspectus arceant liberos universorum, solisque mysticis[7] pateat secretorum cognitio, atque iis sit 7
liber aspectus, quibus est legitimus ingressus? Prospectus excluditis peregrinorum, et accessus cogitis; scribitis ut nullus ingrediatur advena, nullus peregrinus introeat, et peregrinum sanguinem intra templum funditis, advenarumque simul et civium
C cruore vestra altaria commaculatis. Testificor ego non impressionis nostræ esse, sed vestræ prævaricationis quod violastis quæ vestra sunt. Ego alienus non exigo, immo obtestor, si velitis vos discedere, incolume templum futurum; neminem Romanorum hostiles irrogaturum manus; nihil de vestris temerandum esse sacrificiis. Servabo templum vobis, etsi nolitis:[8] cultus enim sacrorum 8
diversus, sed operis[9] communis usus. Quod cultus 9
fuit, a vobis recessit; quod operis est, victoribus
D remansit.

CAPUT XXXV.

1. Ubi ne his quidem per Josephum insinuatis revocari Cæsar advertit factionis principes, putabant enim jam diffidentiæ potius quam pietatis esse tam frequentem desistendi conventionem, ad prælii necessitatem invitus revertit. Jubet adesse Romanos; sed quia tantæ multitudini angustiæ
E impedimento erant, triginta electis viris singula deputat bellatorum millia: non enim totum exercitum reciperent tam densa ædificiorum obstacula. Ipse quoque simul descendere volens revocabatur a suis, ne in angusto, nocturnis etiam plerumque temporibus, quibus necesse erat insidiantium fraudi occurrere, periculi aliquid in se excitaret, cum amplius proficeret, si spectator belli adesset, quo unusquisque promptius sibi decertandum arbitraretur sub oculis Cæsaris prælaturo. Omnia enim,
F quæ circa templum gererentur, velut in theatro quodam ex loco Antoniæ desuper visebantur. Inflexus ad eam sententiam Cæsar, Cereali mandat negotium, ut prætendentibus circa templum Judæis hora noctis nona superveniret, ceterosque hortatur studiose ingruere certamini, se quoque dimicantium meritis non defuturum, cum desuper aut ignaviæ cujusque testis, aut virtutis arbiter pugnam examinaret.

[1] Ita C (mendo librario *Nabuthæ*) conformiter aliis locis in Ambrosio. Vulgo, *Naboth*. Propheta hic vocatur in significatione viri sancti.

[2] Vulgo, *Gosna;* sed Joseph, Γόφνα. C, *Goyna*.

[3] Ita vulgo; Am et C; *Talia.... deplorantes*.

[4] Ita C, convenientibus Gualth. et Barr. Vulgo, *temeritate*.

[5] Vulgo, *spectabant;* sed C, *exspectabant*, id est a longe spectabant ac reverenter; unde lectio germana visa est. Pariter Am prima scriptione, cui abrasæ posteriori manu substitutum *spectabant*.

[6] Vulgo, *attractabant;* sed Am, C et Gualth. in ed. 2ª, *attrectabant*.

[7] Illis nempe qui mysteriis, scilicet sacris ritibus, addicti sunt.

[8] *Et proselytis*, vulgo. Sed nostra lectio adest in codd. A et C, congruit Josepho, et vera habetur etiam a Gualth. et Barr.

[9] Am et C, *opera*, quæ lectio forte præferenda.

2. Cerealis præscripto tempore impigre adest; sed custodes vigilantes reperit. Prælium conseritur, siquidem et intra templum siti non dormiebant, et congredientibus qui excubias obibant, facile sese ceteri ad bellum pararunt. Conferto agmine instabat Romanus; Judæi, dum claustris atque angustiis nituntur, ne circumvenirentur percursabant diversa, ut frequentius sibi a suis esset periculum, dum in tenebris non cognoscerentur, et plerumque transfigerentur a sociis, dum hostes putantur. Quis enim nocte discerneret socio an hosti occurreret, cum interrogare serum esset, cavere utile, consultum prævenire, et tolerabilior culpæ exitus errare in alieno vulnere quam proprium eligere periculum, ubi hostis timetur? Ancipiti itaque per noctem periculo laborabant Judæi vel quod inferret hostis, vel in quo socius erraret, nec minore per diem pernicie afflictabantur. Nocte plus erat a suis periculi; per diem Romanus vehementior aderat, quem totius spectator certaminis Titus vel tacitus urgebat. In horam quintam pugnatum est acriter Judæis quoque strenue rebellantibus, ut neutra pars loco cederet.

CAPUT XXXVI.

1. Dum hæc inter se prælia gerunt, septem dierum spatio depositis omnibus usque ad fundamenta terræ, quæ castro cui Antoniæ nomen Herodes imposuerat, latior facta est via, quæ ad templum ducebat, ut non solum percursandi militibus esset facultas, sed etiam munimentis constituendis et coacervandis aggeribus quantum esset necessarium locorum pateret, quo pulsarentur etiam templi summa fastigiorum. Per quæ Romanis in-
1 tentius immorantibus, cum intolerabili[1] fame urgerentur Judæi, cœperunt insidiari Romanorum jumentis. Si quis bellatorum equum pabulo laxaverat aut mulum levando oneri necessarium, rapto avertebant, nec solum cibus eis dispendio Romanorum, sed etiam militiæ flagitio pariebatur. Cujus incuriæ probrum in exordio statim præscripto necis supplicio Cæsar removit.

2. Fraudem tamen pervicaciæ non compescuit. Exclusi enim ab hujusmodi rapinæ necessario esurientibus alimento, herbarum subsidia captantes, destruendum murum, quem circa pomerium Titus duxerat, excogitaverunt, ut vagandi et quærendi radices arborum pabulorumque liberior fieret excursus, quos ad cujusdam carceris vicem circuitus muri clauserat, nec erat jam quo famem levarent. Obrepunt itaque, et excursu repentino ad montem Oliveti ingruunt prætendentibus. Nec illi commisso defuere muneri, et tubæ classico de ceteris castro-
2 rum aut turrium munimentis alios accersunt[2] ad
3 prælii societatem.[3] Conseritur pugna acrior in principio, dum pudor hos, illos fames urgeret sævo imperio ac necessario; sed confluentibus Romanis repelluntur Judæi, atque ad urbis suæ muros reflectuntur. Tunc unus e turma equitum, Pedanius nomine, concito equo, dextram extendit, et se paululum inclinans unum de Judæis fugientem suspendit, captivum Cæsari ferens, gloriosæque victor rapinæ, velut lepusculum aquila aut acci-
A piter fulicam, ante pedes Cæsaris viventem dejecit; quo delectatus admodum Titus, laudatum eum et honoratum dimisit.

CAPUT XXXVII.

1. Jam circumfusæ templi ardebant porticus, ubique luctus ubique mors; foris bellum, intus supra bellum et incendium. Nec frangebantur animis Judæi; putabant vindictæ perire quidquid sine
B fraude gererent vel insolentia. Quando aliter jam nequibant, lacessebant Romanos ad excidii celeritatem.

2. Jonathes quidam, exiguus corpore, despectu dignior, juxta Johannis sepulcrum provocabat Romanos, ut secum qui vellet manu decertaret. Aliis despicientibus pusillitatem hominis, aliis fastidientibus cum eo decertare, quem continuo captivum habituri forent, aliis considerantibus periculoso certamine rem geri cum viris, qui in extremis
C salutis non aliqua fortitudine, sed sola temeritate vindictam quærerent, nihilque laudis futurum, si vinceretur excidio finitimus, et plurimum dedecoris, si quis lapsu aliquo communem victoriam turparet, jactabat se insolentissimus, et metum objiciebat, victoribus convicia ferens, quod non suis viribus, sed alienis auxiliis Romani niterentur, nec Judæos bello hostium, sed domesticis afflictos seditionibus. Erat in numero militum romanorum Pudens nomine, qui perstrictus inanibus contu-
D meliis, dum inconsulte pudori consulit, salutem neglexit, atque ipsa indignatione incautior vulneri patuit, fususque in terram incussit sociis verecundiam. Insultationis quoque causam Jonathæ simul et mortis reliquit. Namque in successu lætus certaminis, et pompam attollens triumphi, dum tripudiat atque exultat, concussoque clypeo simul et gladio proludit, excitavit in sua vulnera centurionem Priscum, qui superba et tumida jactantem non tulit, atque incautum victoria penetravit ictu
E sagittæ. Quo stratus Jonathes docuit in prælio neminem irrationabiliter insultare oportere, ubi victoris et victi conditio incerta, donec bellum claudatur.

CAPUT XXXVIII.

At in urbe interiore cum hostem intra muros cernerent altissimis eminentem aggeribus, universisque imminentem mœnibus, et tamquam vulnus
F in corpore, ita periculum introrsum pergere formidarent, intercidunt porticum septemtrionalem ex ea parte, quæ adhærebat Antoniæ, ne per ipsam hostis in templi superiora ascenderet, vel in inferioribus sitos superior urgeret, et proxima quæque demetunt, ne populantibus incendiis templo finitima, etiam templum ipsum ignis depasceretur, atque intercisa igni exurunt. Ita quod ab hoste metuebant, priores cœperunt. Salomonis quoque porticum ad fraudem pararunt, ut culminum interiora
G replerent pice ac bitumine, quæ infra fornicem summi laterent fastigii, simulatoque quod eam vellent defendere et frequenter hostem[4] incesserent, 4
sollicitant Romanos, atque in sese excitant. Illi

[1] Ita Am et C, annuentibus Gualth. et Barr. Vulgo, *intolerabilius.*

[2] Ita Am et C. Vulgo, *accerserunt.*

[3] Gualth. et Barr. pro vera lectione ducunt *necessitatem.* Sed vulgo atque Am et C, ut in textu.

[4] Ita Am, C ac Pa; vulgo, *frequentes hostes.*

admotis scalis summa porticus petunt; Judæi loco paulatim cedere quo plures Romani ascenderent. Hi certatim irrepere; tamen prudentiores suspecti dolum cavere: sed vulgus victoriæ intentum præfestinare, ubi res fraude carere visa plurimis quasi inter retia locatis. Admovetur ignis fornicibus in-
1 terioribus, atque adultus[1] pice et bitumine atque ceteris incendii nutrimentis, in totam diffunditur porticum. Circumvallabant flammæ victores Romanos, ut nec resistendi facultas suppeteret, nec fugiendi copia. Quid facerent non reperiebant. Spectabat Titus suos periclitantes, indignans quidem quod injussi ascenderant, sed miserans quod victores perirent. Plerique se præcipitio dabant; sed ubi incendium evaserant fractis cruribus, collisi corpore moriebantur. Miserius erat, si debiles superviverent. Volebat subvenire Cæsar, nec poterat; hortabatur tamen proximos, clamabat ut auxilio suis essent. Has voces, hunc dolorem Cæsaris pro supremo illi habebant solatio: hoc erat morituris viaticum; hoc se velut sublimi solantes sepulcro, ad mortem festinabant, quod in visceribus Cæsaris reconderentur, nec vita eorum periret, quorum viveret gloria; qui morerentur pro Cæsare relinquentes sui hereditatem triumphum. Itaque alii circumveniebantur ignibus, alii præveniebantur,
2 nec longe hostis qui flammas fugientem[2] feriret.

CAPUT XXXIX.

3 1. Longus[3] tamen vir virtutis egregiæ cum provocaretur a Judæis, ut sese iis committeret
4 promissa salutis securitate, maluit se[4] transfigere gladio quam maculare probro romanæ indolis fortitudinem. Artorius autem satis astute voce magna clamavit Lucium dicens: Heres mihi eris, si me decidentem exceperis; at ille miserandus occurrit ruenti, atque in se morituri necem transfudit: vere bellicum testamentum, non atramento scriptum, sed sanguine; nec in charta, sed in mucrone. Quod heredem promisit, magnum plane ingenium, ut inveniret voluntarium mortis vicarium. Incensa est itaque porticus usque ad turrim, quam Johannes cum bellum adversus Simonem gereret, exædificaverat super portas regiæ domus,
II Paral. XXII, 5. quam Ezechias sibi rex ad habitandum condidit. Reliquam partem ipsi diruerunt Judæi. Sequenti quoque die a Romanis exusta est omnis porticus septemtrionalis usque ad porticum orientalem: nam cum suis ipsi manum injicerent ædificiis,
5 docuerunt Romanos alienis[5] non parcere.

2. Nuda erat jam templi facies et sæva hominum fames. Insidiabantur sibi invicem, quis cui raperet cibum: ubi alimenti suspicio, ibi bellum inter domesticos pugnabatur pro cibo. Necabantur carissimi, discutiebantur defuncti, ne quis intra amictus eorum cibus lateret. Simulare aliqui mortuos æstimabantur, ne viventes habere aliquid alimenti suspectarentur; sed ne viventes quidem aut vitæ fungi munere, aut mortem simulare poterant; verum aperto ore sicut rabidi canes aurarum ca-
A ptantes spiramina, huc atque illuc circumferebantur inopia duce. Sæpe etiam quasi ebrii in eadem domicilia regrediebantur, ut iterum quæ vacua reliquerant, perscrutarentur, et cum alia famis solatia non reperirent, detrahebant coria scutis ut cibo essent sibi quæ præsidio non essent. Mandebant calceamentum; nec pudor erat solutum pedibus ore suscipere, et lingua lambere. Vetustæ quoque paleæ, quæ olim projectæ fuerant, non mediocri studio requirebantur, et si quis repererat, grandi
B pretio mutuabat.

CAPUT XL.

Quid adoriar dicere factum Mariæ, quod cujusvis barbari atque impii mens perhorrescat? Ea erat de locupletibus feminis regionis Perææ, quæ trans Jordanem jacet. Belli terrore[6] oboriorto, cum 6
ceteris se in Hierosolymitanam urbem contulerat, quo esset tutior: eo quoque suas devexerat opes,
C quas principes factionum certatim invasere. Alimentorum etiam, si quid pretio quæsiverat, de manibus eruebatur. Exagitabatur a perditis, dira imprecabatur, volebat mori, sed percussorem non inveniebat. Malebant insultare diutius, affligere gravius quam cito perdere: putabant quamdiu viveret, prædam fore. Defecerant jam omnia, et deliciis assueta, asperiora palearum vel coriorum dura non emolliebat. Sæva fames intimis se infudit medullis, exasperavit humores, mentem exagitavit.
D Habebat mulier infantulum quem genuerat. Vagitu ejus excita, cum se et parvulum commacerari videret, tantis victa immanitatibus atque impar tam atroci calamitati, affectum amisit, et pietatis genitalis usu obliterato dolorem absorbuit, furorem assumpsit. Conversa itaque ad parvulum jam matrem oblita et furens animi sic ait: Quid tibi faciam, parvule, quid faciam tibi? Sæva te circumstant omnia, bellum, fames, incendia, latrones, ruinæ. Cui te moritura credam, aut vitæ tantillum
E relinquam? Speraveram quod si adolevisses, me pasceres matrem, aut sepelires defunctam; certe si prævenires obitu, quod ego te pretioso tumulo meis manibus includerem. Quid agam misera? Vivendi tibi ac mihi nullum video subsidium. Omnia erepta nobis; cui te reservabo? Aut certe quo condam sepulcro ne canibus, alitibus vel feris præda sis? Omnia, inquam, erepta nobis. Potes tamen, dulcis meus, et sic matrem pascere; idoneæ ad cibum manus tuæ. O suavia mihi viscera, artus
F jucundi, priusquam vos penitus consumat fames, reddite matri quod accepistis. Redi, fili, in illud naturale secretum;[7] in quo domicilio sumpsisti spi- 7
ritum, in eo tibi tumulus defuncto paratur. Ipsa complectar quem genui, ipsa exosculabor, et quod impatientia amoris habet, habeat vis necessitatis, ut ipsa devorem meos artus non simulatis sed impressis morsibus. Esto ergo cibus mihi, furor latronibus et vitæ fabula, quæ sola deest nostris calamitatibus. Quid faceres, fili, si et tu filium
G haberes? Fecimus quod pietatis fuit; faciamus

[1] Vulgo, *additis*, A, C, *adultus*, valde melius; Gualth. et Barr. vellent *adultis*, cum Pa.

[2] Am et C, *fugientes*; sed recte etiam *fugientem*, ut vulgo, eum nempe, quicumque esset, qui fugeret.

[3] Vulgo, *Longinus*; sed *Longus* Am prima manu (post rasuram, posteriori manu *Longinus*), Pa et Josephus; unde veram lectionem hanc habent etiam Gualth. et Barr.

[4] Vulgo, *solum* post *se*; at deest in Am, C et Pa, ac quidem rite.

[5] Vulgo, *illis*; sed *alienis* Am et C, quam ut veram lectionem habent quoque Gualth. et Barr.

[6] Ita Am ac C, cum Gualth. et Barr. Vulgo, *horrore*.

[7] Notanda hæc dictio affinis illi *genitale secretum*; quæ in Ambrosio frequens occurrit.

quod fames suadet. Tua tamen causa melior et quædam pietatis species, quia tolerabilius est quod matri dederis cibum visceribus tuis, quam quod te mater aut occidere potest, aut devorare. Hæc dicens averso vultu gladium demersit, et in frusta filium secans igni imposuit, partem comedit, partem operuit ne quis superveniret. Sed nidor incensi pervenit ad principes seditionis, continuoque odorem sequuti introierunt mulieris hospitium minantes necem, quod ausa esset ipsis jejunantibus edere, atque exortes eos facere cibi quem reperisset. At illa, Partem, inquit, vestram vobis reservavi; non fui avara nec inhumana. Nolite indignari; habetis quod et vos edatis: de meis vobis
1 visceribus cibum paravi. Considete[1] ocius, mensam apponam; mirari habetis et ministerium meum judicare, quod talem nullius inveneritis mulieris affectum, quæ vos nec dulcis filii fraudaret gratia. Hæc dicens simul redoperuit ambusta membra, et epulanda obtulit cum adhortatione hujusmodi sermonis: Hoc est prandium meum, hæc vestra portio; videte diligentius ne vos fraudaverim. Ecce pueri manus una; ecce pes ejus; ecce dimidium reliqui corporis, et ne alienum putetis; filius est meus; ne alterius opus arbitremini; ego feci; ego diligenter divisi mihi quod manducarem, vobis quod reservarem. Numquam mihi dulcior, fili, fuisti: tibi debeo quod adhuc vivo. Tua suavitas animam tenuit meam, et produxit matri miseræ diem mortis. Subvenisti in fame, tu munus supremum senectæ, tu percussorum repressor. Venerunt necaturi, con-
2 vivæ facti sunt. Habebunt ipsi quod tibi[2] debeant, cum epulas meas sumpserint. Sed quid refertis gradum, quid horrescitis animo, cur non epulamini quod mater feci? Possunt et vos delectare quæ matrem exsaturarunt. Non esurio jam, postquam me filius meus pavit; abunde exsatiata sum, famem nescio. Gustate et videte quia suavis filius meus. Nolite fieri molliores matre, infirmiores muliere; aut si vos in meo vulnere misericordes estis, et non suscipitis hostiam meam, atque aversamini holocaustum meum, manducabo quod reliquum est. Videte ne vobis opprobrio sit quod fortior vobis mulier reperta sit, quæ absumeret epulas virorum. Ego quidem tales paravi epulas; sed vos sic epu-
3 lari matrem fecistis. Et me tenebat[3] passio; sed vicit necessitas.

CAPUT XLI.

Replevit continuo totam urbem tanti sceleris nefas, et unusquisque tamquam ante oculos positum parricidalis convivii ministerium perhorrescebat. Cœperunt et ipsi incentores seditionis examinare post hæc quos raperent cibos, ne similes escas invenirent, et velut imprudentes sumerent. Cœperunt universi timere ne diu viverent, et mori velle. Pervenit etiam ad Romanos hujus facti immanitas; nam plerique hoc horrore perterriti ad hostem fugerunt. Quo comperto Cæsar execratus infelicis terræ contagium, manus ad cœlum elevans, talia

A protestabatur: Ad bellum quidem venimus, sed non cum hominibus dimicamus: adversus omnem rabiem belluarum ac ferarum, (quid sensibilia[4] loquar?) 4
adversus omnem rupium immanitatem decertamus. Diligunt feræ fetus suos, quos etiam fame sua nutriunt, et quæ alienis corporibus pascuntur, a consimilium ferarum abstinent cadaveribus. Hoc ultra omnem acerbitatem est, ut membra quæ genuit, mater voraret. Mundus ego ab hoc contagio: tibi me absolvo, quæcumque in cœlo potestas es. Scis,
B scis profecto quia intimo affectu pacem frequenter obtuli, et quod non pudet dicere, victor rogavi, quia parcere etiam ipsis tantorum prodigiorum auctoribus volui, parcere populo, urbem servare. Sed quid facerem repugnantibus; quid facerem adversus suos furentibus? Positis plerumque armis, quia illi a suorum cædibus non desinebant, in bellum reverti ut liberarem obsessos, non perderem. Ipsi nos de muris hortati sæpe sunt dimicare ne gravius a suis perirent. Quales sunt cives, quibus
C hostis remedio est? Audieram quidem intolerabilem hujus esse populi ferocitatem, qui incredibilibus se opinionibus in omnem excitat insolentiam, et de cœlo se genus ducere, ibi primum induisse corporis formam, cœli se fuisse incolas, descendisse ad cultus terrarum, de terris ad cœlum redire; transisse per maria sicco pede, fugisse ante se fluctus maris, conversa Jordanis fluenta[5] in suum 5
fontem recurrisse, stetisse solem ut hi hostes suos vincerent ne nox impediret, raptos in cœlum igneis
D curribus suos, præliatas pro se cœli potestates, et absentibus iis universas hostium fusas copias, dormientibus partam victoriam. Hæc compereram, sed putabam quod divina circa se jactarent beneficia; non usquequaque audaciam extenderent, ut se nec a Romanis vinci posse arbitrarentur. Agnosco itaque cum his nobis esse prælium, qui se insuperabiles credant, cum se jactent diluvii superstites, heredes fluminum, terrarum hospites, viatores æquoreos, ascensores æthereos, quibus unda murus
E est, aer via, cœlum habitatio, flammæ cedunt, nec vincula tenent; sitientibus petra solvitur, ac sese fundit in potus; esurientibus cœlum aperitur, cibus mittitur, carne volatilium castra implentur, et panem angelorum manducat homo; stringuntur liquentia, amara dulcescunt, sol statuitur, tenebræ illuminantur. Postremo quid amplius potest esse; quando his deesse audacia potest, qui, ut ajunt, mortui vivunt, et sepulti resuscitantur? Adversus divina quoque conspirasse hos homines opinio fre-
F quens, et pœna indicio est. Ardent hodie quoque terræ propter incolarum impietatem; plerosque etiam ex istis hiatus soli absorbuit. Quamdiu igitur in his locis morabimur, ubi terrarum ruina est? Vidimus et mare mortuum; vidimus etiam mortua terrarum nascentia, humum aridam, virentium fructuum umbras inanes, foris gratiam, intus favillam. Quis dubitare potest quod apud inferos versemur, apud quos etiam elementa moriuntur ipsa? Quin etiam quæ post mortem vivere
G solet, apud hos[6] naturæ pietas mortua, nec superstes 6

[1] Ita C ac vulgo: Weber notat, *vox nova;* sed non advertit in lexicis haberi tam *consideo* quam *considio*, atque ex illo imperativum hoc *considete.* A, Am ac Pa, *considite.*

[2] Gualth., *mihi;* vulgo et Am ac C, *tibi.*

[3] Id est, retinebat a crimine dolor ex pietate in filium. *Et* ante *me*, Am, C et Pa, ac quidem valde congruenter contextui; sed deest vulgo.

[4] Vulgo, *sensibilium;* sed elegantius Am, C et Pa, *sensibilia,* probantibus etiam Gualth. et Barr.; itemque *loquar* pro *loquor.*

[5] Ita et in Hymno S. Ambrosii in Epiph., *Fluenta Jordanis retro conversa.*

[6] Vulgo, *quos;* sed *hos,* ut in A, Am, C ac Pa, exigitur a contextu, et probatur etiam Gualthero ac Barr.

est defunctis religio. Quis enim parentes non etiam mortuos diligat? Quis etiam amissos filios non amet, et loco pignorum teneat? Manet affectus etsi pignus obierit; perseverat nomen naturæ, gratia non intercidit. Apud hos vero nec viventem mater recognoscit filium, nec appellantem audit, nec vagientis miseretur, et propter unius horæ exsecrabilem cibum parricidales injicit pignori manus. Sed quid quasi novum arguo, cum a parricidio fraterno generis sui numerent exordia; cum ipsius Abrahæ, quem appellant patrem et disciplinæ auctorem ac sui principem cultus, in eo maxime fidem prædicent, quod nec filio parcendum putaverit, eumque sicut hostiam aris admoverit, atque holocaustum offerre non dubitaverit? Non condemno devotionem, sed quæro pietatem. Alium quoque e suis vovisse ajunt victorem, ut quidquid sibi primum occurrisset domum revertenti immolaret Deo suo, et cum rediret occurrisse filiam, atque illum injecisse filiæ manus, multaque alia hujusmodi exempla. Qualis ista gens quæ religioni tribuat hominis necem, et sacrificium putet esse parricidium? Quis deus possit hoc exigere, aut qualis sacerdos qui hoc possit deferre? Denique veterem illum quasi prudentiorem non fecisse ajunt, sed voluisse; istum quasi inconsultiorem perseverasse. Habeant suos ritus duri tamen[1] homines, apud quos disciplina est filios occidere. Infelix civitas, in qua tale officium, tale ministerium[2] est. Operiant eam ruinæ suæ, atque abscondant mundi ipsius contagionem, ne sol videat, ne stellarum globus spectet, ne maculentur aurarum spiramina, purgatorius quoque ille exurat ignis. Thyesteas dapes fabulam putamus; flagitium videmus, veritatem cernimus atrociorem tragœdiis. Ibi enim firmior sexus et partus alienus; hic mulier cui partus proprius fuerit cibus. Ibi aliena fraus; hic propria voluntas: ille doluit; hæc insultavit: digna talibus viris esca, qui pertinaciter bellando mulieres ad tale perduxerunt convivium. Equidem eos tantis malorum afflictos acerbitatibus jam furere arbitror, mentisque impotes factos qui hæc non sentiant. Quare maturius bellum conficiamus, quia emendari non queunt; ingruamus instantius ut fugiamus regionum istarum morientes aquas, ruentes terras.

CAPUT XLII.

1. His dictis admoveri templo arietes jubet; sed nihil validi ictus proficiebant. Plerique tamen territi de ipsis seditionum principibus confugere ad Cæsarem, quos Titus magis necessitate compulsos, non quasi promissum sequutos dubitavit suscipere; sed fides temperavit iracundiam. Non eo loci tamen habuit, quo perfugas superiores; intentiusque urgere suos cœpit, ut universi hostium discederent perculsi metu. Sed ubi parietes inoffensos objectu arietum mole sua viderunt permanere, aluerunt audaciam;[3] ingenio tamen Cæsar præveniens, januas argento opertas succendi jussit.

2. Quibus igne admoto, argentum defluere cœpit, deinde paulatim etiam lignum ardere; sic in porticum interiorem aditus patescere. Sed miseratus Cæsar, ne finitimis interioris vestibuli porticibus comprehensis templum exureretur, ad consilium vocavit duces exercitus dicens, non cum insensibilibus sibi esse certamen, nec bellum cum ædificiis, quæ victoribus proficerent, si inexusta reservarentur.

3. Duces tamen asserebant validitatem[4] parietum et munitionem templi Judæis in reliquum quoque incentivo futura, quibus esset grata insolentia; radices rebellionis eruendas funditus, ne iterum temeritas recrudesceret.

4. Distulit tamen Cæsar consilii tractatum in posterum diem. Verum Judæi se infundendos putarunt; sed Romani consertis clypeis, quamvis pauciores, impetum primum sustinuere: nutabat tamen acies concursu innumerabilis multitudinis; unde Cæsar cum equitibus propere adfuit proterens facile quos reperisset, atque hostile agmen reflexit eo fretus quia jam pateret vestibulorum portio.

5. Majore suorum manu sequenti die disposuit in hostem irrumpere, templum succendere;[5] quod factum eripuisset urbem incendio, nisi læva mens populi flammas in se hostium provocavisset. Jubet enim Cæsar restingui ignium globos, ne irrupturis impedimento forent. Quod videntes Judæi, dum insidiantur volentibus incendia templi restinguere, cæsis aliquibus hostem accenderunt. Unus itaque de Romanis semiustam nactus materiem, quæ de fastigio deciderat, adulto igne admovit portæ, quæ aurea nuncupabatur, quod auro vestitas haberet[6] fores. Liquefactus illico flammis auri rigor lignum nudavit, quod velut intecto latere patuit incendio. Exustis itaque valvis in interiora se templi penetralia inseruit ignis; jamque portæ ejus vestibula lucebant. Turbati omnes qui se templi munimine defensabant, trepidare illico, et quædam jam inclinatio mentium erat, illum esse diem excidialem, quia in ipso die quondam de Babyloniis ingruentibus templum fuerat incensum, qui erat decimus dies Loi[7] mensis, quem jamdudum inter funestos annumerabant. In superiora quoque se aurarum spiramine ignis attollens, victoribus lætitiam, victis tanta labe dignum dolorem infudit.

6. Clamor quoque exortus universorum, nec multo post nuntius hostilis excidium Cæsari manifestum reddidit, qui se proripiens quanta poterat voce restingui ignes jubebat. Sed neque per tumultum audiendi facultas erat, neque parcendi voluntas, cum romani milites vindictæ studio ferverent, notaque pietas Cæsaris inobedientiæ metum suis demeret, nulli fraudi suis futurum, cum etiam hostibus ignosceretur. Nutu tamen et manu Titus revocabat quos poterat, mandabat aliquibus ut inhiberent impetus militum. Sed ira duce adolebant incendium;

[1] Vulgo *duritatum*; sed Am ac C, *duri tamen*, et hanc habent veram lect. etiam Gualth. et Barr.

[2] Vulgo, *talis officina, tale mysterium*; sed melius Am et C, ut in textu, consentientibus Gualth. et Barr.

[3] Judæi nempe aluerunt audaciam resistendi. Sed Am ac C diversam exhibent lectionem, idest: *Viderunt, manere maluerunt* (Romani scilicet desistere ab incepto); *audaciam* (Judæorum) *ingenio tamen* etc.

[4] Ita Am et C, cum Gualth. in ed. 2ª et Barr. Vulgo, *valetudinem*.

[5] Josephus habet *templum in circuitu occupare*, περιπατασχεῖν. Forte in originali erat *succedere*.

[6] Ita Am, C et Pa; vulgo, *habebat*.

[7] Ita Gualth. cum Josepho; Am, *Loeim*; C, *Loin*; vulgo, *Joma*; A, *Loina*. *Lous* dictus a Macedonibus, est Judæorum *Ab*, qui mensi Augusto respondet.

hostem urgebat desperatio salutis jam sui prodigum et totum se expendentem periculis. Vulgus maxime ignobile feriebatur, ubi cuique occurrerat, quia nullis munitum armis nec repellendo vulneri, nec retorquendo idoneum erat.

CAPUT XLIII.

1. Fatigatus itaque clamoribus Cæsar gradum retulit cum flamma adhuc conclavia templi depascebatur. Quibus deustis, in ipsam ædem se furens intulit; qua specie plerique exanimati alii se in ipsos mersere ignes, quorum oculi ferre non poterant ut superstites templo reservarentur. Rursus cucurrit Titus cupiens cujusmodi ædes esset, circumspectare. Cujus gratia motus præcellentiorem fuisse omnium templorum operibus fatebatur. Mirabatur saxorum magnitudinem, metalli nitorem, venustatem operis, gratiam pulchritudinis. Nec inmerito tantam fuisse loci celebritatem pronuntiabat, ut eo ex locis omnibus conveniretur, quia tantum nonnisi Dei summi crederetur esse domicilium. Adjungebat honos fidem religionis, quo etiam barbarorum gentes templum illud venerabantur,
1 et inferebant munera prædones regionis,[1] quæ tamen tunc diripiebant sui et disperdebant latrones irruentes in omnia, quæ deposita viduarum fuerant vel pupillorum, tamquam de victoribus vindicarentur, si quid ex præda Romanis minueretur. Templum quoque ardere conspicientes, ipsi incendebant cetera, ne quod excidio templi superstes esset ædificium, religioni deputantes si omnia cum templo perirent.

2. Nec adhuc tamen Judæi perfidiam deponebant;
2 quæ causa majoris exitii[2] fuit. Nam cum animi multorum inflecterentur, ut se, facto agmine, Romanis traderent, pseudopropheta quidam jactare cœpit in excessu mentis suæ, templo divina præsidia non defutura, vocare ad se populum velut quodam oraculo, adhuc sese in templo suo manere (*Deum*) illico repulsurum hostium cuneos, flammarum incendia. Sic miseri, dum infeliciter falsis circumventionibus credunt, dedecores atque
3 inulti[3] sicut pecora trucidabantur. Qui si voluissent credere, evidentia imminentis excidii signa habebant, quibus veluti claris vocibus admonebantur, finem sibi adfore.

CAPUT XLIV.

1. Nam per annum ferme supra templum ipsum cometes arsit, gladii quadam pendentis
4 similitudine denuntians[4] quoque ferro et igni gentis et regni urbisque ipsius vastitatem futuram. Quid enim similitudo gladii nisi bellum? Quid ignis nisi incendium denuntiaret? Visus est autem priusquam populus a Romanis sese dissociaret: ipsis autem Paschæ diebus, Xan-
5 thici[5] mensis octavo die, et per singulas noctes hora circiter nona templum et ara ejus ita lu-

A mine refulgebat quasi dies esset, per dimidium ferme horæ quotidie manens; quod vulgus interpretabatur cumulandæ gentis indicium videri, eoque impulsi sunt, tamquam tempus adforet libertatis recipiendæ. Prudentiores contra opinabantur, quia id genus stellæ bellum soleat denuntiare. Nec quisquam arbitretur aliena nos a cultu nostro et disciplina loquutos. Primum quia non quid nobis videatur, adstruimus, sed
B quid acciderit, quæve opiniones tunc temporis fuerint; quid prudentes senserint, quid imprudentes. Neque cum de secta Judæorum aliquid dictum est, ita scriptum videatur a nobis, quasi in veritate cultus eorum, non quasi in umbra et figura præmissos contexeremus, ut sequerentur perfectiora. Nam de signis stellarum etiam in Evangelio docemur, quia *erunt signa in sole et luna et stellis.* Vitulæ quoque partu, Lucæ XXI, 25.
C asseruerunt, cum immolanda adstaret altaribus, in medio templi agnum editum in ipsis sacrorum quæ supra memoravimus, celebritatibus. Orientalem quoque portam interiorem solido ære gravem, quæ soleret ad vesperam viginti virorum multo claudi labore, obseratam vectibus ferreis per aliquot noctes sponte reseratam, et vix postea a custodibus clausam. Id quoque arbitrabantur plerique futurorum signum bonorum, quibus ingressuris porta aperiretur. Con-
D sultiores autem ajebant custodiam templi resolutam videri, ut quæcumque intus forent, ab hostibus diriperentur, exiret cultus, introiret vastitas, evacuaretur celebritas, sacrificium destrueretur. Quod etiam ante, cum crucifige-
6 rent[6] Christum Jesum, liquido significatum
7 lectio[7] docet. Post multos quoque dies figura quædam apparuit inæstimabilis magnitudinis, quam plurimi circumspexere, sicut libri Judæo-
E rum manifestarunt, et ante solis occasum subito visi in nubibus currus et acies armatæ, quibus totius Judææ regionisque ejus urbes incursarentur. In ipsa autem Pentecostes solemnitate ingredientes sacerdotes in templi interiora nocturno tempore, ut sacrificia assueta celebrarent, primo motum quemdam sensisse se prodiderunt, et sonum editum; postea etiam audisse repentina voce clamatum: Transeamus
F hinc. Jesus quoque Ananiæ filius, ruricola vir, ante annos quatuor quam bellum Judæorum populus adoriretur, in summa pace urbis et abundantia, cum Scenopegia sacrificiis solemnibus celebrarentur, templum ascendens cœpit clamare: Vox ab oriente, vox ab occidente, vox a quatuor ventis, vox super Hierosolymam et super templum, vox super sponsos et sponsas, vox super omnem populum. Hoc noctibus et diebus vociferabatur. Quo moti primores loci

[1] Ita A, probantibus quoque Gualth. et Barr. Vulgo, *religionis.*

[2] Ita Am et C, convenientibus etiam Gualth. et Barr. Vulgo, *excidii.*

[3] Am ac C, *inutiles,* quod probari quoque posset.

[4] A voce *cometes* usque huc lectio textus conflata est partialiter ex Am et C, codd. Cantabridg., et seq. Anacephaleosi. Lectio vulgata est: *Cometes, passim ignis et gladii quamdam præferens similitudinem denuntiabat,* etc.

[5] Mensis macedonicus, qui Hebræis *Nisan.*

[6] Vulgo, *antequam crucifixissent;* sed lectio codd. Am et C, ut in textu, genuina habita fuit etiam a Gualth. et Barr.

[7] *Lectio* more Patrum significat Scripturam divinam, hic autem Evangelia.

corripuerunt eum, terribile vocis ejus indicium perhorrescentes, et plurimis eum suppliciis affecere, quo saltem afflictus dolore desineret terribilia et plena prodigiis denuntiare. At ille nec metu ullo, nec verberibus aut gravioribus interminationibus territus, usum aut vocem mutavit; eadem denuntiationis perseverantia et contextione sermonum, nulla obsecrationis interpolatione, in iisdem manebat injuriæ negligens, affectu immobilis. Quod nequaquam perfunctorium rati, sed in excessu mentis, ut erat, exprimi, detulerunt ad loci judicem, qui tunc temporis a Romanis per id locorum publica agitabat negotia. Is rimandæ veritatis gratia sævissimis eum pœnis exulceravit, quo magis perseveraret, eo vehementius corripi flagellis hominem jubens, ut si qua secretiora futuri tumultus indicia comperisset, manifestaret. At ille neque flevit, neque rogavit, sed ad singula verbera non suum, sed patriæ excidium flebiliter deplorabat dicens: Væ Hierosolymis. Neque interrogatus quis esset, vel unde vel cur eadem diceret, responsum reddidit, sed tantummodo lamentationem illam patriæ questu miserabili prosequebatur. Defessus itaque Albinus, hoc enim nomen viro, dimisit eum tamquam dementis furore quid diceret non sentientem. At ille neque sermonem ullum cum quoquam habebat, neque aliud loqui per reliquum tempus auditus est; sed hoc tamquam lugubre atque funereum canticum canens, diebus ac noctibus jugiter resultabat: Væ Hierosolymis. Neque verberanti conviciabatur, neque cibum impertienti gratias agebat: una erat ad omnes eademque plena funebris ululatus responsio, et maxime sacrificiorum celebritatibus. Per septem itaque annos et quinque menses eadem verborum series, idem vocis sonus mansit. Itaque indefessus tanto tempore, ubi obsidio cœpit, eadem ille vociferari destitit, quasi cessare oporteret denuntiari ea, cum adessent, quæ fuerant denuntiata. Sed ubi flamma cœpit urbem pariter et templum involvere, circumiens murum clamare iterum cœpit: Væ civitati et populo et templo; et ad postremum addidit: Væ etiam mihi, et
1 fundibalo[1] ictus, in eadem voce emisit spiritum.

2. Urbem quoque ipsam cum templo vetustis etiam litteris scriptum erat tunc perituram cum
2 tetragonum templum factum fuisset.[2] Itaque sive obliti, sive obstupefacti ingruentium malorum necessitate, ubi occupata est Antonia, tetragonum circuitum templi fecerunt. Inter quæ illud præcellentissimum, quod in litteris æque vetustis, quas sacras vocabant, manebat impressum,

A quod secundum illud tempus futurus esset vir, qui de regione eorum imperium assumeret in orbem terrarum; quæ res eos in tanto furore Gen. XLIX, 10
posuit, ut sibi non solum libertatem, sed etiam regnum pollicerentur. Id alii ad Vespasianum referendum putaverunt, prudentiores ad Dominum Jesum Christum, qui eorum in terris[3] se- 3
cundum carnem genitus ex Maria, regnum suum per universa terrarum spatia diffudit. Tantis itaque rebus monentibus[4] non potuerunt ca- 4
B pere[5] quod divinitus decernebatur. 5

CAPUT XLV.

Fugientibus itaque auctoribus seditionum cum templum exureretur, Romani signa posuerunt intra circuitum templi ipsius, et contra portam orientalem sacrificaverunt, imperatorem Titum summis prædicantes vocibus. Interea puer quidam eo loco, ubi etiam sacerdotes erant, quos et inopia aquæ et æstus finitimi incendii commacerabat siti, ro-
C gavit unum de custodibus romanis dexteram sibi dare, potum offerre. Porrexit illico ætatem pariter miseratus ac necessitatem. Bibit puerulus, et quia sedulo innoxiæ creditum fuerat ætati, rapuit aquæ vas et cursu sese proripuit, ut etiam sacerdotibus bibendi copiam ministraret. Voluit sequi miles, sed non potuit comprehendere. Ille periculo suo sacerdotum sitim levavit; bona fraus quæ neminem læderet, subveniret necessitati. Denique miles ipse miratus est magis affectum pueri quam dolum detestatus, quod in illa ætate atque excidio totius
D urbis et communi periculo quid deberetur reverentiæ sacerdotibus, quo potuit ministerio,[6] non 6
inexpressum reliquit. Nec multo post sacerdotes confecti fame et siti vitam rogarunt, quos Titus jussit occidi, degeneris animi esse respondens, ut templo et muneri cuperent supervivere.

CAPUT XLVI.

Johanni autem et Simoni et cæteris principibus seditionum rogantibus, ut paulisper cessare jacula
E telorum et strepitum juberet, dicendique sibi potestatem daret, ab indulgentia non abhorreret, facto silentio ita responsum edidit: Serum, nequissimi, tempus ad misericordiam, quum jam quid reservetur, nihil relictum sit. Offerebatur[7] vobis, 7
et despexistis, et diffidentiam putastis, non indulgentiam. At ego innoxia ædificia vestro scelere perire ingemiscebam; vulgus ignobile cogi ad mortem dolebam; parcere volebam; vos non sinebatis: suspendebam prælia; vos irruebatis: pacem offerebam; vos non recepistis: alloquebar frequenter,
F crebro conveniebam; non pudet dicere, insolentiores vos feci rogando. Quid putabatis, quod romanæ acies vobis cederent, et multitudine circumveniretis victorem omnium terrarum exercitum?

[1] Vulgo, *fundibulo*. Sed *fundibalo* habent A, Am, C, aliique vetustate præstantiores mss., Pa, Josephus, ac *balistam* significat. Adhelmus autem adhibuit hanc vocem in significatione communis fundæ. V. Mazoch. op. cit. p. 795, nota 617.

[2] Weber notat id intelligi de eo quod habetur in Dan. VIII, 22. Sed nulla habetur inter utrumque locum convenientia.

[3] A, *de regione eorum in terris*, quam veram lectionem habent Gualth. in ed. 2ª et Barr.

[4] Ita C, conspirantibus quoque Gualth. et Barr. Vulgo, *advenientibus*.

[5] Hæc communior lectio, quæ magis contextui respondere videtur. Sed Am et C, *cavere*, et hanc ut genuinam lectionem habuere Gualth. et Barr.

[6] Ita recte Am et C ac Gualth. in ed. 2ª; vulgo, *quod potuit ministerium*.

[7] Ita Am et C; vulgo, *offerebam*.

Quota portio[1] vobis pugnavit, quia universum nec regio vestra sustinere poterat, nec sinebat necessitas. Major enim cura nobis tuendi orbis quam propagandi. Quo exeamus, nihil est novum, nihil alienum, quibus omnis terra possessio est. Latrocinium hoc quasi nævum in corpore diu dissimulandum putavimus; aliquando commoti auferendum credidimus, ne fulgorem imperii romani vestra inobedientia, et quædam interpolaret caligo. Sensistis romanam virtutem non bellando, sed moriendo: neque enim in campo vestra vidimus agmina, sed in muro, cum vobis nec claustra prodessent ad tutamentum salutis. Quis enim murus resisteret, quibus oceanus non restitit? Aut quæ civitas nostræ obsidioni inexpugnabilis foret septa præsidio murorum, quum Britannias quoque romana arma penetraverint muro frementis circumvallatas elementi? Substratus[2] est nobis ille præruptus aquæ mons. Patres vestros, ut Judææ fabulæ ferunt, Rubri maris unda muri specie transeuntes circumvallaverit; romana fortitudo murum oceani perfregit. Non invideo vobis aliena beneficia: viderit vos mare, et fugerit, ut clausi ab hoste fugeretis,[3] quia perrumpere hostem non poteratis, nec sustinere. Nobis fuga oceani damno fuisset, si fugisset. Gessimus ante bellum cum fluctibus; insanum mare ante superavimus quam ad hostem perveniremus. Excepit nos Britannia jam victores elementorum; quibus illi fidebant, nos subegimus, ut ad triumphi cumulum ipse oceanus accederet. Sed forte de virtute corporis præsumebatis. Numquit vos Germanis fortiores, quos septos Alpium muro fortitudo romana in servitutem deduxit? Nec illi similia Tauri montis acclivis collibus, aut Canopeis agminibus Ægyptiorum, cum, quibus vobis bellandi usus est. Supra nubes ascendimus, et de nube descendentes populos vicimus; aerium cunctis aperuimus iter. Iter æquorum vobis non invidemus, dummodo illud triumphantium fuerit, hoc fugientium. Romanæ itaque virtuti consederunt montes, amnes exaruerunt amisso cursu, quem natura direxerat, et inflexo quo victores jubebant. Conversus sit Jordanis vester, ut dicitis, atque in fontem revertit ut vobis iter panderet; non eguit eo Clœlia romana virgo, quæ ruptis vinculis hostem evasit, et fluvio decurrens romanir se intulit castris. Nec incendia vestra miramur, de quibus hebræos pueros evasisse maximos edere cantus soletis. Mutius noster nullo cogente manum admovit ignibus, nec removit, donec victor incendii miraculum hostibus suæ infunderet fortitudinis, quæ flammas non senserit. Denique pacem rogarunt qui triumphum sperabant. An vero cœlestia illa vos extulere pabula, et esca pluviarum adversus virtutem romanam? Sed considerare decuit altricem ipsam orbis terrarum Africam esse subjectam romanæ fortitudini. Nobis servit quæ omnes alit; in nostra potestate est fames omnium et victus universorum: quod natura omnibus dedit, virtus romana jus suum fecit. Ipsum Annibalem perculit, et in exilium coegit, quem non capiebat orbis terrarum. Angustior civibus Africa fuit, non idoneæ ad demorandum visæ Hispaniæ, arta vianti Gallia, indigna Italia amicitiæ fœdere et societatis consortio. Jactetis liceat quod flumina[4] militaverint vobis, cœlestes potestates pugnaverint: nos Annibalem inequitantem fluminibus[5] vicimus atque intonantem undis. Ipsius tempestatibus quatiebatur mundus, et ille muros nostros armis pulsabat. Neque vero necessarium fuit, ut hostes nostri, sicut Assyrii vestri, dormientes extinguerentur, sed prælianteis. Non enim in somnis victoria quæritur, sed in prælio; non virtutis adorea est ubi fortuita gratia. Hostes nostri non aquarum rutilo decepti renitentium ad solis exortum in manus nostras inconsultius inciderunt, dum fusi sanguinis specie nos extinctos putaverunt; sed scientes et ad bellum parati campos terrarum corporibus suis texere, ac proprio sanguine repleverunt. Quæ vos fortitudo in tanta posuit insolentia? Non videbatis eos servire nobis qui vobis imperitarunt? Ægyptus, quæ vos affligere solebat, nobis annuum pendit tributum, et viam præbuit usque ad indicos tractus, extra orbem terrarum egredi, atque alterum orbem quærere, maris secreta, solis ortus oceanique ultima, et alterius orbis incolas nostro imperio adjungere. Quid Antiochi regnum, qui vos gravibus suppliciis affecit? Jus quoque ipsum ereptum religionis non ipsi vobis refudimus, gloriosius arbitrantes imperare regibus quam regnum tollere? Ipsa Antiochia, sedes dominorum vestrorum, non studiose suos repudiavit, et nos dominos elegit? Vos ipsi non ad nos confugistis, ut illos dominos fugeretis? Non ipsi vos suscepimus, et adversum illos defendimus? Servavimus[6] vobis ut vestris legibus viveretis; dedimus potestatem vestris inservire cultibus. Sacra vestra scire noluimus, sed honoravimus. Postea rebellandum putastis. Pompejus templum cepit, sed non diruit; urbem occupavit, sed reservavit; integra omnia reservavit donaria, pro quibus, o grati socii, hanc vicem nobis rependistis, ut tertio rebellaretis. Fuerit Nero despiciendus; sed non in uno romana virtus expendebatur, sed habebat militem Vespasianum, qui jam ad pacem revocaverat Gallias, tam fortis in prælio, ut per illum et Nero vinceret; per illum Nero esset hostibus formidabilis; tam fidelis domino, ut solus imperium non quæreret quod solus merebatur. Sed Cestius læserat. Quærelam deferri decuit, non arma irrogari. Missus pater Vespasianus, qui potuit improvisus in imparatos se effundere, Galilæam circumibat,[7] longinqua exurebat, ut vos deponeretis insolentiam, veniam postularetis. Ostendit virtutem, et cum universos clausos teneret, Ægyptum petiit, ut inducias resipiscendi daret. Insolentiores vos nostra absentia fecit, quia nos occupatos putastis; sed numquam ita occupati sumus ut absentes simus orbi terrarum. Nam et absentes adsumus, et longe positi propius adsistimus: namque ut anima in corpore omnia vivificat sua, sic ro-

[1] Idest, *modica portio*, conformiter etiam verbis Josephi. *Vobis* idem valet ac *contra vos*.

[2] Ita vulgo; Am et C, *subtractus*, forte genuina lectio, eo sensu ut diceret ablatum illud impedimentum quod velut præruptus mons obesse videretur ne Romani Britannias aggrederentur.

[3] Ita A, Am et C; *effugeretis*, item ed. Colon., ac pro vera lect. habent Gualth. et Barr. Vulgo, *fugeritis*.

[4] Am ac C, *fulmina*, et habent pro vera lect. Gualth. et Barr.; sed non convenit iis quæ dicuntur cap. 41.

[5] Iterum Am et C, *fulminibus*. Valet rursus quod supra dictum est.

[6] Ita Am et C, ac pro vera lect. habent quoque Gualth. in ed. 2a et Barr. Vulgo, *servivimus*; apud Migne, mendo certe typogr., *servimus*.

[7] Am, C et Pa, *circuibat*.

mana providentia omnibus imperii sui partibus adest, et totum orbem romanum tamquam præsens gubernat. Nam si singulis animis vis illa divina regendi corporis virtutem dedit; quanto magis romano vigori, quo quasi unum totius imperii nostri corpus animatur, tuendi ejus vitalem quamdam substantiam sumministravit! Suspensum itaque bellum vos reparastis. Profecturus itaque pater ad urbem Romam a tyrannis recipiendam, me a sua divisit societate, ne vobis suæ pietatis exsecutor deesset. Veni ad bellum specie terrentis, affectu
1 rogantis. Quoties a mœnibus vestris revocavi[1] exercitum! Quoties postea a penetralibus templi retraxi! Quoties restinxi incendia; quoties monui! Sed numquam audistis. Nunc demum rogatis, quasi jam quidquam supersit quale jam consumptum est, et tamen a cæde, incendio, direptione exemi militem. Quid desideratis, quid adhuc statis armati, quasi daturi leges, non accepturi? Si deditionem petitis, deponite arma jam non metuenda victoribus, sed superba victis et plena insolentiæ, ut armati rogetis quasi aut de fide nostra dubitetis, aut adhuc virtutem lacessitis bellum minantes. Populus extinctus est, templum ardet, urbem tenemus. Quid reliqui speratis nisi ut vita vobis donetur? Proinde deponite arma quasi victi; vivere vobis donabo, etsi non meremini, quia noluistis quæ vestra sunt,
2 vobiscum servare.[2] Tum illi petere cœperunt, ut sibi obstrictis sacramento, ne umquam se Romanis traderent, egrediendi per murum potestatem daret, quo cum suis familiis in desertum pergerent, urbem Romanis cedentes. Eo commotior Titus, etiamne, inquit, conditiones nobis imperatis? Quin potius defensate patriam, adestote templo, omni virtute insurgite, servate sacramentum mortis, quoniam vitam repudiastis. Et simul jubet insurgere Romanos in necem hostium. Plurimi autem cœpere graviore victorum indignatione labefactari: tra-
3 diderunt se tamen Izati[3] regis filii et fratres ejus et plurimi cum ipsis de plebe; nec Titus quamvis
4 excitatus[4] ad iracundiam, propositum suum solvit contuitu regalis fastigii, sed recepit confugientes. Solius tamen pietatis, quod maximum est, lucrum fecit: nam prædam omnem domus regiæ seditionis auctores diripuere, ut nihil ex ea ad Romanos perveniret.

CAPUT XLVII.

1. Simul autem ut facto impetu in aulam irruere, duos de romanis militibus invadentes, unum pedestris militiæ virum trucidaverunt; eques vero poposcit se ad Simonem duci, allegans se habere quæ memorato insinuaret principi seditionum. Sed perductus ad eum, cum vana quædam attexeret, perimi jussus, dum percussor moratur, clausis jam fasciola oculis, sese proripuit ad Romanos. Qui cominus præliantes suscepere fugientem, perductumque ad se Titus quasi indignum virum morte, qui ab hoste vivus potuerit capi, exutum armis jussit dimitti, reservans ei, quod per hostis ignaviam non A amiserat, et auferens militiæ sacramentum, quod captus prodidit, fugitivus dehonestavit. Id illi majori supplicio fuit: apud viros enim graviora militiæ probra, quam mortis vulnera sunt.

2. Repulsi tamen illico Judæi, ad superiora urbis se contulere, relicta templi et urbis defensione. Strages magna in eos, qui resederant, exercebatur; seminecibus aut cadaveribus repletæ viæ.

3. Jussit Cæsar etiam ad superiora admoveri machinas, quod videntes Idumæi elegerunt viros, B quos ad Titum mitterent qui deditionem rogarent. Eo cognito Simon prævenit, et electos quidem petendæ deditionis viros intercepit; sed Idumæi non multo post, quamvis destituti adjumento principum, cum sustinere vim diutius nequirent, tradidere se exercitui romano. Ita primum fames et ad postremum desperatio resistendi deditionem patravit; nec Romani multa cæde jam fessi abnuebant vitæ indulgentiam, et studio captiva mancipia vendendi promptiores erant ad reservandam salutem. Plurimi C venales, sed pauci emptores, quia et Romani habere in servitutem Judæos dedignabantur, nec Judæi supererant qui redimerent suos, cum se evasisse unusquisque vel inopes gratularentur. Passim itaque se tradebant remoto metu, quoniam latrones aberant, Romani ignoscebant.

CAPUT XLVIII.

Denique et Jesus, unus ex sacerdotibus, Thebuti filius, se dedidit, et vasa sacerdotalium D ministeriorum, lucernas duas, mensas, crateras, phialas et omnia vasa aurea, sed et peripetasmata et indumenta principum sacerdotii cum lapidibus, accepta fide salutis, volens tradidit. Comprehensus etiam Phineas[5] custos gazophylacii demonstravit 5
sacerdotum purpuram multam et coccum et alia complura, quæ ad usum reservabantur; cum quibus cinnamomum et casiam et aromata plurima et thymiamata, vasa quoque sacramentorum multa E etiam ipse tradidit, et vestem sacratam, sed coactus metu; unde et veniabile apud suos flagitium fuit: tamen etsi voluntas defuit, deesse virtus non debuit. Licet plerumque severius judicemus, quam præcavere possimus, si ipsi in tali versemur necessitate; refugere tamen debemus facti ministerium et indicium[6] proditionis. 6

CAPUT XLIX.

F 1. Jamque insurrexerant aggeres, et ferire cœperant arietes murum superiorem septimo die mensis, quem Gorpiæum[7] nuncupant. Ventum ad 7
supremum. Conturbati et perterriti ipsi quoque factionum principes, qui in extremis insultabant periculis, ad genua[8] singulorum advolvebantur 8
opem orantes. Cernere erat quam miserabilis illa mutatio foret ex illo terribili ac superbo fastigio in hanc humilem et plebejam dejectionem, in lacrimas, fletus, pavorem. Necdum cesserat murus G urbis superioris, jam illi percursabant singulos,

[1] Vulgo, *vocavi;* Am ac C, *revocavi*, quod melius contextui convenit.

[2] Ita Am ac C, et pro vera lect. habent quoque Gualth. et Barr. Vulgo, *vobis conservare.*

[3] Ita ex Josepho; vulgo et Am, *Zaræ*, C, *Jaxa.*

[4] Hic desinit Codex ambrosianus mutilus, ut in Præfatione notavimus.

[5] Ita Josephus, vulgo *Phinees;* C et Pa, *Finees.*

[6] Ita C, probantibus Gualth. et Barr. Vulgo, *furti ministerium et judicium.*

[7] Ita ex Josepho; vulgo, *Gorpiensem;* respondet autem Septembri.

[8] Ita C; vulgo *genibus.*

nihil superesse præsidii ingemiscentes; hostem ingressum arbitrabantur. Plerique tamquam jam de superioribus pugnantes Romanos videre sibi videbantur; quod metuebat animus, oculi præfigurabantur, et mentis pavor fiebat imago visus. Denique pro certo jam hostem incumbere cervicibus suis
1 credentes, quibus adhuc tres turres Mariamme[1] et Phaselus et Equestris supererant ceteris validiores, deseruerunt superiora confugientes ad hypogea vel retrusos specus.

2. Johannes tamen non multo post fame tabidus et confectus jejunio tradidit se Cæsari, qui reser-
2 vatus a triumpho,[2] sed perpetuis vinculis innodatus usque ad mortem trahens magis spiritum vitæ quam ullam voluptatem vivendi expertus, securim evasit.

3. Simon autem latuit etiam intra exustæ urbis ruinas in hypogeis se cum paucis recondens fidelioribus. Jam Cæsar discesserat, cremata urbe æstimans etiam Simonem aut igni exustum, aut ruina oppressum, aut a quocumque interemtum milite. Verum ille, quamdiu cibus suppeditavit, in defossis specubus defodiebat introrsum; sed ubi et cibus defecit, et nullus evadendi exitus patuit, subito ad superiora erepsit indutus veste candida et purpureo desuper vestimento, ut terrorem quemdam incuteret adspicientibus; qui primo stupentibus militibus romanis mandat ut ad ducem suum deducerent. Erat in loco Rufus Terentius, quem Titus in loco præfectum militiæ dereliquerat. Quo adveniente interrogatus quis esset, primo alia, post Simonem confessus est. Inde transmissus ad Cæsarem,
3 et ipse ad triumphum servatus;[3] sed quia crudelia exercuerat in cives, nec se Cæsari tradiderat, post triumphi pompam neci adjudicatus.

4. Octavo die Gorpiæi mensis concremata est civitas. Cæsa per omne tempus obsidionis innumera millia, centum decem myriadas plerique asserunt, Judæorum tamen omnium, sed non omnium ejusdem regionis ac loci, quia eo undique convenerunt tempore Paschalis solemnitatis. Captivi abducti ad nonaginta septem millia; latrones prope omnes peremti statim; qui validiores erant, per triumphum ducti, postea bestiis objecti, ceterisque suppliciis dati per singulas ferme urbes, qua iter agebat Titus, ut per universos rebellionum supplicio metum spargeret.

CAPUT L.

Per idem tempus Alani, gens fera et diu ignota nostris, quod interiorum locorum difficultate et claustro portæ ferreæ, quam Magnus Alexander prærupti Tauri montis imposuit jugo, cum ceteris feris et indomitis introrsum gentibus cohibebantur, incolebant Scythicum Tanain finitimaque ejus et
4 Mæotidas[4] paludes, velut quodam clausi carcere memorati ingenio regis, ut suas terras exercerent, alienas non incursarent. Sed sive ob sterilitatem locorum, quod avari votis agricolæ sperata culturæ non responderet fecunditas, sive prædandi cupidine A regem Hyrcanorum qui locis præerat, sollicitarunt, pretione an dissensione inter se gentium[5] incertum, ut reserata porta eruptionis sibi copiam daret. 5 Quo impetrato, infundere se genti Medorum, et imparatam brevi velocibus equis, et aliis pariter ad dextram nexis, in quos per vices, cum foret libitum, desilirent, totam propemodum regionem percursavere, ut primo perturbarent omnia majorisque multitudinis speciem darent, adversus quam nullus fugæ locus vacaret; deinde circumventis B omnibus, quantam vellent, strage edita, prædam abducerent. Erat enim regio populis frequens et pecoris abundans, quæ nullo resistente facile patuit direptioni. Siquidem ipse Pachorus Medorum rex in abstrusa loca se contulit, saluti potius quam regno consulens, ita ut uxor ejus ac liberi ac concubinæ captæ ab Alanis centum talentis postea redimerentur. Nec Teridates[6] Armeniæ rex immunis pe- 6
riculis fuit; sed alieno malo cautior, pestem[7] præ- 7
vidit, et viriliter quidem voluit occurrere, ut a C finibus suis hostem averteret. Dum præliatur tamen laqueo insertus, in potestatem hostium vivus concesserat, ni præacuto gladio nodum informem velociter intercidisset. Namque insolentia quadam propriæ fortitudinis et in ceteros despectu superbo, simul ut familiarem sibi eminus decertandi consuetudinem, refugiendique facultatem tali fraude prætexerent, laqueos jacere atque hostem innectere, ars Alanis bellandique mos est.

D

CAPUT LI.

1. Fugitque Teridates cui evasisse satis fuit; regnum autem suum depopulandum dereliquit. Nam, quasi accepta injuria, quod congredi ausus foret, vehementius Armeniam quam Mediæ regnum devastaverunt. Opimis itaque utriusque regni spoliis ad propria recursum fecere.

2. Quorum comperta incursatione Titus Antiochiam contendit, sensim tamen, ut triumphatorem E decebat, causamque dissimulans, per singulas urbes celebrabat[8] pompam victoriæ. Perimebantur in 8
arena Judæi, quacumque pergebat,[9] ac dilacerati a 9
bestiis pendebant merita rebellionis.

3. Antiochiæ quoque eos vetustis odiis gentilis populus insectabatur, eo quod reges Persarum, quæ de Hierosolymitana urbe donaria jure victoriæ vindicaverant, synagogis contulerant Antiochenis, de suo quoque alia largiti. Itaque congestæ opes invidiam facile movere. Nam ut illa nunc omittamus, F quæ adversus Machabæos gesserint sacerdotii competitores, et quantæ cladi civium fuerit ambitio, sicut supra memoravimus, Antiochus postea non ignobili genere ortus, sed moribus perditus, afficto crimine, quod Judæi urbem Antiochiam incendio exurere conspiravissent, patrem proprium, qui esset de Judæorum primoribus, et plerosque alios insimulatos gentilis impetu multitudinis ad mortem coegit. Nec eo parricidio multorumque cæde exsaturatus quievit, sed postea quoque nactus facul- G tatem, quod fortuito incendio acciderat ejusdem

[1] Ita C; vulgo, *Mariamne.*

[2] Ita C, et convenit Josepho; sed vulgo, *ad triumphum.*

[3] Ita C; vulgo, *reservatus.*

[4] Ita C; vulgo, *Mæotidis* vel *Mæotidos;* Josephus, *Mæotidem paludem.*

[5] Ita ex A et C, cum Gualth. et Barr. Vulgo, *an defensione incertum.*

[6] Ita ex Josepho; vulgo, *Tyridates.*

[7] Id est *malum,* uti alibi quoque Ambrosius.

[8] Ita C, et Gualth. in ed. 2ª, ac congruentius contextui quam communis lectio *celebrat.*

[9] Ita C, A, Pa, et Gualth., nempe Titus. Vulgo et Barr. minus recte, *pergebant.*

urbis porticus et tetragonam plateam maximamque partem ædificiorum cremari, fraude prædictæ conjurationis iterum Judæos urgere cœpit atque incessere. Ac prope universorum stragem fecisset, nisi advenienti Tito reservata cognitio foret metu, ne Cæsar usurpato plurimorum supplicio commoveretur. Ea res Judæis saluti fuit.

CAPUT LII.

1. Masadæ quoque plurimi se Judæorum freti loci murimine congregaverant, cujus expugnandi negotium Titus indignum arbitratus quod imperatorem teneret, Silvæ[1] mandavit, cui summam in iisdem locis militiæ romanæ, cavendique ne quid iterum rebellionis oriretur, commiserat. Ipse Alexandriam contendit, et inde Romam navigio transmisit.

2. Silva gnaviter insistens injuncto sibi muneri, Masadæ murum ariete dissolvit. Illi interiorem ligno composuere, eo quod ad hujusmodi ictus machinamentorum muralis materies facile non cederet. Sed Romani, mutato bellandi genere, ignem jecere, qui et facile ligno inhæsit, et sine ulla adolevit mora. Magnus itaque adulto incendio flammæ ferebatur fragor, qui primum Boreæ spiramine a munitionis partibus repellebatur, et Romanorum magis vineas exurebat; deinde exorto Noti spiramine, in castellum sese retorsit, ita ut conflagraret omnis ille ligneus muralis objectus materiæ consumptæ. Romani, quoniam nox intervenerat, securi victoriæ in castra sese receperant, ut sequenti die nudatos jam atque omni exutos subsidio debellarent; sed ne quis elaberetur, intextis castellum custodiis circumvallarunt.[2]

CAPUT LIII.

1. Desperatis itaque rebus, Eleazarus, auctor turbarum, videns nihil præsidii superesse, hunc sermonem adorsus est, quem nos quasi epilogum quemdam claudendo operi deplorabilem more rhetorico non prætermisimus.[3] Quid agimus, Abrahamitæ viri, genus regale, sacerdotalis gratiæ virtute insuperabiles? Non enim ex eventu victoriæ, quæ frequenter incerta est, sed ex propositi constantia virtus spectatur; unde conjicere liquet, quia hostem subjicere sortis est, non mutare mentem virtutis esse. Jure igitur insuperabiles vos dixerim, si nullus adhuc mortis vos vicerit metus. Sed non ita vos pater instituit Abraham, qui in filio unico docuit, non mortem ejus, sed immortalitatem futuram, si pro religione immolaretur. Quid Josiam prædicem, quo nemo melior fuit interpres religionis, contemptor mortis, assertor libertatis? Namque is in illo suggestu regali locatus, cui liceret differre mortem, tamen quia videbat propter peccata gravia captivitatem plebis Israel futuram, bello se alieno miscuit, vitam refugit. Clamabat Nechao: *Non adversus te missus sum, sed adversus regem Israel:* ille tamen non prius recessit quam lethalem sagittæ ictum subiret. Quo fusus vulnere indicio nobis est, utrum in bello meritum, an casus præponderet. Victus est Josias piorum instaurator secretorum; vicit Nechao omnium sceleratissimus: sed ille victus nunc cum angelis est; hic victor in suppliciis. Quis enim nescit, non in hac vita repositam esse mercedem hominibus, sed post hujus absolutionem certaminis? Hic enim currimus, ut illic ad palmam perveniamus; hic certamen, ibi præmium est. Non ergo ulla hic longævæ ætatis gratia est. Denique Abel cito occidit, Cain supervixit. Ita mors innocentiæ fuit, et vita ærumnæ. Ex illo[4] in eandem sortem successimus, ut vivere miserrimum fieret, mori beatum. Quid est enim vita nisi carcer animæ, quod intra hoc ergastulum clauditur, et carnali adhæret consortio? Cujus infirmitatibus quatitur, labore affligitur, ira conteritur, accenditur cupiditatibus, vexatur furore, nec se facile attollere potest humi nexa, concreta pulvere, stricta vinculo, nervis irretita. Non mediocris tamen potestas ut corpus vivificet, atque infundat insensibili materiæ sensus vigorem, et hoc invisibiliter singulis anima sua conferat, totumque hominem regat, atque ultra mortalem provehat fragilitatem, ut cognitionem capiat secretorum cœlestium, mentem intendat futuris. Itaque ad imaginem similitudinemque sui principis non videtur, cum sit in corpore sita, nec corporalibus oculis cernitur, nec ingressus ejus aut exitus ullo adspectu deprehenditur, instar quoddam divini muneris repræsentans. Cum ingreditur, vitam infundit; cum excedit corpore, mortem operatur: ubi anima, ibi vita; ubi ea defuerit, ibi mors est: quidquid inviserit, exsuscitat; quidquid reliquerit, statim solvitur et continuo marcescit: infusione animæ mortuus resurgit; discessione vivus exanimatur. Quis ergo dubitet, quod ei inesse videatur immortalitatis operatio, cujus virtus sit mortem avertere? Ea tamen sibi oneri est, quamvis alii ad usum redundet; et quod corpori donat, sibi detrahit: gravatur enim, et quasi in terram inclinatur cum isto mortali corpore. Itaque vita corporis animæ mors est, et rursus corporis mors animæ libertas videtur: dum enim sumus in corpore, servit anima nostra hac misera quidem servitute qua de paradiso exulat, et a suo principe peregrinatur. Ubi autem fuerit istius carnis absoluta vinculis, in illum purum et splendidum superiorem revolat locum, atque adest Domino Deo suo, sanctorumque habitaculis fruitur, et beatorum consortiis gaudet, quod nullam jam habeat cum mortuo societatem, et contubernium cadaveris[5] dereliquerit, adspiret ei cœlestis gratia, nec ulla eam curarum humanarum sollicitet exagitatio. Indicio nobis est quies, quantam anima post obitum resumat gratiam: sopito enim corpore, et quasi mortuis ejus cupiditatibus atque universis motibus cum sanctis sæpius conversamur, recipimus quos amisimus, ut nobis et absentes adsint, et mortui

Paralip. xxxv 2.-23.

[1] Vulgo, *Syllæ*, sed recte C, *Silvæ*, ex Josepho; A, *Silææ*.

[2] Weber morte surrepto, finem hujus capitis et sequens ultimum e comparatione instituta præcipue cum codice Cassellensi edidit Julius Cæsar (*Kaiser*), ipsius Weber desideriis obsequens et notulis adjutus. Ipsam tamen editionem jam fere a toto libro v curandam susceperat, licet ab eodem Weber quasi ex integro prædispositam.

[3] Plura hoc capite leguntur quæ fere ad verbum etiam in aliis Ambrosii operibus occurrunt, quorum comparatio videri potest apud Mazoch. pag. 843, præcitati sæpius T. III *Commentarii in Marmoreum Neapol. Kalendarium.*

[4] Supple *tempore*, ut rite animadvertit Mazoch. pag. 868 præcitati operis.

[5] Vulgo, *cadaveribus;* sed lectionem C, quæ in textu, admittunt ut genuinam etiam Gualth. et Barr.

vivant, et omnis quiescat dolor; appropinquemus et confabulemur Deo, cognoscamus futura, afflictis requies, servis libertas sit. Quod igitur dormientes somniamus, hoc defuncti adipiscimur, et quod in somno imago, hoc in morte veritatis possessio[1] est et libertatis gratia. Unde nonnullis gentibus mos est, ut ortus hominum fletibus, occasus gaudiis prosequantur, quod illos ad ærumnam generatos doleant; hos ad beatitudinem rediisse gratulentur: illorum animas ad servitutem venisse ingemiscant;
2 istorum ad libertatem remissas[2] gaudeant. Indorum quoque sapientes feruntur, quum moriendi affectum induerint, protestari quod discedere velint, neque ullum obstrepere; deinde ubi apparatus mortis processerit, insilire lætos ardentem pyram et adstantibus valedicere; dolere mulieres quasi subsidio destituendas, vel liberos parvulos quod derelinquantur; benedicere alios, nec invidere quod ad meliores habitatores, splendidiora loca, puriora festinent consortia. Quid igitur de vobis aliud opinari possum, quum etiam barbaris gentibus libertatem sequendi mos sit? Jamdudum itaque vos optime mihi cognitos, et institutis patriis respondere paratos, quod neque Romanis, neque cuiquam genti nisi soli Deo serviendum putetis, qui solus justus et verus omnium dominus sit. Dies advenit, qui probare operibus voluntatem exigat, nec dehonestare veteris indolis claritudinem, ut in libertate geniti, dominationi vos hominum subjiciatis, præsertim cum licuerit vobis ante servire sine periculo, nunc autem necesse sit dura supplicia suscipere cum servitute, si Romanorum imperio servituros nos offeramus, quos primi omnium bello lacessivi-
3 mus, et ultimi adhuc armis tenemus.[3] Imperatori non dedimus manus pacem offerenti; Silvæ dabimus acerbitatem minanti? O miseri, ad quam spem
4 istius vitæ nos reservabimus?[4] Esto, hostis ignoscat; quid proderit, cum offensa Dei clara sit? Ignes ab hoste in nos versi, mutata ventorum flamina, flammæ retortæ, ut nostra subsidia deurerentur. Quis poteris adversante Deo vivere? Nullus veniæ locus, sed manifestum imperium mortis voluntariæ. Quid enim nox intervenit, nisi ut nos
5 hostis non præveniret, nec[5] deusto murali subsidio continuo irrumperet; sed ut nobis exercendæ mutæ necis tempus reservaretur, liceretque cum liberis nostris et necessitudinibus mori, ne videremus anhelos senes a Romanis pertrahi, carissimas con-
6 juges ad victoris libidinem[6] rapi? Commoriamur patriæ, ne superstites simus tanti dedecoris opprobrio. Quo igitur fugiemus a facie Dei, aut quo ibimus infenso nobis cœli Domino? Si cadant super nos montes, et concavis specubus abscondant, quomodo tamen poterimus declinare indignationem tantæ potestatis? Quo enim progredimur ubi non

A sit Deus, cum ubique ipse sit? An mediocria exempla sunt, quibus doceamur, quod jamdudum genti nostræ pro peccatis nostris infestus sit, quam præsidebat? Quis hoc dubitet, cum videat, quod in nos conversæ manus nostræ sint, pluresque seditio domestica quam bellum extinxerit? Non donabo Romanis quod vicerint, nec ipsi sibi hoc vindicant, qui sciunt, quod omnes fere nostris potius armis quam alienis perierimus. Quæ enim arma romana viderunt Cæsaream inhabitantes Judæi, quorum
B feriato die sabbati inter solemnes nostrorum cultus sacrorum multitudo gentilium Cæsariensium repentino quodam impetu emisso de furore succensa viginti millia delevit, omnes fugavit, ut totam urbem exinaniret? Nonne totam Syriam quædam[7] 7
implevit dementia, ut Judæi atque gentiles in iisdem urbibus siti, et incolatus gratia sibi prius nexi, postea inter se armis colliderent,[8] quo Ro- 8
manis vadum futuræ victoriæ constitueretur? Nam quid de Scythopoli loquar quo Judæi primo con-
C tenderant, ut gentilem populum prævenirent, ne quid adversum nostros exemplo ceterarum urbium machinarentur? Itaque quos par fuit conjunctis adversum alienigenas viribus bello decertare, e contrario adversum se Judæi decertaverunt,[9] ut 9
pars eorum adversum cognatos et proximos suos cum gentilibus[10] præliaretur, deinde ipsi pro pretio 10
laboris et inpensi sanguinis a gentilibus perimerentur, quod prohibuerunt ipsi fieri gentilibus. Damasceni, nulla exsistente causa, octo[11] millia 11
D Judæorum straverunt; Ascalonitæ duo millia quin- gentos; in urbe quoque, cui Ptolomais[12] nomen, 12
cæsa duo millia. Alexandriæ vero vetus erat odium inter Judæos et gentium populos, ex quo magnus Alexander usus est studio Judæorum ad Ægyptios subjiciendos, unde condita urbe ex æquo Judæis et Ægyptiis attributa privilegia et habitationes diversæ, ne eorum cultus permisceretur, qui purificationes suas sine ulla volebant servare contagione. Hinc frequenter inter eos conflictus fuere,
E exorta jurgia, judicium petitum. Nihil tamen ex tanti regis temeratum liquet fuisse beneficiis, sed postea a gentilibus exorto tumultu, cum Judæorum necati aliqui, alii ad pœnam detinerentur, injuria motum Judæorum populum adversum auctores injuriæ insurrexisse, et cum pertinacius se de civibus ultum iri vellent, inductum exercitum romanum, qui sexaginta Judæorum millia intra urbem fuderit. Verum quid in levioribus moror, cum excidium totius orbis in unius civitatis ruina deplorandum nobis sit? Ubi est magna[13] civitas Hieru- 13
F salem, ubi decora Sion, ubi templum mirabile, ubi secundum illud tabernaculum sanctitatis sacrarium, quo solus semel in anno princeps sacerdotum solebat intrare non sine sanguine, quem pro se of-

[1] Ita A et C; et esse veram lectionem, non *passio*, quæ vulgata, contextus requirit, et probavit Gualth. in adnot. ad 1ª edit.

[2] C, *egressas*, forte præferendum.

[3] Interpunctionem cod. C prætulimus communiori, ut contextui valde melius respondentem. Communior distinguit ante *si Romanorum*, et jungit periodum post *tenemus* cum *imperatori*.

[4] Ita C, ut requirit contextus: vulgo, *reservavimus*.

[5] Vulgo, *aut;* sed valde melius C, *nec*, quod probant etiam Gualth. et Barr.

[6] Ita vulgo; C, *victores libidine*.

[7] Ita C cum Gualth. et Barr. Vulgo, *quidem*.

[8] Vulgo cum Gualth. et Barr., *colliderentur;* sed *collidérent* C et Pa.

[9] *E contrario.... decertaverunt* lectio est codd. A et C, ac ed. Pa. Vulgata lectio: *hæc e contrario adversum se Judæi decreverunt*.

[10] *Cum gentilibus* deest vulgo; sed est in C, et a contextu requiritur.

[11] Josephus, *octodecim millia*, unde videtur excidisse e textu vox *decem*.

[12] Ita C et Pa; vulgo, *Ptolemais*.

[13] Vulgo, *maxima;* sed C, *magna*, conformiter Josepho, ac probante Gualth. in ed. 2ª.

ferret et pro populi delicto? Profanatum est a gentibus; habitant in reliquiis urbis qui eam destruxerunt. Ubi, inquam, est civitas referta populis, venerabilis regibus, acceptabilis Deo, gratiæ sedes? Pavimenta tua de marmore, parietes tui fulgentes marmore, tua culmina pretioso splendebant marmore, portæ tuæ auro micantes, aliæ argento renidentes. Omnes interfecti, et qui in te jugiter inhabitabant, et qui ad te ex totius orbis terrarum partibus conveniebant, ut non dubium sit totum in te mundum periisse. Nuda omnia, a culminibus cremata, a fundamentis diruta; facta est habitatio tua deserta, nec est qui in tabernaculis tuis inhabitet; et adhuc quemquam vivere libet, et non vixisse pœnitet? Duri oculi qui hæc possunt videre; immites animi qui velle possunt ut quid tantis supersit doloribus, non quo defecerint clades, sed quo jam nulla requies. Quo enim circumferamus oculos, aut quid cernere delectet? Urbs tota mortuorum sepulcrum est, solæ spectantibus occurrunt favillæ, viæ vacuæ viventium, repletæ cadaveribus. Miseri seniores cinerulenta canitie et scisso amictu supra reliquias mortuorum sedent nuda tegentes ossa, quo defendant a volatilibus ac bestiis. Mulieres paucæ incolumes,[1] quas miles impius ad turpitudinem, non ad vitam servaverit. Quis hæc videns, et de comperendinatione vivendi cogitans, audeat ad cœlum levare oculos? Quis sic immemor patriæ, hostis suorum, pietatis alienus, expers dulcedinis, cujus tam semiviri sic mollis spiritus, quis ita meticulosus, quem non pudeat his reservatum? Utinam quidem olim defuncti essemus, aut si vita superesset, oculorum lumen periisset, priusquam sanctam urbem dirutam hostium manibus intueremur, templumque hoc a majoribus nostris sacratum Deo, tam impie flammis cremari, aut sacerdotes in templo conspiceremus interfectos jacere. Emendemus ergo quod his superviximus malis, ut videamur non vitæ studio distulisse mortem, sed virtutis intentione. Circumvallavit hostis omne munimentum; nihil superest nisi nos aut conjuges nostræ. Jam sibi filios nostros in auctione constituunt, certantque inter se quis cujus abducat conjugem; utrum pro dignitatum meritis personarumve ordinibus distribuendæ sint, an sortitus[2] cogendæ subire miserabiles. Nobis quoque parantur prodigia pœnarum, tormenta exquisitissima, non solum ardentes flammæ aut diversæ neces victricis[3] ictus securis, duro quidem post vincula, post carcerem, post jugum supplicio, sed tolerabiliore viris quod ludicro[4] vacet; sed etiam avulsi artus viventibus et præcipue truncatæ manus. Nec immerito, quia defuerunt suo muneri, cum possent sibi subvenire. Subeundi quoque morsus ferarum ad victorum spectaculum, quod diversis jam celebratum arenis urbium vel exemplo nobis esse debet pudendum vel visu miserabile, ut reservemus nos aut bestiis aut fratribus præliaturos. Quid igitur moramur? Non est

A jam liberum nobis quod metuimus, evadere. Si liberos interficere nolumus per misericordiam, aut nosmet ipsos per virtutem, necesse erit ut germanos aut propinquos nostros interficiamus[5] per flagitium. Hoc suadet affectus; illud victores exigunt. Si nolumus exsequi ministerium pietatis, cogemur subire pompæ parricidalis ludibrium. Adoriamur ergo quod prosit liberis conjugibusve nostris: si infirmiores sunt,[6] auferamus eos cruciatibus futuris; si fortiores,[7] vincamus compassiones B parentum, affectus necessitudinum, et in hoc vincamus hostem cui prædam tollimus. Hoc virtus exigit; hoc pudor suadet. Non timere mortem virtutis est: etenim ad mortem omnes nascimur, et ad mortem generamus liberos, quorum mors naturæ assignatur, captivitas probro datur. Ergo quos non potuimus periculo eripere, eripiamus ludibrio. Miseremini, patres, liberorum; mariti, conjugum; omnes, parvulorum; misereamur, quod est præcipuum, nostri, dum est miserandi potestas, ut C de nostro misereamur, ne ad dedecus et nati videamur et reservati. Quis enim possit perpeti patres ante ora filiorum, filios in conspectu parentum interfici, trahi canitie fessos senes vel ad necem, vel quod pejus est, ad servitutem; mulieres sparsis crinibus duci sub conspectu conjugum, et violenter ad opprobrium trahi; audire vocem parvuli vagientis vocantis patrem, ut auxilio sit petenti, cum jam frustra audias revinctus manus, et captivæ cervicis jugo subditus.[8] Ergo D dum adhuc liberæ manus sunt, dum ferrum stringimus, aggrediamur opus quod victor hostis miretur. Mulieres nostræ supremum conjugalis munus dilectionis quasi dotale recipiant patrimonium. Has illis claves refundimus[9] novo sanguinis testamento, ut sint nostræ heredes libertatis. Hoc ipsæ hortantur, certe merentur quæ volunt, cogendæ quæ refugiunt. Nec parvuli ferrum pavebunt, quod per ætatem nesciunt, quod suscipere a parentibus piis debent, ut vere fiant liberi. Nobis quoque quid erit E præstantius? Si exuramus prius castellum, frumenta tamen reservemus, ne putent nos fame potius coactos quam studio virtutis invitatos mutuæ necis arripuisse ministerium. Donemus illis escas refertas sanguine, et si eas flamma exusserit,[10] nidor ipse frugum incensarum indicio erit periisse obsidentibus quod obsessis abundaverit. Post hæc unusquisque offerat se vulneri, et moriturus patriam tegat, supremoque amplexu ambiat: fiat nobis patria libertatis sepulcrum, quæ fuit dignitatis F domicilium: hic tumulus nostra funera decet, ut septo virtutis tegamur.

2. Tali accensi oratione ceteri gladios strictos tenebant, oscula dabant conjugibus, amplexu suscipiebant liberos, illacrimantes simul et simul festinantes ut hostis præveniretur. Hæc vobis, inquiunt, amoris pignora damus, supremæ solatia necessitatis; et compresso viriliter affectu, passio-

[1] Ita vulgo, et cum Josepho; unde minus recte pro *incolumes*, C, *in limine*.

[2] Ita loco communioris *sortibus* C, Pa, ed. Colon., Gualth. in ed. 2ª et Barr.

[3] Loco *victricis* Cæsar scripsit *ultricis*, quod melius esset, sed nullo fulcitur documento.

[4] C, *quod ludicro*, lectio sane melior, ut magis contextui respondens quam communis, *si ludibrio*.

[5] Ita C, melius quam vulgo: *per germanos.... interficiamur*.

[6] Vulgo, *sumus*; sed valde convenientius contextui, *sunt* in A, quod Gualthero probatur, et consonat Josepho.

[7] Vulgo hic additur *sumus*, quod deest in A et C, nec contextui congruit.

[8] Vulgo, *revinctas.... subditos*; sed præferenda lectio nostra, quæ probata fuit etiam Gualth. et Barr., ac convenit cum Josepho.

[9] Claves nempe insignia habebantur domesticæ potestatis. Vide Mazoch. pluries memorato opere, pag. 821.

[10] Ita C ac Pa; vulgo, flammæ exusserint.

nem excluserant,[1] cædem implebant. Impavidæ mulieres se offerebant vulneri pro conservatione pudicitiæ: mentem quoque ipsæ suorum induerant virorum. Cæsis itaque necessitudinibus, pignoribus quoque, delegere strenuos qui supplementa cædis exsequerentur. Ita fusi omnes, nongenti sexaginta A cum parvulis ac mulieribus. Una mulier sola[2] superfuit, quæ filios quinque in aquæductu abscondit, dum ceteri supremis intendunt necessitatibus. Ea Romanis diluculo advenientibus ad vocem excita index negotii fuit. Opes autem eorum appositus ab ipsis prius ignis consumpsit.

[1] In veteri quodam cod., *Omnes se mollitie exuerunt, passionem excluserunt*, Gualth. et Barr.

[2] Josephus ait duas fuisse mulieres.

HISTORIÆ DE EXCIDIO HIEROSOLYMITANÆ URBIS

ANACEPHALÆOSIS,

ID EST

OMNIUM PENE QUÆ IN SUPERIORIBUS DICTA SUNT LIBRIS

RECAPITULATIO.[1]

CAPUT I.

Anno XLII post passionem Domini, imperii vero Vespasiani primo, bellis asperis Judæa et seditionibus domesticis lacerabatur. Ipsa quoque eorum civitas Hierusalem intestino prælio[2] laborabat. Nulla intermissio, nulla requies, nullæ induciæ; momentis omnibus dimicabatur. Multi ruebant, innumeri jugulabantur. Sanguis fœdabat universa, ipsaque replebat templi limina: passim ruebant cadavera: sagittis alii, alii missilibus feriebantur. Nullus locus periculo vacabat, nulla spes conversionis, nulla fugiendi copia erat: mœsta omnia et plena horroris, et plena immanitatis: ubique luctus, pavor ubique: clamor mulierum, ejulatus senum, morientium gemitus, viventium desperatio: ut miserabiles eos diceres qui remanserant, beatos qui obibant. Quomodo decepta es populis tuis, quibus quondam videbaris beata? Quomodo expugnata es tuis armis, atque in te conversæ sunt manus tuæ, quæ solebas sine armis vincere, et sine ullo prælio hostem ferire, cum pro te Angeli dimicarent, et militarent tibi fluctus maris, terræ hiatus, cœli fragores?

CAPUT II.

Exsurge nunc, Moses, et vide gentem tuam et hæreditatem populi tibi crediti, perire manibus A suis: aspice populum illum Dei, cui gradienti pervium mare patebat, cui esurienti escas cœlum subministrabat, sine mari clausum, sine Pharaone obsessum, sine terrarum sterilitate jejunum. Exsurge, Aaron, qui aliquando propter offensam Dei, cum mors plurimos depasceretur populi, stetisti inter viventes ac mortuos, et mors stetit, atque objectu corporis tui hæsit lues, nec transire potuit ad contagionem viventium. Suscitare et tu, Jesu Nave, qui muros inexpugnabiles Hiericho, tubis B canentibus complanasti; et vide populum cui exteros subjecisti, nunc eumdem subjectum opprimi. Suscitare, David, exasperantem spiritum citharæ suavitate solitus excludere, et vide quemadmodum dominabatur furor, atque omnem suavitatem psalmorum tuorum ex perditorum sensibus abluerit,[3] et unusquisque de principibus populum universum ad mortem afferat, ut libertatem extorqueat, pro quo te ipsum morti offerebas. Suscitare, Elisæe, qui hostem introduxisti in Samariam, et amicum C fecisti. Per te in castris Syriæ quadrigarum increpuit fragor, et vox equitum et virtutis: fugit hostis, evasit obsidionem Judæus. Ubi nunc ista merita, et ubi nunc istæ operationes sanctorum? Nec mirum, si miserunt[4] prophetarum opera, qui negaverunt prophetarum arbitrum. Ideo in te, Judæa, arma[5] convertuntur, orationes tuæ nihil tibi prosunt, quia fides tua nihil operatur: ideo adversum te factus est populus tuus, quia in te conversa est perfidia tua. Quod remedium quæ- D ritur, ubi auctor remedii non conciliatur? Quid putabas futurum, cum tuis manibus vitam tuam exstingueres, cum tuis vocibus advocatum tuum exterminares, nisi ut in te quoque injiceres manus?

[1] Communiori voci *repetitio* substituimus *recapitulatio*, tum quia est recta versio vocis *anacephaleosis*, tum quia melius respondet ipsi opusculi naturæ. Non est tamen vere compendium omnium præcedenti historiæ librorum, sed consarcinatio plurium locorum fere tantum e postremo, atque jure a Gronovio dicitur (pag. 265): « Cento quidam verius, quam, quod vocatur, *anacephalæosis*, ex superioris operis particulis hinc inde depromptis consutus ». Legitur quidem in pluribus etiam satis antiquis præcedentis operis scriptis codicibus, sed ipsius Auctori vel ex hoc tantum argumento tribui nequit, quod nulla extitisset causa, cur ipse simul iterum assueret eorum plura quæ jam suis libris descripsisset. Deest autem hæc Anacephalæosis tam in cod. Ambrosianæ Bibliothecæ, forte eo quod mutilus sit in fine; quam in cod. Cassellano, e monasterio Fuldensi Cassellam translato, e cujus vetustate inferre licet hanc opellam nondum conflatam fuisse ea, qua ipse descriptus fuerit, ætate.

[2] Vetus quidam ms. juxta Barr., *trino intra se prælio*, nempe e factionibus Joannis, Simonis et Eleazari, ut supra, lib. v, cap. 1.

[3] Rursus e cod. Barr., *expeditorum.... aboleverit.*

[4] *Miserunt* pro *omiserunt* vel potius *amiserunt.*

[5] Barr., *arma tua.*

Habes, quod petisti. Eripuisti tibi Præsulem pacis, petisti necari vitæ tuæ arbitrum, concedi tibi Barabbam; *qui propter seditionem factam in civitate et homicidium missus fuerat in carcerem:* ideo salus abs te recessit, pax abiit, quies destitit: data est tibi seditio, datum excidium: agnosce tibi hodie Barabbam vivere, et Jesum mortuum. Ideo in te regnat seditio, pax sepulta est, ut crudelius a tuis pereas, et prius quam ab alienis perires.

Lucæ XXIII, 19.

CAPUT III.

Quid tantum, miserabilis civitas, Romanus suis armis, quantum populus tuus malorum invexit? Ut cum Romanis pugnares, tui fecerunt: pacem volebant Romani, tu bellum indixisti. Quid causæ erat, ut fortiores lacesseres? Durum sane, quod contra legem sacram templum gentilis intravit: sed jam non erat Dei templum. Non eras Dei civitas, nec esse poteras, quæ eras mortuorum sepulcrum, præsertim tuorum, quos ipsa occideras, non quos ab hoste amiseras. Quomodo enim poteras vitæ esse domicilium, quæ eras mortis habitaculum, diversorium scelerum, latronum spelæum?
1 Jacuerunt in te Ananus et Joannes[1] insepulti sacerdotum principes: et illi dudum sacerdotalibus induti stolis, qui venerationi etiam exteris fuerant, deformes jacuerunt. Cadavera eorum esca volatilium, et devoratio canum facta sunt, membris lacerati, et tota dispersi urbe, ut deplorare veteris sanctitatis species videretur tantam sacri nominis contumeliam, et speciosi quondam muneris deformitatem. Sed ipsa tibi hujus indignitatis exordium fecisti, quæ in medio sinu tuo occidebas prophetas, quæ lapidabas sanctos Domini. Ante templum Zacharias jacuit exanimis, jacuit inhumatus: ergo sanguis tuus illum lavat. Quæ causa autem mortis fuit Anano, nisi quod increpuit populum tuum,
2 quia non resurgeret[2] pro templi defensione; quia expostulabat libertatem perditam, virtutem desertam, calcatas veterum sacrorum reliquias, commaculata altaria: relinquendum asserebat populum, usu simulacrorum insensibilium et statuarum more
3 nihil jam sentientem[3] commaculatum? Muta enim animalia referre solent, vel vicissitudinem vindictæ, sentire injuriam, incitari aculeo, declinare verbera. Qui ergo nec excitatur, nec declinare novit quod noceat, similis est non sentientibus.

CAPUT IV.

Et revera ubi libertas tua, cujus studio quondam non Ægyptiis, non Palæstinis, non Assyriis, postea non Medis cedendum existimavisti? Ubi est illa Machabæorum fides, quæ quondam in paucis fudit Babylonios, Persas fugavit, Demetrium perculit; ad postremum in parvulis ac mulieribus Antiochi arma, gladios incendiaque superavit: et pro observatione patriæ mori maluit, quam regiis imperiis obtemperare? Ubi est illa devotio patrum, pulcherrima passionum omnium, qua se non pro liberis, non pro conjugibus magis, quam pro templo Dei morti offerebant? Antea et virga sacerdotalis floruit, recisa de silvestri radice: nunc et fides aret, et sepulta est pietas, et abiit omnis virtutis æmulatio. Nec mirum, si populus qui a Deo recessit, et improbum contradictionis spiritum sequitur, in se ipsum divisus est. Quomodo enim pacem suam tenere poterat, qui pacem Dei repudiavit? *Pax Dei Christus est, qui fecit utraque unum.* Merito ergo ex uno populo plures adversum se facti sunt, quia noluerunt sequi divisa sociantem Jesum, sed secuti sunt conjuncta dividentem furoris spiritum.

Ephes. II, 14

CAPUT V.

Solvebas igitur, Hierusalem, mercedem perfidiæ tuæ, cum ipsa tuis manibus destrueres munimenta tua, cum tuis mucronibus foderes viscera tua, ita ut hostis misereretur, ut ille parceret, et tu sævires. Videbas enim, quod Deus adversum te pugnaret, et Romanorum fungeretur partibus, ut ipsa tibi inferres voluntariam perditionem: ideo spectatores malebant esse Romani, quam percussores, ne furentibus tuis inter se visceribus, manum admovere contagionis magis, quam fortitudinis æstimarentur. Ad hæc nefandæ necis supplicia accedebat impia immanitas crudelitatis, ut sepulturam omnibus qui vel in templo necati fuerant, vel circa urbis plateas, negarent: nec humare cuiquam vacabat, dum bellis inter se occuparentur, feriendique magis quam humandi cura universos tenebat. Ita quodam furore occiderant pietatis officia, crudescebant impietatis ministeria; nihilque magis in tantis calamitatibus perierat, quam misericordia, quæ sola solet allevare miserias, solari ærumnas. Namque et hi qui amiserant suos, non audebant humare propter formidinem, cum gravis terror ingrueret a diversæ factionis principibus: et hi qui necaverant, alienos cavebant, ne quis illos præriperet ad sepulturam. Itaque necesse erat omnes timere, ne quod alteri donare vellent, id sibi sumerent: vel quod pejus est, quem paraverant usum sepulcri, eum ipsi non impetrarent.

CAPUT VI.

In templo igitur ipso pro unguentis bene olentibus, pro thymiamateriis bene spirantibus, pro diversorum florum odoribus, gravis erat insepultorum cadaverum fetor, quæ pluvia dissolverat, quæ flamma ambusserat, quæ sol calefecerat. Omnes artus cæsorum civium diro odore fetebant. Hinc resolutorum putredo viscerum, inde exustorum nidor sensus omnes atque ora complebant viventium, ut ipsi non multo post graviore morbo consumerentur, ac se superstites ingemiscerent, quod duriore pœna perirent, eoque servatos, ut viderent cum patria simul solvi etiam leges naturæ, negari jus viventibus, pacem civibus, sepulturam defunctis, humana pariter atque divina maculari ac pollui, permixta omnia. Criminosam esse misericordiam, religionis loco haberi crudelitatem, castrum in templo, bellum in limine, funus in altaribus: ea spectare oculis, quæ prophetis denuntiantibus non credidissent futura. Nam de his dixerat David:

[1] *Ananus et Jesus* legitur superius lib. v, cap. 2.

[2] Juxta Barr., *insurgeret,* ut legitur revera eodem lib. v, cap. 2.

[3] Gallandus jure legendum vellet *sentientium.*

Polluerunt templum sanctum tuum, posuerunt mortalia servorum tuorum escas volatilibus cœli; effuderunt sanguinem eorum sicut aquam in
Ps. LXXVIII 1-3. *circuitu Hierusalem, et non erat qui sepeliret.* Simul enim tunc, et gentes venerunt in hæreditatem Dei quæ auferret omnia, et templum pollutum est suorum funeribus, et insepulta jacuerunt cadavera interfectorum ad escam avium bestiarumque voracitatem, effusus sanguis ut stagnaret in templo, deesset qui sepeliret: quia viventium in mortuos, a mortuis in eos qui adhuc viverent, furor transferebatur. Volebat aliquis defunctum humare; ipse exstinguebatur. Et qui defunctum occiderat, in sepultorem transferebat iracundiam, ut illi sepulturam negaret: hunc exstinguebat rursus qui sepultorem occiderat, majorem crudelitatem circa defunctum exercebat, ut jam nihil debentem odio, non sentientem supplicia, spoliaret supremo naturæ debito.

CAPUT VII.

Quid illis accidere aliud poterat, qui divina non recipiebant oracula? Irridebant prophetarum annuntiationes, fas omne calcabant, futuraque ut fierent, ipsi acceleraverunt. Erat enim sermo vetus et frequens, tunc perituram Hierusalem et sancta ejus exurenda, cum seditio belli legem incesseret, et domesticæ manus templum Dei contaminarent. Nec hoc quidem intellexerunt. Quoties enim excisa domus Dei! quoties seditio! quoties bellum! et numquam illa urbs periit, nisi cum Dominum vere Templum Dei domesticis manibus crucifixerunt. Propter quod et illud audiunt: *Solvite tem-*
Joan. II, 19. *plum hoc, et in tribus diebus resuscitabo illud.* Quid enim aliud nisi sacrilegium fuit, cum impias manus extenderent in auctorem salutis, cum lapidarent eum, cum verberarent, cum corriperent, cum occiderent? Tunc vere sancta eorum absumpsit ignis divinus. Nam exusta a Babyloniis, reparata est. Postea destructa a Pompejo, reformata iterum. Sed penitus exusta ubi Jesus venit, et spiritus divini soluta evanuerunt. Oportuit uberiore, quadam deploratione præire nos funus quoddam paternæ solemnitatis, et velut quasdam exsequias prosequi, ac solvere juxta majorum instituta.

CAPUT VIII.

Sed veniamus ad summam eversionis Hierusalem, et ad dejectionem Judæorum. Merito siquidem dejiciendi et viles habendi fuerant qui universis pretiis cariorem Jesum, triginta denariorum pretio a discipulo comparaverant: non ut eum haberent tamquam Dominum, sed ut de terra viventium tollerent velut iniquum. Quare jure de hæreditate sua, viliores paleis, in omnem terram ventilati sunt a gentibus, quas formidaverant ne sibi locum et gentem tollerent. Et qui triginta denariis Jesum comparaverant ad perdendum, juste postea triginta capita suorum viderunt vendi uno denario ad illudendum. Quia igitur pene omnes Judæi in necem

A Domini nostri Jesu Christi unanimiter consenserunt, imminente vindicta pene omnes a totis regionibus ad Azymorum diem festum congregati bello subito circumfusi sunt: ut primo quidem illis pestifera lues ex loci angustia nasceretur, deinde citius fames. Quod autem caperet multitudinem hominum tantam civitas, certum erat ex his qui sub Cestio fuerant. Enumeratis enim tunc viris civitatis a Floro, Neroni significare cupiente contemnenti nationem, a pontificibus petierat, ut si quo modo
B possent, multitudinem numerarent. Illi autem cum dies festus adesset qui Pascha vocatur, quando a nona quidem hora usque ad undecimam hostias cædunt, per singula autem quasi contubernia, non pauciorum quam decem hominum fiunt, solum enim epulari non licet, multi enim vicini[1] conveniunt: 1
hostiarum quidem ducenta, et quinquaginta sex millia et quingentas numeraverunt. Fiunt autem, ut denos epulatores per singulas imputemus, vicies centena, aut[2] septingenta millia, sancti omnes et 2
C puri. Nec enim leprosis aut vitiliginosis, aut semine fluentibus quos gynæcicos[3] vocant: nec mu- 3
lieribus menstruo cruore pollutis, neque aliis inquinatis participare sacrificia permittebantur, sed nec alienigenis quidem, nisi qui religionis causa venissent.

CAPUT IX.

Magna vero hæc multitudo ab extraneis congre-
D gabatur. Tunc tamen veluti in carcerem tota gens fato conclusa est, et farta hominibus civitas bello obsidebatur. Itaque omnem superat humanam et divinitus emissam pestem numerus peremptorum, quos partim palam occiderunt, partim ceperunt Romani. Rimantes enim cloacas et sepulcra eruentes, quos offendissent, occidebant. Inventi sunt autem ibi plus quam duo millia, quorum alii manu sua, plures autem mutuis se vulneribus interfecerunt, cum fames alios corripuisset. Luebant enim
E scelerum suorum supplicia, qui postquam Jesum crucifixerunt divinorum arbitrum, postea etiam discipulos ejus persequebantur: plerique tamen Judæorum, gentilium plurimi crediderunt in eum, cum præceptis moralibus operibusque ultra humanam possibilitatem profluentibus invitarentur, quibus nec mors quidem ejus vel fidei, vel gratiæ finem imposuit: immo etiam cumulavit devotionem. Intulerunt quoque parricidales manus, atque auctorem vitæ interficiendum ad Pilatum deduxere,
F reluctantemque cœperunt perurgere judicem: in quo tamen non excusatur Pilatus, sed Judæorum amentia coacerbatur: quia nec ille adjudicare debuit, quem reum minime deprehenderat, nec isti sacrilegium parricidio geminare, ut ab his, qui ad redimendos et sanandos eos sese obtulerat, damnaretur. Quamvis enim idem Pilatus manus laverit, dicens: *Mundus ego sum a sanguine justi hujus, vos videritis:* nequaquam tamen minus existit Matth. XXVII, 24.
reus, qui gloriam Dominicæ agnoscens resurre-
G ctionis, prædicare invitus studuit, sed credere perfidus contempsit, sicut testatur ejusdem epistola, Cæsari in hunc modum directa.

[1] Ex Josepho legendum *viceni*.

[2] Non *aut*, verum *et* legendum, vel supplendum *et sexcenta aut*, etc.

[3] Gualtherus ex Josepho legendum putat *gonoricos*.

CAPUT X.[1]

Pontius Pilatus Claudio salutem. Nuper accidit, et quod ipse probavi, Judæos per invidiam se suosque posteros crudeli condemnatione punisse. Denique cum promissum haberent patres eorum, quod illis Deus eorum mitteret de cœlo Sanctum suum qui eorum Rex merito diceretur, et hunc se promiserit per Virginem missurum ad terras: istum itaque me præside in Judæam Deus Hebræorum cum misisset, et vidissent eum cæcos illuminasse, leprosos mundasse, paralyticos curasse, dæmones ab hominibus fugasse; mortuos etiam suscitasse, imperasse ventis, ambulasse siccis pedibus super undas maris, et multa alia fecisse, cum omnis populus Judæorum eum Filium Dei esse diceret, invidiam contra eum passi sunt principes Judæorum, et tenuerunt eum, mihique tradiderunt, et alia pro aliis mihi de eo mentientes dixerunt, asserentes istum magum esse, et contra legem eorum agere. Ego autem credidi ita esse, et flagellatum tradidi illum arbitrio eorum. Illi autem crucifixerunt eum, et sepulto custodes adhibuerunt. Ille autem militibus meis custodientibus, die tertio resurrexit: in tantum autem exarsit nequitia Judæorum, ut darent pecuniam custodibus, et dicerent: Dicite quia discipuli ejus corpus ipsius
Matth. XXVIII, 13. rapuerunt. *Sed cum accepissent pecuniam, quod factum fuerat, tacere non potuerunt. Nam et illum surrexisse testati sunt se vidisse, et se a Judæis pecuniam accepisse.*

CAPUT XI.

Hæc ideo ingessi, ne quis aliter mentiatur, et æstimet credendum mendaciis Judæorum. De quo ipsi perfidi testantur, dicente Josepho historiarum scriptore, quod fuerit illo tempore vir sapiens (si tamen oportet, inquit, virum dici), mirabilium creatorem operum, qui apparuit discipulis suis, post triduum mortis suæ vivens secundum prophetarum scripta: qui et hæc et alia innumerabilia de eo plena miraculis prophetaverunt: ex quo cœpit congregatio Christianorum, et in omne hominum penetravit genus: nec ulla natio Romani orbis remansit, quæ cultus ejus expers relinqueretur. Si nobis non credunt Judæi, vel suis credant: hoc dixit Josephus, quem ipsi et maximum putant. Et tamen in eo quod verum locutus est propter historiæ fidem, quia fallere nefas putabat, et non credidit propter duritiam cordis et perfidiæ intentionem: non tamen veritati præjudicat, quia non credidit, sed plus addidit testimonio, quia nec incredulus, et invitus negavit. In quo Christi Jesu claruit æterna potentia, quod eum etiam principes synagogæ quem ad mortem comprehenderant, Deum fatebantur. Et vere quasi Deus sine exceptione personarum aut ulla mortis formidine locutus, excidium quoque templi futurum annuntiavit, sed non eos templi injuria commovit. Sed quia ab eo in flagitiis et sacrilegiis corripiebantur, hinc ira exarsit, ut interficerent eum, quem nulla habuissent tempora. Nam cum alii precando[2] meruerint facere, quæ fecerunt, hic in potestate habebat, ut omnia quæ fieri vellet, impetraret.

CAPUT XII.

Octavo igitur die Septembris mensis concremata est civitas: cæsa per omne tempus numero decies centena millia, cx myriades, ut plerique asserunt: Judæorum tamen omnium, sed non omnium ejusdem regionis aut loci, quia eo undique convenerant tempore paschalis solemnitatis: captivi abducti nonaginta septem millia. Denique tanta captivorum præ multitudine utilitas fuit, ut triginta a Romanis uno numismate sub corona venderentur. Peracta igitur obsidione, jussit Cæsar Titus funditus evertere civitatem ac templum, ut adimpleretur verbum Domini Jesu prædicantis: *Amen dico vobis, non derelinquetur lapis super lapidem, quin destruatur:* talis quidem finis Hierosolymorum obsidionis fuit. Eamdem vero urbem Hierosolymam Chananæorum quidam potens condidit, qui patrio sermone vocaretur Rex Justus, quam primo Solymam nuncupavit, postea templum addidit:[3] unde Hierosolyma dicta civitas est. A principio suos incolas habuit de gente Chananæorum. David primus vir hebræus Chananæos expulit, constituit suos, qui in ea sibi domum regiam fecit. Voluit et templum Deo condere, sed prohibitus oraculo, Salomonem hæredem reliquit; qui templum quod ipse voverat, ædificaret. Salomon itaque templum fundavit. Reliqui quoque reges ad ornatum urbis addidere plurima; invidia ex magnificentia orta est.

Matth. XV, 2

CAPUT XIII.

Inter omnia tamen opera templum præcellebat amplissimo opere et fulgenti marmore, peripetasma pretiosum et maximum, cocco et hyacintho byssoque intextum, ex purpura non otiosa materia tantæ diversitatis, sed cujus species rerum latentium mysterium signaret: eo quod ejus esset templum, qui cœlo et aeri, terræ et mari, quasi creator elementorum dominaretur, atque omnia solus regeret et gubernaret. Cocco enim igneum cœlum figuratur, hyacintho aer, bysso terra, mare purpura, quæ conchyliis maritimis inficitur: ut duo ex colore, duo ex generatione colligas. Denique principes sacerdotum hæc quatuor indumento suo exprimere consueverat, quando maxima celebritas erat festorum dierum; quasi totum mundum indueret, pro populo supplicaturus, in ejus figura qui venturus erat princeps sacerdotum Jesus, ut tolleret peccatum mundi. Femora princeps sacerdotum lineo interius operimento tegebat, eo quod præ cæteris in sacerdotes fides mentis quæritur et corporis castimonia, quæ succingere debeat carnis intemperantiam. Duo erant tabernacula sacra, unum

[1] De Christi miraculis, morte ac resurrectione, nec non in cœlum ascensione Pilatum ad Tiberium scripsisse jam meminit Tertullianus in *Apologetico;* quod aliqua ratione factum maximæ levitatis negare videtur. Hanc tamen epistolam genuinam esse jure negatur vel ex hoc tantum quod Tertullianus Pilatum ad Tiberium scripsisse dicat, hæc autem epistola Claudio inscribatur; Tertullianus et de Christi in cœlum ascensione retulisse meminerit, dum in hac epistola de ea ne verbum quidem occurrat.

[2] Communis lectio, *prædicando;* sed merito Barr. legendum proponit *precando.*

[3] Gallandus e contextu et historia jure infert legendum *additum* pro *addidit.*

interius, aliud exterius: in hoc semper introibant sacerdotes: in illud interius, quod sanctum appellabatur, semel introibat princeps sacerdotum, non sine sanguine quem offerret pro se et pro populi ignorantia atque delicto. Hoc significante Spiritu sancto venturum Jesum, qui vere solus intraret in interiora divinorum penetralia sacramentorum, et arcana substantiæ cœlestis qui nosset omnia solus; Patrem quoque sanguine suo toti mundi reconciliaret, ut et cœlestium et terrestrium misereretur. Denique postea quam venit, *pacificavit omnia per sanguinem crucis suæ, quæ in cœlo vel in terra*
Coloss. I, 20. *sunt.*

CAPUT XIV.

Intus thymiamaterium, intus mensa, intus lucerna. Thymiamaterium, quod ita ad Deum Patrem, *sicut incensum, dirigatur* maxime sacerdotalis
Ps. CXL, 2 *oratio.* Mensa, quod in ea passio Christi sit, et mysteria sacramentorum. Unde David dicit: *Pa-*
Ibid. XXII, 5. *rasti in conspectu meo mensam,* cujus veluti duodecim panes, duodecim Apostoli testes sunt passionis ejus ac resurrectionis. Lucerna, quæ sub candelabrum ponitur, ante sub modio erat, id est, legis mensura: nunc est in gratiæ plenitudine, heptamycho frequens lumen effundens, eo quod Spiritus sanctus septem maximarum gratiarum virtutibus Dei templum illuminet. Trinitatis igitur cognitio in interioribus erat templi, quæ dicebantur Sancta Sanctorum, ubi reposita quondam virga Aaron floruit: quod gratia sacerdotalis in Christo amplius esset operatura post mortem, qua mundum redemit. Judæi ergo si voluissent credere, evidentia imminentis excidii signa habebant, quibus velut claris vocibus admonebantur finem sibi affore. Nam per annum ferme supra templum ipsum cometes arsit gladii quadam pendentis similitudine, denuntians quoque ferro et igni, gentis et regni urbisque ipsius vastitatem futuram. Quid enim similitudo gladii nisi bellum, quid ignis nisi incendium denuntiaret? Visus autem est prius quam populus a Romanis sese dissociaret. Ipsis vero Paschæ diebus undecimi mensis octavo die, per singulas noctes hora circiter nona templum et ara ejus ita lumine refulgebat, quasi dies esset per mediam fere horam quotidie manens: quod vulgus interpretabatur cumulandæ gentis indicium videri: eoque impulsi sunt tamquam tempus afforet libertatis recipiendæ. Prudentiores contra opinabantur, quod hoc genus stellæ bellum soleat denuntiare.

CAPUT XV.

Ne quisquam arbitraretur nos aliena a cultu nostro et disciplina locutus, primum non quid nobis videatur adstruimus, sed quid acciderit, quæve opiniones tunc temporis fuerint, quid prudentes senserint, quid imprudentes, neque cum de secta Judæorum quid dictum est, ita scriptum videatur a nobis quasi in veritate cultus eorum, non quasi in umbra et figura præmissum contexuerimus, ut
1 sequeremur[1] perfectiora. Nam de signis stellarum etiam in Evangelio docemur, quia *erunt signa in*
Lucæ XXI, 25. *sole, et luna, et in stellis.* Vitulæ quoque asseruerunt partu, cum immolanda adstaret altaribus

A in medio templi agnam editam in ipsis sacrorum, quæ supra memoravimus, celebritatibus. Orientalem quoque portam interiorem solido ære gravem, quæ soleret ad vesperam viginti virorum claudi labore, obseratis vectibus ferreis, per aliquot noctes sponte reseratam, et vix postea a custodibus clausam. Id quoque arbitrabantur plerique futurorum signum bonorum, quibus ingressuris porta aperiretur: consultiores autem ajebant custodiam templi resolutam videri, ut quæcumque intus forent ab hostibus di-
B riperentur, exiret cultus interior et vastitate evacuaretur, celebritas sacrificiorum destrueretur, quod etiam et ante quam crucifigerent Christum Jesum, liquido significatum lectio docet. Post multos quoque dies figura quædam apparuit inæstimabilis magnitudinis, quam plurimi circumspexere (sicut libri Judæorum manifestarunt), et ante solis occasum subito visi in nubibus currus et acies armatæ: quibus totius Judææ regionisque ejus urbes incursarentur: ipsa autem Pentecostes solemnitate in-
C gredientes sacerdotes in templi interiora, nocturno tempore ut sacrificia assueta celebrarent, et motum primo quemdam sensisse se prodiderunt, et sonitum editum; postea etiam audisse repentina voce clamatum: *Transeamus hinc.*

CAPUT XVI.

Jesus quoque Ananiæ filius, ruricola vir, ante quatuor annos quam bellum Judæorum populus
D adoriretur, in summa pace urbis et abundantia, cum scenopegia sacrificiis solemnibus celebrarentur, templum ascendens cœpit clamare: *Vox ab oriente, vox ab occidente, vox a quatuor ventis, vox super Hierosolymam, super templum, vox super sponsos et sponsas, vox super omnem populum.* Hoc noctibus atque diebus vociferabatur. Commoti primores loci corripuerunt eum, terribile vocis ejus indicium perhorrentes, et plurimis eum suppliciis affecere, quo saltem afflictus dolore, desi-
E neret terribilia et plena prodigiis denuntiare. At ille nec metu ullo, nec verberibus aut gravioribus interminationibus territus, usum aut vocem mutavit, sed in eadem denuntiationis perseverantia, in eodem contextu sermonum, sine ulla obsecrationis interpolatione manebat, injuriæ negligens, affectu immobilis. Quod nequaquam perfunctorium rati, sed in excessu mentis, ut erat, exprimi, detulerunt ad loci judicem, qui tunc temporis a Romanis per id loci publica agitabat negotia. Is ri-
F mandæ veritatis gratia, sævissimis eum pœnis exulceravit. Quo magis perseveraret, eo vehementius corripi flagellis hominem jubet, ut si qua secretiora futuri tumultus indicia comperisset, manifestaret. At ille neque flevit, neque rogavit, sed ad singula verbera, non suum, sed patriæ excidium flebiliter deplorabat, dicens: *Væ Hierosolymis.* Neque interrogatus quis esset, vel unde, vel cur eadem diceret, responsum reddidit: sed tantummodo lamentationem illam patriæ, questu miserabili pro-
G sequebatur. Defessus itaque Albinus (hoc enim nomen viro) dimisit eum tamquam dementi furore, quid diceret, non sentientem. At ille neque sermonem ullum cum quoquam habebat, neque aliud loqui per reliquum tempus auditus est; sed hoc tamquam lugubre atque funereum canticum canens,

[1] Monet Gallandus legendum *sequerentur.*

diebus ac noctibus jugiter resultabat, *Væ Hierosolymis:* neque verberanti conviciabatur, neque cibum impertienti gratias agebat: una erat ad omnes eademque plena funebris ululatus responsio, et maxime sacrificiorum celebritatibus. Per septem itaque annos et quinque menses eadem verborum series, idem vocis sonus. Mansit itaque indefessus tanto tempore: ubi obsidio cœpit, eadem ille vociferari destitit, quasi cessari oporteret denuntiationem cum adessent quæ fuerant denuntiata. Sed ubi cœpit flamma urbem pariter et templum involvere, circumiens murum clamare cœpit iterum: *Væ civitati et populo et templo.* Et ad postremum addidit, *Væ etiam mihi;* et fundibali[1] ictu in eadem voce emisit spiritum.

CAPUT XVII.

Urbem etiam cum templo, vetustis etiam litteris scriptum erat, tunc perituram, cum tetragonum templum factum fuisse. Itaque sive obliti, sive obstupefacti ingruentium malorum necessitate, ubi occupata est Antonia, tetragonum in circuitu templi fecerunt.[2] Inter quæ illud præcellentissimum, quod in litteris æque vetustis (quas sacras vocabant) manebat impressum, quod secundum illud tempus, futurus esset vir qui de regione eorum imperium assumeret in orbem terrarum. Quæ res eos in tanto furore posuit, ut sibi non solum libertatem, sed etiam regnum pollicerentur. Id alii ad Vespasianum referendum putarunt, prudentiores ad Dominum Jesum, qui secundum carnem genitus ex Maria, regnum suum per universum mundum diffudit. Tantis itaque rebus manentibus,[3] non potuerunt cavere quod divinitus decernebatur. Manifestam enim Dei in se cognoscentes iram, ad consolationis alicujus remedium pertingere renuerunt: tanta sceleris obnubilatio mentium oculos obduxerat.

CAPUT XVIII.

Desperatis siquidem et eorum rebus, auctor turbarum Eleazarus, inter cætera diffidentiæ verba, abjectionis suæ a Deo sic conquestus est: O miseri, ad quam spem istius vitæ nos reservamus? Esto, hostis ignoscat, quid proderit cum Dei offensa clara? Ignes ab hoste in nos versi, mutata ventorum flamina, flammæ retortæ, ut nostra subsidia demerentur. Quis poterit adversante Deo vivere? Nullus veniæ locus, sed manifestum voluntariæ mortis imperium. Quid enim nox intervenit, nisi ut nos hostis non præveniret, nec deusto murali præsidio continuo irrumperet: sed ut nobis exercendæ mutuæ necis tempus reservaretur, liceretque cum liberis nostris et necessitudinibus mori, ne videremus anhelos senes anusque a Romanis pertrahi, carissimas conjuges ad victoris libidinem rapi? Commoriamur patriæ, ne simus superstites tanti dedecoris opprobrio. Quo igitur fugiemus a facie Dei, aut quo ibimus infenso nobis cœli Domino? Si cadant super nos montes et concavis specubus abscondant, quomodo tamen poterimus declinare indignationem tantæ potestatis? Quo enim progrediemur, ut non sit Deus, cum ipse ubique sit? An mediocria exempla sunt, quibus doceamur, quod jam dudum genti nostræ pro peccatis nostris infestus sit, qui ante præsidebat? Quis hoc dubitet, cum videat, quod in nos manus nostræ conversæ sint, pluresque seditio domestica, quam bellum exstinxerit?

CAPUT XIX.

Non donabo Romanis quod vicerint, nec ipsi sibi hoc vindicant, qui sciunt, quod omnes fere nostris potius armis, quam alienis perierimus: quique Romanorum arma viderunt Cæsaream inhabitantes Judæi, quorum feriato die sabbati inter solemnes nostrorum sacrorum cultus multitudo gentilium Cæsariensium, repentino quodam impetu et misso desuper furore succensa viginti millia delevit, omnes fugavit, ut totam urbem exinaniret. Nonne Syriam totam quidem implevit dementia, ut Judæi atque gentiles in iisdem urbibus siti, et incolatus gratia sibi prius nexi, postea inter se armis colliderent, quo Romanis vadum futuræ victoriæ constitueretur? Nam quid de Scythopoli loquar, quo Judæi primo contenderant, ut gentilem populum prævenirent, ne quid adversus nostros exemplo cæterarum urbium machinaretur? Itaque quos par fuit conjunctos adversum alienigenas viribus bello decernere, hæc e contrario adversum se Judæi decertaverunt; ut pars eorum adversus cognatos et proximos suos præliaretur. Deinde ipsi pro pretio laboris, et impensi sanguinis a gentilibus perimerentur, quod prohibuerunt ipsi fieri in gentibus. Damasceni, nulla existente causa, octo millia Judæorum straverunt. Ascalonitæ duo[4] millia quingentos. In urbe quoque cui Ptolomais nomen, cæsi duo millia. Alexandriæ vero vetus erat odium inter Judæos et gentium populos, ex quo magnus Alexander usus est studio Judæorum ad Ægyptios subjiciendos: unde condita urbe ex æquo Judæis et Ægyptiis attributa privilegia et habitationes diversæ, ne eorum cultus permisceretur, qui purificationes suas sine ulla volebant contagione servare. Hinc frequentes inter eos conflictus fuere, exorta jurgia, judicium petitum. Nihil tamen ex tanti regis temeratum liquet fuisse beneficiis; sed postea a gentilibus exorto tumultu, cum Judæorum necati aliqui, alii ad pœnam detinentur, injuria motum Judæorum populum adversum auctores injuriæ insurrexisse: et cum pertinacius se de civibus ultum iri vellent, inductum exercitum Romanum qui sexaginta Judæorum millia intra urbem fuderit.

CAPUT XX.

Verum quid in levioribus moror, cum excidium totius orbis in unius civitatis ruina nobis deplorandum sit? Ubi est maxima civitas Hierusalem?

[1] Editiones ante eam Gallandi, *fundibulari.* Videas quæ de *fundibalo* ad cap. 44 lib. v notata sunt.

[2] Iterum editi ante editionem Gallandi, minus recte, *defecerunt.* Vide rursus notata ad cap. 44 lib. v sub finem.

[3] Ex Barr. *monentibus.*

[4] Josephus, *octodecim.*

ubi decora Sion? ubi templum mirabile? ubi secundum illud tabernaculum sanctitatis sacrarium, quo semel in anno solus princeps sacerdotum solebat intrare non sine sanguine, quem pro se offerret et populi delicto? Profanatum gentibus: habitant in reliquiis urbis qui eam destruxerunt. Ubi, inquam, es, civitas referta populis, venerabilis regibus, acceptabilis Deo, gratiæ sedes? Pavimenta tua de marmore, parietes tui fulgentes marmore, culmina tua pretioso splendebant marmore; portæ tuæ micantes auro, aliæ argento renitentes. Omnes interfecti, et qui te jugiter inhabitabant, et qui ad te ex totius orbis terrarum partibus conveniebant, ut non dubium sit totum in te mundum periisse. Nudata omnia, a culminibus cremata, a fundamentis diruta: facta est habitatio tua deserta; nec est qui in tabernaculis tuis inhabitet, et adhuc quemquam vivere libet, et non vixisse pœnitet? Duri oculi, qui hæc videre possunt: immites animi, qui velle possunt ut tantis supersint doloribus, non quod defecerit clades, sed quod jam nulla requies. Quo enim circumferamus oculos, aut quid decernere delectet? Urbs tota sepulcrum mortuorum est: solum spectantibus occurrunt favillæ; viæ vacuæ viventium, repletæ cadaveribus. Miseri seniores cinerulenta canitie, et scisso amictu supra reliquias mortuorum sedent, nuda tegentes ossa, quod defendant a volatilibus ac bestiis. Mulieres paucæ incolumes, quas miles impius ad turpitudinem, non ad vitam servaverit. Quis hæc videns et de comperendinatione vivendi cogitans, audeat ad cœlum levare oculos? Quis sic immemor patriæ, hostis suorum, pietatis alienus, expers dulcedinis, cujus tam semiviri sit mollis spiritus? Quis ita meticulosus, quem non pudeat his reservatum? Utinam quidem olim defecti essemus, aut si vita superesset, oculorum lumen periisset prius quam sanctam urbem dirutam hostium manibus intueremur, templumque hoc a majoribus nostris sacratum Deo, tam impie flammis cremari, aut sacerdotes in templo conspiceremus jacere interfectos!

CAPUT XXI.

Emendemus ergo, quod his superviximus malis, ut videamur non vitæ studio distulisse mortem, sed virtutis intentione. Circumvallavit hostis omne munimentum. Nil superest, nisi aut nos, aut conjuges nostræ: jam sibi filios nostros in auctione constituunt, certantque inter se, quis cujus abducat uxorem, utrum pro dignitatum meritis personarumve ordinibus distribuendæ sint, aut sortibus[1] subire cogendi miserabiles: nobis quoque parantur prodigia pœnarum, tormenta exquisitissima: non solum ardentes flammæ, aut diversæ neces victricis ictu securis: duro quidem post vincula, post carcerem, post jugum supplicio, sed tolerabiliore viris, si ludibrio vacet; sed etiam avulsi artus viventibus, et præcipue truncatæ manus. Nec immerito, quia defuerunt suo muneri, cum possent sibi subvenire. Subeundi quoque morsus ferarum ad victorum spectaculum, quod diversis jam celebratur arenis urbium: vel exemplo nobis debet esse pudendum, vel visu mirabile, ut reservemur, aut bestiis, aut fratribus præliaturi.

[1] Legendum potius *sortitus* demonstratum fuit ad cap. 53 lib. v versus finem.

CAPUT XXII.

Et id genus alia multa Eleazarus in medium proferebat diffidentiæ et desperationis plena. Ex quibus omnibus, et ipsis rerum eventibus *cum* Judæi sibi manifeste iratum *Deum cognovissent; non sicut Deum glorificaverunt; aut gratias egerunt, sed evanuerunt in cogitationibus suis; et obscuratum est insipiens cor eorum;* et eum *qui ad oves tantum domus Israel perditas venerat,* oderunt, odientes crucifixerunt, et gloriam resurrectionis evacuare moliti sunt. Nam si non cognovissent, rei adeo nequaquam exstitissent. Unde ipse de eis Dominus: *Si non venissem, et locutus eis fuissem, peccatum non haberent: nunc autem et viderunt, et oderunt et me et Patrem meum.* Cognoverunt siquidem ex Patre[2] quomodo et dæmones dicentes: *Scimus quod sis Filius Dei:* videntes mirabilia, audientes mirabiliora; sed non cognoverunt rei veritatem; quia duri corde detrectaverunt credere. *Si enim credentes vere cognovissent, numquam Dominum gloriæ,* ut ait Paulus, *crucifixissent.* Hinc Propheta: *Cognovit bos possessorem suum, et asinus præsepe domini sui: Israel autem me non cognovit.* Quid per bovem, nisi prædicator sanctus quisque intelligitur, in semine verbi Dei illaborans? Quid per asinum, nisi brutus gentium populus designatur? Qui audiens pastoris cujuslibet prædicationem, mox ad præsepe Domini cucurrit, ut pabulo verbi Dei adhæreret.

Rom. I, 21 — Matth. XV, 24 — Joan. XV, 22-24. — Marci I, 24; Lucæ IV, 33. — I Cor. II, 8. — Isa. I, 3

CAPUT XXIII.

Bene autem post quadraginta et duos visitationis suæ annos Israel a terra promissionis exterminatur, quia post quadraginta egressionis ab Ægypto annos, in eam introductus perhibetur; in quibus duas decalogi lapideas secundo suscepit tabulas, per quas præfiguratur biennium, ad adversionis numerum destinatum; in quibus etiam maxime notanda est ænei serpentis exaltatio, cujus respectu quisque moribundus vita restituebatur. Sicut enim illo temporis spatio et manna pasti sunt, et per mediatorem Moysen legem tabulis descriptam lapideis acceperunt, et qui in articulo mortis serpentem non respexerunt exaltatum, perierunt; sic intra hoc eversionis tempus verum manna (unde dictum fuerat: *Ego sum panis vivus, qui de cœlo*, etc.) haurire salubriter renuentes, verumque mediatorem Christum Jesum, de quo præcinebatur: *Prophetam vobis suscitabit Dominus Deus vester de fratribus vestris; tamquam me ipsum audietis, quem si quis non audierit, exterminabitur de populo suo:* ejusque legalia in se ipso vera petra descripta sequi dissimulantes, exaltatum in cruce, et a mortuis surrexisse, sub articulo miserrimæ eversionis credere respuentes, a terra promissionis exterminati, perierunt: ut *populus* ille *qui sedebat in tenebris et habitabat in regione umbræ mortis,* lucem æternam videns resurrectionis, in eam cum plenitudine sua introeat; et sic *reliquiæ Israel salvæ fiant,* quatenus ex duobus parietibus, una conseratur in resurrectione Ecclesia super illum lapidem angularem *qui faciet utraque unum,* Dominum nostrum Christum Jesum, qui vivit et regnat in sæcula sæculorum. Amen.

Joan. XI, 51. — Deuter. XVIII, 15-18. — Isa. IX, 2. — Rom. IX, 2. — Eph. II, 14.

[2] Barr. ait, forte legendum *ex parte.*

CONCORDANTIÆ S. AMBROSII ET JOSEPHI
DE EXCIDIO URBIS HIEROSOLYMITANÆ.

S. Ambrosii De Excidio Hierosolymitanæ.		Josephi De Bello Jud.		Josephi in Antiqq. Libb.	
Lib.	*Cap.*	*Lib.*	*Cap.*	*Lib.*	*Cap.*
I	I	I	I	XII	VI, VII
I	II	I	II, II	XII	VIII
I	III	I	III, III	XIII	I
I	IV	I	IV	XIII	XIII
I	V	I	IV	XIII	XIV
I	VI	I	V, V	XIII	XV
I	VII	I	VI, VII	XIII	XVII
I	VIII	I	VIII, VIII	XIII	XVIII
I	IX	I	IX	XIII	XIX
I	X	I	X	XIII	XX
I	XI	I	XI	XIII	XXI
I	XII	I	XI	XIII	XXII
I	XIII	I	XI	XIV	I
I	XIV	I	XII, XII	XIV	II, III, IV
I	XV	I	XIII, XIII	XIV	IV, V, VI, VII
I	XVI	I	XIV, XV	XIV	VIII
I	XVII	I	XVI	XIV	VIII, IX
I	XVIII	I	XVI, XVII	XIV	X
I	XIX	I	XVI	XIV	XI, XII
I	XX	I	XVII	XIV	XIII
I	XXI	I	XVII	XIV	XIV, XV
I	XXII	I	XVII	XIV	XVI
I	XXIII	I	XVII	XIV	XVI
I	XXIV	I	XVIII	XIV	XVII, XVIII
I	XXV	I	XIX, XX	XIV	XVIII, XIX, XX
I	XXVI	I	XX	XIV	XX
I	XXVII	I	XX	XIV	XXI, XXII
I	XXVIII	I	XX	XIV	XXIII
I	XXIX	I	XXI, XXI	XIV	XXIV, XXV
I	XXX	I	XXII	XIV	XXVI, XXVII
I	XXXI	I	XXIII, XXIV	XV	IV, V
I	XXXII	I	XXIV	XV	VI
I	XXXIII	I	XXV	XV	VII
I	XXXIV	I	XXVI	XV	VIII
I	XXXV	I	XXVII	XV	IX, X, XI
I	XXXVI	I	XXVII	XV	III
I	XXXVII	I	XXVII	XV	II, III
I	XXXVIII	I	XXVII	XV	I, VIII, IX
I	XXXIX	I	XXVII	XV	IX
I	XL	I	XXVII	XVI	XIII
I	XLI	I	XXVII	XVI	XVII, XIX, XX
I	XLII	I	XXVII	XVII	I, II, III, IV
I	XLIII	I	XXVII	XVII	V
I	XLIV	I	XXVII	XVII	V, VI, VII
I	XLV	I	XXVII	XVII	VIII, IX, X
I	XLVI	I	XXVII	XVII	XI, XII
II	II	II	I	XVII	XVI
II	II	II	II	XVII	XVII, XVIII
II	III	II	III	XVIII	VII, VIII, IX
II	IV	*	*	XVIII	X, XIV
II	V	II	III, IV	XVIII	XV, XVI
II	V	II	IV, V	XIX	XII
II	VI	II	IX, X	XX	XV, XIX
II	VII	II	XI	XX	XVIII
II	VIII	II	XI, XII, XIV, XVI	XX	XVIII, XIX, XX
II	IX	II	XVII	*	*
II	X	II	XVIII, XIX, XX	XX	XXII
II	XI	II	XXI, XXIV, XXV	VIII	*
II	XII	*	*	*	*
II	XIII	*	*	XX	XXII
II	XIV	II	XXVI		
II	XV	II	XXVI		
II	XVI	II	XXVII		
II	XVII	II	XXVIII		
II	XVIII	II	XXVIII		
III	I	III	I		
III	I	*	*		
III	II	III	I		
III	III	III	I		
III	IV	III	II		
III	V	III	II		
III	VI	III	IV		
III	VII	III	V, VII, VIII, IX		
III	VIII	III	X		
III	IX	III	XI		
III	X	III	XII, XIII		
III	XI	III	XIV, XVI		
III	XII	III	XVIII		
III	XIII	III	XIX		
III	XIV	III	XX, XXI		
III	XV	III	XXI		
III	XVI	III	XXI		
III	XVII	III	XXII		
III	XVIII	III	XXIII		
III	XIX	III	XXIV		
III	XX	III	XXV		
III	XX	III	XXVI, XXVII		

* (*Huc usque Joseph. in Antiq. libb. A duodecimo enim usque ad* XX *prosequitur passim historiam excidii Hierosolymitani*).

S. Ambrosii De Excidio Hierosolymitanæ.		Josephi De Bello Jud.		Josephi in Antiqq. Libb.
Lib	*Cap.*	*Lib.*	*Cap.*	
III	XXI	III	XXVII	(A XII *usque ad* XX *prosequitur passim historiam excidii Hierosolymitani).*
III	XXII	III	XXVIII	
III	XXIII	III	XXVIII, XXIX	
III	XXIV	III	XXX	
III	XXV	III	XXX	
III	XXVI	III	XXXI, XXXII	
IV	I	IV	I, II	
IV	II	IV	III	
IV	III	IV	V, VI	
IV	IV	IV	VII, IV	
IV	V	•	•	
IV	VI	IV	VIII, IX	
IV	VII	IV	IX	
IV	VIII	IV	X	
IV	IX	IV	XI	
IV	X	V	I	
IV	XI	V	II	
IV	XII	V	III	
IV	XIII	V	IV, V	
IV	XIV	V	VI	
IV	XV	V	VII	
IV	XVI	V	VIII	
IV	XVII	V	VIII	
IV	XVIII	V	IX	
IV	XIX	V	X	
IV	XX	V	XI	
IV	XXI	V	XII	
IV	XXII	V	XIII	
IV	XXIII	V	XIII	
IV	XXIV	V	XIV	
IV	XXV	V	XV, XVI	
IV	XXVI	V	XVII	
IV	XXVII	V	XVIII	
IV	XXVIII	V	XVIII	
IV	XXIX	V	XIX	
IV	XXXI	V	XIX	
IV	XXXII	V	XIX	
IV	XXXIII	V	XIX, XX	
V	I	VI	I, II	
V	II	VI	•	
V	III	VI	III	
V	IV	VI	IV	
V	V	VI	V	
V	VI	VI	VI, VII	
V	VII	VI	VII	
V	VIII	VI	VIII, X	
V	IX	VI	VIII, IX	
V	X	VI	X	
V	XI	VI	XI, XII	
V	XII	VI	XII, XIII, XIV	
V	XIII	VI	XV	
V	XIV	VI	XVI	
V	XV	VI	XVII	
V	XVI	VI	XVIII	
V	XVII	VI	XIX	
V	XVIII	VI	XX	
V	XIX	VI	XXI	
V	XX	VI	XXI	
V	XXI, XXI	VI	XXII, XIII, XIV	
V	XXII, XXII	VI	XXV, XXVI	
V	XXIII	VI	•	
V	XXIV	VI	XXVII	
V	XXV	VI	XXVII	
V	XXVI	VI	VIII	
V	XXVII	VII	I	
V	XXVIII	VII	II	
V	XXIX	VII	II	
V	XXX	VII	III	
V	XXXI	VII	IV	
V	XXXII	VII	V	
V	XXXIII	•	•	
V	XXXIV	VII	V	
V	XXXIV	VII	VI	
V	XXXV	VII	VII	
V	XXXVI	VII	VIII	
V	XXXVII	VII	IX	
V	XXXVIII	VII	X	
V	XXXIX	VII	XI, XII	
V	XL	VII	XIII	
V	XLI	•	•	
V	XLII	VII	XIV, XV	
V	XLIII	VII	XVI	
V	XLIV	VII	XVII	
V	XLV	VII	XVIII	
V	XLVI	VII	XIX	
V	XLVII	VII	XX, XXII	
V	XLVIII	VII	XXIII	
V	XLIX	VII	XXIV, XXV, XXIX	
V	L	VII	XLII	
V	LI	VII	XXXV	
V	LII	VII	XLIII, XLIV	

PRÆFATIO
AD EXPLANATIONEM SYMBOLI
AD INITIANDOS.

In duplici lectione quemdam exhibemus sermonem Ambrosio æque ac Taurinensi Maximo attributum. Priorem lectionem excerpsit insignis cardinalis Angelus Mai e quodam, ut ipse ait, *pervetusto Vaticano codice, qui fuit olim monasterii bobiensis;* eamque invenit *inter cetera Ambrosii scripta de Sacramentis,* vulgavitque in septimo tomo operis *Scriptorum veterum Nova Collectio e Vaticanis codicibus.*[1] Habetur etiam in Appendice ad Opera 1
S. Ambrosii editionis Mignii circa finem.

Altera vero lectio occurrit in Appendice Operum S. Maximi taurinensis Episcopi, editionis Romæ excusæ anno 1784, auspice Pio VI Pont. Max., nempe inter Maximi *Sermones dubios et suppositiitios,* quam prælaudatus Majus ignorasse videtur. Eamdem Bruno Brunus, qui hanc editionem curavit, deprompsit e quodam codice membranaceo decimotertii sæculi, olim monasterii Lambacensis (*Lambach*) ordinis S. Benedicti in Austria superiori, qui tamen nunc temporis ibidem non amplius exstare videtur. Utriusque mentionem fecit etiam Denzinger in suo *Enchiridio Symbolorum et Definitionem* (Wirceburgi, 1854) ad Symboli apostolici *Formam Romanam.* Quidam doct. C. P. Caspar, theologiæ professor in protestantica universitate Christianiæ, de utraque lectione amplam exhibuit tractationem in *Collectione* quam conflavit, et explanationibus declaravit, *fontium ineditorum, ac nihil vel parum consideratorum pro historia symboli baptismalis et regulæ fidei.*[2] Ejusmodi tractatio 2
legitur in parte II a pag. 48 ad 127; sed præterea in IV operis parte vulgavit aliam ejusdem sermonis lectionem quam invenit in quodam ms. monasterii S. Galli e sæculo VII.

Tantopere autem distant inter se illæ duæ prius commemoratæ lectiones, ut prima fronte supponendum videatur, utrumque textum duas esse transcriptiones mutuo independentes, et a duobus auditoribus illius sermonis factas. Verum ex aliis indiciis concludendum potius videtur, ex orali sermone unam transcriptionem factam primo fuisse, atque ex arbitrio aut incuria librariorum discrepantiam in lectionibus postea subortam esse. Textus utriusque lectionis, quam exhibemus, meminit Fessler in sua Patrologia;[3] Ambrosio autem minus convenire opi- 3
natur hunc sermonem, et inter opera dubia S. Maximi ab editore Bruni amandatum esse, æque commemorat.

In tres partes dispescitur sermo, nempe in exordium, sive introductionem; in pertractationem, ubi symbolum propositum explanatur, et in conclusionem, ubi finales quædam animadversiones proponuntur. Fuse autem demonstrando immoratur prof. Caspar, I. Maximum taurinensem hujusmodi sermonem ad populum habere nequivisse, quod etiam memoratus editor Operum S. Maximi sponte admisit; II. Omnem orationis seriem hypothesi convenire qua ea sancto doctori Ambrosio tribuatur, dummodo admittatur non textum Ambrosii referre, sed quod memoriter ab aliquo ejus auditore fuerit retentum.

[1] Romæ, 1833, pagg. 155-158.
[2] *Ungedruckte, ungeachtete und wenig beobachtete Quellen zur Geschichte des Taufsymbol,* etc., ab anno 1866 ad 1879.
[3] Oeniponte, 1853, tomo I, pag. 724, nota 4, et tomo II, pag. 731, nota 3.

(E Collectione Card. Mai). A *(Ex editione S. Maximi).*

BEATI AMBROSII EPISCOPI MEDIOLANENSIS
EXPLANATIO SYMBOLI AD INITIANDOS.

Celebrata hactenus mysteria scrutaminum. Inquisitum est ne immunditia in corpore alicuius
1 hæreret. Per exorcismum[1] non solum corporis sed etiam animæ quæsita et adhibita est sanctificatio. Nunc tempus est et dies ut symbolum
2 tradamus;[2] quod symbolum est spiritale signaculum, cordis nostri meditatio et quasi semper præsens custodia, certe thesaurus pectoris nostri.

Primum igitur rationem nominis ipsius debemus accipere. Symbolum græce dicitur, latine autem collatio: et maxime symbolam negotiatores dicere consuerunt, quando conferunt pecuniam suam, et quasi ex singulorum collatione in unum constipata, integra et inviolabilis conservatur, ut nemo fraudem collationi facere conetur, nemo negotiationi: denique inter ipsos negotiatores ista est consuetudo, ut si quis fraudem fecerit, quasi fraudulentus

[1] Ille exorcismus esse videtur, cujus formula subsequenter exhibetur.

FELICITER INCIPIT, DEINDE UT SUPRA;
DE DIE DOMINICÆ ASCENSIONIS.

Celebratis hactenus mysteriis scrutaminum inquisitum est, ne immunditia in alicujus corpore hæreat, per exorcismum non solum corporis, sed et animæ quæsita et adhibita est sanctificatio.
B Nunc tempus est et dies ut symbolum tradamus, quod symbolum est spiritale signaculum, quod symbolum cordis nostri est meditatio et quasi semper præsens custodia, certe thesaurus cordis nostri.

Primum itaque rationem nominis ipsius debemus accipere. Symbolum Græce dicitur, Latine autem consolatio,[3] et maxime Symbolum negotiatores di- 3
cere consueverunt, quando conferunt pecuniam suam, et quasi ex singulorum collatione in unum
C constipata, integra inviolabilisque servatur, ut nemo fraudem collationi facere conetur, nemo negotiationi (*hic aliquid omissum est, nam sensus suspensus remanet*). Denique inter ipsos negotiatores

[2] In mediolanensi, sive ambrosiana liturgia sabbatum ante majorem hebdomadam appellatur *in traditione symboli.*
[3] Manifestus error scriptionis pro *collatio.*

reiciatur.[1] Sancti ergo apostoli in unum convenientes, breviarium fidei fecerunt, ut breviter fidei totius seriem conprehendamus. Brevitas necessaria est, ut semper memoria et recordatione teneatur. Scio in partibus maxime orientis, quod ea quæ primo tradita sunt a majoribus nostris, dum quasi fraude alii, alii diligentia, fraude hæretici, diligentia catholici; dum ergo illi fraudulenter conantur inrepere, addiderunt quod non opus est; dum isti fraudem præcavere contendunt, finis maiorum velut pietate quadam et incuria videntur
2 esse prætergressi.[2]

Ergo apostoli sancti convenientes fecerunt symbolum breviter. Signate vos. Quo facto et dicto symbolo; in hoc symbolo divinitas trinitatis æternæ evidentissime conprehensa est unius operationis: *Patrem et Filium et Spiritum Sanctum*, hoc est venerabilem trinitatem. Et quod fides nostra ita sit, ut pari genere credamus in patrem et filium et spiritum sanctum. Ubi enim nulla discretio majestatis est, non fidei debet esse discretio. Deinde frequenter admonui, quod Dominus noster Jesus Christus filius Dei solus carnem istam suscepit, corporis forma. Corporis istius veritate factus est homo; sed habet singulare privilegium generationis suæ; non enim ex virili natus est semine; sed *generatus spiritu*, inquit, *sancto ex Maria virgine*. Prærogativam auctoris cœlestis agnoscis; factus quidem ut homo ut infirmitates nostras in sua carne susciperet, sed cum privilegio venit majestatis æternæ. Ergo dicamus symbolum (Et cum dixisset, hinc complevit). Hoc habet scriptura divina. Numquid supra apostolorum fines progredi audaci mente debemus? Numquid nos sumus apostolis cautiores?

Sed dicis mihi, postea emerserunt hæreses. Quid ergo? vide simplicitatem, vide puritatem. Patripassiani cum emersissent, putaverunt etiam catholici in hac parte addendum *invisibilem et impassibilem*, quasi filius dei visibilis et passibilis fuerit. Si fuit visibilis in carne, caro illa fuit visibilis non divinitas. Denique quid dicat audi: « Deus Deus respice in me: Quare me dereliquisti? » In passione hoc dicit; Dominus noster Jesus Christus hoc secundum hominem locutus est, quasi caro dicat ad divinitatem, « quare me dereliquisti? Ergo esto medici fuerint majores nostri; voluerint addere ægritudini sanitatem; medicina non quæritur. Ergo si medicina non fuit eo tempore necessaria, quo erat hæreticorum quorundam gravis ægritudo animorum: et si fuit tunc temporis quærenda, nunc non est. Qua ratione? Vides integra adversus Sabellianos. Exclusi sunt Sabelliani maxime de partibus occidentis. Ex illo remedio Arriani invenerunt sibi genus calumniæ: et quoniam symbolum romanæ ecclesiæ nos tenemus, ideo visibilem et passibilem patrem omnipotentem illi æstimarent et dicerent: vides quia symbolum sic habet, ut visibilem filium et passibilem designarent. Quid ergo? Ubi fides integra est, sufficiunt præcepta

A ista consuetudo, ut si quis fraudem fecerit, quasi fraudulentus rejiciatur. Sancti ergo apostoli in unum convenientes breviarum fidei fecerunt, ubi breviter fidei totius seriem comprehendamus; brevitas necessaria est, ut semper memoria et recordatione teneatur. Scio in partibus, maxime Orientis, quod ea quæ primo tradita sunt a majoribus nostris, dum quasi fraudem alii, alii diligentiam impendunt; fraudem volunt hæretici, diligentiam catholici. Dum ergo illi fraudulenter conantur
B irrepere, addiderunt quod non opus est; dum isti fraudem præcavere contendunt, fines majorum velut pietate quadam et incuria videntur esse progressi.

Ergo apostoli sancti convenientes fecerunt symbolum. Breviter[3] signate vos. Cum complessent in 3
hoc symbolo Divinitatem, Divinitatis æternæ doctrina comprehensa est. Et quod fides nostra ista sit, ut pari genere credamus in Patrem, et Filium et Spiritum Sanctum. Ubi enim nulla discretio
C majestatis, est nec fidei debet esse discretio. Deinde frequenter admonui quia Dominus noster Jesus Christus Filius Dei solus carnem ita suscepit, cum anima humana rationabili atque perfecta et suscepit corporis formam, corporis istius veritatem, factus est ut homo; sed habet speciale privilegium generationis suæ. Non enim ex virili natus est semine, sed generatus a Spiritu Sancto ex Maria virgine, prærogativam auctoris cœlestis agnoscens, factus quidem ut homo, ut infirmitates nostras in
D sua carne susciperet, sed cum privilegio venit majestatis æternæ. Ergo dicamus Symbolum, et cum dixisses (*dixisset*), complevit, dicens hoc habet Scriptura divina. Numquid supra apostolorum fidem progredi audaci mente debemus? Numquid nos sumus apostolis cautiores?

Sed dicis mihi, postea emerserunt hæreses; nam ut dicunt apostoli: Oportet hæreses esse, ut boni probentur (I Cor. IX). Quid ergo? Vide simplici-
E tatem, vide puritatem. Patripassiani cum emersissent, putaverunt etiam catholici in hac parte addendum invisibilem, impassibilem, quasi Filius Dei visibilis et passibilis fuit. Si fuit visibilis in carne, certe illa fuit visibilis, non divinitas: fuit passibilis caro, non divinitas. Denique quid dicat audi: *Deus, Deus meum, respice in me: quare me dereliquisti* (*Psal.* XXI). In passione hoc dicit Dominus noster Jesus Christus, hoc secundum hominem locutus est, secundum carnem locutus est, quasi caro dicat ad Divinitatem: Quare me dereliquisti?
F Ergo esto medici fuerint majores, non voluerunt addere ægritudini pro sanitate medicinam. Non quæritur ergo si medicina fuit eo tempore necessaria; quærat quorundam gravis ægritudo animorum, et sic fuit tunc temporis quærenda; nunc non est, cum fides sit integra adversus Sabellianos. Exclusi sunt Sabelliani, maxime de partibus Occidentis. Ex illo remedio Arriani invenerunt sibi genus calumniæ, et quia Symbolum Romanæ Ecclesiæ nos tenemus, ideo invisibilem et impassi-
G bilem Patrem Omnipotentem æstimarent et dice-

[1] Putavimus hic, ad exemplum, eam scribendi rationem servandam, quam ipse Mai e codice servavit.

[2] Par sententia occurrit apud Rufinum, *Comment. in Symbolum.*

[3] Manifestum est, istud *breviter* non subsequentibus, sed præcedentibus consociandum fuisse. Per voces *Signate vos* præcipitur initiandis ut sibi signum crucis faciant ante symboli recitationem, unde conspicimus quam antiquus sanctus hic mos extiterit in Ecclesia.

1 apostolorum,[1] cautiones licet sacerdotum non requirantur. Quare? quia tritico immixta zizania sunt.

Hinc Symbolum. *Credo unicum dominum nostrum.* Sic dicite: *filium eius unicum.* Non unicus Dominus? Unus Deus est, unus et dominus: sed
2 ne calumnientur et dicant, quia una persona;[2] dicamus filium etiam unicum dominum nostrum. Quia de divinitate patris et filii venitur ad incarnationem ipsius, *qui natus et sepultus*, habes et passionem ipsius, et sepulturam. *Tertio die a mortuis;* habes et resurrectionem ejus. *Ascendit et sedet ad dexteram patris.* Vides ergo quia caro divinitati imminuere nil potuit; immo de incarnatione triumphus magnus quæsitus est Christo. Qua ratione enim ubi de morte ascendit, sedet ad dexteram patris? Quasi qui patri retulerit bonæ fructum voluntatis. Duo habes: *surrexit a morte, sedet ad dextram patris.* Nullum ergo potuit afferre caro divinitatis gloriæ detrimentum. Duo habes: aut quasi secundum prærogativam divinitatis et substantiæ generationis suæ dominus noster Jesus Christus sedet ad dexteram, a mortuis surrexit: aut certe quasi triumphator æternus qui bonum regnum Deo patri comparavit, prærogativam sibi suæ victoriæ vindicavit, sedens ad dexteram patris.

3 (*Iudicare vivos*)[3] *et mortuos.* Audi homo. Debes quidem cito credere. Fides ipsa de caritate promatur. Qui amat, nil derogat: amicus qui amicum amat, nihil derogat: qui amat Dominum, multo magis non debet derogare. Quare dico *sedet?* Qui amat, habet quid timeat. Unde *et mortuos?* Ipse de nobis judicaturus est. Cave ergo detrahere ei, quem judicem habiturus es. Quare hoc mysterium? Numquid non unum judicium est Patris et Filii et Spiritus Sancti? Numquid non una voluntas est? Numquid non una maiestas? Quare tibi dicitur quod filius judicaturus est, nisi ut intelligas nihil filio derogandum? Ergo vide: credes in patrem, credes et in filium. Et quid tertio? et in spiritum sanctum. Quæcumque accipies sacramenta, in hac trinitate accipies. Nemo te fallat. Vides ergo unius operationis, unius sanctificationis, unius trinitatis esse venerabilem trinitatem.

Sane accipe rationem quemadmodum credimus in auctorem; ne forte dicas, sed habet et *in ecclesiam*, sed habet et *in remissionem peccatorum*, sed habet et *in resurrectionem.* Quid ergo? Par causa est. Sic credimus in Christum; sic credimus in patrem, quemadmodum credimus et in ecclesiam, et in remissionem peccatorum, et in carnis resurrectionem. Quæ ratio est? Quia qui credit in auctorem, credit et in opus auctoris. Denique ne hoc ingenii nostri putetis, accipite testimonium: « si mihi non creditis, vel operibus credite ». Ergo hoc habes. Nunc fides tua amplius elucebit, si in opus auctoris tui fidem veram et integram putaveris deferendam. *In ecclesiam sanctam, et in remissionem peccatorum.* Crede ergo ex fide, quia omnia tibi peccata remittuntur. Quare legisti in

A rent; vel quia Symbolum sic habet, visibilem Filium et passibilem designarent. Quod ergo? Ubi fides integra est, sufficiunt præcepta apostolorum, cautiones videlicet sacerdotum non requirantur. Quare? Quia tritico immixta zizania sunt.

Hinc symbolum unicum Dominum nostrum sic dicit: Filium ejus unicum, non unicus Dominus, unus Deus est, unus est Dominus. Sed ne calumnientur, et dicant quia unam personam dicamus Filium etiam unicum Dominum nostrum, quia dixi
B de divinitate Patris et Filii venitur ad incarnationem ipsius, qua natus, et passus est, et sepultus: habes passionem ipsius et sepulturam. Tertia die resurrexit a mortuis, habes et resurrectionem ejus. Ascendit in cœlum; sedet ad dexteram Patris. Vide ergo quia caro divinitati imminuere nihil potuit, imo de incarnatione triumphus magnus quæsitus est Christo. Qua ratione enim ubi de morte ascendit, sedet ad dexteram Patris? quasi qui Patri retulerit fructum bonæ voluntatis. Duo habes:
C resurrexit a morte, sedet ad dexteram; nihil ergo potuit afferre caro divinitatis gloriæ detrimentum. Duo habes, aut quasi secundam prærogativam divinitatis et substantiæ generationis suæ, Dominus noster Jesus Christus sedet ad dexteram cum a morte surrexit, aut certe quasi triumphator æternus, qui bonum regnum Patri comparavit, prærogativam suæ victoriæ vindicavit.

Sedet ad dexteram Patris, inde venturus judi-
D care vivos et mortuos. Ipse de nobis judicaturus est: cave ergo detrahere ei quem judicem habiturus es. Quare hoc mysterium? Numquid non unum judicium est Patris, et Filii, et Spiritus Sancti? Numquid non una voluntas est? Numquid non una majestas? Quare tibi dicitur quod Filius judicaturus est, nisi ut intelligas Filio nihil derogandum? Ergo vide, credis in Patrem, credis in Filium, et quid tertio? Et in Spiritum Sanctum: quæcumque accipies sacramenta in hac Trinitate accipies,
E nemo se fallat. Vides ergo unius operationis, unius sanctificationis, unius majestatis esse venerabilem Trinitatem.

Sane accipe accipe rationem quemadmodum credimus in auctorem, ne forte dicas: Sed habet et Ecclesiam, sed habet et remissionem peccatorum,
F sed habet et resurrectionem. Quid ergo? Par causa est, sic credimus in Christum, sic credimus et in Patrem, quemadmodum credimus et Ecclesiam, et remissionem peccatorum, et carnis resurrectionem; quæ ratio est? Quia qui in auctorem, credit et in opus auctoris. Denique ne hoc ingenii nostri putes, accipe testimonium: *Si mihi non creditis, vel operibus credite* (Joan. x). Ergo hoc habes, nunc fides tua amplius elucebit, si operi auctoris tui fidem veram et integram putaveris deferendam:
G Sanctam Ecclesiam, et remissionem peccatorum. Credo ergo ex fide quia omnia tibi peccata remittuntur. Quare legisti in Evangelio, dicente Domino:

[1] Nullis additamentis auctum fuisse romanum Symbolum, et publice ab initiandis recitari solitum, narrat Rufinus loco præcitato; dum ait: « In diversis Ecclesiis aliqua in his verbis inveniuntur adjecta, in Ecclesia tamen urbis Romæ hoc non deprehenditur factum ». Ipse autem formulam aquilejensem secutus est.

[2] Cod. *unam passio nam.* Mai.

[3] « Prætermissa in codice verba uncis includo. » Mai.

evangelio, dicente Domino, « fides tua te salvum fecit. » *Resurrectionem.* Credo quia resurget caro. Quid enim opus fuit, ut Christus carnem susciperet? quid opus fuit ut Christus mortem gustaret, sepulturam susciperet et resurgeret, nisi propter tuam resurrectionem? Totum hoc sacramentum tuæ est resurrectionis. Si Christus non surrexit, vana est fides nostra: sed quia resurrexit, ideo firma est fides nostra.

Ergo dixi apostolos symbolum composuisse. Si ergo mercum istarum negotiatores et collatores pecuniæ hanc legem, ut si qui Symbolam suam violaverit, improbus et intestabilis habeatur, multo magis cavendum est nobis, ne de maiorum symbolo aliquid detrahatur; cum habeas in libro
1 apocalypsis Joannis, qui libellus canonizatur,[1] et maxime ad fidei proficit fundamentum; ibi enim omnipotentem dominum nostrum Jesum Christum memoravit. Licet et in aliis locis, tamen in ipso libello, « si qui, inquit, addiderit aut detraxerit, judicium sibi sumit et pœnam. » Sic unius apostoli scripturis nihil est detrahendum, nihil addendum, quemadmodum nos symbolo quod accepimus ab apostolis traditum atque compositum, nihil debemus detrahere, nihil adiungere. Hoc est autem Symbolum quod romana ecclesia tenet, ubi primus Apostolorum Petrus sedit, et comunem sententiam eo detulit.

Ergo quemadmodum duodecim apostoli, et duodecim sententiæ. Signate vos. Quo facto; *credo (in Deum patrem omnipotentem, creatorem cœli et terræ, et in Jesum Christum, filium ejus unicum dominum nostrum, qui conceptus est de Spiritu Sancto, natus ex Maria) virgine:* (habes patrem omnipotentem, habes filium unicum) habes incarnationem filii, quemadmodum dixi. *Sub Pontio Pilato passus et sepultus,* habes passionem et sepulturam. Ecce quattuor istæ sententiæ. Videamus alias. *Tertia die (resurrexit a mortuis, ascendit ad cœlos, sedet ad dexteram Dei patris, inde venturus est iudicare vivos) et mortuos.* Ecce aliæ quattuor sententiæ, hoc est octo sententiæ. Videamus adhuc alias quattuor sententias. *Et in Spiritum Sanctum, (sanctam ecclesiam, remissionem peccatorum, carnis) resurrectionem.* Ecce secundum duodecim apostolos, et duodecim sententiæ comprehensæ sunt.

Illud sane monitos vos volo esse, quoniam sym-
2 bolum non debet scribi, quia reddere illud habetis.[2] Sed nemo scribat. Qua ratione? Sic accepimus ut non debeat scribi. Sed quid? Teneri. Sed dicis mihi, quomodo potest teneri, si non scribitur? Magis potest teneri, si non scribatur. Qua ratione? Accipite. Quod enim scribes, securus quasi relegas, non cottidiana meditatione incipis recensere. Magnum autem tutamentum est: Nascuntur stupores animi et corporis, temptatio adversarii qui numquam quiescit, tremor alicui corporis, infirmitas stomachi; symbolum recense intra te, maxime recense intra te ipsum. Quare consuetudinem facias et cum solus, (ut) fortius recenseas ubi sunt fideles.

[1] Est nempe inter Scripturas *canonicas,* scilicet divinitus inspiratas.

A *Fides tua te salvum fecit* (Marc. x). Remissionem peccatorum, carnis resurrectionem. Credo quia resurget et caro; quid enim opus fuit ut Christus carnem susciperet? quid opus fuit ut Christus mortem gustaret, sepulturam susciperet et resurgeret, nisi propter tuam resurrectionem? Totum hoc sacramentum tuæ est resurrectionis; si Christus non resurrexit, vana est fides nostra: sed quia resurrexit ideo firma est fides nostra.

Legimus, ut si quis symbolum suum violaverit,
B improbus et detestabilis habeatur; multo magis cavendum est nobis ne de majorum symbolo detrahatur, cum habeas in libro Apocalypsi (cap. XXII) Joannis: *Si quis,* inquit, *addiderit aut detraxerit, judicium sibi sumit et pœnam.* Si unius apostoli scripturis nihil est detrahendum, quomodo nos symbolum, quod accepimus ab apostolis traditum atque compositum, commaculabimus? Nihil debemus detrahere, nihil adjungere. Hoc autem est symbolum quod Romana Ecclesia tenet, ubi primus Apo-
C stolorum Petrus sedit, et communem sententiam eo detulit.

Ergo quemadmodum duodecim apostoli, et duodecim sententiæ. Signate vos. *Credo in Deum*
D *Patrem Omnipotentem, et Jesum Christum Filium ejus unicum Dominum nostrum, qui conceptus est de Spiritu Sancto, natus de Maria Virgine, passus sub Pontio Pilato, crucifixus, mortuus et sepultus.* Ecce quatuor istæ sententiæ. Videamus alias. *Tertia die resurrexit, ascendit in cœlos, sedet ad dexteram Dei Patris, inde venturus, judicaturus est de vivis et mortuis.* Ecce aliæ quatuor sententiæ, hoc est octo sententiæ. Videamus adhuc alias quatuor: *Credo in Spiri-*
E *tum Sanctum, sanctam Ecclesiam, sanctorum communionem, remissionem peccatorum, carnis resurrectionem, vitam æternam.* Amen. Ecce secundum duodecim apostolos, et duodecim sententiæ comprehensæ sunt.

Illud sane monitos vos volo esse, quoniam symbolum non debet scribi, sed teneri. Sed quid dicis mihi, quomodo potest teneri, si non scribatur?
F Magis potest teneri si non scribatur: Qua ratione? Accipe. Quod enim scribis, securus quasi religas, non quotidiana meditatione incipies recensere. Quod autem non scribis, times ne amittas, quotidie incipies recensere: magnum autem tutamentum est. Nascuntur stupores animi et corporis, tentatio adversarii, qui numquam quiescit, tremor aliquis corporis, infirmitas stomachi, symbolum recense et scrutare intra te ipsum; maxime recense intra te. Quare? ne consuetudine facias, et cum solus fueris,
G recenses ubi sunt fideles, incipias inter catechumenos vel hæreticos recenseri. Explicit.

[2] Id est, memoriter recitare debetis.

PRÆFATIO
AD EXHORTATIONEM AD NEOPHYTOS
DE SYMBOLO.

Sequentem sermonem primo typis vulgavit professor Caspar in prælaudata Collectione e duobus mss. cæsareæ Vindobonensis bibliothecæ, quos siglis A et B ad ipsius Editoris exemplum designamus. Codex A, numero inscriptus 664, membranaceus, sæculi XIV supputandus videtur. Codex B chartaceus est, ac XV sæculo adscribendus. Sed idem editor *Exhortationis* textum contulit etiam cum alio ms. qui e celeberrimo olim monasterio Augiæ Divitis (*Reichenau*) ad bibliothecam urbis Karlsruhe delatus est, e sæc. X, quique signatur N. XVIII inter codd. ex illo cænobio ad illam urbem translatos. Ideo consensionem utriusque exemplaris vindobonensis declarabimus in notis per breviationem *Vindd.*; lectionem codicis augiensis per *Aug.*; omnium vero consensionem per *codd.*

Non mediocrem hæc allocutio analogiam præfert cum duobus supposititiis Augustini sermonibus *de Symbolo*, qui nn. 241 ac 242 recensentur in tomo V editionis parisiensis a Mignio adornatæ, nec non cum genuinis ejusdem Patris sermonibus *in traditione Symboli*, qui ibidem occurrunt sub nn. 212 et 213. Valde sedulus professor Caspar integrum hunc quoque sermonem subtiliori trutinæ subjecit, ac potissimum e symboli contextu, quod sub initio recitatur, evicit, ejus auctorem inter annos 340 ac 360 inquirendum esse, neque absque probabilitate in Lucifero Calaritano episcopo esse conspiciendum, ideoque Ambrosio esse omnino abjudicandum. Cum tamen vetustissimum sit ecclesiasticæ traditionis documentum, ipsoque Ambrosii episcopatu vetustius censendum, licet hucusque fere ignotum, ideo opinati sumus in hac Ambrosiana Appendice merito locum habere posse.

Multa scriptionis sphalmata in textu emendata sunt ad lectorum commodum; vitiosæ tamen lectiones in notis exhibentur quando utrique vindobonensi codici aut etiam augiensi communes sunt. Animadvertimus demum, quadrupliciter hunc sermonem dispesci, nempe in præfatiunculam quamdam ad symbolum, in symbolum ipsum, in ejus explanationem, atque in brevem dictorum conclusionem.

INCIPIT EXHORTATIO SANCTI AMBROSII EPISCOPI
AD NEOPHYTOS DE SYMBOLO.[1]

Gratia vobis et pax a Deo Patre et Spiritu sancto adsistat et abundet, benedicti Domino,[2] qui vocat vos ad suum regnum et gloriam, quoniam apud ipsum et ipse fons vitæ est, in cujus lumine spirituali videbimus lumen æternum. Dicam itaque vobis in vocem psalmi: *Accedite ad eum et illuminamini, et vultus vestri non erubescent* (*Ps.* 34, 6); dicam in oratione prophetica: *Lavamini, mundi estote,*[3] *et si fuerint peccata vestra ut coccinum,*[4] *ut nivem dealbabo* (Is. I, 16, 18). *Lex* enim, inquit, *Domini irreprehensibilis,*[5] *convertens animas, præceptum Domini lucidum, illuminans oculos, timor Domini castus, permanet in sæculum sæculi* (*Ps.* XIX, 8, 9, 10). Venite itaque, filii, audite me, timorem Domini docebo vos, timorem Domini hunc, qui castus et sanctus est. Fons hujus timoris est fides. Ad cujus confessionem ediscendam hodie convenistis.[6] Symbolum enim, quod vobis percipiendo baptisma[7] præordinatum[8] recitaturus sum sermone præsenti, salutiferæ signaculum fidei nostræ[9] et confessionis est titulus. Sic enim salus nostra perficitur, ut verbum evangelicæ prædicationis, quod corde concepimus,[10] ore promamus; quia neque justitiam facere possumus, si dubio corde credamus, neque salutem acquirimus, si erubescamus id, quod credimus, confiteri. Ideo ipse Dominus in evangelio dicit: *Quia qui me vel meos sermones confessus fuerit coram hominibus, et ego confitebor eum coram patre meo, qui in cœlis est. Si autem negaverit me coram hominibus, et ego illum negabo coram angelis patris mei* (Matth. X, 32; S. Luc. XII, 85).[11]

Credimus itaque *in Deum Patrem omnipotentem, sæculorum omnium et creaturarum regem et conditorem. Et in Jesum Christum, Filium ejus unicum, Dominum nostrum. Qui natus est de Spiritu Sancto et Maria virgine. Qui sub Pontio Pilato crucifixus et sepultus, tertia die resurrexit a mortuis. Ascendit in*[12] *cœlos, sedet*[13] *ad dexteram Dei Patris. Inde venturus judicare vivos et mortuos. Et in Spiritum Sanctum. Et sanctam Ecclesiam catholicam. Remissionem peccatorum. Carnis resurrectionem.*

Hujus symboli forma multis etiam hæreticis in

[1] Inscriptio in uno occurrit cod. A. *Ad neophytos* vero erronee positum fuit, cum e converso ponendum fuisset *ad baptizandos*. Super titulum ipse librarius scripsit etiam *Augustinus*.

[2] Pro *a Domino*.

[3] Vindd., *et mundi estote*.

[4] *Ut coccimum*, additum fuit, quia evidenter excidit a scriptione, vel *ut phœnicium* juxta antiquiorem versionem. Præcedenter vero in utroque mss. vind. *nostra* legitur pro *vestra*.

[5] Vind. A, *irreprehensibilis est*.

[6] Est igitur sermo in *traditione symboli* ad competentes, electos, initiandos.

[7] Vindd. *baptismo*.

[8] Vindd. *prædestinatum*.

[9] Vindd. *vestræ*.

[10] Vindd. *percipimus*.

[11] Hic legitur in cod. A altera inscriptio rubro minio: *Expositio symboli secundum Ambrosium*.

[12] Vind. B, *ad*, sed in expositione habet *in*.

[13] Aug. *Sedit*.

specie[1] confessionis videtur esse communis; sed impletur[2] sermo, qui scriptus est: *Ore suo benedicebant et corde suo*[3] *maledicebant* (*Ps.* LXII, 5). Nam eos qui in superficie[4] verborum symboli adumbratam speciem veritatis ore mentiri videntur et impium[5] corde versuto tenent mendacium, detegit perversa doctrina, et eorum, a quibus audiuntur, evidens et aperta subversio; ut simul in magistris[6] et discipulis prædicationis sermo et evangelicæ veritatis eluceat, quia *cæcorum duces cæcis pariter in foveam tenebrarum cadunt* (Matth. XVIII, 15; Luc. VI, 39); quos uno gurgite communis error involvit et inferni puteo[7] mors una demergit. Nam omnipotentem Patrem non credere convincuntur,[8] qui Filium a substantia Patris conantur abducere, se potius a corpore ipsius vitæ, qui veritatem Dei in mendacio[9] detinent, abscidentes et Deum verum,[10] hoc est Patrem et Filium, Deum unum, quem labiis mendacibus credere se confitentur, factis negare impiis arguuntur.[11] Quomodo enim aut Arius omnipotentem Deum vere dicit, quem negare convincitur impietate doctrinæ, qua[12] eum æqualem ex sua substantia filium non genuisse confirmat? aut Sabellius per similitudinem sacrilegii, qui dissimilitudine quidem erroris ab Ario separatur, sed propter qualitatem blasphemiæ errore diverso[13] in eundem mortis locum confluens, tam[14] impius confusor, quam ille divisor? Qui eundem et Patrem et Filium et Spiritum Sanctum audet asserere tantis stultitiæ tenebris ex impia voluntate cæcatus, ut incommutabili Deo, quod est Trinitas, mutabilem designet naturam et diabolicæ nequitiæ similem varietatem, ubi[15] ipse sit idem Pater et Filius et Spiritus Sanctus, non personaliter in trinitate distincta subsistens, sed solitarie singularis et[16] triformiter in singularitate mutabilis, ut, quando vult Pater esse Filius, possit,[17] et quando personam Filii suscipit,[18] deponat Patris, et rursum, deposito Patris et Filii nomine, Spiritus Sancti nomen assumat. Atque ita et ipsi, de via veritatis aversi, in deviis[19] vagantur erroribus, quia sic astruunt unitatem, ut abnegent trinitatem, sicut Ariani, ex impari dæmoniorum doctrina pares homicidæ, tam impie separant, ut nefarie dividant unitatem. Verum utrosque ipse[20] vitæ veritatis una sententia simul arguit et confundit et destruit, qui[21] majestatem suam[22] magistra humilitate declarans, ait: *Ego et Pater unum sumus. Unum* dicendo confundit[23] arianum impie separantem, *sumus* adjiciens, destruit Sabellium nefarie confundentem. Nos itaque, propitio ipso Domino, qui illuxit nobis et sedentes in tenebris et umbra mortis eduxit nos, non solum ore, sed et[24] corde depromimus[25] catholicam confessionem, quia vere credimus in Deum Patrem omnipotentem, qui eum non adulatorie, sed vere et proprie, ut est, omnipotentem, dicimus. Et ideo non dubitamus, per eam omnipotentiam, qua cuncta rerum fecit ex nihilo, et filium de se[26] ipso genuisse æqualem sibi et per omnia parem, hoc est voluntate, substantia et similitudine majestatis et æqualitate virtutis et societate unitatis et infinitate æternitatis. Neque enim sibi præstare potuit, quod[27] creaturis suis mortalibus et corruptibilibus præstare dignatur, ut secundum genus suum ipse generaret, hanc gloriam,[28] ut ipse tantum, quod illorum profano ore sic dictum est, dissimilem sibi gigneret et majestatis suæ detrimentum operaretur sua plebe, cum etiam hominibus confessione dederit filios Abrahæ degeneres! Ipsi potius a stirpe vitali per intellectum mortiferum mente perversa degenerantes, intereant cum patre mortis suæ, diabolo cujus progeniem se ipsi fecerunt, doctrinam ejus præferendo doctrinæ et regulæ veritatis.

Credimus itaque in Jesum Christum Filium Dei omnipotens æqualem Deo, quoniam[29] et nomine et forma et potentia Divinitatis æqualem Patri scripturarum cœlestium promissa verissima auctoritate cognovimus. De ipso enim dicit[30] Johannes: *In principio erat Verbum, et Verbum erat apud Deum, et Deus erat Verbum* (Joh. I, 1). Hunc et propheta David Filium Patri et Dei et Domini nomine[31] indiscrete copulans, ait: *Propterea unxit te, Deus, Deus tuus oleo lætitiæ* (*Ps.* XLV, 8) et[32]: *Dixit Dominus Domino meo: Sede a dextris meis* (*Ps.* CX, 1). Consubstantialem ergo indicat evangelista, cum ait: *Verbum erat apud Deum et Deus erat Verbum* (Joh. I, 1); sed et David similiter, qui, personas[33] dividens, uno[34] tamen nomine et unctum et ungentem Dominum appellat.[35] Et Deum[36] coomnipotentem, vere coopificem Patri Filium in omnibus creaturis idem auctor ostendit, de Filio utique Verbo dicens: *Omnia per ipsum facta sunt, et sine eo factum est nihil* (Joh. I, 3). Conformem vero eidem[37] Patri æque veridico[38] alterius apostoli sermone conspicimus: *Qui cum esset,* inquit, *in forma Dei, non rapi-*

[1] Aug. *speciem.*
[2] Vindd. *ut impletur.*
[3] In vindd. deest *suo.*
[4] Vind. A, *insuper recitata fide.* Vind. B, *insup. recitata fide.*
[5] Vindd. *impii.*
[6] Aug. *ministris.*
[7] Vindd. *in infernum puteum,* — *In inferni puteo.*
[8] Vindd., *vincuntur.*
[9] Aug. *mendatio.*
[10] Vindd. *unum.*
[11] Vindd. *aguntur.*
[12] Vindd. *quia.*
[13] Vindd. *diviso.*
[14] Aug. *tamquam.*
[15] Vindd. *ut.*
[16] *Et* deest in Aug.
[17] Vindd. *non possit*
[18] Aug. *suscepit.*
[19] Aug. *inde deviis.*
[20] Hic aliquid deesse apparet.
[21] Aug. *quia.*
[22] Vindd. om. *suam.*
[23] Vindd. *confudit.*
[24] Vindd. om. *et.*
[25] Vindd. *depromamus.* Aug. *depromemus.*
[26] Aug. om. *se.*
[27] Vindd. *quæ.*
[28] Vindd. *unum.*
[29] Vindd. *quem.*
[30] Aug. *dixit.*
[31] Codd. *Filium Patris et Dei et Domini nostri Jesu Christi.*
[32] Aug. *et dixit.*
[33] Aug. *personans.*
[34] Vindd. *ullo.*
[35] Vind. B om. *Dominum,* et *vocat* loco *appellat.*
[36] Aug. *Dominum.*
[37] Aug. *eodem.*
[38] Aug. *veredicum.*

nam arbitratus est, esse se[1] *æqualem Deo Patri* (Phil. II, 6).

Credite ergo et confitemini Deum[2] Patrem omnipotentem et Filium coomnipotentem, coopificem, coæternum Patri Filium, non creatum, sed natum, Deum[3] de Deo, lumen de lumine. Absit omnis error et mentis et[4] verbi! Si enim Verbum, non factura, si Filius, non servus, si genitus ex natura, non adoptatus ex gratia. Hoc Verbum, Deus, Dei filius, ante sæcula ineffabili generatione genitus est ab ingenito, per omnia æqualis et similis et uniformis Patri, excepto Filii nomine, quo Patris nomen ostenditur;[5] quia in Patre et Filio naturaliter una substantia personaliter distincta pro nominibus de Patre Filium et Patrem revelat in Filio. Per hæc nomina contexitur ordo pietatis et naturæ unitas[6] indicatur, quia nec pater sine filio, nec filius sine patre dici potest. Nec tamen non solum in creatura, sed vel in creatore ulla[7] potest patris et filii natura discerni. Si enim ex ipso Verbo secundum genus omnia creari jussa perpetuis successionibus[8] legem præcepti cœlestis observant,[9] quanto magis ipse omnium dominus, et creator secundum genus suum genuit talem, qualis ipse est, et tantum quantus ipse est. Et ideo omnia per ipsum et sine ipso nihil fecit. Et quis audet homo de generatione ipsius[10] disputare, cum propheta in Spiritu Sancto, sine fine principium, omnium rerum initium et finem genitum videns, ait: *Generationem ejus quis enarrabit* (Is. LIII, 8)? Sed neque cœlestes creaturæ: Archangeli, Principatus, Dominationes, Throni possunt sibi divinæ ejus nativitatis conscientiam vindicare. Quæ enim videre potuit ortum Filii Dei ex Deo, cum omnia per ipsum facta sunt, et sine ipso factum est nihil? *Verbo*, enim, inquit, *Domini cœli firmati sunt et spiritu oris ejus omnis virtus eorum* (*Ps.* XXXIII, 6). Quid ergo tu, homo hæretice, qui terra es et in terram ibis, qui[11] terram[12] sapis, audes præsumere tibi scientiam de natura Dei, quam per cogitationum tuarum figmenta corrumpis? Cum enim propheticum testimonium[13] audies, Verbo Domini, id est Filio Dei, quem tu æqualem Patri denegas, firmamenta cœlorum esse perfecta, et Spiritu oris ejus, id est Spiritu Sancto, omnem[14] cœlestium elementorum virtutem esse solidatam, — si cœli non possunt scire generationem Filii Dei, quia creatore ipso senior creatura esse non potuit, quomodo tu tibi, terra, præsumis, ut noveris? Tot creaturæ operum ejus supra te sunt: et cœlum et ornamenta cœli et omnis militia siderum, solis et lunæ luminaria magna et cœli

A cœlorum et aquæ, quæ super cœlos sunt, et innumeræ legiones angelorum et exercitus Principatuum et ministeria[15] Dominationum et Thronorum, et tamen altiorem sibi altissimum scire nequeunt. Adorando Potestates non scrutando perquirunt, sed suscipiendo tremunt, serviendo venerantur, laudando benedicunt, pervigilando celebrant.

Hoc Verbum caro factum est et habitavit in nobis, hoc est homo factus voluntate misericordiæ et obedientia pietatis, pro salute nostra consen-
B tiens Patri, ut opus commune servaret ineffabili sacramento et[16] salutari[17] mysterio, per omnipotentiæ virtutem, cooperante Patre et Spiritu Sancto, conceptus a virgine et natus ex virgine[18]. Hujus quidem nativitatis arcanum cui unquam[19] creaturæ in terris aut in cœlis revelatum, nisi hominibus per unum prophetam, qui ante sæcula operis hujus prædixerat sacramentum: *Ecce virgo accipiet*[20] *in utero et pariet filium* (Is. VII, 14)? et deinde ipsi beatæ Mariæ per unum Archangelum ex ore
C divino ad eam missum, ut ei conceptionem partumque divini pignoris nuntiaret, scilicet ne, tanti ignara[21] mysterii, ad insperatum corporis inviolati tumorem puella expavesceret, et, causam insolitæ conceptionis ignorans, valetudinis propriæ crederet esse prodigium, si nesciret, opus esse divinum, hominem sine homine, sed[22] cum Deo esse conceptum et in utero de carnis suæ materia sine carnis semine fabricandum, ut ineffabili generationis sacramento[23] ipse esset in Virgine creator sui, qui se per
D Spiritum Sanctum operabatur creandum. Itaque hunc Filium Dei et filium hominis[24] credite et confitemini, sed Filium Dei ex Deo et filium hominis ex matre, ita ut sine matre filius Dei et sine patre sit filius hominis, quia nec corporis sexus Deo, nec viri coitus virgine. Hunc Dominum majestatis ut[25] perfectum Deum[26] secundum naturam et formam Dei Patris credimus[27] perfectum hominem ex matre virgine. De humano corpore vestimentum carnis assumpsit juxta[28] Symboli ordinem crucifixum sub
E Pontio Pilato, per illud tempus Judææ provinciæ legato,[29] id est Romanis fascibus imperante; tunc enim[30] prænuntiatam[31] a prophetis suis passionem et mortem pro nobis suscepit. Sepultus tertia die surrexit a mortuis et, cum surrexit,[32] per quadraginta dies, sicut actis apostolorum docemur, conversatus cum hominibus electis atque dilectis sibi, coram ipsis et quingentis viris testibus post resurrectionem visus est[33] in corpore, quo crucifixus fuerat et sepultus, ascendit in cœlos, sedet
F ad dexteram Dei Patris,[34] inde venturus[35] judicare vivos et mortuos.

[1] Vindd. om. *se*.
[2] Codd. *Dominum*.
[3] Vindd. *Deum*. — *Deus de Deo*.
[4] Vind. B om. *et*.
[5] Aug. *quo Patris nomen Patris ostenditur*.
[6] Vindd. *unita*.
[7] Aug. *Nec tamen non solum in creatore vel in creatura illa ulla*. Vindd. *Nec tamen non solum in creatura ulla*.
[8] Vindd. *successoribus*.
[9] Vindd. *observat*.
[10] Vindd. *spiritus*.
[11] Aug. *quia*.
[12] Vindd. *terrena*.
[13] Vindd. *per propheticum testimonium*.
[14] Vindd. *omnium*.
[15] Vindd. *mysteria*.
[16] Vind. B *ut*.
[17] Vindd. *saluti*.
[18] Vind. B om. *Et natus ex virgine*.
[19] Aug. et Vindd. *cui nulli unquam*.
[20] Vind. B *concipiet*.
[21] Aug. *ignora*.
[22] Vindd. *et*.
[23] Codd. *augmento*.
[24] Codd. *hunc Filium Dei homines*.
[25] Vindd. *et*.
[26] Vind. B *Dominum*.
[27] Codd. *Ita et*.
[28] Aug. *adsumpsit. Juxta*.
[29] Aug. *legatus*.
[30] Aug. om. *Tunc enim*.
[31] Codd. *pronuntiatam*.
[32] Vindd. *resurrexit*.
[33] Aug. om. *est*.
[34] Vindd. *Dei Patris omnipotentem*.
[35] Vindd. *venturus est*.

Hunc ordinem, quem memoria continendum, ore
1 reddendum accipitis, recta[1] fide credite, reti-
2 nete,[2] intelligenter considerate, semper attendite,
3 4 ut et[3] timor et amor Dei confirmetur in vobis.[4]
5 Quia per caritatem pro nobis mortuus est, ut et[5]
resurrectionem nostram in corpore suo, id est in
A habitu[6] nostræ fragilitatis, ostenderet nobis et 6
metum mortis fugaret a nobis[7] nosque per me- 7
tum judicii sui[8] a peccatis per gratiam[9] ba- 8 9
ptismatis expiatos cohæredes sibi in regni cœlestis
gloria præpararet,[10] cui gloria in sæcula sæculo- 10
rum. Amen.[11]. 11

[1] Aug. *recti.*
[2] Vindd. *Et retinete.*
[3] Vind. B, *et ut.*
[4] Vind. A, *nobis.*
[5] Aug. om. *et.*
[6] Aug. *habitum.*
[7] Vindd. om. *Et metum mortis fugaret a nobis.*
[8] *Sui*, deest in Vindd.
[9] Vindd. *una peccatis et a gratia.* Aug. *a peccatis et ad gratiam.*
[10] Vindd. *præparet.* In utroque vindib. codice habetur *cum gloria;* sed evidens est legendum esse *cui gloria.*
[11] In augiensi sequuntur verba: *Explicit traditio symboli sancti Ambrosii episcopi.* In vindob. A solummodo *Explicit.*

EXORCISMUS.[1] 1

Omnipotens Domine, Verbum Dei Patris, Christe Jesu, Deus et Dominus universæ creaturæ, qui sanctis apostolis tuis potestatem dedisti calcandi supra serpentes et scorpiones: qui inter cetera mirabilium tuorum
Matth. x, 8. præcepta dignatus es dicere: *Dæmones effugate;* cujus virtute victus tamquam fulgur de cœlo Satanas cecidit: tuum nomen cum timore et tremore supplex precor, ut indignissimo mihi, data venia omnium delictorum, confidentiam, et possibilitatem donare dignetur; ut hunc crudelem draconem brachii tui munitus potentia, fideliter et securus aggrediar. Adjuro te ergo, omnis immundissime spiritus, omne phantasma, omnis incursio Satanæ, in virtute nominis Christi, qui post lavacrum Jordanis in desertum ductus est, et in tuis te sedibus victi; ut quem ille de limo terræ ad honorem gloriæ suæ formavit, tu desinas impugnare, et in homine miserabili non humanam fragilitatem, sed omnipotentis Dei imaginem contremiscas. Cede ergo Deo, qui te in humiliato famulo suo Job in servitutem redegit: cede Deo, qui te et militiam tuam in Pharaone, et in ejus exercitu per Moysen servum suum demersit in abyssum: cede Deo, qui te per Danielem puerum suum in Beel perdidit, et in dracone prostravit: cede Deo qui te per fidelissimum suum David de Saule rege spiritalibus canticis pulsum fugavit: cede Deo, qui te in Juda traditore damnavit. Ille enim te nunc divinis verberibus agit, in cujus conspectu cum tuis legionibus tremens clamabas: *Quid nobis et tibi, Jesu*
Ibid., VIII, 29 *fili David? venisti ante tempus torquere nos.* Ille te flammis perpetuis urget, qui in fine temporum
A dicturus est impiis: *Ite maledicti in ignem æternum, quem præparavit Pater meus diabolo et angelis ejus.* Tibi enim impie et angelis tuis ver- Matth. XXV, 41.
mis, qui numquam moritur: tibi et angelis tuis inexstinguibile præparatur incendium; quia tu es, maledicte, homicidii princeps, tu auctor incesti, tu sacrilegorum caput, tu artium pessimarum magister, tu hæreticorum doctor, tu totius obscenitatis inventor. Exi ergo, impie, exi, scelerate, exi cum omni fallacia tua; quia hominem templum
B suum voluit esse Deus. Sed quid diutius moraris? Da honorem Deo Patri omnipotenti, cui omne flectitur genu: da locum Christo Jesu, qui pro homine suum sanguinem fudit; da locum Spiritui sancto, qui te per beatum apostolum suum Petrum manifestavit in Simone, qui fallaciam tuam in Anania et Saphira condemnavit, qui te in Herode rege honorem Deo non dante percussit, qui te in pessimo mago per apostolum suum Paulum cæcitatis caligine perfudit, et per eumdem de pytho-
C nissa verbo imperans exire præcepit. Discede ergo nunc, discede seductor; tibi enim eremus sedes est, tibi habitatio serpens est Humiliare, prosternere: non est jam differendi tempus. Ecce enim dominator Dominus proximat; cito ignis ante ipsum ardebit, et inflammabit in circuitu inimicos suos. Si enim hominem fallis, Dominum non potes irridere. Ille te ejicit, cujus oculis nihil occultum est: ille te expellit, cujus virtuti universa subjecta sunt: ille te excludit, qui tibi et angelis tuis æternam
D præparavit gehennam, de cujus ore exiet gladius bis acutus, qui venturus est in Spiritu sancto judicare sæculum per ignem. Amen.

[1] Exorcismi, qui baptismo etiam antiquitus præmittebatur, factam conspeximus mentionem initio præmissæ *Explanationis Symboli ad initiandos*, et fortasse hæc est eadem formula quæ jam in mediolanensi Ecclesia adhibebatur quando *Explanatio* illa initiandis proponebatur, more tunc consueto. Monuere Maurini Editores hunc excerptum esse e quodam ms. Vaticano exemplari ex undecimo circiter sæculo (*annorum* 600 tunc ipsi dixerunt), « in quo Ambrosium auctorem præfert » (ita adhuc illi). Animadvertunt insuper eum in Rituali quoque romano extare, sed in varias partes dissecatum, in nonnullis locis diversum, in aliis auctum, et ideo se edendum ad illius ms. fidem curasse. De scrutiniis et exorcismis vero legatur Chardon, *Storia de' Sacramenti*, e gallica lingua in italicam versa, lib. I, cap. 7, ubi antiquissima eorum praxis exponitur et demonstratur.

PRÆFATIO

AD TRACTATUM DE XLII MANSIONIBUS FILIORUM ISRAEL.

Subsequenti tractationi hanc præmiserunt Maurini Editores Admonitionem: « Huncce tractatum Romani editores primi vulgarunt. Qua vero id fecerint auctoritate, an uno pluribusve codicibus nixi, et rursus an prisca recentive manu exaratis, admonere supersederunt. Nos ne vel unicum manuscriptum usquam deteximus: nihilominus tamen eadem hæc opella argumenta suggerit, quibus ejusdem suppositio deprehendatur. Etenim ut omittamus discrimen styli ac tractandi argumenti discrepantiam, in ea Josephum, ascriptis ipsius verbis, subinde citatum reperire est, quod abhorrere ab Ambrosii consuetudine negabit nemo. Sed illud omnem dubitandi tollit rationem, quod hujus tractatus Auctor non solum Origenis et Hieronymi commentationes utcumque est imitatus, verum etiam non raro ipsamet Hieronymi verba usurpavit, et locos Origenis e Rufini translatione id temporis vixdum edita petitos exscripsit: quæ omnia nos ad margines indicabimus. Cæterum de Auctore hujus operis certiora forsitan traderemus, nisi hoc loco cogeremur uni Romanæ editioni credere, cujus fides quam sublesta sit, vel solus tractatus *de Trinit. et Resurrect. Mort.* docere poterit. Verumtamen hoc ipsum opus, quale habetur, ea suppeditat rationum momenta unde non injuria illud sermonibus ad populum habitis constare, et forte etiam Auctorem ejus monachum extitisse subodoremur. Neque vero inviti adduceremur in hanc sententiam, ut eum sin minus Bedæ ac Rhabani vixisse temporibus, saltem illorum rationem in eo tenuisse existimemus, quod illi in eamdem materiam scribere aggressi, Hieronymum, aut eum potius cujus sermones initio Appendicis ad quintum Operum Augustinianorum tomum leguntur, quemque non pauca ex Origene mutuatum constat, sæpius ad verbum transcripsere. » Delectatur vero auctor allegoricis omnium Hebræorum in deserto mansionum aliarumque rerum interpretationibus, ut inde moralia excerpat documenta ad Christifidelium ædificationem, more etiam nonnullis Patribus et nostro præsertim Ambrosio usitato, licet non satis efficaci, cum solido careat fundamento.

DE XLII MANSIONIBUS FILIORUM ISRAEL

TRACTATUS.

UMERORUM liber, de quo nunc nobis est sermo, unus est ex quinque Moysi libris. Eo vero nomine legimus appellari, quoniam Israeliticæ plebis ex Ægypto egressæ virorum perfectorum numerum et computationem Dei præcepto continet. Sic enim Moysi locutus est Deus: *Accipe summam universæ congregationis filiorum Israel a viginti annis et supra, per domos familiarum ipsorum, omnis egrediens ad præliandum in Israel.* Itaque Dominus cum homines a viginti annis et supra, et ad præliandum idoneos numerari præceperit, manifestum quod viros perfectos intellexerit. A qua summa mulieres femineæ infirmitatis obstaculo, servi, utpote, vita moribusque degeneres, Ægyptii, ut alienigenæ et barbari excluduntur. Soli numerantur Israelitæ, nec ii omnes; sed robore tantum et virtute præstantes. Sic enim scriptum est: *Numeratio filiorum Israel cum exercitu eorum a viginti annis et supra, omnis egrediens ad præliandum in Israel*, etc. Nec id mysterio vacat: nam dum puerilis et lubricus sensus, vel feminea et resoluta segnities nobis inest, vel dum Ægyptios, barbarosque gerimus mores, sancto Dei calculo numerari non meremur. In eodem deinde libro filiorum Israel itinera, profectiones, mansionesque a finibus Ægypti usque ad tempus et locum, quo Moyses defunctus est, mandato Dei recensentur. Inquit enim: *Et scripsit Moyses profectiones eorum et mansiones eorum, per verbum Domini.* Nec vero sine causa Moysi hoc scribere a Domino præceptum est; quia propter instructionem nostram:

Origenes hom 1 in Numer. ex vers. Ruf.

Num. I, 45.

Ibid., 41.

A inquit enim Apostolus: *Omnia in figura contingebant illis: scripta sunt autem hæc ad correctionem nostram,* ut legentes et probantes quanta nobis in hac ad terram viventium profectione immineant discrimina, quantæ hostium insidiæ, bellorum conflictationes spiritalium, marium et fluminum, mundi et voluptatum pericula; iter nostrum non segniter, neque remisse carpamus, quo labente die, in medio deficiamus itinere, noctis tenebris obruti. Nocte enim Ægypti primogenita ab exter-
B minatore percutiuntur: nocte avari anima divitis dæmonibus reposcitur. Sed prudenter itineri nos accingentes, fortiterque ad bella præparati, de virtute ad virtutem transeamus, et Dominus Deus noster præcedat nos ante faciem nostram, debellans inimicos nostros, portansque nos, ut mater filium suum, ac ducens nos in die per nubem, et nocte per ignem; ut tandem superatis quibusque itineris difficultatibus, adversariarumque incursibus potestatum, profectionem nostram gloriose perfi-
C ciamus. Mansiones vero filiorum Israel quadraginta et duæ numero computantur, quæ denarii, quaternarii, et binarii ratione numeri quem continent, multa nos mysteria docent. Volentes autem id vobis, fratres, explicare, intuemini, obsecro, et figite memoriæ; ne verbi contemptores inveniamini, nec fiat anima vestra via, ubi grana jactata non germinent: et veniant, inquit, volatilia cœli, et rapiant ea. Percipite ergo hæc, et recondite in cordibus vestris. Denarius numerus mysticus est, et
D non mediocriter a Moyse commendatus: ad eum namque primitias, oblationesque et vota refert. Inquit enim: *Omnis decima terræ, et a fructu ligneo, Domino est: et omnis decima boum et ovium, et omne quod venerit in numero, sub virga, decima erit sancta Domino.* Denique Jacob,

I Cor. x, 11.

Origenes hom. 27 in Numer. ex vers. Ruf.

Exod. XII, 29.

Luc. XII, 20.

Levit. XXVII, 30 et seq.

Deo sibi dum ad Laban avunculum suum in Mesopotamiam proficisceretur, in itinere apparenti pollicitus est, dicens: *Omnium quæ mihi dederis, decimam decimabo tibi.* Hanc ob causam Noe ille qui primus in veteri Scriptura justus pronuntiatus est, decimus a protoplasto inducitur, non ad ostendendam viventium tunc ætatem, vel ad præscribendum numerum hominum: sed ut aperte doceretur quod sicut denarius, numerorum qui unitatem sequuntur, perfectissimus est, ita tranquillitas in anima, finis est revera actionum vitæ. Ternio enim per seipsum multiplicatus novenarium complet, et lites, dissidia, bellaque divinis indicat oraculis, ut patet in quatuor et quinque regibus dissidentibus, seseque mutuo impugnantibus. Unitas vero novenario superveniens, denarium perficit, et pacem, amicitiamque designat. Novem enim certantibus regibus sapiens Abraham quasi desimus superveniens pro tempestate tranquillitatem, pro bello pacem, pro morte victoriam, Deo favente, attulit. Unde et Melchisedech summi Dei sacerdoti decimas exsolvit. Denarius ergo numerus perfectus est, et unitatem designat. Quaternarius quoque et ipse mysticus est, et in Scriptura commendatur: nam speciosam illam lucem, quæ seipsam et cetera manifestat, luminisque genitores solem et lunam, ac præfulgidum stellarum chorum, quæ noctem, diemque, menses, annosque oriendo et occidendo terminant, die quarto creata esse sermo propheticus declarat. Mundi radices quatuor numerantur, terra, aqua, ignis et aer. Et annuæ temporum vices sunt totidem, hiems, æstas, ver et autumnus. Denique de terræ fructibus Deo oblationes annum ante quartum fieri prohibetur. Sic enim scriptum est: *Fructus terræ tres annos erit vobis immundus, non comedetis ex eo: at anno quarto erit omnis fructus ejus sanctus et laudabilis Domino.* Nec immerito: quaternioni enim insunt omnia, punctum, linea, superficies, et soliditas, mensuræ universorum. Insunt etiam potissimæ symphoniæ musicæ. Deinde quadranguli latera oportet esse æqualia. Æqualitas vero mater est justitiæ, quæ cæterarum virtutum dux est et magistra. Justitiam ergo quaternarius insinuat. Binarius demum nec ipse expers est mysterii. Legimus enim viduam illam insigni laude a Domino commendari, quæ æra duo in gazophylacium misit. Samaritanus pro curatione sauciati binos erogavit nummos. Apud Samaritanos biduum transegit Salvator Christus: bipartitam namque significat charitatem, Dei nempe, et proximi: *In his duobus*, dicit Dominus, *universa Lex pendet et Prophetæ.* Mansiones igitur filiorum Israel ab Ægypti finibus, usque ad repromissionis terram quadraginta duæ a Moyse recensentur. Sic et sanctus Matthæus Christi generationem describens, quadraginta duas enumerat. Inquit enim: *Ab Abraham usque ab David, generationes quatuordecim: a David usque ad transmigrationem Babylonis generationes quatuordecim; et a transmigratione Babylonis usque ad Christum, generationes quatuordecim:* ut ostenderet quod verus Israelita qui de sæculi hujus Ægypto ad cœlum, veram viventium terram, per tot rerum discrimina et inimicorum tentamenta, pervenire festinat, pace per denarium, justitia per

Gen. XXVIII, 22.
Levit. XIX, 23, 24.
Luc. XXI, 2.
Luc. X, 35.
Joan. IV, 43.
Matth. XXII, 40.
Matth. I, 17

A quaternarium, charitate per binarium, armari oportet. Pace; quia scriptum est: *In pace vocavit nos Deus.* Justitia; quia dicit idem Apostolus: *State induti loricam justitiæ.* Charitate; quia *charitas operit multitudinem peccatorum.* Christus ergo ad Virginem, Israel ad Jordanem, Christianus ad cœlum pari mansionum numero deveniunt. Sed jam ipsas Israelis profectiones sigillatim consideremus.

I^a *mansio*, RAMESSES. — Profectionum ordo, mansionumque distinctio filiorum Israel ex Ægypto B exeuntium ad terram usque patribus repromissam, iis qui post Deum ambulare contendunt, ad virtutumque profectus aspirant, propter mysteria quæ includuntur in illis, scitu valde necessaria sunt. Ea enim quæ in populo patrum[1] corporaliter gesta sunt, nedum historiam, rerumque gestarum seriem nobis ostendunt: sed instructioni nostræ spiritaliter intellecta maxime proficiunt. Huc spectabat Apostolus, dum in epistola ad Romanos dicebat: *Quæcumque scripta sunt, ad nostram doctrinam scripta C sunt.* Et ad Timotheum: *Omnis Scriptura divinitus inspirata, utilis est ad docendum, ad arguendum, ad corripiendum et ad erudiendum in justitia, ut perfectus sit homo Dei, ad omne opus bonum instructus.* Legimus ergo quod filii Israel, posquam Ægyptus universa tantis plagis percussa est, tempore cœlesti oraculo designato, ut ad immolandum Domino Deo in solitudinem proficiscerentur, terram Gessen, quam ad incolendum acceperant, deserentes, in Ramessen urbem primo D convenerunt; ibi substiterunt, ibique primam fixerunt mansionem. Ramesses Ægypti civitas est, ab Hebræis munita, quando sæviente in eos Pharaone, luto, latere et paleis opprimebantur. Sic enim scriptum est: *Et ædificaverunt civitates munitas Pharaonis, Phiton, Ramessen et On.* Est denique in extremis illius regni finibus sita, ut habetur in libro Exodi. In hac mansione populus patrum, mactato agno, ejusque sanguine domorum liminibus ac utrisque postibus illitis, exterminatoris evaserunt E plagam: in hac Ægyptus primogenita sua vidit extincta: in hac farinam non fermentatam, vasaque argentea et aurea ab Ægyptiis mutuo accepta, verbo Dei, sibi populus congregarunt. Horum quæ dicta sunt, fratres, singula mysteriis referta sunt, et nostræ proficiunt disciplinæ. In primis quia Ramesses secundum aliquos interpretatur commotio turbulenta, quæ significat pœnitentiam: per ipsam enim turbulenta fit in peccatore commotio, ut aboleatur vetustas peccati et inducatur novitas gratiæ: ut F homo vetus affigatur cruci, et novus homo resurgat; ut vetere tandem deposita conversatione carnis, novitas inducatur spiritus. Pœnitentia ergo magnam commotionem turbationemque gignit. Ideo propheta: *Postquam cognovi, ego ingemui.* Qui ergo ad repromissam æternæ hæreditatis patriam proficisci desiderat, ac Domino Deo seipsum ut hostiam viventem, sanctam, Patri placentem immolaturus accedit, debet primo adire Ramessen, hoc est commotionem, quæ fit per pœnitentiam, ibique G suam figere mansionem. Ibi suam mansionem fixit Achab, quando scissa veste sua, induto cilicio, jejunavit, dormivit in sacco, et demisso ambulavit capite. Ibi Ninive Rex fixit mansionem, quando surgens de throno suo, abstulit stolam propriam,

I Cor. VI.
Ephes. VI, 14.
I Pet. IV, 8.
Origen. hom. 27 ex vers. Ruf. 1
Rom. XV, 4
II Tim. III, 16.
Exod. I, 11.
Exod. XII, 37
Jerem. XXXI.
III Reg. XXI, 27.

[1] Hæc locatio ad designandos veteres Israelitas frequens fuit Ambrosio; unde videmus ejus asseclam fuisse hujus tractatus auctorem.

Jon. III, 6. et sacco indutus sedit in cinere. Ibi Corinthii mansionem fixerunt, quando contristati sunt secundum Deum: quæ tristitia, ut scribit Apostolus, *Pœnitentiam in salutem stabilem operatur.* Deinde II Cor. VII, 10. agni mactatio quid aliud est quam passio Christi; qui, ut Propheta dicit, *tamquam agnus innocens adductus est ut sacrificetur?* Jerem. XI, 19. Cujus sanguine super domorum postes effuso, liberamur ab Exterminatore; quia Christi passione per sacramenta nobis participata, liberamur ab eo qui habebat mortis imperium, id est, diabolo, ut ad Hebræos scribit Hebr. II, 14. Apostolus. Ideo in alio loco dicit: *Christus, ut per suum sanguinem sanctificaret populum, extra portam passus est.* Ibid., XIII, 12. In hac etiam mansione Ægypti primogenita exstinguuntur; hoc est, pravi carnis affectus, et desideria mala quæ militant adversus animam. Exstinguuntur vero Ægyptii, dum non agis opera tenebrarum: exstinguuntur Ægyptii dum non carnaliter, sed spiritaliter vivis: exstinguuntur Ægyptii, dum impuras sordidasque cogitationes vel depellis e corde, vel omnino non recipis. Ideo quærenti: *Quis me liberabit de corpore mortis hujus?* respondit Apostolus: *Gratia Dei per Jesum Christum Dominum nostrum.* Rom. VII, 24, 25. In hac mansione farina, argentum et aurum cumulantur. Farina, ex qua panis conficitur, doctrina Christi est; quia panis Christus est, dicente Joanne: *Ego sum panis vivus.* Joan VI, 51. Argentum divinum designat eloquium: *Eloquia enim Domini, eloquia casta, argentum igne examinatum, probatum terræ, purgatum septuplum.* Psal. XI, 7. Aurum mens bona est, quæ non immerito comparatur auro. Nam sicut aurum cæteris præstat metallis, ita mens bona in homine cæteris potior est humanæ substantiæ portionibus. Tria ergo in Ramesse coacervantur, farina, argentum et aurum; doctrina, eloquium, et mens bona: in quibus census sapientis consistit. Sed interim pretiosam commutationem consideremus. Filii Israel dederunt paleas quæ inextinguibili comburuntur igne, et receperunt farinam, in qua sapiens illa mulier fermentum abscondit. Dederunt lutum, quod deletur, quia scriptum est: *Ut lutum platearum delebo eos;* Ibid., XVII, 43. et receperunt argentum, quod est sermo justi. Scriptum est enim: *Argentum igne examinatum lingua justi.* Prov. X, 20. Dederunt lateres, qui cadunt; quia scriptum est: *Lateres ceciderunt, et receperunt aurum,* Isai. IX, 10. quod est mens bona qua servimus legi Dei. Bona ergo commutatio: unde dicit Apostolus: *Jam saturati estis, jam divites facti estis.* I Cor. IV, 8. Has nos divitias comparemus nobis, quibus intelligibiles animæ nostræ thesauros repleamus: sed ipse Dominus dat nobis gratiam, ut ab Ægyptiis illas eripere possimus. Ideo bene dicit Apostolus ad Hebræos: *Optimum est gratia stabilire cor.* Hebr. XIII, 9 Bona igitur mansio Ramesse.

II^a *mansio,* SOCOTH. — Secunda filiorum Israel profectio fuit in Socoth; ibique tentoria, Ægypto relicta, figentes, secundam mansionem habuerunt. Ideo dicit: *Profecti autem filii Israel ex Ramesse, castrametati sunt in Socoth.* Num XXXIII, 3. Intentio sancti prophetæ Moysi, qui Dei mandato populi processum ex Ægypto usque ad Jordanem descripsit, non fuit singula notare loca ad quæ ei in universo itinere divertere contigerit: sed illa tantum in quibus aliqua mysteria facta sunt. Socoth urbs est in montanis, extra terram Ægypti; ei tamen finitima, ut legitur in libro Jesu Nave. Josue XIII, 7. Denique Socoth interpretatur tabernacula. Unde Jacob quando ab Esau

A qui ei a Mesopotamia revertenti occurrit, se divisit, *Reversus est,* inquit Scriptura, *in tabernacula.* Ubi alia translatio habet: *Reversus est Socoth.* Gen. XXXIII, 17. Et subjungit ibi: *Et fecit Jacob sibi domos, et pecoribus suis fecit tabernacula: propter hoc vocavit nomen loci illius, Tabernacula.* Et ibi alia translatio dicit: *Appellavit nomen loci illius Socoth,* id est, tabernacula. In hac quoque mansione coxerunt farinam. Dicitur enim in libro Exodi: *Et fecerunt ex farina subcinericios azymos.* Exod. XII, 39. Non B enim fermentata fuit; ejecerunt namque eos Ægyptii. In hac fit insuper annorum computatio quibus Israel fuit in Ægypto. Inquit enim: *At habitatio filiorum Israel, quam habitaverunt ipsi et patres eorum in terra Ægypti,* etc. Ibid., 40. In hac tandem præcipitur ut hujus ex Ægypto liberationis perpetuum extet apud eos memoriale. Inquit enim: *Dixit Moyses ad populum: Recordamini diei hujus, in qua egressi estis in Ægypto, ex domo servitutis · in manu enim forti eduxit vox hinc Dominus.* Ibid., XIII, 3 In hac de- C mum solemnitas azymorum, ritusque azyma comedendi præscribitur. Nam inquit: *Sex dies comedetis azyma; at die septima festum Domino: non apparebit ibi fermentatum.* Ibid., 6. Hæc quoad litteram. Quoad mysteria vero, dicimus quod profectus filiorum Israel in Socoth, quod interpretatur Tabernacula, designat quod qui mansionem habuit in Ramesse, hoc est in commotione pœnitentiæ, debet proficisci in Socoth, hoc est, in tabernacula quasi per considerationem ambulare. Quod sicut ille qui D alio tendit, nec firmam habet domum, moratur in tabernaculis. Unde quid aliud est in tabernaculis habitare, quam peregrinari? sicut Apostolos ad Hebræos de patribus loquens testatur. Inquit enim: *Confitentes quod peregrini et hospites essent super terram:* et videns se peregrinum in terra, dicat Hebr XI, 13 cum Propheta: *Advena ego sum in terra.* Ps. XXXVIII, 13. Consideret item Apostoli dictum: *Non habemus hic manentem civitatem.* Hebr. XIII, 14. Cognoscat denique quod quamdiu est in corpore, peregrinatur a Domino: E unde rejiciat ea quæ in mundo sunt; quia concupiscentia carnis est; quia concupiscentia oculorum; et quia superbia vitæ. Sequatur Apostoli consilium: *Ne tetigeritis, ne gustaveritis, neque adtaminaveritis, quæ sunt omnia in interitum, ipso usu: sed ingemiscat habitationem quæ de cœlo est, semper contendens placere Deo.* Coloss. II, 21 et seq. Subcinericiorum coctio azymorum docet, quod expurgato is veteri philosophorum nequitiæ et Judæorum malitiæ fermento, epuletur in azymis sinceritatis et veritatis. F Memoria jugiter unusquisque nostrum teneat illud Domini præceptum dicentis: *Intuemini et cavete a fermento Pharisæorum,* et Apostoli ne obliviscatur cautionem: *Videte ne quis vos deprædetur per philosophiam et inanem fallaciam.* Matth. XVI, 6. Coloss. II, 8. Deinde in Socoth indicitur computatio annorum quibus populus fuit in Ægypto, quia pœnitenti dicitur quod debeat sicut hirundo clamare, et sicut columba meditari annos ejus in amaritudine animæ suæ; Isai. XXXVIII, 14. nec de propitiatione peccati esse sine timore; sed Eccli. V, 5. G dolere, et cum Propheta dicere: *Et peccatum meum contra me est semper.* Ps. L, 5. Quod non retro aspiciat, pristinas appetendo vanitates, ut uxor Lot, et ut canis revertens ad vomitum. Quin potius sicut semetipsum immunditiæ et iniquitati prostituit, ita exhibeat membra sua servire justitiæ in sanctificationem, ut quantum se glorificaverit et in deliciis fuerit; tantum errata sua corrigens et

in se vindicans, sentiat tormentum et luctum. Demum festum et perpetua azymorum solemnitas præscribitur, hoc est, meditationis et operum perseverantia indicitur; quia *qui perseveraverit usque in finem, hic salvus erit.* Unde Apostolus: *In disciplina perseverate, filii.* Profectio igitur ex Ramesses ad Socoth est ad meliora.

III^a *mansio,* Ethan. — Tertia mansio est Ethan. Nam a Socoth recedentes filii Israel, pervenerunt in Ethan; ibique tentoria figentes, tertiam stationem peregerunt. Inquit enim: *Et profecti e Socoth, castrametati sunt in Ethan.* Ethan regio est inter Ægyptum et solitudinem in qua est Petra oppidum, in cujus spelunca habitavit Samson cum ab Allophylis infestaretur: *Et sedit,* inquit, *in spelunca Petræ Ethan,* qui locus erat valde munitus, ut testatur Josephus. Erat autem hæc regio in principio solitudinis. Ideo dicit: *Et est pars deserti.* Regionis hujus meminit David propheta dicens: *Tu siccasti fluvios Ethan.* In hac mansione primum apparuit Dominus nocte in columna ignis, in die in columna nubis, ostendens iter populo, ad terram usque successionis eorum: *Et non defecit,* inquit, *columna nubis in die, et columna ignis in nocte, coram omni populo.* Verum quia Ethan nobis sonat fortitudo; unde adversus Jeroboam parans se Roboam defendere: *Ædificavit,* inquit, *civitates munitas, Ethan et Thecue,* hoc est civitates fortitudinis, docemur quod ubi in Socoth hujus peregrinationis, in meditatione et exercitio bonorum operum usque in finem perseverare quis statuerit, ascendit ad Ethan, hoc est, ad fortitudinem: quia ipse Dominus dat virtutem et fortitudinem plebi suæ. Hinc dicebat Apostolus: *Omnia possum in eo qui me confortat Christus Jesus,* immo per nubem et ignem aperit ei viam, et fit dux itineris ejus, donec videat bona Domini in terra viventium. Ascendamus igitur et nos in Ethan, ut diabolo resistamus fortes in fide.

Num. xxxiii, 5. Lib. Antiq. c 10. Ps. lxxiii, 15. Exod. xiii, 22. II Paral. xi, 6. Philip. iv, 13.

IV^a *mansio,* Os Eroth. — Quarta mansio dicitur Os Eroth. Unde sequitur: *Et profecti ex Ethan, castrametati sunt ad Os Eroth, quæ est contra Beelsephon, et contra Magdalon.* Os Eroth alia translatione dicitur Phiairoth; vicus est et suburbium Magdali, versus mare Rubrum, ut habetur in libro Exodi. In hac mansione indignatus Pharao quod Israel Ægyptum desereret, comparato exercitu grandi, eos insequitur, dicens: *Quid fecimus, ut dimitteremus filios Israel, ut non servirent nobis?* Et subjungit: *Junxit ergo Pharao currus suos,* etc. Quo vero ad morale: per Os Eroth, quod os nobilium interpretatur, ostenditur quod assumpta fortitudine in Ethan, ascendimus in Os Eroth, quia nobilitamur in Domino. Quod vero Os Eroth sit vicus, non caret mysterio, ut primo parva quæque capiantur: est enim ordo ut a parvis ad magna veniatur. Periculosa namque semper fuit in initiis immoderata prosperitas æque ac adversitas. Sicut ergo per suburbium ad urbem progredimur, ita per ima ad summa ascendimus. Denique Beelsephon, quod est interpretatum, Dominus Aquilonis, diabolum designat; quia dixit, ut testatur Esaias propheta: *Sedebo in monte sublimi, super montes excelsos ad Aquilonem.* Est igitur Os Eroth contra Beelsephon, id est, contra diabolum, qui stat semper ut adversetur euntibus in Hierusalem, quæ in cœlo est. Ideo dicebat Apostolus: *Induite vos armaturam Dei ut possitis stare adversus insidias diaboli.* Idem quoque designatur per Pharaonem populum insequentem.

Num. xxxiii, 7. Exod. xiv, 2 et seq. Ibid., 5. Hieron. ep. 127. Orig. hom. 27 in Num. ex Ruf. vers. Isai xiv, 13. Ephes. vi, 13.

V^a *mansio,* Marah. — Marah quinta est mansio: Sic enim dicit: *Et profecti contra Os Eroth, transierunt per medium maris in desertum, et ambulaverunt viam trium dierum per desertum ipsi, et castrametati sunt in Marah.* Marah locus est in deserto Sur, tali vocatus nomine ob aquarum amaritudinem: sic enim scribitur in libro Exodi: *Venerunt autem in Marah, et non potuerunt bibere aquam de Marah.* Amara enim erat, propter hoc vocatum est nomen loci illius, Amaritudo. Circa hanc mansionem tria sunt consideranda, profectio, mansio et operatio. Profectio, quia in hujus itinere filii Israel Rubrum mare sicco vestigio transierunt: nam dicit Scriptura: *At Filii Israel perrexerunt per siccum in medio maris: et aqua erat eis murus a dextris, et murus a sinistris, Pharao vero cum suo exercitu submersus est in aquis vehementibus:* sic enim de eo scribitur: *Et reversa aqua cooperuit currus et ascensores, et omnem exercitum Pharaonis, qui ingressi fuerunt post eos in mare, et non relictus est ex eis ullus.* Mansio, quia invenerunt aquas amaras, quarum amaritudinem sentientes, bibere nequiverunt, licet magna vexarentur siti. Operatio; quia mandato Domini Moyses ligno tetigit aquas; et quæ prius erant amaræ, in dulcedinem versæ potabiles effectæ sunt, unde sitim extinguere potuerunt. Per quæ primo significatur nobis quod ad gratiam properantibus occurrit Pharao cum exercitu suo, hoc est, diabolus cum potestate tam forti, ut, sicut scriptum est, non sit quidquam in terra simile factum illi: sed tandem ut Pharao cum exercitu submergitur in aquis vehementibus, ita et diabolus mittitur in stagnum ignis et sulphuris. Unde nec ideo terreamur, ut desertionem faciamus. Deinde in mansione aquæ gustantur amaræ, quoniam adhuc existentes in gratia multiplices manent tribulationum amaritudines. Unde Joannes apostolus dicebat: *Ego Joannes frater vester et particeps in tribulatione.* Immo apostolus Paulus dicebat: *Si extra disciplinam estis, adulterini et non filii estis.* Denique in operatione, sicut verbo suo adest Dominus, ut dulcescant aquæ, ita præstat in tribulationibus suam nobis præsentiam, dicente Propheta: *Cum ipso sum in tribulatione,* ut afflictiones mitescant. Hinc Esaias proclamat propheta: *Si transieris per aquam, tecum sum, et flumina non cooperient te: et si transieris per ignem, non combureris.* Ideo Stephano in dulcedinem fuerunt torrentis lapides; et Laurentio in refrigerium prunæ. Merito igitur dicit Apostolus: *Gloriamur in tribulationibus.*

Exod. xv, 23. Ibid., iv, 22. Ibid., 23. Apoc. xx, 9. Ibid., i, 9. Hebr. xxii, 8. Ps. xc, 15. Isai. xliii, 2. Rom v, 3.

VI^a *mansio,* Elim. — Mansio sexta vocatur Elim. A Marah enim recedentes filii Israel, venerunt in Elim: ibi substiterunt, et ibi tabernacula erexerunt. Unde dicit: *Et profecti ex Marah, venerunt in Elim. In Elim vero erant duodecim fontes aquarum, et septuaginta arbores palmarum; et castrametati sunt illic apud aquas.* Idem legitur in libro Exodi. Sed pulcher ordo, felixque virtutis progressus, qui semper tendit ad optima: ex tenebris ad lucem, ex ærumnis ad felicitatem. Ecce filii Israel, post Pharaonis et Ægyptiorum sævitias, post maris desertique discrimina, post triduanæ sitis ardorem, et Marah amaritudines, venerunt tandem ad palmas, venerunt ad fontes.

Num. xxxiii, 9.

Per quod instruimur quod qui asperitatibus prægavantur, eos tandem læta et amœna loca suscipiunt: quoniam ad requiem nonnisi per laborem, et ad gaudia, nonnisi per tristia pervenitur. Venit populus ad palmas; sed prius Ægyptiorum plurimas sustinuit angustias. Venit ad fontes; sed prius trium dierum sitim, et aquarum amaritudines passus est. Nec tamen in his adhuc finis est itineris, nec ultima laborum requies; quia et graviora manent: sed cunctorum dispensator Deus, qui omnia suaviter disponit, interserit in ipso etiam itinere refrigeria quædam, ut iis refota, vique reparata anima promptior ad reliquos redeat labores. Denique observandum est quod Elim interpretatur Arietes. Arietes vero duces sunt ovium. Ideo duodecim fontes, et septuaginta palmæ designant Christiani gregis ductores, nempe duodecim Apostolos, de quibus ita scribit Lucas: *Elegit duodecim ex ipsis, quos Apostolos nominavit;* et septuaginta Discipulos quos sanctus Lucas alibi meminit, dicens: *Designavit Dominus et alios septuaginta, et misit illos binos ante faciem suam.* Quorum distinctionem ponit Apostolus, agens de Domini post ejus resurrectionem apparitionibus. Inquit enim ad Corinthios: *Visus est Cephæ, et post hoc undecim, et deinde visus est Apostolis omnibus.* Qui tamen omnes duces et magistri sunt gregis Dominici. Quare de iis scriptum est: *Qui vos audit, me audit: et qui vos spernit, me spernit.* Hauriamus igitur nos de uberrimis hujusmodi fontibus, et bibamus: carpamus quoque de solidis harum victoriæ palmarum fructibus, et manducemus alacriter, ut talibus cibo potuque refecti, validiores ad reliquas mansiones peragendas inveniamur.

Orig. hom. 27 in Num. ex vers. Ruf.
Luc. VI, 13.
Ibid., X, 1.
I Cor. XV, 1.
Luc. X, 16.
Hieron. ep. 127.

VII^a *mansio,* MARE RUBRUM. — Septima mansio est juxta mare Rubrum: nam transito mari Rubro, et Marah et Elim mansionibus peragratis, occurrit iterum filiis Israel sinus quidam ipsius maris. Et quia ibi applicuerunt, tentoriaque erexerunt, ideo nunc ad mare castrametari dicuntur. Dicit enim: *Et profecti ex Elim, castrametati sunt super mare Rubrum.* Sed observa quod vident mare, non tamen illud intrant: nam sufficit semel tantum intrasse et pertransisse, quoniam illud mare baptismi nostri figura fuit, ut Apostolus ad Corinthios scribit dicens: *Quia patres nostri omnes baptizati sunt in nube et in mari.* Sed baptismus eorum in figura fuit, nostrum autem in veritate. Et quia baptismus iterandus non est, cum scriptum sit: *Unus Deus, una fides, unum baptisma,* sicut semel baptizari oportuit, ita et semel mare intrasse satis fuit. Nunc igitur pergenti ad promissam hæreditatem populo iterum mare occurrit, ut illud videns, illiusque undas aspiciens, cautius incedat, ne deterius aliquid ei contingat.

Ibid.
Num. XXXIII, 10
Orig. hom. 27 in Num. ex vers. Ruf.
I Cor. X, 2.
Ephes. IV, 5.

VIII^a *mansio, desertum* SIN. — Octava mansio est desertum Sin. Ideo dicit: *Et profecti a mari Rubro, castrametati sunt in desertum Sin:* sed observandum quod tota hæc solitudo a mari Rubro, usque ad montem Sinai appellatur Sin. In qua filii Israel quinque habuerunt mansiones: nempe mare Rubrum, ut supra, hanc de qua agimus, et tres sequentes. Hæc autem specialis est; licet communi nomine appellatur desertum Sin, ex nomine totius deserti: sicut et Moab nomen est civitatis et provinciæ. Verum quia Sin interpretatur rubus, significat nobis quod sicut octava mansione venimus ad Sin, hoc est ad rubum, in quo actum est de

Num. XXXIII, 11.
Hier. ep. 127.

A liberatione filiorum Israel a servitute Ægypti; ita in resurrectione, quæ per octavam intelligitur, veniemus ad rubum, in quo agetur de liberatione nostra a servitute corruptionis; quam exspectamus, ut Apostolus dicit: *Et ipsi intra nos gemimus, adoptionem filiorum exspectantes redemptionem corporis nostri.* Et alibi: *Salvatorem exspectamus Dominum nostrum Jesum Christum, qui reformabit corpus humilitatis nostræ configuratum corpori claritudinis suæ.* Et tunc videbimus rubum
B ardere et non comburi; quia corpus humanitatis nostræ morietur, sed non consumetur; immo resurget ad majorem claritatem. Dicit Apostolus: *Seminatur in ignobilitate, surget in gloria: seminatur in infirmitate, surget in virtute.* Oremus igitur Deum ut ad octavam mansionem venire valeamus, vel potius ipsa ad nos cito veniat.

Rom. VIII, 23.
Philip. III, 20.
I Cor. XV, 43.

IX^a *mansio,* DEPHCHA. — Nona mansio dicitur Dephcha, quæ in mansionibus deserti Sin tertia computatur: recedentes enim filii Israel a mansione quæ a communi nomine, desertum appellatur,
C venerunt ad hanc. Quare subjungit: *Et profecti de deserto Sin, castrametati sunt in Dephcha.* Hæc mansio in Exodo non habetur: sed a deserto ad Raphidim tantum profectio scribitur. Sub silentio igitur præteritur hæc et sequens mansio; quia non ille erat locus in quo per verbum Dei profectiones feriatim Moyses recenseret. Denique Dephcha sanitas interpretatur. Perfecta autem animæ sanitas est qua non potest peccare, sicut
D perfecta corporis sanitas est qua non contigit ægrotare; quod non nisi in resurrectione succedit: tunc enim, sicut dicit Esaias propheta: *In capite eorum laus et lætitia apprehendet eos; fugiet dolor, mœror et gemitus.* Vides igitur ordinem profectuum. Filii Israel de octava mansione assequuntur Dephcha: et nos a resurrectione perfectam animæ et corporis adipiscimur sanitatem, ut Joannes Apostolus in Apocalypsi testatur, dicens: *Et absterget Deus omnem lacrymam ab oculis eorum, et mors*
E *ultra non erit, neque luctus, neque clamor, neque dolor erit ultra.* Sed quia animæ languor peccatum est, unde dixit Propheta: *Sana animam meam, quia peccavi tibi;* languor animæ nostræ superbia est, ira est, avaritia est: ideo unusquisque nostrum cordis et corporis genua flectens oret Dominum nostrum Jesum Christum, qui sanat omnes infirmitates nostras, et cum propheta dicat: *Sana me, Domine, et sanabor; salva me, et salvabor.* Dicat et cum David: *Sana me, Domine, quoniam con-*
F *turbata sunt omnia ossa mea.*

Num. XXXIII, 12.
Orig. hom. 27 in Num. ex vers. Ruf.
Isai. LI, 11.
Apoc. XXI, 4.
Ps. XL, 5.
Jerem. XVII, 14.
Ps. VI, 3.

X^a *mansio,* HALUS. — Decima mansio Halus est: ad quam a Dephcha profecti sunt filii Israel. Ideo dicit: *Et profecti de Dephcha, castrametati sunt in Halus.* In Exodo nec ista mansio distincte nominatur; sed comprehenditur sub mansionibus a deserto Sin usque ad Raphidim. Dum enim dicit: *Et profecta est omnis congregatio filiorum Israel ex deserto Sin per castra sua, secundum verbum Domini;* innuit quod plures fuerint castrametationes et hospitia. Tria in hac mansione geruntur.
G Primo, populus Dei gloriam intuetur: nam scriptum est in Exodo: *Et gloria Domini apparuit in nube.* Deinde, pascitur carnibus: *Factum est vespere,* ut ibi legitur, *et ascendit coturnix, et cooperuit castra.* Tertio, cibatur manna de cœlo. Sic enim Moyses populum alloquitur: *Hic est panis quem dedit vobis Dominus ad manducandum:* hoc est

Num. XXXIII, 13.
Exod. XVII, 1.
Ibid., XVI, 10.
Ibid., 13.
Ibid., 15.

verbum quod constituit Dominus. Per quæ monemur quod qui in decima quiescit mansione, id est in observatione legis, per denarium enim numerum lex significatur, quæ in decem verbis consistit, ut scriptum est: *Et scripsit Moyses verba hæc de-*
Exod. xxxiv, 28. *cem in tabulis fœderis;* Dei gloriam conspicit. Quare sciscitanti Prophetæ, quis habitaturus in Dei tabernaculo, et quis in monte sancto ejus requieturus esset, respondetur quod sedulus observator legis, dum dicitur: *Qui ingreditur sine macula, et operatur justitiam: qui loquitur veritatem in*
Ps. xiv, 2 et seq. *corde suo*, etc. Et idem carne et manna cœlesti pascitur, hoc est, pretioso Domini nostri Jesu Christi corpore. Cujus corpus est vera caro, dicente Joanne apostolo: *Caro mea vere est cibus*, et verum est manna, non in typo, sed in veritate: *Ego sum*,
Joan. vi, 35 inquit, *panis vivus qui de cœlo descendi.* Est vera caro propter veram humanitatem: est panis vivus propter divinitatem. Cum igitur Christi corpus manducamus, divinitatem et humanitatem partici-
I Cor. xi, 24 et seq. pamus, ut Apostolus ad Corinthios scribit. Merito autem beneficia hæc potiora in hoc loco præstantur. Nam Halus interpretatur labor; laboranti autem congruum est ut Domini appareat gloria, quo præmii visione alacrius labores sustineat. Congruum est etiam ut subministretur cibus, quo refectus inchoatum fortius prosequatur iter.

XI^a *mansio*, Raphidim. — Undecima mansio peragitur in Raphidim. Ibi enim populus duro fatigatus itinere, refrigerium sumpsit. Ideo sequitur: *Et profecti ex Halus, castrametati sunt in Ra-*
Num. xxxiii, 14. *phidim: et non erat illic aqua ad bibendum.* Eadem mansio scribitur etiam in Exodo: *Et castrametati sunt*, inquit, *in Raphidim, non erat*
Exod. xvii, 1. *autem aqua populo ad bibendum.* Hæc mansio trium admirabilium operum prærogativa maxime decoratur. Primo, mirabili eductione aquæ e petra: nam populus montium asperitate et longitudine viæ fessus, magno sitis ardore flagrabat. Veniens autem Raphidim, visoque loco arido, aquisque carente,
Ibid., 7. adversus Moysen iratus tumultuari cœpit. Unde locus jurgii in Scriptura nuncupatus est. At ille accepta virga, petram Domini mandato percussit: illa vero percussa tam largam aquarum effudit copiam, ut populus ac jumenta omnem sitim exstinguere possent. Quod admirans David propheta, in hæc prorupit verba: *Quoniam percussit petram, et fluxerunt aquæ, et torrentes inundave-*
Ps. lxxvii, 20. *runt.* Secundo, memoranda contra Amalechitas victoria. Nam populo suam hic stationem agente, Amalechitarum gentes ei obsistere, eum vexare, eumque valido comparato exercitu oppugnare cœperunt. At Moyses, consideratis populi viribus longi itineris defatigatione jam fractis, et ad repellendam hostium audaciam non satis aptis, ad divinum confugere decrevit auxilium. Unde et resistendi hosti, et belli gerendi toto negotio penes Josue relicto, ipse Deum oraturus in collem secessit. Sed o mira orationis potentia! dum Moyses palmas tendebat ad cœlum, prævalebat Israel: dum vero remittebat, succumbebat. Aaron autem et Hur manus ejus usque ad solis occasum sustentantibus, adeptus est Josue victoriam, ut Scriptura dicit: *Fugavit Amalech et omnem populum ejus in occisione*
Exod. xvii, 13. *gladii.* Tertio, prudenti consilio in moderandis rebus publicis Jethro: nam cernens Jethro Moysen ejus generum in audiendis vulgi causis diutius quam par esset occupari, et a diluculo usque ad vespe-

A rum in his tempus omne consumi; consuluit ut judices, tribunos, et alios belli pacisque præfectos institueret, qui populum judicarent, causas audirent, lites dirimerent et breviter levia cuncta absolverent, rebus tantum gravibus ejus judicio reservatis. Cui Moyses assensit. Ideo scriptum est: *Audivit autem Moyses vocem soceri sui, et fecit quæcumque dixit ei.* Et quia Raphidim laus ju- Exod. xviii, 24.
dicii interpretatur, merito in ejus mansione petra exhibet aquam, quia petra Christus custodienti
B judicium suæ aquam gratiæ exhibet: nam scriptum est: *Beati qui custodiunt judicium!* Vincitur Ama- Ps. cv, 3.
lech, quia judicio damnatur diabolus: docetur recta populi administratio, quia scriptum est: *Judex sapiens docet populum suum:* hic est qui judicat Eccl. x, 27.
omnia, et ipse a nemine judicatur. 1 Cor. ii, 15.

XII^a *mansio, desertum* Sinai. — Duodecima mansio habita est in deserto Sinai. Ideo subjungit: *Et profecti ex Raphidim, castrametati sunt in deserto Sinai.* Celebratissima est mansio hæc ubi Num. xxxiii, 15.
C Deus descendit in igne, in montem, et Moyses purificato populo, Dei mandato in verticem montis ascendit, et cum eo locutus est, et accepit præcepta decalogi. Ibi ostenditur exemplar fabricæ Tabernaculi, ibi præcipitur victimarum multiplicitas, vasorum distinctio, indumenta Pontificis, Sacerdotum et Levitarum ceremoniæ. Ibi numerus populorum Levitarumque, et per singulas tribus populi distributio: oblationes quoque principum in hac mansione descriptæ sunt. Duæ quoque argenteæ
D tubæ ad promovenda castra ibidem fieri jubentur, ibique præcipitur immundis super anima hominis, qui primo mense Paschæ interesse non potuissent, ut mense secundo convenirent; et qui longius habitabant, vel immundi fuerant, in secundo mense Pascha jussi sunt facere. Quod nimirum in typum intelligitur populi gentium, quæ cum dæmoniis fornicatæ fuerint, immundæ videbantur in anima; salubri vero fidei confessione in secunda nativitate, quasi in secundo mense purificari præcipiuntur.
E Jubetur quoque in hac mansione Nazaræis, ut vinum et siceram non bibant, nec acetum quidem e vino vel sicera; nec uvam recentem comedant, nec uvas quidem passas; quod et in Proverbiis præci- Num. vi, 2 et seq.
pitur: *Principes qui iracundi sunt, vinum non bibant; ne cum biberint, obliviscantur sapientiæ.* Prov. xxxi, 4, 5.
Quid ergo Nazaræorum nomine, nisi abstinentium continentiumque vita significatur; quibus in vino luxuria prohibetur, in sicera omnis voluptas terrena? Sicera enim ex diverso conficitur genere,
F sicut voluptas ex diversa vitiorum oritur colluvie. Unde illi vinum bibere dicuntur, qui ad decipiendos homines umbras quasdam et imagines se simulant habere virtutum. Uva passa illi vescuntur, qui propter humanos oculos abstinentiæ pallore inficiuntur, ut gloriam capiant ab hominibus. Acetum autem hi bibunt, qui post vitæ sanctitatem in præteritis relabuntur vitiis, et corruptione veteris nequitiæ delectantur. Præcepit itaque Deus, ut qui sanctitatis induerint titulum, cunctis careant vitiis,
G nullamque hujusmodi perturbationem quæ statum mentis evertat, appetant. In hac mansione separantur de castris leprosi, seminiflui, et immundi: leprosi doctrina, seminiflui cogitatione, immundi opere, id est, hæretici, schismatici et luxuriosi: hi tamquam contagiosi et morbidi a castris ejiciuntur, ne contagione perfidiæ vel morum suorum, vitam polluant innocentum. Denique ab anno vige-

simo et supra annumerantur populi qui ad prælium apti inveniuntur: sed cur ab anno vigesimo, nisi quia hac ætate contra unumquemque vitiorum bella nascuntur. Ideoque ad pugnam eliguntur, ut habeant contra libidinem conflictum, nec luxuria superentur. Hic etiam ab anno vigesimo et quinto Levitis in Tabernaculo servire mandatur, et a quinquagenario custodes vasorum constituuntur: quid enim per annum quintum ac vigesimum, in quo flos juventutis oboritur, nisi ipsa contra unumquemque vitiorum bella significantur; et quid per quinquagenarium, in quo Jubilæi ratione etiam terra quiescit, nisi æterna requies edomita bello mentis exprimitur? Quid per vasa tabernaculi, nisi fidelium animæ figurantur? Levitæ ergo ab anno vigesimo et quinto tabernaculo serviunt, et a quinquagenario custodes vasorum fiunt, ut videlicet qui adhuc impugnantium vitiorum certamina per consensum delectationis admittunt, aliorum curam suscipere non præsumant. Cum autem tentantium bella subegerint, cum apud se jam de intima tranquillitate securi probabiliter æstimantur, tunc animarum custodiæ deputari poterunt: sed quis hæc prælia sibi perfecte superare potest, cum Paulus dicat: *Video aliam legem in membris meis*
I Cor. xi, 2. *repugnantem legi mentis meæ?* Sed aliud est bella fortiter perpeti, aliud bellis enerviter expugnari. In illis exercitatur virtus, ne quis extolli debeat; in his omnino extinguitur, ne subsistat. Præcepit
Num. viii, 7. dehinc lex Levitas omnes pilos carnis radere, quia hi qui obsequiis divinis assumuntur, debent ante Dei oculos a cunctis carnis cogitationibus mundi apparere, ne illicitas cogitationes mens proferat; et pulchram animæ speciem quasi pilis excrescentibus deformem reddant. Post hæc jubentur etiam fieri duæ tubæ, quarum clangore populi moverentur ad prælium. Sic enim scriptum est de his ad Moysen:
Ibid., x, 2. *Fac tibi duas tubas argenteas ductiles;* et paulo post: *Et cum concisus clangor increpuerit, mo-*
Ibid., 5. *vebuntur castra.* Per duas enim tubas exercitus ducitur, quia per duo Testamenta, sive per duo præcepta charitatis ad prælium fidei populus vocatur, quæ idcirco argenteæ fieri præcipiuntur, ut prædicatorum verba eloquii nitore refulgeant, et auditorum mentes nulla sui obscuratione confundant; idcirco autem ductiles, quia necesse est ut hi qui venturam vitam prædicant, tribulationum præsentium tunsione crescant. Bene autem dicitur: *Cum concisus clangor increpuerit, movebuntur castra;* quia nimirum cum subtilior ac minutior prædicationis sermo tractatur, auditorum mentes contra tentationum certamina ardentius excitantur. Jam abhinc promoventur Filii Israel de monte Sina, et transeunt in Sepulcra concupiscentiæ.

XIII^a^ *mansio*, Sepulcra concupiscentiæ. — Decima tertia mansio habetur in Sepulcris concupiscentiæ. Ideo inquit: *Et profecti de deserto Sinai,*
Ibid., xxxiii, 16. *castrametati sunt in Sepulcris concupiscentiæ.* Hæc mansio ab eventu nomen accepit. Nam populus manna pertæsus, carnes, pisces, pepones, et alia quæ apud Ægyptios erant gulæ incitamenta, concupivit, et adversus Moysen tumultum excitavit. Quare iratus Dominus, misit coturnicum prope terram volantium innumerabilem copiam, quibus eorum gulam possent explere. Sed dicit Scriptura:
Ibid., xi, 33. *Carnes adhuc erant in dentibus eorum:* hoc est, antequam digererentur, percussit Dominus populum plaga magna valde: *Et hinc*, inquit, *vocatum est*

A *nomen loci illius, Sepulcra concupiscentiæ: quia ibi sepelierunt populum desideratorem.* Ex quibus Num. xi, 34.
docemur, ut qui conversationem reliquimus sæculi, et Ægyptias ollas id est carnalium desideriorum fervores contempsimus, non debere murmurare contra cœlestem panem, nec virulenta Ægyptiorum appetere, quæ sunt magnarum carnium; sed simplicem mannæ cibum, id est, puram et cœlestem vitam quærere. Alioquin si post præcepta, angelicam escam, mannaque cœlestis vitæ sive doctrinæ
B rursus carnes ægyptias, quæ sunt carnales hujus sæculi voluptates, et vetustorum concupiscentias vitiorum appetere voluerimus, statim ira Domini percussi torquebimur, desideria nostra vertentur in tumulos, ut simus sepulcra dealbata, quæ foris apparent hominibus speciosa, intus vero plena sunt omni spurcitia. In hac mansione Moyses mandato Dei septuaginta viros seniores ex populo delegit, qui ad regendam plebem ei adjutores forent: *Et sustinebunt*, inquit, *tecum impetum populi, et*
C *non feres illos tu solus.* Super quos postea Spi- Exod xi, 29.
ritus descendit, et prophetaverunt. Quod in typo factum est: quoniam Spiritus sanctus in die Pentecostes Apostolis se infudit, ut et ad fundandam Ecclesiam sapientes essent, et ad regendam fortes: *Attendite*, inquit, ut in actibus Apostolorum legitur, *vobis et universo gregi, in quo posuit vos Spiritus sanctus episcopos regere Ecclesiam Dei.* Actor. xx, 28.
Donum itaque virtutis cœlestis quod olim in Moyse et in Prophetis exstitit, super Apostolos visibiliter
D apparuit.

XIV^a^ *mansio*, Aseroth. — Decima quarta mansio in Aseroth consummatur: nam subjungit: *Et profecti ex Sepulcris concupiscentiæ, castrametati sunt in Aseroth.* De eadem mansione alibi Num. xxxiii, 17.
sic quoque legitur: *A Sepulcris concupiscentiæ profectus est populus in Aseroth.* Hic Aaron et *Ibid.*, xi, 34.
Maria soror, eo quod Moyses Æthiopissam alienigenam duxerat uxorem, satis ei procaciter obtrectarunt. Unde illa contagione lepræ illico perfusa
E ab aliorum consortio, ad sanitatis usque tempus ejecta fuit. Quod novi figuram mysterii prætulit evidentem: nempe quod sacerdotalis illa plebs patrum, zelo Christi Salvatoris nostri adversus Ecclesiam ex gentibus congregatam insurrectura foret. Quo perfidiæ impura livore in Dei tabernacula non admittenda veniret, donec præfinitum claruerit tempus, quo plenitudo gentium consummaretur, ut ad Romanos scripsit Apostolus. Nam tunc tantum Rom. xi, 25.
pristinam poterit recuperare sanitatem, cum septi-
F formis ei Spiritus gratia ad veniam fuerit suffragata. Verum quia Aseroth beatitudo interpretatur, merito a sepulcris concupiscentiæ in hanc stationem venitur: quoniam nisi carnis concupiscentias quis sepelierit, ad æternam beatitudinem pervenire non poterit. Idcirco inquit Apostolus: *Caro et sanguis regnum Dei possidere non possunt.* I Cor. xv, 50.

XV^a^ *mansio*, Rethma. — Decima quinta mansio dicitur Rethma. Ideo sequitur: *Et profecti ex Aseroth castrametati sunt in Rethma.* Verum Num. xxxiii, 18
G quia alibi legitur: *Et post hæc profectus est populus de Aseroth, et castrametatus est in deserto Pharan;* ne Scripturæ loca contrariari videantur, *Ibid.*, xiii, 2.
attendendum est quod hinc usque ad Asiongaber, mansiones omnes, quæ decem et octo enumerantur, omnes, inquam, sequentes ad trigesimam usque secundam, sub deserti Pharan nomine continentur. Appellatur ergo mansio hæc alibi, Pharan, com-

muni nomine solitudinis cum cæteris multis; sed Rethma voce propria. Scriptura in alio loco Pharan commendat, dicens: *Deus ab Austro veniet, et*
Habac. III, 2. *sanctus de monte umbroso Pharan.* Sub hoc deserto viros duodecim ad terram explorandam mandato Dei Moyses destinavit, qui botrum uvæ, mala
Num. XIII, 4. punica, et ficus terræ retulerunt. Sub hoc deserto Dathan, Abiron et Core filii cum eorum familiis hiatu terræ, ob seditionem sorbentur. Sub hoc deserto Aaron sacerdos inter viventes mortuosque medius constitutus, incensi oblatione Deum indignantem placavit, plagam cohibuit. Sub hoc deserto Aaron virga in tabernaculo arens posita, miraculo et germinavit et floruit; et alia plurima, prout in libro Numerorum legitur, gesta sunt, non tamen per singulas distributa mansiones. Per quæ mystice docemur quod viri ad explorandam uberem terram missi, et qui populum a promissa Domini hæreditate desperarunt, scribarum et pharisæorum prætulerunt imaginem: sicut enim illi a Moyse missi sunt ut fecunditatem soli consideratione sollicita tractantes, populum ad ejus adeptionem animarent: ita et isti per legem et Prophetas, ut Scripturarum investigatione Dominicum specularentur adventum, in quo vitam æternam consequi possent, constituti sunt: sed sicut illi a spe possidendæ hæreditatis retraxerunt, vel ipse populus eorum revelatione a Dei promissione se alienavit: ita et isti ne in Christum Dominum crederent, plebi fallaciis dissuaserunt. Ideo in eos dicitur: *Væ vobis qui tulistis clavem scientiæ: ipsi non introistis, et eos qui introibant, prohi-*
Luc. XI, 52. *buistis.* Botrum vero quem retulerunt, Christus est. Ideo in Canticis Canticorum dicit Ecclesia de Christo: *Botrus Cypri fraternus meus mihi in*
Cant. I, 13. *vineis Engaddi.* Malum punicum ob ejus ruborem sanguis Christi est. Unde Esaias: *Unde fulvor ve-*
Isai. LXIII, 1. *stium de Bosra?* Ficus ob ejus suavitatem lex
Matth. XI, 30. evangelica: ideo *jugum meum suave est.* Per Dathan et Abiron, qui aliud quam qui hæreses et schismata in ecclesiam introducunt, significantur? Ii sacerdotis auctoritate contempta, ab eo ei Dei Ecclesia se segregantes, alias ecclesias, aliud altare, alios mores, ut Apollinaris, Novatianus, et similes somniant: et Dei ordinatione rejecta, proprias conantur statuere vanitates: hæreticis tandem Schismaticisque terræ deglutitis voragine, Aaron sacerdos, id est, Christus Dominus sacerdos in æternum secundum ordinem Melchisedech constituitur medius ad placandum Deum: quia *ipse sempiternum habet sacerdotium, semper vivens ad interpel-*
Heb. VI, 24. *landum pro nobis.* Arida virga Aaron quæ postea miraculo germinavit, Christi caro est, quæ virga dicitur a propheta: *Egredietur virga de radice*
Isai. XI, 1. *Jesse.* Hæc arida floruit, quia mortua resurrexit.

XVI[a] *mansio*, REMON-PHARES. — Decima sexta mansio Remon-phares appellatur. Sequitur enim: *Et profecti ex Rethma, castrametati sunt in*
Num. XXXIII, 19 *Remon-phares.* Hæc est mansio secunda in deserto Pharan, quæ in nostra lingua divisio sublimis interpretatur: quia ubi quis in Rethma, quod est os videntis, commoratus est, hoc est, perfectam rerum adeptus est intelligentiam, venit ad Remon-phares, hoc est, ad sublimem divisionem, qua a terrenis cœlestia, et ab infimis sublimia separare potest. Nec immerito: nam vigorato intellectu, crescenteque rerum notitia, infunditur judicium, quo a temporalibus æterna, et a caducis perpetua

A discernuntur. Ideo per Prophetam dicitur: *Si eduxeris pretiosum a vili, quasi os meum eris.* Jerem. XV, 19.

XVII[a] *mansio*, LEBNA. — Mansio decima septima in Lebna agitur, quare subjungit: *Et profecti ex Remon-phares, castrametati sunt in Lebna.* Hac Num. XXXIII, 20.
mansione mystice docemur, quod in itinere hujus vitæ abluti corpore et mundi corde esse debemus, ut Apostolus ad Hebræos scribit dicens: *Accedamus cum vero corde in plenitudine fidei, aspersi corda a conscientia mala, et abluti corpus aqua*
B *munda.* Id ipsum namque Lebna vocis interpre- Hebr. X, 22.
tatio indicat: sonat enim latine Lebna idem quod dealbatio. Non est autem dealbatio, qua culpabiliter dicitur et paries dealbatus, et sepulcra dealbata; sed quam Propheta precatur, dicens: *Lavabis* Orig. hom. 27 in Num. ex vers. Ruf
me, et super nivem dealbabor, quam Dominus Ps. L, 9.
per Prophetam pollicetur dicens: *Si fuerint peccata vestra sicut phœnicium, quasi nivem dealbabo: et si fuerint sicut coccinum, velut lanam candida efficiam.* Hæc dealbatio ex candore ju- Isai. I, 18.
C dicii de Remon-phares, et claritate visionum de Rethma, ubi verus Israelita suas peragit mansiones, potenter exsurgit.

XVIII[a] *mansio*, RESSA. — Mansio decima octava in Ressa peragitur. Unde subjungit: *Et profecti ex Lebna, castrametati sunt in Ressa.* Mystice Num. XXXIII, 21
hac mansione docemur quod quamvis profecisse quis plurimum videatur, grandesque profectus fuerit consecutus, eum tamen tentationes non deserunt: tantum enim jam profecerat Paulus apostolus, ut
D et usque ad tertium cœlum raptus fuerit, audieritque arcana ineffabilia, nihilominus prodigiosis adhuc tentationibus urgeri se sentiebat. Unde querebatur: *Datus est mihi stimulus carnis angelus Satanæ, ut me colaphizet.* Tentationes tamen hu- II Cor. XII, 7.
jusmodi laudabiles esse Jacobus apostolus testatur, dicens: *Omne gaudium existimate, fratres, cum in varias tentationes incideritis,* hæ namque velut Jacob. I, 2.
custodia quædam homini adhibentur. Sicut enim caro quamvis præcipua sit, nisi sale aspergatur,
E corrumpitur: ita et anima, quantumvis perfecta, nisi assiduis saliatur tentationibus, relaxatur. Hoc Orig. hom. 27 in Num. ex vers. Ruf.
autem, quia Ressa, laudabilis tentatio interpretatur.

XIX[a] *mansio*, CALATHA. — Decima nona mansio Calatha dicitur: ad quam filii Israel Ressa abeuntes pervenerunt. Unde sequitur: *Et profecti de Ressa, castrametati sunt in Calatha.* Calatha sonat la- Num. XXXIII, 22.
tine virgam, et dominium significat, juxta illud: *Virga æquitatis: virga regni tui.* Merito autem Ps. XLVI, 7.
post Ressa sequitur Calatha: quoniam ubi anima
F in Ressa tentationes superavit, ita fortis evadit ut ascendat Calatha, hoc est, ut dominium acquirat nedum inferiorum suarum virtutum, sed et totius mundi. Huc ascenderat Apostolus, quando dixit: *Mihi mundus crucifixus est, et ego mundo.* Ca- Galat. VI, 14.
strametemur igitur et nos in hanc mansionem, ut carnem cum vitiis et concupiscentiis crucifigentes, et facta ejus mortificantes, dicamus cum Apostolo: *Quod autem vivo in carne, in fide vivo Filii Dei.* Ibid., II, 20.

XX[a] *mansio*, ARSAPHAR. — Mansio vigesima est
G in Arsaphar. Ideo dicit: *Et profecti de Calatha, castrametati sunt in Arsaphar.* Animosa statio Num. XXXIII, 23.
ista est; ad ardua quippe nos invitat, nempe ad bella, et bella asperrima, et contra fortissimos et sævissimo hostes. De quibus dicebat Apostolus: *Non est nobis lucta adversus carnem et sanguinem, sed adversus principatus et potestates hujus mundi, adversus tenebrarum harum rectores,* etc. Ephes. VI, 12.

A quibus urgeri, vimque sibi inferri, idem Apostolus sentiebat; unde dixit: *Infelix ego homo, quis me*
Rom. VII, 24. *liberabit de corpore mortis hujus?* Hoc autem, quia Arsaphar tubæ clangor, sive tubicinatio est, quod est belli signum. Nec immerito; quoniam anima superioribus mansionibus, tot tantisque virtutibus se cernens armatam, contineri non potest, quin procedat in medium, et se ad certamina nedum offerat, sed paratam se præferat: quin et tubarum clangor reliquos etiam cum Propheta provocet, dicens: *Assumite arma, scuta adducite in prælium, sternite equos, ascendite equites, polite*
Jerem. XLVI, 4. *lanceas.* Immo cum alio propheta dicat: *Prædicate hoc in gentibus, sanctificate bellum, susci-*
Joel. III, 9. *tate pugnatores, accedite, viri bellatores.* Hoc bellum tractarunt et vicerunt patres, ut refert Apostolus ad Hebræos: *Obturaverunt ora leonum, extinxerunt impetum ignis, effugaverunt aciem*
Hebr. XI, 33. *gladii, fortes facti sunt in bello.* Plena igitur roboris ac spiritus hæc mansio est.

XXI[a] *mansio*, ARADA. — Vigesima prima mansio Arada est; ideo dicit: *Et profecti ex Arsaphar,*
Num. XXXIII, 24. *castrametati sunt in Arada.* Hæc quoque mansio longis est præconiis recolenda. Arada namque idoneum effectum indicat. Adest pulcher ordo; sed observandi sunt proficientium gradus, et series profectuum inspicienda est. Nam ubi anima tentationes superavit, vires inferiores premere audet; et ubi super eis imperium habere se conspicit, adversariis potestatibus insultat, earumque potentias nedum non timet, sed ad certamen provocat. Nunc autem de victoria secura ascendit in Arada, id est, gloriatur in Domino se idoneam effectam, et dicit cum Apostolo: *Sufficientia nostra ex Deo est, qui*
II Cor. IV, 5, 6. *et idoneos nos fecit ministros novi Testamenti.* Oremus igitur Deum, ut et nos ad Arada pervenire, et ibi stationem habere valeamus.

XXII[a] *mansio*, MACELOTH. — Mansio vigesima secunda dicitur Maceloth; idcirco subjungit: *Et profecti de Arada, castrametati sunt in Mace-*
Num. XXXIII, 25. *loth.* Maceloth interpretatur ab initio, per quod innuitur quod qui tendit ad perfectionem, vel eam aliquo modo assecutum se sentit, ad rerum initium, a quo universa dependent, respicere, ad ipsumque
Orig. loco supr. cit. cuncta referre debet, nec ab eo umquam recedere. Deus est principium et finis, ut in Apocalypsi scribitur: *Ego sum principium et finis, dicit Do-*
minus Deus qui est, et qui erat, et qui venturus
Apoc. I, 8. *est omnipotens.* Ideo ad Deum reducenda sunt omnia. Hunc ut principium recognoscebat propheta, dum dixit: *Nonne tu a principio, Domine Deus*
Habac. I, 12. *meus sancte.* Hunc recognoscebat Apostolus dicens: *Fleto genua mea ad Patrem Domini nostri Jesu Christi, ex quo omnis familia in cœlis et in terra*
Ephes. III, 14. *nominatur.*

XXIII[a] *mansio*, THAATH. — Mansio vigesima tertia est Thaath; ideo sequitur: *Et profecti de*
Num. XXXIII, 26 *Maceloth, castrametati sunt in Thaath.* Verum quia Thaath longanimitatem seu tolerantiam latine significat, per ipsam indicatur nobis, quod qui in via Dei proficere, aliisque prodesse contendit, multa pati, multa æquanimiter perferre necesse est. Idcirco apostolis dicitur: *In patientia vestra possi-*
Luc. XXI, 19. *debitis animas vestras.* Ad tolerantiam nos invitat Apostolus, præcedentium patrum, Christique exemplum proponens. Inquit enim: *Ideoque et nos tantam habentes impositam nubem testium, deponentes omne pondus et circumstans peccatum,*

A *per patientiam curramus ad propositum nobis certamen, aspicientes in auctorem fidei et consummatorem Jesum Christum.* Dominus enim no- Heb XII, 1.
ster Jesus Christus multa erga homines mansuetudinis, tolerantiæ malorum, prout dilucide recensentur in Evangeliis, exempla, quo ejus sequeremur vestigia, ut Petrus apostolus dicit, nobis exhibuit. I Pet. II, 21.

XXIV[a] *mansio*, THARE. — Mansio vigesima quarta dicitur Thare; sequitur namque: *Et profecti de Thaath, castrametati sunt in Thare.* Num. XXXIII, 27.
B Thare latine interpretatur stupor, græce ἔκστασις, quæ est vehementis cujusdam admirationis species, ex arduarum et insolitarum rerum visione proveniens. Nam cum aliqua insolita, naturæ vero impossibilia humano se offerunt obtutu; quia in investigatione hujusmodi causæ sensus deficiunt, et ratio succumbit, mens stupet. Quod Daniel clarius expressit, dicens: *Stupebam visionem, et non erat intelligens.* Unde cum paralyticum qui portabatur Dan. VIII, 27
a quatuor, ad solam Domini vocem surrexisse, lectum in quo jacebat, tulisse, et in domum suam
C abiisse intuitus esset populus; quia hoc supra facultatem erat hominis, obstupuit. Ideo dicit sanctus Lucas: *Et stupor apprehendit omnes.* De hoc Luc. V, 26.
agens Hieremias propheta, ait: *Stupor et horribilia facta sunt in terra.* Et quia in iis mansio- Jerem. V, 30.
nibus multa præclara et admirabilia edita sunt opera, quorum causas non potest humana mens ratione comprehendere, ideo tandem venitur in Thare, hoc est, in stupore; sic enim interpretatur.
D Unde scriptum est: *Stupebant autem omnes super magnalia Dei.* Luc. IX, 44.

XXV[a] *mansio*, METCHA. — Mansio vigesima quinta agitur in Metcha; ideo dicit: *Et profecti de Thare, castrametati sunt in Metcha.* Metcha Num. XXXIII, 28
latine dicitur nova mors. Ut autem intelligatur quæ sit nova mors, est observandum quod triplicem mortem legimus in Scripturis. Una est mors corporis, qua terrestris domus nostra hujus habitationis, ut Apostoli utar verbis, dissolvitur, et a
E corporis tabernaculo anima recedit. De hac scribit Apostolus: *Statutum est hominibus semel mori.* II Cor. V, 1
Abraham et prophetæ mortui sunt; hac morte omnes moriemur, et sicut aqua effusa super terram, non congregabimur. Alia mors est animæ, qua peccati contagio anima confecta moritur, non quidem in sui substantia, quæ mori nescit, sed in Dei vivificatrice gratia. Nam demerito peccati, Deo recedente, spiritalem anima vitam amittit. Unde dicit Apostolus: *Quæ vivens mortua est.* Mori II Tim. V, 6
F autem tunc per peccatum dicitur, quia *anima quæ peccaverit, ipsa morietur.* Morietur autem Ezech. XVIII, 4.
Domino non naturæ infirmitate, sed demerito culpæ, quæ non est ab hac vita recessus, sed lapsus erroris. Tertio est culpæ, qua carnis concupiscentia moritur, ut mens Deo vivat; de qua Apostolus: *Vetus homo noster simul crucifixus est, ut destruatur corpus peccati, ut ultra non serviamus peccato.* Nec id immerito; nam sicut mortuus vita Rom. VI, 6.
non est amplius obnoxius culpæ, sic renatus per
G gratiam non debet ulterius servire peccato. De qua morte loquitur Apostolus, dicens: *Mortui enim estis, et vita vestra abscondita est cum Christo in Deo.* Hujusmodi mortuos redarguens idem Apo- Coloss. III, 3.
stolus, dicit: *Si mortui estis cum Christo ab elementis mundi, quid tamquam viventes in mundo decernimini?* Una igitur mors est naturalis, alia Ibid., II, 20.
pœnalis, tertia spiritalis. Hanc postremam designat.

Metcha, quæ nova mors dicitur; quia veterem innovat hominem, et novam facit creaturam, dicente Apostolo: *Vetera transierunt, ecce facta sunt*
II Cor. v, 17. *omnia nova.* Itaque et nos hic mansionem faciamus, ut peccatis mortui, justitiæ perpetuo vivamus.

XXVI^a *mansio*, Esmona. — Mansio vigesima sexta Esmona nuncupatur; nam dicit: *Et profecti*
Num. xxxiii, 29. *ex Metcha, castrametati sunt in Esmona.* Esmona latine dicitur acceleratio, quod congrue huic mansioni aptatur. Nam ubi anima morte peccati per superiorem stationem in novam evasit creaturam, sistere animo non potest, non otio torpere; sed ulterius progredi, et accelerare iter contendit. Viatoribus autem celeritas aptissima est: ea propter populo patrum manducare pascha præcipitur, et festinanter. Hinc apostolis mandatum est: *Nemi-*
Luc. x, 5. *nem per viam salutaveritis.* Sic Elisæum in Regnorum libro Giezi injunxisse legitur: *Accinge*, inquit, *lumbos tuos, et tolle baculum meum in manu tua, et vade: et si inveneris aliquem, non benedicas ei, et si benedixerit tibi quispiam,*
IV Reg. iv, 29. *non respondeas ei:* nam opus Dei præproperam etiam festinationem exigit. *Maledictus*, inquit Pro-
Jerem. xlviii, 10. pheta, *qui facit opus Dei negligenter.* Ideo discipulus ille, qui citius Petro ad monumentum præ-
Joan xx, 4. cucurrit, immodice commendatur. In via Dei vel festinam oportet progressionem esse, ut diabolo, qui stat semper a dextris, quo sanctis adversetur, cœptum iter impediendi spatium non relinquatur. Nos igitur qui peccatis mortui, justitiæ per Metcha vivimus, non sequamur modo ad palmam supernæ vocationis; sed in Esmona curramus, festinantes ad propositum nobis certamen. Festinantes namque
Luc. ii, 16. pastores venerunt, et invenerunt puerum Jesum.

XXVII^a *mansio*, Moseroth. — Mansio vigesima septima appellatur Moseroth; dicit enim: *Et pro-*
Num. xxxiii, 30. *fecti ex Esmona, castrametati sunt in Moseroth.* Congrue nunc Moseroth succedit: significat enim disciplinas, ut qui festinationem in Esmona sibi adscivit, eam modo ad comparandas disciplinas sapienter accersat: *Et sit*, quod Jacobus apostolus
Jacob. i, 19. docet, *omnis homo velox quidem ad audiendum.* Deus disciplinæ hujus auctor est: dicitur enim per prophetam: *Quis ascendit in cœlum, et accepit eam, et eduxit eam e nubibus? Quis transivit trans mare, et invenit eam, et afferet eam auro electo? Non est cognoscens viam ejus, neque qui consideret semitas ejus: sed sciens omnia co-*
Baruch. iii, 29 et seq *gnoscit eam, et adinvenit eam prudentia sua.* Ideo ab ipso expetenda est, dicente Jacobo apostolo: *Si quis vestrum indiget sapientia, postulet*
Jacob. i, 5. *a Deo qui dat omnibus affluenter.* Hæc Deum, ejusque opera revelat. Doctrix, inquit Salomon, est Dei disciplina, et electrix operum illius, ejus custodia virga correctionis est. Scriptum est enim:
Prov. xxix, 15. *Plagæ et correptiones dant sapientiam.* Legitur in Numeris hominem quemdam in die sabbati ligna colligentem comprehensum fuisse, coram Moyse et senioribus sisti mandatum, et tandem jussu Dei morte punitum, lapidibus obrutum: *Morte*, inquit, *moriatur homo, lapidabitis eum lapidibus omnis*
Num. xv, 35. *congregatio extra castra.* Quod in hac mansione aliqui factum putant. Hinc Apostolus quoque dicebat: *Peccantem coram omnibus argue, ut cæ-*
I Tim. v, 20. *teri timorem habeant.* Habeamus igitur stationem in Moseroth, id est, correptionum mortificatione in disciplina Dei contineamur.

XXVIII^a *mansio*, Banejacham. — Vigesima

A octava mansio in Banejacham peragitur; inquit enim: *Et profecti de Moseroth, castrametati sunt in Banejacham.* Qui in Dei disciplina stationem Num. xxxiii, 31
habet, studium omne, omnemque operam, ut ne minimum quidem ex ipsa Dei lege violatum intercidat, sedulo impendere debet; et ut Salvator ait, *ne jota unum, aut unus apex* a Lege prætereat. Matth. v, 18.
Debet enim illud evangelii mente perpetuo retinere, quo dicitur: *Dico tibi, non exies inde, donec etiam minimum quadrantem reddas.* Nam sicut Ibid., x, 26.
B non prius fœnoris debitum evacuatur, quam totius sortis ad minimum usque nummulum quocumque solutionis genere quantitas universa solvatur; sic nec peccati pœna, nisi charitatis reliquarumque compensatione virtutum, vel stricta satisfactione dissolvitur. Non eluitur peccatum, fratres, nisi pœnis tamdiu noxius exerceatur, ut commissi supplicia erroris expendat. Dicebat Jacobus apostolus: *Qui totam Legem servaverit, offendat autem in uno, factus est omnium reus.* Ponderanda est Jacob. ii, 10.
C quoque illa Dei sententia, quæ in Lege scripta est: *Ego sum Dominus Deus tuus, Deus zelotes.* Lex Exod. xx, 5.
igitur Dei exactissima quaque censura est examinanda, ne ab ea forte excidamus. Hoc nos præsens mansio docet: Banejacham enim excolationem designat. Qui autem legem Dei percolat, ne minima quidem vel syllaba vel apex negligenter labatur, diligenter observat.

XXIX^a *mansio*, Gadgad. — Vigesima nona mansio habetur in monte Gadgad; dicit namque:
D *Et profecti de Banejacham, castrametati sunt in monte Gadgad.* Tentatio animæ fideli custodia, Num. xxxiii, 32.
fortitudo et virtutis argumentum est: nam anima justi, nisi tentationibus interdum se urgeri sentiret, nedum in custodia non maneret, quin potius tamquam gratiarum copia diffluens relaxaretur. A Moyse sancto documentum hoc clare habetur. Dum populus lampades et montem fumigantem cerneret, vocesque audiret, et territus a Domino fugeret, dixit Moyses: *Confidite, causa enim tentandi vos*
E *venit Deus ad vos; ut sit timor ejus in vobis, et non peccetis.* Dicitur quoque fortitudo; nam Exod. x, 20.
anima a multiplicibus se tentamentis septam agnoscens, cautius incedit, et majorem a Domino virtutem postulat, dicens cum Propheta: *Miserere mei, Deus, quoniam multi bellantes adversum me.* Virtutis vero augmentum, quatenus anima Ps. lv, 2.
tentationibus exercita purior egreditur. Ideo Salomon in Proverbiis dicit: *Sicut probatur in camino argentum et aurum, sic electa corda apud*
F *Dominum.* Tentationibus animam proficere sanctus Prov. xvii, 3.
quoque Jacobus apostolus testatur dicens: *Beatus vir qui suffert tentationem; quoniam cum probatus fuerit, accipiet coronam vitæ.* Sunt igitur Jacob. i, 11.
non fugiendæ, sed expetendæ tentationes; unde David propheta dicit: *Proba me, Domine, et tenta me.* Progredientibus ergo in via Domini tentamenta Ps. xxv, 2.
frequentius ingeruntur, ut cautius fructuosiusque incedant. Hoc nobis mansio hæc insinuat; nam Gadgad tentamenta interpretatur. Ne igitur tan-
G tarum copia virtutum superiorum mansionum viator diffluerent vel laberetur, superiori ista mansio succedit.

XXX^a *mansio*, Jethebatha. — Mansio trigesima celebratur in Jethebatha; unde sequitur: *Et profecti de monte Gadgad, castrametati sunt in Jethebatha.* Tentationum experimento virtus justi, Num. xxxiii, 23.
ut in superiori mansione dictum est, magis con-

spicua, clariorque elucescit. Hinc etiam Petrus apostolus, *Exultabitis*, inquit, *si oportet contristari variis tentationibus; ut probatio vestræ fidei multo pretiosior auro, quod per ignem probatur, inveniatur.* Majorem etiam per illud acquirit gratiam; ideo in libro Sapientiæ scriptum est: *Probata autem virtus corripit insipientes.* Per illud in medio etiam nationis pravæ latens exerit se virtus et lucet; ideo apostolus Paulus ad Corinthios inquit: *Oportet hæreses esse, ut qui probati sunt, manifesti fiant in vobis.* Sincerior bonitas e tentationibus prodit, sicut purius argentum e camino ignis; inquit enim Scriptura: *Quoniam in igne probatur argentum, et homines receptibiles in camino humilitatis.* Cum igitur purior e tentamento bonitas veluti e camino exeat, merito nunc Jethebatha, quæ bonitas interpretatur, succedit.

1 Pet. I, 6. Sap. I, 3. Cor. XI, 19. Eccles. II, 5.

XXXI^a *mansio*, Ebrona. — Mansio trigesima prima agitur in Ebrona; ideo dicit: *Et profecti de Jethebatha, castrametati sunt in Ebrona.* Justus quamvis in hac vita ad bonitatem etiam perfectam devenerit, haud tamen animo sistit, nec præsenti contentatur statu; quin potius cuncta pertransiens, flagranti etiam desiderio ad meliora contendit. Hinc David propheta dixit: *Hæc recordatus sum, et effudi in me animam meam; quoniam transibo in locum tabernaculi admirabilis, usque ad domum Dei.* Ibi vero quiescet, ibi implebitur omne ejus desiderium. Ideo alio in loco idem propheta dixit: *Satiabor, Domine, cum apparuerit mihi gloria tua.* In hac vita non quies, sed perennis est transitus. Quare sponsus in Canticis canticorum ob cursus pernicitatem capræ hinnuloque cervorum assimilatur; unde et salit super montes, et transilit super colles. Hoc nos docet mansio ista, quoniam Ebrona transitus est; ut quamvis ad bonitatem per superiorem mansionem perveneris, omnia tamen sunt prætereunda: oportet te ad meliora transire, quousque venias ad illud bonum, quod est summum, et quod omne satiat desiderium, et in quo perpetuo permanere debeas.

Num. XXXIII, 34. Ps. IV, 5. Ibid., XVI, 15. Cant. II, 9. Orig. loco cit.

XXXII^a *mansio*, Asiongaber. — Mansio trigesima secunda dicitur Asiongaber, quo filii Israel applicuerunt; unde sequitur: *Et profecti de Ebrona, castrametati sunt in Asiongaber.* Postrema filiorum Israel in deserto Pharan statio hæc est; nam ut in superioribus diximus, plurimas ambiens mansiones illa solitudo hucusque protenditur: interpretatur vero Consilia viri. Et recte intentioni quadrat: quoniam qui tantas peregit mansiones, tot virtutum penetravit sinus, tot charismatum spiramina sensit, tot se studiis perfectionum exercuit: jam desiit esse puer sensibus, jam ad mensuram ætatis plenitudinis Christi pervenit, jam crevit in virum perfectum. Et ideo viri consilia adeptus est, ut cum Apostolo dicat: *Cum autem factus sum vir, quæ parvuli erant, deposui.* Quin potius altum adeptus est consilium, quia Salomon in Proverbiis dicit: *Aqua profunda consilium in corde viri.* De consilio isto Sapiens dicebat: *Sine consilio nihil facias, et in faciendo ne te pœniteat.* Quod non est illud, de quo queritur Dominus, per prophetam dicens: *Væ filii apostatæ! hæc dicit Dominus: Fecistis consilium non per me, et pactum, non per Spiritum meum.* Sed illud de quo sapiens: *Cognitio sapientis tamquam inundatio abundabit, et consilium illius sicut fons purus vitæ, quod custodit a malo;* quia consilium bonum custodiet te, cogitatio autem sancta servabit te. Huc ergo incunctanter pergamus, et nostra hic alacres tentoria erigamus; ut Deo in toto corde nostro, sicut David in concilio justorum et congregatione, confiteri valeamus.

Num. XXXIII, 35. I Cor. XIII, 11. Prov. XX, 5. Eccl. XXXII, 24. Isai. XXX, 1. Eccl. XXI, 16. Ps. CX, 1.

XXXIII^a *mansio*, Sin. — Mansio trigesima tertia est in deserto Sin; quare subjungit: *Et profecti de Asiongaber, castrametati sunt in deserto Sin.* Octava mansio supra eodem quoque nomine nuncupatur; inquit enim: *Et profecti a mari Rubro, castrametati sunt in deserto Sin.* Sed attendendum quod hic locus alius ab illo est; ideo infra subjungitur: *De deserto Sin, hæc est Cades.* Et alibi, dum populus in hac moraretur mansione, mittens nuntios Moyses ad regem Edom, *Et nunc sumus,* inquit, *in Cades civitate, ex parte finium tuorum.* Hanc meminit David propheta, dicens: *Et commovebit Dominus desertum Cades.* Hic Maria Moysi soror diem suum obivit, mortua et sepulta est, ut supra legitur. Quod Josephus quoque describit dicens: *Tunc itaque sororem ejus Mariam finis vitæ accepit, cum quadragesimum complesset annum, ex quo Ægyptum dereliquit: sepelieruntque eam publice nimis splendide.* Hic denique penuria aquæ laborat populus; quare iratus tumultuatur in Moysen: a quo petra jussu Dei mirabili virga percussa, aqua manavit copiosa; unde bibentibus cunctis cupiditas sitis ablata est.

Num. XXXIII, 36. Ibid., XX, 1. Ibid., 14. Ps. XXVIII, 8. Lib. IV Antiqq. c. 4.

XXXIV^a *mansio*, Hor. — Mansio trigesima quarta est in monte Hor; dicit enim: *Et profecti de deserto Sin, hæc est Cades, castrametati sunt in Hor monte prope terram Edom.* Stationem apud Cades in deserto Sin filiis Israel agentibus, Moyses ad Idumæorum regem, ut per illius fines viam sibi una cum suo populo concederet, legatos misit; certiorem tamen eum facturos, ut nec aquam sine pretio sibi exhiberi posceret. Ille vero petitioni non consentiens, nec transitum cedens, respondit: *Non transibis per me, alioquin bello in occursum tibi exibo.* Quare populus mandato Dei, ut in Deuteronomio habetur, ab eo declinavit; et de Cades egressus ad Hor montem pervenit, et hanc quam legimus, habuit mansionem. Ubi juxta Domini præceptum Aaron cum Moyse fratre et Eleazar filio in Hor montem ascendit: ubi Moyses, verbo Dei pontificalibus Aaron indumentis nudato, Eleazar filium, cui propter ætatem pontificatus obveniebat, universo vel mirante populo, qui ex adverso stabat, protinus vestivit. Ibique Aaron vita functo, ad suumque populum apposito, Eleazar filius sacerdos pro Aaron patre suo declaratus est. Memorabilis est igitur ista mansio.

Num. XXXIII, 37. Ibid., XX, 13. Ibid., 27 et seq.

XXXV^a *mansio*, Salmona. — Mansio trigesima quinta habetur in Salmona: nam sequitur: *Et profecti ex Hor monte, castrametati sunt in Salmona.* Egressus ex Hor monte populus, non rectam quam cœperat, prosecutus est viam; sed Edom terram circumiens, mare Rubrum versus iter arripuit; ut juxta verbum Domini, fratres suos bello non incesseret, nec prorsus lederet: inquit enim: *Ne moveatis contra ipsos bellum.* Tot igitur viarum fatigatus anfractibus, manna pertæsus, locutus est, inquit, contra Deum et Moysen. Quare iratus Dominus virulentos lethiferosque serpentes, qui morsu internecabant, in populum immisit; unde periit populus multus nimis. De quibus meminit etiam Apostolus, dicens: *Neque tentemus Christum, sicut*

Num. XXXIII, 38. Deut. II, 5.

quidam eorum tentaverunt, et a serpentibus pe-
I Cor. x, 9 *rierunt.* Tunc oranti Moysi pro serpentum exstinctione, respondit Deus: *Fac tibi serpentem æneum, et pone illum pro signo: et omnis morsus videns*
Num. xxi, 8 *illum, vivet.* Fecit Moyses juxta mandatum Domini, et populus a plaga liberatus est. Verum quia Salmona interpretatur umbra, factum istud mansioni recte aptatur. Serpens namque ligno suspensus, typus et umbra Christi fuit pro salute nostra in cruce pendentis, sicut ipse exponit in Evangelio, dicens: *Sicut Moyses exaltavit serpentem in deserto; ita exaltari oportet filium hominis; ut omnis qui credit in eum, non pereat, sed habeat*
Joan. iii, 14. *vitam æternam.* Frequentemus igitur nos stationem istam, ut aspiciamus Christum pro mundi salute in cruce pendentem; quoniam salutaris est.

XXXVI[a] *mansio,* Phinon. — Mansio trigesima sexta Phinon nuncupatur; dicit namque: *Et pro-*
Num xxxiii, 42. *fecti de Salmona, castrametati sunt in Phinon.* Linguæ moderationem inter ea quæ homini non minus necessaria quam difficilia sunt, sanctus Jacobus apostolus fuso enumerat sermone, dicens: *Si quis in verbo non offendit, hic perfectus est vir, potens freno circumducere etiam totum*
Jacob. iii, 2. *corpus.* Ecce equis frena in ora mittimus, ad consentiendum nobis, et omne corpus illorum circumferimus. Ecce et naves, cum tam magnæ sint, et a ventis validis minentur, circumferuntur a modico gubernaculo, quocumque impetus dirigentis voluerit. Ita et lingua modicum membrum est, et magna jactat. *Ecce parvus ignis quam magnam silvam incendit! Et lingua ignis est, universitas*
Ibid. 5. *iniquitatis;* et cætera quæ tibi sanctus apostolus disserit ad propositum facientia. Si tot mala homini e lingua immineant, quis illam moderatione non indigere, dicere audebit? Ideo Sapiens id præcipit, dum dicit: *Circumvalla possessionem tuam spinis, et ori tuo fac januas et seras: argentum tuum et aurum tuum confla, et sermonis tui fac*
Eccl. xxviii, 29. *stateram, et ori tuo fac portam et seram.* Verum cum statera, porta et sera pro lingua non facile ei occurreret, dicebat idem Sapiens: *Quis dabit mihi super os meum custodiam, et super labia*
Ibid., xxii, 33. *mea signaculum?* David vero propheta a Domino hæc dona præstari agnoscens, Dominum his precabatur verbis: *Pone, Domine, custodiam ori*
Ps. cxl, 3. *meo, et ostium circumstantiæ circum labia mea.* Linguæ moderatio in hac mansione suam habet sedem. Nam Phinon oris parcimonia interpretatur. Curemus igitur et nos nostram hic stationem habere; ut quæ, quando, quomodo et quibus loqui deceat, scire valeamus; et os nostrum meditetur
Ibid., xxxvi, 30. sapientiam, et lingua nostra judicium loquatur.

XXXVII[a] *mansio,* Oboth. — Mansio trigesima septima dicitur Oboth, quo demum filii Israel applicuerunt; sequitur ergo: *Et profecti de Phinon,*
Num. xxxiii, 43. *castrametati sunt in Oboth.* De hac mansione alibi legitur: *Et profecti filii Israel, castrametati sunt*
Ibid., xxi, 11. *in Oboth.* Verum attendendum quod majora perniciosioraque tentamenta, quibus anima in hac vita impugnatur, dæmonum illusiones, magorumque ac pythonum præstigia omnium consensu æstimantur. Ii namque maleficiis magicisque artibus, ut divinitatis culturam ab hominum cordibus eliminent, ea efficere protestantur, quæ divinæ tantum naturæ sunt possibilia. Unde ejus potestati perpetuo resistere audent. Sed tandem vanitatibus eorum detectis, artibusque profligatis, virtus semper divina supereminet. Magi coram Pharaone Moysi resistere audebant, suasque virgas fieri dracones contendebant. Sed tandem Moysi virga Dei providentia et virtute in colubrum versa, in magorum dracones insiliens, eos illico devoravit. Nam a Exod. vii, 10 et seq.
Moyse non errore, non præstigiis, sed veritate ista fiebant; ideo mirabili potentia subsistebant. Legitur etiam in Actibus Apostolorum, quod dum prædicaret Actor. xiii, 8 et seq.
Paulus apostolus coram Sergio proconsule, qui verbum Dei audire cupiebat, *resistebat,* inquit, *Elymas magus, quærens avertere proconsulem a fide.* Denique dum ab Apostolo argueretur, cœcus effectus est, ita ut circumiens, inquit, quæreret qui ei daret manus. Ideo in Lege eorum commercium caveri præcipue jubetur; inquit enim: *Anima quæ secuta fuerit ventriloquos vel incantatores, ut fornicetur post eos; ob firmabo faciem meam contra animam illam, et perdam illam de populo suo.* Hæc statio ad magos perdendos colitur: nam Levit. xx, 6.
Oboth in magos interpretatur. Adeamus igitur et nos ad Oboth, erigamus ibi tabernacula nostra; ut in protectione Dei cœli commorantes, non timeamus *a timore nocturno, non a sagitta volante in die, non a negotio perambulante in tenebris, nec ab incursu et dæmonio meridiano.* Ps. xc, 2, 6.

XXXVIII[a] *mansio,* Jeabarim. — Mansio trigesima octava vocatur Jeabarim; sic enim habetur: *Et profecti ex Oboth, castrametati sunt in Jeabarim, in eo quod ultra, in finibus Moab.* De Num. xxxiii, 44.
hac mansione in alio loco clarius legitur: *Et discedentes,* inquit, *ex Oboth, castrametati sunt in Jeabarim, in deserto quod est in conspectu Moab, ad orientem solis.* Propter quod meminisse oportet Ibid., xxi, 11.
quod Idumæi, ut in superioribus diximus, per eorum terras transitum filiis Israel præstare hostiliter recusarunt. Unde divertentes ab eis, Moabitarum fines circumire coacti fuerunt. Hinc dicitur quod in finibus Moab ad orientem venerunt. Jeabarim vero Acervum lapidum transeuntium sonat, quod est Ecclesia justorum. Lapides enim transeuntes justi sunt. Ii namque propter eorum firmitatem lapides appellantur, de quibus Petrus apostolus scribit dicens: *Et ipsi tamquam lapides vivi superædificamini domus spiritalis.* Justis vero firmitas recte adscribitur, eo quod ipsi nec fluctuent, I Pet. ii, 5.
nec circumferantur omni vento doctrinæ; unde in Evangelio domui supra firmam petram fundatæ, in quam *descendit pluvia, venerunt flumina, flaverunt venti, et non cecidit,* comparantur. Transeuntes etiam dicuntur; quia secundum Apostolum Matth. vii, 2.
confitentur quod *hospites et advenæ sunt super terram.* Denique merito Ecclesia dicitur acervus Hebr. i, 13.
lapidum; quia *ipsa est columna et firmamentum veritatis.* Habeamus igitur et nos stationem in I Tim. iii, 15.
Jeabarim, ut secundum apostolum Paulum, *teneamus propositam spem, sicut anchoram animæ tutam ac firmam, et incedentem usque ad interiora velaminis;* ut juxta apostolum quoque Petrum, Hebr. vi, 19.
præscientes caveamus, ne errore nefariorum abducti, excidamus a propria firmitate. II Pet. iii, 17.

XXXIX[a] *mansio,* Dibongad. — Mansio trigesima nona habetur in Dibongad; sic enim legitur: *Et profecti ex Jeabarim, castrametati sunt in Dibongad.* Verum de hac mansione longe diver- Num. xxxiii, 45.
sum in alio loco legi videtur: nam scriptum est: *Et discedentes ex Oboth, castrametati sunt in Jeabarim, in deserto quod est in conspectu Moab, ad orientem solis. Inde discesserunt, et castra-*

Num. XXI, 11. Orig. loco cit. *metati sunt in valle Zared:* hæc ibi. Si ergo in valle Zared castrametati sunt, dices: Quomodo in Dibongad? Verum ibi locus communis; hic vero proprius exprimitur. Est enim Dibongad circa vallem Zared, quæ est inter fines Amorrhæorum et Moabitarum. Mystice vero Dibongad Apiarium tentationum significat. Quo docemur quod quamvis justus perfectionis vel summæ proximus existat, haud tamen ei tentationes desunt. Quod est divinæ cautela providentiæ, ne a recto deflectendi bonis successibus ansam arripiamus. Hinc Job dicebat: *Beatus homo quem corripuit Dominus: increpationem Omnipotentis ne renuas.* Job. V, 17. Quod et si dum in carne sumus, tentationes nobis amaræ videntur, mirifice nihilominus ad futuram nobis vitam proficiunt, dicente Apostolo: *Omnis quidem disciplina in præsenti videtur non esse gaudii, sed mœroris: postea autem fructum pacatissimum exercitatis per eam reddet justitiæ.* Hebr. XII, 11. Accedamus ergo nos, et in hanc mansionem ingredi festinemus; scientes quod a Domino interdum corripimur, ne cum hoc mundo damnemur. I Cor. XI, 32. Certam quoque spem habeamus, quod *non patietur nos Deus supra id quod possumus, tentari: sed faciet cum tentatione proventum, ut possimus sustinere.* Ibid., X, 13.

XL[a] *mansio*, ELMON DEBLATHAIM. — Mansio quadragesima in Elmon Deblathaim a filiis Israel peragitur; sic enim scribitur: *Et profecti ex Dibongad, castrametati sunt in Elmon Deblathaim.* Num. XXXIII, 46. Vox hæc Elmon Deblathaim sicut est duplex, ita et duo indicat, nempe Contemptum ficum, hoc est, contemptum terrenæ dulcedinis; ficus namque dulcedinem ostendunt. Unde Hieremias propheta vidit ficus bonas, bonas valde. Jerem. XXIV, 3. Et Salvator noster esuriens, scribarum pharisæorumque amaritudines deserens, accessit ad arborem fici, ut saltem in plebe aliquam inveniret dulcedinem; et cum non invenisset nisi folia tantum, maledixit ei, dicens: *Numquam ex te fructus nascatur.* Matth. XXI, 19. Contemptus ergo terrenarum delectationum ad cœlum properanti apprime necessarius est. Nam nisi voluptatum illecebras, et ea quæ in terris delectare videntur, neglexerimus, ad cœlestia nos ipsos erigere non possumus. Ideo Apostolus admonet, dicens: *Quæ sursum sunt sapite, non quæ super terram.* II Coloss. III, 2. Immo sapere terrena, confusio est. Ita scribit Apostolus: *Gloria in pudendis ipsorum, qui terrena sapiunt.* Philip. III, 19. Verum quia *nostra conversatio in cœlis est, qui cum Christo surreximus,* Ibid., 20. omni cordis alacritate calcatis mundi illecebris, in ejus mansionis tabernacula ingrediamur, *quæ sursum sunt quærentes, ubi Christus est in dextera Dei sedens;* Coloss. III, 1. contendamusque sive absentes sive præsentes placere Domino Deo nostro.

XLI[a] *mansio*, ABARIM. — Mansio quadragesima prima fit a filiis Israel in montibus Abarim; nam sequitur: *Et profecti ex Elmon Deblathaim, castrametati sunt super montes Abarim contra Nebo.* Num. XXXIII, 47 Verum longe alienum videtur huic, quod alio in loco de hac mansione legitur. Nam inquit: *Castrametati sunt in valle Zared; inde descendentes, castrametati sunt trans Arnon in deserto, quod eminet a finibus Amorrhæorum.* Ibid., II, 12, 13. Ex quibus verbis videtur quod filii Israel non in montibus Abarim, sed in deserto trans Arnon mansionem post Elmon habuerint. Sed nulla est diversitas, quoniam Abarim in deserto est trans Arnon. Quod ergo alibi sub communi, hic sub proprio nomine

A Scriptura expressit. Unde subjungit: Est enim Arnon ad fines Moab inter Amorrhæos; et ibi habetur mons Abarim, ad cujus radices juxta Amorrhæos Arnon labitur amnis. Dicitur vero mons Abarim trans Arnon, non ad transitum Hebræorum, sed ad situm terræ sanctæ, sicut mos est Moysi in hac descriptione: nam in libro Deuteronomii legitur: *Hæc verba quæ locutus est Moyses omni Israel trans Jordanem in deserto ad occidentem.* Deut. I, 1. Moyses tamen Jordanem nullatenus B transivit: erat ergo citra ad Hebræorum viam, trans vero ad terræ sanctæ situm. Sub hac mansione ad Seon Amorrhæorum regem legatos Moyses destinavit, ut ei cum populo per suas terras commeatum præberet, absque omni suorum prorsus Num. XXI, 21. læsione: *Transibimus,* inquiunt, *per terram tuam; non declinabimus neque ad agrum, neque ad vineam, neque bibemus aquam de puteo; via regia transibimus.* Seon vero id omnino recusans dura respondit: immo valido exercitu armato, ad flu- C vium Arnon, qua Israel transiturus erat, ut viam impediret, oppugnantique resisteret, protinus descendit. Sed divina factum est virtute, ut rege in prælio extincto, Hebræi Amorrhæorum populum in occisione gladii percusserint, eorumque terras vastantes depopularint. Interim Og rex Basan, ut auxilium Amorrhæo præberet amico, ingentes copias armat, quibus Israel hostiliter impugnaturus aggreditur. Sed Israel superna dimicans ope, et ipsum in bello regem peremit, exercitum omnem D extinxit, universam denique terram eorum subegit; unde cum insigni victoria grandes divitiarum copias reportavit. Quæ omnia Josephus fuso sermone perscripsit. Lib. IV Antiquit. c. 4.

XLII[a] *mansio, apud* JORDANEM. — Mansio quadragesima secunda habetur in campestribus Moab apud Jordanem; ideo dicit: *Et profecti de finibus Abarim, venerunt ad occidentem Moab, supra Jordanem juxta Jericho; ibique castrametati sunt apud Jordanem inter Bethsimon, usque* E *Belsachin, in occidente Moab.* Num. XXXIII, 48. Alio in loco mansionem eamdem meminit Scriptura, dicens: *Et discedentes filii Israel, castrametati sunt ad occidentem Moab, apud Jordanem, juxta Jericho.* Ibid., XXII, 1. Denique postrema hujus laboriosi diuturnique filiorum Israel itineris a Moyse per verbum Dei descripta mansio hæc est. In qua licet plurima dicta gestaque sint memoratu digna, pauca tamen hæc enarrabimus. Primum Balac Moabitarum rex cernens filios Israel tanto proficere incremento, tamque F secundis eorum res prosperari successibus, magnam rerum suarum formidinem concepit, ut in iis quæ ad populum Madian prælocutus est, apparet. Inquit enim: *Nunc linget congregatio hæc omnes, qui in circuitu nostro sunt, sicut lingit vitulus virentia ex campo.* Ibid., I Quare armis haud eos palam invadere ausus, deliberavit, ne saltem potentiores efficerentur, ad occultas artes confugere. Unde Balaam magum ad se accersitum rogavit, ut imprecationibus, maleficisque ejus artibus populum G malediceret, perderetque. Quod ab illo nec suasionibus, nec numeribus, divina obsistente providentia, obtinere umquam potuit; quin immo ipse magus, Domino os ejus aperiente, bona precatus est populo, felicesque predixit successus: *Quam pulchræ,* inquit, *tuæ domus, Jacob: tabernacula tua, Israel, tamquam valles obumbrantes, tamquam horti super fluvium, et velut tabernacula quæ*

Num. xxiv, 5. *fixit Dominus;* et infra: *Benedicentes te benedicti sint, et maledicentes te maledicti sint;* item;
Ibid., 17. *Orietur stella ex Jacob, et exurget homo ex Israel.* Deinde quia Madianitarum amore mulierum populus, deserto vero Deo, ad idola diverterat, Phinees Eleazar filius, Aaronque nepos zelo zelatus pro Domino exercituum, antequam per licentiam fortius grassaretur iniquitas, Hebræum et Madianitidem feminam in fornicatione comprehensos, et coram Moyse adductos publice evaginato pugione peremit: cujus exemplo provocati plerique arreptis in fornicarios armis insurrexerunt, et ad internecionem cæsa sunt die illa viginti quatuor hominum millia. Quare peremptis fornicariis, reconciliatus est cum populo Deus: *Et cessavit*, inquit, *plaga*
Ibid., xxv, 8. *a filiis Israel.* Insuper quia Chananæorum terra, ad quam filii Israel possidendam per verbum Dei tendebant, e vicino jam prominebat, ipsique terræ sanctæ quadraginta et plures annos fugientis fere jam oras prendebant; et quia nisi armata manu, viribusque infractis, illam capere ipsis præstabatur: idcirco Eleazar sacerdos novam populi ad bellum apti computationem facere Dei mandato decrevit, in qua præter tribum Levi, ad specialem Dei cultum destinatam, et mulieres, sexcenta millia et mille septingenti triginta viri, a viginti annis et supra, ad bella parati, ut Scriptura inquit, numerati sunt. Alia vero quam plurima ad religionem Deique cultum, nec non ad rem publicam bello paceque moderandam spectantia, Moyses Eleazarque
Ibid., xxvi, 51. sacerdos in hac mansione in ordinem redegerunt; quæ ne in nimis longum nostram protraherent lectionem, vel quia sæpius aliis in locis ea digessimus, nunc omittenda censemus. Silentio tamen prætereundum non duximus, quod Moyses extremum sibi tandem per verbum Dei instare diem

A agnoscens, declarato sibi successore, populique duce, mandato Dei, Jesu Nave, præscriptisque benedictionibus ac maledictionibus, quibus observatores præ- Deut. xxxiv, 1 et seq.
varicatoresve divinæ legis incurrerent, nec non prænuntiatis singulis tribubus quæ in illos singillatim superventura forent, super montem Nebo conscendit, indeque amplam, optimamque Chananæorum regionem, terram utique lacte et melle manantem, patribus repetitis etiam oraculis repromissam, monti Nebo ex adverso positam, et oculis
B perlustravit, et animo consideravit, et ut Apostoli verbis utar, e longe salutavit. Quo denique per- Hebr. xi, 13.
acto, dixit illi Dominus: *Ostendi terram hanc oculis tuis, sed illius non ingredieris.* Et confe- Deut. xxxiv, 4.
stim per verbum Dei mortuus est, et sepultus in valle; et sepulcrum ejus nemo novit usque in hodiernum diem. Hic finis Moysi, mansionumque populi jussu Dei in ordinem recensitarum. Cæterum nonnulla mystica nunc explicanda forent, nisi horum pleraque per tractatum præsentem sparsis-
C semus, alia vero in aliis locis explicassemus. Illud denique observandum operæ pretium judicavimus, quod universis hic transitus ideo commemoratur, proptereaque omnis hic cursus consummandus proponitur, ut ad Jordanem Dei fluvium demum pervenientes, divinæ undis sapientiæ irrigemur; ut per omnia purificati, premissionis terram, Deo tandem miserante, intrare, et cum Apostolo dicere valeamus: *Bonum certamen certavi, cursum consummavi, fidem servavi, et justitiæ corona quam*
D *Dominus justus judex reddet in illa die iis, qui diligunt adventum ejus,* reponatur nobis per Jesum II Tim. iv, 7, 8.
Christum Dominum nostrum, cui cum Patre et Spiritu sancto omnis est honor, gloria, et perpetuitas in sæcula sæculorum. Amen.

PRÆFATIO

AD SEQUENTEM TRACTATUM DE TRINITATE.

Sequenti tractationi hanc non levioris momenti *Admonitionem* Maurini Editores præfecerunt: « Liber, quem subjicimus, a Romanæ editionis curatoribus inter genuina sancti Ambrosii opera primum vulgatus est sub hoc titulo: *In Symbulum Apostolorum Tractatus.* At licet neque bibliothecam unde prodierit, neque exemplarium ex quibus prælo commissus sit, qualitatem viri clarissimi nobis indicaverint, non proinde hæsimus in judicando, sed ex prima ejus lectione mirari subiit doctos viros, et acumine critico pollentes exstitisse, qui hanc opellam ingenio styloque Ambrosiano plane destitutam pro legitimo sancti Doctoris partu admisissent. Nobis tamen multo major nata est admiratio, cum apographis duobus, quorum alterum e bibliotheca Regia, alterum e Vaticana transcriptum habemus, ad memoratam collatis editionem, quantum hæc ab illis dissideat, intelleximus. Tum vero non satis sciebamus, an magis detestanda esset impostoris impudentia, qui hunc tractatum tam fœde interpolatum ac detruncatum illustrissimo Romanæ editionis præsidi pro sano et integro supposuit, an dolendæ vices doctorum hominum, quibus postmodum imposuit eadem editio. Et sane vix aliunde clarius deprehendas, quam facile sit etiam eruditissimis viris fucum facere; ut enim alios prætermittamus, constat in fraudem inductum esse Petavium ipsum, cum alibi, tum ubi de voce *suppositi* agens ita disputat: *Sequitur*, inquit, *suppositi nomen, quod minus Latinorum Patrum usu contritum est in ea significatione, quæ passim in scholis auditur, ut sit hypostasis aut persona. Apud Ambrosium tamen occurrit lib. in Symb. Apostol. cap. 12. Hanc, inquit, pro totius humani generis salute in unitate suppositi assumpsit.* Quo loci advertere est duplicem in errorem impegisse virum doctissimum, et quod Ambrosio hanc commentationem adjudicarit, et quod verba illa tamquam a vero ejusdem auctore profecta citaverit, quæ tamen non sunt nisi solius interpolatoris.

Lib. IV *de Trin.* cap. 3, num. 6 et cap. 15, n. 5.

Lib. IV *de Trin.* cap. 5, num. 13

« Quapropter ne quis in posterum ad idem saxum hallucinetur, subjectis in margine assutamentis, integrum operis textum repræsentabimus ex fide prædictorum exemplarium; in quibus tamen aliquid præcessisse, quod perierit, ex conjunctione *igitur*, quæ statim excipit primam vocem, intelligitur. Certum est præterea inscriptionem ipsam, quæ a nobis præfigitur ex manuscriptis, ut ea quam proprio marte inditam huic libro voluerunt editores Romani, haud paulo melior videatur; non tamen vitio prorsus immunem esse, cum universi argumenti, quod pertractatur, speciem atque ideam non præ se ferat. Enim vero in tres partes distribuitur iste libellus: quarum quidem prima est de Trinitate; at secunda in discutiendo incarnationis Dominicæ mysterio versatur. Tertia de resurrectione mortuorum disputat, et quæ contra hanc veritatem objiciebantur ab hæreticis, diluit. Addit etiam sub finem Auctor Operis hoc ipsum a se ex Patrum scriptis esse collectum. Et revera non paucos locos hic agnovimus aut pro ingenio Auctoris nonnihil immutatos, aut sæpe etiam iisdem verbis mutuo sumptos, qui ex Hilario, vel Ambrosio, vel Augustino petiti essent. Quibus accedunt magna fragmenta e libris Tertulliani, et Hieronymi in Isaiam Commentariis, quod ultimum opus, cum non nisi post mortem Ambrosii lucubratum sit, vel solum detegere posset imposturam, ut nequaquam necesse sit ad styli ac versionis testimoniorum e Scripturis sacris allegatorum discrimen recurrere. Quo porro et res fiat planior, et brevitati eadem opera consulatur, quæ huic libello aliunde inserta deprehendimus, ad margines e regione annotanda curavimus.

Cap. 15 in fine.

« Cæterum si quis nos roget, cuinam auctori hancce opellam adjudicemus; ingenue respondebimus in tanta exemplarium paucitate de hoc a nobis nihil explorati afferri posse. Id tamen certo dicere licet, antiquum esse scriptorem illum, non solum quod codex Regius, in quo continetur ista commentatio, annos ut minimum sexcentos præ se ferat, verum etiam quod in eadem nullius hæretici nisi veteris fiat mentio. Sed neque nimium conjecturæ nos pœnitebit, si hunc libellum et adversus Priscillianistarum sectam editum, et concilio sin minus Toletano primo, saltem Bracarensi secundo, quod anno 563 vulgo ponitur, crediderimus supparem esse. Etenim eadem capita hic disputantur, quæ contra eosdem hæreticos in synodi Toletanæ *Regula Fidei*, in epistola 15 sancti Leonis ad Turribium, et in synodo Bracarensi secunda constituuntur. Admodum ergo probabile est hunc eumdem tractatum non ad exponendum Apostolorum symbolum, sed ad vindicandam Toletanam fidei regulam scriptum fuisse. Quod enim in ea memorantur quidam errores, quorum in illo mentio non fit, id inde ortum existimamus, vel quod Auctor præcipuos tantum delegerit, quos refelleret, vel quod illi ipsi hæretici pro innata sibi levitate ac inconstantia eosdem errores jam abdicassent. Veri etiam simillimum est non alia de causa eumdem librum Ambrosii nomine insignitum esse, nisi quia constaret sanctum Præsulem contra memoratos hæreticos conscripsisse opera bene multa, quorum lectione Paternus Bracarensis episcopus ad fidem ab eadem hæresi conversum se esse testificatur; et ex quibus operibus plura forte an hic noster Auctor est mutuatus ».

De quibus August., lib. *de Hæres.* c. 70.

Igitur cum sexcentis ad minus annis vetustum dixerint Maurini Editores illum e regia tunc bibliotheca ms. codicem unde opellam hanc descripserunt, constat undecimo sæculo recentiorem non esse. Vaticani vero exemplaris ætatem ipsi non memorarunt forte quia cum inde apographum exceperint, codicem ipsum cum non inspexerint, de ejus antiquitate dijudicare nequiverint.

DE TRINITATE

ALIAS

IN SYMBOLUM APOSTOLORUM

TRACTATUS.

CAPUT I.

ullus igitur qui sanum sapit omnipotentem Deum, qui Trinitas et spiritus est, corpus aliquod visibile aut palpabile arbitretur: sed simplicem rationabilem, invisibilemque naturam intelligat,[1] et quæ nulla omnino compage solidata, aut aliquid ei extrinsecus, aut aliunde videatur adjunctum: quem nulla substantia, nulla creatura, nulla umquam dominatio antecedit. Fons ergo et principium virtutum omnium, visibilium et invisibilium creaturarum, id est, cœlestium et terrestrium conditrix, sancta et inseparabilis Trinitas est, quæ in se recipit nihil externum; ne circumscripta videatur, aut alicujus rei indiga esse inveniatur, cum pura et unimoda ac mystica, et ut ita dicam, unione fecunda semper est. Tanta est enim in tribus inseparabilis et inconfusa unitatis essentia, ut nihil extra se sancta Trinitas agere videatur: in qua sancta et inseparabili Trinitate vera est æternitas,[2] immutabilis veritas, et æterna ac perfecta est charitas. Et ideo verius cogitatur Deus, quam dicitur; quia incomprehensibilis semper est. Deus ergo omnipotens qui nec sexum habet, nec ætatem, nec definita corporis membra, sic se voluit excellentissime, evidentissime,[3] atque magnificentissime prædicari. Æternitas ergo in Patre, species in imagine, usus in munere est: et hæc tria unus est Deus; non tamen in unius singularitate personæ, sed unius Trinitatis essentia constans. Unus ergo diligens[4] eum, qui de illo est: et unus diligens eum, de quo est: et ipsa dilectio idem unus utrorumque, id est, Spiritus sanctus. Et tamen tria hæc, ut dictum est, unus bonus, verus, justus, lumen, vita, veritas, spiritus atque charitas est Deus. Deus ergo, quia æternus et auctor est omnium, compositus intelligi non potest: ne anteriora Deo sint, quibus putatur esse compositus. Cunctam ergo creaturam, quæ non est quod ipse, non fecit nisi ipse. Ergo æternus appellari non potest, nisi is qui initio et fine caret, id est, Deus Pater, qui coæternum sibi et coomnipotens Verbum et Spiritum habet. Quod intellectum perspicue probat substantiam Filii ac Spiritus sancti ante omnem creaturam exsistere, et extra omnia tempora, atque principium in Deo Patre semper permanere. Spiritus ergo sanctus non est genitus, sed genitoris genitique suavitas, sanctitas atque æternitas est. Nam cum Pater sit Spiritus, et Filius Spiritus; et Pater sanctus, et Filius sanctus: proprie tamen de Spiritu dicitur Spiritus sanctus. Quia ergo coæternus est, et communis ambobus, id ipse vocatur, quod ambo sunt.

August. . IV *de Trin.* c. 10, ex Hilar. l. II *de Trinit.*

CAPUT II.

Quanta[5] jam temeritate et infelicitate censentur ariani, qui dicunt: Erat tempus quando non erat Filius, lector intelligit. Numquid enim potuit esse tempus quando Pater sine vita, sine sapientia, sine virtute, sine Verbo, quod Christus est, fuerit? Absit; cum manifeste ipse declaret Pater dicens: *Eructavit cor meum Verbum bonum.* Quod comprobans beatus Joannes dicit: *In principio erat Verbum, et Verbum erat apud Deum, et Deus erat Verbum. Hoc erat in principio apud Deum. Omnia per ipsum facta sunt, et sine ipso factum est nihil.* Quidquid ergo incorporale est et invisibile, diversitate locorum non potest separari. Si enim noster sermo, aut virtus, aut sapientia, a nobis separari non potest, nisi

Ps. XLIV, 2.

Joan. I, 1-3.

[1] Rom. edit., *Quam nulla omnino compago solidat, cui extrinsecus nihil advenit; quamque nulla creatura, nulla substantia, nulla denique dominatio antecedit. Fides vero altius conscendens, intimiora quæque penetrans, ostendit Deum omnium virtutum fontem, principium rerum omnium visibilium et invisibilium, universarumque creaturarum cœlestium et terrestrium conditorem: quod est unitas inconfusa, et trinitas inseparabilis, quæ in se æterna nihil recipit aliunde, non est tempore aut loco circumscripta, nec rei cujusquam indiga reperitur: sed cum summa simplicitate ac unitate fecunda semper est; tantaque unitatis essentia inseparabilis et inconfusa cernitur in tribus, ut licet omnia cœlestia et terrestria ac minima quæque perspiciat, nihil tamen extra se intelligere, sed singula in se intueri dicitur. In hac Trinitate vera est æternitas, immutabilis unitas, æterna ac perfecta charitas. Denique verius cogitatur Deus, quam dicitur; quia incomprehensibilis est. Qui nec sexum .... sed omnipotens, æternus, incircumscriptus voluit se magnificentissime prædicari.... virtus in munere.*

[2] Vat. cod., *immutabilis unitas.*

[3] Reg. cod., *magnificentissime deprecari.*

[4] Rom. edit., *eum, qui ab ipso est: unus est dilectus ab eo a quo est: una est dilectio utriusque Spiritus sanctus, idem tamen Deus. Et tamquam bonus, verus.... charitas et spiritus dicatur; unus tamen est Deus. Qui compositus esse non potest, cum aliqua eo anteriora præexstitisse putari nefas sit; nihilque quod ab eo factum non sit, dicente Evangelista: Omnia per ipsum facta sit, et sine ipso factum est nihil. Ipse solus est æternus, quia initio et fine caret, id est Deus, Pater.... genuit Verbum, cum quo Spiritum sanctum produxit. Unde credimus Filii et Spiritus sancti substantiam ante omnem exsistere creaturam, extra omnia tempora: quod Pater est genitor, Filius est genitus, Spiritus sanctus genitoris sanctitas spiritusque. Nam licet Pater sit spiritus.... sola tamen tertia persona proprie Spiritus sanctus nuncupatur. Quia ergo coæterna,* etc.

[5] Eadem Rom. edit., *Quanta igitur temeritate, ne dixerim cœcitate Ariani dicunt.* Reg. cod., *cœcentur Ariani.*

cum e corpore abscedimus, quomodo hæc ab immortali et omnipotente Deo, qui omnia per Verbum suum ex nihilo fecit, poterunt separari? Nam cujus erit Pater secundum impios hæreticos, si ab eo Filii natura separatur? Et rursus Filius cujus erit Filius, si non origo sua referatur ad Patrem; ut sit ille qui genuit, et ille qui ex eo genitus est? Pater ergo qui origo est deitatis et bonitatis, recte et in Filio et in Spiritu sancto intelligitur et sentitur: in illo, id est, in Filio, velut Verbo,
1 virtute et sapientia: in hoc autem,[1] velut Spiritu ab ipso procedente. Ita ergo rectum et catholicum
2 est, ut et unum Deum secundum[2] veritatem substantiæ fateamur, et Patrem et Filium, et Spiritum sanctum in sua quemque subsistentia sentiamus.
3 Absque[3] ullo est ergo fine credenda sanctæ Tri-
4 nitatis divinitas,[4] et ad sentiendum etiam ipsi menti difficilis. Et hoc solum est, quod ex ea comprehendimus, quia comprehendi non potest. Una est ergo in tribus deitas, et tria sunt in quibus
5 deitas. Nulla ergo in unitate confusio,[5] neque in divinitate dissidium est. Et ideo pariter abjicienda est et stulti Sabellii commixtio, et impii Arii separatio: contraria etenim sibi, sed æque impia pro-
6 tulerunt.[6] Sabellius enim dum omnia nominari putat, nihil esse unumquodque designat; quoniam quidem desinit esse quod est, cum in alterutrum, id quod esse dicitur uniuscujusque, transfunditur: Arius autem dum creaturam Patris Filium, Spiritum vero sanctum Filii impie asserit esse creaturam.

CAPUT III.

Sed abjectis istis impietatibus et spretis, nobis, sicut beatus Paulus apostolus ait: *Unus est Deus Pater, ex quo omnia; et unus Dominus Jesus Christus, per quem omnia; et unus Spiritus san-*
I Cor. VIII, 6. *ctus, in quo omnia.* Hoc ipsum autem quod dicimus, *ex quo,* et *per quem,* et *in quo omnia;* non naturam secamus, sed unitatem et naturæ, et voluntatis, et operationis confitemur. Unus ergo Deus in his tribus, et hæc tria unus est Deus. Quod ita esse idem comprobat Apostolus dicens: *Ex ipso, et per ipsum, et in ipso omnia: ipsi gloria in*
Rom. XI, 35. *sæcula sæculorum, amen.* Cujus rei congruens David propheta dicit: *Benedicat nos Deus, Deus noster, benedicat nos Deus; et metuant eum*
Ps. LXVI, 8. *omnes fines terræ.* Pater ergo pater est sine initio; neque enim est aliud aliquid unde Pater sit: et Filius Filius est absque initio dumtaxat; de Patre enim est, et creator omnium temporum est:
Joan. I, 1. et ideo non sumit initium ex tempore, quia Verbum, quia virtus, quia sapientia est, quæ omne
I Cor. I, 24. tempus et fecit et antecedit. Spiritus autem san-
7 ctus vere Spiritus est, procedens quidem ex Patre;[7]
8 sed non est et ipse Filius; quia non generatur,[8] sed procedit a Patre. Omne enim quod est, aut ingenitum est, aut genitum, aut factum. Est ergo

A quod neque natum, neque factum est: est quod natum est, et factum non est: et est quod neque natum, neque factum est: et est quod factum est, et natum non est: et est quod factum est, et natum est, et renatum est: et est quod factum est, et natum est, et renatum non est. Nunc autem propositorum memores, singulis jam rebus substantias designemus. Quod ergo neque natum, neque factum est, Pater est: non enim ab aliquo est. Quod autem natum est, et factum non est, Filius
B est, qui a Patre genitus est. Quod vero neque natum neque factum est, Spiritus sanctus est, qui
9 a Patre[9] procedit. Quod etiam factum est, et natum non est, cœlum, et terra, et cætera quæ sunt. Quod autem factum est, et natum est, et renatum est, homo est, qui primo nascitur carnalis, et in baptismo renascitur spiritualis. Quod vero factum est, et natum est, et renatum non est, animalia sunt.

C

CAPUT IV.

Ut ergo singula doceamus exemplis; de Patre enim ita scriptum est: *Unus enim Deus Pater, ex quo omnia;* de Filio autem: *Unus Dominus* I Cor. VIII, 6.
Jesus Christus, per quem omnia; et iterum: *Ibid.*
Unus enim Deus, unus et mediator Dei et hominum homo Christus Jesus; de Spiritu vero I Tim. II, 5.
sancto: *Nemo enim novit quæ sunt hominis, quæ in ipso sunt, nisi spiritus hominis, qui in*
D *ipso est: ita et quæ Dei sunt, hominum nemo novit, nisi Spiritus Dei;* et iterum: *Spiritus* I Cor. II, 11.
autem scrutatur etiam alta Dei. Quod autem *Ibid.*, 10.
Pater et Filius et Spiritus sanctus initio careat, exinde demonstratur, quia quod Pater est, esse non cœpit; et si non cœpit, nec Filius cœpit: Spiritus autem sanctus,[10] qui a Patre procedit, nec 10
ipse cœpit; quia processio ejus continua est, et ab eo est, qui non cœpit: non enim Pater cœpit esse, et quia non cœpit, nec Spiritus cœpit esse:
E ea ratione quia et in ipso est, et ejus est. De Filio iterum quod non cœpit, evangelista testatur dicens: *In principio erat Verbum, et Verbum erat apud Deum, et Deus erat Verbum. Hoc erat in principio apud Deum.* Ergo quia *erat,* non cœpit; et Joan. I, 1, 2.
quia *apud Deum erat,* non cœpit: et quia *Deus erat,* non cœpit: et quia *hoc erat in principio apud Deum,* non cœpit: quia ita Deus ex Deo natus est, ut cœpisse nesciat. Neque ergo fraudatus est Pater, eo quod ingenitus est, aut quia
F genuit Filium: neque Filius defraudatus, eo quod generatus est, aut quia ex ingenito generatur: neque Spiritus sanctus defraudatus est, quia utrorumque, id est, Patris et Filii est. Sic tamen eorum est, ut neque in Patre, neque in Filio refundatur; quia Deus est, neque initium, neque ullum finem
habens, utpote qui Patri et Filio[11] et coæternus 11
est; quia ubi vult, et quos vult, et quantos vult,

[1] Rom. edit., *velut spiritu a spiritu procedente.*
[2] Vat. cod., *unitatem substantiæ.*
[3] Rom. edit., *ullo ergo principio, et fine.*
[4] Eadem Rom. edit., *licet humanæ sit menti ipsa comprehensione difficilis. Unde non incongrue dicitur quod.*
[5] Eadem Rom. edit., *neque in Trinitate.*
[6] Eadem Rom. edit., *Sabellius enim docuit unam substantiam esse Patrem et Filium et Spiritum sanctum, unamque trinomine personam: sed dum omnes unam esse personam reputat, nihil esse unamquamque designat.*
[7] Eadem Rom. edit., *et Filio.*
[8] Eadem Rom. edit., *neque Pater, quia procedit ab utroque non genitus, non ingenitus, non factus. Nam omne quod est aut neque natum, neque factum est: aut natum, et factum non est, aut neque natum, neque factum est: aut factum, et natum non est: aut factum et natum et renatum est: aut factum et natum, et renatum non est.*
[9] Eadem Rom. edit., *et Filio procedit.*
[10] Eadem Rom. edit., *qui ab utroque.*
[11] Eadem Rom. edit., *consubstantialis et coæternus est.* Hic revera particula *et* in textu exigit ut aliqua alia vox adjectiva præcederet, ut ista *consubstantialis.*

Joan. III, 8 et quantum vult, inspirat sua propria voluntate. Replet ergo gratia sua quos vult, et quantos vult, et quantum vult; non ipse repletur: perfectionem præstat, non accipit: sanctificat, non autem ipse sanctificatur.

CAPUT V.

Hic ergo sicut Pater ac Filius et vita est et vivificans, et lux est et illuminans, et bonus et
Rom. VIII, 15. bonitas, et sanctus et sanctitas: hic est Spiritus adoptionis, hic est qui dona sua dividit singulis,
I Cor. XII, 11. prout vult: hic est *Spiritus sapientiæ et intellectus, scientiæ et pietatis, consilii et virtutis ac*
Isai. XI, 2. *timoris Dei:* hic est Spiritus sanctus, per quem Pater agnoscitur, et Filius glorificatur; et a quibus solis ipse cognoscitur, et qui solus omnia eorum per unitatem naturæ novit: hic est de quo Filius
Matth. VII, 11. dixit: *Et Pater meus dabit bona petentibus se*, hoc est, aut ipsum, aut omnes gratias ejus. Sicut ergo Dominus Christus et Verbum, et virtus, et sapientia, et justitia, et margarita, et lux, et via, et resurrectio, et cætera quæ de eo scripta sunt, appellatur; ita et Spiritus sanctus sapientiæ, intellectus, consilii, fortitudinis, scientiæ, pietatis ac timoris, ut jam dictum est, nuncupatur. Non tamen quod diversus sit juxta differentias nominum, sed quod unus atque idem cunctarum virtutum fons sit atque principium, qui in Domino Christo, utpote suæ naturæ consorte, semper inhabitavit. Isti sunt septem oculi, qui in Zacharia propheta in uno
Zach. III, 9. lapide, id est, Domino Christo dicuntur inesse.
1 Proprietas[1] ergo, unicuique immobilis: sed unus cultus, una veneratio, una sanctificatio semper Patris et Filii et Spiritus sancti est. Neque enim dignum est aut Filium defuisse Patri, aut Spiritum sanctum defuisse Filio, sicut impii hæretici mentiuntur. Nos ergo hæc præcaventes, servemus bonum propositum, quod a sanctis Patribus suscepimus. Adoremus Patrem et Filium et Spiritum sanctum, in Filio Patrem, in Spiritu autem sancto Patrem et Filium intelligentes: dividentes antequam conjungamus, et jungentes antequam dividamus: unitatem in Trinitate venerantes, et Trinitatem in unitate confitentes. Tota ergo a nobis sancta Trinitas adoranda est; quia tota regalis est; quia unius potestatis est, et unius gloriæ est supra mundum, supra tempora, increata, invisibilis, incomprehensibilis, investigabilis: quæ quo ordine apud semetipsam sit, ipsa sola cognoscit; a nobis autem æqualiter adoratur. In qua invisibili et ineffabili sancta Trinitate nihil tam proprium, tam fixum intelligere debemus, quam pacem et quietem. Neque enim dissensio ulla in natura Dei est, quia nec dissolvi posse sentienda est, utpote quæ pax semper et charitas est. Si enim quatuor substantiæ,
2 id est,[2] calor, sanguis, flegma et humor, hominem faciunt, et unus homo est; tu in unitate Trinitatem, aut in Trinitate unitatem quomodo non intelligis? Deus ergo Pater omnipotens, omnipotens Verbum et Spiritum habens, supra humanam intelligentiam est, et ultra quam cogitari potest, incomprehensibilis et æternus: quem tunc, quantum fas imbecillitatis nostræ permittit, possumus

A agnoscere, quando Dominum Christum, qui ejus 3 3
forma, et unicus filius est, noverimus; quia sicut ipse ait: *Qui vidit Filium, vidit et Patrem, qui misit eum, et qui in eo est, et qui in eo manet;* Joan. XIV, 9.
et iterum: *Hæc est autem vita æterna, ut cognoscant te Deum verum, et quem misisti, Jesum Christum.* Ergo omnipotens Pater nomen Patris Ibid., XVII, 3
per Filium sortitus est; quia nemo sine filio pater esse vel dici potest, neque filius sine patre. Unigenitum vero Dei Filium, Verbum et sapientiam,
B ac Spiritum ejus sanctum substantialiter æquales per omnia Patri confiteri honorificum est. Nam quis revera aut colorem, aut habitum, aut magnitudinem Verbi et sapientiæ, juxta quod sapientia est, ac Spiritus sancti coaptavit; ut gradus illic requirat, et ordines faciat, ubi omnia invisibilia et unita ac pacifica semper permanent?

CAPUT VI.

C Primum ergo omnium credendum est unum esse Deum, qui cuncta ex nihilo per Verbum suum fecit, et per Spiritum sanctum animavit: qui cum universa capiat, ipse a nemine capitur. Quod ita esse uno versiculo David propheta comprehendit dicens: *Verbo Domini cœli firmati sunt, et Spiritu oris ejus omnis virtus eorum.* Iste est Spiritus sanctus, Ps. XXXII, 6
qui in principio et fabrica mundi ferebatur super aquas. Iste est in quo Moyses et Aaron coram Gen. I, 2
Pharaone rege Ægypti signa fecerunt, et de quo
D Magi dixerunt: *Hic digitur Dei est.* Iste est qui Exod. VIII, 9.
in Moyse, et in omnibus sanctis patriarchis et prophetis atque apostolis locutus est; de quo Apo- II Pet. I, 21.
stolus dicit: *Et nos omnes uno Spiritu potati sumus.* Iste est, qui carnem Verbi Dei in sacrum I Cor. XII, 13.
Virginis uterum fabricavit: iste est, quem post Luc. I, 35.
baptismum Pater super Filium misit: iste est, cujus Matth. III, 16.
virtute Jesus plenus reversus est a Jordane, et regressus est in Galilæam: iste est, quem Pater Luc. IV, 14.
petentibus se dat: iste est, qui a Filio advocatus Ibid., XI, 13.
E noster apud Patrem, et alius paraclitus appellatur, quem Filius ad nos missurum se esse promisit. Si Joan. XIV, 16.
ergo unius naturæ non esset cum Patre et Filio, numquam alius a Filio paraclitus diceretur: idcirco ergo alius paraclitus dicitur, ut æqualitatem naturæ ac potestatis agnoscamus. Alius ergo a nobis ad Patrem ascendens; alius ad nos a Patre veniens, paternum erga nos semper ac piissimum affectum declarat. Qui numquam nos in tentationibus istius mundi et miseriis nec sine advocato,
F nec sine consolatore esse patitur. Iste est, qui una cum Patre Filium pro salute generis humani misit, sicut Esaias propheta ex persona Filii loquentis testatur dicens: *Dominus misit me, et Spiritus ejus.* Iste est, in quo Jesus dæmonia ejiciebat: iste Isai. XLVIII, 16; Matth. XII, 23.
est, quem Dominus Jesus Christus post tertiam diem resurgens a mortuis, dedit discipulis suis dicens: *Accipite Spiritum sanctum; quorum remiseritis peccata, remissa sunt: quorum autem retinueritis, retenta sunt.* Iste est, qui die Pen- Joan. XX, 22, 23.
tecostes super apostolos descendens, diversas eis impertitus est linguas et gratias, sancti Joel pro- Act. II, 3.
phetæ vaticinium complens. Iste est, qui in sanctis Joel. II, 28.
martyribus loquens, diabolum et adversarios Christi

[1] Rom. edit., *unicuique est, ut sit immobilis; quia unus cultus*, etc.

[2] Eadem Rom. edit., *bilis atra et flava, sanguis et flegma hominem constituunt.*

[3] Eadem Rom. edit., *character et figura.*

vicit: iste est, qui Paulum implevit, et[1] in apostolatum segregavit. Iste est, qui diversa dona sua in singula membra Domini Christi usque in finem mundi operatur. Iste est, qui non solum a nobis tristitias et mœrorem et malas turpitudinum cogitationes expellit; verum etiam Dei in nobis memoriam tribuit, ut merito cum David propheta dicere possimus: *Memor fui Dei, et delectatus sum;* et iterum: *Memor ero mirabilium tuorum.* Iste est, qui nobis recte credentibus, et bene operantibus adveniens, tenebras et angustias ac pusillanimitatem cordis et sua nos luce illuminans, miscet sensui nostro sensum Christi; ut vitam nostram, quæ in Christo est abscondita, cogitemus, et in æternis et superventuris sæculis, qui noster status sit, consideremus, sequentes Jesum Filium Dei, qui penetravit cœlos, et in dextera Dei sedens, et in omni consistens loco, nihil suæ præsentiæ vacuum dereliquit.[2] Si tamen non eum unius loci spatio contineri pro dispensatione corporis pro nostra salute suscepti putemus, aut circumscriptum secundum divinitatis et incorporalitatis suæ naturam. Diversitate locorum divinitas non potest separari; quod ita esse ipse Salvator comprobavit dicens: *Nemo ascendit in cœlum, nisi qui de cœlo descendit, Filius hominis, qui est in cœlo.* Non ergo ad explenda opera sua loco indiget Spiritus, Verbum, virtus, sapientia, splendor, imago, vapor, et splendor Dei sine macula: quæ omnia sine dubio personam Filii demonstrant. Nullum ergo exstitit tempus, quando Pater sine Filio, aut Filius sine Patre, aut Spiritus sanctus sine Patre ac Filio fuerit.

Act. XIII, 2. — 1 Cor. XII, 6. — Ps. LXXVI, 4. — Ibid., 12. — Joan. III, 13.

CAPUT VII.

Proprium ergo Dei est non cœpisse, sed semper idem esse, quod semper est. Quod ita esse de semetipso comprobat Deus loquens ad Moysen: *Vade, et dic filiis Israel: Qui est, misit me ad vos.*[3] Iste est Spiritus sanctus, qui neque natus, neque factus est: sed est infectus, sicut Pater ac Filius. Iste est Spiritus sanctus, qui lapsos erigit; et jacentibus occasionem tribuit resurgendi, singulaque juxta varietatem meritorum, et voluntatem Patris ac Filii dispensat, quorum omnia non per investigationem, sed per unitatem naturæ novit. Ipse est, de quo propheta ait:[4] Spiritus Domini multiplex, mundus, incoinquinatus, et sanctus est. Sicut ergo lumen tenebras non recipit, sic et Spiritus sanctus per naturam habet, ut omnium sordium incapax sit. Iste est, qui se transfert a cogitationibus, quæ sine Deo sunt. Iste est, qui se in animas sanctas infundit, et amicos Dei atque prophetas constituit. Nisi ergo quis Spiritum sanctum habuerit, nec Pater nec Filius, quorum est, et cum quibus unus est Deus, ad eum veniunt; ut apud eum mansionem faciant. Iste est spiritus sapientiæ, qui ideo multiplex appellatur, eo quod multa in se habeat,[5] et quæ habet, hoc et est, et per omnia unus est, nec in aliquid eorum, quæ operatur, ipse mutatur; sicut imago ex annulo, quæ in ceram transit, et annulum non relinquit. Quod ita esse Dominus comprobat, ad Moysen dicens: *Auferam igitur de Spiritu, qui est in te;*[6] *et dabo illis septuaginta;* quasi scilicet ignis de igniculo transferatur, absque detrimento ejus, unde sumitur. Ob hanc ergo incommutabilitatem et diversam operationem dictum est a Domino de sancto Joanne Baptista, quod in spiritu ac virtute Eliæ venerit. Iste est, quem Deus misit in corda nostra clamantem: *Abba pater;* et in quo clamamus: *Abba pater;* utrumque enim dictum est,[7] et accepisse nos Spiritum clamantem: *Abba pater;* et accepisse nos Spiritum in quo clamamus: *Abba pater.* Exposuit ergo quod dixit, *clamantem,* hoc est, clamare nos facientem. Iste est Spiritus, qui gemitibus inenarrabilibus postulat pro nobis, quando quid orare oporteat, humana fragilitas ignorat. Quod in seipso sanctus Apostolus non tantum verbo nos edocuit, verum etiam suo nobis demonstravit exemplo, hinc quando contra utilitatem suam ac perfectionem nesciens orabat, ut discederet ab eo stimulus carnis, qui eum colaphizabat: quem postea ab ipso Spiritu sancto[8] eruditus, idcirco eum dixit datum sibi, ne magnitudine revelationum suarum extolleretur, et aliquid boni damnum pateretur. Sed quia eum Dominus diligebat, qui semper divinitatis suæ potentiam per infirma quæque consuevit ostendere, non fecit quod ignoranter petebat. Ipse est Spiritus sanctus, qui in Ecclesia catholica toto orbe terrarum diffusa omni se gratiarum fonte diffudit. Iste est[9] Spiritus Domini Jesu, qui in fine mundi antichristum potentia sua interficiet. Iste est Spiritus sanctus, quem nullus hæreticorum habet; qui licet omnes habere se Christi baptisma putent, tamen nisi veniant ad Ecclesiam Christi, Spiritum non poterunt habere Christi. Quod ita esse comprobat beatus Paulus apostolus dicens: *Si quis Spiritum Christi non habet, hic non est ejus.* Et iterum: *Nemo potest dicere, Dominus Jesus, nisi in Spiritu sancto.* Quod confirmans beatus Joannes apostolus et evangelista, dicit: *In hoc cognoscitur Spiritus Dei: omnis spiritus qui confitetur Jesum Christum in carne venisse, ex Deo est, et omnis spiritus, qui solvit Jesum, ex Deo non est: et hic est antichristus, quem audistis quoniam venit; et nunc jam in mundo est;* et iterum: *Quis est qui vincit mundum, nisi qui credit quoniam Jesus est Filius Dei? Hic est qui venit per aquam et sanguinem Jesus Christus, non in aqua solum, sed in aqua et sanguine. Et Spiritus est qui testificatur quoniam Jesus est veritas; quia tres sunt, qui testimonium dant in terra, spiritus, aqua et sanguis; et tres unum sunt.*

Sap. VII, 22. — Exod. III, 14. — Num. XI, 17. — Luc. I, 17. — Galat. IV, 6. — Rom. VIII, 15. — Ibid., 26. — II Cor. XII, 7, 8. — Ibid., 9. — II Thess. II, 8. — Rom. VIII, 9. — I Cor. XII, 3. — I Joan. IV, 2, 3. — Ibid., V, 5 et seq.

[1] Rom. edit., *in apostolatus ministerium.*

[2] Eadem Rom. edit., *licet eum unius loci spatio contineri ratione corporis.... non tamen circumscriptam divinitatis et incorporalitatis suæ naturam.*

[3] Eadem Rom. edit., *iste rursum est Spiritus sanctus, qui non est factus, sicut nec Pater, nec Filius. Iste,* etc.

[4] Eadem Rom. edit., *spiritus Domini intelligens, multiplex, mobilis, incoinquinatus, omnem habens virtutem, omnia prospiciens.*

[5] In eadem Rom. edit. desunt, *et quæ habet, hoc et est.*

[6] Eadem Rom. edit., *et ponam super illos, ut tecum sustineant impetum populi.*

[7] Eadem Rom. edit., *et Deum misisse in corda nostra Spiritum clamantem, Abba pater, et in quo clamamus, Abba Pater.*

[8] Eadem Rom. edit., *eruditus dixit ad virtutum incrementa datum sibi, dum audivit: virtus in infirmitate consummatur.*

[9] Eadem Rom. edit., *Spiritus oris Domini, qui,* etc.

CAPUT VIII.

Juste ergo eis qui eum sine Spiritu sancto Dominum confitentur, dicturus est in judicio: Quid autem vocatis me, Domine, Domine, et non fecistis
Luc. vi, 46. quæ dixi; et mecum non colligentes sparsistis populos et membra mea, pro quibus ego sanguinem fudi meum? Et ideo oblatio hæreticorum, qui Spiritum sanctum non habent, non in Dei cultum,
1 sed[1] in cultum dæmonum proficit. Quidquid enim in synagogis suis hæretici, id est, in conventiculis
2 Satanæ loquuntur, non est doctrina Domini,[2] sed ululatus et præstigia dæmonum sunt. Isti enim sunt, quibus Spiritus sanctus per Esaiam prophetam dicit populum Judæorum parasse mensam
3 Isai. LXV, 11. dicens:[3] *Et parabatis mensam Fortunæ;* et ideo tam ipsos quam peccatores, qui semetipsos non judicantes, audacter ad sacrosanctum corpus et sanguinem Christi accedunt, increpat Apostolus dicens: *Non potestis mensæ Domini participes esse, et mensæ dæmoniorum: non potestis calicem Do-*
4 I Cor. x, 21. *mini bibere et calicem dæmoniorum.*[4] Hæc de oblatione hæreticorum dicta sufficiant; nunc autem ad ordinem revertamur.

CAPUT IX.

Quidquid ergo de Spiritu sancto diximus, hoc similiter et a Patre et a Filio fieri intacta et indiscussa dimisimus; licet pro certo noverimus quia sancta et inseparabilis Trinitas numquam aliquid extra se noverit operari. Et ut ita esse clareant quæ dixi, breviter insinuabo. Incarnationem Verbi Trinitas fecit, et tamen non pertinet incarnatio
August. lib. cont. Serm. Arian., c. 15. nisi ad Verbum. Vocem de cœlo super Filium post baptismum Trinitas fecit, et tamen non pertinet
5 nisi ad Patrem.[5] Adventum Spiritus sancti supra
Luc. III, 22. Filium in specie columbæ Trinitas fecit, et tamen
6 non pertinet nisi ad Spiritum sanctum.[6] Quam trinam operationem in unitate manentem comprobat beatus Apostolus dicens: *Divisiones enim gratiarum sunt, unus autem Spiritus; et divisiones ministeriorum sunt, unus autem Dominus: et divisiones operationum sunt, unus autem Deus*
I Cor. XII, 4 et seq. *qui operatur omnia in omnibus.* Tria ergo hæc
7 unam credentibus tribuunt gratiam,[7] quia non alia atque alia est substantia sanctæ et inseparabilis Trinitatis. Cum ergo[8] singula et Pater et
8 Filius et Spiritus sanctus dicantur operari, omnia tamen pariter operantur. Sapientia condidit, Spiritu animavit, et justo ordinavit judicio. Ipse ergo ju-

A stitia sua mundum in varias formas distribuit, et gratia sua ordinante, tanta illius membra incomprehensibiliter dispensat, continet et gubernat: cujus providentiæ gubernatio tam justa,[9] tam ar- 9
cana, tam occulta est; ut quæ putatur pœna, medicina sit patienti. Unus ergo Deus in sancta Trinitate consistens hæc operatur: quod ipse de se comprobans, per Esaiam prophetam dicit: *Ego Dominus, et non est*[10] *amplius extra me*, hoc 10 Isai. XLV, 6, 7.
est, præter Verbum et Spiritum meum, virtutem
B ac sapientiam meam, quæ in me est semper;[11] 11
nullus est alter Deus atque salvator, de quo idem propheta dicit: *Et mittet eis Dominus salvatorem, qui eos salvos faciat a peccatis eorum.* Et Ibid. 5.
iterum ex persona Patris supra scriptus propheta dicit: *In memetipso juravi, quia egredietur ex ore meo verbum, et ad me vacuum non revertetur.* Non est revera Verbum Patris ad eum va- Ibid., XLIX, 20; XLV, 23; LV, 11.
cuum reversum, quia obsides salutis nostræ, id est, veram animam et verum corpus susceptum in de-
C xteram collocavit Patris. Quod ita esse futurum in spiritu propheta intuens dicit: *Vere tu es Deus absconditus*, id est, in carne, *Deus Israel Sal-* Ibid., XLV, 15.
vator; et iterum: *Absconditus vultus ejus et de-* Ibid. LIII, 2.
spectus; ut scilicet humano corpore divina potentia celaretur; et iterum: *Et homo est, et quis cognoscit eum?* Et iterum: *Hic Deus noster, non* Jerem. XVII, 9.
æstimabitur ad eum alius, qui in terris visus est, et cum hominibus conversatus est, et iterum: Baruc. III, 36.
Homo in dolore, et sciens ferre infirmitates; Ibid., 38.
D verum scilicet corpus hominis per hæc verba, et veram demonstrans animam, *qui sciens ferre infirmitates divinitate superavit, pacificans per sanguinem crucis suæ, sive quæ in cœlis sunt, sive quæ in terra.* Claruit enim per hæc verba, Isai. LIII, 4; Coloss. I, 28.
in Dominum Jesum Christum, non ex parte veritatem, et ex parte mendacium: sed omnem in eo esse veritatem, id est, et Dei et hominis.

CAPUT X.

E

Sed hoc non intelligit humana sapientia, quam condemnat beatus Apostolus dicens: *Fides vestra non sit in sapientia hominum, quorum Dominus cogitationes novit, quoniam vanæ sunt: sed in virtute Dei;* et iterum: *Non edocti*[12] *humanæ* 12 I Cor. II, 5
sapientiæ verbis, sed edocti Spiritu sancto. Ergo Ibid., 13.
fides non sit in hominum sapientia, et hæresis non est. In Patre ergo semper Filius et Spiritus sanctus est; quod ita esse ipse Filius confirmat dicens:
F *Ego et Pater unum sumus:* unum propter natu- Joan. X, 30.

[1] Rom. edit., *in dæmonum abominationes.*

[2] Eadem Rom. edit., *sed blasphemiæ, et dæmonum præstigia sunt.*

[3] Eadem Rom. edit., *et parantes dæmoni mensam, et implentes Fortunæ potionem.*

[4] Desunt in Rom. edit., *hæc de oblatione hæreticorum dicta sufficiant.*

[5] Eadem Rom. edit., *inquit enim: Tu es filius meus dilectus. Adventum,* etc.

[6] Eadem Rom. edit., *et descendit, inquit, Spiritus sanctus corporali specie sicut columba in ipsum. Quam,* etc.

[7] Eadem Rom. edit., *quia non ex alia atque alia substantia sunt sanctæ inseparabilis Trinitatis personæ, nec alius operationis.*

[8] Eadem Rom. edit., *singillatim.... aliqua operari Spiritus animavit, et justo Pater,* etc.

[9] Eadem Rom. edit., *tam provida.*

[10] Eadem Rom. edit., *amplius. Ego qui fabricavi lucem,* etc. *Quoniam non est Deus præter me.*

[11] Rom. edit., *Et iterum idem propheta: In te Deus est, et non est alius præter te. Et alibi: Mittet eis hominem, qui salvabit eos: judicans salvabit eos.... Per memetipsum iuravi, nisi egredietur ex ore meo justitia, et sermones mei non avertantur. Et alibi: Verbum quodcumque exierit de ore meo, non revertetur ad me vacuum, donec compleantur quæcumque volui. Est igitur Filius revera Verbum Patris, cum vacuum reversum non fuerit: quia obsides.... intuens dicit: Tu enim es Deus et nescivimus, Deus Israel salvator. Nescivimus, quia carne velatus. Et iterum: Non est species ei, neque gloria: et facies ejus despecta est, et non est reputata; ut scilicet humano corpore divina potentia celaretur. Et alius propheta: Et homo est, et quis cognoscet eum? Et iterum hic Deus noster, non reputabitur alius adversus eum, et: Post hoc in terris visus est, et inter homines conversatus est. Et iterum scriptum est: Homo in plaga exsistens, et sciens ferre,* etc.

[12] Eadem Rom. edit., *Non in persuasoriis humanæ sapientiæ verbis, sed in ostensione spiritus et virtutis.*

ram divinitatis, *sumus* propter personarum proprietates; et iterum: *Ecce venit hora.... ut me solum relinquatis; et non sum solus, quia Pater*
Joan. XVI, 32. *mecum est;* et iterum: *Opera quæ ego facio,*
Ibid., XIV, 10. *Pater in me manens, ipse facit ea.* Ipse est ergo semper in Patre Filius, qui ad Moysen dicit: *Qui*
Exod. III, 14. *est, misit me ad vos.* Ipse est, cui perfecto orbe congaudebat Pater, quia tantam molem terræ fundasset super maria, et super flumina collocasset eam; ut elementum gravissimum super tenues aquas ejus penderet arbitrio. In stabilitate ergo orbis terrarum, quando illius fundamenta Pater firmabat, nullus erat cum eo præter eos, qui erant in eo, id est, Filius et Spiritus sanctus. Erubescant ergo impii hæretici, qui Filium Dei aut Spiritum sanctum creaturam dicunt, aut fuisse tempus, quando non fuerint: neque enim temporum conditor habet aliquando principium. Quidquid ergo Filius loquitur, verba sunt Patris, et verba sunt Spiritus sancti: quidquid Pater loquitur, verba sunt Filii, verba sunt Spiritus sancti: quidquid Spiritus sanctus loquitur, verba sunt Patris, verba sunt Filii Dei. Ergo unius, qui complet omnia, et in quo sunt omnia, his verbis sub mysterio sanctæ
1 Trinitatis notitia prædicatur; ait enim Filius:[1] *Spi-*
Joan. XV, 26 *ritus sanctus a Patre procedit;* tamen propter societatem unitatemque naturæ a Filio mittitur; qui Filius ab Esaia propheta in regnantis habitu visus est, sed propter consortium majestatis unitatemque substantiæ Spiritus sanctus in propheta est locutus: in Cherubim sane et Seraphim, ubi ipsa visio facta describitur, ex parte ostenditur Dominus, et ex parte celatur; duabus siquidem alis velabant faciem ejus, et duabus velabant pedes
Isai. VI, 2. ejus, et duabus volabant. Velantur ergo ea, quæ ante mundum fuerunt; et ea quæ post mundum
I Cor. II, 9. erunt, *quæ nec oculus vidit, nec auris audivit:* ea vero quæ in sex diebus facta sunt, nobis in notitiam per sacram lectionem venerunt. Nos ergo in Patre et Filio et Spiritu sancto non solum unam
2 operationem, sed et æqualitatem confitemur;[2] quia ubi æqualitas, ibi eadem natura, eademque sub-
3 Joan. V, 19. stantia est.[3] Propterea, inquit Evangelista, eum Judæi persequebantur, quia non solum solvebat sabbatum, sed etiam Filium Dei se dicendo, æqualem se faciebat Deo. Quod ipse Dominus comprobat dicens: *Ego et Pater unum sumus*, et *ego in Patre, et Pater in me est;* et iterum: *Pater quod dedit mihi, majus omnibus est; et nemo potest rapere de manu mea;* statimque infert:
Ibid., X, 30; XIV, 10; X, 29. *Et nemo potest rapere de manu Patris.* Si ergo de manu Filii quæ Pater dedit, nemo potest rapere, et hæc eadem in manu Patris sunt, quæ non rapiuntur ab eo; liquido comprobatur omnia Patris et Filii ac Spiritus sancti, qui et Patris et Filii est, esse communia: et Filii manu teneri, quæ

A Patris sunt; et Patris manu teneri, quæ Filii sunt. Dominus ergo Christus Dei et hominis filius, qui semper erat cum Patre et in Patre, duobus locutus est modis, id est, nunc secundum divinitatis suæ gloriam, nunc secundum nostræ naturæ hominem susceptum. Pater ergo in Filio, et Filius in Patre est, in utroque Spiritus sanctus est:[4] et ideo recta 4
confessio mysterii sanctæ et inseparabilis Trinitatis ignoratio nostra est; cum enim sanctus Apostolus judicia Dei inscrutabilia esse testetur, jam Rom. XI, 33.
B ipse cujus inscrutabilia et occulta sunt, quam inscrutabilis et occultus sit, sapiens lector intelligit. Qui tamen sanctus Apostolus non dixit: Difficile inveniuntur judicia Dei, aut numquam, ne spem penitus inquirentium amputare videretur; sed ait, *Inscrutabilia sunt judicia Dei.* Quamvis ergo proficiat quis in scientia, et sapientiæ deditus, arcana rimetur; tamen creata natura increatam substantiam[5] numquam potest comprehendere. Cum enim 5
aliqua invenerit, rursum alia se offerunt quæstioni;
C cum illa repererit,[6] alia innumera quoque inveniet. 6
Tanta itaque investiganti semper materia suggeritur, ut reliquorum[7] ignoratio involvat priorum 7
scientiam. Unde et sapientissimus Salomon[8] naturas 8
rerum difficultatesque cognoscens, et imponens mensuram sapientiæ suæ ait: *Dixi, sapiens efficiar, et ipsa longius recessit a me quam erat, et excelsa profunditas: quis inveniet eam?* et iterum: *Plura enim opera Domini in absconditis sunt;* et iterum: *Quemadmodum nescis quæ sit*
D *via spiritus, et qua ratione compingantur ossa in ventre prægnantis: sic nescis opera Dei, qui fabricator est omnium;* et iterum: *Altiora te ne quæsieris, et fortiora te ne scrutatus fueris;* et iterum: *Quemadmodum qui mel multum comedit, non est ei bonum; sic qui scrutator est majestatis opprimitur gloria.* Et revera nihil tam ve- Sap. VIII, 17; Eccl VII, 24, 25; XI, 5; III, 12.
rum, nihil tam manifestum; scriptum est enim: *Delicta quis intelligit?* Si ergo delicta sua homines Psal. XVIII, 3
non intelligunt; quanto magis naturam Dei et con-
E silia ejus minime poterunt invenire! Quod comprobans propheta dicit: *Generationem ejus quis enarravit?* Isai. LIII, 8.

CAPUT XI.

In hunc ergo unum Deum Patrem omnipotentem credimus, visibilium et invisibilium conditorem, cujus judicia atque consilia occulta sunt, iniqua autem numquam. Qui tamen Pater sine ullo sibi
F patre Pater est: et idcirco Filius de hoc genitus, cujus generationem humanus sermo edicere non valet, inferior ab eo esse non potest; quia, ut dictum est, verbum, virtus et sapientia ejus est. Deum ergo[9] Dominum fatemur, Deum Filium Dei Patris 9
altissimi, unici unicum, et cum Patre ac Spiritu

[1] Rom. edit., *Spiritus veritatis, qui.... Inquit, a Patre procedit propter originem. Inquit, quem mittam propter societatem unitatemque naturæ. Qui Filius.*

[2] Eadem Rom. edit., *Ubi enim eadem operatio, ibi æqualitas.*

[3] Eadem Rom. edit., *Propterea Dominus inquit (cum Judæi.... faciebat Deo) non potest Filius a se facere; quia nisi quod viderit Patrem facientem. Quod alibi clarius ostendit dicens: Ego et Pater,* etc.

[4] Eadem Rom. edit., *Quare licet nobis mysterii sanctæ et inseparabilis Trinitatis confusa sit notitia, nostra tamen est confessio. Unde sanctus Apostolus judicia Dei licet incomprehensibilia esse testetur, non tamen ea prorsus inscrutabilia et occulta decernit. Ideo non dixit: Impossibilia inveniuntur judicia Dei, aut numquam se offerunt apprehensibilia, ne spem penitus inquirentium amputare videretur. Sed ait incomprehensibilia,* etc.

[5] Eadem Rom. edit., *ut talis est, numquam potest ad plenum comprehendere.*

[6] Vat. cod., *alia immutabilia;* Rom. edit., *alia etiam altiora quæque occurrunt.*

[7] Rom. edit., *perscrutatio oblivione involvat.*

[8] Eadem Rom. edit., *hominum cogitationes, stellarum dispositiones et abscondita quæque cognoscens.*

[9] Eadem Rom. edit., *Patrem Deum fatemur.*

1 sancto unum Deum esse confitemur; cujus licet[1] æqualitatem humanus sermo explicare nequeat, incarnationis tamen ejus sacrosancta ac veneranda mysteria a sancto Gabriele Archangelo sanctam
2 virginem Mariam,[2] quæ Verbo feta sola conscia aure maritata est, alloquente cognovimus. Ait enim: *Spiritus sanctus superveniet in te, et virtus Altissimi obumbrabit tibi; ideoque et quod nascetur*
Luc. I, 35. *ex te sanctum, vocabitur Filius Dei.* Non ergo hæc generatio, qua de virgine pro salute nostra natus est, posteriorem eum facit Patri sive tempore, sive potestate; quia non est temporalis genitor, ut Filio præjudicetur ex tempore, quia æternus Pater Filium genuit coæternum; nec extrinsecus natum aut factum, ut hæretici mentiuntur, sed ex propria substantia Patris generatum vera fides habet. Ex Deo ergo vero, in quo æternitas et omnipotentia perfectæ et sanctæ Trinitatis consistit, verum Filium confiteri honorificum est: et ideo sicut in Patre nos convenit credere, ita et
3 in Filio;[3] quia hoc omnino est ille qui genitus est quod ille qui genuit. Credimus et in Spiritum sanctum, cujus majestatem, potentiam et æqualitatem, quam cum Patre et Filio possidet, ipso donante, jam superius ostendimus, procedentem ex Patre, et communem cum Patre et Filio deitatem, operationem, ac substantiam possidentem: et distinguentes personas in proprietatibus suis, deitatem tamen sanctæ Trinitatis inseparabilem confitemur; quia quod nominibus, et personis dirimimus, hoc potestate et deitate et unitate jungimus. Ergo vocabulum sanctæ Trinitatis grande mysterium et arcanum est; et ideo quando de spiritualibus nobis sermo est, nihil de carnalibus est omnino ante oculos cordis proponendum. Sanctæ ergo et inse-
4 parabili Trinitati[4] lux invisibilis, virtus inseparabilis, substantia incomprehensibilis, vita interminabilis est, cui pax sempiterna omnis assistit, quam nulla umquam creatura penetrat, nulla conturbat. Si quis ergo extra Patris majestatem aut Filium vocat, aut Spiritum sanctum, videtur sibi spem de semetipso petere, id est, de simili, non de superiori natura: omne enim quod creatum est, quantum ad hoc pertinet, ex eo quod non erat, factum est,
5 et simile sibi est. Ergo Domino Christo Deus Pater[5] propria generatio est; nobis autem adoptione voluntaria: illi pater est per naturam, nobis per
6 gratiam: illi Deus est[6] unitate mysterii, nobis autem potestate. Qui ergo aliud quam hoc tenet,
7 et non ita credit,[7] anathema sit.

CAPUT XII.

Spiritus autem sanctus ipse est, sicut jam dictum est, qui et Patris et Filii est: ipse est, qui sicut Pater ac Filius replet orbem terræ: ipse est, qui a Filio sanctus et bonus pronuntiatus est: ipse

A est, qui a David propheta,[8] sicut Dominus Christus, 8
bonus et rectus pronuntiatur; ait enim: *Rectum est Verbum Domini,* hoc de Filio; et: *Eructavit* Ps. XXXII, 4.
cor meum Verbum bonum. De Spiritu autem Ps. XLIV, 1.
sancto: *Spiritum rectum innova in visceribus meis;* et: *Spiritus tuus bonus deducet me in viam rectam.* Ipse est, qui futura tamquam præ- Ps. L, 14; XXXII, 4; XLIV, 1; L, 12; CXLII, 10.
sentia prævidet; ipse est, qui nobis Christi Domini nativitatem, mirabilia, persecutionem, passionem, crucem, mortem, sepulturam, resurrectionem, in
B cœlis ascensionem, et ad judicium[9] venturum ante 9
plurimos prænunciavit annos. Sicut ergo Pater sine principio,[10] ita et Spiritum sanctum et Filium 10
habet sine principio coæternum, genitum ex se, non post se. Et ideo sicut Pater omnem antiquitatem temporum antecedit, æternitate consumit, longævitate superat; ita et Filium genuit tam sibi in virtute, quam in hac, quam diximus, æqualitate consortem: sed hæc virtus, hæc sapientia, hoc Verbum, quod Filius est, ut verbis utar Apostoli, Philip. II, 6 et seq.
C *cum in forma Dei esset, non rapinam arbitratus est, ut esset æqualis Deo; sed semetipsum exinanivit, formam servi accipiens, in similitudine hominum factus, et habitu inventus ut homo. Humiliavit semetipsum usque ad mortem, mortem autem crucis, propter quod et Deus exaltavit illum, et dedit illi nomen, quod est super omne nomen; ut in nomine Jesu omne genu flectatur, cœlestium, terrestrium et infernorum, et omnis lingua confiteatur quia Dominus Jesus Christus*
D *in gloria est Dei Patris.* Ob hoc ergo mysterium 11
Filius Dei[11] Christus vocatur; quod tamen nativitatem ejus secundum carnem, passionem, mortemque significat: sed ista mirabilis et singularis 12
nativitas, qua[12] Christus genitus est, et de Spiritu 13
sancto et Maria virgine facta est, sicut fides[13] sancti symboli testatur. Hic ergo unicus in divinitate Filius Dei, etiam in nativitate carnali per quam hominem nostrum, ut salvaret, assumpsit, unicus invenitur: solus est enim natus ex Virgine,
E quæ nec prægnationem de viro, nec corruptionem sensit ex partu. De sancto ergo Spiritu et Maria virgine secundum carnem eum natum fatemur; sic etenim et beatæ Mariæ virgini futurum, ut jam dictum est, Gabriel Archangelus promiserat dicens: *Spiritus sanctus superveniet in te, et virtus Altissimi obumbrabit tibi; et ideo quod nascetur ex te sanctum, vocabitur Filius Dei.* Luc. I, 35
Qui Filius[14] Dei pro nostra salute sub Pontio Pi- 14
lato crucifixus est, ac sepultus. Vera ergo caro
F ex Virgine suscepta, vera crucifixa, vera sepulta, vera est post tertiam diem resuscitata. Ad viscera igitur sacræ Virginis,[15] et suscipiendi inde carnem, 15
et formandi illic hominem Spiritus sanctus opifex et sanctificator accessit; ut conjunctione Verbi et hominis a prima informatione perfecta Christus mediator Dei et hominum nasceretur, sine fraude

[1] Rom. edit., *majestatem.*
[2] Eadem Rom. edit., *Verbo fetam alloquente.*
[3] Eadem Rom. edit., *quia sicut hic omnino est, qui genitus est, ita ille qui omnino genuit.*
[4] Eadem Rom. edit., *lux inaccessibilis, virtus insuperabilis.*
[5] Eadem Rom. edit., *propria generatione pater est.*
[6] Eadem Rom. edit., *unitate substantiæ, nobis autem munere et potestate.*
[7] Eadem Rom. edit., *Anathema sancta catholica et apostolica Ecclesia pronuntiat.*
[8] Eadem Rom. edit., *Spiritus ut principalis et rectus exoratur.*
[9] Eadem Rom. edit., *vivorum et mortuorum adventum.*
[10] Eadem Rom. edit., *Filium habet sine principio, coæternum, genitum ex se, non post se; ita et Spiritum sanctum Patri et Filio coæqualem.*
[11] Eadem Rom. edit., *Christus homo vocatur.*
[12] Eadem Rom. edit., *Christus homo natus est.*
[13] Eadem Rom. edit., *sancti hujus symboli.*
[14] Eadem Rom. edit., *Dei et Virginis homo Christum Jesus.*
[15] Eadem Rom. edit., *pro suscipienda in carne, et formando homine.*

humanitatis, sine corruptione deitatis exoriens; obiturus morte, quia creatus; superaturus autem mortis vincula, quasi creator. Non ergo inter Verbum et assumptum ab eo hominem[1] aliqua separatio dicenda est, quia ex duabus naturis, id est, divina et humana mystica ratione compositis unum Christum Dei Filium confitemur.

CAPUT XIII.

Credere ergo nobis hæc, non discutere licet:
2 humiliter quærere,[2] non superbe inquirere. Verbum ergo et substantia Dei, quæ per omnia incorporea est, inseri in corpore humano non poterat, nisi aliqua spirituali natura mediante, id est, anima.
3 Anima ergo[3] in secreta rationabili arte Verbum Dei capiente, absque ulla contagione viri, Deus
4 natus ex Virgine est.[4] Sicut ergo participatione sui Filius Dei præbens omnibus exemplum, juxta id quod Dei Verbum est atque sapientia, non minuitur communione participii; ita sancta Jesu anima, quæ propter nostra peccata et tristis fuit, et conturbata est, nihil exinde contraxit. Hæc est, quam
Ambr. in Luc., l. x, n. 127. dilexit Deus præ participibus suis: hæc vita nostra, de qua Apostolus ait: *Et vita vestra abscondita*
Coloss. III, 3. *est cum Christo in Deo:* hæc est, quæ dilexit
Ps. XLIV, 8. justitiam, et odivit iniquitatem: hæc tristis non
Matth. XXVI, 38. pro morte, sed usque ad mortem fuit: hæc in cruce non pro se, sed pro nobis turbata est: non
5 virtus, non sapientia, non Verbum Dei,[5] qui eam pro nostrarum animarum salute assumpsit, et omni virtutum ac sanctitatis decore adornans, in consortium deitatis perduxit. De hac ergo, quæ per omnia nostrarum animarum similis est, Salvator ait: *Potestatem habeo ponendi animam meam, et iterum sumendi eam;* et: *Nemo eam tollit a me, sed ego pono eam a me ipso, et iterum sumo*
Joan. X, 18. *eam.* Hæc est beata anima, quæ in cruce ad divinitatem clamavit dicens: *Deus, Deus meus,*
Matth. XXVII, 46. *respice in me, quare me dereliquisti?* Clamavit ergo homo divinitatis separatione moriturus: nam cum divinitas mortis libera sit, utique mors esse non poterat, nisi vita discederet, quia vita divinitas est: numquam enim patitur vel mortem, vel corruptionem, quod immortale semper et incorruptum est. Deus ergo qui Verbum et Spiritus est,
Joan. III, 8. qui *ubi vult inspirat,* carnem seu animam susceptam non deseruit invitus; sed quia voluit, ubi voluit, quomodo voluit, et quando voluit, relinquens posuit eam, et iterum assumpsit eam. Non ergo cujusquam jure ac potestate exutus est carne, sed ipse se exuit: nam qui potest non mori, si nollet, procul dubio, quia voluit, mortuus est. Quod ita

A esse comprobans Apostolus, ait: *Spolians se carne, principatus et potestates exspoliavit, triumphans illos in semetipso,* per mortem scilicet hominis Coloss. II, 15.
suscepti; ut, sicut idem dicit beatus Apostolus, *per mortem hominis suscepti destrueret eum, qui habebat mortis imperium,* id est, diabolum, Hebr. II, 14.
et liberaret eos, qui per totam vitam obnoxii erant servituti. Quod ita futurum multo ante Esaias propheta prædixerat dicens: *Sicut ovis ad occisionem ducitur, et sicut agnus coram tondente se*[6] *ob-* 6
B *mutuit;* et iterum: *Oblatus est, quia ipse voluit, ad multorum exhaurienda peccata;* et iterum: *Tradidit in mortem animam suam, et cum sceleratis reputatus est; et ipse peccata multorum tulit, et pro transgressoribus ipse rogavit.* Non Isai. LIII, 7 et seq.
ergo necessitate crucem Christus Dominus, sed voluntate sustinuit, dicens ad Petrum, qui timoris fragilitate ad crucis mysterium scandalizabatur, et humano pavore trepidabat: *Vade retro, Satanas, scandalum mihi es; quia non sapis quæ Dei*
C *sunt, sed quæ hominum. Calicem enim quem dedit mihi Pater, non vis ut bibam illum?* Alioquin si Matth. XVI, 23; Joan. XVIII, 11; Matth. XXVI, 23
non propria voluntate oblatus esset, et crucem sustinere voluisset, qui indicare et prædicere poterat proditorem, et apostolis dicebat: *Omnes vos in hac nocte scandalum mei sustinebitis.* Poterat Matth. XXVI, 31
eos qui ad eum comprehendendum missi erant, declinare; quibus intrepidus occurrit et dixit: *Quem quæritis?* Qui statim[7] ceciderunt retror- 7 Joan. XVIII, 4.
sum, quia vocem præsentis Dei ferre non poterant.
D Non ergo necessitatis fuit ut pateretur, sed voluntatis; non tam suæ, sed et Patris, cui dicit: *Ut facerem voluntatem tuam, Deus meus, volui.*[8] 8 Ps. XXXIX, 9.
Per veram ergo carnem immortalis mediatoris Dei et hominum nos mortales redempti, vivificati, salvati atque liberati sumus a laqueis et captivitate diaboli, super quem nobis potestatem dedit dicens: *Ecce dedi vobis potestatem calcare super serpentes et scorpiones, et super omnem virtutem inimici.*[9] Omnis ergo humilitatis ac mysterii in- 9 Luc. X, 19.
E carnatio ob hoc facta est, ut nos potestatem super diabolum acciperemus,[10] qui se facturam per su- 10
perbiam cognoscens, in tantam dementiam decidit, ut æqualem se facere voluerit altissimo creatori, dicens: *Ponam thronum meum ad aquilonem, et similis ero Altissimo.* Quod ita esse comprobat Isai. XIV, 14.
Apostolus dicens: *Nam quod impossibile erat Legis, in quo infirmabatur, per carnem*[11] *Deus* 11
Filium suum mittens in similitudinem carnis peccati, et de peccato, id est, primi hominis, *damnavit peccatum*[12] *in carne; ut sicut in Adam* 12
F *omnes moriuntur, ita et in Christo,* qui nobis per passionem crucis de latere suo lavacrum et potum martyrio dedicavit, *omnes vivificarentur.* Rom. VIII, 3; Coloss. II, 15. I Cor. XV, 22.

[1] Rom. edit., *aliquam personarum separationem ponimus: sed ex duabus.... unitis, unum Christum Deum et hominem Dei Filium in unitate personæ confitemur.*

[2] Eadem Rom. edit., *non superbe sapere.*

[3] Eadem Rom. edit., *rationabili mediante, Verbum Dei opificio Spiritus sancti carnem assumpsit; sicque absque ulla,* etc.

[4] Eadem Rom. edit., *Denique sicut Deus præbens hominibus suis participationem.... exinde amisit.*

[5] Eadem Rom. edit., *Hanc pro totius humani generis salute in unitate suppositi assumpsit.*

[6] Eadem Rom. edit., *mutus, sic non aperuit os suum.*

[7] Eadem Rom. edit., *Abierunt retrorsum, et ceciderunt in terram.*

[8] Eadem Rom. edit., *Et alibi: Descendi de cœlo non ut faciam voluntatem meam, sed ejus qui misit me.*

[9] Eadem Rom. edit., *Tantæ ergo humilitatis et ineffabilis hujus,* etc.

[10] Eadem Rom. edit., *qui superbiæ typho se facturam non cognoscens, creatori æqualem se facere voluerit, dicens: Ascendam super nubes.*

[11] Eadem Rom. edit., *Deus Filium suum mittens in similitudinem carnis peccati, de peccato damnavit peccatum in carne; hoc est, Satanam in carne Salvatoris, sicut et in alia epistola ait: Detriumphans.*

[12] Eadem Rom. edit., *illos in semet ipso, ut sicut alibi dicit Apostolus: Sicut in Adam omnes moriuntur, ita et in Christo omnes vivificarentur.*

CAPUT XIV.

Ob hoc ergo nos convenit diligentius intueri,
1 quis offerat, cui offerat,[1] quid offerat, et pro quibus
offerat is, qui nobis via, veritas, et porta effectus
est; de qua porta Spiritus sanctus per Prophetam
ait: *Hæc porta Domini: justi introibunt per eam;*
Ps. CXVII, 20. et iterum: *Non confundetur, dum loquetur ini-*
Ps. CXXV, 5. *micis suis in porta.* Sed ad istam portam non
venient, nisi hi qui meruerint per Dei gratiam et
adjutorium de portis mortis exaltari, hoc est, pec-
catis. Ejus ergo supplicia, cui credo, constanti pro-
fessione commemoro, nec me pudet eorum, quæ
Redemptor mundi et pro mea salute suscepit, et
pro sua virtute superavit. Rideas licet, Judæe atque
gentilis, quod in eo spem meam locem, quem cru-
cifixum mortuumque profitear: ego tamen in his
vulneribus glorior, per quæ me placere Redemptori
meo, quod tu ignoras, intelligo: *Verbum enim*
crucis, ut ait Apostolus, *pereuntibus stultitia est,*
I Cor. I, 24, 25. *salvis autem futuris virtus Dei est.* Ecce Pilati
judicis facio mentionem, a quo judicatus est, qui
2 est mundi judex futurus.[2] Quid autem dignitatem
fidei meæ mordeant pœnæ illius beati corporis,
quas celer resurrectio consecuta destruxit? Neque
enim hic finis fidei meæ confessionisque est; sed
quid sequatur accipito. Tertia die resurrexit a
mortuis, ascendit in cœlos, sedet ad dexteram Pa-
Act. X, 42. tris, inde venturus est judicare vivos et mortuos,
id est, et justos et peccatores, et Gentiles et Ju-
dæos, seu animas et corpora. Videturne tibi jam
3 stabilis esse,[3] atque felix nostra credulitas, quæ ei
4 innititur, cui nec ipsa mors obviare ac resistere[4]
poterit?

CAPUT XV.

Denique numquam magis quanta clementia et
patientia Redemptor noster abundaret, apparuit;
quam cum mysterii hujus aggressus officium est;
ut suscipiendo scilicet nostram substantiam, et pa-
tibuli et tumuli jura susciperet. Nostris ergo pro-
speris adversa ejus impensa sunt, et divina atque
5 humana[5] in nostro Redemptore natura quoddam
inter se sacrum iniere commercium; ut testimo-
nium ab humanitate divinitas, præmium a divini-
tate ferret humanitas, hoc est, ut vulneribus cor-
poris Deus noster magnitudinem erga nos sui
6 amoris ostenderet, et consortio divinitatis[6] repen-
sari sibi obedientiæ gratiam, et animus noster et
corpus agnoscerent. Qua igitur fide, quave devo-
tione huic Domino tantorum in nos donorum mu-
nifico adhærere ac servire debeamus, intuendum
7 est;[7] qui ita nullum largiendi modum habuit, ut
tantum fidelibus donaret in præmio, quantum ipse
possidebat in regno: etiam ut crederemus nos ejus

A fieri posse cohæredes, etiam naturæ nostræ con-
sors esse delegit; non tamen ut substantiam a
divinitatis arce detruderet, sed ut nos infirmos,
et in extrema mortis vilitate ac necessitate[8] de- 8
gentes ad gloriam resurrectionis attraheret. Quia
ergo in se, quidquid nobis pollicebatur, ostendit;
non perire carnis istius substantiam resurgendo
perdocuit; et ubi ei post resurrectionem futura
esset habitatio, ascensione monstravit. Hoc est ma-
gnum, et prorsus[9] magnum pietatis sacramentum, 9
B quod in carne manifestatum esse, ut rerum pro- I Tim. III, 16.
ventus, ita gentium Doctor annuntiavit. Justifica-
tum autem claret in Spiritu; quoniam *mediator*
Dei et hominum homo Christus Jesus, non solum[10] 10 Ibid., II, 5
sperandæ nobis felicitatis, sed etiam capessendæ
præbuit[11] veritatis exemplum. Quod sane sacra- 11
mentum pietatis, per quod nos conditor noster ac
redemptor amplectitur, sicut testimonio virtutis
resplenduit, ita etiam in ascensione assumptum in
gloria, celebratum est obsequiis angelorum; et
C ideo non est despicienda carnis humanæ natura,
quæ in sanctæ Trinitatis substantiam atque con-
sortium per Dominum Christum ingredi meruit.
Puto sane quod, Deo donante, de mysterio sanctæ
Trinitatis, et incarnatione Domini Salvatoris satis
dictum sit: verum quoniam[12] in fine dogmatis 12
nostri carnis nostræ ponitur resurrectio; eadem a
nobis sunt firmius propter hæreticos ac sæpius
repetenda.

D

CAPUT XVI.

Verbum enim Dei, quod Dominus Christus est,
qui est primogenitus omnis creaturæ, et qui est
primogenitus ex mortuis, ad imaginem suam, quam
prius ipse condiderat, venit; de qua imagine
scriptum est: *Et plasmavit Deus hominem ad*
imaginem et similitudinem suam; et carnem Gen. I, 27.
propter carnem, mediante anima rationabili, ex
sancta virgine Maria suscipiens, et similia, id est,
E animam et carnem per similia purificans, factus
est per omnia homo absque peccato. Mediante ergo
anima Deo et carni, hic, qui omnes, sicut ait Apo-
stolus, divites faciens, pauper effectus est, ut illius
inopia nos divinis atque cœlestibus divitiis ditare-
mur; per signum illud salutis, quod Deus generi II Cor. VIII, 9.
dedit humano, dicente Esaia propheta: *Ecce Do-* Isai. VII, 14 et seq.
minus dabit vobis signum; ecce Virgo concipiet
in utero, et pariet filium, et vocabitur nomen
ejus[13] *Emmanuel, quod est interpretatum, nobi-* 13
F *scum Deus:* qui antequam sciret vocaret patrem
aut matrem suam, butyrum et mel manducavit, id
est, Spiritu sancto repletus est; cujus doctrina
nobis dulcior super mel et favum est: qui spolia
Samariæ a Magis accipiens, homo, rex, et Deus
comprobatus est. De hoc etiam mirabili signo san-
ctus Simeon ad Mariam virginem dicit: *Ecce hic*

[1] Rom. edit., *quid offerat. Is qui offert, nobis via,* etc.

[2] Eadem Rom. edit., *nec est quod dignitate fidei meæ minuant.*

[3] Eadem Rom. edit., *atque firma.*

[4] Eadem Rom. edit., *poterit? Et portæ, inquit, inferi non prævalebunt adversum eam.*

[5] Eadem Rom. edit., *natura in redemptoris nostri persona.*

[6] Vat. cod., *recompensari sibi obediente gratia.*

[7] Rom. edit., *qui nedum largiendi nullum modum habuit, sed omnem adeo mensuram excessit.*

[8] Eadem Rom. edit., *jacentes.... extolleret.*

[9] Eadem Rom. edit., *omnium confessione magnum, pietatis mysterii sacramentum. Nam declaratum est in carne, ut rerum declaravit eventus, quod in mysterio latebat.*

[10] Eadem Rom. edit., *sperandæ, sed etiam capessendæ præbuit in se nobis felicitatis exemplum. Sicut enim operibus et virtute testimonio veritatis in nativitate carnis qualis esset resplenduit.*

[11] Vat. cod., *unitatis exemplum.*

[12] Idem cod., *in fide dogmatis nostri.*

[13] Rom. edit., *Emmanuel: qui antequam sciat vocare patrem aut matrem accipiet fortitudinem Damasci; et butyrum et mel manducabit.*

positus est in ruinam et in resurrectionem mul-
Luc. II, 34. *torum in Israel, et in signum cui contradicetur.*
De quo signo et beatus apostolus Paulus ait: *Judæi*
I Cor. I, 22. *signa petunt, et Græci sapientiam quærunt.* Pro
imagine ergo sua Christus, quam in primo con-
diderat homine, quam viderat in homine diaboli
1 arte fucatam, venit in similitudinem[1] peccati; ut
2 hominem[2] per passionem crucis et mortem ad pri-
Rom. VIII, 3. stinam revocaret imaginem; quæ imago per incu-
riam quidem obscurari potest, deleri autem per
naturam non potest. De hac imagine ait Propheta:
Quamquam in imagine Dei perambulet homo,
Ps. XXXVIII, 7. *tamen vane conturbabitur.* Nullus ergo est, qui non
aliquam imaginem habeat, id est, aut sanctitatis, aut
peccati. In imaginem Dei ambulamus, quando co-
gitationes bonæ, quæ nobis a Deo insitæ sunt, in
3 nobis permanent, et ad opera nos bona perducunt.[3]
Memoria ergo Dei excludit a corde nostro cuncta
flagitia atque peccata, quæ diabolus nititur in corde
nostro seminare atque depingere. Unde dicitur a
Propheta: *Domine, in civitate tua imagines eorum*
Ps. LXXII, 20 *ad nihilum rediges.* Nihil ergo prodest legisse vel
audisse, nisi ea quæ aut legeris, aut audieris bona,
in memoriæ thesauro reposueris. Sicut ergo tria
4 sunt in homine, id est, corpus, anima, et spiritus;[4]
sic tria sunt eminentiora, quæ nos aut ad bona
aut ad mala perducunt, hoc est, aut cogitatio, aut
locutio, aut operatio. Quæ tria breviter Spiritus
sanctus in primo psalmo comprehendit dicens:
Beatus vir, qui non abiit in consilio impiorum,
et in via peccatorum non stetit, et in cathedra
5 *pestilentiæ non sedit.* Isti sunt[5] terni stratores
Ps. I, 1. diaboli, qui miseræ insidiantur animæ; ut aut in
dicto, aut in facto, aut in cogitatu eam incitent
ad peccatum. Spiritu ergo, anima et corpore aut
bene agimus, aut male; aut casti sumus, aut for-
nicamur; et ideo sicut avari atque raptores servi
sunt mammonæ; et sicut gluttones et ebriosi servi
sunt ventris atque libidinis; sic omne peccatum
dominatur hominibus, probante hoc Propheta ac
dicente: *Erunt quinque civitates in terra Ægypti,*
Isai. XIX, 18. *loquentes lingua Chanaan,* hoc est, quinque sensus
carnales, qui miseræ animæ tenebris Ægypti op-
pressæ loquuntur; Ægyptus enim persequens sive
tribulans atque coarctans interpretatur. Nisi ergo
aquilonem frigidissimum ventum calore fidei, Christo
6 nos juvante, qui bona et docet et[6] delectatur, vi-
cerimus; statim nobis calorem concupiscentiæ atque
libidinis suscitabit. Attenuetur ergo jejuniis caro,
7 et[7] circumcidatur omni concupiscentiæ cultro, nec
Rom. VI, 12. regnet peccatum in nostro mortali corpore; ut ef-
fugere consortia mundi et opprobria diaboli pos-

A simus. Jejunium ergo contritio atque humiliatio
animæ est, afflictio autem corporis.

CAPUT XVII.

Hæc de imagine Dei, ad quam factus est
homo, dicta sufficiant. Nunc autem ad ordinem
revertamur. Ex matre ergo virgine natus est inter
homines, sine homine patre; quia patrem Deum
habebat in cœlis, quem negare non venerat, ut
B ex alio nasceretur. Propter sententiam ergo Evæ
virginis, quam post peccatum excepit, quæ cum Gen. III, 16.
immortalis esset, post transgressionem effecta mor-
talis est, ipse per Virginem venit: et sicut per
virginem mors dominata est; ita per Mariam vir-
ginem venit ille, qui mortem vinceret. Occasio
mortis ingressa per lignum est; sed morte Domini
per lignum exclusa est: mulier de latere viri dor-
mientis producta est; similiter autem et Ecclesia Gen. II, 22
de latere Christi in cruce per passionem et sopo-
C rem mortis formata est. Ex latere viri formata est
femina; et ideo in latere percutitur Dominus, ut
pro muliere vir patiatur, ex cujus latere formata
est, quæ eum[8] suasit. Sed videamus, quia locus 8
expetit, jam quid hæreticis respondendum sit, qui
animam Adæ aut portionem Dei esse volunt, aut
ante eum factam, quam ejus corpus de terra fin-
geretur: quod prorsus alienum a fide catholica, et
extraneum est. Scriptum namque est quia *plasmavit*
Deus hominem[9] *de limo terræ, et* post plasma- 9
D tionem *insufflavit in eo spiritum vitæ; et factus*
est homo in animam viventem. Quod ita esse Evæ *Ibid.* 7. Sap. XV, 11.
mulieris non edocet exemplum, quæ cum de costa
Adæ in mulierem formata esset, postea animam a
Deo accepit: quæ creationis forma usque ad finem
mundi in nobis servatur,[10] sicut Esaias propheta 10
testatur dicens: *Qui format spiritum hominis in*
eo; et David: *Qui finxit singillatim corda eorum.* Ps. XXXII, 15.
Ergo secundum[11] tam evidens exemplum, nec 11
prior est anima corpore, nec antea condita, nec
E ex Dei substantia, nec in corporeis atque irratio-
nabilibus creaturis, ut hæretici volunt, multo
ante jam tempore nescio ubi fuisse conversata,
quod unde probent, non habent.

CAPUT XVIII.

Quotidie ergo Deus majestatis in plasmatis jam
corporibus animas facit,[12] et immittit, sicut Moyses 12
legislator de mulieribus prægnantibus testatur,
F quæ formatum, aut necdum formatum infantem
habent. Quod ita esse comprobat Dominus dicens: Exod. XXI, 23, 24.

[1] Rom. edit., *carnis peccati.*

[2] Eadem Rom. edit., *per lignum prævaricationis morte damnatum, per passionem,* etc.

[3] Eadem Rom. edit., *Imago namque Dei excludit,* etc.

[4] Hæc distinctio inter *animam* et *spiritum*, quæ ipsi quoque Ambrosio insueta non fuit, non ita est sumenda quasi duas revera animas in homine veteres catholici admiserint, sed eo tantum sensu quod anima unica in unoquoque homine qua sensuum actioni subditur *anima* fuerit appellata ex illis Pauli verbis *animalis homo;* qua rationis dictamini obtemperat, *spiritus* dicta sit.

[5] Eadem Rom. edit., *sternistratores*, emenda e Vat. cod. *terni stratores.* Est autem *strator*, is qui principis equum insternit, et conscensuro admovet. Nihilo autem incommodius Reg. cod., *terni statores;* iidem siquidem *stratores* dicuntur, qui et lictores apparitoresque, a quibus scilicet quispiam sistitur apud judices. (Edit. Maur.).

[6] Eadem Rom. edit., *melioribus delectatur.*

[7] Eadem Rom. edit., *spiritali circumcidatur omnis concupiscentia cultro.* Hæc sane lectio, ut una logice recta, admittenda esset; quæ enim in textu est, e mss. desumpta, mendosa evidenter est.

[8] Eadem Rom. edit., *suasit ad transgressionem.*

[9] Eadem Rom. edit., *pulverem accipiens de terra.*

[10] Eadem Rom. edit., *sicut sapiens impium redarguit. Quoniam ignoravit qui finxit se, et qui inspiravit illi animam quæ operatur, qui insufflavit spiritum vitalem. Et David,* etc.

[11] Eadem Rom. edit., *juxta testimonia veritatis tam evidentia.*

[12] Eadem Rom. edit., *Et infundit. Unde Moyses legislator damnat percutientes mulierem in ventre habentem, dicens: Si autem fuerit figuratum, dabit animam pro anima, oculum pro oculo.*

Joan. v, 17. *Pater meus usque modo operatur, et ego*[1] *operor.* Sicut ergo impium est animam hominis de substantia Dei, vel animam ex anima dici; ita impium est dicere quod ante plasmationem corporis facta sit; cum ipse Adam proclamet, dicens: *Hoc*
Gen. ii, 23. *nunc os ex ossibus meis, et caro de carne mea.* Aliud ergo est Deus, aliud anima hominis; quia
2 ab eo, non de eo facta est. Deus enim[2] invisibilis est, incorruptibilis, impenetrabilis, incoinquinabilis, qui nulla ex parte corrumpi potest, et cui nulla ex parte noceri potest: anima autem hominis, quæ Deus non est, peccati capax est, et in ærumna versatur, et in falsitatem ducitur, tentatur, cæ-
3 catur, conturbatur,[3] corrumpitur, captivatur: et ideo virtute indiget liberatoris. Hæc ergo mutatio animæ, hæc varietas ostendit mihi manifeste, quod anima hominis nec Deus, nec de ejus substantia sit: nam si anima hominis substantia Dei est, secundum illos qui hoc dicunt, contristatur substantia Dei, decipitur substantia Dei, cæcatur substantia
4 Dei,[4] corrumpitur substantia Dei, captivatur substantia Dei, et modo judicatur, et in die judicii
5 carne suscepta cum diabolo in æterno igne[5] damnabitur: quod quam sit impium, qui sanum sapit, intelligit. Clamat ipse Dominus apostolos suos confortans, ac dicit: *Nolite timere eos, qui occidunt corpus, animam autem non possunt occidere; sed eum timete, qui potest et animam et corpus*
Matth. ii, 28. *perdere in gehennam.* Numquid secundum istos vesanos, ut jam dictum est, portionem aut naturam suam Deus judicabit? Absit. Et ideo in ipsis
6 corporibus, quibus nati sumus,[6] et ex quibus animæ nostræ egressæ mortui sumus, in ipsis post resurrectionem animæ nostræ, Deo jubente, introeunt; et resurgunt, si bona fecerunt, in resurrectionem vitæ ad gloriam regni cœlorum percipiendam: si autem mala egerunt, in resurrectionem judicii et opprobrium et confusionem sempiternam. Quod ita futurum comprobat beatus Apostolus dicens: *Omnes nos manifestari oportet ante tribunal Christi, ut recipiat unusquisque propria corporis sui, prout*
II Cor. v, 10. *gessit, sive bonum, sive malum.* Tunc enim se-
Isai. xxiv, 2 cundum vaticinium Esaiæ prophetæ, nulla erit
7 diversitas inter nobilem et ignobilem,[7] sacerdotem et laicum, servum et dominum, ancillam et do-
8 minam ejus, divitem et pauperem,[8] feneratorem et eum qui ære premitur alieno, inter ementem et
Ita Hieronym. in eumd. loc. Isai. vendentem. Omnes ergo ex æquo stabunt ante tribunal Christi, nec erit personarum acceptio apud Deum. Quod et sanctus Job iisdem propemodum verbis annuntiat dicens: *Parvus et magnus ibi*
Job. iii, 19. *sunt, et servus est liber a Domino suo.* Et Salvator in Evangelio, cui omne judicium propter gloriosam passionem hominis suscepti traditum est, pleno sermone testatur dicens: *Cum enim venerit*

A *Filius hominis cum Angelis sanctis in majestate Patris sui, tunc reddet unicuique secundum opera ejus.* Hæc omnia ergo futura sunt; quia quod futurum est, per prophetas Dominus est locutus, qui dicit: *Ego visiones multiplicavi, et in manu prophetarum assimilatus sum.*

Matth. xxv, 31. Osee xii, 10

CAPUT XIX.

Ad quod incarnationis[9] secretum supra scriptus 9
B propheta miratur ac dicit: *O custos quid de nocte? quid de nocte custos? Secretum meum mihi, secretum meum mihi.*[10] *Væ mihi. Cum,* inquit pro- 10
Isai. xxi, 11; Isai. xxiv, 16. pheta, *hæ audissem,* quod videlicet Deus majestatis carnem esset induturus et vaticinium in eum explendum esse prospicerem; locutus sum mihi interno cordis affectu; quia non possum cuncta narrare, quæ cerno: hæret lingua faucibus meis, vox dolore ac pavore concluditur; quod tanta mysteria ante oculos versantur meos. Video enim,
C præsentio, quæ futura sunt: intelligo quod custos Samaritanus[11] ille est ejus, qui de Hierusalem de- 11
Luc. x, 33. scendens in Hiericho, incidit in latrones. Iste est custos, cui beatus Job dixit: *O custos hominum, quare posuisti me*[12] *contrarium tibi, et factus* 12
Job. vii, 20. *sum mihimetipsi gravis? Cur non tollis peccatum meum, et quare non aufers iniquitatem meam?* Iste est custos qui dicit:[13] *Super custodiam meam* 13
Isai. xxi, 8. *ego sum jugiter, tot diebus et noctibus stans;* et de quo Propheta dicit: *Ecce non dormitabit,*
D *neque obdormiet, qui custodit Israel.* Propter hæc Ps. cxx, 4.
ergo vocabula, prophetæ, et quia commutantur sæpius personæ in eis plurimæ ac parabolæ, obscuri sunt. Sed nunc jam ad ordinem revertamur.

CAPUT XX.

Solent igitur nobis hæretici, qui carnis negant resurrectionem, illud beati Apostoli testimonium opponere, quo dicit: *Caro et sanguis regnum Dei*
E *non possidebunt;* reticentes illud callide, quod se- I Cor. xv, 50.
quitur. Cum enim dixisset: *Caro et sanguis regnum Dei non possidebunt,* sequitur ac dicit: *Nec corruptio incorruptelam possidebit.* Hæc ergo dicta Ibid.
sunt, non quo dispereat natura corporum sanctorum nostrorum, sed quo corruptivum hoc induat incorruptionem, sicut idem comprobat Apostolus dicens: *Sic et resurrectio mortuorum: seminatur in corruptione; surget in incorruptione: seminatur in ignobilitate; surget in gloria: seminatur*
F *in infirmitate; surget in virtute: seminatur corpus animale; surget corpus spirituale.* Isti sunt enim Ibid., 42 et seq.
quatuor ordines resurrectionis, qui in virga illa sacerdotali, quæ in tabernaculo Domini floruit, præfigurabantur. Sic ergo accipiendum est: *Caro* Num. xvii, 8

[1] Eadem Rom. edit., *operor. Non semel ergo inspiravit in faciem hominis spiraculum vitæ, sed quotidie inspirat.*

[2] Rom. edit., *impeccabilis est et infallibilis, impassibilis et incoinquinabilis.*

[3] Eadem Rom. edit., deest, *corrumpitur.*

[4] Eadem Rom. edit., *patitur substantia Dei.*

[5] Eadem Rom. edit., *poterit damnari.*

[6] Eadem Rom. edit., *Et quibus animæ nostræ, Deo jubente, intrant, resurgent, si bona,* etc. Quisque animadvertit ad illos textus voces *e quibus animæ nostræ egressæ* aliquid deesse, puta *cum fuerint* ante *egressæ.* Romana editio difficultatem sustulit locum corripiendo.

[7] Eadem Rom. edit., *sacerdotem et populum.*

[8] Eadem Rom. edit., *fenerantem et fenus accipientem.*

[9] Eadem Rom. edit., *sacramentum se vergens alter propheta.* Vox textus *suprascriptus* refertur ad Isaiam; non erat ideo cur mutaretur in *alter.*

[10] Eadem Rom. edit., *quasi diceret: cum propheta hæc audirem, quod videlicet,* etc.

[11] Eadem Rom. edit., *ille est, qui hominis illius curam egit, qui,* etc.

[12] Eadem Rom. edit., *contrarium tuum? sum autem in te onus? Et cur non fecisti iniquitatis meæ oblivionem, et purificationem peccati mei?*

[13] Eadem Rom. edit., *steti per totum diem, et super castra steti tota nocte.*

et sanguis regnum Dei non possidebunt, quomodo illud, quod comminatur Deus populo peccatori, dicens: *Ponam cœlum, quod super vos est, æneum;* Levit. XXVI, 19. *et terram, quam calcatis, ferream:* non quod elementorum natura mutetur, sed quod per æs et ferrum pœnarum magnitudo monstretur. Veram ergo resurrectionem futuram in semetipso nobis Dominus Christus manifestavit, qui post tertiæ diei resurrectionem typos clavorum et lanceæ vulnus Luc. XXIV, 40. discipulis dubitantibus demonstravit.

CAPUT XXI.

Non ergo contemnamus carnem nostram male et luxuriore vivendo, in qua Dominus Christus et natus et passus est, et resurrexit: non despiciamus lutum carnis nostræ, quod in Domini Christi deitatem, quæ ignis est, excoctum in testam purissimam regnat in cœlis. Quærendum sane est, cur Apostolus dixerit: *Etenim Deus noster ignis* Hebr. XII, 29. *consumens est:* Deus enim noster, qui ignis vivus, divinus et æternus est, non istas materias corporales, sed conscientias peccatorum consumit, et in sui charitate corda nostra succendit. Et ideo angeli qui pleni sunt charitate, et ipsi ignis appel- Ps. CIII, 4. lantur. Sed et sancti quique, qui illo igne accensi sunt, de quo Dominus ait: *Ignem veni mittere in* Luc. XII, 49. *terram,*[1] *et quam volo ut accendatur:* et iterum: *Sint lumbi vestri præcincti, et lucernæ ardentes* Ibid., 35. *in manibus vestris.* De quo et Apostolus ait: *Spi-* Rom. XII, 11. *ritu ferventes, Domino servientes.* Ergo divinus sermo ignitus est et fervens. Quod ipse Dominus comprobat dicens ad Hieremiam prophetam: *Ecce* Jerem. V, 14. *dedi verba mea in ore tuo sicut ignem;* quem ignem intra se ipse propheta exæstuantem declarat dicens:[2] *Factumque est in corde meo quasi ignis* Jerem. XX, 9. *exæstuans.* Quod ergo dictum est: *Deus noster ignis consumens est,* ita dictum est, non quo Deus qui spiritus est, ignis sit; sed quo justos illuminet; sustinentibus vero pœnam ignis esse videatur. Hæc de eo quod dictum est: *Deus noster ignis consumens est.* Nunc ad ordinem revertamur.

CAPUT XXII.

Quomodo ergo resurrectio carnis negatur, cum multo ante per prophetam ex persona sua Dominus Ps. XV, 9. Christus dixerit: *Caro mea requiescit in spe;* et in alio loco: *Caro ejus non videbit corruptio-* Act. II, 31. *nem;* et iterum:[3] *Sepultura ejus sublata est;* et iterum: *Et videbit omnis caro salutare Dei;* et iterum: *Veniet omnis caro,*[4] *quæ adoratura est* Isai. LXIX, 23. *in conspectu Domini*, id est, aut in Hierusalem cœlesti, aut in omni loco, ubi corruerit, aut sepulta fuerit, secundum illud Apostoli: *Volo viros* I Tim. II, 8. *orare in omni loco, levantes manus mundas;* si enim sol, qui creatura est, cui præcipitur ut oriatur, in omni orbe terrarum videtur, ac radios suos extendit; quanto magis creator et omnipotens Deus[5] in omni credendus est consistere loco! Cui Pro-

A pheta dicit: *Quo ibo a facie tua? Si descendero in infernum, ades;* et cætera. Si ergo omnis caro Ps. CXXXVIII, 7, 8. adoratura est Dominum, et e contrario cadavera virorum, qui prævaricati sunt in Deum, æternis tradentur ardoribus; in utramque partem vera carnis erit resurrectio. Et ideo nec ad dexteram, nec ac sinistram ab hac sancta et catholica fide declinandum nobis est, id est, ut nec judaicum, nec hæreticum errorem sequamur: quorum alii qui carnales sunt, solas diligunt carnes; alii ingrati B beneficiorum Dei habere detractant quod Dominus Jesus Christus et natus habuit, et resurgens possidet in æternum. Hæc est enim vera resurrectio, quæ sic gloriam carni tribuit, ut non auferat veritatem. Sicut jam dictum est, dicit Apostolus: *Corruptibile hoc induet incorruptionem, et mortale hoc induet immortalitatem;* et iterum: *Nolumus igitur spoliari,* subaudi carne; *sed super-* 6 *indui cupientes gloriam,*[6] *quæ de cœlo est;* et iterum: *Ut vestiti et non nudi inveniamur, ut* C *devoretur, quod mortale est, a vita.* Nemo ergo I Cor. XV, 53; II Cor. V, 2, 3 superinduitur, nisi qui ante vestitus est; sicut et Dominus noster, qui in monte transfiguratus est in gloriam, tunc quando Moysen et Eliam ad testimonium exhibuit suum; cujus non solum vesti- Matth. XVII, 3. menta, sed et facies fulgebat ut sol; ubi autem facies nominatur, æstimo quod et cætera membra conspecta sint.

CAPUT XXIII.

D Ad hanc igitur clarificationem justi omnes in resurrectione transformabuntur, probante hoc Joanne Evangelista ac dicente: *Carissimi, filii Dei sumus, et nondum apparuit quid erimus. Scimus quia cum apparuerit, similes ei erimus.* Et justus I Joan. III, 2. dicit: *Ego autem cum justitia apparebo in conspectu tuo; satiabor, dum manifestabitur mihi gloria tua.* Resurgent ergo corpora nostra in Ps. XVI, 15. æternum aut ad gloriam, aut pœnam mansura. Dan. XII, 2. E Cujus testes sunt Elias et Henoc, qui per tot series annorum ita usque ad secundum adventum Domini Christi permanent. Quod ita esse comprobat beatus Job dicens:[7] *Scio quia Redemptor meus* 7 *vivit, et in novissimo die de terra surrecturus sum; et rursus circumdabor pelle mea, et in carne mea videbo Deum. Reposita est hæc spes mea in sinu meo.* Erubescant ergo hæretici, qui Job. XIX, 25 et seq. aerium aut phantasticum corpus aut Domini fuisse, aut nostrum futurum esse, aut metempsychosin mentiuntur.

F

CAPUT XXIV.

Satis revera impium est et injustum, ut Job, qui oculis suis vulnera conspexit sua, et putredines ac vermes corporis sui manibus palpavit suis, Job. VII, 5 in aliam dicatur aut carnem, aut animam resurgere. Quod ergo de beato Job diximus, hoc de Petro, hoc de Paulo, et de omnibus sanctis, qui

[1] Rom. edit., *et quid volo, nisi ut accendatur.*

[2] Eadem Rom. edit., *factum est, inquit, quasi ignis ardens, comburens in ossibus meis.*

[3] Eadem Rom. edit., *Erit in pace sepultura ejus, ablata est de medio.*

[4] Eadem Rom. edit., *ut adoret in conspectu meo in Hierusalem, hoc est, in cœlo,* etc.

[5] Eadem Rom. edit., *omnem credendus est penetrare et implere locum.*

[6] Eadem Rom. edit., *quæ de Deo est.*

[7] Eadem Rom. edit., *Scio quod æternus est, qui solvere me debet, super terram suscitare pellem meam, quæ tolerat hæc. A Domino enim hæc mihi confecta sunt, quæ ego conscius sum, quæ oculus meus vidit, et non alius, omni autem mihi consummata sunt in sinu meo.*

diversis pro Deo tormentis animas posuerunt. Quæritur sane illusorie a nobis ab hæreticis, utrum in resurrectione diversitas sexus sit, id est[1] et feminæ cum viris resurgant,[2] ignorantes cæci sententiam Domini dicentis: *Regina austri surget in judicio cum viris generationis hujus, et condemnabit eos.*[3] Ubi ergo vera caro, ibi diversitas sexus est; et ubi diversitas sexus, ibi Joannes Joannes est, et Maria Maria est. Vera ergo carnis resurrectio sine operibus carnis erit; quia sicut veritas ait: *Neque nubent, neque uxores accipient, sed erunt sicut angeli in cœlo.* Similitudo ergo nobis angelica promittitur, non substantia carnis negatur; quando enim dicitur: *Neque nubent, neque nubentur;* de his dicitur, qui possunt nubere, et tamen non nubent. Si enim hic in ista[4] vita, quæ tentatio est super terram, multi propter regnum cœlorum semetipsos castrantes, non nubunt; et non solum viri, sed etiam feminæ, hoc, Christo juvante, faciunt:[5] quanto magis hoc in illa beata vita non dicamus fieri, sed nec cogitare licebit! Catholicum ergo et rectum est utrumque sexum in carnis resurrectione sine sexus operibus confiteri: cum, ut jam dictum est, adhuc in hac vita positi nitamur cum Dei adjutorio opera carnis, quæ contra spiritum concupiscit, non implere; probante hoc Apostolo, ac dicente: *Vos in carne non estis, sed in spiritu:*[6] negando enim eos in carne, quos in carne esse constabat, non carnis substantiam, sed peccata, id est, opera carnis in eis damnavit; et iterum: *Ut absorbeatur quod mortale est, a vita;* quia licet exterior homo noster corrumpitur,[7] sed renovatur interior; quod tamen non solum in regno cœlorum et baptismate, sed etiam in pœnitentibus quotidie fieri noverimus, in quibus carnis interitus ad profectum cedit spiritualem. Cui ergo nec opera carnis erunt, nec augmenta membrorum, nec capillus crescit aut unguis; quia omnes in virum perfectum, qui Christus est,[8] resurgemus. Si enim patribus in eremo quadraginta annis non capilli, non ungues creverunt, aut vestimenta aut calceamenta attrita sunt; hoc in regno cœlorum, ubi aufugiet dolor, et gemitus, et tristitia,[9] quæri quam impium sit, sapiens lector intelligit.

Luc. xx, 31 — Matth. xxii, 20. — Rom. viii, 9. — II Cor. v, 4. — Ephes. iv, 13. — Deut. xxix, 5.

CAPUT XXV.

Sed contra hanc tam veram, tam firmam doctrinam, et tam clara documenta et omni virtute subnixa, solent nobis hæretici illud Apostoli opponere, quod ait: *Non omnis caro eadem caro, sed alia caro hominis, alia pecoris, alia volucrum,* et cætera;[10] non intelligentes miseri beatum Apostolum corporis hoc honore, non generis differentia dixisse. *Alia* est ergo *caro hominis,* id est, servi Dei, *alia pecoris,* id est, ethnici, et peccatoris, atque hæretici, qui *cum in honore esset,* sanguine Christi redemptus atque honoratus, *non intellexit, sed comparatus est jumentis insipientibus, et similis et factus est illis. Alia volucrum,* id est, martyrum, qui ad cœlestia pennis Spiritus sancti subvecti conscendunt. *Alia piscium,* id est,[11] qui post salvatoris baptismi aquam assumuntur. *Alia gloria solis,* id est, Christi: *alia gloria lunæ,* id est, Ecclesiæ: *et alia gloria stellarum,* id est, seminis Abrahæ, et eorum qui se per fidem, et opera bona[12] filios ejus ostendunt: *stella enim ab stella differt*[13] *in gloria,* id est, apostoli et prophetæ illi, qui cupierunt videre et audire Christum: isti autem qui viderunt et audierunt eum;[14] et corpora cœlestia, et corpora terrestria, id est, christianorum et Judæorum. Postremo autem, ut omnium resurrectionem ostenderet, sic conclusit sententiam suam, dicens: *Sic et resurrectio mortuorum.* Quod[15] ut ita possit intelligi, nostræ conditionis, quæ in hoc sæculo fit, ponamus exempla. Infans enim cum in puerum creverit, puer vero in juvenem, juvenis autem in virum, et vir in senem, nequaquam per singulas ætates perit, sed semper idem est, qui fuit.[16] Paulatim ergo hic ætas, non autem natura perit. In illa autem Hierusalem cœlesti, ubi sol iste ac luna septuplum lucebunt, diversitates non erunt ætatum: ibi enim nec infans, nec senex, nec parvus erit, qui non impleat dies suos, utpote filius resurrectionis, et in mensuram perveniat ætatis plenitudinis Christi, ut nec desint alicui annorum spatia, nec supersint. In illo[17] ergo tempore, cum ætas fuerit una cunctorum, et sanctus et peccator erunt simili resurrectione perfecti, nec inter se variabunt tempore: sed alius ad præmia æterna, et in centuplum bona recipiendia, alius ad supplicia pertrahitur æterna. Cum ergo in genere humano aliter et aliter nascantur homines, in carnis resurrectione una omnibus et similis erit[18] resurrectio: aliter enim Adam, aliter Eva, aliter Cain et Abel, et omnes homines nati sunt atque nascuntur: aliter autem homo Christus Jesus, qui est mediator Dei et hominum, natus est. Licet ergo diversis exordiis homo nascatur, una tamen hominis natura non differt resurrectione carnis omniumque membrorum:[19] quæ omnia membra una Domini sententia declarantur, cum de illo homine loqueretur, qui non habuit

A — I Cor. xv, 39. — 10 — B — 11 — 12 — 13 — I Cor. xv, 41. — 14 — C — 15 — Ibid., 42. — 16 — D — 17 — E — 18 — Gen. ii, 22; iv, 1. — I Tim. ii, 5. — 19 — F

Tertull. lib. de Resurr. c. 52.

[1] Eadem Rom. edit., *an feminæ a viris distinctæ resurgant.*

[2] Eadem Rom. edit., *Ignorant perditi, non vident cæci.*

[3] Rom. edit., *Ergo ibi erit diversitas sexus. Nec mirum, quia ubi vera caro, ibi distinctio membrorum et personarum. Ubi vero talis distinctio, ibi procul dubio Joannes.*

[4] Eadem Rom. edit., *miserabili vita, quæ piraterium est.*

[5] Eadem Rom. edit., *quanto minus talia hæc in illa beata vita nedum fieri, sed,* etc.

[6] Eadem Rom. edit., *Et iterum: Ergo, fratres, debitores sumus non carni, ut secundum carnem vivamus; negando enim,* etc.

[7] Rom. edit., *interior tamen de die in diem renovatur.*

[8] Eadem Rom. edit., *et in mensuram plenitudinis ejus resurgemus.*

[9] Eadem Rom. edit., *hujusmodi quæruntur? Hoc quam impium sit, fidelis quisque intelligit.*

[10] Eadem Rom. edit., *quæ ibi sequuntur, non intelligentes homines perditi beatum Apostolum de corporis humani dignitate in resurrectione, non de carnis differentia,* etc.

[11] Eadem Rom. edit., *qui per salutaris baptismi aquam ad cœlestem vitam assumuntur.*

[12] Eadem Rom. edit., *in filios ejus cooptantur.*

[13] Eadem Rom. edit., *in claritate ut apostoli a prophetis. Isti quia cupierunt,* etc.

[14] Eadem Rom. edit., *sunt denique, inquit, et corpora cœlestia, id est, christianorum, et terrestria Judæorum.*

[15] Eadem Rom. edit., *ut facilius possit intelligi, nostræ transmutationis, quæ,* etc.

[16] Eadem Rom. edit., *ætas enim in his transmutationibus variatur, non,* etc.

[17] Eadem Rom. edit., *ergo die.... nec inter se variabunt tempore, nec ætate.*

[18] Eadem Rom. edit., *naturæ resumptio.*

[19] Eadem Rom. edit., *nam omnis caro, omniaque membra eadem unaque fore.*

Matth. XXII, 11. vestem nuptialem,[1] nec servavit illud mandatum: *Omni tempore munda sint vestimenta tua;* quem manibus pedibusque constringi jussit et auferri, ne recumberet in convivio, ne sederet in solio, ne staret ad dexteram Dei; sed mitti in gehennam ignis, ubi est fletus oculorum, et stridor dentium.

Conf. Tertull. lib. *de Resurr. Carn.* cap. 35.

CAPUT XXVI.

Porro de capillis nostris dubitare satis impium est, quos Dominus dinumeratos esse signavit. Frustra ergo numerati sunt si aliquando perituri sunt: sed non pereunt, quia in similitudinem Domini Christi cum omnibus membris resurrecturi sumus. Si enim in istum ignem temporalem, qui omne quod accipit, absumit, omnipotens Deus potentiam suam in tribus pueris ostendit, qui in camino ignis ardentis capillos eorum intactos reservavit; in resurrectione capillos nostros non resuscitabit? Resuscitabit plane sine aliquo augmento vel detrimento. Nulla ergo in resurrectione mortuorum varietas[2] aut differentia erit, sicut nunc fragilis in nobis est carnis infirmitas, quæ sui oneris mole deprimitur,[3] quæ fucatur, fœdatur, cæcatur, injuriatur, vulneratur, sanatur, moritur, corrumpitur, et in terram ac pulverem revocatur;[4] et tamen post hæc omnia in die judicii in simplicis gloria primi Adæ atque secundi reformabitur. Vera ergo in carne resurrectio mortuorum, atque diversitas sexus erit sine opere carnis et sanguinis: *Veniet,* ait Dominus, *hora, in qua omnes qui in monumentis sunt, audient vocem Filii Dei, et procedent.* Audient ergo auribus, et procedent pedibus, sicut Lazarus, et omnes quos Salvator suscitavit: ipsi ergo procedent de monumentis, qui in monumentis illati fuerant. Veniet ergo omnis caro non solum de terra, sed etiam de mari, et de fluminibus; ut videant salutare Dei. Mandabit enim[5] piscibus ac fluminibus maris, et bestiis terræ, et volatilibus cœli; et eructabunt ossa et carnes omnium mortuorum; ut resurgant, alii in vitam æternam, alii in opprobrium et confusionem sempiternam. Tunc videbunt justi impiorum pœnas atque cruciatus; quoniam *vermis eorum non morietur et ignis eorum non extinguetur, et erunt in aspectu omni carni.* Quia ergo verissime hanc habemus spem, sicut exhibuimus membra nostra famulari immunditiæ et iniquitati ad iniquitatem; ita exhibeamus ea famulari justitiæ in sanctificationem vitæ: ut resurgentes a mortuis,[6] in novitate vitæ ambulemus; ut vita nominis Jesu manifestetur in carne nostra mortali propter Spiritum ejus habitantem in nobis. Justum ergo est, et vere justum, ut qui semper mortificationem Christi in corpore nostro circumtulimus, vita quoque ejus in corpore nostro manifestetur. *Spo-*

Matth. X, 30. Dan. III, 50. Joan. V, 28, 29. Joan. XI, 44. Tertull. lib. *de Resurr. Carn.* cap. 31. Isai. LXVI, 24. Rom. VI, 13. II Cor. III, 18. II Cor. IV, 12.

[1] Eadem Rom. edit., *nuptialem, quæ una erat,* etc.
[2] Rom. edit., *aut deperditio erit.*
[3] Reg. cod., *quæ fugatur, sedatur.*
[4] Eadem Rom. edit., *sed in die judicii in simplici natura primi Adæ, atque in secundi gloria reformabitur.*
[5] Eadem Rom. edit., *piscibus maris et fluminum.*
[6] Eadem Rom. edit., *ut, et in novitate vitæ ambulantes, vita.... in nobis, et resurgentes a mortuis, in ejus imaginem a claritate in claritatem transformemur.*
[7] Eadem Rom. edit., *peccati pallium.*
[8] Eadem Rom. edit., *induamus hominem.*
[9] Eadem Rom. edit., *Hoc ergo.... opificium.*

A *liantes* ergo *nos*, sicut dicit Apostolus, *veterem hominem cum actibus suis,* erroris tunicam ac[7] peccati non requiramus; ut novam, qui Christus est,[8] induamus, imitantes sponsam ejus dicentem nocte: *Exui me tunicam meam, quomodo induar illam? Lavi pedes meos, quomodo inquinabo illos?*

Coloss. III, 9. Ephes. IV, 24. Cant. V, 3.

CAPUT XXVII.

B Hanc[9] ergo majestatis ac potentiæ artem, id est, resurrectionem figulus ille facit, qui per Hieremiam prophetam ad populum loquitur peccatorem, dicens: *Numquid sicut figulus iste non potero*[10] *vos reformare ac redintegrare, domus Israel?* Qui etiam hanc mirabilem majestatis suæ[11] operam in manu Moysi ostendit, quam in candore mutatam deinceps colori pristino restituit. Sed et ipsum resurrectionis vocabulum aperte significat, non aliud mori, et aliud resuscitari. Quod C ergo in homine moritur, hoc et vivificatur. Ita ergo secundum resurrectionem mortuorum[12] nec cum errat, ignorat. Vulneratus denique[13] ille teneris Hiericuntinus totus refertur ad stabulum, et delictorum plagæ per miserentis gratiam immortalitatem sanantur. Prophetia ergo, quæ pendebat vere in Domini Christi carne completa est, quam Spiritus sanctus nos cupiens edocere locutus est; ait enim: *Quæ est ista, quæ ascendit dealbata, innitens supra fratruelem suum, et deliciis affluens?* Et D iterum: *Fratruelis meus candidus et rubicundus.* Rubicundus igitur ex incarnatione, candidus autem ex divinitate. Quod ita esse comprobat beatus Joannes Evangelista, cum dicit quia equus super quem sedebat Dominus, rubens erat, corpus scilicet sanctum, quod ex sancta Virgine assumpsit. Cui in cœlis ascendenti dicitur: *Quis est iste, qui venit de Edom tinctis vestibus*[14] *de Bosra;* et: *Quare rubrum est vestimentum tuum et indumenta tua quasi calcantium in torculari?* Et est sensus: E Quis est iste, qui ascendit e terra, cujus vestimenta sanguine sunt aspersa? Illud autem quod in Zacharia propheta dicitur, quia sequebantur eum equi variorum colorum, id est, qui vel in martyrio rubri, vel sturnini in volatu, id est varii in virtutibus, vel candidi in virginitate monstrantur. Quod autem equus iste rufus, albus denuo a sancto Joanne describitur,[15] divinitas, immortalitas et incorruptio ejus ostenditur. Et ideo omnes, qui eum sequuntur, candidis non solum utuntur vestibus, F sed etiam equis sedent, incorruptis videlicet et immortalibus corporibus. Et ideo hunc omnes sancti, ipso juvante, imitantur; quia vestimenta sua non coinquinant, ac virgines, gratia ipsius donante, permanent. Et ideo in albis vestibus, ut dictum est, erunt sequentes Agnum,[16] qui tulit peccatum mundi.

Cant. VIII, 5; V, 10. Apoc. VI, 4. Isai. LXIII, 1, 2. Zach. I, 8. Apoc. XIX, 11. *Ibid.*, 14.

[10] Eadem Rom. edit., *facere vos, domus Israel, dicit Dominus.*
[11] Eadem Rom. edit., *potentiam.... quandoquidem in lepræ candorem confestim illam mutavit: mox colori,* etc.
[12] Eadem Rom. edit., *id quod erat, resurgit.*
[13] Eadem Rom. edit., *Hiericuntinus ille continuo fertur ad stabulum.... per Samaritani illius gratiam miserentis.... suspensa pendebat.*
[14] Rom. edit., *fulvor vestium de Bosra? et: Quare tua rubra vestimenta, et indumenta tua quasi calcati torcularis?*
[15] Eadem Rom. edit., *divinitatis immortalitas.*
[16] Eadem Rom. edit., *quocumque ierit.*

CAPUT XXVIII.

Totum ergo hominem, sicut dictum est, Filius Dei suscepit ex Virgine, totum integrum resuscitabit, id est, animam et corpus, adimplens sententiam suam, qua ait: *Omne quod dedit mihi Pater, non perdam ex eo quidquam; sed ego*
Joan. VI, 39 *resuscitabo illud in novissimo die:* quod dictum tam de se quam de membris suis Dominum Christum dixisse intelligimus, qui suo et membrorum suorum ore in omnibus sanctis loquitur libris. Clamat ergo ad Deum et caput in corpore, et corpus in capite, hoc est, et Ecclesia in Christo, et Christus in Ecclesia; quia in nullo membra a capite, neque caput separatur a membris. Tunc ergo videbunt eum adversarii ejus, qui eum compunxerunt, et clamaverunt: *Tolle, tolle, crucifige*
Joan. XIX, 15. *eum.* Tunc angelorum vaticinium comprobabitur, qui stupentibus apostolis dixerunt: *Viri Galilæi, quid statis aspicientes in cœlum? Sic veniet,*
Act. I, 11. *quemadmodum vidistis eum euntem in cœlum.* Et sane hoc quærendum est, utrum post resurrec-
Tertull. *de Resurr. Carn.* c.60. tionem comessuri sumus, ac bibituri in regno cœlorum, sicut et Dominus post resurrectionem, ut verum corpus ostenderet, comedit ac bibit, ac sicut
Joan. XI, 44. Lazarus et ceteri quos suscitavit. Comedit ergo
Luc. XXIV, 33. Dominus, ut veritatem corporis ostenderet, et dubitantes apostolos confirmaret, qui eum spiritum ac phantasma putabant: comedit favum, ut prophetiam impleret, quæ ex persona ejus loquitur dicens:
1 *Comedi*[1] *favum cum melle meo; comedite, amici,*
Cant. V, 1. *et inebriamini, vicini.* Ob hanc ergo prophetiam, et verum corpus manifestandum post resurrectionem comedit Dominus ac bibit, probante hoc beato
2 Petro apostolo, ac dicente:[2] *Nobis autem manifestatus est, qui manducavimus, ac bibimus cum*
Act. X, 40, 41 *eo, postquam resurrexit a mortuis.* Nobis ergo post resurrectionem cibus Verbi, et visio Dei, et laudes ejus, et alleluja erunt, et illa *quæ nec oculus vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascenderunt, quæ præparavit Deus dili-*
I Cor. II, 9 *gentibus se.* Non ergo post resurrectionem manducandum nobis ac bibendum est, nec incorrupta et immortalia corpora alimoniis sustentanda terrenis sunt; alioquin ubi cibi, sequuntur et morbi, et cætera, quæ in hoc sæculo perpetimur.

CAPUT XXIX.

Sicut ergo veram carnem Dominus suscepit, et vere passus est, et vere resurrexit, et vere post
Joan. XX, 14. Luc. XXIV, 40. resurrectionem manus et latus ostendit discipulis; ita et vere manducavit, vere pedibus ambulavit; et
3 vera lingua cum omnibus apostolis, et cum[3] Cleopha locutus est, et vero cubitu cum eis in cœna discubuit, et veris manibus accepit panem et benedixit ac fregit et porrexit illis. Quod autem ex oculis eorum repente evanuit, divinæ virtutis fuit, non

A umbræ aut phantasmatis: alioquin et ante passionem cum tenuissent, et eduxissent eum de Nazareth, ut præcipitarent eum de supercilio montis Luc. IV, 29.
super quem civitas eorum posita erat;[4] transivit 4
per medium eorum, id est, lapsus est de manibus eorum. Aut numquid carnem non habuit, qui flagellum de fune fecit,[5] et omnes inimicos ac per- 5
secutores suos de templo eliminavit, ubi omnis Joan. II, 15. Joan XX, 26.
divinitatis ejus potentia claruit? Illud autem quod post resurrectionem ad discipulos clausis ingressus
B est januis, ejusdem virtutis fuit, cujus et ex oculis evanescere. Dicunt enim homines sæculi istius quod Apollonius magus, cum ante Domitianum imperatorem in consistorio staret, repente non compa- Philost. Lemn. lib. VIII, c. 2.
ruisset. Hæc tamen non diximus, non quo magum Lactan. *de Instit* lib. V. c 3.
dæmone repletum Domino Christo comparemus, sed ut hæreticorum insaniam confutaremus. Quod ergo mago licet, si tamen verum est, Domino non licet? Lynceus, ut fabulæ ferunt, videbat trans parietem: Dominus clausis ostiis, nisi phanthasma Plin. lib. VIII *Nat. Hist.* c. 8.
C fuerit, intrare non poterat? Qui certe et ante re- Matth. XIV, 29.
surrectionem pendulo super mare ambulavit incessu, et hoc ipsum apostolo præbuit Petro, qui cum[6] fide super aquas ambularet, infidelitate po- 6
stea mergi cœpit, nisi eum citius dextera Domini continuisset. Aquilæ et vultures transmarina sen- Hieron. in Isai. sub fin. Item in cap. 24 Matth.
tiunt cadavera: Salvator apostolos suos, nisi ostia aperuerit, non videbit? Ad postremum, dicas velim, mihi quid majus sit, tantam terræ magnitudinem tribus[7] appendere digitis, et super aquas incertas 7
D librari; an Deum per clausam creaturam transire? Isai. XL, 12.
Creatori quod majus est tribuis, et quod minus calumniaris.[8] Petrus apostolus, ut jam dictum est, 8
super aquas ambulavit, et gravi et solido corpori Matth XIV, 86.
mollis unda, nisi paululum dubitasset, non cesserat: et tu Deum calumniaris, quare clausis ingressus sit ostiis? Paululum ergo fides Petri dubitavit, et statim naturam suam corpus agnovit; ut nos sciremus super aquas[9] non corpus ambulasse sed fidem. 9

E

CAPUT XXX.

Noli ad judicium tuum potentiam Domini magorum præstigiis aut æquare aut inferiorem facere; ut videatur fuisse quod non fuit, ut putetur comedisse sine dentibus, fregisse panem sine manibus, ambulasse sine pedibus, locutus fuisse sine lingua aut capite, latus monstrasse sine corpore. Et quomodo, inquit, non cognoscebant eum in itinere si ipsum habebat corpus, quod ante habuit? Erras
F enim, et multum erras, qui non audis Evangelistam dicentem: *Quia oculi eorum tenebantur, ne eum agnoscerent;* et paulo post, *Aperti sunt,* inquit,
oculi eorum, et cognoverunt eum. Numquid in Luc. XXIV, 16, 31
tantum desipies, ut eum alium fuisse dicas, quando cognoscebatur? Et certe unus atque idem erat. Cognoscere ergo et non cognoscere videntium oculis fuit, non ejus qui videbatur, ut vaticinium sancti Hieremiæ compleretur, quo ait:[10] *Quare sicut* 10

[1] Rom. edit., *panem meum.*
[2] Eadem Rom. edit., *Hunc suscitavit a mortuis,* etc.
[3] Eadem Rom. edit., *Cleopha et Amaon.*
[4] Eadem Rom. edit., *dubium erit quod transiverit.*
[5] Eadem Rom. edit., *et peccatores ejus inimicos ad unum.... ubi omnibus divinitatis,* etc.
[6] Eadem Rom. edit., *fidei firmitate super aquas ambulare cœpit, ita eadem mox labente mergi cœpit, et mergi potuisset, nisi,* etc.
[7] Eadem Rom. edit., *pugillo appendere, et cœlum palma, et aquas manu et rupes statera metiri; an Deum,* etc.
[8] Eadem Rom. edit., *inficiaris.*
[9] Eadem Rom. edit., *non pondere corpus.*
[10] Desunt in Rom. edit., *Quare factus es sicut advena in terra, et quasi indigena divertens ad diversorium?*

colonus futurus est in terra, et sicut vir declinans ad manendum? Denique ut scias errorem, qui versabatur in medio, non corporis Domini, sed oculorum fuisse clausorum: *Aperti sunt oculi eorum, et* mox *cognoverunt eum.* Nam et Maria Magdalene quamdiu vivum quærebat inter mortuos, non cognoscebat Jesum; at ubi eum[1] agnovit, mox Dominum confitetur. In navi etiam una omnibus discipulis positis, Jesus stabat in littore; cæteris autem non cognoscentibus eum. Joannes prior agnovit, et dixit: *Dominus est.* Decebat revera, et satis congruum erat, ut virginitas virginale prius agnosceret corpus. Idem ergo erat, et non idem ab omnibus videbatur.

Jerem. XIV, 8. Joan. XX, 16. Joan. XXI, 7.

CAPUT XXXI.

Statimque subjungens Evangelista, dicit:[2] *Et nemo audebat eum amplius interrogare: Tu quis es?* Quia vescentes pariter ac bibentes cum eo, hominem verum ac Deum videbant; non tamen quod alter Deus, alter homo esset: sed unus atque idem esset Filius Dei et Filius hominis: cognoscebatur enim ut homo, adorabatur ut Deus, complens illud, quod eis ipse Dominus imprecatus fuerat, dicens ad Patrem: *Hæc est autem vita æterna, ut cognoscant te unum et verum Deum, et quem misisti, Jesum Christum.* Dignum ergo est, et satis dignum, ut caro hominis cœlis inferretur, cujus habitator Deus esse dignatus est: nec potest videri hominem contra meritum factum esse incolam cœli,[3] cujus vaginam non est dedignatus Spiritus, qui Deus est. Justum ergo fuit ut corpus, in quo Deus habitando terram visitare dignatus est, per quod particeps nostri factus est, ad immortalitatem perduceret, et in cœlestibus collocaret. Ubi ergo Dei habitatio esse debuit, nisi in regno Dei? Ubi autem regnum Dei, nisi in cœlis ubi et nos omnes, ipso donante atque juvante, tunc futuri sumus, *quando corruptivum hoc induerit incorruptionem, et mortale hoc induerit immortalitatem?* Ut omnis caro videat salutare Dei, et agnoscat quod redemptor atque salvator ille sit, qui luctatus est cum Jacob, qui virtus et auxiliator fuit ipsi Jacob, qui in passione voluntaria[4] superatus, quod illa lucta præfigurabat, crucifigentes se benediceret, atque pro eis oraret, dicens: *Pater, ignosce eis, non enim sciunt quid faciunt,* confirmans et illud, quod per David ante prædixerat:[5] *Dum appropinquarent mihi, qui edebant carnes meas, ego autem orabam.* Caro ergo Verbi, non Verbum editur: caro, non Deus, qui spiritus est, comeditur. Vos me, ait, persequentes flagellastis, vos faciem meam conspuistis, vos me crucifixistis; ego vos tamen ad pœnitentiam provoco:[6] *Nolo enim mortem peccatoris, sed tantum ut revertatur, et vivat.* Quod ita esse comprobat beatus Apostolus dicens: *Et vos cum essetis aliquando alienati et inimici sensu carnis vestræ in operibus malis, reconciliavit vos in corpore carnis suæ per mortem.*[7]

2 Ibid., 12. 3 I Cor. XV, 53. Isai. XL, 5. Gen. XXXII, 24. 4 Luc. XXIII, 34. 5 Ps. CVIII, 4. 6 Ezech. XVIII, 32. 7 Coloss. I, 21, 22.

CAPUT XXXII.

Illud autem quod objiciunt dixisse Apostolum: *Qui autem in carne sunt, Deo placere non possunt;* hæc dicta sunt, non quo carnis natura damnetur, cujus conditor Deus est, et in qua plurimi sanctorum placuerunt Deo, et regnant cum Christo: sed quo sensus et opera carnis repudientur. Cum ergo lutum carnis nostræ,[8] ut jam dictum est, spiritualibus pennis cum subvectione angelorum volaverit ad cœlum, ibi verum et pacificum suæ salutis obsidem habet in æternum, ad quem *rapiemur*[9] *in nubibus obviam Christo in aera,* sicut Esaias propheta testatur dicens: *Super humeros tollentur, et portabuntur ad loca sua;* et iterum: *Qui sunt isti, qui ut nubes volant, et quasi columbæ*[10] *ad fenestras suas?* id est, ad mansiones meritorum suorum, de quibus Dominus dicit: *Multæ mansiones sunt apud Patrem meum;* et iterum: *Et adducent omnes fratres vestros de cunctis gentibus in Hierusalem in equis, et mulis, et quadrigis, et carrucis, et lecticis, dicit Dominus Deus.* Quod ne alicui forte dubium videatur hominem in corpore isto positum in aera posse volitare, confirmat hoc idem Apostolus dicens: *Fide Henoch translatus est, ne videret mortem:* nam et Elias in corpore isto positus,[11] in quo nunc usque est, curru igneo, id est, angelorum subvectione, qui sunt spiritus et flamma ignis, qui faciunt voluntatem Dei,[12] quasi usque ad cœlum raptus: et Habacuc propheta de Judæa in Chaldæam ab angelo ductus et reductus est in momento temporis: et ipse apostolus Paulus raptus est usque ad tertium cœlum et in paradisum,[13] et inde reductus est in mundum. Ut autem manifestius clareat vehicula ista sanctorum spiritus esse, id est, angelos Dei,[14] docet nos exemplum sancti Philippi unius ex septem, quem spiritus Domini de Gaza rapiens, subito posuit[15] in Azotum. Enucleatius hæc, et membratim quodammodo articulatimque scrutata, quantum intentionem meam Dominus adjuvare dignatus est, dicta sufficiant. Tamen ne omisisse aliquid videamur, ipsius Domini ac Salvatoris nostri probanda sunt verbis; ait enim, cum

Rom. VIII, 8. Tertull. l. de Resurr. Carn. c. 46. 8 9 I Thess. IV, 16. Isai. LXVI, 12. 10 Isai. LX, 8. Joan. XIV, 2. Isai. LXVI, 20. Hebr. II, 11 12 IV Reg. II, 2. Dan. XIV, 35. 13 II Cor. XII, 2. 14 15 Act. VIII, 39, 40.

[1] Eadem Rom. edit., *inter vivos agnovit, illico,* etc.

[2] Rom. edit., *Et nemo discumbentium audebat eum interrogare: Tu quis es? scientes quod Dominus est, hoc est, quia,* etc.

[3] Eadem Rom. edit., *cujus regionem...., Deus est, habitare.*

[4] Eadem Rom. edit., *superatus in illa lucta, præfigurabat quod crucifigentes se benediceret,* etc.

[5] Eadem Rom. edit., *Pro eo ut me diligerent, detrahebant mihi: Ego autem orabam; quasi diceret: Vos me persequentes,* etc.

[6] Eadem Rom. edit., *quoniam scriptum est, quia non volo mortem morientis, sed ut convertatur,* etc.

[7] In eadem Rom. edit. subjungitur, *ut exhiberet vos sanctos.*

[8] Eadem Rom. edit., *in testam fuerit excoctum, ubi prius gravi premebatur pondere in terram, acceptis pennis gratiæ spiritalis cum subvectione angelorum volabit,* etc.

[9] Eadem Rom. edit., *inquit, Apostolus.... in aera, et sic semper cum Domino erimus. Et ut Esaias.... Parvuli eorum in humeris portabuntur et super genua consolabuntur.*

[10] Eadem Rom. edit., *Cum pullis. Et iterum: Et adducent.... gentibus in equis, et rhedis, in curribus mulorum cum umbraculis in sanctam civitatem Hierusalem.*

[11] Deest in eadem Rom. edit., *in quo nunc usque est.*

[12] Eadem Rom. edit., *in illa commotione usque ad cœlum assumptus, est,* etc.

[13] Deest in eadem edit., *Et inde reductus est in mundum.*

[14] Vat. cod., *decet nos exemplum sancti Philippi unum ex septem ponere.* Rom. edit., *liceat exemplum,* etc.

[15] Rom. edit., *in Azotum. Denique hæc ipsa Domini ac salvatoris nostri firmantur verbis; ait enim,* etc.

de agro et tritico ac zizania, loqueretur: *In consummationem enim sæculi*[1] *mittet Pater meus angelos, qui separent zizania,* id est, peccatores, *a tritico,* hoc est, a justis. Isti sunt angeli, qui Lazarum in agone paupertatis simul et infirmitatis probatum in sinum ac requiem sustulerunt Abrahæ.[2]

1 Matth. XIII, 41.

2 Luc. XVI, 22.

CAPUT XXXIII.

Vere, sicut scriptum est, *probavi te in camino paupertatis.* Diversis ergo modis probantur homines, id est, alius per inopiam et infirmitatem corporis, alius per divitias et sanitatem corporis. Quæ tamen omnia nec summa bona, nec summa mala sunt; summum enim malum mors æterna est, et summum bonum vita æterna est. Ista ergo omnia, quæ vita mortalium habet, media sunt; in utroque enim tentatio est: plerosque enim, quos nec inopia nec infirmitas fregit, fregit sanitas, et exstinguunt divitiæ. Quæ comprobat sapientissimus Salomon, dicens ad Dominum: *Divitias et paupertatem ne dederis mihi, tribue autem tantum victui meo necessaria;* scilicet, ne aut in illis extolleretur, aut in istis factis pejeraret, aut blasphemaret. Quod autem hæc, quæ media diximus, aliena sint a nobis, comprobat Dominus dicens: *Si in alieno fideles non fuistis, quod vestrum est, quis dabit vobis?* Alienæ ergo a nobis sunt divitiæ, quia extra nostram naturam sunt; neque enim nobiscum nascuntur: aut transeunt. Et ideo hæc scientes non serviamus alienis, qui nullum Deum habere debemus; nisi Christum. Hospites ergo sumus rerum nostrarum: quidquid enim de sæculo est, in sæculo remanet; et quidquid hæredum conquirimus nobis, perdimus; quia nobiscum non aliud, nisi aut bona aut mala opera portamus. Non ergo malæ sunt divitiæ, sed male utentibus malæ sunt; quia bona, quæ Deus fecit, bona sunt valde. Et ideo philosophi mundi istius non dicunt summum bonum, nisi pacem, honestatem atque virtutem: et summum malum non ponunt, nisi malitiam, inhonestatem, avaritiam atque turpitudinem. Omnium ergo bonorum repromissio ac retributio vita æterna est: et omnium malorum comminatio ac retributio mors secunda est.

Isai. XLVIII, 10

Prov. XXX, 8.

Ambr. l. VII in Luc. sub fin.; *Ibid.*, lib. VIII n. 85.

CAPUT XXXIV.

Hæc licet extrinsecus dicta videantur, tamen necessaria nobis et utilia sunt: et ideo nunc nobis ad ordinem revertendum est. Cum ergo lutum carnis nostræ, ut jam dictum est, in testam fuerit excoctum; ut quæ prius gravi pondere premebatur in terram, acceptis pennis gratiæ spiritualis cum subvectione angelorum volet ad cœlum, ibi verum et pacificum suæ salutis obsidem habet in æternum. Quid tam verius, tam manifestius, tam lucidius inveniri potest? Tamen ne aliquid omisisse videamur, accipe plenissimum atque firmissimum hujus spei nostræ specimen, alitem illum Orientis, qui phœnix nominatur, peculiarem, de singularitate famosum, et de posteritate monstruosum: qui semetipsum libenter funerans, naturali fine discindens atque succindens, iterum phœnix, iterum ipsa est, et non alia. Cui rei documentum ad spei nostræ firmitatem, etiam Spiritus sanctus, qui Deus est, in Scripturis posuit sanctis dicens: *Et florebunt velut phœnix,*[3] hoc est, florebunt de morte, de funere suo, sicut phœnix resurget de pulvere suo. Si ergo caro avis de cineribus suis resurgit, caro hominis de cineribus suis non resurget? Et ubi est, quod Dominus Christus multis passeribus meliores esse pronuntiavit? Ubi est et illud, quod nobis per Prophetam promisit, dicens: *Renovabitur sicut aquilæ juventus tua?* Cujus avis naturam hanc esse tradunt: cum enim ad summam venerit senectutem, dicitur tamdiu in aera sublimari, ut usque ad nubes et ignem perveniat: quo igne contacta, mox se in secretissimum fontem præcipitem dans, tertio mergit; et mox ad pristinæ juventutis vires atque speciem revocatur. Quod nobis ita futurum beatus Apostolus promisit, dicens: *Uniuscujusque quale sit opus, ignis probabit.* Aves enim diversæ glutiunt uvam, olivam et cætera poma; et post nimium calorem grana eorum per stercora digerentes, rursum vites, rursum arbores renascuntur. Si ergo hoc aves propter te, Deo jubente, faciunt; de te Deus propter fidem et retributionem suam non faciet? Crede mihi quia faciet propter promissum suum: cum enim nihil essemus aliquando, Domino omnium creaturarum Deo ipso jubente, facti sumus. Qui ergo fecit ex nihilo quod non erat, poterit iterum facere id, quod ante ex nihilo fecerat.

Tertull. *de Resurr. Carn.* c. 13; Auctor. *Const Apost* l. V c. 6; Cyrill *catech.* 18; Lactan, Ambr. et alii.

3

Vide Rabbi Kimhi et alios Interpr. in hunc loc.; item P. Damiani, Opusc. 52, cap. 23; Albert Mag. lib. XXIII, *de Animal.*; Gesner., Aldrov. et alios.

CAPUT XXXV.

Nam si caro hominis, ut cæci hæretici mentiuntur, non resurget, quomodo Esaias Spiritu Dei plenus, qui non tam propheta, quam evangelista dicendus est, dicit: *Veniet omnis caro, quæ adoratura est in conspectu Domini, in Hierusalem; ut videat cadavera hominum mortuorum, qui prævaricati sunt in Deum* (id est, vel Judæos, vel impios, vel peccatores): *vermis eorum non morietur, et ignis eorum non exstinguetur.* Quem vermem aut ignem multi conscientiam peccatorum, quæ torqueat in suppliciis constitutos, intelligi volunt, quare vitio suo atque peccato, tanto caruerint bono, juxta illud quod scriptum est: *Ambulate in lumine ignis vestri, et flamma quam succendistis vobis;* et iterum: *Sicut tinea vestimentum, et vermis comedit lignum, sic mœror excruciat cor viri.* Sicut enim animi lætitia interdum corporis dolores mitigat, sic dolor animi corpus deprimit et excruciat, dicente propheta: *Animus gaudens ætatem floridam facit, spiritus tristis exsiccat ossa.* Si ergo eveniat, ut ad ægrotationem corporis accedat animi ægritudo, duplicatur infirmitas. Hæc tamen ita dicta sunt, ut non negetur prævaricatorum et Deum negantium æterna esse supplicia, dicente Scriptura: *Dominus omnipotens vindicabit in eis in diem judicii, dare ignem et vermes in carnes ipsorum; et comburentur, ut sentiant in æternum.* Quod ita futurum

Hieron. in cap. ult. Isai.

Isai. L, 11.

Prov. XXV, 2

Prov. XVII, 22

Judith. XVI, 20, 21.

[1] Eadem Rom. edit., *mittet, inquit, filius hominis angelos suos, et colligent de regno ejus omnia scandala, et separabunt zizania.*

[2] Eadem Rom. edit., *quod est perennis beatorum gloria: ad quam nos angeli sancti perducant, ubi Christus cum Patre et Spiritu sancto regnat in æternum, amen.* Quibus verbis tractatum claudit.

[3] Falso omnino propter æquivocationem hæc sententia adducta fuit, eo quod in ea *phœnix* non fabulosam avem hujus nominis, sed *palmam* arborem significat.

Dominus noster atque Salvator confirmat dicens: *Et resurgent omnes de terræ pulvere, qui bona fecerunt, in resurrectionem vitæ; qui vero mala*
Joan. v, 29 *egerunt, in resurrectionem judicii;* et iterum: *Ite in ignem æternum, qui præparatus est dia-*
Matth. xxv, 41. *bolo, et angelis ejus;* et iterum de illo qui vestem non habuit nuptialem dicitur: *Tollite eum, et ligatis manibus ac pedibus ejus, mittite eum in tenebras exteriores: illic erit fletus et stridor*
Matth. xxi, 15. *dentium.* Cum ergo et manus, et pedes, et fletus, et tenebras exteriores, quæ ad oculos pertinent, et stridorem dentium a Domino in carne futura resurrectione verissime pronuntiatur, miror quosdam hæreticos, qui aerium corpus, et paulatim in auras tenues dissolvendum post resurrectionem conantur introducere. Quomodo ergo sanctus vestimentum Dei est, et vestitur salutis atque lætitiæ tunica; sic e contrario peccator, qui portat imaginem veteris hominis atque terreni, meretur audire: *Ecce vos omnes quasi vestimentum vetus*
A *tinea devorabit.* Morum ergo diversitas variis in Scripturis sanctis signatur nominibus. Sicut ergo diversitas arborum ac musicorum in Scripturis divinis diversitatem significat gratiæ spiritualis; ita et diversitas ferarum atque serpentium diversitatem significat peccatorum. Quæ tamen diversa genera musicorum ideo Deus majestatis in libris divinis nominari et uti voluit, ut populum Judæorum de carnalibus sacrificiis auferens, ad spiritales et laudabiles hostias invitaret. Isai. li, 8

B Sed nunc jam sufficiant ista, quæ dicta sunt; quamquam pro rei magnitudine numquam aliquid sufficienter de causis et rebus superius nominatis dici potest. Et ideo sancta, veneranda, perfecta, atque inseparabilis Trinitas, quæ tota nobis fide coleris atque adoraris, tuum est hoc opus, quod ego ex Patrum famulorum tuorum libris, te adjuvante atque illuminante, ad ædificationem meam excerpsi; tuaque perfectio ad gloriam et laudem nominis tui per omnia sæcula sæculorum. Amen.

PRÆFATIO AD TRACTATUM

DE FIDE ORTHODOXA.

Audiamus iterum Maurinos Editores, qui sequentem *Admonitionem* libello præmiserunt.

« Hoc opus quod contra manuscriptorum et veterum editionum fidem Romani inscripserunt *de Filii divinitate et consubstantialitate,* conditum fuit adversus eos hæreticos, qui cum Filii substantiam cum paterna eamdem esse inficiarentur, ὁμοούσιον illum, id est ejusdem substantiæ, dicere detrectabant, sed conabantur inducere vocem ὁμοιούσιον, id est similis substantiæ; cum interim amandandum a divinis substantiæ verbum, quasi sacris paginis
Hæres. 74. ignotum, contenderent. His Epiphanius nomen Semiarianorum inditum scribit. Ubi contra eosdem proscriptione vocis ὁμοούσιος arianam hæresim in integrum restituendam patefecit auctor hic noster, Filiumque Deum esse perinde ac Patrem demonstravit; rationibus ob quas expungendum ὁμοούσιον disputabant adversarii, satisfacit. Eamdem hanc vocem in sacris codicibus contineri ostendit: et quamvis non liceat illam substantiæ unitatem liquido concipere atque explicare, haud tamen propter ea respuendam probat; quandoquidem in creaturis, quod ei comparari valeat, nihil occurrit; et ex multiplicibus illis nominibus, quæ in Scripturis ipsis Filio tribuuntur, nullum est quod non potius indicet aliquam e mysticis illius qualitatibus, quam infinitam naturæ divinæ maje-
Orat. 49. statem aperiat. Docet postremo distinctione personarum deorum non invehi pluritatem, nec de Filii, etiam cum se conspiciendum subinde exhibuit, invisibilitate aut immutabilitate quidquam detractum.

« Extat hic liber inter Gregorii Nazian. et Ambrosii nostri, quorum utrique adscribitur, evulgata Opera: sed apud priorem præfatione, qua nescio cui obscuritatem et ambiguitatem in eodem libello criminanti respondet, nec non adjecto brevi epilogo locupletior, qualem nos ipsum repræsentamus.

« Qui Gregorio Nazianz. adjudicant hoc Opusculum, in hanc opinionem Augustini potissimum auctoritate adductos constat. Sic namque ipsi interpretantur, quod ille tradit: *Gregorium etiam sanctus episcopus Orientalis apertissime dicit Deum natura invisibilem, quando Patribus visus est, sicut Moysi cum quo facie ad faciem*
Cap. 6. *loquebatur, alicujus conspicabilis materiæ dispositione assumpta, salva sua invisibilitate videri potuisse.* Verumtamen opponitur a viris doctis librum eumdem latini scriptoris fetum evinci, non modo quod versio vetus, quam Italicam vocitant, illic citetur; sed etiam quod ibidem isthæc legantur: *Ratio quædam quæ apud Græcos nuncupatur* λόγος; et item alia illa: *Et hoc est, quod Græci* ὁμοούσιον *appellant, id est, cum uno aliud ipsum.* His adde locum Augustini referri posse ad indubitatum aliquod Gregorii Nazian. Opus, ut puta ad Orationem 34, ubi eadem plane materia discutitur. Sed forte ad priorem objectionem quis respondeat Rufinum, quem hæc opella interpretem refert apud Nazianzenum, maxima in vertendis Græcis licentia uti solitum; proindeque nihil absurdi eum dicturum, qui ab ipso hos eosdem locos ea verborum forma redditos esse affirmaverit, quam ad latini lectoris gustum existimabat magis accommodatam: secunda vero ratione vix movebitur, qui cum verbis Augu-
Cap. 8. stini supra citatis hunc locum Auctoris nostri composuerit, ubi post allatum Moysis cum Deo facie ad faciem loquentis exemplum subdit: *Et tamen sic visus accipitur, ut alicujus conspicabilis.... materiæ dispositione assumpta videretur, salva scilicet invisibilitate ejus.* Quis enim facile sibi non persuadeat hæc ipsa in mente Augustini præsentia fuisse, cum scriberet superiora? Epist. 148. nov. edit. num. 10.

« Quod vero ad Ambrosium, clarum est quidem huic scriptioni et in omnibus Operum sancti Doctoris editionibus, et in mss. etiam nonnullis, ejusdem nomen præfixum esse. Inde est quod libenti animo suspicaremur non alium esse huncce libellum quam eum qui *de Fide* a Nicæo sive Niceto episcopo breviter scriptus, *voluminibus sancti Ambrosii,* ut Cassiodorus testificatur, *sociatus est, quos ad Gratianum principem destinavit.* Sed cum idem asserat non solum de Patre ac Filio illic disseri, verum etiam de Spiritu sancto, quod cum hoc libro minus convenit; malumus hunc diversum ab alio existimare. Cur autem alterius locum, et Ambrosii nomen usurpaverit, ratio in promptu est, materiæ scilicet cognatio. Sunt tamen præterea levia quædam ab ambrosiano dicendi more non penitus abhorrentia, puta quod ait de hæreticis: *Si haberent quomodo illud ad aliam intelligentiam scævo sensu perverterent.* Et illud: *Viderint philosophi, viderint hæretici discipuli eorum.* Sed neque Lib. *de Inst. divit.* cap. 16.

quod dicitur: *Qui etiam nunc vi, ambitione, et potentia regum exagites ac turbes omnia*, nimium ab Ambrosio discreparet, si tractatus hic rigidos arianos, qualis erat ille Auxentius a quo Justina ejusque filius Valentinianus Imp. in sanctum Antistitem concitati sunt, impugnaret. In cæteris dissidet idem opus ab Ambrosii stylo et ingenio, ut non modo illius auctor non videatur, sed ne interpres quidem, contra quam opinati reperiuntur nonnulli. Utrumque sane vel ex eo colligas quod Augustinus cum in præceptoris sui scriptis versatissimus, tum etiam ad eum prædicandum, omni data opportunitate, propensissimus, ejus tamen non meminerit, sed tantum Gregorii episcopi Orientalis. Quibus adjunge versionem biblicam, ab ea quam ubique Ambrosius adhibet, longe esse diversam.

« P. F. Chiffletius, qui duobus illis Patribus ex æquo eumdem libellum abjudicat, ut illum transcribat Vigilio suo, conjecturas aliquot, quas ad eam rem validissimas putat, in medium profert. Verumtamen haud facile quemquam fore existimamus, qui sine manuscriptorum auctoritate, sine scriptoris ullius testimonio his persuaderi se patiatur; quippe quæ levissimæ sunt, aut prorsus nullæ. Certe quidem eis persuasi non sunt neque Hermannus in Ambrosii vita, nec Quenellius in Appendice ad Opera sancti Leonis: uterque enim hanc Scriptionem Gregorio Eliberitanæ sedis in provincia Bœtica episcopo adscriptam volunt. Quenellius opinionem suam astruere nititur his rationibus: 1. quod eumdem librum ab auctore latino profectum constet; 2. quod Hieronymus de Gregorio Bœticensi testificetur *de Fide elegantem libellum* ab eo scriptum; 3. quod idem libellus jam inde ab Augustini ævo prætulerit auctorem Gregorium aliquem, unde et eidem Augustino errandi facta est occasio; 4. quod argumentum conveniat cum ætate Gregorii Eliberitani, contra quem etiam irritatos imperatorum animos non ignoramus; 5. demum quod iste auctor trium hypostaseon defensoribus infensum se præbeat, quod Luciferianis, quibus idem se addixerat, in usu erat.

In Elucidationibus. Dissert. 14, pag. 719, 720. Lib. *de Scriptor. Ecclesiast.*

« His conjecturis pondus suum atque momentum esse non negabimus; quibus tamen qui noluerit acquiescere, saltem opellæ, quam expendimus, antiquitatem et elegantiam in dubium non revocabit, si consideraverit illam et allegatam ab Augustino, et tantis græcæ latinæque Ecclesiæ luminibus adscriptam. Accedit præterea quod avulsum ex illa fragmentum libro, qui inter Hilarii Pictaviensis Opera circumfertur, necnon sermoni, quem diutissime Augustino adjudicarunt, insertum fuit ».

Lib. *de Patris et Filii unitate.* Serm. 150 vet. ed. nunc 113, Append. nov. edit.

Addimus autem Tillemontium quoque opinatum esse opellam hanc Gregorio Eliberitano adscribendam esse. Monemus denique ipsas appositas notas Maurinorum esse, quin de singulis id animadvertamus.

De s. Ambr. artic. 92, in op. *Memoires*. etc

DE FIDE ORTHODOXA
CONTRA ARIANOS
ALIAS
DE FILII DIVINITATE ET CONSUBSTANTIALITATE
TRACTATUS.

CONFESSIO FIDEI.

redimus in Deum, Patrem omnipotentem, omnium visibilium et nvisibilium factorem, et unum Dominum nostrum Jesum Christum, Filium Dei, natum de Patre unicum, hoc est, de substantia Patris: Deum de Deo, lumen de lumine, Deum verum de Deo vero, natum non factum: unius substantiæ cum Patre, quod Græci dicunt ὁμοούσιον; per quem omnia facta sunt, sive quæ in cœlo, sive quæ in terra; qui propter nos homines, et propter nostram salutem descendit, et incarnatus est, et homo factus est, passus est, resurrexit tertia die, ascendit ad cœlos, inde venturus est judicare vivos et mortuos: et Spiritum sanctum. Eos autem qui dicunt: Erat quando non erat, et priusquam nasceretur, non erat, et mutabilem, vel convertibilem esse Filium Dei; hos anathematizat catholica et apostolica Ecclesia. Amen.

PROLOGUS.

Amore catholicæ fidei ductus, jampridem adversus arianos libellum edideram, quem cum amico legendum dedissem, quia placuit, credidit transcri-
A bendum. A quo hoc ego magnopere postulavi, ut interim dissimulato auctore, doctis viris et prudentibus legeret; ut si quem movisset, quod illic plus aut minus positum videretur, posset plurimorum consilio emendari. Nemo est enim qui sibi tam arroganter summam doctrinæ cœlestis assumat, ut putet se omnia mysteria liquido comprehensa retinere, cum Paulus apostolus dicat: *Qui ergo putat se aliquid scire, necdum scit quemadmodum oporteat scire;* et, *Modo per speculum in ænigmate*
B *videmus; tunc facie ad faciem.* Sin vero cunctis omnia, quæ illic scripta erant, juxta fidem veram constare viderentur, tum et ipse petentibus non negaret. Quod eum ita fecisse manifestum est. Et quia res digna tam catholicæ confessioni, quam hæreticæ responsioni, universorum judicio æstimata est, multi eum vel legere vel describere voluerunt.

I Cor. VIII, 2.
I Cor. XIII, 12.

Sed non defuit qui vel pro studio doctrinæ, vel pro charitatis officio, ea quæ a nobis dicta sunt, scrupulosius retractaret; et quædam ille vel su-
C perflua, vel ambigua diceret, quæ aliter possent a quibusdam, quam a me dicta sunt, accipi. Proinde rursus ea ipsa planiori sermone in hoc libello digessi, ut et simplicitatem sensus mei ostenderem, et scrupulum legentibus amputarem.

Nam hoc est quod ajunt posse reprehendi, quod ubi Verbum Dei ex persona Filii posuimus, tale hoc Verbum intelligere putemus, quale grammatici tradunt spiritu oris aerem offensum, intelligibilem auditu. Sed nos sapientiam non hujus mundi, quæ

destruitur, sed illam quæ ex Deo est, novimus, quæ Verbum Dei Deum insinuat, cum dicit: *In principio erat Verbum, et Verbum erat apud Deum, et Deus erat Verbum. Omnia per ipsum facta*
Joan. I, 1 et seq. *sunt, et sine ipso factum est nihil.* Unde mirari me fateor hoc ita sentiri potuisse, quasi nos personam propriam Verbi, quod est Filius, negaremus. Nemo verbo tenus nominat, quem vere esse in persona sua sæpius profitetur: nam quomodo aut verum Filium, aut verum Patrem confessi sumus, si non vere proprietatem personarum tam Patris quam Filii servavimus?

Sed quia unius Dei vocabulum diximus, personas negasse putamur. Et hinc verisimile visum est, quod posuimus. Nos Patrem et Filium ita nominamus, ut unum Deum in his personis et nominibus assignemus. Porro iterum Pater et Filius, etsi duo nomina appellantur, ratione tamen et substantia unum sunt; et cum Patrem et Filium statuo, unitatem assigno generis.

Hæc omnia intelligi posse æstimata sunt, quasi ista vocabula inter Patrem et Filium ita posita sint, ut est nomen et cognomen, unius tamen personæ; cum ex superioribus aut inferioribus dictis potuerit hæc suspicio non admitti. Qui enim Filium Dei non aliunde natum dixeram, quam proprie de Patre, totum de toto, integrum de integro, perfectum de perfecto, consummatamque virtutem; quomodo potui ipsum Patrem, ipsum sibi Filium ponere, et hoc modo unam personam duobus nominibus appellare; quippe cum et hanc sectam, id est, sabellianam in eodem libello damnaverim, et personarum distinctionem secundum vocabulum scripserim? Nam et nemo pro una persona potest, unum sunt, dicere, vel unitatem generis, nisi personis assignare.

Quis autem catholicorum ignorat Patrem vere esse Patrem, Filium vere Filium, et Spiritum sanctum vere esse Spiritum sanctum? sicut ipse Dominus ad apostolos suos dicit: *Euntes baptizate omnes gentes in nomine Patris, et Filii, et Spi-*
Matth. XXVIII, 19. *ritus sancti.* Hæc est perfecta Trinitas in unitate consistens, quam scilicet unius substantiæ profitemur. Non enim nos secundum corporum conditionem divisionem in Deo facimus; sed secundum divinæ naturæ potentiam, quæ in materia non est, et nominum personas vere constare credimus, et unitatem divinitatis esse testamur.

Nec extensionem partis alicujus ex Patre (ut quidam putaverunt) Dei Filium dicimus, nec verbum sine re, ut velut sonum vocis accipimus: sed tria nomina, et tres personas unius esse essentiæ, unius majestatis atque potentiæ credimus. Et ideo unum Deum confitemur, quia unitas majestatis plurium vocabulo deos prohibet appellari.

Denique Patrem et Filium catholice nominamus, duos autem deos dicere nec possumus, nec debemus; non quod Filius Dei Deus non sit, immo verus Deus de Deo vero; sed quia non aliunde, quam de ipso uno Patre Dei Filium novimus, perinde unum Deum dicimus. Hoc enim prophetæ, hoc apostoli tradiderunt, hoc ipse Dominus docuit, cum dicit:
Joan. X, 30. *Ego et Pater unum sumus. Unum* ad unitatem divinitatis, ut dixi, refert; *sumus* autem personis

A assignat. Sed et Apostolus ait: *Unus est,* inquit, *Deus Pater, ex quo omnia; et nos in ipso: et unus Dominus Jesus Christus, per quem omnia; et nos per ipsum. Sed non in omnibus est scientia.* I Cor. VIII, 6

Qua de re explanatis his verbis, quæ scrupulum, non mihi qui scio quod dixerim, sed aliis inferebant, puto occasionem malæ interpretationis fuisse sublatam. Nam et professio fidei manifesta est, et persona cum vocabulis constat, et una divinitas assignata est.

B Vel si adhuc aliquid quod legentibus ambiguum videatur verbis, ad sensus debent verba conferri, quia non simplicitas verborum, sed mali intellectus obstinatio culpam olet. At cum sensus noster cum veritate concordet, et verba debent cum ratione sincerissima. Unde a simplicitate christiana academicus disputator abscedat.

CAPUT I.

C Multas quidem et graves hæreses novimus a plurimis ebullire, et veneni vice, ad intimum pectus canceris sui virus infundere: sed vinci illi vel facile possunt, vel facile vitari, quorum prima propositione omne consilium pectoris proditur. At vero ii quibus multa nobiscum paria sunt, facile possunt innoxias mentes, et soli Deo deditas, fraudulenta societate percutere, dum malorum suorum virus per bona nostra defendunt. Nihil enim periculosius his hæreticis esse potest, qui cum integre per D omnia decurrant, uno tamen verbo, ac si veneni gutta, meram illam ac simplicem fidem Dominicæ, et exinde apostolicæ traditionis inficiunt.

Unde vehementer nobis cavendum est, ne se vel sensibus vel auribus nostris hujusmodi aliquid latenter insinuet; quia nihil tam cogit in mortem, quam sub obtentu fidei fidem violare. Ut enim gypsum aqua permixtum lac colore mentitur, ita hic per verisimilem confessionem traditio inimica suggeritur. Qua de re non similitudo confessionis, E sed sensus mentis est ponderandus, quo confessio ipsa firmatur.

Denique si diligentius et accuratius attendatis, cur voluerint de evangelica et apostolica fide, et de Patrum traditione substantiæ nomen auferri, procul dubio probatis hæresim arianam subtili compendio breviatam, sublato hoc nomine intromissam. Nec hoc quidem[1] ego suspicione aut opi- [1]
nione collectum affirmo, nec uti ipsi putant, academicus disputator assisto, ut simplices sensus F verborum subtilitate contorqueam; sed ut contortos et pravos tenui argumento compositos in lucem cognitionis exponam; quo facilius possit cognita et comperta iniquitas ab hominibus evitari.

Quæ etenim causa,[2] quæve ratio exstitit, ut quod [2]
docendum, et quod credendum cunctis Ecclesiis fuerat traditum, quodque Patres nostri apostolici viri contra universas hæreses, et maxime arianam, quasi quemdam obicem veritatis, quo omnes aditus pestiferæ doctrinæ obstruerent,[3] sancto Spiritu [3]
G mundati, catholica ratione posuerunt, non sine magno nisu ab his, qui[4] elogio arianæ labis ad- [4]
dicti sunt, laboretur auferri; nisi ut Filium Dei mutabilem et convertibilem, utpote non de pro-

[1] Mss. Læt. et Tell., *ego suscipio, nec aut opinione,* etc.: melius omnes edit. ut in textu.

[2] Tell. cod. et Amerb., *quæ vera ratio existit.*

[3] Vigiliana edit., *Spiritu sancto inundati.*

[4] *Elogium* aliquando idem significat ac formula quædam condemnationis.

pria Patris substantia constitisse confingant: cui et initium ex tempore, et ortum ex nihilo, nomen ex altero, ut semper docuerunt, propter quod et sæpe damnati sunt, nunc jam libere, et secure, incunctanterque Ecclesiis tradere et insinuare possint?

CAPUT II.

Videtis ergo omnia eos in tractatu ipsorum, non evangelica fide, sed subdola malignitate ad seducendos simplices quosque posuisse. Non jam tam suspectum, quam manifestum omnibus esse debet ita eos Deum de Deo posuisse, ut Arius tradere solebat, ut ex Deo factus sit, non ex Deo natus. Qui si natus est, unius substantiæ est: si factus est, verus Filius non est: et si verus Filius non est, nec verus Deus est: aut si verus Deus est, et de Patre non est, duo sunt habentes singuli et voluntates proprias, et imperia diversa: vel si concordia tantum et societate unum sunt, non tamen et substantia, verus, ut jam dixi, Deus non est.

Exod. VII, 1. Sic erit Deus, ut Moyses Pharaoni, potestate, non genere: Filius quoque ita credendus erit, ut per Esaiam populo dictum est: *Filios genui et exaltavi;* et alibi: *Dii estis et filii Altissimi omnes.* Isai. I, 2. Ps. LXXXI, 6. Sed et primogenitus ita habebitur, quomodo et Israel a Deo primogenitus filius appellatus est. Exod. IV, 22. Nec non et primogenitus totius creaturæ, quasi in ordine factorum primogenitus habeatur; ut ex eo seriem quandam creandis mundi rebus assignent.

Denique sublato ὁμοούσιον, id est, unius substantiæ vocabulo,[1] ὁμοιούσιον, id est, similem factori suo, posuerunt; cum aliud sit similitudo, aliud veritas. Nam et homo ad imaginem et similitudinem Dei factus est, nec tamen Deus est: Gen. I, 26. nec quod Deus est, homo exstitisse eredendus est. Ita et Filium Dei similem volunt, ut eum aliunde similem, non de ipsa una sancta et beata Patris substantia dicant. Qui si de Patris substantia non est, ἐξ οὐκ ὄντων est, id est, ex nullis exstantibus, ut idem Arius tradidit: sublato enim eo quod Pater est, undecumque fuerit Filius, necesse est ut et initium ex nihilo, et ortum ex tempore habeat: nihil enim sine initio, nisi solus Deus.

Unde et Filius, sicut ipse Dominus ait: *Ego et Pater unum sumus.* Joan. X, 30. Quod ideo dixit, ut duarum personarum[2] vocabula in unius deitatis majestate monstraret, sicut et Propheta ex voce Dei, *Eructavit,* inquit, *cor meum Verbum bonum, dico ego opera mea regi.* Ps. XLIV, 1. Vides ergo hoc Verbum bonum Filium Dei esse, quem non aliunde quam de paterno pectore, et, ut ita dixerim, de utero cordis Dei credimus natum. Et proinde eum regem appellat, quia ipse est rex regum: Deum Dominum, cui omnia divina opera succumbunt, qui dixit: *Omnia quæ Pater habet, mea sunt.* Joan. XVI, 15.

De hoc et Evangelista, *In principio,* inquit, *erat Verbum, et Verbum erat apud Deum, et Deus erat Verbum. Omnia per ipsum facta sunt, et sine ipso factum est nihil.* Joan. I, 1 et seq. Igitur quod in principio erat, semper fuisse credendum est: sed nec aliunde esse, quam ex eo qui principium non habet, id est, de corde Patris; quia *eructavit,* inquit, *cor*

A *meum Verbum bonum.* Non enim dixit: In principio factum est Verbum; sed *in principio,* inquit, *erat Verbum.* Ps. XLIV, 2. Quodcumque principium Verbi assignare volueris, præjudicatum habebis, quia *in principio,* inquit, *erat.*

Non quod duo principia ex rerum diversitate dicamus, sed quia Sermo Filius semper cum Patre est, et de Patre natus est. Ac proinde cujus origo principium non habet, sempiternus cum Patre credendus est; quia nec Pater potest umquam sine B Filio nominari, nec Filius sine Patre vocari: ac per hoc semper Filius, quia semper Pater.

Et *Deus,* inquit, *erat Verbum.* Quod Deus est, semper est; ne si semper non fuerit, verus Deus esse non possit, sicuti et in Sophiæ nomine, quia secundum Apostolum ipse est Sapientia Patris. I Cor. I, 24. *Ego,* inquit, *ex ore Altissimi prodivi.* Eccl. XXIV, 5. Non ergo aliunde quam de Patre, quia semper cum Patre. Et ideo Sapientia Dei appellatur, ut numquam Pater sine Sapientia, hoc est, sine Filio suo fuisse credatur. C Hæc est illa Sapientia ineffabilis,[3] quæ initium viarum Dei apud Salomonem vel condita, vel genita, vel creata describitur; Prov. VIII, 22 quam tamen sic conditam dicit, ut semper eam cum Deo fuisse ostendat. Quod enim initium Deo dabis, ut initium possis Sapientiæ ipsius consignare? Non enim ita Deus Sapientiam suam condidit, quasi aliquando sine Sapientia fuerit: sed cum initium viarum suarum dicat, initium motus operis alicujus ostendit, ut hoc initium habeat Sapientia Dei, quod de D Deo processit ad creanda omnia, tam cœlestia quam terrestria, non quo cœperit esse in Deo. Creata est ergo Sapientia, immo genita, non sibi quæ semper erat, sed his quæ ab ea fieri oportebat; ut quia quanta et qualis esset sciri non poterat, de effectu operum suorum virtus ejus et potentia nosceretur:[4] ut quod de conditis æstimamus, tunc magis timeremus, cum facta miramur.

Cæterum si tu ita creatam Sapientiam dicas, ut E Filium Dei creaturam intelligas; occurrit tibi Apostolus, condemnans eos qui creaturam colunt, dicens: *Propter quod tradidit illos Deus in desirium cordis eorum in immunditiam; ut contumeliis afficiant corpora sua in semetipsis: qui commutaverunt veritatem Dei in mendacium, et coluerunt et servierunt creaturæ potius quam Creatori, qui est benedictus Deus in sæcula.* Rom. I, 24, 25.

Hæc est, inquam, illa Sapientia Dei, quæ dicit: *Ego ex ore Altissimi prodivi,* Eccl. XXIV, 5 universitatis conditrix et effectrix, id est, Filius Dei, per quem F omnia, et in quo omnia; quia ut Apostolus dixit: *In ipso constituta sunt universa in cœlis et in terra, visibilia et invisibilia, sive Throni, sive Dominationes, sive Virtutes, sive Principatus, sive Potestates: omnia per ipsum, et in ipso condita sunt, et ipse est ante omnia, et omnia in ipso constant.* Coloss. I, 16 Hinc et Salomon, *Cum sit,* inquit, *una, omnia potest; et permanens in se, omnia innovat, et per nationes in animas sanctas se transferi.* Sap. VII, 27. Quod confirmans Apostolus ait, in inte- G riore homine habitare Christum; ut per quem a principio omnia facta sunt, per ipsum et in fine cuncta salventur. Ephes. III, 16.

[1] Ita edit. Rom. et Chifflet.; vet. autem ac mss., *vocabulo similem gestori suo posuerunt.*

[2] Læt. cod., *vocabula unius deitatis majestatem monstraret.*

[3] Mss. Tell. et Læt. nec non vet. et editt., *quæ initio;* et infra, *sed cum initio;* Rom. et Vigil., *sed cum initium.*

[4] Vigil. edit., *ut dum conditorem de conditis.... timeamus.*

CAPUT III.

Sed dicis mihi ὁμοούσιον, id est, unius substantiæ nomen ob hoc potius quam Creatorem adorant, servantes eadem utique quæ Apostolus dixit: *Ut in nomine Jesu omnes genuflectant, cœlestium, terrestrium, et infernorum, et omnis lingua confiteatur.* Et Moyses, *Adorent,* inquit, *eum omnes angeli Dei.* Et David: *Omnes reges adorabunt eum.* Quod quidem in Scripturis non diceretur, sed quia ipse est Sermo Filius omnium opifex.

Philip. II, 10. Deut. XXXII, 43. Ps. LXXI, 11.

Sed dicis ὁμοούσιον nominari non oportere, quia in Scripturis divinis non contineatur. Quæro et ego, homo, qui hoc prohibes; si ideo nominari non debet, quia scriptum non est, an quia ita credi non liceat?

Quod si ita credendum est, cur non ita profitendum? *Corde enim,* inquit Apostolus, *creditur ad justitiam; ore autem confessio fit ad salutem.*

Rom. X, 10.

Aut si ideo nominandum non est, quia nec ita credendum; obtinuit arianæ labis assertio, quæ ideo Patrem et Filium unius substantiæ denegavit; quia Filium Dei modo ex nihilo, modo ex Patre, sed ab alia substantia, quando voluit et quomodo voluit, et unde voluit factum inducit; dummodo aliunde eum, et non de eo quod Pater est, extitisse confingat. Quem etsi natum dicit, sed hoc dicto tenus; quia rursum omne quod natum est, factum intelligit, eo quod et nos a Deo geniti appellemur, quos constat esse facturam.

Vel si arianus non es, et verum Filium de vero Patre natum, non factum agnoscis; cur non eum cum Patre unam substantiam dicis? Frustra times, homo, profiteri quod credis; et frustra credis, si
1 ita non credis, et merito hæreticus denotaris.[1] Et quamquam immutaveris dictum, quo putaris prohibuisse Dei Filium nuncupari facturam; sed cum subjungit: Sicuti aliquid horum quod factum est;
2 ex aperto ostendis non ab hoc[2] facturam dici voluisse, quasi non debeat factus intelligi; sed non ita factum vis, sicut aliquid horum, quod factum est, sed tamen factum. Aliter enim dicis factum, utpote perfectam creaturam, per quem facta sunt omnia; dummodo et ipsum factum intelligas, licet non ita ut cætera.

Sed ut ad id revertar, quod dicis in Scripturis divinis ὁμοούσιον, id est, unius substantiæ vocabulum non inveniri, finge hoc interim sic sit, eo quod ubicumque substantia legitur, res Dei non Deus accipiatur; quamquam et aliud quod scriptum non est, pariter profitearis, id est, Deum ex Deo, lumen ex lumine: quid ad hæc dicis? Aut totum mecum tene, aut totum omitte. Si enim unius substantiæ vocabulum inde times dicere, quia scriptum non est; timere identidem debes Deum ex Deo, et lumen ex lumine profiteri.

Sed ego probo Deum de Deo, lumen de lumine,
3 et unius substantiæ vocabulum[3] in divinis Scripturis contineri. Cum enim ipse Dei Filius, qui Deus est, in Evangelio suo dicat: *Ego de Patre exivi;*

Joan. XVI, 27.

A jure et merito Deum de Deo profitemur, quia de Deo Patre Filium Dei Deum verum de Deo vero natum esse cognoscimus. Sed non eo genere, ut nos dii sumus appellati, vel ut Moyses Pharaonis deus est dictus; sed quia verus est Filius,[4] de vero Patre natus est, vere et confidenter Deus de Deo dicendus, et sic lumen ex lumine.

Ps. LXXXI, 6. 4 Exod. VII, 1

Quod scriptum non est, mecum quidem dicis, sed mecum omnino[5] non sentis. Et quia scriptum est de Patre: *Deus lux est;* et de Filio: *Erat lux*
B *vera, quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum;* et: *Lux lucet in tenebris,* id est, Christus in sæculo; *et tenebræ eam non sunt assecutæ;* ii scilicet homines quorum cor ignorantiæ tenebris obcæcatum est, Christum verum Deum, et verum Dei Filium non agnoverunt. Sed ipse Dominus, *Ego sum,* inquit, *lux mundi: qui me secutus fuerit, non ibit in tenebris; sed habebit lumen vitæ.* Ergo quia lumen Pater, et lux Filius, recte lumen de lumine.

5 I Joan. I, 5. Joan. I, 9. Joan. VIII, 12

C Sed lumen ex lumine ita asseris, quasi a Patre qui verum lumen est, aliud lumen sit factum, quod de ipsa Patris substantia non sit: sed sicuti aliud quodlibet lumen, quamquam a Deo sit factum, longe tamen aliud sit ab eo, qui fecerit; et ideo lumen ex lumine, non de lumine dicis. Cum ergo hæc prælocutus sum, licet mecum non intelligas, tamen quomodocumque ipsa pronuntias, cum scripta non sint. An non et unius substantiæ vocabulum, quod in Scripturis non putas contineri, mecum pa-
D riter profiteris; nisi quia illic habuisti quomodo malignos sensus tuos occulta fraude in utroque contegeres; ut mecum hoc ipsum sono vocis exprimeres, sed tamen longe dicti intelligentiam separares?

Sicuti et illi hæretici qui resurrectionem carnis negant, ad decipiendas[6] animas simplicium, væ dicunt his qui in carne non resurgunt. Sed si discutias eos cur hoc dixerint, cum scias illos carnis resurrectionem omnino negare, dicent tibi: Væ
E utique illi erit, qui in carne baptizatus non fuerit, ut anima ipsius dum in corpore est, de morte delictorum suorum, ut de sepulcro criminum per baptisma, in eadem resurgat. Solius enim animæ per lavacri vitalis gratiam resurrectionem in carne defendunt; nam et ipsius carnis salutem excludunt. Et hi per verisimilem confessionem innocentium mentes occulta fraude seducunt. Et ut solet lethale poculum mellis dulcedine temperatum, suavitate fallente, perimere; sic et hoc malum per
F blandimentum aurium, audientium sensus quadam labe contaminans, contagione vitii adhærentis inficit.

6

CAPUT IV.

Denique et nunc possent ὁμοούσιον sicuti et cætera verbo tenus nominare, si haberent quomodo illud ad aliam intelligentiam scævo sensu perverterent: sed cum viderent se in hoc verbo concludi, nullam omnino mentionem hujus fieri voluerunt;

[1] Tell. cod. et Vigil. edit., *quamquam non immutaveris dictum.* Haud recto sensu.

[2] Gill. et Rom. edit., *facturam dici voluisse.* Perperam.

[3] Teller., *in Scripturis dominicis.*

[4] Vigil. edit., *de vero Patre natus, non factus est.*

[5] Omnes exarati atque editi cod. Ambrosii nomen præferentes, *non sentis, ut quia scriptum est de Patre: Deus lux est quæ illuminat omnem hominem.... id est, Christus in cœlo; et tenebræ.... Hi scilicet homines.... non agnoverunt; sed ipse*, etc. Nos vero locum ex edit. Vigil. restituimus.

[6] Hunc etiam locum nobis edit. Vigil. restituit, cum haberetur in mss. et edit. Ambrosianis in hæc verba, *animas simplicium, dicunt his quia in carne non resurgant...., dicent tibi: Utique ille erit,* etc. inepto sensu.

ne aut profitendo hoc crederent, aut credentes professi viderentur: subtili ingenio excusantes, quod aut scriptum non esset, aut Deum in substantia dici non oportere, ne corporeus crederetur.

Deus etenim, inquiunt, efficit ut sit substantia, non tamen ut ipse Deus in substantia deputetur; quippe, ajunt, cum omnis substantia contraria recipiat. Deus vero qui nihil diversum admittere potest, substantia dici non debet.

Ignoscerem tibi si hoc simpliciter diceres, si rationem rei velles scire; si rudis ad hanc quæstionem accederes; si non ipse esses, qui semper vel de alia substantia, vel de nullis extantibus Dei Filium asserebas: at cum idem ipse sis qui hinc sæpe convictus, sæpe confessus, sæpe negasti, sæpius
1 aliter immutando damnatus es; qui etiam[1] nunc vi, ambitione et potentia exagitans, turbas omnia; quomodo putas me ignoscere tibi posse frequentius eadem retractanti? Sed ne videatur hæc perversitas præjudicata magis quam examinata damnari, breviter tibi de hac oppositione respondeam.

Prohibes itaque in Deo substantiam nominari, quasi omne quod substantia dicitur, res ipsa unius generis habeatur. An ignoras aliter cœlestia, aliter terrena constare; sed et in ipsis cœlestibus rebus atque mundanis magnam differentiam interesse? Aliter enim angeli, aliter singulæ virtutes constitutionum suarum substantias acceperunt, sicuti Apostolus ait: *Alia claritas solis, alia claritas*
I Cor. xv, 41. *lunæ, alia claritas stellarum.* Sic et in hoc mundo, ut diversa genera rerum, ita et diversa corpora animantium, et omnibus sui cujusque generis substantia, sicut Apostolus dicit: *Non omnis caro*
Ibid., 39. *eadem caro.*

Si ergo ea quæ a Deo facta sunt, diversas qualitates substantiarum suarum habent; tu putas in Deo talem esse substantiam, qualem habet aliquid horum quod factum est, ut possit contraria recipere? Absit. Quæ est enim substantia Dei? Ipsum quod Deus est, simplex, singulare, purum, nulla concretione permixtum, limpidum, bonum, perfectum, beatum, integrum, sanctum totum. An tu putas inane aliquid esse et vacuum, quod est Deus? Hoc enim dici blasphemia est, ut inane putetur, per quem cuncta constiterunt, qui omnia verbo edidit, ratione composuit, virtute perfecit, cujus nutu et imperio universa reguntur, cuncta deserviunt.

Et bene de Deo legis scriptum: *Ego sum, qui*
Exod. iii, 14. *sum;* et: *Qui est, misit me.* Et ipse salvator Do-
Ibid. minus, *Hæc est,* inquit, *vita æterna, ut cogno-*
scant te solum verum Deum, et quem misisti
Joan. xvii, 3. *Jesum Christum.* Est ergo[2] in substantia essentia sua Deus, cujus cognitio vita æterna est, qui et tantus est, quantus dici non potest. Qui tunc digne æstimatur, cum inæstimabilis dicitur, utique velis ac nolis.

Ergo ipsum quod est, hoc est substantia ejus rei, quæ esse defenditur; quod tamen jam dictum est, quantum et quale sit, nec mente concipi, nec sensu æstimari, nec animo definiri potest; dummodo constet esse quod esse creditur; ut de eo ipso quod Deus est, inde sit Filius, ut verus sit

A Filius, et verus sit Pater in Filio, et Filius in Patre. Hoc erit ὁμοούσιος, id est, unius substantiæ cum Patre, sicut ipse Dominus ait: *Ego in Patre, et Pater in me:* et: *Ego et Pater unum sumus;* Joan. xiv, 10. Joan x, 30.
et: *Ego de Patre exivi;* et: *Qui me videt, videt* Joan. xvi, 28.
et Patrem. Joan. xiv, 9.

Non immerito, quia Filius Dei de Deo Patre natus est; et ideo de unitate substantiæ, et de majestate deitatis unum sunt, sicuti et Hieremias prophetavit: *Quis stabit in substantia Domini, et*
B *videbit Verbum Domini?* Et iterum: *Si stetis-* Jer. xxiii, 18.
sent in substantia mea, et si audissent verba
mea, avertissem eos ab studiis eorum pessimis. Ibid., 22.
Et apud Salomon: *Substantia mea, dulcedo mea est.* Sap. xv

CAPUT V.

Cum ergo hanc unitatem substantiæ in Patre et Filio non solum prophetica, sed et evangelica auctoritate cognoscas; quomodo dicis in Scriptu-
C ris divinis ὁμοούσιον non inveniri, quasi aliud sit ὁμοούσιον quam quod dicit: *Ego de Deo Patre* Joan. xvi, 28.
exivi; et: *Ego et Pater unum sumus*: vel quod Joan. x, 30.
prophetæ ex aperto substantiam Dei intimabant?

Hæc est autem nominis ratio, ut in Patre et Filio unitatem substantiæ credas, licet rem ipsam, quæ est inenarrabilis, definire non possis; ut sive lumen de lumine dicas, sive verbum de verbo, sive spiritum de spiritu, sive dominum de domino; quodcumque de eo dixeris, unius tamen essentiæ
D Patrem et Filium credas; et de eo ipso quod Pater est, Filium intelligas. Nam si aliquam comparationem de rebus his quæ videntur, in eo facias; ipsa dissimilitudine rerum non rationem ostendes, sed altercationem disputationum induces,[3] ut cujus II
voce descriptum est: *Cui me comparabitis?* Ac Isai. xlvi, 5.
proinde Deus, cui assimilari nihil potest, sufficiat credi, quod ipse sentitur, quem ipse credi se voluit, non indicari.

Denique si de hoc ipso quod mecum profiteris,
E ad aliquam similitudinem velis in Deo conferre, nescio an quod comparaveris, possis expressius definire: ut puta cum dicis lumen ex lumine, si ad explanandum illud scrupulosa narratione cogaris, quæro quomodo lumen ex lumine credas? Utrum quasi lucernam ex lucerna, vel quasi solem ex sole; ut aut duas lucernas, aut duos soles, quasi duos deos sub hoc exemplo inducas? Aut splendorem luminis ejusdem lucernæ, vel claritatem solis de eodem sole fulgentem, lumen de lumine consi-
F gnes, ut in matricem luminis Patris figuram assimiles, Filium vero in splendorem claritatis ostendas; quod de eo Propheta dixerit: *Apud te est fons*
vitæ, et in lumine tuo videbimus lumen; vel Ps. xxxv, 10.
Salomon, cum dicit: *Candor est lucis æternæ, et*
speculum sine macula Dei majestatis, et imago
bonitatis illius; vel Apostolus hic prædicaverit Sap. vii, 26.
Salvatorem nostrum imaginem esse invisibilis Dei, eo quod imago[4] solis lux sua sit, quæ de eodem 4
sole procedit? Coloss. i, 15.

G Sed quanta ad hæc responderi possunt, quæ lites generant, quod Apostolus prohibet, longum est di- II Tim. ii, 24.
cere: quippe cum constet lumen illud quod Deus

[1] Ambr. edit. cum. ms. Tell., *nunc in ambitione exagitans:* Vigil. edit. cum Læt. cod., *vi, ambitione,* sed sola edit. Vig. addit. *et potentia.*

[2] Ita omnes edit. et cod. Læt.; at Vigil. edit. resecuit *essentia sua,* pro quibus Tell. cod. substituit *sententia sua.* Verum recepta lectio non est mutanda; idem ea significat, ac si scribatur, in ordine substantiæ per essentiam suam.

[3] Vigil. edit. sola, *Et quia ex voce Dei scriptum est.*

[4] Vox *solis* in editt. desideratur, quam e cod. Tell. restituimus integritati sensus non inutilem.

est, æstimari, comprehendi et definiri non posse; nec vere aliquid ex his, quæ in hoc mundo sunt, majestati divinæ comparari; quia nihil de omnibus istis, quæ videntur aut dicuntur, secundum id quod Deus est, condigna similitudine æstimari potest, quippe cum ipsis intellectibus et sensibus major sit.

Ideo præmonuit ut divinitatem substantiæ crederes, et verum Filium de vero Patre cognosceres: de qualitate autem rei requirere non deberes; quia quale aut quantum sit, scire non possis. Hoc enim prophetæ, hoc apostoli prædicarunt.

CAPUT VI.

Denique pro captu, pro viribus, pro fide nostra intueamur Deus quid sit, et videamus an ei aliquid possit comparari. Certe hic est, de quo et cum dicitur, non potest dici: cum æstimatur, non potest æstimari: cum comparatur, non potest comparari: cum definitur, ipsa sua definitione crescit. Qui cœlum manu sua operit, pugno omnem ambitum mundi claudit. Quem totum omnia nesciunt, et metuendo sciunt. Cujus nomini et virtuti famulatur hic orbis, et ipsa elementorum sibi succedentium momentanea vicissitudo testatur. Vide ergo si potest aliquid esse, cui possit Pater comparari et Filius; quia talis est Filius, qualis et Pater: non enim ipse se unum cum Patre diceret, nisi talem se, qualis est Pater, sciret.

Ratio quædam est, quæ apud Græcos λόγος nuncupatur, quæ inter Patrem et Filium personas vel vocabula distinguit; quia et ipse Filius ratio dicitur. Quæ tamen ratio multis nominibus appellatur: modo verbum, modo virtus, modo sapientia, modo dextera, modo brachium, modo margarita, modo thesaurus, modo retia, modo aratrum, modo fons, modo petra, modo lapis angularis, modo agnus, modo homo, modo vitulus, modo aquila, modo leo, modo via, modo veritas, modo vita. Et ita cum sit Deus omnia in omnibus, ut per hæc vocabula divinarum dispositionum mysteria cognoscantur, non ut ipsa majestas Filii Dei proprie definita monstretur.

Quid est enim Filius de eo quod Pater est? Alius
1 idem. Nam [1] et ob hoc Verbum nuncupatur, quia ex proprio divino ore processit, et nihil Pater sine eo aut jussit, aut fecit. Virtus dicitur, quia vere de Deo et semper cum Deo est, et omnis potestas Patris in ipso consistit. Sapientia appellatur, quia de corde Patris adveniens, arcana cœlestia credentibus reseravit. Dextera nuncupatur, quia per eum omnia opera divina perfecta sunt. Brachium dicitur, quia ab ipso omnia continentur. Margarita appellatur, ut nihil illo pretiosius habeatur. Thesaurus dicitur, ut in ipso omnes opes et divitiæ regnorum cœlestium conditæ agnoscantur. Retia dicitur, quia per ipsum, et in ipso de mari sæculi diversa gentium multitudo sicut piscium per aquam baptismatis in Ecclesia congregatur, ubi bonorum malorumque discrimen agnoscitur. Aratrum nuncupatur, quia signo crucis suæ dura pectora subji-
2 ciuntur, [2] ut necessario semini ipsa præparentur.

A Fons aquæ vivæ appellatur, quia ex eo sitientia corda cœlestis aquæ gratia irrigentur. Petra dicitur, quia credentibus fortitudinem, incredulis duritiam præstat. Lapis angularis dicitur, quia utrosque parietes novi et veteris Testamenti unus et mediator in semetipso continens copulavit. Agnus dicitur, ut innocentia Christi et passio demonstretur. Homo dicitur, quia secundum carnem propter nos homines nasci dignatus est. Vitulus dicitur, quia propter nostram salutem pati sustinuit. Aquila di-
B citur, quia post venerabilem resurrectionem, [3] ut 3
rex alitum ad Patris pervolat sedem. Leo dictus est, quia ipse est rex regum, qui mortem ac zabulum virtutis suæ potestate comminuit. Via est, quia per ipsum ascensus est. Veritas, quia mendacium nescit. Vita est, quia ipse universa vivificat.

Vides ergo per hæc vocabula significationes et dispositionum et operum divinorum præostensas; non tamen ipsum Deum proprie definitum? Est
C ergo Pater Deus immensus, æternus, incomprehensibilis, inæstimabilis. Est et Filius ejus Deus et Dominus noster, tantus, quantus est et Pater: sed non aliunde quam de Patre: *quia ego,* inquit, *de Patre exivi,* hoc est, lumen de lumine. Joan. XVI, 28.

CAPUT VII.

Sed ne ex eo occasionem aliquam hæreticus capiat, cum duo nomina, vel duas personas, id est,
D Patris et Filii statuo, quasi duos deos dicam, ut illi duos ex diversitate confingunt: nos autem Patrem et Filium ita nominamus, ut unum Deum in his personis et nominibus consignemus. Viderint philosophi, viderint hæretici discipuli eorum, qui potestatum diversitate variantur: *Nobis* tamen *unus Deus est Pater,* ut Apostolus dixit, *ex quo omnia, et nos ex ipso: et unus Dominus Jesus Christus,* Deus Dei Filius, *per quem omnia, et nos per ipsum.* I Cor. VIII, 6

E Nam per duo quid aliud intelligitur, quam duo- 4
rum per partes divisa substantia, [4] et cum nominibus ipsis dissociata natura, agendi ac jubendi tam voluntas, quam imperia divisa? Porro Pater ac Filius etsi duæ personæ creduntur, ratione tamen et substantia unum sunt. Nam inæqualium societas melioris offensa est, et in injuriam ejus, qui verus Deus est, non verus alius comparatur. Cum autem ego Patrem et Filium statuo, unitatem generis assigno: et si illam in personis divido; discre-
F tiones tamen personarum rursus eadem nomina in unitatem sui naturali legis fœdere consignant.

Unde et tantus est Filius, quantus videbitur Pater, totus de toto, integer de integro, perfectus de perfecta consummataque virtute, sicut Apostolus dicit: *In quo omnis plenitudo divinitatis corporaliter habitat.* Nam [5] et Hieremias receptissimus prophe- 5 Coloss. II, 9
tarum, hanc unitatem divinitatis in Patre et Filio sciens ait: *Hic est Deus noster, et non deputabitur alius absque illo: qui invenit omnem viam*
G *prudentiæ, et dedit eam Jacob puero suo, et Israel dilecto suo. Post hæc in terris visus est, et cum*

[1] Ambr. edit., *Nam et hoc Verbum:* melius Vigil. et codex Tell., *Nam et ob hoc,* id est, ob hanc rem, etc.

[2] Edit. Ambr., *ut necessariora in ipsa;* codex Tell., *ut necessaria in ipsa:* optime Vigil. ut in textu.

[3] Ita codex Tell. et edit. Vigil.: Ambr. vero, *ut rex altam ad Patris,* etc.

[4] Ambr. edit. cum cod. Tel. et Læt., *et cum omnibus ipsi dissociata;* Vigil. concinnius, ut in textu.

[5] Rom. edit. sola, *Nam et Baruc.* Sed et hunc Hieremiæ nomine etiam ab Ambrosio citari jam ante non semel advertere licuit.

Baruc. III, 36 et seq. *hominibus conversatus est.* Et Esaias hoc ipsum prædicat dicens: *Hæc dicit Dominus Deus: fatigata est Ægyptus, et negotiatio Æthiopum, et Sabain, viri excelsi ad te transient, tui erunt servi, et post te ambulabunt vincti compedibus, et te deprecabuntur; quoniam in te Deus est,* Isai. XLV, 14. *et non est alius Deus præter te; tu es enim Deus.*

Quod ne putes me eo supercilio dixisse, quo Sabellius fertur, qui ipsum Patrem, ipsum Filium profitetur, non ita nos totum in unam sententiam cogimus, ut aliorum hæreticorum fraude capiamur. Sed quia in ipso nomine personarum auctoritas indiscreta cognoscitur, et Filius non genere, sed personaliter a Patre nominatur; proinde totum Patri adscribimus, quod est Filius: et totum Filio, quod Pater est. Nihil non videbitur Patris, quod judicabitur Filii, nec Filii, quod defenditur Patris; quia unitas majestatis non sinit deos plurali vocabulo appellari: quippe cum constet Patrem et Filium unius esse substantiæ, unde uterque unus Deus est dictus.

1 Illud ante cuncta metuentes,[1] quia nisi Pater et Filius unum non sint, in invidiam recurrat auctoris interpolata nativitas: hoc enim placuit hæreticis, ut Deus ille omnipotens, invisibilis, immensus de-
2 generaret in Filio,[2] non modo potestate, sed conditione mutata, quasi non potuerit Pater de semetipso talem habere, qualis et ipse est. Proinde nos verum Filium de vero Patre, qui semper fuit, et est unius substantiæ cum Patre, defendimus. Et hoc est, quod Græci ὁμοούσιον appellant, id est,
3 cum uno aliud ipsum;[3] ut personæ audientia nominatim fierent, et non ut substantiam vocabula separarent.

CAPUT VIII.

Sed ut omne mysterium hæresis arianæ traducam, cur nolint Filium de Patris substantia credi, breviter intimabo. Ajunt enim: Cum sit Deus Pater omnipotens, invisibilis, inconvertibilis, immutabilis, perfectus, semper idem, æternus; Filius vero visibilis, quia sæpe patribus visus est, et convertibilis atque mutabilis, quia in variis figuris quibusque sese monstravit; qui si de Patris, inquiunt, esset substantia, numquam fieri posset, ut ante carnis assumptionem aut visibilis aut mutabilis cerneretur; quin potius in æqualitate qua Pater est, permansisset, ex cujus substantia erat; quia quod de Patre est, nec videri, nec mutari, nec converti posse credendum est.

Accedit ad causam, quia cum illapsus est in Mariam, cum Virginis uterum opplevit, aliud utique ex illa, quam quod venerat, natum est. Unde jam,
4 inquiunt, corrupta substantia[4] statum vertit, ordinem perdit, continuo immutatione ipsa formandus de Deo in hominem, de spiritu in carnem. Et utique translatio omnis interemptio est pristini. Ac per hoc ajunt: Si Filius de Patris substantia esset,

A jam et Patrem minorem videri substantiæ suæ vel traditione, vel fine; et proinde Filium ex alia substantia credere maluerunt, quod converti, et mutari, et videri possit; quia hoc de Patris substantia credi non liceat.

Hæc est causa erroris, hæc origo hæresis arianæ; dum non intelligunt virtutem Dei, neque tanti sacramenti dispositionem agnoscunt, ut Deum humanis conditionibus comparent.[5] Quibus primo respon- 5
dendum in loco Filium Dei non ita visum, ut Deus
B erat, sed ut homo capere poterat de Deo; deinde variis figuris non mutabilem et convertibilem ipsum esse, sed hoc esse potentiæ Dei, ut cum se singulis, prout vult, revelare dignatur, habitum mutet, non substantiam vertat; nec proprietatem qualitatis amittat, sed juxta meritum videntis temperamentum majestatis adhibeat; ipse tamen idem, ut semper est, in substantiæ suæ proprietate permaneat, sicut scriptum est: *Mutabis eos et mutabuntur: tu autem idem ipse es, et anni tui non*
C *deficient.* Ps. CI, 28.

Nam etsi multa sunt ex his, quæ in hoc mundo videntur, quæ ex alio convertantur in aliud, ut desinant esse quod erant, et hoc sint quod retro non fuerant; ut limus cum in hominem figuratur, limus esse jam desinit; aut pisces, aut aves cum de aqua procedunt, ex eo jam non aqua, quia aliud; ut lutum figuli cum solidatur in testam; ut lapis, cum dissolvitur decoctus in calcem: ut arena cum mutatur in vitrum, et cætera, quæ longum est
D recensere. Sed multum interest, stulte hæretice, inter ea quæ facta sunt, et eum qui omnia, quemadmodum voluit, fecit. Quæ facta sunt, adscriptæ conditioni deserviunt: qui vero fecit, suæ voluntatis et proprii juris est. Neque potest in aliud, quam quod est, aliquo cogente, mutari: sed prout vult, et cui vult, se demonstrat. Nam si angeli in figura hominum sæpe sunt visi, et tamen aliud non sunt, quam quod se esse norunt, neque substantiam mutant, cum formam humani corporis
E sumunt; quanto magis ipse Dominus noster qui omnia fecit, qui ipsis angelis ut hoc possent, sua institutione concessit!

Huc accedit quod sic Filium Dei, ut jam dictum est, visum a patribus approbamus, ut non totum in illo, quod Deus est, videretur: sed dispositiones rerum futurarum, quæ suis quibusque temporibus complendæ erant, in illo per imaginem cernerentur. Nam quis Filium Dei videre potuit, antequam conspicabilem materiam, sicut ei placuit, assumpsit,
F vel ipsum hominem induere dignatus est?

Qui etsi Abrahæ visus est, sed in forma humani Gen. XVIII, 1. corporis visus est, quo scilicet postremis temporibus in homine venturus esse ostenderetur.

Jacob etiam alibi in angelo, alibi æque videtur Gen. XXVIII, 13. in homine. Qui ideo se in angelo demonstravit, ut nuntium se magni consilii indicaret: in homine vero, cum quo et colluctatus fuisse describitur; ut imaginem futuræ colluctationis, quam cum Israel

[1] Vet. editt., *quod ubi Pater;* Vigil., *ne si Pater;* mss., *quia nisi Pater.* At seq. membro ubi vet. editt. ac mss., *invidia recurrat,* multo melius Vigil., *in invidiam recurrat.*

[2] Ita edit. Vigil., cum in aliis ac mss. habeatur: *Non modo potest esse de conditione:* nullo sensu.

[3] Vet. editt., *ut personæ audientis nominatim;* Vigil. et mss., *ut personæ audentia nominum;* mss., *nominatim.* Quod autem ad dictionem ὁμοούσιον auctor explicat, *cum uno aliud ipsum,* hoc Ambrosius paulo fusius exhibet lib. III *de Fide* cap. 15, num. 126, quem locum a Basilio desumptum videri annotavimus.

[4] Ambr. edit. et cod. Læt., *statim vertit ordinem, perdit continuo immutationem, ipsa formando;* Tell., *mutationem ipsam formando;* secunda manu, *ipsa formandi:* aptius edit. Vigil. ut in contextu.

[5] Tell. cod. et Vigil. edit., *Quibus primi in loco respondendum est Filium,* etc.

habiturus erat, cum secundum hominem advenisset, præcipue indicaret. Sed ut Dominum crederet, cum quo tanto certamine sub figura hominis luctabatur,
Gen. XXXII, 21. Israel, id est, homo videns Deum, nomen accepit. *Vidi*, inquit, *Deum facie ad faciem, et salva*
Ibid., 30. *facta est anima mea.* Et utique figuram hominis viderat, quam Deus Dei Filius induerat.

Exod. III, 2. Moysi in rubo in flamma ignis apparuit, ut lumen credentibus, incredulis judicium demonstraret; quia Christus credentibus salus est, non credentibus pœna, ut Apostolus ait: *Aliis odor vitæ in*
II Cor. II, 16. *vitam, aliis odor mortis in mortem.*

Populum Israel in columna nubis per diem, et per noctem in columna ignis quasi dux itineris præ-
Exod XIII, 21. cedebat; ut baptismi gratiam per nubem, et donum sancti Spiritus per ignem ostenderet; quia apostolus
I Cor. X, 2. Paulus in nube patres baptizatos scribit, et Spiri-
Act. II, 3. tum sicut ignem esse Apostolorum Acta declarant.

Vides ergo per omnia, hæretice, characteres divinarum Scripturarum in honorem Dei patribus præostensos; non tamen ipsum Deum, ut est proprie, revelatum. Denique cum Moyses oraret ut faciem Dei pure videret, quid ad illum continuo Deus? *Non poteris,* inquit, *videre faciem meam;*
Exod. XXXIII, 20. *non enim videbit homo faciem meam, et vivet.* Hoc ipso quod negatur adspectus, claritas assignatur, quæ scilicet tanta est, quanta credenda est, quæ invisibilis indicatur. Cum ergo Moyses qui et situm cœli, et ordines mundi, et elementorum vices, totius denique orbis ornamenta digesserit, indicarit, expresserit; cui ipse Dominus testimonium perhibuit dicens: *Nemo erit ex prophetis ut servus meus Moyses, cui facie ad faciem, ore ad os*
Num. XII, 7, 8. *locutus sum;* Deum tamen pure videre non potuit. Merito quidem prophetia omni dignus, sed non usque adeo ut intueri Deum valeret, qua homo tantummodo esset.

Et utique hæc omnia Filii verba defendimus, quem in monte Sina cum Moyse locutum esse sci-
Exod. XXXI, 18. mus, qui agendis explicandisque rebus a Patre advenerat; quia omnia a principio per ipsum et ordinari, et explicari, et manere convenerat, ut habendi Filii hæc præcipua ratio constaret. Et tamen sic visus accipitur, ut alicujus conspicabilis, ut dixi, materiæ dispositione assumpta videretur, salva scilicet invisibilitate ejus, quam a conspectu omnium majestas interfusa seposuit. Non enim sic humanis adspectibus revelatus est, ut tota in illo deitas appareret: sed ad vicem speculi cum conceptos intra lucem suam vultus quasi ad plenam effigiem ho-
1 minis includit;[1] ita majestatis ejus præeunte fulgore, intra id visum est, quod imaginem veritatis, non ipsum Deum proprie demonstraret.

Sic et cum hominem induere dignatus est, non labem æternitati intulit; ut spiritum in carnem mutaret, sed ut suscepto homini immortalitatem atque æternitatem cœlestis vitæ præstaret. Nam etsi Apostolus semetipsum exinanisse dicit formam servi suscipiendo, non utique sic exinanitum acci-
2 pimus, ut aliud, quam quod fuerat,[2] idem Spiritus fieret: sed ut seposito interim majestatis suæ ho-

A nore, humanum corpus indueret, quo suscepto, salus gentium fieret. Ut enim sol cum nube tegitur, claritas ejus comprimitur, non cæcatur; et lumen illud, quod toto orbe diffusum claro splendore cuncta perfundit, parvo admodum obstaculo nubis includitur, non aufertur: sic et homo ille quem Dominus Jesus, Salvatorque noster, id est, Deus Deique Filius induit:[3] Deum tamen in illo 3
non intercepit, sed abscondit.

Denique cum in monte se paululum extra ipsum
B hominem extulisset, fulgore luminis ejus pene obcæcati apostoli in terram quippe homines ceciderunt, periclitati vitam, nisi eis Dominus compresso Matth. XVII, 6
rursum majestatis suæ honore ut misericors subvenisset, secundum illam sententiam: *Nemo vidit Deum, et vixit.* Ut ergo claritas solis,[4] cum non 4 Exod. XXXIII, 2.
usque ad nostros emicat visus, sibi salva est; quia quod non videtur, infirmitatis est nostræ, quorum oculos nubium texit obscuritas:[5] ita probat se 5
non suo detrimento proprii latuisse fulgoris; sed
C carnis, ut dixi, beneficio, cujus causa Filius Dei filius hominis esse sustinuit.

Nempe enim de Spiritu Dei Virgo concepit, et quod concepit, hoc peperit, id est, Deum homini suo, ut jam dixi, sociatum, sicut ipse dixit: *Quod nascitur de carne, caro est: et quod nascitur de spiritu, spiritus est;* quia Deus spiritus est, et Joan. III, 6.
de Deo natus est. Sicut et Angelus ad Mariam Virginem dixit: *Spiritus Dei veniet in te, et virtus Altissimi obumbrabit te. Propterea quod nascetur*
D *ex te sanctum, vocabitur Filius Dei.* Luc. I, 35

Vides ergo ipsum Spiritum, id est, Filium Dei venisse ad Virginem; et inde Dei et hominis Filium processisse: nec tamen ipso indumento carnis Dei Filium esse mutatum; sed eumdem ipsum esse in homine qui fuerat ante mundum cum Patre; per quem facta sunt omnia, et sine quo factum est nihil, sicut Evangelista ait: *Mundus per ipsum factus est, et mundus eum non cognovit.* Joan. I, 10.

Cæterum amentis est credere ab eo posse libe-
E rari, qui ut liberaret, amissus est; ut nasceretur, oppressus est; ut immortalitatem reciperet, transivit ad mortem. Sed absit, hæretice, ut sensus tuæ iniquitatis a catholicis admittatur: nos enim credimus immutabilem et inconvertibilem, Verbum et spiritum, id est, Filium Dei; qui cum hominem induit, non statum vertit, non ordinem perdidit, non substantiam immutavit: sed illuvias ejusdem corporis æterno claritatis suæ lumine illustravit; ut ad nos per tramitem corporis ejus lux Sancti
F Spiritus, et æternæ vitæ gratia redundaret.

Quem etsi passum credimus et sepultum, sed homo ille passus est, quem Filius Dei suscepit, quem induit, quem portavit. Sed quia totum ad auctorem referebatur, quidquid homo ille patiebatur; ideo mors et passio Domini judicatur: nam constat immortale esse quod Dei est; hominis quod caducum.

Tertia quoque die resurrexit non Deus in hominem, sed homo potius in Deum.

Ascendit in cœlos, obtulit Patri suo hominem
G illum gratissimum munus, consedit ad dexteram

[1] Vet. editt. et mss. Tell., *ita majestas ejus... intra id visum esset:* magis concinne Vigil. edit. cum Læt. mss., *ita majestatis ejus.... intra id visum est,* hoc est, sub his conditionibus visio conceditur.

[2] Gill. et Rom. edit., *idem Christus fieret;* aliæ ac mss., *idem spiritus fieret.* Minime male; supra enim scriptum legimus, *ut spiritum in carnem mutaret.*

[3] Vigil. edit., *divinitatem in illo,* etc.

[4] Ambr. edit. ac mss., *cum usque ad nostros:* Vigil. edit. negotiationem adjicit, quam quidem illic necessario sensus exigit.

[5] Vigil. edit., *ita et majestas illa divina, quæ, ut dixi, corpus induerat, probat se non suo,* etc.

Patris, secundum quod scriptum est: *Dixit Dominus* A
Ps. cix, 1. *Domino meo: Sede ad dexteram meam.*

Misit nobis Spiritum sanctum de propria sua, et ipsa una substantia sua, protectorem, sanctificatorem, et deductorem in vitam æternam, sicut scriptum est ex voce Dei: *Effundam de Spiritu meo*
Joel. ii, 29 *super servos meos, et ancillas meas.* Et iterum: *Spi-*
Isai. lvii, 16 *ritus ex me prodibit.* Et ipse Dominus Salvatorque
Joan. xvi, 15. noster, *De meo,* inquit, *accipiet;* ex eo utique quod est Filius, quia et Filius de eo quod Pater est.

Exinde præfinito tempore venturus, vivos mortuosque judicaturus; ut reddat credentibus præmia, non credentibus vero supplicia.

Cujus regnum æternum, immortale; nec initium habet, nec terminum: cui est honor et gloria in sæcula sæculorum.

CONCLUSIO.

Hæc qui legis, per Deum obsecro, ne simplicitatem sensus in ambiguum torqueas, aut alias quam dicta sunt, trahas; quia nos Patrem verum Patrem confitemur, et Filium Dei verum Filium Dei, et Spiritum sanctum vere Spiritum sanctum credimus: tres personas unius substantiæ, et unius divinitatis confitentes. Sabellii autem et Photini, B nec non Arii sectam, et si qua alia sunt, quæ contra regulam veritatis veniunt, condemnamus. Nicænæ autem synodi tractatum omni animi nisu ex tota fide servantes, amplectimur: hunc enim tractatum scimus contra omnes hæreses invicta veritate oppositum.

PRÆFATIO AD LIBELLUM DE DIGNITATE SACERDOTALI.

Juxta significationem quam veteres voci *sacerdos* maxime tribuebant, sequens opusculum de episcoporum dignitate et obligationibus, potius quam de iis quæ presbyteros quoque respiciunt, agit: indirecte tamen hos quoque attinet quatenus etiam presbyteri dignitatis et munium episcoporum participes sunt.

Merito autem Patrum e S. Mauri congregatione *acribeja* hanc quoque tractatiunculam ex albo sancti nostri Doctoris Operum expunxit. En quibus adducti rationum momentis in hanc sententiam devenerunt sua in prævia *Admonitione* declaratum:

« Non omnino perfunctorie hanc opellam dispicienti ambiguum non erit eam sancto Ambrosio suppositam fuisse; idque non solum quod habeat versionem Hieronymi, et senatores noscendos non lato clavo, sed chlamyde asserat,
De Form. Regn. Chr. cap. 7. ut observat Blondellus: at multo magis quod nihil contineat ab Ambrosii et ingenio et sæculo non alienum. Verumtamen in omnibus Operum sancti Doctoris editionibus idem libellus locum obtinuit; et in scriptis etiam codicibus, si unum exceperis, præfixo Ambrosii nomine illustratur. Cum vero tantus sit eorum consensus in auctore pseudepigrapho, mirum est quanta sit eorumdem in indicando Operis argumento varietas. Etenim cum tam frequentes occurrant in bibliothecis, ut in sola Vaticana quatuordecim invenire sit; fere totidem ejus leguntur inscriptiones, quod manuscripti. Alibi quippe titulus illi præfigitur, *Liber Pastoralis*, sive *De Cura Pastorali;* alibi, *De Observantia Episcoporum:* modo, *de Vita et Ordinatione Episcoporum, et simoniaca hæresi;* modo *Sermo de Episcopis et Sacerdotibus. De Apostolo in loco, ubi ait: Fidelis sermo, etc.;* nonnumquam, *Sermo de pastoribus;* interdum, *Sermo de Mysteriis;* alicubi etiam, *De Ordinatione Episcopi per simoniam.* Sed ab aliis codex Ecclesiæ sancti Martialis apud Lemovices minus ab aliis recedit materiæ, quam Auctoris significatione; sic enim præfert: *Sermo Gilberti Philosophi, Papæ urbis Romæ, qui cognominatus est Silvester, de Informatione Episcoporum.* Hunc libellum ex eodem codice exscriptum Mabillonius noster pro sermone nondum vulgato, xi parte Analectorum edi curavit, haud dubie nova illa deceptus inscriptione. Verumtamen in hoc bene meritus est de eruditis, quod primus illum sub auctoris hujus nomine in lucem misit. Omnia profecto et personæ et
Cap. 1 sub finem tempori satis congruunt. Episcopus enim ordinis sui viros ibi alloquitur, idemque sæculum labe simoniaca maxime laborasse exploratum est. At nihilominus cum manuscriptus ille ab aliis omnibus non in sensu quidem, sed tamen in elocutione perpetuo dissideat, revocari potest in dubium verusne ejus auctor haberi debeat idem Silvester, an aliquis interpolator: quod nos lectorum judicio definiendum permittimus. Porro ex variis illis codicum manu
Cap. 2, 3, 4. exaratorum titulis abunde cognoscitur duo tractari hoc in Opere, scilicet episcopalem declarari amplificarique
Cap. 5 et seq. dignitatem, et simoniæ crimen acriter impugnari. Cum vero idem tractatus in memoratis codicibus partim sermonis, partim libelli nomine inveniatur inscriptus, in controversiam forte venerit utrum vocabulum magis apte eidem conveniat. Fatendum quidem est in priori parte haud pauca esse, quæ sermonis speciem satis referant; sed cum sub finem aperte nominetur libellus, ipsum inter libellos sive tractatus exhibere satius duximus. »

De S. Ambros. art. 92 oper. præcit Tillemontius, licet codicem lemovicensem supramemoratum et ipse commemoret, opinatur libellum hunc S. Gregorii VII ætati magis convenire, atque id certo propter ea quæ in Simoniæ vitium proferuntur. Hoc tamen non impedit quod etiam aliquo sæculo antiquius confici potuerit, quia non primum illius præclari Pontificis sæculo labes illa ecclesiasticos homines inquinare cœpit.

DE DIGNITATE SACERDOTALI LIBELLUS.

CAPUT I.

1 Si quis,[1] fratres, oraculum reminiscatur quo Dominus frugi famulum de servata sibi pecunia, quam ad prærogandum susceperat, increpavit
2 dicens:[2] *Tu dedisses pecuniam meam, et ego veniens cum uxuris*
Luc. XIX, 23. *exegissem eam;* non jam otiosus auditor collatam sibi divini muneris gratiam suis tantum usibus reservabit: sed cunctis eam communicabilem faciens copiosius prærogando, securus possidebit; ut sibi per hæc et plurimis ædificationis exhibeat fructum, et velut decora
3 arbor pomis referta[3] non infructuose probetur occupare terram, dum vivit, cum et per seipsam suis pomis ornatur, et omnes qui ex ea fructum perceperint, saginantur, beato nos etiam Apostolo ad hæc eadem invitante: Nolite quærere quæ ve-
Phil. II, 4. stra sunt, sed quæ aliorum. Et alibi: *Non quæro quod mihi utile est, sed quod multis, ut salvi*
I Cor., X, 33. *fiant.* Idcirco nos, quibus in verbis divinis credita est dispensatio, et qui gregem Christi alendum
4 nutriendumque suscepimus,[4] non sine ingenti periculo noxam nos credimus evasuros, si non secundum hunc modum vivamus, aut etiam si minime prædicemus. Et licet ad hæc prædicanda nos retardet vitæ hujus improbitas, invitat nos tamen præcepti necessitas. Et væ jam mihi est, si minime prædicavero, et si susceptum thesaurum in terram defossam, id est, in meo corde diu occultavero, et lucernam divini verbi compressam sub modio retentavero, et non super candelabrum propositam, cunctorum oculis manifestavero; et claustra humanæ imperitiæ per claves illas regni cœlorum, quas in beato Petro apostolo cuncti suscepimus sacerdotes, minime reseravero; ut audire per hæc merear pro linguæ meæ modulo: *Euge, serve bone et fidelis, quia in pauca fuisti fidelis, supra multa te constituam: intra in gaudium*
5 Matth. XXV, 22. *Domini tui.*[5] Unde verens iis increpationibus et
A suppliciis subdi, timore pœnæ perculsus, amore fraterno invitatus, non jam ad subditum loquor vulgus, quod jugiter monere consuevi, sed ad ipsos jam prædicatores vulgi mea verba converto; et meis conservis velut obediens servus, id est, episcopus sacerdotibus, antistes pontificibus, audaciter
6 prædicare[6] salutis commonitoria non retardabo. Nec prærogativam mihimet scientiæ, si hæc meis consacerdotibus charitatis intuitu prærogem, vindicabo, aut vitæ perfectæ me esse fateor, cum de
B vita perfecta alios moneo: sed potius cum hæc ad illos loqui audeo, simul cum illis quæ loquor, audiam.

CAPUT II.

Aggrediar jam divina ope suffultus, facultate qua valeo, et eorum precibus adjutus, ad quos noster respicit sermo; desideratum carpam iter, et in gremio quasi consacerdotum positus, ipsos
C alloquar sacerdotes. Audite me, beatissimi patres,
7 et[7] si dignum ducitis, sanctissimi fratres. Audite me, stirps levitica, germen sacerdotale, propago sanctificata, duces et rectores gregis Christi. Au-
8 dite me rogantem vos pariter et timentem,[8] et commodis communibus sollicite consulentem, et honorem episcopatus demonstrare volentem: ut cum honoris ejus prærogativam monstramus, merita etiam congrua requiramus; nec falli possimus in opere, qui cognoscimus veritatem in corde. Di-
D gnum est enim ut dignitas sacerdotalis prius noscatur a nobis, et sic deinde servetur a nobis; ut psalmographi sententia queat repelli a nobis: *Homo cum in honore esset, non intellexit; comparatus est jumentis insipientibus, et similis factus est*
Ps. XLXVIII, 13. *illis.* Honor igitur, fratres, et sublimatas episco-
Dist. 96 c. *Duo sunt*, § Honor palis nullis poterit comparationibus adæquari.[9] Si
9 regum fulgori compares et principum diademati, longe erit inferius, tamquam si plumbi metallum ad auri fulgorem compares, quippe cum videas
E regum colla et principum submitti genibus sacerdotum, et exosculata eorum dextra, orationibus eorum credant se communiri. Quid jam de plebeja dixerim multitudine, cui non solum præferri a Do-

[1] Vet. editt. et Mabill., *Si quis, fratres, oraculi reminiscatur Domini, quo frugi famulum de servata.... ad prærogandum;* Rom. edit.... *quo famulum nequam.... ad erogandum:* mss. autem plurimi a vet. editt. hoc solum distant quod omittunt vocem, *Domini*, et eorum aliquot non *fratres*, sed *frater* legunt: alii vero locum restituunt, ut in contextu.

[2] Ita vet. editt. et mss. a quibus eo recedit Mabill. quod habet: *Tu si dedisses.... exigerem eam;* at edit. Rom.: *quare non dedisti pecuniam meam ad mensam*, etc.

[3] Non pauci mss., *infructuosa probatur;* unus, *reprobatur.*

[4] Vet. edd. et mss. aliquot, *non sine ingentis periculi noxa;* cæteri, ut in contextu; quos etiam Rom. edit. secuta esset, nisi τὸ *noxam* eliminasset.

[5] Ita edit. omnes, et mss. nonnulli; alii partim, *verens iis increpationibus et suppliciis sub Dei timore pœnæ percussus;* partim,... *suppliciis Dei timore pro linguæ pœna percussus;* quidam denique, *verens has increpationes et supplicia Dei, timore pœnæ percussus.*

[6] Omnes edit., *salutis communia;* Mabill., *salutis munia;* optime omnes mss., *salutis commonitoria.* Cæterum non male observat Latinius hunc nostrum auctorem hoc loco multum dissimilem esse ab eo, quem ipse se Ambrosius descripsit lib. I *de Offic.* cap. I.

[7] Mss. aliquot, *et dignum ducite.*

[8] Omnes edit. ac pauci mss., *et commodis et commonitionibus solito*, Rom. edit., *sollicite, consulendum;* mss. plerique omnes, ut nos in textu, nisi quod pro *sollicite* non pauci legunt *solite*, sed calami error est.

[9] Mss. aliquot, *Si regum compares infulas, et principum diademata.*

mino meruit, sed ut eam quoque jure tueatur patrio, præceptis imperatum est evangelicis? Sic certe a Domino ad beatum Petrum dicitur: *Petre, amas me?* Et ille: *Tu scis, Domine, quia amo te.* Et cum hoc tertio fuisset interrogatus, et trina responsione fuisset subsecutus, repetitum est a Domino tertio: *Pasce oves meas.* Quas oves, et quem gregem non solum tunc beatus suscepit apostolus Petrus; sed et nobiscum eas accepit, et cum illo eas nos accepimus omnes. Unde quia regendæ sacerdotibus contraduntur, merito rectoribus suis subdi dicuntur; quia evangelico coruscante mandato videmus nihilominus esse præfixum: *Non est discipulus super magistrum, nec servus super dominum suum: sed sufficit discipulo, ut sit sicut magister ejus, et servo, sicut dominus ejus.*

Joan. XXI, 15, 16.

Luc. VI, 40.

CAPUT III.

Hæc vero cuncta, fratres, ideo nos præmisisse debetis cognoscere, ut ostenderemus nihil esse in hoc sæculo excellentius sacerdotibus, nihil sublimius episcopis reperiri; ut cum dignitatem episcopatus episcoporum oculis demonstramus, et digne noscamus quid sumus, et quod sumus professione, actione potius quam nomine demonstremus; ut nomen congruat actioni, actio respondeat nomini; ne sit nomen inane, et crimen immane: ne sit honor sublimis,[1] et vita deformis: ne sit deifica professio, et illicita actio: ne sit religiosus amictus,[2] et irreligiosus provectus: ne sit gradus excelsus, et deformis excessus; ne habeatur in Ecclesia cathedra sublimior, et conscientia sacerdotis reperiatur humilior: ne locutionem simulemus columbinam, et mentem habeamus caninam: ne professionem monstremus ovinam, et ferocitatem habeamus lupinam, ut digne nobis per prophetam respondeatur a Domino: *Populus hic labiis me honorat, cor autem eorum longe est a me.* Ergo, fratres, sicut senatorem chlamys ornat, sicut agricultura rusticum,[3] sicut barbarum arma, sicut nautam navigationis peritia, et singulus quosque opifices operis sui qualitas ipsos demonstrat auctores: sic episcopum non aliter nisi episcopali operatio designat; ut ex bono opere magis, quam professione noscatur plus meritis esse episcopus, quam quod nomine vocitetur; quia sicut nihil esse diximus episcopo excellentius, sic nihil est miserabilius, si de sancta vita episcopus periclitetur, si sacerdos in crimine teneatur[4] et pontifex vitiorum maculis polluatur. Et ut levius est de plano corruere,[5] sic gravius fit, qui de sublimi ceciderit dignitate; quia ruina quæ de alto est, graviori casu colliditur. Honor quidem episcopalis coram hominibus præclarus est; sed si ruinam sustineat, dolor magnus est. Nam quanto præ ceteris gradus episcopalis altior est, tanto si per negligentiam delabatur, ruina gravior est. Magna sublimitas magnam[6] debet habere cautelam: honor grandis grandiori debet sollicitudine circumvallari. Cui plus creditur, ab eo plus exigitur, sicut scriptum est: *Quia semper optimis permixta sunt pessima,* et alibi: *Potentes potentiora tormenta patientur;* et: *Scienti legem et non facienti eam, peccatum est grande;* et: *Servus sciens voluntatem domini sui, si non fecerit eam, vapulabit multum.* Aliud est enim quod ab episcopo requirit Deus, et aliud quod a presbytero, et aliud quod a diacono,[7] et aliud quod a clerico, et aliud quod a laico, vel a singulis quibusque hominibus.[8] Et licet omnium hominum opera Deus in suo examinet judicio, plus tamen ab eo exigitur, cui plus committitur; ampliores enim pœnas luit, cui numerosior regendorum populorum fuerit cura commissa.

Isai. XXIX, 13

Luc. XII, 48.

Sap. VI, 7.

Jacob. IV, 17.

Luc. XII, 47.

CAPUT IV.

Et ut specialiter ipsius episcopatus modum et formulam omnibus sacerdotibus depingamus,[9] apostolica est nobis regula revolvenda, quæ de iis per singula episcopales actus depingit. Sic ad cunctos episcopos beatus ait Apostolus: *Fidelis sermo;* ac si diceret: De quo sum locuturus, veraciter loquor; ne quis existimet me fuisse mentitum. Subjunxit: *Si quis episcopatum desiderat, bonum opus desiderat,* hoc est, si episcopus esse desideras, magnum est quod esse cupis:[10] sed si et opus bonum simul amplectaris. Nam si aliter esse cupis, episcopus esse non potes, quia sequitur: *Oportet enim episcopum irreprehensibilem esse.* Irreprehensibilem ait; nam si episcopus reprehenditur, deformiter subditur culpæ. Et profecto culpa

I Tim. III, 1.

Ibid.

Ibid., 2.

[1] Duo mss., *et vita circumvallata periculis. Inde et vita periculosa:* unus *et vita proclivis;* alius et Mabill., *et vita pœnalis.*

[2] Nonnulli mss., *et irreligiosus profectus.*

[3] *Sicut barbarum arma,* in Rom. edit. jugulatum est.

[4] Aberat a cunctis edit. multisque mss., *et pontifex.... polluatur,* quod nos e codd. melioris notæ restituimus.

[5] Edit. Mabill., *sic qui e sublimi ceciderit, grave incurrit exitium.* Et infra, *Honor quidem coram hominibus episcopalis magnus; sed post lapsum, si quod absit, dolor magnus in Ecclesia.*

[6] Eadem edit., *magnam cautelam desiderat, honor grandior grandiori sollicitudine indiget. Cui plus creditur, plus ab illo exigitur, et potentes potenter tormenta patientur, et servus, qui novit voluntatem domini, et non facit digna, plagis vapulabit multis. Aliud enim ab episcopo,* etc.

[7] Nonnulli mss., *et aliud, quod a subdiacono, et aliud, quod a clerico.*

[8] Edit. Mabill., *Et licet cunctorum per singula requirat opus, plus tamen ab eo exigitur, cui major est cura commissa: ampliores pœnas luet, cui numerosior regendo rum populorum, si neglecta credita est dispensatio. Et ut ipsius episcopatus,* etc.

[9] Cod. Baluz., *apostolica nobis est per omnia regula revolvenda, quæ per singula episcopatus lineamenta distinguit; ne aliquis sacerdotum quærulo garriat commentis se nostris in hoc opere increpatos, magis quam apostolicis sententiis redargutos. Sic ad cunctos,* etc. Huic ms. etiam accedit edit. Mabill. leviculis quibusdam exceptis.

[10] Deest in Baluz. cod., *sed et si opus bonum.... esse cupis;* totus vero locus ita exhibetur apud Mabill., *hoc est, episcopus esse cupis? Magnum est, quod ambis: sed opus bonum simul si amplecteris. Cæterum episcopus esse non poteris, si episcopales actus aspernari volueris. Et denuo infert et ait: Oportet episcopum.... nempe si reprehendaris, culpæ deformitati subderis. Et profecto culpa ad reatum trahit, reatui pœnæ subditus pœnæ servituti obnoxius erit; servituti obnoxius, libertatem amittit. Ecce quæ evenit libertas episcopalis per hos gradus, quos diximus criminales. Sed ut reprehendi non possis, irreprehensibiles per omnia actus custodi. Post hæc addit: Unius uxoris virum. Si ad litteram respicias, bigamiam condemnat, ne secundos noverit concubitus qui episcopatus gradum consequi desiderat. Si vero allegoricis sentiatur sensibus, inhibet episcopo duas habere uxores, id est, ne post catholicum dogma, sensum hæreticum sumat: sed christianæ tantum sinceritatis sibi associet fidem; ut unius uxoris tantum, id est Ecclesiæ, vir episcopus appelletur. Sequitur: Sobrium. Sobrium ait, hoc est, non vino tantum, sed moribus parcum, ut ne vino amplius indulgeat, et mente sobrius gaudeat: qui si hoc non facit, episcopus non erit.*

ad reatum trahit, reatus ad pœnam, pœna perducit usque ad mortem. Ecce ad quid volvitur dignitas episcopalis. Et post paululum ait: *Unius*
I Tim. III, 2. *uxoris virum.* Si ad superficiem tantum litteræ respiciamus, prohibet bigamum episcopum ordinari: si vero ad altiorem sensum conscendimus, inhibet episcopum duas usurpare Ecclesias: et si adhuc introrsus profundiora perscruteris, monet ne post catholicum dogma, sensum inveniatur episcopus habere hæreticum: sed christianam tantum orthodoxam et catholicam sibi associet fidem; ut unius tantummodo uxoris et catholicæ Ecclesiæ vir epi-
Ibid. scopus vocitetur. Sequitur deinde, et ait: *Sobrium,* hoc est, non vino tantum, sed et vitiis parcum; ut nec vino amplius indulgeat, quam oporteat, et mente semper sobrius inveniatur. Et adjunxit sequentia, dicens: *Prudentem.* Prudentiam quippe non mundialem, de qua dicitur quod stultitia sit
II Cor. III, 19. apud Deum; sed prudentiam spiritalem, id est, quæ et opere circumspecta sit, et verbo perita; ut sit
Matth. X, 16. astutus sicut serpens, et simplex sicut columba.
1 Et[1] denuo infert: *Ornatum.* Quod si juxta sensum
2 litteræ tantum respiciamus,[2] non aliud, sacerdotes, quam amictum quæremus clariorem; verbi gratia,
I Tim. III, 2. castorinas quæremus et sericas vestes; et ille se inter episcopos credet esse altiorem, qui vestem induerit clariorem. Sed sanctus Apostolus taliter se intelligi non vult, quia non carne episcopum, sed mente docet esse ornatum; ut ille sacerdos placeat Deo, qui animam habuerit compositam
3 *Ibid.* Deo.[3] Et post hoc addidit: *Hospitalem,* ut humanitatis intuitu hospitio recipiat non habentes hospitium, et egenum sine tecto inducat in domum suam, nec solus devoret dona Christi, quæ ei largita est bonitas Christi; et quia *hilarem datorem diligit Deus,* sine murmure contribuat pauperibus
Ibid. Christi. Sequitur deinde, et ait: *Docibilem,* id est sic polleat episcopus sapientia, ut non solum creditum sibi populum sufficienter doceat; verum etiam et cunctarum queat hæresum contradictiones a catholica repellere Ecclesia, ne sua im-
4 peritia imperitos minime doceat, et[4] hujusmodi casu præventus eveniat illi quod scriptum est: *Cæco cæcus ducatum præbens, ambo in foveam*
Matth. XV, 14. *cadunt.* Qui vero talem se, ut diximus, esse ignorat,
5 sacerdotium minime appetat, nec locum[5] alterius

A usurpare præsumat, præsertim illius qui fulgore suæ sapientiæ populorum potest corda lustrare. Subjunxit et ait: *Non vinolentum*, hoc est, non I Tim. III, 3
multo vino deditum; ut si credatur vel videatur episcopus, utrum biberit an non, ignoretur; ne post largam potationem vini mulierum[6] delectetur 6
illecebra, nec per vinum, sicut ait Apostolus, omnis nutriatur luxuries. Demum subsequitur dicens: Ephes. V, 18
Non percussorem, sed modestum, id est, manus I Tim. III, 3.
improbas ad cædem non habeat, et suspicionibus
B pravis minime percutiat conscientias aliorum; ne dum petulans invenitur ad cædem, athleta magis quam episcopus judicetur. Sed magis e diverso ab aliis illatas patienter ferat injurias; ut mentis[7] mo- 7
destiam cunctis hominibus tranquillam demonstret, et firmam patientiam cunctis ostendat. Iterum addidit dicens: *Non litigiosum,* id est, non linguam *Ibid.*
ad convicium relaxet episcopus, ne per eamdem linguam, per quam laudes refert Deo, et divina libat sacrificia, litium venena proferat: quia non
C decet de ore episcopi benedictionem simul et maledictionem egredi, ne per eamdem linguam, per quam Deus laudatur, homo maledicatur; quia non potest de uno fonte dulcem et amaram producere aquam. Deinceps subsecutus est dicens: *Non cu-* 8
pidum, id est,[8] non turpis lucri cupidum: ne lucri *Ibid.*
cupiditate episcopus teneatur obnoxius, et nutriat avaritiam, quæ est radix omnium malorum. Qui I Tim. VI, 10
stipendiis tantum contentus Ecclesiæ suæ, penitus non ambiat, quæ intelligit esse superflua: sed de
D ipsa potius paupertate Ecclesiæ suæ libenter impertiat pauperibus Christi, sicut scriptum est: *Hilarem datorem diligit Deus:*[9] et alibi: *Disper-* II Cor. IX, 5.
sit, dedit pauperibus, justitia ejus manet in sæculum sæculi: cornu ejus exaltabitur in gloria. Ps. CXI, 9
Et connexuit subsequentia, dicens: *Qui sciat domui suæ bene præesse, filios habens subditos cum* 10
omni castitate. Domui suæ[10] bene præesse potest, I Tim. III, 4.
qui [corporis sui servaverit castitatem. *Domui*, inquit, hoc est, corpori suo imperioso jure dominetur; ne subdatur ipse corporis suo, et in desi-
E derio luxuriæ deditus, in præcipitium demergatur: sed potius filios suos castitatis exemplo ad pudicitiæ regulam doceat. *Nam si quis domui suæ præesse nescit, quomodo Ecclesiæ Dei diligentiam adhibebit?* Hoc est enim, de quo superius *Ibid.* 5

[1] Edit. Mabill. hic rursus ponit, *qui si talis non est, episcopus non est.*

[2] Nonnulli mss., *non alium in sacerdote ornatum, quam.* Infra vero pro, *se credit altiorem*, mss. aliquot legunt.... *auctiorem*; edit. Mabill.,... *sanctiorem.*

[3] Edit. Mabill., *Qui vero hæc non facit, episcopus non erit; et injusti infamiam incurrit, qui sanctum Apostolum contemnit.*

[4] Edit. Mabill., *et hujusmodi eveniat quod scriptum est.* Minime male; mss. tamen et aliæ edit. inter se consentiunt, nisi quod pro *præventus*, in cod. quibusdam habetur, *prævento.*

[5] Eadem edit., *alterius adimat; qui fulgore suæ sapientiæ cunctos collustrare poterat. Item ait: Non vinolentum; hoc est, non multo vino deditum, ut sic potet episcopus, ut utrum biberit, ignoretur.*

[6] Eadem edit., *delectetur libidine; quia per vinum, sicut ait Apostolus, omnis enutritur luxuria. Qui si hæc non potest, episcopus esse non potest.*

[7] Eadem edit., *modestiam tranquillam monstret in firma patientia. Iterum dicit.... relaxet; ut qui Dei laudes personat; et divina sacrificia libat, litium venena non proferat, quia non potest ex sacerdotis ore benedici Deus, et homo maledici, qui imaginem Dei noscitur possidere: nec mala sibi, et bona nullatenus poterunt convenire. Qui si hæc non agit, episcopus non erit.* Omnes aliæ edit. ac mss. inter se consentiunt, nisi quod Baluz. cod. et Rom. edit. præferunt, *dulcis et amara procedere aqua*, Rom. edit., *prodire aqua.*

[8] Eadem edit., *ne lucri cupidine in aliquo episcopus superetur, et turpis lucri gratia delictis factus obnoxius, radicem malorum omnium enutriat avaritiam.... sed ea ipsa potius pauperibus Christi impertiens, cœlorum sibi comparet regna. Et connectit*, etc., ab aliis autem edit. et mss. hoc dissidet codex Souch. quod legit, *qui stipendiis tantum usus est Ecclesiæ suæ.*

[9] Ita mss. plures, ac potiores. Ab his vero non abeunt cæteri, nec edit. Eras. et seq. editt. nisi quod habent, *manet in æternum;* et reliqua hujus loci verba prætermittunt. Amerb. autem cum mss. nonnullis totum illum textum omiserat.

[10] Edit. Mabill., *bene præesse, scilicet ut corporis sui domum imperioso jure contineat; nec subdatur ipse a corpore, et in habenas luxuriæ infrenis nequaquam feratur, et in præceps; ut suos possit filios castitatis exemplo ad pudicitiæ regulam gubernare. Qui si hæc non egerit, episcopus dici non poterit. Deinde dicit: Si quis domui*, etc.; vet. editt. ac mss. invicem congruunt, paucis exceptis, ubi legitur, *corpori suo vere dominetur:* at Rom. edit. sic reposuerat: *corpori suo tali jure dominetur, ut non subdatur ipsius voluntati; ne desiderio*, etc.

diximus, qui cordis sui domum excolere non valet, quomodo plurimorum adhibebit diligentiam? Et qui
1 peccati trabem de suo non potest eruere oculo,[1] quomodo ex alterius oculo poterit amputare fe-
Luc. vi, 41. Tim. iii, 6 stucam? Idem sequitur, et ait: *Non neophytum,* hoc est, qui nuper ad fidem ex gentilitate advenit, aut certe ex militia sæculari ad clericatus est officium sociatus. Hi ergo non tam passim sacerdotalem arripiant gradum, ne elati in superbiam, in judicium incidant, et in laqueum diaboli; quia
2 quod[2] longo tempore minime discunt, in parvo tempore servare non possunt. Et concludens regulam et episcopalem formam, ad extremum intulit, dicens: *Oportet autem et illum testimonium bo-*
Ibid. 7 *num habere ab iis, qui foris sunt,* id est, ab hæreticis et schismaticis, qui extra sanctam Ec-
3 clesiam catholicam[3] conventicula sibi profana præficiunt; quos tamen testes Apostolus et testimonium dicit debere bonum habere de immaculata vita, et sancta episcopi conversatione; ne forte accipiant inimici locum episcopo obtrectandi, et infamare incipiant catholicum dogma.

CAPUT V.

His ita prælibatis, ut reor, in hoc opere velut a grandi fenore nos persensimus liberatos, cum non nostra contra episcopos, sed sancti Apostoli oppo-
4 suimus testimonia; ne velut[4] vulgares fabulas nostrum irriderent opus. Cum vero auctoritas nobis per singula sancti arriserit apostoli Pauli, ipsum potius Apostolum, si ausi sunt, quam nos reprehendant. Et licet jam coarctet nos libelli hujus prolixitas, et tempus nos urgeat, ut ad finem hujus operis veniamus; sollicitudo tamen fraterni nos retardat amoris, illorum præcipue sacerdotum, qui mentis torpore hebetati, sacerdotalem diffamant
5 honorem:[5] et qui novam prodigaliter regulam hac tempestate peperisse deflentur, et Giezi sectantes et Simonis sententiam, sancti episcopatus gratiam pecuniis coemerunt, nequaquam timentes, cum honorem sacerdotalem pecuniis emerint, a beato Petro

A apostolo se cum Simone fuisse damnatos, sicut ait: *Pecunia*, inquit, *tua tecum sit in perditionem; quia donum sancti Spiritus*[6] *te credidisti pecu-* 6
niis emere. Et lepram cum Giezi a sancto susce- Act. viii, 20
pisse se credant Elisæo, qui gradum sacerdotalem IV Reg. v, 27.
se æstimant pecuniis comparare. Quibus cum ista dixerimus, sufficere debuit suam comparando lepram possidere. Nam sicut validioribus morbis capite vitiato, reliquum necesse est corpus inundatione superioris morbi lethaliter irrigari; ita et ii qui caput
B videntur esse Ecclesiæ, morbo pestifero fraternum vitiant corpus; ut nihil ex totius corporis compage insauciatum possit evadere, quod negligentium sacerdotum[7] vitiositatis mortale infecerit virus, ita 7
ut videas in Ecclesia passim quos non merita, sed pecuniæ ad episcopatus ordinem provexerunt; nugacem populum et indoctum, qui talem sibi adsciverunt sacerdotem. Quos si percunctari fideliter velis, quis eos præfecerit sacerdotes, respondent mox et dicunt: Ab archiepiscopo sum nuper epi-
C scopus ordinatus, centumque ei solidos dedi[8] ut 8
episcopalem gratiam consequi meruissem, quos si minime dedissem, hodie episcopus non essem; unde melius est mihi aurum de locello invehere, quam tantum sacerdotium perdere. Aurum dedi, et epi-
scopatum comparavi;[9] quos tamen solidos, si vivo, 9
recepturum me illico non diffido. Ordino præsbyteros, consecro diaconos, et accipio aurum: nam et de aliis nihilominus ordinibus pecuniæ quæstum profligare confido. Ecce et aurum, quod dedi, in
D meo locello recepi: episcopatum igitur gratis accepi.

Nempe hoc est, quod doleo, quia archiepiscopus carnaliter episcopum fecit. Nam propter pecunias spiritaliter leprosum ordinavit.[10] *Pecunia,* inquit, 10
tua tecum sit in perditionem; qui bonum sancti Spiritus gratiæ pretio comparasti, et commer- Act. viii, 20, 21.
cium miserabile in animarum exitium peregisti. Et nescii homines et indocti in ordinationibus eorum clamant et dicunt: Dignus es, et justus es; et conscientia misera: Indignus es, et injustus es,
E dicit.[11] Pronuntiat enim episcopus hujusmodi ad 11
populum dicens: Pax vobis. Oculis quidem carna-

[1] Edit. Mabill., *ex cujus oculo estucam summovebit? Qui hoc non agit, episcopus non erit.*

[2] Rom. edit., *quod ne parvo tempore didicerunt, in longo servare non possunt:* aliarum et mss. hoc solum est discrimen, quod edit. Mabill. singulari numero utitur, et hæc subjungit, *sed lapsus, et inscius judicium suscipiet, quod meruit suscipere superbiens diabolus.*

[3] Eadem edit., *conventicula profana faciunt, apud quos tamen Apostolus testimonium dicit habere bonum de immaculata et sancta vita episcoporum: unde occasionem accipiant obtrectandi, et infamare incipiant religionis sanctæ catholicum dogma. Qui talis esse non poterit, episcopus quomodo esse poterit? Ut reor, in hoc opere,* etc. Cod. Aln. ab aliis, et editt. dissidet, quod ita legit, *accipiant in malitia cum episcopo obtrectandi.*

[4] Ita omnes edit. ac mss., paucis exceptis, ubi habetur, *ne velut vulgaribus fabulis nostrum,* etc.: in edit. autem Mabill. lacuna est hoc modo, *ne velut nubes: Cum vero,* etc.

[5] Rom. edit., *et novam regulam hanc tempestatem peperisse deflent, qui et Giezi:* inter alias vero, et mss. illud interest, quod vet. editt. et quidam mss. præferunt, *regulam ac tempestatem,* ubi plures mss. melius, *regulam hac tempestate.* At Mabill. edit. ita prosequitur: *et Giezi leprosi, et Simonis magi sectantes exemplum, gratiam Spiritus sancti coemerunt pretio, et distraxerunt, nequaquam,* etc.

[6] Edit. Mabill., *sperasti te pretio possidere: et lepram cum Giezi a sancto se suscepisse Elisæo, cum gradum item sacerdotis pretio æstimant distrahendum. Et si cum validioribus,* est.: vet. editt. ac mss. nobiscum faciunt: edit. autem Rom. post vocem *Elisæo* ista subjungit, *quando dixit: Naaman lepra adhærebit tibi, et semini tuo usque in sempiternum. Quibus,* etc.

[7] Eadem edit. Mabill., *vitiositatis non inficeret virus. Et videas in Ecclesia passim sacerdotes; quos non merita, sed pecuniæ provexerunt; nugacem et indoctum sacerdotem arripuisse gradum.*

[8] Eadem edit., *ut episcopalem gradum mihi conferret.* Infra vero pro *sacello,* eadem sola feliciter bis restituit, *locello.*

[9] Eadem edit., *quod tamen, si feliciter vivo.... ordino presbyterum, et accipio aurum: facio diaconem, et accipio argenti multitudinem; et de aliis nihilominus ordinibus singulis, et de abbatibus benedicendis et Ecclesiis pecuniæ quæstum profligare confido. Ecce aurum quod dedi, in meo locello illibatum habeo. Respondeo ego: Nempe,* etc.; vet. editt. ac mss. inter se conveniunt, contra quorum auctoritatem Rom. edit. resecavit: *nam et de aliis.... profligare confido.*

[10] Edit. Mabill., *ordinavit. Pecuniam dedisti, Dei gratiam comparare æstimasti, et per hoc lepram ipsam suscepisti. Item pecuniam accepisti, et Dei gratiam pretio distrahere non timuisti: simul etiam lepram tradidisti, et commercium.... peregisti. Abbatem propter denarios super monachos ordinasti, et leprosum hominem in mortem monachorum exaltasti. Et nescii homines,* etc. Inter alias edit. et mss. hoc discriminis est, quod pro *miserabile commercium,* legunt nonnulli mss., *mirabile commercium.*

[11] Eadem edit., *Pronuntiat talis episcopus: Pax vobiscum, et ipse interius pacem non habet secum.*

libus videtur quasi episcopus magnus, et divinis obtutibus inspicitur leprosus magnus. Per pecu-
1 niam acquisivit indebitum ordinem,[1] et apud Deum perdidit interiorem hominem. Caro suscepit dignitatem, et anima perdidit honestatem. Caro ancilla domina facta est animæ, et anima quæ erat domina, facta est famula carnis. Caro dominatur populis, et anima servit dæmoni. Carni sacerdotium comparavit, et animæ detrimentum paravit. *Et quid prodest* hujusmodi *homini, si totum mundum lucretur, et animæ suæ detrimentum patiatur? Aut quam dabit homo commutationem*
Matth. xvi, 25. *pro anima sua?* Quod dedit cum ordinaretur episcopus, aurum fuit: et quod perdidit, anima fuit. Cum alium ordinaret, quod accepit, pecunia fuit: et quod dedit, lepra fuit. Hæc sunt mercimonia iniquorum in perniciem eorum.

Interrogo tamen fratrem et coepiscopum nostrum, quia et ego episcopus sum, et cum episcopo loquor. Dic ergo mihi paulisper, frater episcope, cum dares pecuniam, quid accepisti? Gratiam episcopalem accepi. Ergo interrogo te: Hæc gratia cur tali vocabulo nuncupatur? Respondet: Cur, inquis? ut reor, pro eo quod gratis datur, ideo gratia voci-
2 tatur.[2] Ergo si gratia gratis datur, et auro non æstimatur, a te cur gratia pecuniis comparatur? Respondet: Non, inquit, mihi daretur, si pecuniis non emeretur; nec episcopus fuissem ordinatus, si pecunias non dedissem. Ergo ut apparet ex responsionibus tuis, gratiam cum ordinareris, non suscepisti, quia gratuito eam non meruisti. Et ideo, frater, si gratiam non accepisti, quomodo episcopus effici potuisti? Nam et ad discipulos suos Dominus
Matth. x, 8. dicit: *Gratis accepistis, gratis date.* Cur ergo gratuitam æstimasti te pretio possidere gratiam? Nam, ut video, aurum dans perdidisti, et gratiam sanctam non acquisisti.

Adhuc tamen semel adjiciens fratrem perquiro episcopum; ne quid de approbamentis veridicis nos prætermisisse videamur. Quis dat, frater, episco-
3 palem gratiam? Deus,[3] an homo? Respondes sine dubio: Deus. Sed tamen per hominem dat Deus: homo imponit manus, Deus largitur gratiam: sacerdos imponit supplicem dexteram, et Deus benedicit potenti dextera: episcopus initiat ordinem, et Deus tribuit dignitatem. O justitia, o æquitas! Si homini pecunia datur, qui nihil in ordine amplius operatur, nisi solum servitium, quod ei creditur; cur Deo totum negatur, qui ipsum ordinem tibi largitur? Justumne tibi videtur ut servus honoretur, et dominus injuriam patiatur; et injuste accipiat sacerdos pecuniam, et Deus patiatur ab homine injuriam? Sed quia pro concesso ordine Deus a te nihil exspectat, cur a te sacerdos pecuniam inprudenter exspectat? Deus homini con-

A cedere voluit gratis, et episcopus rapax pecuniam ab[4] homine expetit gratis: Deus homini, ut certe 4
benignus, gratis donavit; et sacerdos malignus eum sine causa prædavit? *Quid enim habes, quod non accepisti? Si autem accepisti, quid gloriaris, quasi non acceperis?* I Cor. iv, 7

CAPUT VI.

Ecce ad quæ mala volvitur deificus ordo: ecce
B ad quæ probra sunt prolapsi sacerdotes, qui audire meruerunt a judice mundi: *Vos estis lux mundi.* Matth. v, 14
Ecce quibus subjiciuntur gentes, quibus a Domino dictum est: *Vos estis sal terræ.*[5] Ergo si lux est 5 *Ibid.*, 13.
Ecclesiæ episcopus, a Domino ordinatur, ita ut imperitiæ tenebras prædicationis suæ eloquio rutilante conscientiarum latebras illuminet, cur ipse palpabilibus tenebris tenetur obstrictus? Et non solum quia ipse dum male agit, digne perit; insuper et alios secum indigne perdit. Si enim me-
C ruisti salis possidere saporem, ut insipientium possis[6] arva condire; cur infatuatus tali vitio, 6
immundis te porcorum conculcandum pedibus præbuisti, ita ut nec alios, nec te ipsum possis condire? Oculorum etiam in corpore officium, id est, in Ecclesia,[7] voluntarius appetisti, ut reliquum 7
per te corpus ducatum lucis haberet: et nunc quadam lippitudine et caligine vitiorum obtenebratus, nec te ipsum luci idoneum præbes, et aliis adimis lucem. De quibus oculis in Evangelio dicitur:
D *Si oculus tuus simplex fuerit, totum corpus tuum lucidum erit;* id est, si episcopus, qui ut lumen Matth. vi, 22
promeruit præesse in corpore, simplicitate est 8
sancta et innocentia decoratus, omnis Ecclesia splendore luminis radiatur: *Si autem oculus tuus nequam est, totum corpus tuum tenebrosum erit;* id est, si episcopus, qui videbatur corpori subdito lucem præbere, obnubiletur nequitiæ cæcitate, quid cætera facient membra, quibus lux adempta est oculorum? Id est, quid sæcularis factura est mul-
E titudo, cum voluptatibus illicitis et actionibus vetitis ad similem facinorum voraginem episcopus multitudinem populi provocaverit; ut nulli jam jamque illicitum esse videatur, quod ab episcopo quasi licitum perpetratur? Sed ipsum magis credunt homines esse laudabile, quidquid episcopus habuerit delectabile;[9] nec quisquam quod agere 9
pontifex non dubitat, se dubitanter agere dicat: episcopus enim a cunctis indubitanter vocaris, præsertim cum ipso nomine censeris; si tamen actio con-
F cordet nomini, et nomen se societ actioni. Nam quid aliud interpretatur episcopus, nisi superinspector, maxime cum solio in Ecclesia editiore resideat, et ita cunctos respiciat, ut et cunctorum oculi in ipsum respiciant. Ergo quia ita est, cur te velut tetrum

[1] Rom. et Mabill. edit., *et Deum perdidit in interiore homine.* In reliquis autem cum mss. et vet. editt. consentiunt, nisi quod hæc per apostrophen semper utitur secunda persona.

[2] Edit. Mabill., *Et si gratia gratis datur, et auro æstimatur, cur a te pecunia comparatur.*

[3] Edit. Mabill., *an homo? Sine dubio Deus: sed tamen per hominem. Homo imponit.... sacerdos Deo servit supplici dextera.*

[4] Eadem edit., *ab homine expetit? Gratis ei Deus; ut benignus donavit: Sacerdos, ut malignus, eum captivavit.*

[5] Eadem edit., *Si lux es Ecclesiæ a Domino constitutus.... teneris obstrictus per supra memoratos excessus? Et non solum quia hæc agis, ipse digne peris,* etc.

[6] Rom. edit., *corda condire;* unus mss., *insulsa condire:* cæteri, ac editt., *arva condire.* Sic autem prosequitur Mabill., *cur infatuatus tali dedecore vitiorum immundis te suibus conculcandum præbes,* etc.

[7] Edit. Mabill., *voluptarius appetisti.... nec ipse lucem præbes,* etc.

[8] Eadem edit., *simplicitatis innocentia decoratus.*

[9] Eadem edit., *nec quisquam agere timeat, quod agere pontifex minime dubitat. Nomen quo censeris, te ipsum arguit. Episcopus enim a cunctis indubitanter vocaris: et quid aliud episcopus, quam superinspector exponitur? Cum in Ecclesiæ solio editiore cunctos merito respicis, et cunctorum in te respiciunt oculi; ut des illis escam in tempore opportuno: cur velut tetrum speculum universorum obtutibus monstras, ne possint obscuritate sua te exornare?*

speculum universorum oculis demonstras; ita ut non possint obscuritate tua se comptius exornare?

CAPUT VII.

Sufficiat hucusque nostris nunc consacerdotibus paululum dilatasse sermonem, in quo eorum excellentiam simul et casum demonstravimus; ne fidentes in sublimitate honorum, minime requirerent perfectionem morum,[1] et in solo se crederent sacerdotis nomine plus quam opere gloriari. Et quamquam sciam pro hoc libello plurimos mihi sacerdotes, A qui hæc quæ loquimur, agere nolunt, infideliter esse detracturos; credo tamen plurimos, qui hæc agunt, vel agere obnituntur, fideliter pro nobis oraturos. Sed sicut lacerationibus obtrectatorum minime prægravamur, sic demum probatorum et sanctorum virorum orationibus adjuvamur. Age jam nunc, sanctificus Spiritus, qui nos in hoc opere divinis inspirationibus adjuvisti, cunctos sacerdotes[2] adjuva, et præsta ut faciant quæ in hoc opusculo ipse eloqui inspirasti; ut eis una mecum B tribuas cœlorum regna, quæ sanctis in fine sæculorum dare promisisti perpetua. Amen.

[1] Mabill. edit., *et non crederent se sacerdotes, si nomine tantum et non opere vocarentur. Et quamvis sciam in hac discretione plurimos mihi sacerdotes, qui hæc amplecti negligunt, infideliter detracturos; credo tamen pluriores, qui hæc obnituntur assequi, fideliter oraturos.*

[2] Eadem edit., *adjuvet, ut faciant quæ in hoc opusculo ipse jussisti; ut eis merito tribuas cœlorum regna, quæ promisisti, qui cum Patre et Filio unigenito in Trinitate vivis et regnas Deus per omnia sæcula sæculorum, amen.* Vet. editt. et quidam mss., *adjuva et præsta.... eloqui inspirasti, ut.... sæculorum regna quæ sanctis in regna sæculorum dare promisisti, amen.* Aptius cæteri mss. ut in contextu; excipe tamen Michaelinum, qui sic desinit: *quæ te sanctis dare promisisti, qui cum Patre, unigenitoque Filio ejus Domino nostro Jesu Christo vivis et gloriaris Deus per omnia sæcula sæculorum, amen.*

PRÆFATIO IN LIBELLUM
AD VIRGINEM DEVOTAM.

« In hoc tractatu *Virgo Devota*, id est, virginitatem publice professa, ab hominum sæcularium usu et familiaritate deterretur, et iis quibus talis consuetudo prætexi solet, explosis, simulque illius periculis ac damnis ipsi ob oculos positis, nonnulla de virtutibus ab ea maxime amplectendis adjunguntur. Et hoc est, cur editores Romani solitæ inscriptioni hanc præmiserint: *De Virginis Forma vivendi.* Quamvis autem ea scriptio in omnibus Ambrosii Operum editionibus beati Doctoris nomen in fronte gerat, nullum tamen illius manuscriptum licuit reperire; unde intelligas haud multa, ut Ambrosio tribueretur, fuisse argumenta. De Auctore igitur hoc unum colligere posse nobis videmur, eum asceticæ vitæ fuisse addictum, cum sic loquatur: *Absit ut tu mihi soror dicaris quæ cum talibus conversaris.* At de Opere ipso certissime affirmare possumus illud ab Ambrosiana eloquentia et eruditione procul abesse. Ipsum contende cum ejus veris libris *de Virginibus*, et calculum tuum sine dubio nobis conferes ». His quæ a Maurinis Editoribus ante tractatiunculam admonentur, nihil nobis addendum superest, nisi ut rursus declaremus iisdem Editoribus notas quoque pertinere libello appositas, et vocem *Exhortatio* titulo nos addidisse.

AD VIRGINEM DEVOTAM
EXHORTATIO.

CAPUT I.

Ps. XLIV, 11, 12

udi, filia, et vide: inclina aurem tuam, et obliviscere populum tuum, et domum patris tui; quoniam concupivit Rex speciem tuam;[1] *quoniam ipse est Dominus Deus tuus, et adorabunt eum.* Ipsius te devovisti esse sponsam, devota Deo diceris. Quid tibi cum hominibus sæcularibus, aut quem tractatum habes cum illis? Quid vis scire cum ipsis? Perditionem, quam ipsi sequuntur? Si castitatem quæris, hanc illi non habent: si fidem quæris, quis est fidelis in illis, quem tu comitaberis? Si autem Christum quæris, non manet in C illis. Nescio quid quæras, quales amicitias vel quales fabulas habeas cum illis. Devovisti animam tuam ad destruenda omnia, quæ sunt hujus sæculi: quomodo autem quæris sæculum, cui renuntiasti? Reverti vis ad vomitum tuum sicut canis, aut velut sus lota iterum in volutationem, sicut scriptum est, dicente Apostolo: *Si quæ destruxi, iterum reædificabo, prævaricatorem legis me constituo.* I Pet. II, 22. Galat. II, 18. Iterum[2] ipse repetit dicens: *Quidquid in sæculo est, concupiscentia carnis est, et concupiscentia* D *oculorum;* quod non est de Deo, sed de hoc mundo est. I Joan. II, 17. Item alibi dicit: *Si quis voluerit amicus esse hujus mundi, inimicus Dei constituetur.* Jacob. IV, 4. Quid dicis, devota Deo? quid vis hominibus placere? quid desideras, vel quid quæris? Si Deum quæris, tecum est: si autem hominem quæris, non hoc devovisti. Quid sunt homines? Homines hujus sæculi: *Et sæculum transit, et concupiscentia ejus:*

[1] Rom. edit. sola, *et ipse Dominus Deus tuus, adorabunt eum filiæ Tyri.*

[2] Eadem Rom. edit., *Iterum idem reperitur.* Et infra, *Et alibi dicitur: Si quis voluerit,* etc.

qui autem fecerit quæ scripta sunt, manet in
I Joan. ii, 18. *æternum.* Quid desideras, nescio. Si aurum, argentum, si vitam, si vestem splendidam; hoc tibi non placuit cum Deo, hoc Deus non admiratur,
Ps. L, 19. sed cor contritum et humiliatum. Quid quæris homines sæculi, quos sanctus apostolus judicat Paulus, dicens: *Quorum Deus venter est, et gloria in pudendis ipsorum, qui terrena sapiunt: nostra*
Philip. iii, 19, 20. *autem conversatio in cœlis est?* Si ergo conversationem in cœlo habemus, quæ sursum sunt quærere debemus, ubi Christus est, non quæ super
Coloss. iii, 1. terram. Rogo, soror, qui sunt isti homines hujus sæculi? Fratres tuos spiritales homines non sequeris, et sequeris carnales; qui si non saturentur, murmurabunt. Misisti margaritas tuas ante porcos, qui conculcent eas pedibus suis, et conversi elidant te. Non audisti: *Vitate canes, vitate malos ope-*
Phil. iii, 2. *rarios?* Qui sunt isti? Homines hujus sæculi, qui non sequuntur vestigia Christi. Rogo te, quid tibi demonstrant; dic mihi. Castitatem, quam non habent? Quid? fidem, quam non inveniunt? doctrinam quam non sequuntur, nisi in diabolicam sapientiam hujus sæculi? jejunium, quod odiunt? abstinentiam, quam judicant? humilitatem, quam opprimunt? sobrietatem, quam negligunt? sinceram mentem, quam non habent, nisi duplicem? verecundiam, quam projiciunt a se? Nescio autem quid vis studere cum ipsis.

CAPUT II.

Sed quid dicis? Ego autem converto eos ad me. Si autem ad te conversi fuerint, non tibi expedit. Quid quærit lupus cum agno? vel quid quærit
Isai. xxxi, 4. canis, nisi panem? Quare autem rugit leo, nisi pro præda? Tu te ipsam castam custodi, si potes. Quid vis docere quod tu ipsa non facis? sicut dicit Apostolus: *Nolite omni spiritui credere; sed*
I Joan. iv, 1. *probate spiritus, si ex Deo sunt.* Si autem ab ipsis doctrinam accipias, docebunt te, quod faciunt, vel quod sequuntur, concupiscentiam, fornicationem, libidinem, avaritiam, fraudem, immunditiam, impudicitiam, luxuriam, ebrietatem, improbitatem, turpiloquium, stultitiam, maleficia, homicidia, iram, rixam, et omnem malitiam. Quid dicis, misera, vel quid excusas? Devovisti animam tuam, ut ab ipsis hominibus recederes: nunc autem quid quæris? Rogo, non confundaris, quando de te illi sibi fabulas faciunt, dicentes: Ecce devota Deo, quæ nos sequitur; dereliquit enim viam suam, et per terminos agri sui erravit, viam habitationis suæ non invenit. Venite, præoccupemus eam, et ducemus in viam nostram. Cecidisti, misera, in via lata et spatiosa, quæ ducit ad mortem. Videtur tibi esse bona, quæ mala est: sequeris eos amens, et nescis quoniam recta in foveam cadis. Memor non es arctam et
Matth. vii, 13, 14. angustam esse viam, quæ ducit ad vitam? Laboriosa tibi videtur esse, quæ bona est: oblita es dictum fuisse: *Quia per multas tribulationes nos*
Act. xiv, 21. *oportet in regnum cœlorum introire?* Nunc autem voluntati tuæ vis studere. Non legisti Salomonem dicentem: *Bonis bona creata sunt ab initio, si-*
Eccl. xxxix, 30. *militer impiis*[1] *et peccatoribus bona et mala?* Item ipso dicente: *Initium vitæ hominis spirita-*

A *liter arguetur. Spiritalis omnia judicat, ipse* Eccl. xxxix, 31
autem a nemine judicatur. Ubi es, Deo devota? I Cor. ii, 15
Spiritalis quidem de aliis judicans; tu ipsa judicaris. Quid quæris cum illis? *Quæ pars fideli cum infideli?* vel quæ sancti hominis ad carnem? Virgo II Cor. vi, 15
potes esse corpore, sed non mente corrupta. Oculi autem tui obcæcati sunt nimio ardore libidinis, in quibus trabs subjacet: aures tuæ plenæ sunt omni spurcitia virili: pedes vero tui veloces sunt, et non sunt pigri ad januam foris. Ubi sanctitas? ubi vere-
B cundia? ubi sobrietas? ubi gravitas? ubi castitas? ubi modestia? ubi fides? ubi continentia? ubi pura mens? Ubi sunt illa omnia, pro quibus fidem tuam opposueras, quam perdidisti? *Melius* enim *fuerat te non vovisse et facere, quam vovere, et non facere. Non potes duobus dominis servire: aut* Eccl. v, 4
Deo, aut mammonæ, sicut scriptum est. *Cum* Matth. vi, 24
perverso subverteris. Non potest committi pannum vetus cum novo; tollit enim fortitudinem Ps. xvii, 27
ejus, et pejor scissura fit. Volatilia ad sibi si- Matth. ix, 16.
C milia conveniunt; et veritas ad eos, qui operantur eam, revertetur. Absit ut tu mihi soror esse dicaris, quæ cum talibus conversaris. *Aut facite arborem bonam, et fructus ejus bonos: aut facite arborem malam, et fructus ejus malos. Una-*
quæque arbor ex fructu suo cognoscitur. Qui- Matth. xii, 33.
cumque autem qualis fuerit, cum tali se jungit. Eccl. xiii, 20.
Columba dimissa de manu hominis, statim reversa est ad eum in arcam: nam corvus dimissus carnem secutus est, quem tu quoque vis sequi; ut Gen. viii, 7.
D non revertaris ad januam Christi. Est tibi conversatio cum bestiis agri et cum volatilibus cœli: sicut et corvus, non memoraris Dominum, qui te de diluvio liberavit: non quæris cubile tuum umbrosum et bonum, ubi requiem temporalem habuisti. Non tibi ante oculos est tempestas, atque oblita es charitatem Christi, et tenes charitatem hominum hujus sæculi, qui non habent charitatem in se, nisi diabolicam: illi autem aliam carnem sequuntur, et non desinunt quoadusque moriantur.
E Recede, misera, de illis hominibus; ne carnes tuas electas comedant, talos tuos evertant, et relinquaris nuda, et spoliata, sicut in cucumerario. Modo autem quid facies, quia nuda es et spoliata? Ibis ad vicinos tuos, quos ante oderas, petens ab ipsis operimentum pudoris; illi autem dare nolunt, dicentes: *Ubi est vestimentum tuum splendidum, quod ante portare solebas?* Quid dicis, et quid respondes ei, quam frigus obligavit? Gratulantur autem in malis tuis, quæ tibi venerunt. Tunc te planges dicendo:
F Heu mihi miseræ, cui talia venerunt! Quid mihi profuit illa captivitas, quæ me captivavit miseram et infelicem? *Quo ibo a Spiritu tuo, et a facie tua quo fugiam? Si ascendero in cœlum, tu illic es: si descendero ad infernum, ades. Si sumpsero pennas meas ante lucem, et habitavero in extremo maris; etenim illuc manus tua deducet me, et tenebit me dextera tua.* Tunc dices: *Va-* Ps. cxxxviii, 7 et seq.
dam et revertar ad virum meum primarium; quia melius mihi erat tunc magis, quam modo: Osee ii, 7 et seq.
G qui mihi dabat vestimenta mea, et oleum meum in tempore suo. Modo autem quid facio? Tunc reverteris in domum tuam cum fletu, unde exieras gaudens. Sedebis in angulo domus tuæ lugens et

[1] Rom. edit., *et peccatoribus mala?... Initium omnis necessitatis ad vitam hominis aqua et ignis, ferrum et sal*, etc. *Omnia hæc piis bona, sic peccatoribus convertentur in mala. Vita hominis etiam spiritaliter arguetur; quia spiritalis*, etc.

contristata, plorans die ac nocte, quærens qui simul tecum contristetur, et non erit; et consolantes te, et non invenies. Et dabunt tibi eleemosynam, quos ante oderas; et movebunt capita sua super te, dicentes: Ecce quæ erat devota Deo, modo facta est ut stercora in via, et sicut civitas, quæ expugnatur. Ubi est castitas illius? Ubi sunt omnia illa, quæ eam sequebantur? Dereliquerunt enim illam; quia castitas erat dux eorum: perdidit castitatem, et fugerunt omnia illa. Modo autem quid facies, misera? Ubi sunt illi, quos insequaberis? Redimant te si possunt. Quam potes dare commutationem pro anima tua, quam fraudasti per inobedientiam tuam; ut non audires fratres tuos, vel sorores, quæ tibi demonstrabant, ne te jungeres cum hominibus sæcularibus? Nunc autem quid faciemus tibi, vel quid dicemus, quos audire noluisti; nisi ut nos ipsos plangamus super te, dicentes: Parce, Domine, parce? Qui forte fletum nostrum et gemitum exaudire dignetur, ut det tibi animum convertendi ad ipsum denuo; ut rememores peccata tua, dicendo: *Quantis panibus mercenarii patris mei abundant, ego autem fame pereo? Surgam itaque, et vadam ad patrem meum, et dicam illi: Pater, peccavi in cœlum, et coram te; jam non sum digna vocari filia tua, suscipe me sicut unam ex ancillis tuis, ut vivam.* Quid si forte pro te occiderit vitulum illum saginatum? Zelans enim te zelor; *desponsavi enim te uni viro virginem castam exhibere Christo. Timeo enim ne sicut serpens Evam seduxit astutia sua, sic tui sensus corrumpantur, et excidant a charitate, quæ est in Christo Jesu.*

Luc. xv, 17 et seq.

I Cor. xi, 2 et seq.

CAPUT III.

Vide ergo et cave de istis hominibus, ut mihi soror et domina nomineris. *Intra in cubiculum; clauso ostio ora Patrem tuum;* ut det tibi mentem bonam, et intellectum, ut scias quos debeas sequi, et quos vitare; quia multi sunt, qui fingunt se esse quod non sunt, sed mentiuntur; et nescis quoniam de anima tua agitur; ne ducant te captivam, sicut bovem qui ad occisionem ducitur; aut velut canem, ut alligetur. Ne festines sicut avis in laqueum. Audi me, remove pedem tuum de illis, sede sedula in domo tua, operare manibus tuis quod bonum est; ut habeas unde communi-

Matth. vi, 6.

A care possis necessitatem sustinentibus. Ora sine intermissione, nec facilis videaris in plateis. Certa bonum certamen, curre velocius; ut comprehendas, in quo comprehensa es a Christo. Audiant te homines, et lætentur de bono animo; et de mente qua vivis. *Da eleemosynam, et ecce omnia munda erunt tibi.* Non te pigeat visitare infirmos; ex his enim in dilectione firmaberis. *Non jurabis omnino,* neque[1] per verum, neque per mendacium; *sed sit sermo tuus: Est, est; Non, non; quod autem*

Philip. iii, 12.

Luc. xi, 41.

B *amplius est, a malo est.* Irascere, et noli peccare, ad excusandas excusationes in peccatis cum hominibus operantibus iniquitatem. Humilia te, filia, ante Dominum; quoniam *Deus superbis resistit, humilibus autem dat gratiam.* Accede ad Dominum, ut illuminet te, et non erubesces in conspectu illius. Recede de voluptate sæculi, et indue te constantia virtutis. Depone vestimenta hujus sæculi, et indue te tunica perpetuitatis. Derelinque cibos istius sæculi, et accipe[2] tibi sancta sanctorum. Memorare Sidrach, Misach, Abdenago et Daniel recusasse carnes et vinum gentilium, et accepisse sibi olera et legumina. Memento Machabæam propter carnes porcinas passam fuisse, et filios ipsius assatos vel frixos in oleo. Ambula, filia, in habitu sancto, cum verecundia, et sobrietate, et gravitate. Depone mendacium, loquere veritatem cum proximo tuo. Ora, filia, sine intermissione; jejuna frequenter, et da eleemosynam; quoniam eleemosyna a morte liberat, et non patitur ire et

Matth. v, 34 et seq.

Ps. cxl, 4.

I Pet. v, 5.

Ps. xxiii, 6.

Dan. i, 8 et seq.

II Mach. vii, 1 et seq.

D tenebras. Munus bonum est eleemosyna, quæ purgat omnem sordem et squalorem. Beata eris, si hæc omnia cum legeris, facias. Zelare quod bonum est, ut quod malum est obliviscaris. Benedicat te Pater, et Filius, et Spiritus sanctus, benedictione qua patres nostros benedicere dignatus est, Abraham, Isaac, et Jacob. Ora pro me, filia; quia et ego sollicitus sum de te, sicut scriptum est: *Orate pro invicem.* Item, frater fratrem adjuvans exaltabitur. Exaltet te Dominus in sanctitatem et di-

Tob. iv, 11.

Jacob. v, 16.

Prov. xviii, 19.

E lectionem, sicut scriptum est: *Qui diligit fratrem suum, Legem implevit. Impleat Dominus omnes petitiones tuas.* Præstet hoc tibi Deus Pater per Jesum Christum Filium suum, Dominum et Deum, regem, judicem, salvatorem, redemptoremque nostrum, qui est benedictus cum Spiritu sancto, per omnia sæcula sæculorum, amen.

Rom. xiii, 8.

Ps. xix, 7.

[1] Rom. edit., *neque per cœlum, neque per terram: sed sit,* etc.

[2] Eadem Rom. edit., *tibi escam sanctorum.* Haud infeliciter.



PRÆFATIO

AD SERMONES SUB AMBROSII NOMINE EVULGATOS.

Saint Ambroise, art. 94.

Difficulter supponi potest, ait cl. Tillemontius, inter sermones qui sub Ambrosii nomine vulgati sunt, nullum prorsus exstare qui eum auctorem habuerit. Sed cum non minus difficile sit definire utrum revera unus alterve ad eum pertineat, præter illos quos jam ut genuinos protulimus, et ipse Tillemontius lectorem remiserit ad ea quæ Maurini operum Ambrosii Editores de his sermonibus disseruerunt, sufficiat et nobis *Admonitionem* transscribere qua et aliorum et suam mentem de eisdem exhibuerunt, ut sequitur.

« Sermonum, quos in antiquioribus Ambrosii nostri editionibus pervolvere est, mentionem prope fecit nemo, qui partem eorum haud mediocrem eidem sancto viro perperam attribui, et inter aliorum Patrum Opera, maxime vero beati Maximi circumferri non agnoverit. Romana editio nedum mederetur huic incommodo, alios insuper adjectos voluit ab ingenio styloque Ambrosiano magis abhorrentes, quam primi illi. Sed non unicum ejusdem editionis in ea re hoc peccatum est; præterea enim et sermones non paucos ab aliorum classe avulsos in alienas sedes amandavit, et multa cum in titulis, tum in ipso contextu, quo viderentur magis Ambrosiani, propria immutavit auctoritate; unde contigit in errorem induci homines alioqui sagacissimos.

Lib. de Instit. divin. Litt. c. 5.

« Quapropter ut in posterum lectores ab hujusmodi fraude liberaremus, omnes Sermones, qui Ambrosii nomen in quibuslibet editionibus præ se ferunt, ad examen placuit revocare; qua in censura post adhibitam, qua majorem non valuimus, diligentiam et severitatem, eorumdem Sermonum, exceptis concionibus quatuor, nimirum *in funere Valentiniani, in funere Theodosii, de Basilicis non tradendis,* ac de Reliquiis sanctorum Gervasii et Protasii, quas edidimus propriis locis, nullum omnino deprehendimus, quem cum aliqua veri specie ac similitudine attribui Ambrosio posse arbitraremur. Enim vero illic omnia tantopere a sancti Doctoris elocutione ac tractandi ratione discrepantia nobis visa sunt, ut nulli dubitemus nostram in sententiam quotquot eosdem, qua par est, attentione examinabunt, pedibus concessuros.

« Quod igitur Cassiodorus ætate sua homilias seu sermones exstitisse affirmat, qui Ambrosii nomen in fronte gererent, nisi credatur memoria sua vel falsa cujuspiam relatione deceptus esse, dicendum erit jam dudum excidisse illa exemplaria. Quod vero ad ea quibus continentur ii sermones, qui eidem Præsuli nunc tribuuntur, nullius auctoritatis illa putamus. Namque, ut plurimum, aut recentiorem præferunt manum, aut libri fuere usui chorali inservientes, nimirum lectionarii et homiliarii, quorum momentum levissimum esse negabit nemo. Sed ne vetustioribus quidem codicibus hac in re fidem habere satis tutum est. Etenim docet experientia, quo magis illi fierent vendibiles, homiliis aut sermonibus quibus constabant, magna nomina sæpe sæpius ab antiquariis inscripta esse. Hoc ipsum in his sermonibus aperte cognoscitur; cum enim antiquiora ipsorum exemplaria nulla habeamus codice Lugdunensi, cujus varias lectiones clarissimi Baluzii amicitiæ debemus; et codice Gallensi, quem a se tractatum atque excussum testatur Mabillonius noster ante mille annos exaratum esse, nihilominus tamen horum uterque sermones continet Gallensis quidem Augustinum, Lugdunensis vero Ambrosium auctorem falso ostentantes, et maximam partem sancto Maximo restituendos, ut de Gallensibus Mabillonius ipse profitetur. Ex horum censura de Lugdunensi statuas, licet; cum utroque codice iidem propemodum sermones exhibeantur.

« Neque vero admirabitur quisquam beato Maximo tot sermones ascribi, quandoquidem non ignoratur quantus in concionando hic Sanctus exstiterit. Quod autem ex ejus sermonibus pars non minima transcripta sit in Ambrosii nomen, præter memoratas scriptorum fraudes, id etiam hinc potuit contingere, quod cum Opera sancti Doctoris nostri sedulo evolverit, magnaque fragmenta ex eisdem ac potissimum e Commentario in Lucam ad verbum excerpta indiderit, incautis librariis errandi præbuerit occasionem. Inde similiter conjicere forsan liceat non alium auctorem libris seu sermonibus *de Sacramentis* quærendum esse, quam eumdem Maximum; cui conjecturæ locus ac tempus patrocinantur. [1]

« Quæ sunt a nobis hactenus dicta, planum faciunt solos sermones, ex quibus in librorum formam ab Ambrosio ipso redactis, tomus prior totus fere componitur, et magna quoque pars posterioris, Ambrosianos certo vocari. Nos igitur temere fecisse non videbimur, quod nullum eorum, quos hic expendimus, inter Opera sancti Doctoris vera et explorata ediderimus. Cum autem ex his alii non nisi apud Ambrosium, alii vero etiam alibi vulgati exstent, priores tantum exhibebimus, ne pondere minus utili crescat volumen. Attamen ut magis pateat nos liberiori censura haudquaquam usos, cujusque sermonis capiti strictim præmittemus eas rationes, queis ne illum Ambrosianum arbitraremur, adducti sumus. Nec propterea obluctabimur, si quis lectorum eosdem sermones argumentis potioribus Ambrosio nostro iverit vindicatum.

« Quod porro ad eas conciones, quæ in aliorum Patrum operibus circumferuntur, cum præ cæteris eo quoque præjudicio solæ laborent, quod non magis Ambrosio, quam vel Maximo vel alicui alteri adjudicatæ sunt, minus timide ipsas recidimus. Ne vero negotium cuipiam facessat illa mutatio, gemino indice providebitur. Quorum in primo sermones omissi collocabuntur tali ordine, ut non solum quam quisque sedem antea in editionibus Ambrosianis obtinuerit, verum etiam apud quem Patrum reperiatur, uno intuitu advertere sit. In secundo indice triplex series eorum sermonum, quos retinemus, ita contexetur, ut omnes Ambrosianæ editiones, antiquæ videlicet, Romana, et nova nostra e regione invicem sibi positæ comparentur. Sed prius quædam ad omissos sermones speciatim pertinentia annotanda sunt.

« Sermones de Tempore. — Priores duo, Romanæ scilicet editionis primus ac tertius, in Gallensi codice Augustino attribuuntur, sed in Corbejensi ac Germanensi, aliisque pluribus dantur Maximo, quem toti spirant. Idem etiam de sequenti dicere licet, cujus inscriptionem codex Lugdunensis veram hanc præfert: *Dicendum ante natale Domini.*

« Quartus omissorum, qui sextus est Romanæ editionis, in Appendice Augustiniana Cæsario addicitur. Huic opinioni haud reclamamus, admonuisse nempe contenti comparationes in eo esse, quæ cum legantur in sermonibus supra memoratis, interpolationem videntur arguere. Sermonem pariter post hos omissum, id est, duodecimum dictæ editionis, eadem Appendix tribuit Cæsario; Ambrosio sane eum qui legerit, nemo tribuet. Nec alio modo de subsequenti, quem in Appendice sermonum Augustini etiam reperias, disputabimus. Nam cum manuscriptorum quidam Ambrosio, quidam Augustino illum ascribant, nos cum Corbejensi nemini astruimus.

[1] Quid e converso de his libris nobis visum fuerit tenendum, in Præfatione ad eosdem declaravimus.

« Qui hos excipit, in Appendice sæpius citata solum incipit ab istis verbis: *Dicit Dominus in Evangelio*, etc. Eum similiter Gallensis codex ita dividit, ut novi sermonis eadem verba sint exordium. Quam vero inepta sit hæc divisio, ex primo aspectu cognoscere est. Hunc porro sicut et sequentem, qui continuatio ejus esse videtur, optimo jure Maximo adjudicant: sed ille quoque quem Romana editio vigesimum quartum numerat, jam dudum eidem antistiti vindicatus est.

« Duorum sequentium prior olim quinquagesimus sextus inter Augustinianos collocabatur; nunc Cæsario restitutus est, cujus dictionem haud parum refert. Posterior autem non minori jure eidem Patri redditus fuit; illius tamen pars non minima Rabaniano cuidam sermoni inseritur, cujus lemma est: *De Jejunio Domini, et ratione quadragesimalis Jejunii.*

« Sermo trigesimus nonus Romanæ editionis ita inscribitur: *Cur Christus jejunia in deserto*, etc. Hic est in Appendice Augustiniana centesimus quadragesimus septimus, qui et alii duo, nimirum trigesimus septimus ac trigesimus, e quibus alter de prima Christi tentationem disputat, alter de secunda, unius ejusdemque auctoris sunt, at certo certius non Ambrosii. Tantum quippe abhorrent a stylo ejus, quantum ad Maximi iidem accedunt.

« Qui numero quadragesimo primo in Romana editione ponitur, cujusque magna fragmenta in homilia Rabani Mauri in Dominicam tertiam quadragesimæ deprehenduntur, in Appendice Augustiniana adjudicatur sancto Cæsario. Verum tamen in hunc sermonem haud male quadrat, quod Gennadius memorat a Maximo conciones scriptas, *de Jejunio speciali quadragesimæ, et quod non sit in eo jocandum.* Sed aliunde non minus videtur esse Cæsarii, quam sermo vigesimus sextus Romanæ editionis, quem ab eo scriptum nullus ambigat.

« Quadragesimus secundus memoratæ editionis nihil plane habet quod non sapiat sanctum Maximum. Idem similiter de quadragesimo septimo statuendum est, cujus initium eadem Romana editio perperam mutarat, quemque Maximo deberi indicat Gennadius sub hoc titulo: *De Juda proditore.*

« His adjungatur quadragesimus octavus, et qui ex eo pendent, quadragesimus nonus et quinquagesimus. Hos enim Maximi esse nihil non clamat. Non possumus autem quin hic expostulemus cum Romanis editoribus, qui cum alibi, tum in ultimo horum sermonum, plurima refragantibus aliis editionibus ac manuscriptis, immutare non dubitarunt.

« Sermo quinquagesimus primus, sicut et duo proxime subjecti, inter Maximianos quoque reperiuntur. Nec dubitamus quin hi ipsi sint, qui memorantur a Gennadio sub his titulis: *De Cruce Domini, de Sepulcro ejus, de Resurrectione ipsius.* Ejusdem Maximi sunt pariter quinquagesimus quintus, et quinquagesimus sextus, qui continuatio est quinquagesimi tertii, non secus ac quinquagesimi quinquagesimus septimus.

« Cæsario restituitur in Augustiniana Appendice quinquagesimus octavus, qui cur aliquando attributus fuerit Ambrosio, nihil plane habet. Sed nec potiori jure ejusdem nomine censeri meruit sexagesimus. Nam præterquam quod in Maximi editionibus, et manuscriptis non paucis ipsi vindicatur, quæ in eo dicuntur de baptismo Apostolorum, cum iis quæ in *Apologia David* cap. 9, num. 50, legere licet, aperte pugnant.

« Sexagesimum primum præter alia Maximo id etiam vindicat, quod nos ad sermonem quinquagesimum septimum, quem ejusdem præsulis esse supra diximus, videtur remittere. Quod autem de jejunio sabbati ante Pentecosten hic memoratur, iis non congruit, quæ in sexagesimo eadem de re tradita fuerunt; proindeque incidere potest aliqua dubitatio, num forte ad auctorem sit referendus eodem Maximo recentiorem.

« Sermo sexagesimus quartus nihil aliud est, quam Basilii *homilia in dictum illud ex Evangelio secundum Lucam: Destruam horrea mea*, etc. nonnullis tamen partim additis, partim recisis. Eadem homilia Basiliana Ambrosium in libro *de Nabuthe* usum vidimus; non tamen ex hoc inferre licet auctorem quoque hujus sermonis Ambrosium esse. Quin immo si contendantur cum hoc sermone quæ in eodem libro ex illa homilia imitatus est sanctus Ambrosius, illico cognoscetur Doctorem nostrum Basilii sententias multo nobiliori ratione esse interpretatum, quam tralatorem hujus sermonis; quippe qui verba ex verbis serviliter reddens, tota elocutione, ac potissimum in iis laciniis, quas identidem de suo intexuit, ab Ambrosio abest quam longissime.

« Sexagesimum sextum, qui eodem numero in Appendice Augustinianorum sermonum exstat, opinatur Mabillonius ad undecimum, qui ab ipso tamquam Maximi editus fuit, referri posse. Verum tamen illius stylus, nostro quidem judicio, ab hujus Patris scribendi modo tantum discrepat, ut eumdem sermonem auctori cuipiam posteriori lubentius adjudicemus.

« Sermonibus *de tempore* subjectæ fuerant in Romana editione conciones aliquot, quarum tres primas nempe *de Basilicis*, et in funere Valentiniani ac Theodosii imperatorum suo quamque loco exhibuimus: quartam autem soli Maximo, cujus et stylum sapit, et in Patrum Bibliotheca jam nomen præfert, relictam voluimus.

« Sermones de Sanctis. — Secundus sermonum, quos vocant *De Sanctis*, apud Augustinum atque Maximum editus fuit: sed huic uni non solum dictio, verum etiam cum quinquagesimo octavo affinitas illum asserit.

« Sermonem quintum, qui ab Ambrosio in Gervasium et Protasium fratres martyres habitus fuit, inter epistolas constituimus; quem locum ejus genuinum esse in Admonitione ipsis præmissa demonstratum est.

« Sermo sextus pridem Maximo redditus fuit, nec obscurum est illum a nullo nisi Taurinensi dictum fuisse.

« Decimus in Appendice Operum Augustini dicitur *Ambrosio verius forte quam Augustino tributus*: sed vere utrique abjudicandus nobis videtur, et pari jure. Nam si dictionem ejus expendas, eam non magis Ambrosii esse quam Augustini ultro fateberis: simulque advertes auctorem ejus videri Chrysostomo posteriorem.

« Duodecimum etiam reperias in Appendice Augustiniana, sed præterea apud Maximum exstat, cui et consensu eruditorum attribuitur. Sed nec aliter de tertio decimo statui debet; quippe qui sermonis de tempore vigesimi quarti, quem Maximi esse supra vidimus, continuatio sit.

« Decimo septimo fragmentum quoddam in editione Romana præfigitur, quod in antiquis prætermissum est; integrum vero hunc sermonem exhibet eadem Appendix Augustiniana. Ut porro pateat illi sermoni Ambrosianum nihil inesse, is tantummodo cum iis conferatur, quæ de S. Laurentio in libris Officiorum scripsit Ambrosius.

« Decimus octavus inter Maximi sermones legitur, in quo ejus ingenium atque elocutio deprehenditur.

« Vigesimum quoque reperire est apud Maximum. Si tamen illi, sicuti videtur, ascribendus sit, eum oportebit a sciolo quopiam *de sancto Michaele* illa de causa esse inscriptum, quia in hoc festo illud evangelium, quod ejusdem sermonis argumentum est, legi consuevit. Apud eumdem Taurinensem vigesimus primus cum vero suo titulo exstat, isto scilicet *de Hospitalitate*; atque adeo credibile est hunc ipsum esse, quem ab eodem Præsule *de Avaritia et Hospitalitate* scriptum testatur Gennadius. Nullam ergo causam habuit Romana editio cur illum inscriberet: *In Festo sancti Lucæ Evangelistæ.*

« Sermones e prioribus tomis. — Sermo *de Arbore interdicta* in Augustini Appendice ordinem ducit. Ibidem observatur hunc sermonem varietates habere apud Ambrosium, sed eæ fuerunt ab editoribus aut elegantiæ aut

majoris cum Ambrosiano stylo cognationis causa inductæ. Non mirum igitur si quidam eruditioris etiam judicii ex his deceptus, quin idem sermo tribui possit sancto Doctori, nihil prohibere existimavit. Auctor illius plane ignoratur. Manichæi vero illic impugnantur, sed non rigidi: quandoquidem hi bonum esse vinum non diffitentur. Quapropter aut Marcionistas, aut eos hæreticos fuisse necesse est, quos in libro *de Paradiso,* ubi eadem materia, sed ratione longe alia, pertractatur, confutat Ambrosius.

« Duos sermones *de sancto Elisæo* in prima parte *Musei Italici* Mabillonius noster tamquam nondum publici juris factos edi curavit; sed erroris causa in Romanæ editionis, ubi alieno loco positi fuerant, confusionem referri debet. Cæterum nequaquam reluctabimur, quominus Maximi esse dicantur.

« Sermonis in caput VII Job illa germana inscriptio est: *De carnalibus hostibus non metuendis, et de gratiis post cibum agendis:* hoc enim titulo Gennadius ipsum indicat, nec non Maximi, apud quem etiam idem habetur, esse significat.

« In psalmos XXI, CXI ac CXVII enarrationes sive sermones inter Maximianos jure censentur. In editionibus Ambrosianis quasdam periodos horum sermonum primus exhibet, quæ non reperiuntur apud Maximum, sed istæ non sunt magni momenti. Tertius autem eidem Maximo in Romano breviario restitutus est.

« Enarratio in caput XXXI Proverbiorum apud Augustinum, cui ascribitur, pura legi potest, ac sine illis additamentis, quæ ut magis Ambrosiana judicaretur, eidem intexuit Romana editio.

« In caput III Ecclesiastici sermones duo de Eleemosyna sancto Maximo, cujus dictionem pulchre referunt, in ejusdem etiam editionibus attribuuntur.

« De sermone in caput I Isaiæ non aliud quoque sentiendum est; sed nec etiam de sermonibus duobus in caput XIII Danielis: hi quippe omnes et evolvuntur apud Maximum, et ejus esse a Gennadio, indicata cujusque inscriptione, asseverantur.

« Prior sermonum in caput III et IV Jonæ non est alterius nisi Maximi, cui editiones ejusdem Patris, sicut et Gennadius, illum astruunt; posterior vero in Museo Italico sub Maximi nomine a Mabillonio editus fuit. Quod vero illum nondum vulgatum existimavit, perturbationi editionis Romanæ imputandum est.

« Postremo cum sermo in caput I Malachiæ sermonis in caput VII Job, quem Maximi esse antea probavimus, continuatio sit, ad eumdem quoque auctorem pertinere manifestum est ».

INDEX SERMONUM PRÆTERMISSORUM

SERMONES DE DOMINICIS, SOLEMNITATIBUS ET FERIIS.

Ordo antiq. editt. Ambr.	Ordo Rom. edit. Ambr.	Ordo aliorum operum ubi reperiuntur.
SERMO XXVIII. Exhortatio ad plebem de eo quod scriptum est in Evangelio: *Sicut fulgur,* etc.	SERMO I. *Dominica prima Adventus.* Paucorum admodum dierum occupatione detentus cœtui vestro videor defuisse, et alterius Ecclesiæ necessitatibus evocatus, minime vobis studium solitum dependisse. Sed quamvis vobis non adfuerim corpore; tamen a vobis amore non defui, etc.	Apud Maximum Taurin. in Bibl. PP. Homilia I in adventu Domini. De eo quod scriptum est: *Sicut fulgur,* etc. Sed ab his tantum verbis incipit: *Movet fortasse,* etc.
SERMO XXIX. Item de eodem.	SERMO III. *Dominica secunda Adventus.* Superiore Dominica capitulum Evangelicum disserentes, etc.	Apud Maximum Homilia secunda de eodem Adventu.
SERMO XIV. Item de natali Domini.	SERMO IV. *Eadem Dominica secunda Adventus.* Lætitia quanta sit, quantusque concursu cum imperatoris mundi, etc.	Apud Maximum. In Vigiliæ natalis Domini Homilia.
Non exstabat.	SERMO VI. *Dominica quarta Adventus.* Propitia divinitate, fratres dilectissimi, jam adveniunt dies, etc.	Append. August. Serm. 115 et 1 de Tempore.
Non exstabat.	SERMO XII. *De mysterio Epiphaniæ Domini.* Dies iste et festivitas quam hodie, fratres, celebratis, ideo Epiphania, id est, apparitio, etc.	Append. August. Sermo 139.
Non exstabat.	SERMO XVIII. *Eodem die de baptismo Christi.* Hanc baptismi Domini nostri celebritatem, fratres dilectissimi, quam hodierni, etc.	Append. August. Sermo 137.
SERMO I. De grano sinapis.	SERMO XIX. *Dominica sexta post Epiphaniam.* Libenter nos prædicare, et gratanter opus Dei facere manifestum est: sed cum videmus, etc.	August. Append. Sermo 87.
SERMO II. Item de grano sinapis.	SERMO XX. *Super iisdem verbis,* etc. Superiore Dominica parabolam Domini disserentes, in qua ait: *Cui simile est regnum,* etc.	August. Append. Sermo 88.

Ordo antiq. editt Ambr.	Ordo Rom. edit. Ambr.	Ordo aliorum operum ubi reperiuntur.
SERMO IX.	SERMO XXIV.	
De unitate charitatis. Legimus in libro, etc.	*De eo quod scriptum est in Actibus Apostolorum: Erant omnia communia,* etc. Merito, fratres, dicit Apostolus: Nunc manent fides, etc.	Apud Maxim. et in Append. Aug. Sermo 100.
Non exstabat.	SERMO XXV. *Feria quarta Cinerum.* Dominus ac Salvator noster qualiter post multos negligentia, etc.	Append. August. Sermo 141.
Non exstabat.	SERMO XXVI. *Feria quinta post diem Cinerum.* Rogo vos, fratres charissimi, ut in isto legitimo tempore, exceptis Dominicis, etc.	Apud Cæsar. et in Append. August. Sermo 142.
SERMO XXXVII.	SERMO XXXIX.	
De Quadragesima.	*Feria secunda post Dominicam secundam Quadragesimæ.* Si bene retinet dilectio vestra, fratres, superiori Dominica prædicavimus quod sanctam, etc.	Append. August. Sermo 147.
SERMO XXXIII.	SERMO XLI.	
De Quadragesima.	*Dominica tertia Quadragesimæ.* Diximus superiore Dominica hoc esse fidei nostræ opus primum, ut horum quadraginta, etc.	Append. August. Sermo 146.
SERMO XXXI.	SERMO XLII.	
De Eleemosyna.	*Feria sexta post Dominicam tertiam Quadragesimæ.* Retinet dilectio vestra, fratres, ante dies cum sermonum ad vos de eleemosynis, etc.	Apud Maxim. in Biblioth. PP.
SERMO LI.	SERMO XLVII.	
De Juda Iscarioth.	*Feria secunda Hebdomadæ sanctæ.* Audistis, fratres, Judam Iscariothem de unguento super Domini pedes, etc.	Apud Maxim. in Biblioth. PP.
SERMO XLVI.	SERMO XLVIII.	
De pœnit. Petri, etc.	*Feria tertia Hebdomadæ sanctæ.* Sæpe diximus, fratres, quod ad similitudinem Evæ Petrum quoque ostiaria mulier, etc.	Apud Maxim. in Biblioth. PP.
SERMO XLIV.	SERMO XLIX.	
De sancto latrone.	*Feria quarta Hebdomadæ sanctæ.* Quoniam hodie Evangelica lectio de latrone fecit mentionem, videamus quis iste latro, etc.	Apud Maxim. in Biblioth. PP.
SERMO XLV.	SERMO L.	
Item de eodem.	*Feria quinta Hebdomadæ sanctæ.* Collecta quam hodie legit.... Meminisse autem debet vestra dilectio quomodo hesterno die, etc.	Apud Maxim. in Biblioth. PP.
SERMO LV.	SERMO LI.	
De cruce Christi.	*Feria sexta Hebdomadæ sanctæ.* Sæculi hujus hominem fabulæ ferunt Ulyssem, illum qui decennio marinis, etc.	Apud Maxim. in Biblioth. PP.
SERMO LVI.	SERMO LII.	
Item de cruce Christi.	*Eadem die Parasceves.* Superiori sermone diximus, ut retinet vestra dilectio, fratres, quod cum Domini salutem, etc.	Apud Maxim. in Biblioth. PP.
SERMO LVII.	SERMO LIII.	
De sepulcro Domini, etc.	*Sabbato sancto.* Retinet dilectio vestra, fratres, quid alibi diximus quia non minor gloria est, etc.	Apud Maxim. in Biblioth. PP.
SERMO LIII.	SERMO LV.	
De innovatione fidelium.	*Eadem Dominica Resurrectionis.* Magnum, fratres, et mirabile donum contulit nobis Deus hunc Paschæ, etc.	Apud Maxim. in Biblioth. PP.
SERMO LVIII.	SERMO LVI.	
De Maria Magdalene.	*Feria quinta post Dominicam Resurrectionis.* Hæret adhuc sensibus vestris, fratres, hoc nos ante dies paucissimos prædicasse quod Maria, etc.	Apud Maxim. in Biblioth. PP.
SERMO LIV.	SERMO LVII.	
De innovatione fidelium.	*Dominica in Albis.* Retinet sanctitas vestra, fratres, hoc me nuperrime prædicasse quod homo in juniorem ætatem, etc.	Apud Maxim. in Biblioth. PP.

Ordo antiq. editt. Ambr.	Ordo Rom. edit. Ambr.	Ordo aliorum operum ubi reperiuntur.
Non exstabat.	SERMO LVIII. *In die Ascensionis Domini.* Laudemus Deum nostrum, fratres charissimi, Deo gratias agamus, etc.	Apud Maxim. in Biblioth. PP.
SERMO LXI. De Pentecoste.	SERMO LX. *In die sancto Pentecostes.* Scire debet sanctitas vestra, fratres, hanc sanctam Pentecostes diem, etc.	Apud Maxim. in Biblioth. PP.
SERMO LXII. Item de Pentecoste.	SERMO LXI. *Feria secunda Pentecostes.* Non incommode ante paucos dies, sicut retinetis, fratres, prædicatio nostra processit, etc.	Apud Maxim. in Biblioth. PP.
SERMO LXXXI. De eo quod scriptum est in Evangelio: *Hominis cujusdam divitis,* etc.	SERMO LXIV. *Dominica octava post Pentecosten.* Non omnia, fratres charissimi, quæ in villico Dominus laudavit, nos ad imitandum sumere debemus: sed ut nobis signaretur, quantum placeat Domino pia bonorum.... Duplex autem tentationum species: aut enim tribulatio, etc.	Apud Basilium. Hom. in dictum illud:... *Destruam horrea mea,* etc.
SERMO VII. De eo quod scriptum est: *Reddite quæ Dei,* etc.	SERMO LXVI. *Dominica vigesima secunda post Pentecosten.* Nonnulli, fratres, qui aut militiæ cingulo detinentur, etc.	Append. August. Sermo 82.
SERMO LXXXII. De defectione lunæ.	SERMO IV. *Objurgat populum ob quamdam lunæ superstitionem.* Et ipsi scitis, fratres, quod mea non cessat humilitas omni circa vos sollicitudine, etc.	Apud Maxim. in Biblioth. PP.

SERMONES DE SANCTIS.

SERMO XLVII. De fide Petri apostoli.	SERMO II. *In Cathedra sancti Petri.* Astruimus superiore Dominica sanctum Petrum, etc.	Apud Maximum et in App. Aug. Sermo 92.
SERMO LXXVII. De natali SS. Octavii, etc.	SERMO VI. *In festo sanctorum Martyrum Octavi, Adventi,* etc. Cum omnium sanctorum Martyrum, fratres, devotissim natalem celebrare debemus, etc.	Apud Maxim. in Biblioth. PP.
SERMO LXVIII. Item de eodem.	SERMO XI. *In festo sanctorum Petri et Pauli.* Notum omnibus vobis est, fratres, et universo, etc.	Append. August. Sermo 201.
SERMO LXVI. De natali SS. Apostolorum, etc.	SERMO XII. *In eodem festo.* Cum omnes beati Apostoli parem gratiam apud, etc.	Append. August. Sermo 202, et apud Maximum.
SERMO LIX. De avaritia, et Anania.	SERMO XIII. *In festo sancti Alexii.* Retinet dilectio vestra, fratres, ante dies cum plebis, etc.	Apud Maxim. in Biblioth. PP.
SERMO LXXI. De natali S. Laurentii, etc.	SERMO XVII. *In festo sancti Laurentii Martyris.* Beatissimi Laurentii Martyris, cujus ut natalem hodie, etc.	Append. August. Sermo 206.
SERMO LXXII. De natali sancti Cypriani.	SERMO XVIII. *In festo sancti Cypriani Martyris.* Sancti Cypriani festivitatem, sicut omnibus notum est, hodie celebramus, etc.	Apud Maxim. in Biblioth. PP.
SERMO X. De eo quod scriptum est: *Quis major est, in regno cœlorum.*	SERMO XX. *In festo sancti Michaelis archangeli.* Si diligenter audistis, fratres, Evangelicam lectionem, intelligere potestis quæ ministris ac sacerdotibus Dei reverentia debeatur, vel qua ipsos clericos invicem humilitatis sedulitate se oporteat, etc.	Apud Maxim. in Biblioth. PP.
SERMO XXXII. De hospitalitate in Evangelio.	SERMO XXI. *In festo sancti Lucæ evangelistæ.* Advertit sanctitas vestra, fratres, Evangelicam lectionem, etc.	Apud Maxim. in Biblioth. PP.

Ordo antiq. editt. Ambr.	Ordo Rom. edit.	Ordo aliorum operum ubi reperiuntur
	SERMONES E PRIORIBUS AMBROSIAN. OPERUM TOMIS.	
Non exstabat.	*De arbore interdicta Enarratio* (Tom. I, pag. 423). Legimus in Genesi Deum Adæ dixisse: Ex omni, etc.	Append. August. Sermo 1.
SERMO LXXXVI. Item de eodem.	SERMO I. *De sancto Elisæo propheta* (Tom. I, pag. 565). Sæpe dixisse me memini quod hostium tumultus bellicosos timere, minime debemus, nec quamlibet, etc.	In Mus. Italic. tom. I, part. II.
SERMO LXXXVII. De sancto propheta Elisæo.	SERMO ALTER. *De eodem* (Tom. I, pag. 567). Mirum forsitan videbitur, quod ante dies aliquot sancti Elisæi, etc.	Mus. Italic. tom. I, part. II.
SERMO XLII. De hostibus carnalibus, etc.	SUPER CAPUT VII JOB SERMO. (Tom. II, pag. 647). Frequenter admonui vos, fratres, ut dum licet, etc.	Apud Maxim. in Biblioth. PP.
SERMO III. De psalmo XXI.	IN PSALMUM XXI ENARRATIO. (Tom. II, pag. 671). Psalmi qui lectus est seriem decursuri, etc.	Apud Maxim. in Biblioth. PP.
SERMO XL. In festo Pentecostes.	IN PSALMUM CIX SERMO PRO DIE PENTECOSTES. (Tom. II, pag. 869). Nosse vos credo, fratres, quæ sit ratio quod, etc.	Apud Maxim. in Biblioth. PP.
SERMO LII. Non exstabat.	EX PSAL. CXVII, PRO SANCTO DIE PASCHÆ SERMO. (Tom. II, pag. 871). Non immerito, fratres, hodierna die psalmus hic legitur, in quo Propheta exsultandum, etc.	Apud Maxim. in Biblioth. PP.
Non exstabat.	IN CAPUT XXXI PROVERBIOR. SALOM. ENARRATIO. (Tom. II, pag. 1097). Præstabit nobis qui hunc diem commendavit in sanctis suis, etc.	Apud August. Sermo 37.
SERMONES XXX et XXXI. De eleemosyna.	SUPER CAP. III ECCLES. SERM. DUO DE ELEEMOSYNA. (Tom. II, pag. 1110 et seq.). Dicit Scriptura divina ignem ardentem, etc. Retinet vestra dilectio ante dies aliquot, etc.	Uterque apud Maximum in Biblioth. PP.
SERMO LXXVIII. De eo quod Propheta ait ad filios Israel: *Caupones vestri*, etc.	SUPER CAPUT PRIMUM ISAIÆ. (Tom. II, pag. 1113). Non incommode ante dies paucos prosecuti sumus functionem hanc sacerdotalem vicem quamdam negotii retinere, et quæstum esse, etc.	Apud Maxim. in Biblioth. PP.
SERMONES XLIX et L. De accusato Domino, etc.	IN CAPUT XIII DANIELIS PROPHETÆ SERMONES DUO. (Tom. I, pag. 1126 et seq.). Mirum forsitan videatur vobis, fratres, cur Dominus, etc. Ante dies prosecuti sumus sanctæ Susannæ, etc.	Apud Maxim. in Biblioth. PP.
	IN CAPUT III ET IV JONÆ. (Tom. II, pag. 1129 et seq.).	Apud Maximum et Append. August. Serm. 152.
SERMO XL. De jejuniis Ninivit.	SERMO I. Legimus in recitata Jonæ prophetia cum Ninivæ civitati subversio, etc.	Apud Maxim. in Biblioth. PP.
SERMO LXXV. De barbaris non timendis.	SERMO II. Diximus anteriore Dominica Ninivitas in tribulatione, etc.	In Mus. Ital. tom. I, part. II.
SERMO XLIII. Item de eodem.	EX VERBIS MALACHIÆ PROPHETÆ SERMO. (Tom. II, pag. 1148). Satis abundeque in superioribus dixisse me credo, etc.	Apud Maxim. in Biblioth. PP.

INDEX SERMONUM.

Ordo antiq. editt. Ambr.	Ordo hujus edit.	Ordo edit. Rom. Ambr.
Non exstabat.	SERMO I. *Dominica prima Adventus.* Hoc tempus, fratres charissimi, non immerito Domini adventus vocatur, nec sine causa, etc.	SERMO II. Dominica I Advent.

Ordo antiq. editt. Ambr	Ordo hujus edit.	Ordo ed. Rom. Ambr.
SERMO XV. De Natali Domini.	SERMO II. *Dominica tertia Adventus.* Satis abundeque dixisse me credo superiore Dominica quemadmodum compti vel nitidi, etc.	SERMO V. Dominica III Advent.
Non exstabat.	SERMO III. *De natali Domini I.* Domini nostri Jesu Christi, fratres, nativitatem celebrantes, etc.	SERMO VII. In die Natalis Domini.
SERMO XII. De Natali Domini.	SERMO IV. *De natali Domini II.* Verum est quod ait sanctus Joannes Baptista de Domino Salvatore dicens: *Illum oportet crescere,* etc.	SERMO VIII. In die Natalis Domini.
SERMO XIII. De Natali Domini.	SERMO V. *De natali Domini III.* Qua gratia vel quibus laudibus hunc diem natalis Domini prædicemus prorsus ignoro, etc.	SERMO IX. De eadem Nativitate.
SERMO XVI. De Natali Domini.	SERMO VI. *De natali Domini IV.* Bene quodammodo hanc diem natalis Domini solem novum vulgus appellat, etc.	SERMO X. De eadem Nativitate.
SERMO XVII. Increpatio de kalendis Januariis.	SERMO VII. *De kalendis Januariis.* Est mihi adversus plerasque de vestris, fratres, querela non modica: de his loquor, etc.	SERMO XI. In die Circumcisionis.
SERMO XIX. De sancta Epiphania.	SERMO VIII. *De sancta Epiphania I.* Exultandum est nobis, fratres charissimi, quod votis nostris vota succedunt, etc.	SERMO XIII. De Epiphania Domini.
SERMO XX. Item de eodem.	SERMO IX. *De sancta Epiphania II.* Meminit sanctitas vestra, fratres, superioris prædicationis nostræ, etc.	SERMO XIV. De eadem solemnitate.
SERMO XXI. De die S. Epiphaniæ.	SERMO X. *De sancta Epiphania III.* Plerique in hac sancta Epiphaniæ die hactenus a Domino mirabilia facta esse, etc.	SERMO XV. De eadem festivitate.
SERMO XXII. Post Epiphaniam.	SERMO XI. *De sancta Epiphania IV.* Ad omnes vos, fratres, prædicationem meam in die sancta Epiphaniæ pervenisse credo, etc.	SERMO XVI. In eadem die ad catechumenos.
SERMO XVIII. De sancta Epiphania.	SERMO XII. *De sancta Epiphania V.* Evangelica Scriptura refert, sicut lectum nuper audivimus, Dominum ad Jordanem, etc.	SERMO XVII. In octava Epiphaniæ de baptismo Christi.
SERMO V. Quod simile sit regnum Dei fermento.	SERMO XIII. *Super his verbis Evangelii*: Simile est regnum cœlorum, etc. Et ipsi scitis, fratres, quod ex qua die vobiscum esse cœpi, non cessavi omnibus vos Dominicis, etc.	SERMO XXI. Dominica VI post Epiphaniam.
Non exstabat.	SERMO XIV. *Dominica in Septuagesima.* Redimite vos, fratres charissimi, dum pretium habetis, quando novum tempus inchoatis, etc.	SERMO XXII. In Septuagesima.
Non exstabat.	SERMO XV. *Dominica in Sexagesima.* Adest tempus, charissimi fratres, quod Sexagesima vocatur; et ideo necesse est ut vita vestra, etc.	SERMO XXIII. In Sexagesima.
SERMO VIII. De sabbato quo Dominus manum, etc.: *Diligenter vos audisse,* etc.	SERMO XVI. *Ubi sabbato Dominus manum aridam curavit.* Diligenter vos audisse credo, fratres, evangelicam lectionem, etc.	SERMO XXVII. Feria VI post diem Cinerum. *Te autem faciente eleemosynam, nesciat,* etc.
Non exstabat.	SERMO XVII. *De sancta Quadragesima I.* Ecce adsunt dies sancti et tempus acceptabile, fratres charissimi, etc.	SERMO XXVIII. Dominica I Quadragesimæ.

Ordo antiq. editt. Ambr.	Ordo hujus edit.	Ordo ed Rom. Ambr.
SERMO XXVII. De Jejuniis.	SERMO XVIII. *De sancta Quadragesima II.* Testimonium perhibet sanctus Apostolus de prophetis dicens: *Tempore accepto,* etc.	SERMO XXIX. Eadem Dominica.
SERMO XXIII. De Quadragesima.	SERMO XIX. *De sancta Quadragesima III.* Sanctæ quadragesimæ rationem, cujus hodie initium celebramus, etc.	SERMO XXXII. Eadem Dominica.
SERMO XXIV. Item de Quadragesima.	SERMO XX. *De sancta Quadragesima IV.* Retinent adhuc sensus vestri, fratres, hos nos superiore Dominica, etc.	SERMO XXXVIII. Dominica II Quadragesimæ.
SERMO XXV. De Quadragesima.	SERMO XXI. *De sancta Quadragesima V.* Intellexisse vos credo, fratres, superiore Dominica, cur hæc nostra jejunia, etc.	SERMO XXXVI. Feria VI post Dominicam I.
SERMO XXVI. De Quadragesima.	SERMO XXII. *De sancta Quadragesima VI.* Non usque adeo contristari debemus, fratres, quod in his Quadragesimæ, etc.	SERMO XXX. Dominica I Quadragesimæ.
SERMO XXXIV. De Quadragesima.	SERMO XXIII. *De sancta Quadragesima VII.* Nonnulli christianorum, fratres, existimantes divinitatis, etc.	SERMO XXXI. Eadem Dominica.
Non exstabat.	SERMO XXIV. *De sancta Quadragesima VIII.* Quam timendus est, fratres charissimi, dies ille judicii, in quo Dominus, etc.	SERMO XXXIII. Feria II post Domin. I Quadrages.
Non exstabat.	SERMO XXV. *De sancta Quadragesima IX.* Ecce nunc tempus adest, in quo et peccata vestra confiteri Deo et sacerdoti, etc.	SERMO XXXIV. Feria III post Domin. I Quadragesim.: *Ecce nunc tempus acceptabile,* etc.
Non exstabat.	SERMO XXVI. *De sancta Quadragesima X.* Lectum est nunc in Evangelio: *Viri Ninivitæ surgent in judicio...* Pharisæi pœnitentiam simulabant, etc.	SERMO XXXV. Feria IV post I Dominicam Quadrages.
SERMO XXXV. De jejunio Domini in deserto, etc.	SERMO XXVII. *De jejunio Domini in deserto, qui est de Quadragesima XI.* Meminisse debet vestra dilectio, fratres, hoc me anteriore Dominica prædicasse, etc.	SERMO XXXVII. Feria VI post Dom. I Quadrages.
SERMO XXXVI. De Quadragesima.	SERMO XXVIII. *De sancta Quadragesima XII.* Ante dies devotionem sanctæ Quadragesimæ prædicantes sacrarum litterarum exempla, etc.	SERMO XL. Feria III post Dom. II Quadrages.
Non exstabat.	SERMO XXIX. *De sancta Quadragesima XIII.* Agite gratias, fratres, divinæ pietati, quæ vos ad medium Quadragesimæ perduxit, etc.	SERMO XLIII. Dominica IV Quadrages.
Non exstabat.	SERMO XXX. Dominica in Passione. *De sancta Quadragesima XIV.* Scitote, fratres, quoniam cujus opera quisque facit, ejus et filius vocatur. Unde et Judæi, etc.	SERMO XLIV. Dominica in Passione.
Non exstabat.	SERMO XXXI. Dominica in Ramis Palmarum. *De sancta Quadragesima XV.* Veniente Domino nostro Jesu Christo ad urbem Hierusalem ante sex dies passionis, etc.	SERMO XLV. Domin. in Ramis Palmarum.
Non exstabat.	SERMO XXXII. Eadem Dominica Palmarum. *De sancta Quadragesima XVI.* Video vos, fratres, hodie attentius, quam soletis, ad Ecclesiam convenisse, et nemo, etc.	SERMO XLVI. Eadem Dominica.

Ordo antiq. editt. Ambr.	Ordo hujus edit.	Ordo ed. Rom. Ambr.
SERMO XXXVIII. De Jejuniis et Quadragesima.	SERMO XXXIII. *De Jejuniis Quadragesimæ XVII.* Propitia divinitate, fratres, ecce jam pene transegimus quadragesimæ indicta jejunia, etc.	Tom. I, pag. 147. SERMO. De Jejunio Eliæ.
Non exstabat.	SERMO XXXIV. *Dominica Resurrectionis Domini.* Audistis, fratres, quod sanctæ mulieres, quæ cum aromatibus ad monumentum venere, Angelorum, etc.	SERMO LIV. Dominica Resurrectionis Domini.
Tom. II. De mysterio Paschæ libellus unus.	SERMO XXXV. *De mysterio Paschæ II.* Paschæ mysterium de fide omnibus credentibus, etc.	Tom. IV, pag. 301. De mysterio Paschæ libellus unus.
Non exstabat.	SERMO XXXVI. *In die sancto Pentecostes.* Magna est, fratres charissimi, hodierna festivitas, in qua, sicut audistis, acceperunt apostoli, etc.	SERMO LIX. In die sancto Pentecostes.

SERMONES DE DIVERSIS.

SERMO XI. De mirabilibus.	SERMO XXXVII. *De Mirabilibus.* Quantorum mirabilium operator sit Dominus Jesus Christus intelligere possumus ex hac Evangelica lectione, etc.	SERMO LXII. Domin. V post Pentecosten.
SERMO XLI. De gratia baptismi.	SERMO XXXVIII. *De gratia baptismi.* Quia constat, sicut ante dies prosecuti sumus, Jesum Christum non sui causa baptizatum, etc.	SERMO LXIII. Domin. VI post Pentecosten.
SERMO IV. De Camelo. Dicit in Evangelio Dominus J. C.: *Amen dico,* etc.	SERMO XXXIX. *De Camelo.* Mammona quod apud Hebræos hujus sæculi divitiæ appellantur. Dicitur vero mammona, etc.	SERMO LXV. Dominica XIV post Pentecosten.
SERMO XXXIX. De jejuniis et eleemosynis.	SERMO XL. *De jejuniis et eleemosynis.* Non dubito, fratres, contristari vos, quotiescumque absentem me a vobis necessitas, etc.	SERMO LXVII. Dominica XXIII post Pentecosten.
SERMO LXXIX. De eo quod dicit Dominus in Evangelio: *Vulpes foveas,* etc.	SERMO XLI. *De eo quod dicit Dominus in Evangelio:* Vulpes foveas habent, *etc.* Si diligenter advertit vestra dilectio, fratres, capitulum, etc.	SERMO III. In festo sancti Basilii episc. et Confess.
SERMO LXXX. Increpatio ad plebem de eo quod scriptum est in Evangelio: *Qui habet, dabitur ei,* etc.	SERMO XLII. *Increpatio ad plebem de eo quod scriptum est in Evangelio:* Qui habet, dabitur ei; *et* Cantavimus vobis, et non saltastis. Frequenter studueram apud me ipsum, fratres, subtrahere vobis dominicæ prædicationis eloquia, etc.	SERMO XXV. Pro communi Conf. non Pontificis.
SERMO LXXXIII. Increpatio ad populum de absentio sua.	SERMO XLIII. *Increpatio ad populum quod Ecclesiam non frequentet.* Deberem, fratres, post hos complures dies aliquid uberius prædicare, et revertens a tanto examine sacerdotum, etc.	SERMO V. Populum quod non frequentet Ecclesiam, redarguit.
SERMO LXXXIV. Post increpationem consolatio ad populum.	SERMO XLIV. *Post increpationem allectio ad populum.* Amarior fortasse fuerit increpatio mea superioribus prædicationibus, quod plerosque, etc.	SERMO VI. Consolatur populum, ne quia illum sæpius objurgaverit, etc.
Non exstabat.	SERMO XLV. *De primo et secundo Adam.* Audite, fratres charissimi, quale est legis mysterium. Primus homo, etc.	Non exstabat.
Tom. IV. De Salomone liber unus.	SERMO XLVI. *De Salomone.* Mirum satis est, dilectissimi fratres, quod in hoc capitulo, etc.	Tom. II, pag. 1090. De Salomone liber unus.
Non exstabat.	SERMO XLVII. *Fragmentum enarrationis in cap.* XXX *Proverbiorum.* Ante adventum Christi Salvatoris nostri prophetæ, etc.	Tom. II, pag. 1094. Enarratio in cap. XXX Proverbiorum.

SERMONES DE SANCTIS.

Ordo antiq. editt. Ambr.	Ordo hujus edit.	Ordo edit. Rom. Ambr.
Non exstabat.	SERMO XLVIII. *In festo sanctæ Agnetis virginis et martyris.* Cum in toto mundo virgineus flos Mariæ immarcescibiles, etc.	Non exstabat.
SERMO LXXV. In natali SS. Cantii, Cantiani, etc.	SERMO XLIX. *In natali SS. Cantii, Cantiani,* etc. Hodie beatissimorum Cantii, Cantiani, et Cantianillæ, etc.	SERMO IV. In festo SS. Cantii, Cantiani, etc.
SERMO LXIII. De natali S. Joannis Baptistæ.	SERMO L. *In Natali sancti Joannis Baptistæ I.* In sancti ac beatissimi Joannis Baptistæ laudibus, cujus natalem hodie celebramus, etc.	SERMO VII. In festo sancti Joannis Baptistæ.
SERMO LXIV. Item de eodem.	SERMO LI. *De prærogativa ejusdem sancti Joannis Baptistæ II.* Sancti Joannis Baptistæ natalem hodie prosecuturus, etc.	SERMO VIII. De prærogativa ejusdem etc.
SERMO LXV. Item de Joanne Baptista.	SERMO LII. *De vita ejusdem sancti Joannis Baptistæ III.* Diximus superiori Dominica cum silentii nostri veniam peteremus, quod pro salute communi, etc.	SERMO IX. De Vita ejusdem, etc.
SERMO LXVII. De natali sanctorum Apostolorum Petri et Pauli.	SERMO LIII. *In natali SS. Apostolorum Petri et Pauli I.* Natalem beatissimorum Apostolorum Petri et Pauli hodie celebrantes, diversis epulis, etc.	SERMO X. In festo SS. apostolorum Petri et Pauli.
SERMO VI. De Margarita.	SERMO LIV. *De neglecta solemnitate beatorum Apostolorum Petri et Pauli II* Satis ad correptionem vestram arbitror posse sufficere, fratres dilecti, quod, etc.	SERMO I. In festo sanctæ Luciæ virginis et martyris.
SERMO XCIII. In natali SS. martyrum Nazarii et Celsi.	SERMO LV. *In festo SS. Nazarii et Celsi martyrum.* Etiamsi martyribus regionis extraneæ pia votorum debita redderemus, propriis consulere, etc.	SERMO XIV. In festo SS. Nazarii et Celsi martyrum.
SERMO LXIX. De natali S. Eusebii Vercell. episc.	SERMO LVI. *In festo sancti Eusebii martyris,* etc., *I.* Ad sancti Martyris Eusebii laudem aliquid addere velle, decerpere est. Tam ineffabilium enim, etc.	SERMO XV. In festo sancti Eusebii martyris, etc.
SERMO LXX. De depositione S. Eusebii.	SERMO LVII. *In die depositionis ejusdem II.* Depositionem S. Eusebii martyris hodie celebramus, etc.	SERMO XVI. In die depositionis ejusdem.
SERMO LXXIII. De sancto Cypriano.	SERMO LVIII. *Eadem die in festo sancti Cypriani martyris.* Ante dies cum beatissimi martyris Cypriani celebraremus, etc.	SERMO XIX. In festo S. Cypriani mart., etc.
SERMO LXXVI. De natali sanctorum martyrum.	SERMO LIX. *Pro communi unius martyris.* Si quantum necesse est dicere, et vos oportet audire, etc.	SERMO XXIII. Pro communi unius martyris per annum.
Non exstabat.	SERMO LX. *In natali unius martyris, sive Domni Domiciani.* Dum celebramus hodie, fratres charissimi, mortui justi, etc.	Non exstabat.
SERMO LXXIV. De natali martyrum.	SERMO LXI. *Pro communi martyrum.* Dignum et congruum est, fratres, ut post lætitiam Paschæ, etc.	SERMO XXII. Pro communi martyrum tempore Pasch.
SERMO LXXXVIII. De bellico tumultu.	SERMO LXII. *Pro communi plurimorum martyrum.* Movet fortasse vos, fratres, quod tumultus bellorum et incursiones præliorum fieri, etc.	SERMO XXIV. Pro communi plurimorum martyrum.
SERMO LXXXIX. De dedicatione basilicæ.	SERMO LXIII. *De servo centurionis in Evangelio, in dedicatione Basilicæ.* Legimus in sancto Evangelio cum Centurionis cujusdam servus gravi paralysis ægritudine, etc.	SERMO XXVI. In festo dedicationis Ecclesiæ.

SERMONES

SANCTO AMBROSIO JAM ADSCRIPTI,

CERTISQUE AUCTORIBUS CARENTES.

SERMO I.

Dominica I Adventus.

In Romana editione primum vulgatus: sed eum Ambrosio perperam attributum quæ de Adventus, quod nomen non nisi multo post Ambrosium innotuit in Ecclesia, jejunio dicuntur, clare ostendunt. Accedit etiam quod eo tempore confessionem criminum, et continentiam ab amplexu conjugali quasi necessariam indicit Auctor, quod maxime alienum est ab Ambrosio. Denique correctores Decreti observarunt verba ibidem de secubitu conjugum citata, non in hoc, sed in sermone quodam de Quadragesima *inveniri* (Edit. Maur.).

Addimus vocem *seniorem* pro domino, in num. 1, unde italica vox *signore*, sequioris ævi perspicuum indicium esse. Cæterum nihil prorsus exhibet hic sermo ambrosianæ indolis ac styli.

Monemus vero omnes notas his sermonibus appositas benemerentium Editorum esse e Maurina Congregatione.

Hoc tempus, fratres charissimi, non immerito Domini adventus vocatur, nec sine causa sancti patres adventum Domini celebrare cœperunt, sermones de his diebus ad populum habuerunt; id namque ideo instituerunt, ut se unusquisque fidelis præpararet et emendaret, quo digne Dei ac Domini sui nativitatem celebrare valeret. Nam si aliquis vestrum seniorem suum in ejus domum suscepturus, ab omnibus sordibus et immundis rebus ipsam domum mundaret, et quæque honesta et necessaria essent, secundum suam possibilitatem præpararet; et hoc facit mortalis suscepturus mortalem: quanto magis se mundare debet creatura, ut suo creatori apparenti in carne non displiceat? Ille justus venit ad nos peccatores, ut ex peccatoribus faceret justos: pius venit ad impios ut nos faceret pios: humilis venit ad superbos, ut ex superbis faceret humiles. Quid plura? Ille natura bonus, venit ad homines, qui erant pleni omnibus malis.

2. Quapropter hortamur vos ut his diebus abundantius eleemosynas faciatis, ad ecclesiam frequentius conveniatis, confessionem peccatorum vestrorum purissime faciatis; et non solum ab omni immunditia, sed etiam ab uxoribus propriis studiosissime vos contineatis: odium nihilominus, iram et indignationem, clamorem et blasphemiam, superbiam atque jactantiam, cum omni carnali delectatione procul a vobis repellatis; ut cum dies Dominicæ nativitatis advenerit, salubriter ipsum celebrare possitis. Et sicut multi sunt solliciti de carnalibus divitiis, et de pretiosis vestimentis, ut honorabiliores cæteris videantur in illa die; ita vos sollicitiores estote de spiritalibus divitiis et vestimentis; quia sicut anima melior est carne, ita deliciæ spiritales meliores sunt, quam carnales. Et multo melius est animam ornare virtutibus, quam corpus pretiosis induere vestibus.

3. Hæc admonitio, fratres, idcirco ad vos facta est, ut qui boni sunt, per hanc sint meliores; et qui malos se esse recolunt, certissime convertantur; ut pariter in die Dominicæ nativitatis lætari spiritaliter mereantur: ipso præstante, qui cum Patre et Spiritu sancto vivit et regnat per infinita sæcula sæculorum, amen.

SERMO II.

De Natali Domini veniente.

In vet. editt. male inscribitur, Item de Natali Domini: *melius in cod. Lugd.* Sequentia de Natali Domini veniente; *unde intelligas moris fuisse in Lugd. Ecclesia, ut per plures Dominicas populum ad natalem Domini celebrandum præpararent sacerdotes. Licet porro in ms. Vind. tribuatur Augustino, et in quibusdam Ambrosio; melius tamen inter Maximianos referri potest, cum illius sermonis, qui in Rom. edit. quartus habetur, et Maximi esse probatus est, continuatio sit, quod Erasmus in margine advertisse etiam videtur* (Edit. Maur.).

S. Maximi romana editio, quæ hic supra nominatur, non est illa quæ Pio VI pont. max. auspice conflata est, ut patet per se, sed alia quæ hanc Ambrosii editionem præcesserat.

1. Satis abundeque[1] dixisse me credo superiore Dominica quemadmodum compti vel nitidi natalem Domini suscipere debeamus, et supervenientem festivitatem ejus omni ambitione retinere. Retinere, inquam, ut et si dies solemnitatis ejus transeat, apud nos tamen sanctificationis ipsius beatitudo permaneat: hæc enim gratia natalis est Domini Salvatoris, ut in futurum ad prædestinatos transeat, in præteritum remaneat ad devotos. Oportet ergo esse nos sanctitate puros, mundos pudicitia, nitidos honestate; ut quo diem festum advenire propinquius cernimus, eo accuratius incedamus. Si enim mulierculæ solent aliquas ferias suscepturæ, maculas vestium suarum aqua diluere; cur non magis nos excepturi natalem Domini, maculas animarum nostrarum fletibus abluamus?

2. Et[2] illæ quidem si adeo infectæ et obscuræ

[1] Codex Reg., *superiore tractatu.... et superveniente festivitate ejus ab omni ambitione abstinere iniqua, ita ut,* etc.

[2] Codex Lugd., *et illæ quidem reculæ si adeo infectæ et obscuræ sordibus fuerint;* Vind. autem, *Et illæ quidem si adeo infectæ res cellulæ fuerint;* duo alii.... *si adeo infectæ res sordibus fuerint.*

sordibus fuerint, ut maculas sola aqua non purget, addunt mollitiem olei, saponis etiam acrimoniam: nos quoque si tam grave peccatum fuerit, ut id minime solis fletibus abluatur, addamus misericordiæ oleo acrimoniam jejunii. Nullum enim tam grave delictum est, quod non purgetur abstinentia, eleemosynis exstinguatur; ait enim sanctus propheta: *Sicut aqua exstinguit ignem, ita eleemosyna exstinguit peccatum.* Magna ergo est eleemosyna, quæ ardentium criminum globos benevolentiæ suæ fonte refrigerat, et quodam irriguo largitatis obruit incendia delictorum; ut quamvis offensus Deus, quamvis criminibus provocatus, cogatur liberare eleemosynis, quem disposuerat punire peccatis. Cogitur enim a nobis quodammodo, dum compellitur pro actibus nostris mutare sententiam et in uno eodemque homine nunc severitate judicis permoveri, nunc patris pietate blandiri. Pater enim nobis Deus est, cum bene agimus: judex noster est, cum peccamus. Compellitur ergo operibus nostris Dominus, ut nobis suam misericordiam largiatur; atque ideo ipse in Evangelio sancto dicit: *A diebus Joannis Baptistæ regnum cœlorum cogitur.* Quæ sententia quem intellectum habeat, videamus.

Eccl. III, 33. Matth. XI, 12.

3. Regnum cœlorum non nisi Christus est Dominus, qui regnat in cœlis. Cogi autem verbum tunc solet dici, cum res aliqua rarior assidua operatione densatur. Ex quo ergo Joannes Baptista Salvatoris annuntiavit adventum, ex eo regnum cœlorum, quod prius fluidum et remissum apud Judæos jacebat, credentium populorum cœpit assiduitate densari, et omnis illa regni raritas prædicationum frequentatione solidari; tam enim rarum fuit apud Judæos regnum, ut transiret ad gentes: tam fluidum, ut emanaret ad populos. Nunc autem tanta credentium cogitur densitate, ut fixum et solidum maneat sine fine, sicut Scriptura dicit: *Et regni ejus non erit finis.* Cogimus ergo regnum cœlorum, et vim quodammodo facimus, sicut ait evangelica lectio: *Et vim facientes diripiunt illud.* Vim, inquam, facimus Domino,[1] non compellendo, sed flendo: non provocando injuriis, sed lacrymis exorando: non blasphemando per superbiam, sed per humilitatem mœrendo. O beata violentia! quæ non indignatione percutitur, sed misericordia condonatur: beata, inquam, violentia, quæ vim patienti bonitatem elicit, et utilitatem tribuit inferenti: mala res admittitur,[2] et de injuria nemo causatur: vis admittitur, et religio propagatur. Quisquis enim violentior Christo fuerit, religiosior habebitur a Christo. Aggredimur ergo in itinere Dominum si quidem ipse est via, et more latronum bonis eum suis exspoliare nitimur, cupimus illi auferre regnum, thesauros, et vitam: sed ille tam dives et largus est, ut non abnuat, non resistat; et cum omnia dederit, nihilominus omnia ipse possideat. Aggredimur, inquam, illum non ferro, non fuste, non saxo: sed mansuetudine, ac bonis operibus, et castitate.

Luc. I, 33. Matth. XI, 12. 1 2 Joan. X V, 6.

4. Hæc sunt arma fidei nostræ, quibus in congressione certamus. Ut autem his armis uti in vi inferenda possimus, ante corporibus nostris vim quodammodo faciamus:[3] expugnemus membrorum vitia, ut virtutum præmia consequamur: prius enim ipsi regnare debemus in nobis, ut regnum possimus diripere Salvatoris. Ait ergo Evangelium: *Et vim facientes diripiunt illud.* Raptores igitur sumus; raptores autem non nisi aliena diripiunt. Agnosco veram esse sententiam: Christum enim Ecclesia rapuit Synagogæ, et alienæ gentis regnum vim faciendo possedit. Nam Salvator missus sub Lege, natus sub Lege, nutritus juxta Legem, dum a Judæis negligitur, a gentibus occupatur; et dum[4] a sacerdotibus perditur, a peccatoribus invenitur, sicut ipse ait: *Publicani et meretrices præcedunt vos in regnum cœlorum.* Raptores igitur sumus.

Matth. X, 12. 4 Matth. XXI, 32.

5. Mirandum non est, quippe qui a tali auctore descendimus; scriptum est enim de patriarcha nostro Benjamin: *Lupus rapax;* rapit enim quod suum non est. Ita et nos velut filii rapacis lupi alienarum pastorem ovium nostra intentione præripimus, sicut ipse dicit: *Non sum missus, nisi ad oves perditas domus Israel.* Rapitur itaque Christus, cum a Judæis dimittitur, et ab alienigenis prædicatur. Rapitur Christus, cum occiditur a Judæis, et sepelitur a nobis. Rapitur Christus a vigilantibus discipulis, a dormientibus perditur pharisæis; sicut mentiendo ipsi confessi sunt, dum custodias ponerent sepulturæ, post resurrectionem Domini, dicentes: Quia discipuli ejus nocte venerunt, et furati sunt eum, nobis dormientibus. Unde spiritaliter intelligimus quia Christum omnes dormientes perdunt, vigilantes inveniunt; atque ideo Apostolus dicit: *Surge, qui dormis, et exsurge a mortuis, et illuminabit te Christus.* Vides ergo mortuum esse qui ita dormit, ut non custodiat Salvatorem; et ideo illi pharisæi velut mortui non potuerunt servare viventem. Propterea, fratres, non dormiamus, sed vigilemus circa ipsum Dominum nostrum Salvatorem; ut appositis jugiter custodiis, nemo illum auferat a sepultura pectoris nostri, nec dicamus aliquando: Venerunt, et dormientibus nobis, furati sunt eum. Habemus enim inimicos, qui Christum de cordibus nostris, si obdormierimus, auferre nitantur. Unde pervigili cura servemus eum in sepulcro animarum nostrarum; ibi perquiescat, ibi dormiat; ibi cum voluerit, resurgat.

Gen. XLIX, 27. Matth. XV, 24. Matth. XXVIII, 64. Ephes. V, 14.

6. Ergo,[5] fratres, natalem Domini suscepturi, ab omni conscientias nostras fæce mundemus; ac curemus nos non sericis vestibus, sed operibus pretiosis. Vestimenta enim nitida membra operire possunt, conscientiam ornare non possunt; nisi quod majoris verecundiæ est nitidum membris incedere, et pollutum sensibus ambulare. Interioris igitur hominis prius ornemus affectum, ut exterioris quoque sit amictus ornatus; spirituales maculas abluamus, ut in nobis carnalia fulgeant vestimenta. Nihil autem prodest fulgere vestimentis, et sordere flagitiis. Ubi enim tenebrosa conscientia est, totum corpus subobscurum est. Habemus autem quo conscientiæ maculas abluamus, sicut scriptum est: *Date eleemosynam, et omnia munda sunt vobis.* Bonum eleemosynæ mandatum, per quod manibus operamur, corde mundamur, præstante Domino

5 Luc. XI, 41.

[1] Codex Vind., *non contendendo.*

[2] Idem cod., *et de injuria nemo accusetur.*

[3] Nonnulli mss., *expurgemus membrorum vitia.*

[4] Reg. ms., *a sacerdotibus repellitur.* Idem etiam sequentia illa: *Raptores igitur sumus,* usque ad *Ergo, fratres, natalem,* prætermittit.

[5] *Ergo, fratres, natalem* et cætera quæ sequuntur ad finem usque, ex cod. Reg. et Vind. restituta sunt, cum in aliis et editt. desiderentnr.

nostro Jesu Christo, qui cum Patre et Spiritu sancto vivit et regnat in sæcula sæculorum, amen.

SERMO III.

In die natalis Domini I.

Aberat ex antiquis editionibus. Ambrosii procul dubio nihil præ se fert: verba autem illa, propter prolixitatem divini officii.... propter dissonantiam regum, *eidem minime conveniunt. Forte minus abhorreant a Cæsario, cujus ad stylum totus hic sermo satis accedit* (Edit. Maur.).

1. Domini nostri Jesu Christi, fratres, nativitatem celebrantes, videamus sensum hujus evangelicæ lectionis, quæ modo lecta est; dicit enim sanctus Evangelista Augusti Cæsaris edicto censum professum esse mundum universum, et ob hoc ascendisse Joseph a Galilæa de civitate Nazareth in Judæam in civitatem David, quæ vocatur Bethleem; ut ibi profiteretur cum Maria uxore prægnante, et pro utroque solveret censum, utpote
Luc. II, 1 et seq. de eadem familia. Tanta quippe fuit pax, Filio Dei apparente in carne, per duodecim annos, ut omnes, secundum Esaiæ vaticinium, *contunderent gladios*
Isai. II, 4. *suos in aratra, et lanceas suas in falces.* Ideo vero Filius Dei, auctor pacis, tempore pacis nascitur; ut omnes sequaces suos pacem amare doceret. Nam sicut Cæsar Augustus misit Cyrinum ad exigendum censum; ita Deus verus Augustus misit prædicatores in mundum ad censum fidei exigendum. Reddamus ergo, fratres, censum fidei et bonæ actionis. Nullus remaneat, omnes ascendamus de Galilæa, id est, de volubilitate mundi in Judæam, id est, rectæ confessionis regionem; quatenus Bethleem, id est, domus panis esse mereamur, illius videlicet, qui dicit: *Ego sum panis*
Joan. VI, 41. *vivus, qui de cœlo descendi.*

2. Narrat præterea Evangelium quia cum genuisset beata semper virgo Maria Christum, pannis ipsum involutum posuerit in præsepio: quæ nec mysterio vacant; voluit enim Christus pannis involvi, ut nos a laqueis mortis absolveret. Et bene dicit: *Ibant;* ut ostendat quod in via nascitur: hoc autem, quia viam nobis se ostendere venerat. Voluit in angusto præsepio poni qui venerat nobis regni cœlestis latitudinem præparare. Non in sericis vel in auratis pannis, sed in vilibus involvi voluit, qui nobis immortalitatis stolam reddere venerat. Iis astringi se permisit, qui nostros pedes et manus ad opera bona agenda solvere properabat. Quid ad hæc dicendum est, fratres? Exclamandum est cum Psalmista: *Quid retribuam Do-*
Ps. CXV, 12. *mino pro omnibus, quæ retribuit mihi?* Ille quidem invenit calicem, quem retribuet: nos vero reddamus quod possumus, id est, eleemosynas, vigilias, lacrymas, pacem: dimittamus in nos peccantibus, ut nostra nobis dimittantur a Deo peccata.

3. Pastores vero qui, nascente Dei Filio, supra gregem suum vigilabant, et angelos videbant, sanctos prædicatores significant: qui quo majorem curam habent animarum, eo frequentius angelica allocutione revelari merentur. Angelo vero apparente, pastores turbantur; quia humanæ naturæ est ad angelorum aspectum pavere, et bonorum est angelorum consolationem adhibere timentibus. Unde mox pastores alloquitur, dicens: *Nolite timere,* et subdit quare: *Ecce,* inquit, *evangelizo vobis gaudium magnum, quod erit omni populo.* Pulchre
Luc. II, 10. dicit: *Omni populo;* quia de omni populo venerunt ad fidem.

4. Uno itaque angelo cum pastoribus loquente, subito multitudo angelorum apparens hanc vocem emisit: *Gloria in altissimis Deo, et in terra pax hominibus bonæ voluntatis.* In quo facto moraliter
Ibid., 14 monemur, ut uno fratre legente, vel docente, vel quodlibet opus bonum agente, multitudo fidelium in laudem Dei prorumpat, et ad imitandum bonum quod cernit, assurgat. Apparente vero Filio Dei in carne, gloria in altissimis Deo canitur, et pax in terra esse hominibus bonæ voluntatis annuntiatur. Simus ergo et nos, fratres, bonæ voluntatis, quatenus in pace vivere mereamur.

5. Sensum tamen Evangelicæ lectionis et propter brevitatem diei, et prolixitatem divini officii sub brevitate perstringimus; ut vos monere possimus de his, quæ ad vestram specialiter salutem pertinent. Monendi enim sumus, ut afflictionem quæ nobis propter dissonantiam regum supervenit, nostris reputare studeamus peccatis. Ut ergo et ab ista persecutione, et ab æterna damnatione liberari mereamini, unusquisque quidquid in se reprehensibile recognoscit, in hac die in qua Filius Dei nascitur, corrigat, id est, qui fuit adulter, voveat Deo castitatem; qui avarus, largitatem; ebriosus, sobrietatem; qui superbus, humilitatem; qui detractor, charitatem voveat, et reddat, secundum illum psalmi versiculum: *Vovete, et reddite Domino Deo vestro.* Nos fideliter voveamus; ille dabit
Ps. LXXV, 12. possibilitatem solvendi.

6. Valde quippe honestum est, fratres, ut nullus sit qui non hodie Domino aliquid offerat. Regibus vel amicis susceptis munera damus, et creatori omnium ad nos venienti nihil dabimus? Nihil enim a nobis magis requirit, quam nosmetipsos. Offeramus ergo ei nos ipsos, quatenus et a præsentibus malis, et ab æternis cruciatibus, ipsius ineffabili pietati liberati, in cœlestis regni beatitudine suscepti, perpetuo valeamus gaudere; præstante ipso Domino ac redemptore nostro Jesu Christo, cui est omnis honor et gloria cum Patre et Spiritu sancto per infinita sæcula sæculorum, amen.

SERMO IV.

De natali Domini Salvatoris II.

Videtur e sermonibus diversorum Patrum compilatus, maxime vero Augustini; non solum enim in ejus libro Quæst. 83, quæst. 58, *verum etiam in ejusdem sermonibus 188 et 194 novæ edit., non pauca reperias, quæ tibi persuadeas in hunc sermonem esse translata. Eumdem etiam si cum Hieron.* Comment. in cap. IV ad Galat. *nec non cum sermonibus 98 et 197 append. August. composueris, compilatum esse nobiscum fateberis* (Edit. Maur.).

1. Verum est quod ait sanctus Joannes Baptista de Domino Salvatore, dicens: *Illum oportet crescere, me autem minui.* Si quidem hoc primum
Joan. III, 30. etiam ipsis temporibus approbatur; ecce enim in nativitate Christi dies crescit, et Joannis nativitate decrescit: illo oriente lux proficit, hoc nascente minuitur. Ipsa enim quodammodo tempora famu-

1 lantia partibus suis[1] detrimentum patiuntur, cum servus gignitur: cum autem Dominus nascitur, consequuntur augmentum. Profectum plane facit dies, cum mundi Salvator oritur: defectum patitur, cum ultimus propheta generatur; scriptum est enim: Luc. XVI, 16. *Lex et prophetæ usque ad Joannem.* Atque ideo necesse erat ut obscuraretur Legis observatio, 2 ubi evocatio,[2] ubi Evangelii gratia refulgebat; et cessaret prophetia veteris Testamenti, cum novi Testamenti gratia succedebat. Ergo in nativitate Domini proficit dies.

3 2. Non mirum si proficit dies,[3] in qua novus justitiæ sol coruscat: non mirum si proficit dies, quam splendidissima lux veritatis illuminat; ait enim evangelista de Christo Domino: *Erat lux* Joan. I, 9. *vera, quæ illuminat omnem hominem.* Igitur si erat lux vera, quæ illuminat hominem, cur non illuminaret mundum? Atque ideo dies, quæ lucem humano generi peperit, prius ipsa ejusdem lucis fulgore resplenduit, et conclusa jam spatia sua noctium tenebras Dominicæ lucis nitore discussit. Occupaverat enim totam diem noctium longitudo, nisi in ipsa diei brevitate Christi refulsisset adventus: qui sicut ortu suo humani generis peccatorum tenebras discussit; ita et die nativitatis suæ caliginum tenebras amputavit, et uno eodemque ortu lucem pariter intulit et hominibus et diebus. Unde non est mirum si crescit dies, quæ gemino fulgoris splendore vestitur.

3. Sed videamus adhuc quomodo Dominus Sal- 4 vator crescat, Joannes Baptista decrescat.[4] Diximus in superioribus quod Joannes quidem figuram Legis prophetarumque gestaverit: necesse erat ergo ut deficeret Lex, Evangelio coruscante; et minueretur Judaicus populus, populo christiano surgente. Quis enim dubitat nativitate Domini, Synagogæ esse conventicula vacuata, plebes multiplicatas Ecclesiæ, et mirum in modum quotidie Christum per christianos suos crescere, Joannem minui per Judæos? hos diei Dominici splendore fulgere, illos obscuritate noctium laborare? Nox enim super Judæos quodammodo major incubuit, ex quo dixerunt de nece Salvatoris: *Sanguis hujus super nos, et super* Matth. XXVII, 25. *filios nostros.* Majoribus plane sunt noctium tenebris obscurati, ex quo conati sunt diem veritatis occidere.

4. Hoc autem quod dicimus, ut verius approbare possimus, utriusque nativitatem breviter exponamus. Ecce enim cum nascitur Christus, exsultant angeli, pastores pervigilant, Magi adveniunt, stella præcedit; et cuncta quæ sunt in cœlis terrisque pulcherrima, ipsi Domino deferuntur. Deferuntur enim illi gloria per angelos, claritas per stellam, religio per magos, simplicitas per pastores: et quod apud ipsum solum futura essent hæc omnia, ideo nascenti illi universa famulantur. Cum autem Joannes concipitur, Zacharias obmutescit, solemnis conticescit sacerdos, Elizabeth mater absconditur, significans post ortum suum Legis silentium, amissionem sacerdotii, latebras Synagogæ. Dubium autem

A non est quod Joannes natus pharisæis justitiam Legis abstulerit, quod conceptus patri abstulit vocis obsequium. Crescit igitur Dominus semper, Joannes Baptista minuitur.

5. Non ideo minuitur, quod meritis aliquid derogetur: sed quoniam Salvatoris quotidie accumulatur gloria, illius minor fieri videtur. Lucerna denique vocatur Joannes, dicente Domino: *Ille erat lucerna ardens.* Lucernæ igitur obscuratur lumen Joan. V, 35 cum radius solis effulget; et defectionem quamdam B lampadis suæ patitur, cum clarioris lucis splendore superatur. Quis enim sapiens lucernam requirat in sole? Non quidem exstinguitur, sed necessaria non habetur: hoc est, quis ad Joannis pœnitentiæ baptismum veniat, cum possit Salvatoris baptismo salvari? Non quidem illud reprehenditur; sed hoc magis utile et necessarium judicatur,[5] quia in eo 5 remissio peccatorum tribuitur.

SERMO V.

C

De natali Domini III.

In eo locus num. 4 legitur, quem ex Ambrosii Comment. in Luc. *lib.* II, *num. 50, expressum minime dubitamus: quæ autem ab illis num. 6 verbis,* Quid enim tam silenter, *ad finem usque continentur, extra controversiam est totidem verbis exscripta esse ex* Comment. in psal. LXXI, *quod Rufino perperam tribui solet* (Edit. Maur.).

D 1. Qua gratia, vel quibus laudibus hunc diem natalis Domini prædicem,[6] prorsus ignoro; in tanta 6 enim festivitate ad magnificandum Deum humana loquela non sufficit. Nam si tunc cum nascebatur Christus, angelorum voce laudatus est, numquid non magis nunc humana laudandus est voce, cum regnat? Supergreditur enim illius temporis festivitatem nostra solemnitas: siquidem[7] tunc stupue- 7 runt illi tantum nascentem Dominum; nos illum suspicimus nascentem, resurgentem pariter et re- E gnantem. Tanto igitur fecundior laudatio esse debet hujus temporis, quanto sunt majora miracula.

2. Sed quoniam dignam prædicationem exhibere non potest humana fragilitas, ad angelorum nos præconia conferamus; et quia merito eos æquiparare non possumus, devotione comitemur; hoc est, in ea festivitate, eadem qua illi lætitia, nos sententia persultemus, dicentes: *Gloria in excelsis Deo, et in terra pax hominibus bonæ voluntatis.* Luc. II, 14 Digna plane et justa sententia, quæ in nativitate F Christi et Deo honorem repræsentat in cœlis, et hominibus pacem repræsentat in terris; ante Salvatoris enim ortum nec cœlestia reverentiam deferebant, nec terrena requiem possidebant. Sed videte quid dicat ipsa sententia: *Pax hominibus bonæ voluntatis.* Non quibuscumque hominibus, sed bonæ Ibid. voluntatis hominibus; ut intelligas pacem Christi non debiti esse, sed meriti;[8] non enim eam me- 8 retur conditio, sed voluntas.

[1] Omnes edit. cum Lugd. cod., *cum detrimentum faciunt, servus gignitur.... consequitur augmentum;* aliis mss. concinnius, ut nos in textu.

[2] *Ubi evocatio,* deest in mss. tribus; et pro *gratia refulgebat,* in Lugd. habetur, *gloria refulgebat.*

[3] Restituimus e cunctis mss., *in qua novus.... si proficit dies.*

[4] Rom. edit. sola, *Diximus alibi.*

[5] In cod. Lugd. desideratur hæc sententia, *quia in eo,* etc.

[6] Edit. quædam Paris., *natalem Domini præcedamus;* aliæ omnes, *prædicemus:* mss. vero *prædicem.*

[7] Mss. aliquot, *tunc susceperunt illi.* At infra ubi omnes edit. ac plures mss., *suscipimus nascentem;* melius codex Lugd., *suscipimus nascentem.*

[8] Vet. edit., *non enim eam meriti angeli in ea nocte, quam pastores nascentem Dominum super gregem suum vigilias observantes, primi præ omnibus didicerunt.... intimantibus angelis cognoverunt. Unde mirum est quod prius*

3. Hac persultarunt angeli in illa nocte, qua pastores nascentem Dominum super gregem suum vigilias observantes, præ omnibus primi didicerunt: ipsi enim primi ortum Salvatoris ante omnes homines, nuntiantibus angelis agnoverunt. Unde non mirum est quod redemptionem sæculi ante pastores sæculi potuerunt scire, quam principes: non enim angeli nuntiaverunt regibus, non judicibus, sed hominibus rusticanis. Non ergo jam mirandum si Christi gratiam ante scire meruerit innocentia quam potestas: et prius cognoscere veritatem simplex rusticatio, quam superba dominatio: quod enim cognoverunt pastores, principes cognoscere nequiverunt. Unde et beatus Apostolus ait: *Quem nemo*
I Cor. II, 8 *principum sæculi ejus cognovit,* et reliqua. Ergo in nativitate Domini angeli pariter cum pastoribus sunt lætati, excelsam Deo dicentes gloriam; nam vicinis quodammodo et junctis choris Dei gloriam prædicaverunt.

4. Unde et credo eosdem angelos in ejusdem Domini eadem festivitate simili nobiscum lætitiæ vicinitate gaudere; nam qui solent propter Christi ortum alloqui pastores, non possunt propter ejusdem Christi gaudium non inquirere sacerdotes. Siquidem et quod tunc ad illos super gregem suum vigilias observantes nocte intempesta locuti sunt, hujus temporis mysterium designabat. Nam illo facto hoc utique monstrabatur, gregem populum, noctem sæculum, sacerdotes esse pastores, qui jugi super plebem sollicitudine vigilantes propter Christum ab angelis minime deseruntur.

5. Hodierna igitur die secundum carnem natus est Dominus, ita secreto, ita silentio, ut ortum ejus sæculum penitus ignoraret. Ignoravit enim sæcu-
1 lum; quia et extra conscientiam[1] patris natus est, et extra ordinem naturæ conceptus. Nam Joseph conceptum suscepit filium, quem non genuit: Maria partum posuit, quem sexus consuetudine non creavit. Sic igitur natus est Dominus, ut ortum ejus nemo futurum suspicaretur, nemo crederet, nemo sentiret. Quemadmodum crederent hoc futurum, quod posteaquam factum est, factum esse vix credunt?

6. Nam quod ita latenter et secreto Salvator descensurus esset in Virginem, jam ante David propheta testatus est, dicens: *Descendet sicut pluvia*
Ps. LXXI, 6. *in vellus.* Quid enim tam silenter et sine strepitu fit, quam cum imber in lanæ vellus infunditur? Nullius aures sono verberat, nullius corpus humore
2 repercussi[2] roris aspergit; sed sine inquietudine omnium totum imbrem per multiplices effusum partes toto corpore in se trahit, unius meatus scissuram nesciens, solida mollitie plures præbens meatus; et quod clausum videtur per densitatem, est patulum per tenuitatem.

7. Recte ergo Mariam velleri comparamus, quæ ita concepit Dominum, ut toto eum hauriret corpore, nec ejusdem scissuram corporis pateretur: sed esset mollis ad obsequium, solida ad sanctimonium. Recte, inquam, Maria velleri comparatur, de cujus fructu salutaria populis vestimenta texuntur. Vellus plane Maria est; siquidem de molli sinu ejus agnus egressus est, qui et ipse matris laniciem, hoc est, carnem gestans, molli vellere cunctorum operit vulnera populorum. Omne enim peccati vulnus Christi lana suffunditur, Christi fovetur sanguine; et ut sanitatem recipiat, Christi indumento vestitur.

SERMO VI.

De natali Domini IV.

Tolus ferme in eo versatur, quod natalis Domini eo tempore sol novus dicebatur, id est, annus novus; quandoquidem ab ea die annus quondam incipiebat. Videtur autem ejusdem auctoris esse hic sermo, cujus est quartus superiorum, cum sub finem ejus admodum similia eis legantur, quæ de lucerna solis prævia hic disseruntur. Quod autem de fabro habemus infra num. 7, in serm. 135 Aug. Append. reperire est: sed illud quoque ductum videtur ex Ambrosio in Lucam, lib. III, *circa initium. Unde forte an hujus sermonis auctorem esse beatum Maximum liceat conjicere* (Edit. Maur.).

1. Bene quodammodo sanctum hunc diem natalis Domini solem novum vulgus appellat, et tanta sui auctoritate id confirmat, ut Judæi etiam atque gentiles in hac voce consentiant. Quod libenter amplectendum nobis est; quia oriente Salvatore non solum humani generis salus; sed etiam solis ipsius claritas innovatur, sicut ait Apostolus: Ut per ipsum *restauraret omnia, sive quæ in cœlis, sive quæ in terra sunt.* Si enim obscuratur sol Ephes I, 10
cum Christus patitur; necesse est illum splendidius solito lucere cum nascitur. Et si Judæis mortem operantibus offundit tenebras, cur non Mariæ par- Luc. XXIII, 45.
turienti vitam, exhibeat claritatem? Aut quare non credamus quod, nascente Christo, sol ad obsequium lucidior advenerit, cum Magos ad indicium clarior stella præcesserit? Et si stella per diem alieni temporis officium ministravit; cur non credamus quod sol quoque nocturnis horis aliquantulum adventu maturiore decerpserit? Ex eo denique factum puto, ut nox decresceret, dum sol festinus ob dominicæ nativitatis obsequium ante mundo lucem protulit, quam nox cursum sui temporis consummaret.

2. Quin potius ipsam noctem fuisse non dico, nec aliquid obscuritatis habuisse, in qua pastores pervigilant, exsultant angeli, astra deserviunt. Nec mirari debemus quod in nativitate Christi nova omnia facta sunt, cum novum hoc ipsum fuerit, quod Virgo peperit. Si autem præter solitum nativitas exstitit, et præter solitum obsequia sunt delata. Ergo oriente Domino, pastores pervigilant, exsultant angeli, sol obsequitur, stella famulatur.

redemptionem sæculi potuerunt scire, quam principes.... Non ergo jam mirandum est. Rom. edit., *non enim eam meretur conditio, sed voluntas. Hanc pastores ea nocte, qua nascente Domino, super gregem vigilias observabant, præ omnibus primi audierunt.. Ipsi Salvatoris ortum primi ante omnes homines, intimantibus angelis, cognoverunt; angeli enim non regibus, non judicibus, sed hominibus rusticanis sæculi redemptionem prius annuntiaverunt. Nec mirum, si,* etc. Nos locum e mss. tribus restituimus.

[1] Rom. edit. sola, *patris conceptus, et.... naturæ natus.* Consequenter autem ubi omnes edit. ac mss. nonnulli, *nam Joseph conceptum,* Cod. Lugd. ac Silv. vocem *conceptum* non agnoscunt. Postremo ubi omnes edit., *partum edidit,* omnes mss. præferunt, *partum posuit.*

[2] Omnes edit., *repercussionis aspergit: sed sine inquietudine hominum;* Rom., *ovium totum,* etc.; omnes mss. ut in contextu, nisi quod pro *roris,* in Lugd. habetur, *foris.* Non recte.

Et quidem angeli vel pastores gaudia sua voce vel sermonibus prosequuntur: elementa autem ista
1 gaudia sua,[1] quia voce non poterant, officio protestantur. Sol igitur præter consuetudinem in hac festivitate matutinus illuxit. Nec mirum. Si enim
Josue x, 13. ad Jesu Nave orationem defixus stetit in die, cur non ad Jesu Christi nativitatem festinus promoveret in nocte?

3. Solem igitur novum hanc diem vulgus appellat; et cum dicit novum, utique et veterem esse demonstrat: veterem autem dixerim hujus mundi solem, qui defectionem patitur, qui parietibus excluditur, qui nubibus obscuratur: veterem dixerim solem, qui vanitati subjacet, qui corruptionem metuit, qui judicium pertimescit. Scriptum est enim: *Sol convertetur in tenebras, et luna in sangui-*
Joel. ii, 31. *nem.* Veterem, inquam, dixerim, qui sceleribus interest hominum, facta adulteria non refugit, homicidium non declinat. Et cum omne genus hominum nolit esse medium, cum aliquod crimen admittitur, hic solus in cunctis facinoribus stat.

4. Ergo quia hunc veterem esse manifestum est, novum quem nisi Christum Dominum reperiemus?
2 de quo scriptum est:[2] *Orietur vobis sol justitiæ;*
Malach. iv, 2. de quo etiam ex persona peccatorum dicit propheta: *Sol non est ortus nobis, et justitiæ lumen*
Sap v, 6. *non luxit nobis.* Hic enim sol, cum diaboli tenebris universus mundus esset oppressus, et caligo referta criminibus sæculum possideret, dignatus est ultimo tempore, hoc est, incumbente jam nocte, ortum suæ nativitatis infundere. Primo quidem ante lucem, hoc est, antequam illuminaret justitiæ sol, velut matutinum quoddam prophetarum misit oraculum, sicut scriptum est: *Mittebam prophetas*
Jerem. vii, 25. *meos ante lucem.* Postea vero ipse cum suis radiis, hoc est cum apostolorum suorum fulgore resplenduit, ac tanta mundi caliginem veritatis luce
3 discussit,[3] ut in diaboli tenebris nullus offenderet.

5. Hic est igitur sol novus, qui claustra penetrat, inferna reserat, corda rimatur. Hic novus est sol, qui Spiritu sancto vivificat mortua, corrupta reparat, suscitat jam defuncta: vel qui calore suo purgat sordida, exurit fluida, decoquit vitiosa. Ipse, inquam, est qui in cunctis actibus nostris perspicit omnia opera nostra, et non tam condemnat crimina, quam emendat. Hic plane est sol justus et sapiens, qui non sine discretione, sicut istius mundi sol, bonis ac malis similiter circumfertur: sed quodam judicio veritatis, sancto lucet, occidit peccatori. Hoc autem inter utrumque interest solem, quod ille judicium metuit, hic judicium comminatur; quod ille corruptionis minister est, hic æternitatis est Dominus; quod ille creatura est, hic creator.

6. Tamen istum mundi solem, priusquam oriatur, adhuc ante lucem propter necessarios usus hominum solet lucerna præcedere. Habet autem et
4 Christus sol lucernam suam,[4] quæ eum præcessit, sicut dicit Propheta: *Paravi lucernam Christo*
Ps. cxxx, 17. *meo.* Quæ autem ista lucerna sit, ostendit Dominus,

A dicens de Joanne Baptista: *Ille erat lucerna ardens et lucens.* Ipse autem Joannes, ut præcedens Joan. v, 35.
lucernæ lumen exiguum ait:[5] *Ecce post me venit,* 5
cujus non sum dignus solvere corrigiam calceamentorum ejus, ipse vos baptizabit in Spiritu sancto et igni. Simul etiam intelligens lumen suum Luc. iii, 16.
solis radiis offuscandum, ante prædicit: *Illum oportet crescere, me autem minui.* Sicut enim Joan. iii, 30.
lucernæ claritas destruitur solis adventu, ita et Joannis pœnitentiæ baptismum superveniente Christi
B gratia vacuatum est.

7. Videamus igitur hic sol noster novus quo fonte nascatur. Sicut est verum, Deo oritur auctore: divinitatis ergo est filius; divinitatis, inquam, incorruptæ, integræ, illibatæ. Intelligo plane mysterium; ideo enim secunda nativitas per immaculatam Mariam, quia prior per divinitatem constiterat illibata; ut cui prior nativitas gloriosa exstitit, ejus secunda contumeliosa non fieret: hoc est, ut quemadmodum virgo illum divinitas ediderat, ita eum et virgo
C Maria generaret. Habere etiam apud homines patrem scribitur, sicut legimus in Evangelio dicentibus pharisæis: *Nonne hic est filius Joseph fabri,*
et mater ejus Maria est? In hoc quoque adverte Matth. xiii, 55.
mysterium. Faber pater dicitur Christi. Et plane faber Pater Deus, qui totius mundi opera fabricatus est; et plane faber, sed qui in diluvio Noe arcam fabricare disposuit. Faber, inquam, est qui ordinavit Moysi tabernaculum, arcam Testamenti instituit, templum Salomonis erexit. Fabrum
D dixerim,[6] qui mentes rigidas emollit, cogitationes 6
superbas rescindit, humilia facta sublimat. Hic autem faber circa arbores curvo utitur ferramento, sicut in Evangelio legimus, dicente Joanne: *Jam securis ad radicem arborum posita est. Omnis arbor*
non faciens[7] *fructum excidetur, et in ignem* 7
mittetur. Hoc enim agit totum, ut utiles cœlestis Matth. iii, 10.
fabricæ arbores[8] in structura componat, infructuosas vero evulsas radicitus flammarum consumat incendio. 8

E

SERMO VII.

De kalendis Januariis.

Cum ludos ac profanas ceremonias ad celebrandum hunc diem a gentilibus institutas per aliquot sæcula christiani non pauci retinerent, maxima fuit cura SS. Patrum, ut ipsos tum in synodis, tum in concionibus ab hujusmodi deterrerent. Illud e conc. Trull. can. 62,
F *Turon.* ii, *can. 17 et Tolet.* iv, *can. 11 clare cognoscitur; ac varii sermones a Chrysostomo, Augustino, Maximo et aliis in eam rem habiti confirmant. Citatur quoque ab Ivone Carnut. sermo Ambrosii de hoc argumento, cujus quidem priora verba cum hoc sermone non conveniunt, alia satis congruunt. Sed sive hanc concionem, sive aliam ille viderit, neutram putamus Ambrosianam; non enim istas superstitiones obtinuisse Mediolani crediderimus,*

[1] Lugd. codex, *qua voce poterant.*

[2] Codex Valliscl., *orietur nobis,* etc.

[3] Ita mss.; at omnes edit. e contrario, *ut diaboli tenebra nullus offenderet.*

[4] Omnes edit., *quæ ejus ortum præcessit;* omnes mss., *quæ eum præcessit.* Et iterum omnes edit. cum Lugd. cod., *lucerna lucens;* codex Valliscl., *lucerna ardens;* melius Silv., *lucerna ardens et lucens*

[5] Rom. edit. sola, *Veniet fortior me, cujus,* etc.

[6] Omnes edit. ac duo mss., *qui mentes rigidas expolit;* melius tamen cod. Valliscl., *emollit.*

[7] Rom. edit. sola, *non faciens fructum bonum.*

[8] Editt. cum ms. Lugd., *in futuro componat:* Optime cod. Vall. et Silv., *in structura componat.*

cum in veris illis sermonibus, ex quibus primi voluminis tractatus constant, nusquam in illas invectus fuerit sanctus Antistes. Vide super hoc quæ tom. I, lib. II, de Interpell. David *cap. 1, num. 5, subnotavimus. Adde quod et in mss. pluribus Augustino tribuatur* (Edit. Maur.).

1. Est mihi adversus plerosque vestrum, fratres, querela non modica: de his loquor qui nobiscum natalem Domini celebrantes, gentilium se feriis dederunt, et post illud cœleste convivium superstitionis sibi prandium præpararunt; ut qui ante lætificati fuerant sanctitate, inebriarentur postea vanitate, ignorantes quod qui vult regnare cum Christo non possit gaudere cum sæculo: et qui vult invenire justitiam, debeat declinare luxuriam. Alia enim ratio est vitæ æternæ, alia desperatio lasciviæ temporalis: ad illam virtute ascenditur, ad istam perditione descenditur.

2. Atque ideo qui vult esse divinorum particeps, non debet esse socius idolorum; idoli enim portio est inebriare vino mentem, ventrem cibo distendere, saltationibus membra torquere; et ita pravis actibus occupari, ut cogaris ignorare quod Deus est. Unde sanctus Apostolus hæc prævidens dicit: *Quæ portio justitiæ cum iniquitate? aut quæ societas luci cum tenebris? aut quæ pars fideli cum infideli?*
II Cor. VI, 14. *quis autem consensus templo Dei cum idolis?* Ergo si nos sumus templum Dei, cur in templo Dei colitur festivitas idolorum? cur ubi Christus habitat, qui est abstinentia, temperantia, castitas, inducitur comessatio, ebrietas, atque lascivia? Dicit enim Salvator: *Nemo potest duobus dominis ser-*
Matth. VI, 24. *vire,* hoc est, Deo et mammonæ. Quomodo igitur potestis religiose epiphaniam Domini procurare, qui jam kalendas, quantum in vobis est, devotissime celebratis?

3. Janus enim homo fuit unius conditor civitatis, quæ Janiculum nuncupatur, in cujus honorem a gentibus kalendæ sunt januariæ nuncupatæ; unde qui kalendas januarias colit, peccat; quoniam homini mortuo defert divinitatis obsequium. Inde est quod ait Apostolus: *Dies observatis, et menses, et tempora, et annos; timeo ne sine causa labo-*
Galat. IV, 10. *raverim in vobis.* Observavit enim diem et mensem, qui his diebus aut non jejunavit, aut ad ecclesiam non processit: observavit diem, qui hesterna die non processit ad ecclesiam, processit ad campum. Ergo, fratres, omni studio gentilium festivitatem et ferias declinemus; ut quando illi epulantur et læti sunt, tunc nos simus sobrii atque jejuni; quo intelligant lætitiam suam nostra abstinentia condemnari.

4. Non solum autem gentilium, sed et Judæorum consortia vitare debemus, quorum etiam confabulatio est magna pollutio. Hi etenim arte insinuant se hominibus, domos penetrant, ingrediuntur prætoria, aures judicum et publicas inquietant; et ideo magis prævalent, quo magis sunt impudentes. Hoc autem non recens in ipsis, sed inveteratum et originarium malum est. Nam olim etiam Dominum Salvatorem intra prætorium persecuti sunt, et præ-
Matth. XXVII, 2 et seq. sidis eum judicio condemnarunt. In prætorio ergo a Judæis innocentia opprimitur, secretum proditur, religio condemnatur. Dum enim Christus occiditur, omnis in eo veritas et justitia condemnatur; quoniam ipse est innocentia, religio sanctitatis, atque mysterium.

SERMO VIII.

De sancta Epiphania I.

In Appendice August. sermo exstat num. 135, cum quo hic noster in eo congruit, quod de festorum frequentia dicit. Majorem adhuc inter hunc et primum Maximi in illis advertimus cognationem, queis in utroque aquæ in vinum conversionem corporum resurrectionis symbolum esse ostenditur. Hinc conjicimus auctorem amborum eumdem esse. Et sane huic sermoni ad marginem editionis Erasmi auctor ascribitur idem Maximus: cujus etiam inter sermones unus de festo Paschæ eisdem prorsus, quibus hic ipse, verbis incipit (Edit. Maur.). Dignum præcipue animadversione est, in ultimo hujus sermonis numero insigne occurrere de reali Christi præsentia in Eucharistia testimonium.

1. Exsultandum nobis est, fratres charissimi, quod votis nostris vota succedunt, quod gaudiis gaudia cumulantur: ecce enim adhuc natalis Dominici solemnitate corda nostra persultant, et jam festivitate sanctæ Epiphaniæ gloriamur. Gratias igitur agere debemus Domino, qui nos frequenter visitat, ut sæpe lætificet;[1] frequentiusque requirit, ut numerosius benedicat. Quamvis igitur gentiles, licet vane, numerosa solemnitate lætentur propter diversitatem deorum suorum; tamen plures nobis festivitates præstat unius Dei visitatio, quam illis multorum dæmonum superstitiosa præsumptio. Nam sicut eos veritate religionis vincimus, ita votorum numero superamus.

2. Epiphaniæ ergo hodie procuramus gaudia. Quærat forte aliquis quid interpretetur hoc verbum, scilicet[2] quia ἐπιφαίνειν græce, latine dicitur apparere. Ergo quia tunc primum apparuit Salvator in mundo, ipsa dies eodem vocabulo Epiphania nuncupata est.

3. Quomodo autem apparuerit requiramus, non quod in mundo ante non fuerit, cum mundus per ipsum factus sit: sed quod tunc primum signis Joan. I, 10
atque miraculis credentium cordibus Christus Deus illuxerit, et in tenebrosas conscientias hominum fidei splendor advenerit. Cum igitur Deus ubique sit, et universa possideat, tamquam non visus antea, apparuisse dicitur. Apparuit autem non tam oculis hominum, quam saluti: nam etsi prius natus ex Virgine oculis carnalibus videbatur, tamen non apparebat; quoniam virtutem ejus adhuc fidei acies ignorabat. Unde Judæis per prophetam dicitur: *Videntes videbitis, et non videbitis,* hoc est, Sal- Isai. VI, 9.
vatorem quem cernerent oculis corporalibus, spiritali lumine non viderent. Postea enim quam divinitatem suam mirabilibus declaravit, humanis mentibus tamquam novus et inopinatus apparens, oculos quosdam cordis infudit; ut cognosceret sensus, quem non cognovit aspectus. Unde fit ut nos Christum Dominum per fidem, quem numquam

[1] Vet. editt., *copiosius requirit:* tres mss., *conscius requirit;* Rom. edit., *frequentius repetit;* codex Lugd. ut nos in textu.

[2] Omnes mss., *scilicet quia Epiphania græce, latine dicitur apparere:* Eras. et Gill., ... *dicitur apparitio:* Rom. edit., *scilicet, epiphania quia ἐπιφαίνειν græce,* etc. Nos Amerbachii lectionem anteponimus.

vidimus, contemplemur; Judæi quem perspexerunt oculis, palpaverunt manibus, hodie usque non videant.

4. Requiramus igitur quod signum operatus sit, ut divinitatem suam populis declararet. Dicitur hoc primum fecisse miraculum, ut aquam mutaret in
Joan. II, 11. vinum. Magnum plane signum, et ad Dei credendam sufficiens majestatem. Quis enim non miretur in aliud quam erant, elementa esse translata? Nemo enim potest mutare naturam, nisi qui dominus est naturæ.

5. Credendum est jam ex hoc mortalem hominem in immortalitatem posse converti, quando vilis substantia in pretiosam est conversa substantiam. Nolo enim, auditor, nomina tantum perspicias vini et aquæ, sed, si vis potentiam comprobare, virtutem rerum aspice; facto enim hoc altius nescio quid demonstratur. Nam cum Dominus aquam vertit in vinum, non tam hoc operatur, ne discumben-
1 tibus desit ebrietas, sed ut credentibus[1] fiat æternitas. Siquidem propterea in mundum venerit Christus, non ut conviviorum cellaria procuraret, sed ut saluti hominum provideret; nec ut hydrias substantia boni odoris impleret, sed ut animas gratia sancti Spiritus irrigaret. Ergo cum ille ex vili aqua vini optimi saporem voluit gustare convivas, magis voluit ex hac vili carne resurrectionis cælestis sapientiam gustare credentes.

6. Nam hoc signum totum utique resurrectionis mysterium continet: aqua enim vilis, pallida et frigida, in vinum versa, scilicet pretiosum, rubrum,
2 vel ignitum, hoc significat hominis[2] substantiam, mortalem conditione, vilem imbecillitate, pallentem morte, in resurrectione in gloriam commutandam, quæ est æternitate pretiosa, gloria colorata, spiritu immortalitatis ignita. Hoc igitur dignum est credere Dominum operari voluisse, ut per hoc terrenum signum, futurum jam tunc a sapientibus cœleste mysterium videretur. Nam si mirabile est utique, quæ defecerant convivis, vina supplesse; quanto est mirabilius vitam, quæ est exhausta, hominibus reparasse! Et si gloriosum est aquam in vinum mutare, quanto est gloriosius peccata in justitiam commutare, et mores potius temperare, quam pocula!

7. Audeo dicere illas hydrias non solum illi convivio, sed universo mundo pretiosam illam ministrare substantiam, nisi quod nobis melius administrant. Constat enim ex ipsis vasculis illos hausisse ebrietatem, nos haurire justitiam: illos percepisse vini poculum, nos calicem salutis accipere; et si dici fas est, apud illos pertransisse quod biberant; apud nos vero permanere quod sumpsimus.

SERMO IX.

De sancta Epiphania II.

Quod hic dicitur de apostolis, viso miraculo, in Christum credentibus, cum in sermone superiori non habeatur, ad alium referri manifestum est. Idem autem illud habetur in sermone Maximi de hoc ipso festo, sicut et alia quædam, quibus ille cum hoc et superiori non parum convenit; unde trium illorum non diversum scriptorem esse conjectura fit. Hæc porro verba: Et si interdum vigorem, *quæ cum superioribus male cohærent, in codicibus Lugdun. et Vallis Claræ novum sermonem exordiuntur. Quod vero ad auctoris de vocis debilitate querimoniam, jam nos ad librum* I de Sacram., *cap. 6, annotabamus eam plurimis concionatoribus esse communem. Quem locum ipse consulas licet* (Edit. Maur.).

1. Meminit[3] sanctitas vestra, fratres, superioris prædicationis nostræ, qua descripsimus beatos apostolos uno viso miraculo, hoc est, aqua in vinum a Salvatore conversa in eum protinus credidisse; ita enim ait Evangelista de Domino: *Et manifestavit gloriam suam, et crediderunt in eum discipuli ejus.* Quod factum non ideo tantum scriptum est, Joan. II, 12
ut illorum sub quibus factum est, fidei gloria monstraretur; sed et propter nos, qui eodem devotionis exemplo credulitatis gloria provocamur. Christus enim quod operatus est, non illis tantum operatus est, quos habebat tunc præsentes; sed et nobis postea secuturis, ut licet majores nostri tempore nos præcederent, tamen signorum gratia non præirent. Quæ enim illis exhibita est præsentium rerum in mirabilibus virtus, eadem virtus nobis est litterarum thesauro conservata; ut nobis præstaret
pagina, quod in illis gerebat historia:[4] immo nobis gereretur quidquid in nobis insinuante Scripturarum speculo dictaretur, et potentiam Domini, quam illi carnalibus oculis cernerent, nos spiritali lumine videremus.

2. *Et manifestavit,* inquit, *gloriam suam discipulis suis et crediderunt in eum discipuli ejus.* Quam bene potentiam Domini subsequitur devotio servulorum; et quod magister docet opere, discipuli corde describunt![5] Ecce vobis jam credentibus virtus operantis manifestatur, et fides credentium apostolorum manifesta prædicatur. Prædicanda plane apostolorum fides, quæ viso uno signo, credidit in omnipotentiam Salvatoris: et apostoli dum mirantur aquam in vinum versam, ipsi ex omni fæce peccatorum similiter sunt conversi, et ad instar facti miraculi ex vili superstitione gentilium in pretiosam devotionem credentium sunt translati. Et ut aqua in vinum versa, sapore, rubore, et calore conditur, ita scientiæ, quod erat in his insulsum, accepit saporem: quod pallens, gratiæ sumpsit colorem: quod frigidum, incaluit immortalitatis ardore.

3. Magnificanda igitur apostolorum fides, quæ ideo evangelico sermone descripta est, ut et illis esset ad laudem, et nobis proficeret ad exemplum. Sed quod pejus est, illis laus sua permanet, nos exempla non permovent; nam quanto posteriores sumus tempore, tanto et inferiores merito. Illi enim

[1] Vet. editt., *sit æternitas;* Rom., *abundet æternitas.* Et infra omnes edit., *non ut convivarum cellaria;* mss. utrobique, ut in contextu.

[2] Vet. editt., *substantiam conditione vilem: imbecillitate pallentem, morte in resurrectione;* Rom. edit., *morte frigentem, in resurrectione;* mss. vero nobiscum faciunt.

[3] Codex Reg. præmissis aliquot versibus Evangelii, hanc homiliam ita orditur: *Descripsimus beatos apostolos,* etc.

[4] Ita mss. nisi quod pro *nobis gereretur,* quidam præferunt, *in nobis geritur:* edit. vero, *immo in nobis geritur, quidquid nobis ingeritur, quidquid nobis insinuatur.*

[5] Omnes edit. cum Reg. cod., *Ecce cui manifestatur virtus operantis, et fides prædicatur manifesta credentium;* reliqui mss. e contrario, ut in contextu.

viso uno signo, statim Domino crediderunt; nos acceptis adhuc tot beneficiorum mirabilibus, dubitamus: dubitamus, inquam, quia præsentia nimis diligimus, dum futura non credimus: divitias amamus in sæculo, dum eas accipere cunctamur a Christo: iracundia immoderate extollimur, dum retributionis judicium non timemus. Cæterum qui novit scriptum esse: *Quo judicio judicaveritis, eodem judicabitur de vobis;* absque dubio lenis; moderatus et mitis est; et plus bonitate cogit quam severitate compellit: amicus indulgentiæ, familiaris est veniæ; ut dum eam frequenter impertit, a Domino semper accipiat. Si quidem prudentis sit rectoris ita terrenos honores agere, ut honorificentiam cœlestis dignitatis acquirat.

Matth. VII, 2.

4. Et si interdum vigorem dicendi in nobis corporis obtundat infirmitas, tamen studio devotionis vestræ fortiores efficimur. Nam quo vos studiosius auditis, eo nos libentius prædicamus; et virtus nobis loquendi additur, cum vos intelligendi accommodatis auditum. Quis enim non conetur illic verbi cœlestis semina jacere, ubi illud puri cordis fecunda terra suscipiat? Quis, inquam, non illic verbum Salvatoris collocare velit, ubi illud non sæcularium sollicitudo præfocet, sed disciplinarum spiritalium virtus enutriat? Ergo, fratres, quia in sancta Epiphania exultavimus videntes miracula Salvatoris, debemus facere quod illius temporis discipuli tunc fecerunt.

5. Quod autem dixi vidisse nos modo, quod olim gestum est, vidimus plane, videmusque quotidie. Ea enim sunt[1] Christi mirabilia, ut non antiquitate prætereant, sed gratia convalescant: non oblivione sepeliantur, sed ut virtutibus innoventur. Apud omnipotentiam enim Dei nihil est abolitum, nihil præteritum; sed pro sui magnitudine omnia illi in præsenti sunt, totum illi tempus est hodie. Unde et sanctus Propheta dicit: *Mille anni ante oculos tuos tamquam dies una.* Quod si omne sæculorum tempus una dies est Domino, eadem die qua mirabilia Salvator Patribus operatus est, operatus et nobis est. Vidimus igitur et nos sicut majores nostri mirabilia Domini, cum pari ea cum illis stupore suspeximus. Gustavimus et nos sicut illi de ipsis hydriis; siquidem illi de his poculum vini biberunt, nos salutis calicem sumpserimus.

1

Ps. LXXXIX, 4.

6. Debemus ergo facere, viso signo Domini, quod nostri fecere priores: si enim eadem in nobis divinitatis refulsit gratia, eadem et fidei apud nos debet esse devotio. Dicit enim evangelista de Domino, hoc miraculo perpetrato: *Et manifestavit gloriam suam, et crediderunt discipuli ejus in eum.* Credere ergo debemus, sicut et tunc apostoli crediderunt. Dicit autem alius: *Et nos christiani sumus, et credimus in Dominum Salvatorem.* Sed credere opus est opere, non sermone: non lingua, sed corde; ne et nobis dicatur: *Plebs hæc labiis me honorat, cor autem eorum longe est a me.*

Joan. II, 11.

Isai. XXIX, 13.

SERMO X.

De sancta Epiphania III.

Christum hoc die in Jordane tinctum ab aliis astrui, ab alii negari tradit hic sermo: qua de re Hieronymus in Ezechielem, Leo Magnus, epist. 16 novæ edit., atque alii consuli possunt. Nostrum vero est hic admonere cum sermone 1 sancti Maximi, nec non cum alio in Append. Aug. 134, quem eidem Maximo mss. et edit. communiter tribuunt, multum convenire. At nihil ei cum Ambrosio affinitatis esse, facile is agnoscet, qui tantum quæ apud ipsum sub finem lib. II *in Lucam, et quæ in hoc sermone de columbæ figura disseruntur, inter se contulerit* (Edit. Maur.).

A

B

Quidquid sit de hac diversitate, nobis negandum non videtur, si quis sermo Ambrosii redoleat indolem, id in hoc potissimum animadvertendum esse.

1. Plerique in hac sancta Epiphaniæ die hactenus a Domino mirabilia facta esse commemorant, ut rogatus ad nuptias aquæ substantiam in vini speciem commutaret, ac liquorem fontium in meliorem usum sui benedictione transferret: ministros hausisse aquam de puteis, vinum in hydriis invenisse; atque utiliore dispendio perdidisse quod impleverant, reperisse quod deerat: tuncque primum hoc mirabili signo divinitatis suæ declarasse virtutem. Nonnulli autem in hac sancta die ab Joanne baptizatum eum in Jordane testantur, atque in lavacri ejus gratia interfuisse loquendo Deum Patrem, sanctum quoque Spiritum descendisse. Nec mirum si in Domini lavacro mysterium non defuit Trinitatis, cum nostrum lavacrum Trinitatis compleat sacramentum: neque enim poterat Dominus non primum circa se exhibere, quod erat postea humano generi præcepturus, cum omnia non sui causa, sed nostræ gratia salutis efficeret.

Joan. II, 9.

C

D

2. At numquid propter se baptizari voluit, cum peccatum non haberet,[2] *Qui iniquitatem non fecit, nec inventus est dolus in ore ejus?* Sed propter nos utique, qui multorum criminum peccatis obnoxii, opus habebamus ut in Christi baptismo purgaremur; atque ideo venit Dominus ad lavacrum, non ut purificetur ipse aquis:[3] sed ut nobis aquarum fluenta purificet; ex quo enim ille se se in aquas mersit, ex eo omnium credentium peccata delevit. Necesse est autem ut omnium peccata deleverit, qui omnium peccata suscepit; sicut ait evangelista: *Hic est agnus Dei, hic est qui tollit peccata mundi.* Mirum ergo in modum unus mergitur, et salus omnium reparatur.

2

I Pet. II, 22.

E

3

Joan. I, 29.

3. Adest ergo Deus Pater, cum baptizatur Dominus; adest Spiritus sanctus. Videte Salvatoris benevolentiam, qua solus se in passione contumeliis subdidit, in lavacro solus gratiam non quæsivit, vult participes esse gloriæ. Adest ergo sicut dixi, Pater; adest et Spiritus sanctus: et quia Deus videri non potest, Spiritus in columba; Pater descendit in voce: quodque solum ad adstruendam fidem hominibus necessarium erat, exhibet Salvatorem. Fides enim nostra nisi auditu non constat et visu: ideo se Spiritus in columba oculis subdit; Pater in voce se auribus subministrat: nam nisi propter nostram credulitatem ista fieri oportuisset, potuit Pater et Spiritus tamquam invisibilis Deus ad Verbum Filium invisibili prolapsione descendere. Igitur propter nostram fidem aperto cœlo, Spiritus

F

G

[1] Omnes edit., *Christi miracula, ut non iniquitate prætereant:* omnes mss. ut in contextu.

[2] Rom. edit. cum Reg. cod., *sicut dicit propheta.*

[3] Edit. ultimæ Paris., *sed ut nos aquarum fluentis purificet.* Non recte.

ad Christum, Pater ad Filium, vox descendit ad Verbum: Verbum enim Christus est, de quo scri-
Joan. I, 1. bitur: *In principio erat Verbum.* Bene, inquam, Pater vox, et Filius Verbum dicitur, quia Verbum nonnisi de voce procedit. Conveniunt itaque sibi vox et Verbum, et saluti hominum provident societate mysterii.

4. Qua autem ratione Spiritus sanctus ad Christum in specie columbæ descenderit, videamus: utrum sit aliqua similitudo columbæ vel Domini, sicut est vocis et Verbi. Est plane non parva; columbam enim etiam ipsum Dominum dixerim, quia est alacer, mitis et simplex. Columba est, quia sanctos suos esse præcepit ut columbas, dicens:
Matth. X, 16. *Estote simplices sicut columbæ.* Quod autem columba Christus sit, Propheta dicit ex persona ipsius, describens post passionem reditum ejus ad cœlum: *Quis dabit mihi pennas sicut columbæ,*
Ps. LIV, 7. *et volabo, et requiescam?* Cum ergo Christus Dominus initiaret Ecclesiæ sacramenta, e cœlo supervenit columba. Intelligo mysterium, agnosco etiam sacramentum: columba enim ipsa est, quæ nunc ad Ecclesiam Christi in baptismo venit, quæ
Gen. VIII, 9. quondam ad arcam Noe in diluvio properavit, tunc illi securitatem annuntians olivæ ramo; modo huic æternitatem conferens divinitatis indicio: tunc signum pacis ore afferens; modo ipsa pacem Christum sui substantia superfundens.

5. In Jordane igitur baptizatus est Dominus. Multa mirabilia in hoc flumine sæpius facta esse Scriptura commemorat, inter cætera dicens: *Et*
Ps. CXIII, 3. *Jordanis conversus est retrorsum.* Puto autem esse mirabilius quod Domino Jesu Christo ibi posito, factum est: ante enim retrorsum aquæ conversæ fuerant; modo retrorsum peccata conversa sunt, et sicut tunc impetus fluminis alveum sui cursus perdidit; ita et nunc impetus peccatorum dominium sui erroris amisit. Quod quidem in propheta Elia jam illo in tempore factum puto: sicut enim Elias
[1] IV Reg. II, 14. in Jordane divisionem fecit undarum,[1] ita et Christus Dominus in eodem Jordane separationem operatus est peccatorum: ille stare fluenta præcepit, hic crimina. Et sicut sub Elia fluctus primordia
[2] fontium, de quibus exierant,[2] petierunt; ita et sub Christo Domino homines ad originem suam, de qua in infantia fuerant exorti, sunt reversi.

SERMO XI.

De sancta Epiphania IV.

Hic in antiq. editt. inscribebatur: Post Epiphaniam.

Et is revera post superiorem, quem ipso die Epiphaniæ habitum constat, ex utriusque collatione dictus cognoscitur. In Rom. edit. eidem titulus est: Ad catechumenos. *Neque id absurde; eosdem enim variis in Ecclesiis ab eo festo nomen profiteri consuevisse ex multis cum aliorum, tum Ambrosii testimoniis datur intelligi. Nec vero quidquam est, cur hunc auctorem Felicis et Elipandi æqualem, aut in erroribus præcursorem aliquis putet, quod in baptismo Christum affirmat renatum esse; illud enim nihil aliud sonat, nisi Dominum aquis emergentem resurrectionis formam exstitisse. Cum vero non modo in sermone sequenti, sed etiam in 135 et 136 Aug. Append. eadem legantur, non leve profecto argumentum est ab eodem auctore omnes hos sermones esse profectos aut unius auctorem ex altero largius hausisse* (Edit. Maur.).

Animadvertimus autem non obesse assertioni quod post Epiphaniam iste sermo fuerit pronunciatus, verba initio num. 4: *Ergo in hac sancta die baptizatus est Dominus.* Vox enim *hac* commode refertur non ad diem *qua*, sed ad diem *de qua* orator locutus est.

1. Ad omnes vos, fratres, prædicationem meam in die sancta Epiphaniæ pervenisse credo, et ad vos præcipue catechumenos: in qua descripsimus tunc nonnullis asserentibus aquam in vinum fuisse conversam; plerisque autem testantibus illa quoque die in Jordane Dominum baptizatum. Quod licet a diversis alterutrum factum esse credatur; ego tamen utrumque factum esse confirmo, et aliud signum de alio contineri. Utrumque enim factum est; nam cum baptizatus est Dominus, et mysterium lavacri instituit, et humanum genus velut vilem aquam in æternam substantiam divinitatis sapore convertit. Similiter et cum hydrias plenas liquore fontium vertit in vinum, utrumque operatus est, et speciem magis necessariam nuptiis præstitit, et demonstravit corpora hominum per lavacrum Spiritus sancti spiritali replenda esse substantia. Quod alibi ipse Dominus manifestius declaravit, dicens in utres novos vinum novum esse Matth. IX, 11.
condendum: in novitate enim utrium lavacri puritas, Spiritus sancti gratia significatur in vino.

2. Igitur[3] vos catechumenos diligentius oportuit [3]
hoc audisse, quibus magis est necessarium, ut sensus vester, qui ignorantia Trinitatis ut aqua nunc friget, agnitione mysterii incalescat ut vinum, et animarum vestrarum liquor vilis et tenuis in pretiosam et fortem gratiam transfundatur; ut vini vice sapiamus quod bonum est, redoleamus quod suave est, et possimus dicere illud Apostoli: *Quoniam Christi bonus odor sumus Deo:* catechu- II Cor. II, 15.
menus[4] enim, priusquam baptizetur, sicut aqua [4]
jacet, friget et pallet: fidelis autem sicut vinum fortis et rubeus est. Catechumenus, inquam, sicut aqua nullius saporis, nullius odoris, nullius est pretii, nec sufficiens ad usum, nec delectabilis ad reficiendum, nec tolerabilis ad servandum. Nam sicut aqua cum servatur diutius, in deterius versa intra semetipsam putrescit et fetet;[5] ita et cate- [5]
chumenus, cum diutius catechumenus permanet, in deterius conversus intra semetipsum vilescit et deperit. Ait enim Dominus: *Nisi quis renatus fuerit ex aqua et Spiritu sancto, non intrat regnum cœlorum:* qui autem non intrat regnum, Joan. III, 3.
necessario remanet in inferno.

[1] Vet. editt., *ita et Spiritus Domini:* melius Rom. et mss. ut in textu.

[2] Omnes edit., *pertinuerunt.... ad originis suæ infantiam de qua fuerant*, etc.; omnes mss. nobis conveniunt, nisi quod pro *originem* in uno legitur *originis;* in alio, *originis suæ initium.*

[3] Reg. Codex unus quidquid ab his verbis usque ad inferiora illa: *Ergo in hac sancta die,* continetur, sermoni qui nobis nonus est, inseruit, ita incipiens: *Igitur oportet vos diligenter audire hæc, ut animarum liquor vitiorum vilis et tenuis,* etc.

[4] Idem cod. Reg., *Infidelis enim sicut aqua jacet, riget, et pallet.... Infidelis, inquam.*

[5] Reg. codex, *ita et infidelis cum diutius in infidelitate permanet.... deperit.* Cætera vero usque ad, *Recte autem* scriptor omisit.

3. Recte autem vino comparatur fidelis: sicut enim ex cunctarum creaturarum substantia omnis res vetustate deperit, solum vinum proficit vetustate; ita ex omni genere hominum cunctis antiquitate pereuntibus, solus christianus proficit vetustate. Et sicut vinum in dies singulos asperitatem suam decoquens, saporis dulcedinem, suavitatem odoris acquirit; ita et christianus successu temporis delictorum suorum asperitatem decoquens, sapientiam sibi divinitatis,[1] benevolentiam Trinitatis assumit.

4. Ergo in hac sancta die baptizatus est Dominus. Videte quam bene ordinaverit, ut et in natali suo natus sit, et in Epiphania renatus; ut nec longe a se salutis humanæ vota distarent, et æternas Salvatori jugiter gratias ageremus.

5. Tunc et vota nostra celebrata sunt, quando Christo Ecclesia copulata est, sicut ait Joannes: *Qui habet sponsam, sponsus est.* Propter has ergo nuptias saltare nos convenit; siquidem et David rex pariter et propheta cum multa cecinerit, ante arcam Testamenti saltasse dicatur: elevatus enim gaudio in saltationem prorupit. Prævidebat enim in Spiritu per Mariam de germine suo Ecclesiam Christi thalamo sociandam, de quo ait: *Et ipse tamquam sponsus procedens de thalamo suo.* Atque ideo[2] præ cæteris prophetarum auctoribus plus cantavit; quia lætior cunctis per hæc gaudia suos posteros conjugabat: et ad propria vota omnes gentes solito dulcius invitans, nos quoque docuit quid ipsis facere deberemus in nuptiis, cum ipse ante nuptias tota exultatione lætatus sit.

Joan. III, 9. — II Reg. VI, 14 — Ps. XVIII, 6.

SERMO XII.

De sancta Epiphania V.

Iis quæ ad sermonem superiorem a nobis dicta sunt, tantum addemus nostros hos sermones uno contextu compositos videri, cum e contrario quos ex Append. August. supra citavimus, speciem centonum quamdam præ se ferant; proindeque hos ex iisdem illis forsan fuisse interpolatos. Hujus tamen auctorem ex sanctis Patribus nonnulla etiam imitatum esse nulli negamus; quæ enim causæ cur baptizari Christus voluerit, hic afferuntur, etiam apud alios, et Ambrosium ipsum cum alibi, tum in Comment. in Luc. *lib.* II, *num. 83, et lib.* IV, *num. 5, pertractantur* (Edit. Maur.).

Præcipue quæ hic postremo dicta sunt insinuant Ambrosium ipsum hujus sermonis auctorem esse potuisse: nec sane dicendi modus ab ejus stylo abludit.

1. Evangelica scriptura refert, sicut lectum nuper audivimus, Dominum ad Jordanem baptismi causa venisse, et in eodem flumine mysteriis se cœlestibus consecrari voluisse. Quod mirari non debemus, cur hoc baptismatis ipsius dominus et magister fecerit, quia ipse ait: *Qui fecerit sic, et docuerit, maximus vocabitur in regno cœlorum.* Facere igitur prius voluit, quod secundum omnibus imperabat; ut bonus magister doctrinam suam non tam verbis insinuaret, quam actibus exerceret, et ad finem nos gustu pariter confirmaret et sensu.

Matth. V, 19

2. Hoc autem totum hodierno die gestum esse manifestum est; quod ita verum esse ipsa possumus colligere ratione: ratio enim exigit, ut post diem natalis Dominici, licet interpositis annis, eodem tamen tempore hæc festivitas sequeretur, quam et ipsam festivitatem natalem appellandam puto. Tunc enim natus hominibus, hodie renatus est sacramentis: tunc per Virginem editus, hodie per mysterium generatus. Ita enim disposuit Dominus non longe inter se hominum vota distare, ut in uno tempore quem genitum gratulabantur in terra, sanctificatum lætarentur in cœlis; ut qui partum Virginis, angelis annuntiantibus, possidebant; Dei filium, cœlis testantibus, retinerent: certique essent homines quia ipse esset Filius Dei, quem Virgo pepererat, divinitas agnoscebat: novi enim partus nova merentur obsequia. Ibi cum secundum hominem nascitur, mater eum Maria sinu circumfovit: hic cum secundum mysterium gignitur, Pater eum Deus voce complectitur; ait enim: *Hic est filius meus, in quo bene complacui, ipsum audite.* Mater ergo partui molli blanditur gremio, Pater Filio pio testimonio famulatur:[3] mater, inquam, eum adorandum Magis ingerit, Pater colendum gentibus manifestat: sinu igitur retinetur a matre, cum nascitur: sed Pater ei sinus sui fotum jugiter subministrat. Legimus enim eum sine intermissione in Patris gremio quiescentem, dicente Evangelista: *Deum nemo vidit umquam, nisi unigenitus Filius, qui est in sinu Patris.*

Matth. III, 17. — Joan. I, 18

3. Libenter ergo in sinu sanctorum quiescit Dominus; unde et Joannis Evangelistæ sinum, ut in eo accumberet, libenter elegit. Sinus ergo in quo Christus requiescit, non corporis gremio præparatur, non vestimentorum ambitione componitur, sed cœlestium virtutum operatione colligitur. Nam Christi sinus erat in Joanne Evangelista fides, in Deo Patre divinitas, in Maria matre virginitas. Ibi sinus Christi est, ubi habitaculum est virtutum: ibi reclinat caput suum, ubi domicilium cœlestium invenit præceptorum. Nam ideo peccatoribus et infidelibus dicit: *Vulpes foveas habent, et volucres cœli nidos: Filius autem hominis non habet ubi caput reclinet.* Igitur Dominus Jesus hodie venit ad baptismum, et corpus suum sanctum voluit aqua dilui.

Joan. XIII, 25 — Matth. VIII, 20

4. Dicat fortasse aliquis: Qui sanctus est, quare voluit baptizari? Audi ergo: Ideo baptizatur Christus, non ut sanctificetur ab aquis, sed ut ipse aquas sanctificet et purificatione sui purificet fluenta illa quæ tangit;[4] consecratio enim Christi consecratio major est elementi. Cum enim Salvator abluitur, jam tunc in nostrum baptismum tota aqua mundatur, et purificatur fons, ut secuturis postmodum populis lavacri gratia ministretur. Præ-

[1] Omnes edit. et ms. unus, *benevolentia Trinitatis;* mss. duo, *benevolentiam Trinitatis:* optime omnium Lugd. codex, *benevolentiam*, etc.: id enim refertur ad superius illud: *Suavitatem odoris acquirit.* Reg. codex, *sapientiam sibi et benivolentiam summæ divinitatis assumit.*

[2] Ita omnes edit. ac mss. ubi loco *prophetarum* legendum forte *prophetiarum;* at Rom. edit. haud bene reposuit: *præ cæteris plus prophetarum cantavit.*

[3] Rom. edit. sola, *pio testimonio astipulatur.*

[4] Eadem Rom. edit. *Baptizatio enim Christi consecratio est elementi.*

sit ergo Christus per baptismum, ut christiani post eum confidenter populi subsequantur.

5. Intelligo ergo mysterium, ita enim et columna ignis præcessit per mare Rubrum, ut intrepidum iter Israel filii sequerentur; et ipsa prior per aquas gressa est, ut venientibus post se viandi semitam præpararet. Quod factum, sicut Apostolus dicit, mysterium baptismi fuit: baptismus plane quodammodo fuit, ubi homines nubes operiebat, unda portabat. Sed hæc omnia operatus est Christus Dominus idem qui et modo, qui sicut tunc per mare filios Israel in ignis columna præcessit, ita nunc per baptismum christianos populos in corporis sui columna præcedit. Ipsis, inquam, est columna, quæ tunc lumen sequentium oculis præstitit, modo lucem credentium cordibus subministrat; tunc in fluctibus undarum solidavit semitam, modo in lavacro fidei vestigia corroborat; per quam fidem, sicut filii Israel, qui intrepidus ambulaverit, persecutorem Ægyptium non timebit.

Exod. XIII, 21. I Cor. X, 2.

SERMO XIII.

Super his verbis Evangelii: *Simile est regnum cœlorum fermento.*

Prima ipsa exordii verba ne Ambrosio hunc sermonem attribuamus, refragantur; non enim hoc modo loqui consuevit de sui episcopatus initio, cum raptus a tribunalibus, aliqua mora iis discendis, quæ doceret alios, opus habuerit. Potuit tamen hic Auctor ex Ambrosii Comment. in Luc. *lib.* VII, *num. 187, quædam hausisse. Verum cum eo loci aliorum sententias abs se referri testetur sanctus Doctor, quominus hic auctor alios quoque imitatus fuerit, nihil prohibet* (Edit. Maur.).

1. Et ipsi scitis, fratres, quod ex qua die vobiscum esse cœpi, non cessavi omnibus vos Dominicis admonere mandatis, et partim hortando, partim increpando, præcepta vobis[1] divinitatis ingerere; ita ut plerumque pius pater fuerim, nonnullis autem durus magister exstiterim. Patrem enim me sibi gratulatus est, quisquis sermonem meum libenter amplexus est: durum autem magistrum sensit, qui conscientiam suam prædicatione meam percussam esse condoluit. Sed nihil mea interest, dummodo sive pietate, sive censura Christus annuntietur in vobis; quamvis et ipsa censura sit pietas, quæ ideo circa negligentiores filios adhibetur, ut timere discant quod amare neglexerant. Non quod omnes filios non æqualiter diligat pater, sed quod indulgentia patris sit pro diversitate morum exhibere pietatis affectum; ut blandum filium exhortatione provocet, contumacem vero austeritate conveniat, de utriusque tamen correctione securus; quoniam hunc amore verberat, illum severitate castigat, sicut ait beatus Apostolus: *Omnis quidem disciplina in præsenti non videtur esse gaudii, sed mœroris: postea vero fructum pacificum exercitatis per eum reddet justitiæ.* Igitur quoniam tot tractatibus meis profecisse vos credo, libet quædam vobis divinarum disserere litterarum; ut intelligam quod id quod dixero, fidei vivacitate capiatis.

1 A B Hebr. XII, 11.

2. Ait Dominus in sancto Evangelio: *Simile est regnum cœlorum fermento, quod acceptum mulier abscondit in farinæ satis tribus, donec fermentatum est totum.* In alio vero loco ita ait: *Cui simile æstimabo regnum Dei? Simile est fermento, quod acceptum mulier abscondit in farina, donec fermentatum est totum.* Fermenti vim atque virtutem omnibus notam esse non dubium est. Nam cum sit magnitudine parvum, specie simplex, natura commune; tantam fortitudinem intrinsecus gerit, ut cum reconditum fuerit in farina,[2] succus ejus hoc totam massam faciat esse, quod ipsum est; et ita se per universum cumulum aspersionis suæ vigore diffundit, ut omnem ipsam magnitudinem pollinis faciat fermentum; ac sic res ipsa fortitudine sua molem sibi proprii vigoris acquirit. Hoc autem faciunt mulieres, ut viris suis salubriorem panem, et cibum utilem diligenter exhibeant. Sed quoniam Lex spiritalis est, et Evangelium[3] spiritaliter parabolarum narratione subsistit; videamus quid sit fermentum, quæ mulier, quid farina.

Luc. XIII, 21. Matth. XIII, 33. Rom. VII, 14.

3. Legimus in sancto Evangelio, dicente Domino Christo de se ipso: *Nisi granum tritici cadens in terram mortuum fuerit, ipsum solum manet: si autem mortuum fuerit, multum fructum affert.* Ergo si triticum Dominus, et Dominus est fermentum; quia fermentum non nisi de tritico fieri solet:[4] recte ergo fermento Dominus comparatur, quia cum esset specie homo, humilitate parvus, imbecillitate dejectus, tanta intrinsecus sapientiæ virtute pollebat, ut doctrinam ipsius mundus ipse vix caperet: qui cum cœpit per totum orbem divinitatis vigore transfundere, statim omne hominum genus in substantiam suam sua potestate protraxit; ut et jugum Spiritus sui sancti infunderet[5] omnibus, et hoc christianos cunctos faceret esse, quod Christus est. Nam cum homo Dominus Jesus unus et solus esset in mundo tamquam fermentum in massa reconditum, universos homines præstitit esse quod ipse est. Quisquis igitur illi fermento Christi adhæserit, efficitur et ipse fermentum, tam sibi utilis, quam aliis idoneus universis; et de sua certus salute, et de aliorum acquisitione securus.

Joan. XII, 24.

4. Sicut igitur fermentum cum in cumulum conspergendum est farinarum, confringitur, comminuitur, dissipatur, et ipsum omne dissolvitur, ut dispersam illam farinæ multitudinem[6] in unum sui vigore constringat, atque in solidum corpus redigat, quod in pulveris modum ipsa diminutione languebat; faciatque conjunctione sui utilem massam, quod propria dissolutione videbatur inutile: sic ergo et Dominus Jesus Christus, cum esset totius mundi fermentum, diversis passionibus confractus, laceratus et dissolutus est, et

[1] Vox *divinitatis* e cod. Lugd. restituitur.

[2] Ita codex Vallisc. At omnes edit. efferunt, *succus hoc totam massam faciet esse, quod ipse est, ita semper universum.* Lugd. codex ab his discrepat, quod τὸ *succus hoc* non agnoscit.

[3] Vet. edit. et codex Lugd. *specialiter;* Rom. edit. et ms. Vallisc. *spiritaliter;* at pro *ratione,* solus ms. Vallisc. reposuit, *narratione.*

[4] Codex Vallisc., *recte ergo frumento.*

[5] Omnes edit. et ms. Vallisc., *omnibus, hoc est, christianos;* Lugd., *omnibus, et hoc christianos.* Idem autem est, *et hoc,* atque, et hac infusione.

[6] Ita codex Lugd.; Vallisc. autem atque edit. *in unum vigorem constringat.* Continuo vero post solus Vallisc. legit, *atque in unum opus redigat.*

succus ejus pro salute nostra, qui est pretiosus sanguis, effusus est; ut admixtione sui omne genus humanum solidaret,[1] quod per diversa antea resolutum jacebat: sic enim velut fermentum quoddam nos, qui farina ex gentibus videbamur esse, adhæsimus. Nos, inquam, qui per totum orbem[2] dispersi et diminuti penitus jacebamus, vigore passionis Christi in ipsius corpus redacti sumus, sicut beatus Apostolus ait: *Quoniam sumus corpus Christi et membra.* Nos igitur qui ex nationibus in pulveris modum a terræ facie jactabamur, aspersione sanguinis Domini in massam soliditatis ejus accrevimus.

Ephes. v, 30.

5. Mulier autem illa, quæ dicitur abscondisse in farina fermentum, quæ est, nisi sancta Ecclesia, quæ quotidie doctrinam Christi in cordibus nostris conatur abscondere? Ipsa, inquam, est mulier, quæ in alio loco etiam molere dicitur, sicut ait Dominus: *Erunt duæ molentes, una assumetur, et una relinquetur.* Molit enim sancta Ecclesia per Legem, per apostolos, per prophetas, cum catechumenos facit, et asperitatem gentilitatis dissipat atque comminuit; ut emollitos eos in farinæ modum aptos faciat fermento Dominici sanguinis adhærere. Fermentum enim dixerim totam Domini passionem: fermentum enim salutis nostræ[3] est symbolum ipsum, quod traditur, sine quo fermento, vel symbolo, nemo potest vitæ æternæ substantiam promereri.

Matth xxiv, 41.

6. Et quia duas Evangelium describit molentes, atque unam Ecclesiam diximus salubriter molere; alteram quam nisi Synagogam accipere debemus? Molit enim et ipsa per Moysen et prophetas; sed inutiliter molit, sicut dicit Apostolus de Judæis: *Æmulationem Dei habent, sed non secundum scientiam.* Inutiliter, inquam, molit Synagoga; quia massam suam Christi doctrina non temperat. Atque ideo evitandum præcepit Synagogæ Dominus esse fermentum, dicens: *Cavete vobis a fermento Pharisæorum.* Temperatum est enim sanguinibus et crudelitatibus Judæorum dicentium de Domino: *Sanguis ejus super nos, et super filios nostros.* Unde ait Evangelium: *Erunt duæ molentes, una assumetur, et una relinquetur.* Assumetur enim in requiem æternam sancta Ecclesia, quæ Domino cibum sanctitatis emoluit; relinquetur ad molas cruenta Synagoga, gyrum semper passura suæ perfidiæ.

Rom. x, 2. Matth. xvi, 16. Matth. xxvii, 25. Matth. xxiv, 41.

SERMO XIV.

Dominica in Septuagesima.

Septuagesimæ nomen ætate non solum Ambrosii, sed Maximi etiam multo recentius esse in confesso est. Synodi Aurelianenses prima et quarta, quibus prohibetur quinquagesimæ et sexagesimæ observatio, de septuagesima nihil præcipiunt, nec ejus meminit Regula sancti Benedicti, sed usque ad quadragesimam alleluja cantari jubet. Eamdem autem vocem in edit. Operum Gregorii Magni Homiliæ 19, et Missis quibusdam Sacrament. *falso inscriptam non ambigimus, cum ea non reperiatur in mss.* A *Quod similiter de epistola ad Augustinum monachum a Gratiano, distinct. 4, cap.* Denique sacerdotes, *citata statuendum est* (Edit. Maur.).

1. Redimite vos ipsos, dum vos pretium habetis: quando, charissimi fratres, novum tempus inchoatis, vestram vita renovare debetis. In toto anno non dicitur ulla dies septuagesima, nisi ista: nec sexagesima, nisi sequens Dominica: neque quinquagesima, nisi abhinc tertia: nec quadragesima, nisi B abhinc quarta Dominica; et quia nova nomina hoc tempus habet, ideo omnis christianus renovare vitam suam debet. Hos enim admonet Apostolus, dicens: *Renovamini spiritu mentis vestræ;* item: *Etsi exterior homo noster corrumpitur, tamen interior renovatur de die in diem.*

Ephes. iv, 23. II Cor. iv, 16.

2. Nam sicut renovatur qui de malo transit ad bonum; ita renovatur qui de bono transit ad melius. Qui de luxuria, vel qualibet immunditia transit ad castitatem, vitam suam renovavit. Qui aliena C rapere injuste consueverat, si sua cœperit misericorditer distribuere, vitam suam renovat. Qui superbus ad humilitatem transierit, et qui amabat detrahere fratribus, si cœperit fratres diligere, sine dubio renovat vitam suam; quia qui erat membrum diaboli male vivendo, incipit esse in corpore novi hominis, id est, Domini nostri Jesu Christi, per fidem rectam et bonam operationem. Frequenter audistis, fratres charissimi, duos esse homines, id est, Adam et Christum: ille dicitur vetus, iste D vocatur novus. Et ideo qui malus est, vetus est, imitando illum, qui fuit in paradiso superbus et inobediens; qui vero bonus est, novus est, sequendo illum qui dicit: *Discite a me quia mitis sum, et humilis corde;* et de quo Apostolus ait: *Factus est obediens usque ad mortem.* Sed quia hoc tempus novum nomen habet, idcirco admonemus illos, qui veteres sunt male vivendo, ut sint novi bene conversando.

Matth. xi, 29. Phil. ii, 8.

3. Admonemus illos qui jam novi sunt per bona E opera, ut renovare studeant in hoc novo tempore per opera meliora: verbi gratia, novus qui est per castitatem cessando a malo opere, renovetur cessando ab ipsius operis delectatione. Similiter qui humilis et obediens et misericors et patiens est, renovetur necesse est quotidie; ut proficiendo crescat in ipsis virtutibus, secundum illud quod scriptum est: *Ibunt de virtute in virtutem.* Nemo nostrum charissimi, securus sit, quia baptizatus est; quoniam sicut non omnes qui in stadio cur- F runt, accipiunt bravium, id est, destinatum præmium, sed ille qui prius currendo pervenit; ita non omnes qui habent fidem, salvantur, sed illi tantum qui in bono, quod inchoaverunt, opere perseverant. Et sicut ille qui adversus alterum pugnat, ab omnibus se abstinet; ita et vos ab omnibus vitiis abstinere debetis, ut diabolum, vestrum persecutorem, superare possitis. Miseri homines cum periculis vitæ suæ et immensis laboribus serviunt regi terreno pro beneficio cito transituro et peri- G turo: quare vos non servitis[4] regi cœlestis regni beatitudine perfruenti, eamque laborantibus largienti? Jam quia per fidem ad vineam, id est, ad

Ps. lxxxiii, 8. I Cor. ix, 28. 4

[1] Omnes edit. ac Lugd. codex, *quod per diversa antra;* commodius ms. Valliscl., *quod per diversa antea* supplendum *loca.*

[2] Codex Reg. et Valliscl., *dispersi et divisi penitus,* etc.

[3] Edit. omnes, *symbolum sine quo fermento;* mss. autem locum restituunt, ut in contextu.

[4] Reg. codex unus, *regi cœlesti pro regni beatitudine. Jam quia per fidem,* etc.

sanctæ Ecclesiæ unitatem vocati estis a Domino; ita vivite, et ita conversamini, ut denarium, id est, regni cœlestis felicitatem, Deo largiente, accipere valeatis.

Matth. xx, 1 et seq.

4. Nemo desperet de magnitudine peccatorum suorum, dicendo: multa sunt peccata mea, in quibus usque ad senectutem et decrepitam ætatem perseveravi; jam promereri non potero indulgentiam, maxime quia peccata me dimiserunt, non ego illa. Absit ut talis de Dei misericordia desperet; quia alii prima hora, alii tertia, alii sexta, alii nona, alii undecima ad Dei vocantur vineam, id est, alii in pueritia, alii in adolescentia, alii in juventute, alii in senectute, alii in decrepita ætate ad Dei servitium pertrahuntur. Et sicut nullus desperare debet in quacumque ætate sit, si ad Dominum converti voluerit: ita nullus pro sola fide securus esse debet, sed potius pertimescere hoc, quod dicitur: *Multi enim sunt vocati, pauci vero electi.* Quod vocati sumus per fidem, novimus: sed si sumus ad vitam æternam electi, nescimus. Tanto ergo debet unusquisque esse humilior, quanto, si sit electus, ignorat.

Matth. xx, 12.

5. Concedat vobis omnipotens Deus, ut non sitis de illorum numero, qui mare Rubrum sicco vestigio transierunt, manna in deserto manducaverunt, et potum spiritalem biberunt, et propter murmurationem suam in eremo perierunt: sed de illorum, qui terram repromissionis intraverunt, et fideliter in Ecclesiæ vinea laborando, denarium perpetuæ beatitudinis percipere meruerunt; quatenus cum capite nostro Christo vos, qui ejus membra estis, possitis regnare per infinita sæculorum sæcula.

SERMO XV.

Dominica in Sexagesima.

Hunc sermonem non esse Ambrosii præter ea quæ superiori præmisimus, id etiam probat, quod sexagesimæ usum, cujus instituendi occasionem ad adulterinum Melchiadis papæ decretum refert Alcuinus in lib. de Eccles. Offic., *in hoc sermone significatur a Telesphoro esse; cum enim illam Mercatoris falsarum Decretalium collectionem constet in Ecclesia non nisi nono ineunte sæculo invaluisse, eumdem sermonem auctoris eodem sæculo antiquioris nequaquam esse manifestum est. Adde his de quadragesimali observatione hic ea tradi, quæ cum ritu in quadragesima Mediolani servari solito non conveniant, ut ex Admonitione nostra* in lib. de Elia et jejunio *colligi potest* (Edit. Maur.).

1. Adest tempus, charissimi fratres, quod sexagesima vocatur; et ideo necesse est ut vita vestra mutetur, mores corrigantur, mundus despiciatur, et cœlestis patria ardentius diligatur. Nam senarius numerus, a quo sexaginta, et sexagesima, et sexcenta, et sex millia derivantur, perfectionem significat. Hinc est quod ille, qui sexta die fecit hominem, in sexta ætate, et sexta feria, et sexta hora illum voluit redimere. Unde qui jam septuagesimam celebrastis, et hodie sexagesimam celebratis, ac deinde quinquagesimam et quadragesimam, Deo propitio, celebraturi estis, istorum nominum mysteria vobis manifestare debemus.

2. Quadragesima nimirum sex septimanas habet, cui addidit Telesphorus pontifex septimam hebdomadam, et vocatum est hoc tempus quinquagesima: deinde ab aliis addita est octava septimana, et vocatum est ipsum tempus sexagesima: postmodum vero addita est nona hebdomada, et dicta est septuagesima. Quoniam sicut a quatuor quadragesima, et a sex sexagesima; ita a septem septuagesima dicitur. Unde si quis modo adderet decimam septimanam, non eam vocaremus decagesimam, sed octogesimam, servato numeri ordine; quia post septem, a quo septuagesima venit, sunt octo.

3. Quadragesima ideo servatur, quia Moyses, et Elias, et Salvator quadraginta diebus et noctibus jejunasse leguntur. Quinquagesima ideo a quibusdam servatur, in qua sunt quinquaginta dies: quia si subtraxerit ab his septem Dominicas, non amplius remanent in abstinentia, nisi quadraginta et duo dies; et in ipsis duobus diebus alii jejunant, alii non, id est, in cœna Domini, et in sabbato sancto. Sexagesima ideo celebratur, in qua sunt octo hebdomadæ,[1] id est, dies quinquaginta sex: si subtraxeris octo Dominicos dies, et octo quintas ferias, quadraginta dies solummodo remanent jejunii. Septuagesima vero, a qua usque in pascha sunt novem septimanæ,[2] id est, sexaginta tres dies, ideo ab aliquibus celebratur, quia si subtraxeris novem dies Dominicos propter Domini resurrectionem, et novem quintas ferias propter Dominicam cœnam, et totidem sabbata, ne videamur sabbatizare cum Judæis; non amplius quam triginta sex dies remanent ad jejunandum: quos omni devotione ipse vos observare concedat Christus Dominus noster, qui vivit et regnat cum Deo patre in unitate Spiritus sancti Deus, per cuncta sæcula, amen.

SERMO XVI.

Ubi Dominus sabbato manum aridam curavit.

Romani editores quadragesimam Mediolani non incipere nisi feria 2 post Dominicam I, non advertentes sermonem in feriam 6 post Cineres ex hoc nostro concinnare constituerant; ac propterea ejus capiti longam laciniam prætexuerant partim e sermone 63 Append. August., partim ex Ambrosii lib. II de Abraham, *cap. 6, num. 32, consarcinatam. Sed si eum Ambrosio hac via vindicari posse arbitrati sunt, nihil absurdius. Nos illum ad fidem vet. editt. ac mss. Gall. et Lugd. restituimus: at pro Ambrosiano non obtrudimus, cum eumdem Maximo justius attribuat Gall. codex* (Edit. Maur.).

1. Diligenter,[3] fratres, vos audisse credo, evangelicam lectionem quæ nuper lecta est, ubi Dominus Jesus Christus ingressus sabbato Synagogam, hominis ibi habentis manum aridam spiritali medicina curavit, non appositis herbarum succis, non pigmentorum medicaminibus colligatis, sed verbo

[1] Codex Biblioth. Ambr. et unus Reg., *et dies sexaginta.*

[2] Iidem Cod. Ambr. et Reg., *id est sexaginta quatuor dies.*

[3] Rom. edit.: Te autem faciente eleemosynam, nesciat sinistra tua, quid faciat dextera tua. *Videtis, fratres, quam moralem judicem habeatis. Vos consulit quomodo opus vestrum suscipiat, mentem vestram prius interrogat:* Nesciat, *inquit,* sinistra tua, quid faciat dextera tua. *Diligenter attendite, fratres, et intellectum divinæ scripturæ humiliter et sapienter requirite. Nam cum dextera, vel sinistra, corporis organa sint, rationis expertia, scire aliquid vel ignorare eis non competit: non ergo nunc de corpore loquitur. Verum in dextera Dei amor intelligitur, in sinistra*

jubens, et in ira præcipiens refudit corpori sanitatem. Ira, inquam, sicut ait Evangelista, restituit vigorem dexteræ. Unde intelligimus qualis Dominicæ benignitatis sit sanitas, cujus indignationis talis est medicina; aut quemadmodum placatus prodest, qui ita miseretur iratus. Verbo igitur jubet, ut arenti dexteræ venarum succos infunderet. Non mirum est, si is arentem reparavit dexteram,[1] qui tot corpora de arenti pulvere procreavit, et id verbi imperio restituit, quod in principio factura operationis instituit: velut auctorem suum plasma cognoscens, obsequitur ei portiuncula, cui totum se deberet in massa.

Luc. VI, 6 et seq.

1

2. Sed videamus quæ sit in Synagoga manus arida, quæ nihil corpori prodest, quando operibus siccavit: quando etiam primum arida esse cœperit, requiramus; non enim unius hominis tantum per Salvatorem causa geritur, nec unius hominis imbecillitas procuratur, sed totius generis humani sanatur infirmitas. Nulli autem dubium est dexteram vel totius corporis præclariorem portionem hoc officii gerere, ut diurna alimenta suo corpori subministret, et providentia quadam ad fruendam vitam membra cætera pascat ac nutriat.

3. Hanc igitur dexteram in Judaico populo scribas esse dixerim, vel doctores, qui velut præclarior portio in pharisæorum corpore a Domino constituti, neglexerunt et in cætera membra sua prophetarum oracula velut escam vitæ æternæ porrigere; atque ideo doctrina eorum tamquam manus aruit imbecillis, quia fontem perennis sapientiæ non quæsivit. Propterea denique factum est, ut quasi contracta dextera clavem scientiæ tenere non posset, sicut ait Dominus: *Væ vobis scribæ et pharisæi, qui absconditis clavem scientiæ,* et reliqua. Hæc autem clavis Christus est Dominus, quo ad credulitatem fidei[2] pectorum arcana reserantur. Ista clavis, sicut ait Dominus Petro: *Tibi dabo claves regni cœlorum.* Ergo aruit dextera Synagogæ manus, relinquens Christum: quæ prius erat in principibus Judæorum, deterioravit; quisquis enim Christi fontem deserit, debilitatur protinus, et arescit.

Luc. XI, 52.

2

Matth. XVI, 19.

4. Sed invenio ipsam manum quondam cæteris membris fuisse meliorem: sanctus enim Moyses dux judaici populi, velut clarior corporis sui dextera fuit, cum Legem porrigendam meruit a divinitate percipere. Dextera, inquam, erat sanctus Moyses, qui filios Israel velut manu provida cœlesti manna nutrit. Hæc plane est dextera, quæ Jannem et Mambrem magos nivei splendoris nitore convicit. Ita enim scriptum habes: Atque ideo magorum destructæ sunt tenebræ, quia Moysi meritis lucens dextera coruscabat.

II Tim. III, 8.

A 5. Sed videamus manus ista quando primum arida cœperit esse vel mortua. Ego illam primum in Adam aruisse confirmo, cum contra vetitum Domini interdictæ arboris poma decerpsit, ac tunc succum immortalitatis amisit. Et siccata quodammodo est, quando hominem ad imaginem Dei factum peccato suo solvi fecit in pulverem. Atque utinam sola manus peccato teneretur obnoxia! Quod est gravius, omne corpus morte damnatum est, cum dextera prima peccaverit. Nec mireris si membrum B dexteræ in Adam non mansit integrum; vigor enim ille æternitatis exaruit. Nam sicut Moysi dextera custodientis mandata Domini niveo fulgore resplenduit; ita et Adæ dextera prævaricantis præcepta mortifero pallore contracta est.

6. Hanc igitur Adæ manum Salvator curat in Synagoga, hoc est, totius generis humani imbecillitatem sanare festinat; dicit enim etiam illi: Extende manum tuam, qui eam idolis immolando contraxit. Dicit illi: Extende manum tuam, cujus dextera C usuras accipiendo siccavit. Extende manum tuam, qui per eam res orphanorum viduarumque gestis invadere. Sed et tu qui putas te manum habere puram et sanam, cave ne avaritia contrahatur: quin potius extende eam pro misericordia frequenter ad pauperem, pro hospitalitate sæpius ad peregrinum: extende eam pro peccatis semper ad Dominum: esto misericors, esto largus. Observa quod ait propheta: *Ne sit manus tua ad accipiendum porrecta, et ad erogandum contracta.* Sic enim D manus tua sana esse poterit, si malis contrahatur, bonis vero operibus[3] extendatur.

Eccl. IV, 36.

3

SERMO XVII.

De sancta Quadragesima I.

Hic sermo primum in Romana editione inter Ambrosianos locum obtinuit, et revera eum etiam Doctori nostro perantiquus codex Vallicellanæ bibliothecæ, ex quo eumdem emendavimus, ascriptum habet. Sed hujusmodi auctoritatem, ut ei soli credi valeat, non tanti ducimus (Edit. Maur.).

E

Perbrevis iste est sermo, ita ut nonnisi extrema pars esse videatur alicujus sermonis, potius quam integer sermo; nobilissima tamen et calore plena ejus dictio, ita ut nullatenus Ambrosio indigna habenda sit.

1. Ecce[4] appropinquant dies sancti, et tempus F acceptabile, fratres charissimi, de quo scriptum est: *Ecce nunc tempus acceptabile, ecce nunc dies*

4

vanitas, vel mundi cupiditas. Quasi dicat: Nesciat sinistra, quid faciat dextera, *hoc est, quod facit amor Dei, non perdat mundi vanitas. Abraham cum nepotem a se deflectentem tenere non posset, et vellet eum dimittere:* Discede, *inquit,* si tu in sinistram, ego in dexteram. *In sinistra sunt ea quæ corporis et mundi sunt, in dextera amor Dei, et animæ virtutes sunt. Recte igitur Abraham dixit:* Si tu in sinistram, ego in dexteram; *quia homo imprudens ea quæ mundi et corporis sunt, nempe divitias et honores, in meliorem partem constituit; prudens vero virtutem animæ, et immortalitatis adipiscendæ gratiam præponit:* Longitudo, *enim* vitæ in dextera ejus. *Denique quia dextera hæc in homine jam aruerat, idcirco Dominus Jesus Synagogam sabbato ingressus, hominis ibi habentis manum dexteram aridam, ut alius narrat Evangelista, spiritali medicina curavit; sic enim habet:* Factum est autem et in alio sabbato, ut intraret in Synagogam, et doceret: et erat ibi homo, et manus ejus dextera erat arida. *Observabant autem scribæ et pharisæi si in sabbato curaret, ut invenirent unde accusarent eum: ipse vero sciebat cogitationes eorum. Et ait homini, qui habebat manum aridam:* Surge, et sta in medium, et surgens stetit; *et post pauca:* Et circumspectis omnibus, dixit homini: Extende manum tuam; et extendit, et restituta est manus ejus sana sicut altera. *Diligenter, fratres, vos audisse credo quomodo Christus Dominus non appositis,* etc.

[1] Omnes edit., *qui totum corpus;* Lugd. codex, *qui tot corpora.*

[2] Lugd. codex, *peccatorum arcana.* Non satis recte.

[3] Rom. edit., *extendatur. Dum autem ad virtutum opera extenditur, nesciat sinistra, id est, carnis vel mundi cupiditas non perdat: propitiante Christo Domino nostro, qui cum Patre et Spiritu sancto vivit et regnat in sæcula sæculorum. Amen.*

[4] Rom. edit., *Ecce adsunt dies sancti.... de quo nunc lectum est.*

II Cor. VI, 2. *salutis;* ideo sollicitiores vos esse oportet in vigiliis, in jejuniis, in eleemosynis, et orationibus. Qui usque modo eleemosynam fecit, amplius his diebus faciat; quia[1] sicut aqua exstinguit ignem, Eccl. III, 33. ita eleemosyna exstinguit peccatum. Qui usque modo jejunavit et oravit, modo amplius jejunet et oret; quia sunt quædam peccata, quæ non dimittuntur, nisi per orationem et jejunium. Si quis iram tenet adversus alterum, dimittat ei ex corde: si quis ab aliquo injuste aliquid abstulit,[2] reddat Matth. XVII, 20. ei, a quo abstulit, si cupit Deum propitium habere. Nam quamvis omni tempore christianus a maledictionibus, et conviciis, et juramentis, et risu nimio, atque verbis otiosis se abstinere debet; maxime tamen sanctis his diebus, qui ad hoc constituti sunt, ut peccata totius anni in his quadraginta diebus per pœnitentiam deleantur.

2. Credite,[3] et firmissime credite quia si in his diebus puram confessionem feceritis, et taliter, sicut diximus, pœnitueritis, omnium peccatorum vestrorum remissionem cum Ninivitis, a misericordissimo Domino impetrabitis, qui in sacco et in cinere pœnitendo liberari meruerunt: ita et vos si ex toto corde secundum illorum exemplum ad Deum clamaveritis, divinam super vos misericordiam provocabitis; in tantum ut lætiores et securiores diem Dominicæ resurrectionis celebretis; et felices ad cœlestem patriam post hanc vitam transeatis, præstante Domino nostro Jesu Christo, qui cum Patre et Spiritu sancto vivit et regnat per omnia sæcula sæculorum, amen.

SERMO XVIII.

De sancta Quadragesima II.

Huic sermoni titulus præfigitur in antiquis edit. De jejuniis, *in mss. vero nonnullis,* De jejunio initio quadragesimæ. *Nec incommode, cum in epistolam, quæ in* Liturgia Gallicana *Dominicæ I quadragesimæ assignatur, nec non hactenus recitatur eodem die, factus fuerit. Quædam porro in eo reperias, quæ ex Augustini sermone 24, num. 7, et 77, num. 3, imitatus videtur auctor. Hunc autem auctorem Maximum esse non modo stylus suadere potest, verum et quod cum aliis ejusdem Maximi in Gallensi codice contineatur* (Edit. Maur.).

1. Testimonium perhibet sanctus Apostolus de prophetis, dicens: *Tempore*, inquit, *acceptabili* II Cor. VI, 2. *exaudivi te et in die salutis adjuvi te.* Et subsequitur ipse: *Ecce nunc tempus acceptabile, ecce nunc dies salutis.* Unde et ego testificor vobis hos esse dies redemptionis, hoc esse tempus cœlestis quodammodo medicinæ, in quo tempore omnium vitiorum nostrorum labem et universa vulnera peccatorum sanare poterimus, si medicum animarum nostrarum fideliter exoremus, ut præcepta ejus tamquam suscepti idonei minime dispernamus.

A Tunc enim languidus ægritudinis suæ invenit medicinam, si omni sollicitudine[4] medici mandata servaverit; quia si aliud faciat, cum aliud jubetur, increscente morbo non medicus, sed prævaricator in culpa est.

2. Medicus autem est Dominus noster Jesus Christus, qui ait: *Ego occidam et vivificabo: percutiam et sanabo.* Occidit enim quodammodo ante- Deut. XXXII, 39 quam vivificet Dominus: occidit enim primum in nobis homicidia, adulteria, scelera, furta, per ba- B ptismum; et sic nos tamquam novos homines æternitatis immortalitate vivificat. Morimur ergo peccatis videlicet per lavacrum; regeneramur autem vitæ per Spiritum, sicut ait sanctus Apostolus: *Quoniam mortui estis delictis vestris, et vita vestra abscondita est cum Christo. Consepulti enim estis cum illo per baptismum in mortem;* occi- Coloss. III, 3. dimur enim quodammodo, cum desinimus esse quod fuimus. Novo enim pietatis genere in uno eodemque homine mors operatur et vita; moritur C enim concupiscentia peccatorum,[5] vivificatur amore virtutum. In uno namque eodem homine impius et adulter occiditur, ut misericors renascatur et castus: interimitur idololatria, ut religio propagetur: fornicator et ebriosus exstinguitur, ut continens et sobrius procreetur.

3. Sic ergo mortificat Dominus, ut vivificari faciat: sic occidit, ut prosit: sic verberat, ut emendet. Hæc est igitur circa homines suos ejus tota severitas; ut in his peccata puniantur, anima conser- D vetur:[6] abstollantur detestanda vitia, virtutes optimæ nutriantur. Usque adeo autem hac pia occisione Domini cernimus plerosque conversos in tantum ad melius profecisse, sic de piissimis optimos factos; ut cum videas eos, alios credas homines, cum non videas mutatas esse personas. In tantum enim in nobis id quod prius eramus, perimitur, aufertur, exstinguitur, ut id quod postea sumus, denuo natum esse credamus: unde nativitas hæc secunda prioris vitæ finem jam factum fuisse si- E gnificat.

4. Quod autem ait: *Ego percutiam et sanabo,* Deut. XXXII, 39. percutit plane præceptis suis Dominus peccatores, ut sanet: mandatis verberat, ut emendet: jejunia præcipit, indicit continentiam, judicium comminatur; et tristem gehennæ metum incutiens, adhibet medicinam, ut dum futura pertimescimus, præsentia corrigamus.

5. Sic namque Paulum apostolum percutiendo sanum reddidit: cum enim esset persecutor, impius Act. IX, et seq. F et blasphemus, et quidem ad devastandas Ecclesias Damascum properaret, subito fulgoris cœlestis eum terrore percussit, ut evangelici splendoris eum luce perfunderet; et carnalium luminum[7] orbitate mulctavit, ut spiritalium oculorum illuminaret aspectu: corporis eum debilitate perterruit, ut fidei devotione salvaret. Surgens ergo a terra Paulus, exterioribus quidem oculis non videbat homines, non aerem; sed mentis luminibus Christum videbat e

[1] Rom. edit., *sicut ignem ardentem exstinquit aqua, ita eleemosyna veniam impetrabit peccati.* Et infra, *et jejunium, sicut Salvator ait: Hoc genus non ejicitur, nisi per orationem et jejunium.*

[2] Eadem edit., *reddat ei saltem quod abstulit, si non in quadruplum, si cupit,* etc.

[3] Eadem edit., *Credite firmissime mihi, fratres, et nullatenus dubitate, quia si,* etc. Iterum infra, *sed sicut illi non nisi in sacco,* etc.

[4] Codex Vallisc. *medicinam datam servaverit.*

[5] Idem codex, *vivificatur odor virtutum.*

[6] Edit., *auferantur detestanda vitia.... hac pia occasione Domini.* Et infra, *videas eos, credas renatos homines.*

[7] Ita codex Vallisc.; editt. autem vet., *orbem mutavit,* Rom. *orbitatem mutavit:* omnes vero, *illuminaret aspectum.*

cœlo. Denique in tantum profuit Domini ista percussio, ut de Judæo christianus, de blasphemo apostolus, de Saulo Paulus existeret; et eo usque mutavit veterem cum moribus hominem, ut etiam mutaret et nomen.

6. Habentes igitur hujusmodi medicum, qui percutiendo sanat, mortificando vivificat: subdamur ei
1 cum omni patientia ad curandum;[1] ut quidquid in nobis probrosum, quidquid delictis sordidum, quidquid ulceribus fetidum esse perspexerit, incidat, amputet, exsecet; ut resectis omnibus diaboli vulneribus, hoc solum in nobis faciat remanere, quod Dei est. Istud autem præceptum ejus est primum, ut his quadraginta diebus jejuniis, orationibus, vigiliis operam commodemus: jejuniis enim lascivia corporis castigatur, orationibus devota saginatur anima, vigiliis diaboli insidiæ depelluntur. Deinde cum istis mandatorum observationibus fuerit hoc tempus impletum, tunc purgata et fatigata tot observationibus anima ad baptismum veniens, Spiritus sancti inundatione reficitur; et quidquid in ea diversarum ægritudinum ardor exsiccaverat, cœlestis gratiæ rore perfunditur; ut deponens veteris hominis corruptelam, novæ indolem juventutis acquirat, et mirum in modum in uno eodemque homine delictis sanctitas, iniquitati justitia, senectuti succedit infantia; novoque nativitatis genere alter est, qui renascitur, quam ipse sit, qui peccavit.

7. Sic namque Elias quadraginta dierum ac noctium curriculo continuato jejunio, totius mundi longam ac nimiam siccitatem meruit imbrium rore restinguere, et ardentem terrarum sitim cœlestis
III Reg. XIX, 8. pluviæ largitate perfundere. Quod quidem in figuram nostri factum esse cognoscimus, ut nos quoque horum quadraginta curriculo dierum jejunantes,
2 spiritalem baptismatis[2] pluvium tribubus nostris mereamur, nostramque jamdiu aridam terram cœlestis desuper imber infundat, et longam gentilium siccitatem lavacri inundatio salutaris irroret. Siccitatem enim et ardorem animæ suæ patitur quisquis baptismi gratia non rigatur.

8. Horum ergo dierum noctiumque jejunio Moyses sanctus meruit cum Deo loqui, stare, consistere,
Exod. XXIV, 18 et de manu ejus Legis præcepta suscipere. Quamvis enim illud ab obtutibus Dei conditio humana subtraheret, jejuniorum tamen gratia proximum illum divinitatis consortio faciebat: hæc enim in nobis virtutum portio Dei est, ut jejunemus frequenter, quoniam semper Deus ipse jejunat. In quocumque igitur plus operum suorum inesse perspexerit, ipsi magis familiaris, intimus et amicus est, sicut Scriptura dicit: *Et Moyses loquebatur cum Deo facie*
Exod XXXIII, 11. *ad faciem, sicut quis loquitur cum amico suo.*

9. Unde et Dominus Jesus Christus resurrectionis gloriam percepturus, virtutes suas quadraginta
Matth IV, 2. dierum noctiumque jejunio dedicavit; ut ostenderet non panem esse vitam hominum, sed Dei verbum. His itaque dierum quadraginta jejuniis reconciliatur Deus, aperiuntur cœli, inferna reserantur. Igitur et nos, fratres dilectissimi, jejunemus continue et devote hoc spatio temporis; ut propitietur nobis
3 Dominus: pateant nobis cœli,[3] inferna non valeant retinere.

[1] Omnes edit., *ut quidquid ulceribus fetidum;* intermedia vero e cod. Valliscl. restituta sunt.

[2] Rom. edit. post vocem *pluviam* resecaverat *tribubus nostris.*

A

SERMO XIX.

De sancta Quadragesima III.

Statim ab initio eam affinitatem exhibet hic sermo cum serm. 39 et 41, quos rejecimus, ut eos ejusdem auctoris esse nos persuaderi haud ægre patiamur. Non est autem cur existimes quadragesimam illic, ubi pronuntiatus est, 42 jejunia, seu septem hebdomadas complecti solitam; non enim alio modo, quæ hic dicuntur
B *de 42 mansionibus, intelligenda sunt, quam earumdem mansionum a Gregorio Magno* hom. 16 in Evangil. *inita comparatio cum Quadragesima; ubi tamen diserte tradit tantummodo 36 dies jejunii ætate sua fuisse observatos* (Edit. Maur.).

Nobis autem tanta apparet styli et conceptuum cum Ambrosianis in hoc sermone similitudo, ut vix, aut ne vix quidem admittere possimus Ambrosium non esse ejus auctorem.

C

1. Sanctæ quadragesimæ rationem, cujus hodie initium celebramus, frequenter edidimus; et cur tantorum dierum numero jejunemus, sæpe docuimus. Diximus enim quod Dominus Jesus Christus hunc eumdem numerum jejunii consecrarit, et continuatis diebus noctibusque non capiens cibum, unum jejunii corpus effecerit: hoc est, licet diei ordo noctis interrumperetur adventu; non tamen interruptus est ordo jejunii. Unde erant apud Deum
D plura quidem temporum curricula, sed abstinentiæ dies una: ostendit nobis ita nos hunc numerum integrum jejunare debere, ut quia totam quadragesimam complecti non possumus solido et uno jejunio, vel quotidianis eamdem sine intermissione jejuniis celebremus; ut si quisquam unam diem jejunando prætermiserit, totam quadragesimam violarit, et propter modici temporis cibum magni fructum laboris amiserit.

2. Sed dicit aliquis: Quadragesimæ aliquoties accepimus rationem, et eam consecratam a Domino
E frequenter audivimus: sed cur eadem quadragesima quadraginta et duos contineat dies audire gestimus. Legimus in veteri Testamento, cum sanctus Moyses filios Israel de jugo Ægyptiæ captivitatis erueret, ut in terram eos repromissionis induceret,[4] quadraginta et duorum dierum eum ad memoratam terram mansionibus pervenisse; tantoque illum Num. XXXIII, 1 et seq temporum numero potitum esse promissis, quanto et nos promissis nobis a Salvatore perfrui gratu-
F lamur. Eodem, inquam, numero Moyses per mansiones pervenit ad requiem, quo et nos per jejunia properamus ad cœlum, jejunia enim nostra mansiones quædam sunt, per quæ iter spiritaliter facientes, animæ virtutibus ambulamus, et diurno profectu repromissæ nobis terræ viciniores efficimur; ita ut citius perveniat, qui devotius jejunarit. Pedes enim quidem animæ pernices sunt fides atque jejunium: qui cito de humilibus ad altiora conscendunt, cito de terrenis ad cœlestia gradiuntur.
G De his pedibus dixit Apostolus: *Quam speciosi pedes evangelizantium pacem, evangelizantium bona!* Hos pedes lavari præcepit Dominus, sicut Rom. X, 15. Apostolus ait de vidua: *Si sanctorum pedes lavit.* I Tim. V, 16

[3] Vet. editt., *inferna contra nos non valeant:* cod. Lugd., *inferna non valeant;* Rom. edit., *prævaleant;* Valliscl. codex, ut nos in textu.

[4] Rom. edit. sola, *quadraginta et duorum locorum.*

Digni enim honore evangelizantium pacem pedes sunt, qui spiritales ac nitidi doctrina sui super hominum corda gradiuntur.

3. Quadraginta etiam et duorum annorum numero Israel populus pervenit ad fluenta Jordanis; eodem quoque dierum curriculo christianus populus pervenit ad fluenta baptismatis. Et sicut ait Pro-
Ps. cxiii, 3. pheta: *Jordanis conversus est retrorsum:* illic introeunte Israel in aquas fluminis, unda subterfugit, hic descendente in fontem christiano, criminum peccata diffugiunt. Et mirum in modum illic retrorsum conversus fluvius in originem suam revertitur: hic in posterum revocatus homo in originis suæ infantiam reparatur. Ibi fontem suum, de quo egressa fuerat, unda perquirit: hic hominem suum, a quo exierat innocentia, recognoscit: ibi exinanitur alveus fluctibus; hic evacuantur corda criminibus: ita ut servos Dei illic aqua cœnosa non madidet; hic famulos Dei conscientia tetra non polluat. Jordanis enim quidam est fons lavacri, per quem qui transierit, relictis sordibus, paradisum repromissionis ingreditur.

4. In hoc ergo quadragenario et duali numero Israel populus relinquens Ægyptum, Rubri maris fluenta transcendit; et nos quoque in ipso numero relinquentes mundi Ægyptum, gehennæ ardentis stagna transimus: illos in fluctibus unda sustentat; nos ignis flamma non urit: illis solidatur aqua; nobis refrigescit incendium, et contra naturæ usum per æstum siccatur mare, per fontem baptismi gehenna mitescit. In hoc, inquam, mystico numero filii Israel pervenientes ad Myrrham, cum præ amaritudine aquam haurire non possent (habebat enim fons aquam, sed dulcedinem non habebat; erat delectabilis ad visionem, sed sincerus non erat ad saporem), injecto in eam per Moysen ligno, dulcedinem suaviter potarunt; austeritatem enim quam noxia unda gestabat, ligni abstulit sacramentum.

5. Quod quidem in figuram factum puto: aquam enim amaram in Myrrham, legem esse arbitror veteris Testamenti, quæ lex priusquam cruce temperaretur Domini, erat immitis: jubebat enim oculum pro oculo, dentem pro dente dari, et velut austera nullum misericordiæ refrigerium porrigebat. At vero ubi ligno evangelicæ passionis est temperata, statim amaritudinem suam suavitate commutans, dulcem se cunctis præstitit ad potandum, sicut ait Propheta: *Quam dulcia faucibus meis*
Ps. cxviii, 10. *eloquia tua, super mel et favum ori meo!* Dulcia enim sunt eloquia quæ jubent: *Si quis te percusserit in dextera maxilla, præbe ei et alteram. Si quis tibi aufert tunicam, relinque illi et pal-*
Matth. v, 39. *lium.* Hæc est ergo illa amaritudo, quæ dulcedine commutata est, id est, austeritas Legis Evangelii gratia temperata est. Amara enim est Legis littera sine crucis mysterio, de qua ait Apostolus: *Littera*
II Cor. iii, 6. *occidit.* At ubi enim passionis illius sacramenta junguntur, omnis ejus spiritaliter amaritudo conditur; et de ea dicit Apostolus: *Spiritus autem vivificat.*

SERMO XX.

De sancta Quadragesima IV.

In hoc sermone superioris habetur continuatio, ac proinde uni auctori uterque tribuendus est. Postquam hic quædam illic tractata auctor repetiit, ad fontes 12 et palmas 72 orationem
A *vertit; ubi quod tradi apostolorum ac discipulorum figuram in illis exstitisse, non aliunde quam ex Origenis* hom. 27, in cap. XXXIII Num., *et Hieronymi epist. 127,* ad Fabiol., *haustum videtur* (Edit. Maur.).

Si Ambrosio, pro nostra sententia, tribuendus esset præcedens sermo, iste quoque eidem sancto doctori adscribendus esset propter hujus cum illo necessitudinem. Ac revera stylus quoque atque tota dicendi ratio, ut in sermone præcedenti,
B suadent hunc ex Ambrosii calamo defluxisse. Sed in hac hypothesi stare non posset quod Ambrosius a Hieronymo, ut supra dicitur, aliquid mutuatus sit.

1. Retinent adhuc sensus vestri, fratres, nos hoc superiore Dominica prædicasse, quod hujus quadragesimæ nostræ figuram illæ quadraginta et duæ mansiones habuerint, per quas populus Israel exiens de Ægypto, diurno profectu terram repromissionis
C intravit, et quasi quibusdam salutis gradibus post jugum servitutis ascendit ad regnum. Num. xxxiii, 3 et seq.

2. Figura, inquam, fuit in illis mansionibus jejuniorum nostrorum, non solum in quantitate numeri, sed etiam in observatione virtutum: non enim tantum filii Israel in itinere deserti corporeis gressibus ambularunt, quantum in via Domini religiosis actibus profecerunt. In via plane ambulaverunt Domini, quæ illos, et portavit in fluctibus, et pavit e cœlo: esurientibus enim in eremo manna non
D defuit, periclitantibus in mari terra non fugit: ibi mare in semitam sternitur, hic cœlum ad pabulum reseratur. Propter gratiam famulorum Dei Jordanis fluenta sua retinet, aquam suam Myrrha commutat. Illic retrorsum conversa, quæ sequebatur, unda præcepit: hic in melius temperata, quæ amarum stillabat, vena dulcescit: et mirum in modum fluvius cursum perdidit, fons saporem.

3. Sed quoniam diximus filios Israel venientes ad Myrrham, aquæ amaritudine laborasse, eamque
E non nisi ligni injectione potare potuisse, typum quoque in illa fuisse veteris Testamenti; videamus quo exinde proficiscens populus ipse pervenerit. Pervenit in locum, qui dicitur Elim, in quo erant duodecim fontes purissimi, et septuaginta virentium multitudo palmarum. Videte mysterium Dei, quemadmodum post amaritudinem Legis, fluenta evangelicæ pietatis exuberent. Ibi fons unus austerus est ad bibendum; hic plures, et omnes dulces sunt ad potandum: ibi post fatigationem nulla refectio;
F hic post laborem refrigerium atque victoria: sitientibus enim fontes ministrantur, palmæ vincentibus offeruntur. Exod. xv, 27

4. Palmæ, inquam, offeruntur vincentibus, quia post Legis duritiam ad Evangelii gratiam pervenisse vicisse est: præmium enim quoddam victoris est, os vivo fonte diluere, et dexteram triumphali palma munire. Per fontem enim lingua confessoris purificatur; per palmam dextera martyris honoratur: illa quia Christi exaltavit gloriam; hæc quia
G aram sacrilegii recusavit. Præmium enim quoddam est palma martyrii, quæ confitenti linguæ dulcem fructum tribuit, et victrici dexteræ gloriosum præstat ornatum. Est plane palma martyribus suavis ad cibum, umbrosa ad requiem, honorabilis ad triumphum, semper virens, semper vestita foliis, semper parata victoriæ; atque ideo non marcescit palma, quia martyrum victoria non marcescit.

5. Ipsæ denique palmæ sedenti super asinam, et venienti ad templum Domino a populis offeruntur: cum enim discipuli vestimenta sua sternerent, et iter Christi suis amictibus communirent; non habuit majus præmium nisi palmas, quod ei devotio plebis
1 offerret, significans stratis in itinere vestibus,[1] pollutam viam esse in mundo; oblatis palmis ipsum
Luc. XIX, 36. mundi esse victorem. Ipse, inquam, victor est, de
Apoc. V, 5. quo ait Scriptura: *Vicit leo de tribu Juda.* Ipse plane victor, qui destruxit diabolicam mortem, vitam illuminavit æternam. Palmæ igitur adve-
B nienti eriguntur Christo. Scriptum est: *Justus sicut*
Ps. XCI, 13. *palma florebit:* recte ergo advenienti justo eriguntur vexilla justitiæ, et auctori suorum obsequuntur tituli triumphorum.

6. Prius autem quam tollantur palmæ, iter Domini usque ad templum discipulorum vestibus operitur, et ut impolluta sit semita Salvatoris, apostolorum amictibus communitur. Quod quidem in mysterium factum puto; via enim Christi, quæ ducit ad templum, fides ejus est atque doctrina. Hanc igitur viam discipuli, ut nos sine offensione gradiamur, amictus proprii corporis exuentes, suo stravere martyrio; ut inter diversarum gentium turbas justitiæ semitam membrorum suorum vestimenta substernerent, et cœnosam mundi[2] myrrhaginem operirent, et impollutam viam Salvatoris ostenderent.

7. Ad duodecim ergo fontes post Myrrham venit populus Israel. Legimus in Propheta: *Benedicite*
Ps. LXVII, 27. *Domino de fontibus Israel.* Dominus Christus est, qui non nisi per apostolorum ora discitur, discipulorumque doctrinam. Apostoli dicendi sunt fontes,
3 quia[3] velut fontes purissimi gratia prædicationis exuberant, et post amaritudinem Legis venarum suarum larga sapientia sacramenti pocula dulcedinem stillant. Nec mirum si potus dulcis est fontium, in quorum sinu cibus dulcior est palmarum. Apostoli ergo sunt fontes, qui totius terræ faciem doctrinæ suæ flumine rigaverunt, et fatigatis gen-
4 tium populis potum[4] divini mysterii propinarunt.

8. Septuaginta autem palmas juxta fontes apostolicos generatas septuaginta illos discipulos dixerim, qui secundo ab apostolis gradu propter salutem hominum a Domino diriguntur, quos Lucas evangelista describens, binos et binos asserit desti-
Luc. X, 1 et seq. natos. Qui vere velut palmæ post curas hominum cum exultatione redeuntes, gloriantur apud Dominum sibi etiam dæmonia esse subjecta. Recte igitur comparantur palmis, qui palmarum præmio diaboli exstitere victores.

SERMO XXI.

De sancta Quadragesima V.

Prima hujus sermonis verba nobis indicant eum ejusdem, cujus duo superiores, parentis esse. Non mirum autem quod cum agnoscat jejunii esse 40 dies, eos tamen 42 mansionibus Israelitarum comparaverit; quippe quod eadem comparatio, ut jam diximus, jam tum fuerit
A *usurpata, cum 36 tantum diebus quadragesima constabat. Quod autem dicitur id moris esse, ut stationes appellarentur iidem dies, ex Tertulliano lib.* de Orat. *sub finem lib.* de Jejun. *et lib.* de Cor. Milit. *sumptum videtur: non secus ac Jonathæ hic facta mentio ex Hieronymo, lib.* Adv. Vigil. *cap. 10, et Cassiano* Collat. 21, *cap. 29* (Edit. Maur.).

Hic quoque sermo, cum non secus ac duo præcedentes, Ambrosii indolem referat, si sancto Do-
B ctori tribuendus sit, consistere nequit, eum a Hieronymo vel Cassiano aliquid esse mutuatum.

1. Intellexisse vos credo,[5] fratres, cur hæc no- 5
stra jejunia illis mansionibus comparaverim, in quibus populus Israel tamquam in procinctu quodam positus Pharaonem regem quotidiano labore superavit, et ab inimicis suis quasi quibusdam castris mansionum sese statione defendit; ita ut quicumque ex illo comitantium numero diurnæ stationis
C spatia non confecit, aut Pharao illum occupaverit, aut solitudo pervaserit. Sic ergo et nos propositum nobis quadraginta dierum iter debemus omni labore conficere, et quibusdam quasi castris nos jejuniorum devotione munire: castra enim nobis sunt nostra jejunia, quæ nos a diabolica oppugnatione defendunt. Denique stationes vocantur, quod stantes et commorantes in eis, inimicorum insidias repellamus. Castra enim sunt jejunia christianis, a quibus si quis aberraverit, ab spiritali Pharaone
D invaditur, aut peccatorum solitudine devoratur. Peccatorum autem solitudinem patitur qui deseritur a societate sanctorum.

2. Murus igitur quidam est christiano jejunium, 6
inexpugnabilis diabolo,[6] intransgressibilis inimico. Quis enim umquam christianorum jejunavit, et captus est? quis sobrius mansit, et victus est? Temulentum aggreditur diabolus; luxuriosum oppugnat inimicus. Ubi autem jejunium viderit, fugit, meruit, pertimescit; terretur pallore ejus, debili-
E tatur inedia, infirmitate prosternitur: prosternitur, inquam, infirmitate, quia christiana infirmitas fortitudo est. Unde ait Apostolus: *Cum infirmor, tunc fortior sum.* Sed quæret aliquis, quemadmo- II Cor. XII, 10
dum sit fortis infirmitas? Tunc est fortis infirmitas, quando caro tabescit jejuniis, anima puritate pinguescit. Quantum enim illi ciborum succus subtrahitur, tantum huic justitiæ virtus augetur. Tunc igitur homo imbecillis quidem est ad sæcularia opera, sed fortis ad divina; tunc enim magis de
F Deo cogitat,[7] tunc judicium metuit, tunc vincit 7
inimicum. Ait enim Salvator de diabolo: Hoc genus non ejicitur, nisi jejunio et orationibus. Dicit utique Matth. XVII, 20
a diabolo energumenum non nisi jejuniis posse purgari. Videte ergo quæ jejunii virtus sit, quantam homini suo præstet gratiam, quod tantam præstet alteri medicinam: quemadmodum proprium sanctificet hominem, quod ita purificet alienum. Mira enim res est: alter jejunat, et alteri prodest jejunantis utilitas.

3. Ergo, fratres, abstinentiæ arma minime depo-

[1] Omnes edit. et codex Lugd. Reg., *impollutam viam esse;* magis congrue ac Remig. et Vallisel., *pollutam,* etc.

[2] Rom. edit. sola, *et cœnosam voraginem.... post maran venit:* sed mss. ac vet. edit. ubique scribunt, *myrrham, myrrha,* etc.

[3] Vet. edit., *quia omnes purissimi;* Rom., *quia velut amnes purissimi;* mss. ut nos in textu. Rursus vero, ubi vet. editt., *larga sapientia sacramenta poculi,* codex Vallisel., *larga sapientiæ sacramenta poculi:* Lugd. vero lectionem anteponimus.

[4] Codex Vallisel., *divini ministerii propinarunt.*

[5] Rom. edit. sola, *fratres, superiore Dominica.*

[6] Codex Germ., *et turris inexpugnabilis diabolo.*

[7] Codex Vallisel., *tunc judicium non metuit.*

namus, et quadraginta dierum jejunia sine intermissione curemus. Hic est enim perfectus numerus ad vincendum: Dominus enim diabolum posteaquam quadraginta dies jejunavit, evicit, non quod et ante jejunia eum vincere non potuisset; sed ut ostenderet nobis tunc nos diaboli posse esse victores, cum per quadraginta dies victores jejunando desideriorum carnalium fuissemus: eum quoque qui hunc numerum consecratum gulæ intemperantia violasset, tamquam imbecillem et miserum facile eum ab inimico posse superari. Quomodo enim potest in altero diaboli improbitatem vincere, qui gulæ intemperantiam in se ipso non vincit? Prius ergo, homo, tui victor esto; ut possis esse victor alterius. Sunt enim intra te proprii tibi hostes, qui quotidie te oppugnant: ecce enim avaritia te divitiarum ambitione circumvenit, luxuria epularum
1 suavitate captivat, hæresis scientiæ [1] falsitate pervertit. Vince ergo inimicos proprios, ut vincere possis alienos.

4. Non enim, fratres, leve peccatum est, fidelibus indictam quadragesimam a Domino violare, et jejunia consecrata ventris voracitate dissolvere. Scriptum est enim: *Qui dicit se in Christo ma-*
I Joan. II, 6. *nere, debet sicut ille ambulavit, et ipse ambulare.*
2 Si vis ergo christianus esse, [2] debes quomodo et Christus ambulare. Ille qui peccatum non habebat, quadragesimam jejunavit: tu non vis quadragesimam jejunare, qui peccas. Ille, inquam, peccatum non habebat, sed pro nostris jejunavit peccatis. Qualis ergo apud conscientiam tuam christianus es, cum Christo pro te esuriente, tu prandes? cum Salvatore pro te jejunante, tu reficeris?

5. Non igitur, sicut dixi, leve peccatum est indictum violare jejunium. Nam ut hoc exemplis breviter approbemus, legimus in libris Regnorum, cum Saul rex Israel bellum contra Allophylos gereret, universo eum exercitui indixisse jejunium, et abstinentibus cunctis, eum contra adversarios
I Reg. XIV, 24 et seq. pugnare cœpisse. Bonus plane rex, qui hostes suos non tam armis quam devotione vincebat, et plus dimicabat religione, quam telis. Cum ergo Saul abstinentiam diei suis omnibus indixisset, et Jonathas ejus filius præcepti nescius, inter medias hostium acies victor incedens favum mellis, intincta sceptri summitate, gustasset; tanta indignatio repente commota est, ut et differretur victoria, et divinitas læderetur. Denique nec bello finis imponitur, nec regi responsum propheticum datur. Unde intelligimus quod Saul hostes non tam virtute militum, quam militum abstinentia superabat. Denique unius culpa cunctis confertur ignavia, et unius delicto omnibus generatur infirmitas: deficit enim virtus in exercitu, ubi deficit in observatione jejunium. Quod ut peccatum Saul ex ipsa divinitatis offensione cognovit, statim Jonathæ dixit non esse parcendum, sed peccatum admissum effusione ejus sanguinis expiandum. Videte quanta apud Saul
3 regem fuerit religionis [3] observatio, qui offensam Domini optavit etiam parricidio mitigare; et quanta sit resoluti culpa jejunii, quæ non nisi sanguinis effusione punitur. Et si ignorans Jonathas indictum a patre jejunium quod resolverit, morti addicitur,

A qui sciens indictum a Christo resolvit jejunium, quid meretur?

6. Ergo, fratres, statutum nobis custodiamus omni observatione jejunium, ut hostes nostros spiritales carnalesque vincamus; habemus enim, sicut nostis, et carnales hostes. Jejunemus igitur, ut eos exercitus noster et Saul superet et obtineat. Nec in abstinentia positi declinemus ad favum: favus enim quædam mundi est voluptas, seu vitia, *quæ*, sicut scriptum est, *ad tempus quidem impinguant*
B *fauces, novissime amariora sunt felle.* [4] Oremus 4 Prov. V, 4.
igitur, ut nobis jejunantibus ille spiritualis favus a Domino largiatur, qui in æterna beatitudine in palato faucis animæ nobis dulcescat: ipso adjuvante, qui vivit et regnat in sæcula sæculorum, amen.

SERMO XXII.

De sancta Quadragesima VI.

Hic sermo in antiq. editt. ac plerisque mss. su-
C *perioribus tribus proxime subjicitur; unde conjectura aliqua duci potest, eum ab illorum auctore profectum esse. Ipsius tamen stylus paulo humilior est: sed eumdem a dictione Ambrosii multo longius removet illa simplicitas, quam a Maximi* (Edit. Maur.).

1. Non usque adeo contristari debemus, fratres, quod in his quadragesimæ diebus tentatio nobis tribulationis advenit; quoniam et Salvatorem no-
D strum propter ipsam quadragesimam videmus esse tentatum. Minus ergo dolere debemus servuli, quia Domini habemus exemplum. Ubi enim est similis cum Christo devotio, similis est et cum Christo tentatio; conditionem enim nobis tolerandi imponit conditio jejunandi. Credimus autem quod sicut Salvator noster diabolum cum tentaretur, obtinuit; ita et nos hostes nostros, cum tribulamur, posse devincere; jejunia enim Christi tentari possunt, non possunt superari. Angustias quidem in obser-
E vatione habent, sed prosperitatem tribuunt et salutem. Videamus igitur inter cæteras tentationes, qua Dominum diabolus arte lacessat.

2. Cum enim super pinnam staret templi Salvator, ait diabolus: *Si Filius Dei es, mitte te deorsum,* et reliqua. Vere diabolicæ fraudis astutia Matth. IV, 6.
consuetudinis suæ nititur argumento; semper enim religiosos de superioribus dejicere ad inferiora conatur, et de sanctis ac venerandis actibus deducere ad terrena et cœnosa festinat; ut qui stat puritate mentis in summitate templi, projiciat se
F in profundum inferi contagione peccati. Nam cum Dominum de pinna templi dejicere nititur, utique de perfecto religionis cultu eum removere conatur; pinna enim loci sancti perfectio cœlestis est sacramenti.

3. Recte autem Dominus super pinnam templi stare dicitur, quia de ipso scriptum est: *Qui ambulat super pennas ventorum.* Super pennas enim Ps. CIII, 3.
ventorum quodammodo ambulat Dominus, cum super morum nostrorum alacri conversatione vo-
G latu incedit: pennæ enim nobis sunt boni mores, qui nos elevatos a terræ humilibus in cœli altiora

[1] Omnes edit., *perversitate pervertit;* omnes mss., *falsitate pervertit.*

[2] Vet. editt. et ms. unus, *debes quod Christus facere;* Rom.... *fecit facere:* sed cum neutrum horum verborum legere sit in aliis mss., lectio codicis Germ. magis arrisit.

[3] Ita mss.; editt. vero, *observantia qui offensum Deum,* etc.

[4] *Oremus igitur,* et sequentia nunc primum e cod. Vat. et Germ. restituuntur.

sustollunt, et volatu quodam mentis de tartaro tenebroso educunt, et ad paradisi amœna perducunt. Quorum morum pennas habere Propheta desiderans ait: *Quis dabit mihi pennas sicut co-*
Ps. LIV, 7. *lumbæ, et volabo et requiescam?* Super hanc ergo pinnam templi Salvator stare dicitur, hoc est, quasi in quodam templo fidei nostræ consistere; unde ait Apostolus: *Vos estis templum Dei vivi, et Spi-*
II Cor. III, 16. *ritus Dei habitat in vobis.*

4. In hoc igitur templo stans Dominus nec recedens, increpat diabolum, dicens: *Scriptum est:*
Matth. IV, 7. *Non tentabis Dominum Deum tuum;* hoc est, non tentabis eum, quem putas tamquam hominem
1 ad inferiora pellendum, sed magis[1] tamquam Deum et Dominum ipsum noveris adorandum. In his ergo jejuniorum diebus tentamur ad similitudinem Salvatoris: similiter enim et nos hostes nostri de pinna templi, hoc est, de observatione quadragesimæ deturbare conantur. Dum enim terrores ingerunt, dum insidias parant, cupiunt nos de arce religionis abducere. Dicitur autem eis a Domino: Non tentabitis sanctos viros et famulos Dei; quos enim tamquam humiles conculcandos putatis, sentietis tamquam strenuos honorandos.

5. Sunt enim, sicut dixi, plerique fratres, quos hostes nostri de perfectione religionis abducunt; qui dum præsens malum metuunt, putant Deum nostræ salutis immemorem, nescientes quod Deus nullius est immemor; sed immemorem illum nostri tunc facimus, cum peccamus. Cum enim mala operamur, avertit faciem: cum nefanda loquimur, aurem obstruit; et ideo bonitatem suam a nobis Deus non tam ipse retrahit, quam nostra illum delicta rejiciunt. Ait enim idem Dominus per prophetam ad eos, qui erant in tribulationibus constituti: *Numquid non valet manus mea eruere*
Isai. L, 2. *vos?* et reliqua. Vides ergo quoniam inter Deum et hominem peccata separant. Tolle igitur peccata de medio, et Deum tibi proximum tu fecisti.

6. Quomodo enim potest, fratres, oblivisci nostri Deus, qui etiam capillos capitis nostri in Evangelio apud se dicit esse numeratos? Si enim capillorum nostrorum meminit, multo magis nostrarum ani-
Luc. XII, 7. marum meminit. Per numerum enim curam circa nos sollicitudinemque cognoscimus: nemo enim numerat, nisi quod vult diligentius custodire; nemo numerat, nisi qui veretur, ne fraudem absque numero patiatur. Pastor ut salvum gregem habeat, eum frequenter annumerat: denique Dominus, qui est bonus pastor, cum una ovicula de centum ovibus aberrasset, recurrens ad numerum, propriis
Luc. XV, 4. eam ad gregem humeris reportavit. Usque adeo ergo habetur sub tutela, qui habetur in numero; ut errans propriis apportetur humeris, ne quid de numero minuatur. Nolite ergo putare, fratres, quod vel minimi cujusquam obliviscatur: Deus enim omnium meminit, omnium recordatur, tantum ut non, nostris intervenientibus peccatis, ei inferatur oblivio.

SERMO XXIII.

De sancta Quadragesima VII.

Ex iis quæ hic dicuntur de quinquagesima, cognoscere est illius ritum nondum communiter id temporis receptum fuisse; de cujus quidem

A *diversitate consuli potest Cassianus Coll.* XXI, *cap. 24, et Sozomenus lib.* VII, *cap. 19. Quod autem hic sexagesimæ ac septuagesimæ nulla fit mentio, illud sane indicio est hujus sermonis ac superiorum 14 et 15 auctores diversos exstitisse. Intenditur vero etiam querela adversus eos, qui per quadragesimam alternis tantum hebdomadis jejunium servabant, in quos similiter sermone 146 invehitur Petrus Chrysologus. Sunt præterea in quibus hic*
B *sermo cum serm. 145 et 147 Append. August. satis conveniat, ut forte ad eorum auctorem referri possit: at ne idem tribuatur Ambrosio nostro, nihil non reclamat* (Edit. Maur.).

1. Nonnulli christianorum, fratres, æstimantes se divinitatis præcepta religiosius observare, prætermissa devotione quadragesimæ, cujus hodie curamus exordium, quinquagesimam se facere mentiuntur; cum id neque divinis litteris jubeatur,
C neque traditum sit auctoritate majorum. Sola igitur hoc faciunt animi præsumptione; et dum putant se devotius agere, superstitiosius conversantur. Dicit se observare quinquagesimam qui forte quadragesimam implere vix possit. Bonum est quidem cunctis temporibus jejunare, sed melius quadragesimam jejunare cum Christo: hanc enim quadragesimam nobis Dominus suo jejunio consecravit. Quod dixi jejunio, non jejuniis: unum enim jejunium Domini fuit, qui continuatis quadraginta diebus et noctibus
D cibum omnino non sumpsit. Matth. IV, 2

2. Quisquis ergo christianus consecratam jejunando non impleverit quadragesimam, prævaricationis et contumaciæ reus tenebitur, quod legem divinitus pro salute sua datam prandendo ipse rescindit. Rescindis enim legem, qui exemplum jejunii Dominici non custodis.[2] Qualis vero christianus 2
es, cum, Domino jejunante, tu prandes? Qualis christianus es, cum, Christo esuriente, tu reficeris? Ille pro salute tua famem sustinet, tu pro peccatis
E tuis jejunare formidas? Dicite enim mihi, interrogo vos qui in quadragesima prandetis, si non in conscientiis vestris rei estis, quod abstinente cuncto populo, vos soli contra præceptum Domini devoratis? Si non vobis rubor est, cum exitis in publicum, ne quis vobis jejunus occurrat; aut si non cogitatis, cum ad Ecclesiam proceditis, quemadmodum pacem episcopo porrigatis; ne forte ipso spiritu osculi vestri vos reprobet! Quod si hæc forte non cogitatis, forsitan vehementer erratis:
F scire enim debetis, cum in quadragesimæ diebus jejunio pransus occurrit, non bene de illo judicat qui jejunat.

3. Hoc enim ideo dico, quia audio complures, quod gravius est, fideles alternis in quadragesima hebdomadis abstinere, et consecratum illum dierum numerum gulæ intemperantia violare; hoc est, prandere septem dierum curriculo, et septem dierum spatio jejunare. Quibus hoc dico, cur etiam per illos septem dies fraudem sibi faciant jeju-
G nando, cum illis jejunium tale non prosit? Quamvis enim abstineat quis certis diebus; quamvis ciborum dulciora alimenta non sumat;[3] non tamen illi ac- 3
cepto fertur quadragesimæ jejunium, qui non diebus quadraginta jejunat. Pudet dicere; senes et aniculæ

[1] Vet. editt. cum ms. Valliscl., *tamquam Deum et hominem ipsum.* Non satis recte.

[2] Abest a cod. Lugd. et Valliscl. *Qualis vero.... tu prandes?*

[3] Codex Valliscl., *non tamen illius acceptum fertur,* etc.

quadragesimam faciunt;[1] juvenes et juvenculæ non faciunt. Omni igitur sollicitudine tempus sacratissimum celebremus; non prætereat nos dies absque jejunio; non nos transeat una hebdomada absque vigiliis. Ille enim facit quadragesimam, qui jejunando et vigilando ascendit pascha. Nam sicut reliquo anno jejunare præmium est, ita in quadragesima non jejunare peccatum est: illa enim voluntaria sunt jejunia, ista necessaria; illa de arbitrio veniunt, ista de lege; ad illa invitamur, ad ista compellimur.

4. Sed videamus iste quadraginta dierum sacratissimus numerus unde habere cœperit exordium. Gen. VII, 12. Legimus primum in veteri Testamento Noe temporibus, cum omne genus hominum scelerata iniquitas occupasset, tot dierum numero patefactis cataractis cœli aquarum pluvias defluxisse, et mysterio quodam quadragesimæ inundatione orbi terrarum facta, non tam diluvium quam baptismum contigisse. Baptismus plane fuit, per quod in peccatoribus iniquitas sublata est, Noe justitia conservata. Ita ergo et modo nobis Dominus ad instar illius temporis quadragesimam dedit; ut constituto dierum numero, patefactis cœlis, pluvia nos misericordiæ cœlestis irroret, et inundatione facta per baptismum lavacri salutaris nos imber illuminet; et sicut tunc factum est aquarum fluctibus, exstinguatur nunc in nobis delictorum iniquitas, virtutum justitia conservetur. Ipsa enim quæ sub Noe, et modo vertitur ratio; baptismus enim peccatori diluvium est, consecratio est fideli. Per lavacrum enim Domini salvatur justitia, necatur injustitia; quod in uno eodemque factum videmus apostolo Paulo, qui priusquam præceptis spiritalibus lavaretur, erat blasphemus persecutor, et Saulus; at ubi pluvia super eum lavacri cœlestis influxit, necatur blasphemus, necatur persecutor, necatur Saulus; vivificatur apostolus, vivificatur justus, vivificatur et Paulus. Usque adeo autem perdidit veterem cum actibus suis hominem, ut cum moribus mutaret et nomen. Quisquis ergo in hac devotione quadragesimæ Dominica mandata servaverit, necabitur in eo diabolica impietas, apostolica autem reservabitur gratia; et succedens quodammodo sibi ipse, moritur ex ea parte, qua peccator est; vivificatur ex illa parte, qua justus est.

5. Videamus etiam si alibi in Scripturis hunc mysticum quadragesimæ numerum possimus invenire. Legimus quod sanctus Moyses in eremo quadraginta annorum curriculo filios Israel cœlesti Exod. XVI, 35. manna nutrierit. Bonus ergo numerus, qui semper cœlum aperit; bonus, inquam, numerus, per quem justitia Noe salvatur, et Israel filii saginantur. Unde et nos observemus hunc numerum, ut aperiantur nobis cœli, quatenus et pluvia nos gratiæ spiritalis irroret, et spiritalium sacramentorum manna reficiat; instar enim Patrum nostrorum hac observatione quadragesimæ et justificamur et pascimur: justificamur lavacro, pascimur sacramentis.

6. Sed dicet aliquis, filios Israel in eremo quando manna saturati sunt, minime jejunasse. Ego autem dico illos nonnisi abstinentiæ tunc vacasse, atque ideo cœlestis alimoniæ gratiam meruisse: primum, quia desertum omne jejunium est,[2] quia anxietas solitudinis concupiscentiam repellit escarum; deinde in eremo unde accuratæ epulæ? unde vina pretiosa? unde quadraginta annorum tempore qualiscumque substantia? Intelligimus ergo jejunasse filios Israel, quia cognoscimus illis escarum copiam defuisse, et tunc sumpsisse cibum, quando largienti Domino placuisset. Satis autem diu jejunat, qui cum Christi voluntate se reficit. Usque adeo vero abstinentia filiorum Israel in eremo placuit Salvatori, ut quorumdam etiam inter ipsos intemperantia notaretur; ita ut quisquis avidior duplum mannæ cibum sibi collegerat, hic hac injuria feriretur, ut non tam cibum sibi inveniretur servasse, quam vermes; scilicet ut quia supra moderatam refectionem concupierat, velut stimulis quibusdam conscientiæ in morem vermium urgeretur.

7. Igitur et nos, fratres, observantes quadragesimæ quotidiana et moderata jejunia, et tamquam in eremo constituti, nihil deliciarum sæcularium cogitemus; nulla nos cupiditatum corporalium dulcedo sollicitet. Simus sobrii, simus casti; habentes quidem conversationem in urbibus, possideamus mente desertum. Si ita abstinentes egerimus, erit ut cœlestis mannæ reficiamur alimonia, et nullis vermium stimulis compungamur.

SERMO XXIV.

De sancta Quadragesima VIII.

Quidquid a primis hujus sermonis verbis usque ad numerum 2, interponitur, in Append. August. ubi sermonem 251 constituit, reperitur. Ex eodem etiam nonnulla reperiuntur in ejusdem Appendicis 256. Unde cognoscimus et Cæsarium, si tamen is auctor horum sermonum jure dicatur, easdem sententias subinde iterasse, et nostrum hunc sermonem plenum esse atque perfectum, cum dictus sermo 251 illius tantum lacinia sit. Apud Rabanum homilia inscribitur Contra paganicos errores, *in qua sicut et in sequenti quædam legere est, quæ ex hoc sermone videtur mutuatus; nisi malueris eumdem sermonem partim ex Cæsario, partim ex Rabano, partim ex aliis collectum esse* (Edit. Maur.).

1. Quam timendus est, fratres charissimi, dies ille judicii, in quo Dominus noster Jesus Christus, ac redemptor omnium proposuit venire con flamma ignis, quæ consumptura est adversarios suos, et eos qui faciunt iniquitatem! In illa die plangent omnes tribus terræ. Et videbunt Filium hominis venientem in nubibus cœli cum virtute magna, et majestate excelsa; et commovebuntur ante eum omnes fines terræ, et peccatores peribunt in ea: et cœlum plicabitur, et mare siccabitur, et montes sicut cera ardebunt usque ad inferos: et sol convertetur in tenebras, et luna non dabit lumen suum, et stellæ cadent de cœlo, et virtutes cœlorum commovebuntur: et tunc apparebit signum Filii hominis in cœlo, quod erit crux Christi Domini nostri, in cujus lumine tenebrescent totius mundi lumina. Tunc sancti rapientur obviam Christo in aera, et sic semper cum Domino erunt; peccatores autem confundentur et peribunt. Et tunc Dominus noster Jesus Christus mittet angelos suos ad quatuor an-

[1] Ita editt.; cod. vero Lugd. et Vallisel., *divites juvenesque non faciunt.*

[2] Vet. editt. cum ms. Vallisel., *qui anxietas sollicitudinis;* melius edit. Rom. cum cod. Lugd.... *solitudinis.*

gulos terræ, et congregabunt electos ejus a summo cœlorum usque ad terminos eorum: et tunc separabit sanctos suos Dominus de medio peccatorum, et mittet eos in mansiones cœlestes: peccatores autem mittentur in caminum ignis, qui paratus est diabolo et angelis ejus. Ibi erit fletus et stridor dentium. Væ illis hominibus, qui cum diabolo habebunt mansiones; quia ascendet fumus tormentorum eorum in sæcula sæculorum: quorum vermis non morietur, et ignis eorum non exstinguetur. In quibus nulla vox nisi gemitus, nulla requies nisi ignis, nullum refrigerium nisi flamma, nulla lux umquam nisi tenebræ: et tales non venient umquam in memoriam apud Deum, quorum cibus cruciatus est, et mansio eorum cum diabolo erit, ubi nulla suavitas nisi fetor.

Matth. XXIV, 29 et seq. Matth. VIII, 12.

2. O homo, qui regnum Dei possidere desideras, quod fecisti malum, dum potes, emenda: dum tempus habes, clama ad omnipotentem Deum; dum tempus habes lugendi, dum adhuc anima tua versatur in corpore tuo, dum adhuc vivis, remedium tibi futurum acquire, priusquam in profundum te mortis absorbeat laqueus pœnarum, priusquam te infernus capiat; ubi nulla est indulgentia, ubi nullus ad confessionem recursus, ubi nullus est ad veniam regressus.

3. Et nos, fratres charissimi, agamus veram pœnitentiam, ut nos Dominus ab illa pœna, quam superius diximus, eripere dignetur. Non nobis sufficit, quod nomen christianum præferamus, si opera christiana non facimus: decimas nostras annis singulis de cunctis frugibus, pecoribus, et cæteris præcipit erogandas Dominus. Scriptum quoque est: Date decimas de omni labore vestro, et de omnibus pecoribus vestris, et ego aperiam vobis cataractas cœli, et multiplicabuntur messes, et vindemiæ vestræ erunt vobis in abundantiam, insuper et sanitates in domibus vestris. At si non dederitis decimas, dicit Dominus, mittam grandinem et pruinam et tempestates super vos, et tollam omnem laborem vestrum. Novem partes vobis tributæ sunt; sed qui decimas dare noluistis, ad solam decimam revertetis: insuper et mortalitates venient in domos vestras. Frumenti, vini et olei partem offerte primum in Ecclesiam; reliquam per cæcos, claudos, debiles, leprosos, et orphanos, et per viduas, peregrinos et advenas dividere debetis. Similiter facite de omni peculio vestro, de omni fructu vestro. Quoties novum facis panem de messe tua, primum affer ad Ecclesiam pro benedictione; reliquum vero tecum retinere poteris pro te, et tua familia: sic fac de uva, et de omni labore tuo.

Deut. XII, 6 et seq.

4. In ecclesia stantes nolite obstrepere, sed lectiones divinas diligenter audite. Qui otiosis verbis, cachinnis clamorosis, deambulationibus importunis in ecclesia perstrepit, et pro se et pro aliis redditurus est rationem in die judicii; quia Verbum Dei nec ipse audit, nec alios audire permittit. Ad ecclesiam cum venitis, nolite litigare; causas vanas nolite dicere, audire vel judicare; aut rixari, aut jocari, vel alienas fabulas referre: quoniam qui talia agunt sine fructu orationes eorum evanescunt: immo cum parvo peccato ad ecclesiam veniunt, et cum peccatis multis de ecclesia recedunt, quibus valde congruit, quod Propheta dicit et comminatur: *Homo vanitati similis factus est; dies ejus sicut umbra transeunt.*

Ps. CXLIII, 4.

5. Judices vero qui causas audiunt, juste judicent, et munera super innocentes non accipiant; ne forte dum acquirunt pecuniam, perdant animam suam. Nemo enim habet injustum lucrum sine justo damno; ubi lucrum, ibi et damnum: lucrum in arca, damnum vero in anima. Dic, ubi sunt reges, ubi sunt principes, ubi sunt divites? ubi est aurum et ornamentum eorum? Cuncta velut umbra transierunt. Aurum et argentum et ornamenta eorum remanserunt in mundo, et illi sine fine cruciantur in inferno, ubi vermes eorum non morientur, et ignis eorum non exstinguetur, quia scriptum est: *Potentes potenter tormenta patientur.* Ibi vitam tenebrosam et mansionem obscuram perpetuo habebunt: ibi miseri cum miseris, superbi cum superbis, homicidæ cum homicidis, adulteri cum adulteris, iniqui cum iniquis, falsi cum falsis, sacrilegi cum sacrilegis, omnes simul cruciantur in inferno sine fine.

Sap. VI, 7.

6. Firmiter mihi credite, fratres, quia nullus pejorem culpam habet, quam qui Deum blasphemans et derelinquens, idola colit: nec pejor dissolutio esse potest in populo, quam quod dæmonibus immoletur, et Ecclesiæ catholicæ derelinquantur: et qui de misericordia Domini desperat, et non credit in resurrectionem: et qui colunt augures, vel sortilegos, vel aruspices, divinos et præcantores, et qui confidunt in phylacteriis et characteribus, aut sternutationibus, avibus cantantibus, divinationibus, aut mathematicis, aut aliis quibuscumque malis artibus, damnabuntur.

7. Isti omnes infelices et miseri, qui saltationes ante ipsas etiam sanctorum basilicas, et in ipsorum sanctorum festivitatibus choros ducunt, cantica luxuriosa vel turpia lingua sua proferunt. Quare unde debuerant Deum laudare et mereri, inde sibi damnationem acquirunt; et sicut christiani ad ecclesiam veniunt, ut pagani tamen de ecclesia revertuntur.

8. Nulla mulier potione abortivum procuret, aut conceptos fetus occidat. Mulier quæ iniquitatem hanc patraverit, quantos parere potuisset filios, tantorum homicidiorum rea, rationem redditura est in die judicii. Quicumque malorum hujusmodi reus inventus fuerit, perdidit baptismi meritum coram Deo et angelis ejus.

9. Contestamur vobis coram Christo Domino nostro, quod qui malum fecerit, nisi veram pœnitentiam egerit, eleemosynas justas fecerit, et nisi in bonis operibus mors illum invenerit, quod numquam possidebit vitam æternam, sed cum diabolo descendet in infernum; quia *arcta et angusta est via, quæ ducit ad vitam.* Et ideo non tantum propter timorem judicii, sed propter amorem Dei, et gaudia vitæ æternæ, ab omni vitio et malo se abstinere quis debet, etiam spem suam omni hora in Deum ponere.

Matth. VII, 14.

10. Serpens cum venerit ad bibendum aquam, priusquam bibat, extra fontem evomit venenum suum, et postea bibit: ita et nos quando ad altare Domini communicaturi accedimus, deponamus venenum pessimum, hoc est, iracundiam, odium, invidiam, falsitatem, iniquitatem, avaritiam, cupiditatem, superbiam, sacrilegium, furtum, luxuriam, falsum testimonium, discordiam, perjurium: hæc sunt animarum venena. Ista prius repellamus a nobis, et sic ad altare Domini corpore et sanguine ejus satiemur. Mundemus corda et corpora nostra ab omni vitio malo; ut casto corpore, et mundo corde, et cum secura conscientia ad altare Domini pos-

simus accedere. Etiam per omnes festivitates, auxiliante Domino, castitatem servate; ut nos solemnitates nostræ castos et justos inveniant.

11. Rogamus Dominum, ut mittat vobis medicamentum cœleste, hoc est, castitatem, charitatem, gaudium, patientiam, longanimitatem, fidem, lenitatem, continentiam et misericordiam. Et nos, fratres charissimi, non cessemus benefacere, jejunare, pœnitentiam agere, eleemosynas dare, nudos vestire, infirmos visitare, hospites colligere, et pauperes pascere, Ecclesiis Dei servire, Scripturas sanctas custodire, Dei servos diligere, spem nostram omni hora in Deum ponere, iram non perficere, iracundiæ tempus non retinere, pacem falsam non dare, charitatem non derelinquere, non jurare omnino, ne forte pejeremus. Omnia quæcumque vultis ut faciant vobis homines, et vos facite illis similiter. *Qui autem perseveraverit usque in finem,* Matth. x, 22 *hic salvus erit.*

12. Vos autem, fratres charissimi, ut cogitetis periculum vestrum, paterna charitate admonemus. Si nos libenter auditis, et vobis vitam æternam, et nobis perenne comparabitis gaudium in regno cœlorum, ad quod feliciter pervenire mereamur, præstante Domino nostro Jesu Christo, qui cum Patre et Spiritu sancto vivit et regnat in sæcula sæculorum, amen.

SERMO XXV.

De sancta Quadragesima IX.

Jam pridem hic sermo numeratus est inter Ambrosianos, quippe qui a Gratiano et P. Lombardo Ambrosii nomine citatus fuerit. Horum auctoritate sicut et codicum Vatic. et Mediol. a Decreti emendatoribus eumdem sancto Doctori attributum esse pronum videtur. Verum non possumus quin admiremur eruditiss. Cardin. Bona lib. I Rer. Liturg. *cap. 14, num. 5, pro Ambrosiano ipsum habuisse. Etenim vel hoc solum quod per quadragesimam singulis diebus excepta Dominica necessario jejunandum tradit, justum hac de re dubitandi locum præbuit Possevino in Apparatu. Si huic causæ illam addideris quod prandium hora nona capere permittit, et eadem hæc cum serm. 8* in Psal. CXVIII, *num. 48, composueris, quam in eo nihil existat Ambrosianum, statim comperies. Porro mutationes a Romanis editoribus, qui primi eum prælo subjecere, in eo factas ex codice bibliothecæ Vallicellanæ emendavimus* (Edit. Maur.).

Sane nec nos diffitemur hujus sermonis stylum ab illo Ambrosii toto marte abludere.

1. Ecce[1] nunc tempus adest, in quo et peccata vestra confiteri Deo et sacerdoti, et per jejunia et orationes et lacrymas atque eleemosynas delere debetis. Quare erubescit peccator manifestare peccata sua, quæ et Deo et angelis omnibus, atque *De Pœnit., dist. 1. c. Ecce.*

A cunctis electis animabus sunt nota et manifesta? Confessio a morte animam liberat, confessio paradisum aperit, confessio spem salvandi tribuit. Unde Scriptura dicit: *Dic tu iniquitates tuas primus, ut justificeris.* Hic iis verbis ostenditur quia non Isai. XLIII, 26. meretur justificari, qui in vita sua peccata non vult confiteri. Illa vero confessio non liberat, quæ non fit cum pœnitentia. Pœnitentia vera est dolor cordis, et amaritudo animæ pro malis quæ quisque commisit. Pœnitentiam est et mala præterita plan- *De Pœnit., dist. 3. c. Pœnitentia*
B gere, et plangenda iterum non committere.

2. Et quamvis omnes dies, quibus homines vivunt, apti sint pœnitentiæ, tamen isti dies sunt plus apti et congrui ad confitendum, et ad jejunandum, atque eleemosynas faciendas: quoniam peccata totius anni istis diebus potestis diluere. Ideoque moneo omnes, et hortor singulos, ut quidquid in vobis reprehensibile cognoscitis, emendetis. Quicumque recognoscit in se[2] quod fidelem non decet, emendet: [2]
quod minus fecit, si fideliter decimas non dederit.
C Quid est fideliter decimas dare, nisi ut nec pejus, nec minus aliquando Deo offerat aut de grano suo, aut de vino suo, aut de fructibus arborum, aut de pecoribus, aut de horto, aut de negotiis, aut de ipsa venatione sua? Quia de omni substantia, quam Deus homini donat, decimam partem sibi servavit; et ideo non licet homini retinere illud, quod Deus sibi reservavit. Tibi dedit novem partes, sibi vero reservavit decimam partem; et si tu non dederis Deo decimam partem, Deus tollet a te novem partes.
D Item si quis recognoscit in se quod ab aliquo tulit aliquid injuste, emendet reddendo quod injuste tulit. Nam qui non vult Deo reddere decimas, quas retinuit, et homini non studet reddere, quod injuste ab eo abstulit; non timet adhuc Deum, et ignorat quid sit vera pœnitentia, veraque confessio. 16, q. 2, c. *Nam qui Deo.*

3. Iste talis homo non potest bonam eleemosynam facere. Bonum est propterea, fratres, ut Deo reddatis quæ sua sunt, et proximo quæ illius fuerunt; ut de vestris justis laboribus eleemosynas
E faciendo, peccata vestra possitis redimere, secundum quod[3] scriptum est: *Sicut aqua exstinguit* [3]
ignem, ita eleemosyna exstinguit peccatum. Et Dan. IV, 24.
hoc facere debetis, quia unusquisque secundum quod habet, debet tribuere indigentibus: id est, qui habet multum, debet tribuere multa, et qui parum habet, debet[4] parum dare, secundum quod sanctus Tobias [4]
agere docuit filium suum. Cum grandi quoque studio Tob. IV, 7.
et cum ingenti aviditate debent christiani eleemosynas facere, ut mereantur in die judicii audire
F a Domino: *Esurivi, et dedistis mihi manducare: sitivi, et dedistis mihi bibere: hospes eram, et collegistis me: nudus eram, et vestistis me: infirmus, et visitastis me: in carcere eram, et venistis ad me. Venite ergo, benedicti Patris mei.* Matth. XXV, 35
Si[5] ista vos opera misericordiæ non feceritis, quæ [5]
modo commemoravi, audietis in die judicii: *Ite in ignem æternum.* *Ibid.*, 41.

4. Jam quia tales dies sunt, non audeo, ut non dicam periculum et grande malum, quod est in

[1] In cod. Biblioth. Vallic. et apud Gratian. ea hujus sermonis prima verba sunt: in edit. autem Rom. hoc initium sine teste aut fidejussore præmissum fuit: *Ecce nunc tempus acceptabile, ut superiori Dominica legimus.*

[2] Rom. edit., *quod fideliter non dederit decimas suas modo emendet, quod minus fecit. Quid est,* etc.

[3] Eadem edit., *scriptum est: Peccata tua eleemosynis redime. Et adhuc scire debetis.*

[4] Rom. edit., *juxta paucum non timeat eleemosynam facere, secundum quod,* etc.

[5] Rom. edit., *Si per hanc vocem opera misericordiæ.... æternum, qui paratus est diabolo et angelis ejus: Jam quia.... non audeo tacere, ut non revelem periculum vestrum.... quod vobis, nisi emendetis vitam, imminet, qualis,* etc.

populo isto: quod si ea feceritis, dicet vobis: *Venite, benedicti Patris mei.* Qualis christianus est, qui tali tempore non jejunet, vel usque ad nonam? Ecce Ninivitæ parvulos etiam lactantes, et pecora atque jumenta, ut periculum mortis evadere possent, jejunare fecerunt. Quales ergo christiani esse possunt, qui et sani sunt, et jejunare cum Moyse, et Elia, et Salvatore nostro nolunt? Solent enim dicere: non possumus laborare, et jejunare. Sed ideo non possunt, quia nolunt. Saltem laborent minus, ut jejunare possint. Moneo quapropter, et contestor vos in Domino, ut nullus vestrum, nisi forte sit infirmus, aut infans, usque ad pascha, et nisi in dominicis diebus, ante nonam manducet, aut bibat.

5. Moneo etiam ut qui juxta ecclesiam est,[1] et occurrere potest, quotidie audiat missam, et qui potest, omni nocte ad matutinum officium veniat. Qui vero longe ab ecclesia manent, omni Dominica studeant ad matutinum venire: id est, viri, et feminæ, et juvenes, et senes præter infirmos; unus tamen aut duo remaneant, qui domum custodiant.

6. Nullus omnino uxori suæ jungatur ante octavam paschæ. Quicumque iram, aut odium contra alterum tenet, dimittat illi ex toto corde, si salvari desiderat: et exceptis illis, quibus sacerdos consilium dat, ut non communicent, omnes christiani omni Dominica debent offerre et communicare. In quadragesima vero moneo ut die omni, aut saltem, ut dixi, omni Dominica offeratis et communicetis. Et idcirco puram et mundam vitam ducite, ut digni sitis accedere ad sanctam communionem. Et hæc scire debetis, quia quidquid subtrahitis corpori in jejunando, totum debetis pauperibus donare, non vobis ipsis reservare.

7. Omnipotens Deus donet ut ista, quæ dicta sunt, retineatis, et opere compleatis; quatenus post finem, hujus vitæ, et post terminum laboris ad requiem sempiternam pervenire possitis: ipso donante, qui vos et creavit, et pretio sui sanguinis redimere voluit: qui vivit et regnat per infinita sæculorum sæcula. Amen.

SERMO XXVI.

De sancta Quadragesima X.

Hic sermo ex eorum est numero, quos Rom. editio primum evulgavit. Eidem præfixit illum titulum: De modo vere agendi pœnitentiam. *Sed quam immerito nomen Ambrosii ipsi ascripserit, nemo vel ex prima lectione non deprehendat. Suspectum vero id etiam nobis est, quod in ipso limine memoratur de Ninivitis; quippe cum in toto reliquo sermone neque de illis, neque de illorum pœnitentia quidquam dicatur. Quod autem asseritur, qui unam tantum jejunii diem prætermiserit, integram violasse quadragesimam, habetur etiam sermone 22, sicut et quod occasione hiemis in meliorem tempestatem se convertentis hic disseritur, cum eodem sermone affinitatem quamdam habere videtur; unde conjicere forsan liceat unum ac eumdem horum sermonum auctorem esse* (Edit. Maur.).

Nullam nos tamen deprehendimus causam suspicandi de obreptione in primis hujus sermonis verbis; siquidem ut simplex introductio ad loquendum ex evangelica lectione in missa peracta satis naturaliter conspici possunt.

1. Lectum est nunc in Evangelio: *Viri Ninivitæ surgent in judicio cum generatione ista, et condemnabunt eam, quia pœnitentiam egerunt in prædicatione Jonæ.* Pharisæi pœnitentiam simulabant, ideo a Christo Domino appellantur *generatio mala et adultera;* et alibi, *progenies viperarum:* non autem vere pœnitebant, ideo merito condemnantur. Matth. XII, 41. Ibid., 39. Matth. III, 7.

2. Sic et tu, o christiane, quem scio esse superbum, pœnitere te asseris, et diaboli opera requiris, et Domini præcepta prætermittis. Scire a te desidero quid pœniteas: nescio quid sit pœnitentia tua. Pœnitere te asseris, qui cum injustitia, qua præcinctus es, superinduxisti superbiam? Pœnitere te asseris, qui carnem alienam sequeris? Sic fatigaris: reversus es sicut canis ad vomitum, aut velut sus calore affecta, in limo terræ provoluta. Quid sit tua pœnitentia, non invenio: circuivi et perambulavi locum pœnitentiæ, et non inveni pœnitentiam tuam. Qui sæculum destruxeras, ibidem inveniris: qui carnis superbiam deposueras, humerum submittis iterum, ut gravius portes onus: qui avaritiæ dederas dorsum, denuo illi obviam occurris: qui vanitati repudium dederas, iterum reverteris ad ejus gratiam: qui pompas sæculi fugeras, iterum in manus illius incidisti. Ambulas superelatus sine cervice. Nescis scriptum esse: *Quid nobis profuit superbia, et quid divitiæ cum jactantia contulerunt nobis?* Et sequitur: *Transierunt illa omnia tamquam umbra.* Fidelem et mundum te invenisti, qui per aquam baptismi fueras renovatus, sicut scriptum est: *Lavamini, mundi estote, auferte nequitias ab animabus vestris.* Illos propheta ad lavandum hortatur; tu autem cum esses mundus, sordidus factus es, non potes denuo lavari. Sap. V, 8. Ibid., 9. Isai. I, 16.

3. Si vis autem ut munderis iterum, da eleemosynam, et omnia tua munda sunt. Luc. XII, 41.

Mundandis bona est eleemosyna, quæ purgat omnes sordes. Humilia autem te in omnibus, et coram Deo invenies gratiam: *Subditus esto Deo, et obsecra Dominum;* et: *Ne æmuleris, ut nequiter agas; quoniam qui nequiter agunt, exterminabuntur.* Ora Dominum quotidie cum lacrymis, si forte peccata tua solvantur; cum Deus superbis resistat, humilibus autem det gratiam. Memorare filium in longinquo positum, qui luxuriose vivendo substantiam suam cum meretricibus dissipavit; postea humilis factus, et ad cor reversus, dicens: *Quanti mercenarii in domo patris mei abundant panibus; ego autem hic fame pereo? Surgam ergo, et vadam ad patrem meum, et dicam: Fac me sicut unum ex mercenariis tuis.* Ad patrem accedens, et coram eo se prosternens, fuit ab eo lætanter acceptus; immo occidit pro eo vitulum saginatum. Eccl. III, 20. Ps. XXXVI, 7. I Pet. V, 5. Luc. XV, 17.

4. Memorare itaque quia et pro te Christus occisus est, qui ante fuit vitulus saginatus. Quia vero alter filius ejus contristatus est, quoniam occisus est Christus, qui ante fuit vitulus saginatus, pater respondit dicens: *Fili, tu mecum semper es, et omnia mea tua sunt: gaudere autem te oportet*

[1] Eadem edit., *et sine gravi impedimento potest.*

quia hic filius meus mortuus fuerat, et revixit:
Luc. xv, 31, 32. *perierat, et inventus est.* O quam beatum populum, pro quo Christus occiditur! Quale gaudium portat Pater, quando quod mortuum fuerat, reviviscit, et quod perierat, invenitur! cui tunc dicitur, ut scriptum est: *Ecce sanus factus es, jam noli*
Joan. v, 14. *peccare, ne tibi deterius aliquid contingat.*

5. Attende ergo unde excideras, et plange, pœnitentiam age: si quominus, veniet tibi Dominus cito, et movebit candelabrum tuum de loco suo. Memorare, fili, Christum reliquisse nonaginta et novem justos, perquisisse hominem peccatorem, et
Luc. xv, 4 inventum eum in invio humeris suis reportasse:
Ibid., 8. vel illam mulierem, hoc est, Ecclesiam, quæ perdiderat drachmam, hoc est, hominem peccatorem, accendisse lucernam, hoc est, Christum qui est lumen justitiæ, et inventa ea in pulvere, vocasse amicas et vicinas Ecclesiæ, ut congratularentur super inventum hominem peccatorem, et a stercore erectum eum collocasse cum principibus populi sui, hoc est, cum apostolis et prophetis. Ecce quid facit pœnitentia homini peccatori, qui dum
Ps. cxii, 7. in stercore jacet, cum principibus sublimatur.

6. Pœnitentem hominem dico, qui plangit quod peccaverat, et rogat Dominum, ut non iterum faciat quod admiserat. Pœnitentem hominem dico, qui diebus ac noctibus ingemiscit, et cum Propheta dicit: *Lavabo per singulas noctes lectum meum*
Ps. vi, 7. *lacrymis meis.* Pœnitentem hominem dico, [qui repellit quod male fecerat, et rogat Dominum, ut veniam consequatur. Pœnitentem hominem dico, qui post concupiscientiam suam non vadit, et voluptatibus suis se privat. Pœnitentem [hominem dico, qui diligit quod ante neglexit, et quod fecerat mali, deserit. Adhæreant ergo tibi quæ bona sunt, et quæ mala deleantur.

7. Si pœnitentiam non egeris, incides in manus Domini secundum severitatem judicii ejus, quod cavere debemus; nam dicit Apostolus: *Horrendum*
Hebr. x, 31. *est incidere in manus Dei viventis. Diverte* ergo *a malo, et fac bonum: inquire pacem, et sequere*
Ps. xxxiii, 15. *illam,* sicut scriptum est. Dic ergo: Commisi mala, et recreavi bona. Fac etiam dignos fructus pœnitentiæ, et ne dixeris: *Peccavi, quid factum est mihi triste?... et non adjicias peccatum super*
Eccl. v, 4. *peccatum;* et ne dicas: *Miseratio Dei multa est:*
Ibid., 8. scito enim quia *misericordia et ira ab illo.* Revertere igitur ad Dominum, et plange. Dicito au-
Ps. l, 6. tem: *Tibi soli peccavi, et malum coram te feci,* et: *Delicta juventutis meæ et ignorantias meas*
Ps. xxiv, 7. *ne memineris, Domine,* et: *Ne avertas faciem*
Ps xxvi, 9. *tuam a me, ne declines in ira a servo tuo.* Ecce pœnitentia hominis se humiliantis: quomodo non veniam habebit, qui talia ingemiscit? Quis audiat illum, et non moveatur? Qui enim *se humiliat,*
Luc. xiv, 11. *exaltabitur:* sicut *et qui se exaltat, humiliabitur.* Nam scriptum est: *Quid gloriaris in malitia, qui*
Ps. li, 3. *potens es in iniquitate?*

8. Pœnitere pollicitus es, et adhuc carnis opera perficis? Nescis quia scriptum est: *Multo melius est non vovere te, quam vovisse te, et non red-*
Eccl. v, 4. *dere?* Peccatum non desinit dominari tibi; et tu dicis quod pœnites, et oras. Nescis quod scriptum est: *Peccatori autem dixit Deus: Quare tu enarras justitias meas, et assumis testamentum meum*
Ps. xlix, 16. *per os tuum?* Ecce qualem comminationem Domini in omnem peccatorem. Quid dicis tu, qui te asseris pœnitentem? Ubi est pœnitentia tua? Exclusa est
A superbiæ æstu: dum carnis desideria sequi conaris, Dominum prætermittis. Audi ergo, fili: retrahe pedem tuum a sæculo, cui jam pridem renuntiaveras, ut fidelis amodo inveniaris. Quid quæris a sæculo cui jam renuntiasti? Pœniteas ergo de omni pompa iniquitatis: apprehende fidem, quam ante maculaveras; quia consenseras diabolo tenebrarum, et Dominum qui est lumen, post dorsum tuum reliqueras.

9. Memorare, fili, quia scriptum est: *Quid est,*
B *misericordiam volo, et non sacrificium?* Misere- Osee vi, 6.
bitur tibi Dominus, si hæc omnia cum legeris, facias; ut per obedientiam tuam et humilitatem, gratiam consequaris: si pœnitentiam de toto corde egeris; si Dominum præ oculis habueris; si missa voragine poculi veneni, calicem salutis accipias; si die ac nocte in lege Domini meditaberis; si omnem sollicitudinem tuam in illum projeceris, tune gaudebis et exsultabis in Domino, quia vicisti malignum: tunc erit merces tua in cœlo, quia taliter
C laborasti: tunc erit Dominus adjutor tuus in die judicii: tunc stabis in magna fiducia; tunc stabis ad dexteram Dei cum sanctis suis, et dicetur tibi: *Venite, benedicti Patris mei; accipite regnum perpetuum,* quod vobis paravit Pater meus cœle- Matth. xxv, 34.
stis. Injustis autem et peccatoribus dicetur: *Ite in ignem æternum,* quem præparavit Pater vester *Ibid.*, 41
diabolo. *Tunc ibunt impii in ignem æternum; justi autem in vitam æternam,* ad quam nos per- *Ibid.*, 46.
ducat Dominus noster Jesus Christus, qui cum Patre
D et Spiritu sancto vivit et regnat in sæcula sæculorum, amen.

SERMO XXVII.

De jejunio Domini in deserto, De Quadragesima XI.

Ex hujus sermonis lectione cognoscimus, et illum per quadragesimam habitum esse, et ejus auctorem sæpius conscendisse sacrum suggestum. Cum porro sermonis a se anteriore Dominica
E *pronuntiati materies in sermone 30 supra rejectorum tractata reperiatur, eumdem sermonem hic indicari credibile est, atque adeo utrumque esse Maximi. Huc adde quod idem sanctus exordia huic similia solet adhibere, quodque hom. 2 in hoc ipsum Evangelium nonnulla tractat, quæ cum hoc nostro sermone apte concinant. Valde etiam verisimile est, hoc sermone habito de prima Christi tentatione, alios ab auctore de secunda et de tertia esse*
F *adjectos, et de tertia quidem sermonem jam non exstare: de secunda vero eum ipsum esse, qui 22 supra exhibetur. Sed veterum edit. ac mss. ordinem hic retinemus* (Edit. Maur.).

1. Meminisse debet vestra dilectio hoc me anteriore Dominica prædicasse, et dedisse rationem cur Dominus quadragesimam jejunaverit, vel cur ipsa jejunia in deserto transegerit. Diximus enim hæc omnia observasse eum, non justificationis suæ
G causa, qui erat virgo per omnia, sed nostræ salutis gratia; ut quorum generatio per intemperantiam peccaverat, per abstinentiam sanaretur.

2. Videamus igitur quid illo in tempore vel in ipsa solitudine gestum sit: dicit enim evangelista adfuisse ibi diabolum, et Salvatorem ejus versutia fuisse tentatum. Ait namque sacra lectio esuriisse Dominum, et dixisse illi diabolum: *Si filius Dei*

Luc. IV, 3. *es, dic lapidi huic ut fiat panis.* Videte artem Domini, qua adversarium fraude circumvenit. Post multa jejunia esurisse se simulat, ut diabolum quem jejunando jam vicerat, iterum esuriendo sollicitet: spem enim illi congrediendi ex infirmitate famis quodammodo tribuit, ut dum veluti contra imbecillem congreditur, gloriosus superetur. Hæc enim est vera victoria, ut qui Adam immortalem, gloriosum et epulantem subverterat, nunc ab homine mortali, humili atque esuriente vincatur. Cernens enim esurientem diabolus Dominum, hominem putat, dubitat Salvatorem: et ideo ait: *Si filius Dei es, dic lapidi huic, ut fiat panis.* O misera Satanæ et extrema congressio! Diabolus in deserto
1 tentationis[1] solita arma non invenit; deest illi de paradiso amœnitas arborum, deest illi consiliatrix Eva, deest illi pomorum speciosa deceptio; et quia non invenit cibum, quem offerat esurienti, postulat in cibum saxa mutari.

3. Undique exclusus, undique defraudatus, ad pavimenta se confert: satis enim manifeste ostendit vastitatem sibi eremi restitisse, cum putat propter inopiam rerum etiam elementa posse converti. Postulat igitur in panem lapides commutari. Versutus et callidus scit quid petat, novit factum esse quod dicit: meminit enim in veteri Testamento sitien-
Exod. XVII, 6. tibus aquam de lapide profluxisse; vult etiam hic esurienti cibum de lapide ministrari: retinet enim ibi duritiam petræ in liquorem fontium resolutam; cupit etiam hic asperitatem saxi in panis dulcedinem transformari. Suspicabatur enim ipsum esse Christum, qui hæc operari soleat de natura saxorum, sicut ait apostolus Paulus: *Bibebant de spiritali consequenti eos petra, petra autem erat*
I Cor., X, 4. *Christus.* Suspicabatur, inquam, ipsum esse Christum, cum postulabat ut de lapide panes faceret: sed putabat tantummodo solum hominem, cum esurientem videret.

4. Salvator autem versutiam ejus mira responsione condemnat; nec facit quod dicit diabolus, ne videatur pro arbitrio adversarii virtutis suæ gloriam declarare: nec tamen respondet non posse fieri, quia negare non poterat, quod sæpe jam fecerat. Igitur nec acquiescit petenti, nec denegat exploranti; ac per hoc et potentiam virtutis suæ suo reservat arbitrio, et versutiam adversarii divino confutat eloquio. Respondit ergo illi: *Non in*
Matth. IV, 4. *solo pane vivit homo, sed in omni verbo Dei;* hoc est, non in pane terreno, non in cibo materiali, quo Adam primum hominem decepisti; sed in verbo Dei, in quo sunt vitæ alimenta cœlestis. Verbum autem Dei Christus est Dominus, sicut Evangelista dicit: *In principio erat Verbum, et*
Joan. I, 1. *Verbum erat apud Deum.* Quisquis ergo verbo Christi pascitur, terrenum pabulum non requirit; nec enim potest sæculi panem cupere, qui pane reficitur Salvatoris. Habet enim Dominus suum panem; immo panis ipse Salvator est, sicut docuit
Joan. VI, 41. dicens: *Ego sum panis, qui de cœlo descendi.* De quo pane dicit Propheta: *Et panis cor hominis*
Ps. CIII, 15. *confirmat.*

5. Quo ergo mihi panem, quem offert diabolus, cum habeam panem, quem Christus impartit? Quo mihi cibum, propter quem protoplastum dejectum memini, Esau primitivis fraudatum vidi, Judam Iscarioth proditionis scelere denotatum? Adam enim per escam paradisum perdidit; Esau per lentem honorem primatus amisit; Judas per bucellam apostolatus sublime deposuit: ex quo enim bucellam sumpsit, non jam apostolus cœpit esse, sed proditor. Sic enim scriptum habes, dicente Domino: *Cui intinctum panem dedero, ipse me tradet. Et continuo post bucellam intravit in illum Satanas.* Joan. XIII, 26. Non bonus cibus, post quem negatur Dominus, post quem ingreditur inimicus; non bonus cibus, post quem Christus respuitur, devoratur Antichristus. Non bonus cibus, qui benedictione caret, maledictione completur. Illa ergo esca nobis necessaria est, quæ vitam præstat, quæ animam pascit; post quam sequitur Christus, inimicus excluditur. Illam escam accipere debemus, quam Salvator, non diabolus subsequatur; quæ perceptione sui confessorem faciat, non proditorem.

6. Quam bene autem jejuniorum tempore Verbum Dei dixit esse, quod reficit, ut ostenderet jejunia nostra non debere sæculi actibus occupari, sed sacris litteris exerceri! Negligit enim famem corporis qui pabulo lectionis intendit; nec ventris curam habere poterit, qui alimentum verbi cœlestis acquirit. Ipsa est enim refectio, quæ saginat animam, quæ impinguat viscera; cum de divinis Scripturis cibum eloquii perennis accipimus. Ipsa est esca, quæ vitam æternam tribuit, et insidias a nobis diabolicæ tentationis excludit. Quod autem sacrarum litterarum lectio vita sit, Dominus testatur dicens: *Verba quæ ego locutus sum vobis, spiritus et vita sunt.* Joan. VI, 64.

SERMO XXVIII.

De sancta Quadragesima XII.

Ex primis verbis sermonis hujus colligi potest ejus auctorem non solum Dominicis, sed et aliis quoque diebus in quadragesima concionari solitum esse. Quod autem de qualitate tempestatis, qua jejunium illud incidit, et de unici diei violatione hic disseritur, videtur cum nonnullis antecedentium sermonum habere quiddam cognationis: at hoc parum est, ut iidem illi ab eodem auctore scripti dicantur. Forte id majus habeatur, ut hic ultimus adjudicetur sancto Maximo, quod ejus nomine in cod. Remig. et duobus Germ. inscriptus fuerit (Edit. Maur.).

1. Ante dies devotionem sanctæ quadragesimæ prædicantes, sacrarum litterarum exempla protulimus, quibus approbaremus hunc quadragenarium numerum non esse ab hominibus constitutum, sed divinitus consecratum; nec terrena[2] cogitatione 2
inventum, sed cœlesti majestate præceptum. Atque ideo qui constitutum numerum una die manducando præterit, non ut unius diei violator accusatur, sed ut totius quadragesimæ transgressor arguitur. Unde bonum est homini[3] ut ad diem sine labore jejunet, 3
et totius quadragesimæ consequatur pariter sanctitatem. Hæc autem non tam sacerdotum præcepta, quam Dei sunt. Atque ideo qui hæc spernit, non

[1] Omnes edit., *tentationis solida arma:* rectius mss., *tentationis solita arma.*

[2] Tres mss., *cogitatione initiatum;* unus, *cogitatione initum.*

[3] Vet. editt., *ut dictum numerum sine labore:* Rom., *ut dictum numerum ad diem sine labore;* omnes vero mss., *dictum numerum* rejiciunt.

sacerdotem spernit, sed Christum, qui in suo loquitur sacerdote.

2. Videamus igitur quo tempore hanc observantiam nobis indixerit Dominus, si non veluti per istam devotionem cuncta elementa voluerit habere
1 profectum. Ecce enim[1] ut indicta quadragesima, constricta hiemali gelu terra resolvitur, et aquarum fluenta meatus suos, glacie liquefacta, recipiunt; sic quoque corporum nostrorum hoc eodem tempore contracta sceleribus peccata solvuntur, et vitæ nostræ purior cursus, liquefacto rigore diaboli meatum suum pristinum recognoscit. Terra, inquam, indicta quadragesima asperitatem deponit hiemis: ego indicta quadragesima asperitatem rejicio delictorum. Illa terra aratris scinditur, ut mundanis sit congrua frugibus: mea terra jejuniis exaratur, ut cœlestibus sit apta seminibus. Sicut enim reditum uberiorem capit qui frequentius vexando exercet campum; ita et majorem gratiam percipit qui exercet corporis sui campum sæpius jejunando.

3. Ecce enim abstinentiæ tempore herba segetum reviviscit in messem, surculus arboris conatur in fruticem, palmes vineæ pubescit in gemmam, et omnia de inferioribus ad altiora se subrigunt: ita
2 hoc eodem tempore hominum[2] spes intermortua reviviscit in posterum, fides perdita reparatur in gloriam, temporalis vita proficit in æternam; et omne genus humanum ad cœlestia se subrigens,
3 ab[3] infimis ad altiora consurgit. Modo ferrum gestans agricola sarmenta deputat vinearum; ita et nunc Evangelium tractans episcopus, sordes amputat populorum, et isto quadragenario curriculo universæ hoc agunt creaturæ, quatenus depositis superfluis, ornatæ vel comptæ in pascha procedant.

4. Modo omnia sunt in partu, ut tunc reperiantur in fructu: tunc enim contra naturæ speciem spina profert rosam, calamus fragrat lilium, suavitatem arida virgulta depromunt; et ita cuncta floribus adornantur, ut festivitatem diei magni creatura ipsa nitore sui celebrare credatur. Igitur et nos hoc eodem jejuniorum tempore producamus de spinis nostris rosas, hoc est, de peccatis justitiam, de severitate misericordiam, de avaritia largitatem. Istæ enim spinæ sunt corporis nostri, quæ præfocant animam, de quibus ait Scriptura: *Spinas et*
Gen. III, 18 *tribulos tibi germinabit terra:* germinat enim mihi terra mea spinas, si me corporalis libidinis titillatione compungit; generat mihi tribulos, cum me divitiarum sæcularium cupiditate discruciat. Spina enim christiano avaritiæ suæ radix est; spina viro bono honoris ambitio est: videntur enim specie apud suos grata esse, sed lædunt.

5. His ergo nisi vigilando et jejunando carere non possumus; quin potius per abstinentiam ipsæ spinæ vertentur in rosam. Producit enim jejunando
4 libido castimoniam, superbia humilitatem,[4] ebrietas parcitatem: hi enim sunt flores vitæ nostræ, qui suave Christo redolent, qui odorem bonum Deo spirant. Unde ait Apostolus: *Quoniam Christi*
II Tim. II, 15. *bonus odor sumus Deo.* Hanc ergo quadragesimam A largitus est nobis Dominus, ut hujus temporis spatio in morem totius creaturæ[5] nunc concipiamus virtutum germina, ut in die paschæ fructum justitiæ proferamus. 5

6. Hoc autem quadragenario numero se ipse Dominus Christus exercuit, non ut profectum ipse caperet, sed ut profectum salutis nobis ostenderet. Nec enim erat in illo spina peccati, quæ verteretur in florem; ipse enim erat flos natus non de spina, sed de virga, sicut ait propheta: *Exiit virga*
B *de radice Jesse, et flos de radice ejus ascendet:* Isai. XI, 1. virga enim erat Maria, nitida, subtilis et virgo, quæ Christum velut florem integritate sui corporis germinavit.

7. Continuatis ergo quadraginta diebus[6] et noctibus hæc jejunia non esuriens Dominus procuravit: sed dicit illum evangelista esurisse postea. Quomodo ergo potest fieri, ut qui tantorum dierum numero famem sitimque non senserit, postea esurierit? Esuriebat plane, nec negare possumus quod
C esurierit: esuriit enim non cibum hominum, sed salutem; nec escarum sæcularium epulas concupivit, sed animarum desideravit cœlestium sanctitatem. Cibus enim Christi est redemptio populorum: cibus Christi est paternæ voluntatis effectus, sicut ipse ait: *Meus cibus est ut faciam voluntatem Patris mei, qui me misit.* Unde et nos esuriamus cibum, Joan. IV, 34. non qui terrenis epulis apparatur, sed qui divinarum Scripturarum lectione colligitur; ille enim corpus ad tempus nutrit, hic autem animam reficit
D in æternum.

SERMO XXIX.

De sancta Quadragesima XIII.

Habitus est hic sermo media circiter quadragesima in Evangelium cæci nati, *quod nunc feria tertia hebdomadæ quartæ recitatur. Aberat hic ipse sermo ab antiq. editt.; sed cur in Rom. edit. Ambrosio tributus fuerit, nihil prorsus*
E *habet* (Edit. Maur.).

Revera nimis humilis et incultus est hujus oratiunculæ stylus ut ea Ambrosio adscribi possit, licet ei possit convenire quoad tempus quo recitata fuerit, nempe ad dimidium quadragesimæ, cum in Ecclesia ambrosiana nunc quoque lectio evangelica de cæco nato ad missam dominicæ quartæ quadragesimæ recitetur.

1. Agite gratias, fratres, divinæ pietati, quæ
F vos ad medium quadragesimæ perduxit incolumes. Illi vero possunt pro hoc munere dulcius ac devotius Deum laudare, qui ita sicut in quadragesimæ capite didicerunt, noviter huc usque vivere studuerunt, id est, qui peccatorum suorum remissionem quotidie jejunando, eleemosynas dando, et ad ecclesiam properando cum lacrymis et suspiriis curaverunt orare.

2. Illi autem qui ista neglexerunt, id est, aut quotidie non jejunaverunt, aut eleemosynas non
G fecerunt, aut studiosi vel compuncti in oratione

[1] Omnes edit. hic et infra conjunctim scribunt *indicta;* mss. autem partim conjungunt, partim dividunt eamdem vocem.

[2] Nonnulli mss., *spes interim mortua;* quidam etiam, *spes interius mortua.*

[3] Omnes edit. cum mss. duobus, *ab inferis;* mss. aliquot, *ab inferioribus;* alii majori numero, *ab infimis.*

[4] Ita mss. plures ac potiores: nonnulli vero et omnes edit., *sobrietas parcitatem,* absurdo sensu.

[5] Vet. editt. ac mss. nonnulli, *nunc concupiscamus;* Rom. et alii, *nunc concipiamus.*

[6] In cunctis edit. aberat *et noctibus;* sed in nullis cod. manu exaratis desideratur.

non fuerunt; non est unde gaudeant, sed habent potius miseri unde lugeant. Verum non ita lugeant, ut desperent; quia qui cæcum a nativitate potuit
Joan. IX, 1 illuminare, potest et istos nunc tepidos et negligentes, si ex toto corde ad eum converti voluerint, studiosos ac ferventes in suo servitio facere. Igitur tales, hoc est, immunde viventes, vel odium in corde contra aliquem reservantes, vel aliena injuste rapientes, aut sua inordinate retinentes, cæcitatem suam agnoscant, et ad medicum ut illuminentur, recurrant.

3. Utinam sic quæreretis, quando peccatis, medicinam spiritalem, sicut quando infirmamini corpore, requiritis carnalem. Quis modo in tanta plebe est, qui si deberet non occidi, sed solum oculos perdere, et non daret, ut periculum evadere posset, omnia quæ haberet? Et si ita timetis mortem carnis, quare non timeatis animæ mortem; maxime cum mortis dolor, id est, carnis, non sit unius horæ; et mors animæ, id est, luctus, et pœna, numquam habeat finem? Et si ita amatis oculos corporis, quos cito moriendo perditis, quare non diligatis oculos spiritales, quibus Deum ac Dominum vestrum sine fine videre valeatis?

4. Operamini quapropter, dilecti in Domino filii, operamini dum dies est, quia ut dicit Christus Dominus noster: *Venit nox, in qua nemo potest ope-*
Ibid., 4. *rari.* Dies est vita præsens, nox est mors, et tempus post mortem. Si post hanc vitam non est operandi licentia, sicut Veritas dicit, quare non laborat unusquisque, dum tempus habet, id est, dum vivit in hoc sæculo? Timete istam mortem, fratres, de qua dicit Salvator: *Venit nox, in qua nemo potest operari.* Omnes qui malum operantur, non timent istam mortem, et ob hoc ab hac vita migrantes, mortem inveniunt sempiternam. Laborate, dum vivitis, sed maxime his diebus, jejunando a delicatis cibis, et omni tempore abstinendo a vitiis. Siquidem et illi qui jejunant a cibo, et non se abstinent a malo, similes sunt diabolo, qui non manducat, et tamen a malo non cessat. Denique noveritis quia quod vobis subtrahitis jejunando, in cœlum debetis transmittere per pauperes.

5. Hodierni sermonis admonitionem, fratres, opere perficite, ne Judæorum super vos veniat maledictio.
Ibid., 28 Dixerunt enim cæco: *Tu discipulus ejus sis.* Quid est discipulum esse Christi, nisi discipulum esse pietatis et veritatis et humilitatis? Illi dixerunt hoc maledicendi voto; sed magna est benedictio, quam ipse vobis concedat assequi, qui vivit et regnat per infinita sæcula sæculorum.

SERMO XXX.

De sancta Quadragesima XIV.

Evangelium unde huic sermoni thema desumitur, nunc in Dominica Passionis legitur; in Missali autem Ambrosiano, et forte etiam in Gallicano, recitabatur Dominica secunda quadragesimæ, quam propterea Dominicam de Abraham *appellari in more erat. Non habebatur in vetustis edit. hic idem sermo; et quamvis editores Decreti eum in Vaticanis codicibus inveniri testificentur, vel sola dictionis humilitas abunde probat illum Ambrosii numquam fuisse. Non tantum vero ille recedit a stylo Cæsarii, cujus etiam in sermonibus unum habemus, qui primis verbis cum hoc congruat* (Edit. Maur.).

A Falluntur Maurini editores asserendo dominicam *de Abraham*, propter lectionem e cap. VIII Evangelii Joannis quæ de eo agit in missa, juxta ritum ambrosianum, esse secundam in quadragesima, dum e converso tertia est; secunda autem dicitur *de Samaritana*, quia hujus historia evangelica in missa illius legitur diei.

1. Scitote, fratres, quoniam cujus opera quisque facit, ejus et filius vocatur. Unde et Judæi cum
B dixissent patrem suum esse Abraham, audierunt a Domino, sicut ante verba Evangelii quod nunc audistis, legitur: *Si filii Abrahæ estis, opera Abrahæ facite.* Qui cum iterum dixissent Deum Joan. VIII, 39.
se habere Patrem, audierunt: *Si Deus Pater vester esset, diligeretis utique me.* *Ibid.*, 42

2. His verbis apertissime demonstratur quod mali et cupidi, nec Abrahæ, nec Dei filii sint. Nam cujus filii sint, sequentia manifestant; ait enim: *Vos ex patre diabolo estis.* Ac si dicat: Cur patrem mu- *Ibid.*, 41.
C tatis, nunc Abraham, nunc Deum? Ego vobis ostendam patrem vestrum: pater vester diabolus est, non creando, sed decipiendo. Fugite, fratres, talem patrem: fugite, sicut Propheta admonet: ait enim: *Obliviscere populum tuum, et domum patris tui.* Ps. XLVII, 11.
Populum vocat vitia atque peccata; domum vero Patris dicit mundum, in quo regnat diabolus. Ille obliviscitur populum suum, qui relinquit vitia sua; et ille obliviscitur domum Patris sui, qui mundi hujus falsas divitias contemnit, per quas eum dia-
D bolus tenet captivum. Patet quod diabolus non diligit filios suos, sed odit, quia non amat, nisi ut perdat; sicut amat gluto porcellum, ut comedat. XXII, q. 55, c. *Cavete.*

3. Cavete, fratres, mendacium, quia omnes qui amant mendacium filii sunt diaboli: qui non solum mendax est, sed etiam et pater et inventor ipsius mendacii est: omnis simulatio, et omnis duplicitas mendacium est: ergo non solum in falsis verbis, sed etiam in simulatis operibus mendacium comprobatur. Mendacium namque est christianum se
E dicere, et opera Christi non facere: mendacium est sacerdotem vel clericum se profiteri, et contraria huic ordini operari. Pertimescenda sunt hæc, quia verba Dei sunt; ait enim Propheta, dicens: *Perdes omnes qui loquuntur mendacium.* Qua- Ps. V, 7.
propter transite, fratres, a mendacio ad veritatem, si non vultis habere diabolum patrem. Nam quod alibi legitur: *Omnis homo mendax*, intelligendum Ps. CXV, 111.
est in quantum homo, in quantum carnalis, non in quantum spiritalis.

F 4. Denique monet vos evangelica lectio, ut patientes sitis. Ecce cum multa convicia Dominus a Judæis audisset, patienter eos toleravit, et patienter portavit, patienter sustulit. Et si Dominus patientiam habuit inter verba blasphemiæ, qui suos inimicos uno verbo poterat in abyssum demergere; quare miseri homines, pleni peccatis, non habent patientiam, quando dura audiunt, vel quando pro suis iniquitatibus corriguntur?

5. Videte, fratres, ne per opera vel cogitationes
G malas lapidetis Jesum, lapidetis Salvatorem cum Judæis incredulis, de quibus hodie dicitur: *Tulerunt ergo lapides Judæi, ut jacerent in eum.* Joan. VIII, 59.
Forte dicitis: Malum fecerunt Judæi, qui eum lapidare voluerunt, et qui eum crucifixerunt. Scitote et firmiter credite quia hoc faciunt christiani hodie male viventes, eo quod tunc Christum vitiis persequuntur. Quid enim est Jesus, nisi veritas, et

pax et justitia? Ergo qui pro falsitate relinquit veritatem, et pro cupiditate dirumpit charitatem, et odit pacem, et pro aliquo præmio occultat justitiam; nihil aliud facere videtur, quam lapidare et crucifigere et occidere Christum, quia ipsius dona exstinguit in seipso.

6. O quam pauci sunt in tanta multitudine christianorum, qui Jesum non persequantur et lapident, et occidant! Sed væ illis! quia Jesus abscondit notitiam suam talibus, et exit de templo cordium eorum, et manifestat se amatoribus suis, et habitat in illis, sicut ipse dilectori suo inferius pollicetur, dicens: *Ego et Pater ad eum veniemus, et mansionem apud eum faciemus.* Joan. XIV, 23.

7. Quia nolumus vos, fratres, gravare multa loquendo, oramus ne sitis de illorum numero, qui Jesum lapidare voluerunt: sed cum illis potius habeatis partem, qui super omnia illum amando, ejus gratiam in suis cordibus susceperunt. Quod ipse vobis concedat, qui vivit et regnat in sæcula sæculorum, amen.

SERMO XXXI.

De sancta Quadragesima XV.

In hoc sermone, qui in edit. Rom. primum vulgatus est, supplicatio in Dominica Palmarum fieri solita describitur. Quamvis autem ecclesiasticorum rituum investigatores hujus mentionem apud Cyrillum Hierosol. Cath. 10 factam observent, illam tamen in Ecclesia latina tam antiquam fuisse nusquam reperiunt. Verum quidquid sit de hac ceremonia, manifestum est conciunculam hanc nihil habere, quod eam aliqua cum ratione Ambrosio asserat (Edit. Maur.).

1. Veniente Domino nostro Jesu Christo ad urbem Hierusalem ante sex dies passionis suæ, turba multa quæ convenerat Hierosolymis, ut secundum præceptum Moysi pascha celebraret, accipiens ramos palmarum, occurrit illi obviam, ut in palmis victoriam Christi ostenderent velut terreni regis in populo Israel: consuetudo enim est ut victoribus palma offeratur. Alii autem de eadem turba *ramos cædebant de arboribus,* maxime olivarum, quia in monte Oliveti res agebatur; et eos portabant, ut ubi opportunum esset venienti Domino planum sternerent iter. Hinc descendit consuetudo hodiernæ festivitatis, ut psallentes, ramos palmarum sive olivarum portemus in manibus; et eamdem festivitatem palmarum sive olivarum vocitemus. Matth. XXI, 8 et seq.

2. Sed non absque magno sacramento rami istarum arborum feruntur: oliva enim, quia oleum ut solamen dolorum atque laborum portat in fructu (oleo enim quia et vulnera curantur, et æstus levatur), opera designantur misericordiæ; siquidem et ipsa misericordia græce dicitur ἔλεος: palmæ autem radix aspera est, sed nitorem maximum habet in fine, ostendens per hujus vitæ asperitatem in decorem cœlestis patriæ nos debere sustolli. Unde et David propheta psalmographus de justo viro canit: *Justus ut palma florebit.* Ramos ergo olivæ portemus in manibus, virtutem misericordiæ exhibentes in operatione. Sumamus et ramos palmarum, ut pro misericordiæ bono non terrena delectamenta, sed supernæ patriæ pulchritudinem exspectemus, quo nos præcessit Christus Dominus noster, qui est, juxta Apostolum, finis Legis ad justitiam omni credenti. Ps. XCI, 13. Rom. X, 4.

3. Nec prætereundum est a psalmi versiculo, quem occurrens turba Domino decantabat: *Hosanna filio David: benedictus qui venit in nomine Domini: hosanna in excelsis.* Adventus enim Domini, ejusque incarnatio non solum hominum salus fuit in terra, sed etiam angelorum in cœlo; quia dum homines in terra salvantur, angelorum numerus qui, diabolo cadente, minoratus fuerat, integratur in cœlo. *Hosanna ergo in excelsis* tantumdem est, tamquam si dicatur: Salva nos, qui etiam es salus in cœlis. Et qui cum magna devotione salutem istam poposcerant, duplicaverunt vocem, ut iterum dicerent: *Hosanna in excelsis.* Ps. CXVII, 26.

4. Ad hanc igitur salutem pervenire vobis concedat benedictus Dominus noster Christus, qui venit in nomine Dei Patris, cum quo vivit et regnat Deus per omnia sæcula sæculorum, amen.

SERMO XXXII.

De sancta Quadragesima XVI.

Hic sermo etiam editioni Rom. debet, quod in lucem emissus fuit. Sed vix alius pejori jure Ambrosio nostro potuit ascribi, cum nihil sapiat Ambrosianum. Quin immo nec ejusdem auctoris videtur esse, cujus est superior; siquidem illic a Dominica palmarum usque ad passionem sex dies numerantur, hic tantum quinque (Edit. Maur.).

1. Video vos, fratres, hodie attentius quam soletis, ad ecclesiam convenisse, et ramos arborum cum lætitia portasse. Sed quid prodest illis id agere, qui nesciunt cur id faciant vel quid ista significent? Scire debetis quia sicut lectum est hodie, quæ est quinta dies ante passionem, Salvator noster in monte Oliveti sedit super asinam, ut intraret Hierosolymam: et cum audisset turba quod Jesus veniret Hierosolymam, processerunt ei obviam cum ramis palmarum; et cum jam appropinquaret ad descensum montis Oliveti, cœperunt turbæ descendentium gaudentes voce magna laudare Deum. Matth. XXII, 7.

2. Per hos quidem quinque dies, id est, ab isto usque ad vesperum quintæ feriæ, quando post cœnam traditus est, omni die docuit in templo, et omni nocte mansit in monte Oliveti. Et quia decima luna recludebatur agnus, qui quartadecima luna erat immolandus a filiis Israel; bene iste verus agnus Christus Dominus, qui erat sexta feria crucifigendus, eo die intravit in Hierusalem, quo ille typicus agnus recludebatur.

3. Hodie siquidem *turbæ straverunt vestimenta sua in via;* et alii hodie *cædentes ramos de arboribus* similiter sternebant in itinere Salvatoris super asinam sedentis. Quæ pia mater Ecclesia corporaliter ideo celebrat, ut fiat id, quod multo majus est, spiritaliter. Omnis quippe sancta anima Dei asina est: super asinam igitur Dominus sedet, et Hierusalem tendit; cum animas nostras inhabitans, mundum istum despicere, et cœlestem patriam diligere facit. Vestimenta in via ante Deum jactatis, si viam illi ad vos veniendi præparando, corpora vestra per abstinentiam castigatis. Ramos vero de arboribus præciditis si sanctorum patrum virtutes amando, viam ad vos veniendi Domino Ibid., 8.

præparatis. Quid fuit Abraham? quid fuit Joseph? quid David? quid reliqui justi, nisi fructiferæ arbores Ecclesiæ Dei? Discite ab Abraham obedientiam, a Joseph castitatem, a David humilitatem, si perpetuam desideratis adipisci salutem.

4. Et quia palma victoriam significat, palmas in manu recte portamus, si ita ei laudes victoriæ decantamus, ut etiam bene vivendo, diabolum vincere studeamus. Ideoque, fratres, scire debetis, quia sine causa ramum olivæ portat, quem diabolus decipiendo superat. Redite ergo ad conscientias vestras, charissimi, et videte si spiritaliter facitis quod corporaliter agitis.

5. Denique firmissime credentes, intelligite quia nostrum periculum est, si mysteria nostri Salvatoris vobis non annuntiamus; et vestrum est periculum, si eo parvi pendatis. Monemus itaque ut quanto magis solemnitas paschalis appropinquat, tanto magis vos præparare curetis, mundantes vos ab omni invidia, odio, convicio, maledicto, ac detractione; ut digne illam diem celebrare possitis.

6. Dimittite illis qui in vos peccaverunt, ut vestra vobis Dominus dimittat peccata; quoniam qui vel contra unum hominem odium aut iram tenuerit, malo suo pascha celebrabit; quia non manducabit cum Petro vitam, sed cum Juda mortem in sancta communione accipiet: quod ille a vobis avertat, qui vos potestate creavit, pietate redemit, Jesus Christus Dominus noster, qui cum Patre et Spiritu sancto vivit per cuncta sæcula, amen.

SERMO XXXIII.

De jejuniis Quadragesimæ XVII.

Hic sermo eo die fuit habitus, quo symbolum competentibus tradi solebat, quod in plerisque Ecclesiis Dominica palmarum fieri consuevisse a nobis alio loco observatum est. Cum porro inter sermones hic prætermissos sextus incipiat ab illis verbis: Propitia divinitate, *isque in Append. August. Cæsario adjudicetur; hinc forte conijciat aliquis eumdem quoque hujus sermonis auctorem esse: sed nec minus probabile est eum deberi sancto Maximo, cujus et stylum, et in cod. Remig. etiam nomen noscendum præbet* (Edit. Maur.).

1. Propitia divinitate, ecce jam pene transegimus quadragesimæ indicta jejunia, et præcepta Christi Domini abstinentiæ devotione complevimus. Superest nunc ut quemadmodum[1] famuli ejus Moyses et Elias hunc sacratissimum numerum observando, gratiam meruerunt; ita et nos hoc ipsum tempus custodiendo mereamur, sitque similis remuneratio in perceptione præmii, quorum similis labor est in observatione jejunii.

1 Exod. xxxiv, 28. III Reg. xix, 8.

III Reg. xviii, 42 et seq.

2. Elias enim, cum esset clausum humanis iniquitatibus cœlum, et nulla mundanis rebus desuper pluviarum stillaret ubertas, atque omnia longæ siccitatis squalore languerent, et esset fames magna universo generi humano; quoniam enim cœlum pluviam non dabat, nec terra pabulum germinabat, tunc Elias sanctus reseravit jejuniis suis cœlum, terram orationibus fecundavit. Illius enim siccitatem convertit in pluviam; hujus sterilitatem resolvit in partum: tanta enim ejus precibus orbem terrarum imbrium largitas irrigavit, ut orida revirescerent, mortua resurgerent, languentia sanarentur. Et ita rebus cunctis fontium quidam meatus infusus est, ut purificatione facta per pluviam, omnium[2] creaturarum vitia lavarentur, atque inundationis illius beneficio totius mundi species innovata consurgeret.

3. Igitur et nos eadem quæ Elias observantes jejunia, adhibitis precibus clausum cœlum nostris competentibus reseremus; quatenus illos lavacri salutaris[3] imber illuminet. Clausum enim illis est cœlum, quamdiu nondum de cœlo Spiritus sanctus adveniens, eorum corda vivificat: siccitatem quodammodo patiuntur, quia nondum gratia baptismatis irrigantur. Laborant etiam fame magna, quoniam velut esurientes, cœlestia sacramenta desiderant. Reseremus ergo illis cœlum, ut adveniente desuper spiritali pluvia, eorum terra lavacri irriguo satietur, et delictorum sterilitate deposita, incipiant fructus germinare virtutum. Etenim cœlestis imber vitia peccatorum diluit, justitiæ incrementa producit, decutit aridum concupiscentiæ pulverem, lætificat utilem castimoniæ puritatem, obruit avaritiæ sordidam fæcem, nutrit æternam misericordiæ largitatem. Sicut enim superveniente Eliæ pluvia, omne pabulum terra produxit; ita et superveniente Christi lavacro, omnem justitiam anima germinavit. Et sicut illic pluviarum fontes irrigaverunt orbem, ut vivificarentur herbarum mortificata jam semina; ita et fons baptismatis irrigat genus hominum, ut animarum mortificata corda vivificet. Hoc ergo observantium ista jejunia est meritum, ut orationibus eorum aut innovetur mundus, aut fratres denuo renascantur.

4. Reserandum igitur competentibus nostris est cœlum, quoniam adhuc clausum est apud illos; clausum est enim cœlum illis, quoniam mysterium nondum pervident Trinitatis. Clauso enim sibi cœlo, super cœlum quid agatur, ignorant; nec scire possunt quæ sit Filii Patrisque substantia, nisi prius mundi elementa transcenderint. Tunc enim poterit quis Trinitatis aspicere divina mysteria, cum cœlos sua virtute habuerit apertos, sicut beatus Stephanus martyr reseravit sibi martyrio suo cœlos, et stantem vidit ad Patris dexteram Salvatorem, secundum quod ipse ait: *Ecce video cœlos apertos, et stantem Jesum ad dexteram Dei.* Ergo cui clausi sunt cœli, agendum est ut aperiantur illi, quatenus super cœlos Christum possit aspicere; nam quamdiu clausi sunt homini, Christum non potest videre regnantem.

Act. vii, 55.

5. Quemadmodum autem clausi cœli aperiendi sint, inquirere nos oportet. Puto autem aliter eos aperiri non posse, nisi claves Petri apostoli sumpserimus, quas Domino largiente suscepit, sicut ipse dixit: *Tibi dabo claves regni cœlorum.* Immo rogemus Petrum, ut ipse nobis tamquam bonus janitor regiæ cœlestis aperiat. Quæ autem ista clavis sit, diligentius requiramus. Clavem Petri, fidem esse dixerim Petri, per quam cœlos aperuit, penetravit inferna securus, maria calcavit intrepidus. Tanta enim apostolicæ fidei virtus est, ut cuncta illi elementa pateant, hoc est, non illi an-

Matth. xvi, 13.

[1] Rom. edit. sola, *famulus ejus Elias.... gratiam meruit.*
[2] Omnes edit., *omnia creaturarum vitia;* cod. Lugd. et Valliscl., *omnium,* etc.
[3] Codex Valliscl., *imber mundet.*

gelicæ claudantur januæ, non portæ prævaleant tartari, non aquarum fluenta subsidant.

6. Ista autem ipsa clavis, quam fidem dicimus, videamus quemadmodum constet, et quemadmodum solidata sit. Arbitror illam duodecim artificum operatione conflatam: duodecim enim apostolorum symbolo fides sancta concepta est, qui velut periti artifices in unum convenientes, clavem suo consilio conflaverunt. Clavem enim quamdam ipsum symbolum dixerim, per quod reserantur diaboli tenebræ, ut lux Christi adveniat: aperiuntur conscientiæ clausa peccata, ut justitiæ fulgeant opera manifesta. Igitur hæc clavis ostendenda est fratribus nostris; ut et ipsi tamquam discipuli Petri inferna sibi reserare, cœlos aperire consuescant.

SERMO XXXIV.

Dominica Resurrectionis.

Hunc sermonem, cum deesset in antiquis editionibus, Romana sub hoc titulo prima evulgavit. Et revera in illo quædam exponuntur ad Evangelium hujus Dominicæ pertinentia: sed quod eumdem Ambrosii nomine inscriptum exhibuit, id sane reclamante sancti Patris stylo et ingenio fecit (Edit. Maur.).

1. Audistis, fratres, quod sanctæ mulieres, quæ cum aromatibus ad monumentum venere, angelum viderunt: inquit enim: *Et introeuntes in monumentum viderunt juvenem sedentem in dextris.* (Marc. XVI, 5.) Quis vero juvenis iste fuerit, ne ambiguitas te offenderet, alius Evangelista scripsit: *Angelus enim Domini descendit de cœlo, et accedens revolvit lapidem, et sedebat super eum.* (Matth. XXVIII, 2.) Maria vero Magdalena, quæ arctius diligebat Jesum, quia juxta sepulcrum perseveravit, Dominum prima omnium vidit, et apostolis nuntiavit. Inquit enim Joannes evangelista: *Venit Maria Magdalena annuntians discipulis: Vidi Dominum, et hæc mihi dixit,* etc. (Joan. XX, 18.) Per quæ nos monemur, ut cum aromatibus, id est, cum odore bonorum operum, et virtutibus referti Dominum quæramus.

2. Sunt autem, charissimi, nonnulli qui videntur Dominum quærere: sed quia otiosi sunt, et a virtutibus alieni, illum non merentur invenire, nec inventum videre. Denique quid quærebant illæ sanctæ mulieres in monumento, nisi corpus Domini Jesu? Et vos quid quæritis in Ecclesia nisi Jesum, id est, Salvatorem? Sed si cupitis illum invenire, orto sole, ut istæ mulieres, venite, id est, non sint in cordibus vestris tenebræ vitiorum; carnalia enim desideria, et mala opera tenebræ sunt. In quorum vero cordibus tales tenebræ sunt, non vident lucem, non intelligunt Christum, quia Christus lux est. Repellite igitur, a vobis, fratres, tenebras, id est, omnes delectationes, et omnia opera mala, et curate habere aromata, hoc est, orationem mundam, dicentes cum psalmista: *Dirigatur, Domine, oratio mea, sicut incensum in conspectu tuo.* (Ps. CXL, 2.)

3. Attendite insuper quod audistis: nempe Maria Magdalena, quia perseverando ad monumentum, quem quærebat, invenit; quoniam *qui perseveraverit usque in finem, hic salvus erit.* (Matth. X, 22.) Unde sicut necesse est ut malum a vobis repellatis; ita expedit omnino ut in bono, quod jam inchoastis, firmissime perseveretis, si Dominum videre et ad cœlestem patriam pervenire desideratis.

4. Denique quia sanctum pascha celebratis, debetis scire, fratres, quid sit pascha. Pascha vero transitus dicitur; ideo autem tali nomine vocata est ista festivitas, quia in ipsa transierunt filii Israel ex Ægypto, et ipse Filius Dei transivit ex hoc mundum ad Patrem. Verum quid vobis prodest quod Pascha celebretis, si non imitamini quod colitis? hoc est, si non transitis ab Ægypto, id est, a tenebris vitiorum ad lucem virtutum, et a mundi hujus amore ad desiderium cœlestis patriæ? Nam sunt multi qui gaudent in ista festivitate, et colunt hanc solemnitatem; et tamen male, et malo suo, quia non transierunt ex hoc mundo ad Patrem, id est, non transeunt a mundi cupiditate, a carnali delectatione ad cœlestis patriæ amorem. O miseri christiani, qui in Ægypto sunt, id est, sub potestate diaboli, et gaudent in malis! Moneo quapropter vos, fratres, ut pascha rite celebretis, id est, transitum faciatis. Quicumque mali hanc festivitate celebratis, transite de vitiis ad virtutes: quicumque vero boni, transite de virtutibus ad virtutes; et ita ut nullus remaneat in vobis, qui transitum non faciat.

5. Et sicut Judæi quando pascha celebrabant, septem dies azyma comedebant; ita omnis christianus, qui veri Agni, id est, Christi, carnem comedit, per omne tempus vitæ suæ, quod per septem volvitur dies, simpliciter et innocenter debet conversari. Videte, fratres, videte ne fermentum vetus sit apud vos, sicut monet Apostolus, dicens: *Expurgate vetus fermentum,* id est, veteris hominis conversationem. (1 Cor. V, 7.) Tunc enim eritis veri christiani, si omne malum declinaveritis, quod designatur per vetus fermentum, et quod in baptismo promisistis, fideliter custodieritis, quod ipse vobis concedat, qui vivit et regnat per infinita sæcula sæculorum, amen.

SERMO XXXV.

De Mysterio Paschæ II.

Hic sermo in omnibus Ambrosii edit. sub libelli titulo in lucem prodiit, cum tamen manifestum sit conciunculam esse, qua festum paschatis ob reparatam hominis innocentiam atque salutem coli debere ostendit auctor. Quod autem hic auctor ab Ambrosio alius fuerit, exploratum reddit ipsa dictio (Edit. Maur.).

Caput primum. — 1. Paschæ mysterium[1] de fide omnibus credentibus in Christo renatis, recidivatum fidei annuæ felicitatis gaudium et gloriam ministrat. Quod quidem sacrum nomen ab ipsius Domini passione descendit; pascha enim passio est Salvatoris, sicut beatus Apostolus dicit: *Pascha enim nostrum immolatus est Christus.* (Ibid.) Ad hoc enim humanum corpus Christus accipiens, se in passionem paschæ mysterio consecravit; ut quisquis hujus muneris per fidem participationem esset indeptus, consortio Dominicæ felicitatis dignus merito censeretur.

Caput II. — 2. Est enim pascha vere anni principium, primi mensis exordium, novella germinum reparatio, ac tetræ hiemis nocte discussa, primi

[1] Ita vet. editt. ac mss. nisi quod pro *recidivatum,* codex Rom. legit, *residuatum.* At Rom. edit. τὸ *de fide* recidit, et posuit, *recidivum.*

veris restituta jucunditas. Hoc, inquam, tempore
1 visibilium et invisibilium conditor Deus,[1] defixo hamo cœli machinam suspendens, idem solis ardore radiavit, splendorem lunæ solatio noctis attribuit, pendentem cœli cameram splendentium siderum decoravit ornatu, mare certis littorum finibus coercens, concavæ ac stridentis undæ æstum metas statuti limitis jussit haud excedere. Et ut plana mundi facies oculorum eminus subtraheretur aspectu, ad hoc in ornatum mundialis fabricæ, nemorosi colles atque excelsi constituti sunt montes; ut iterum mortalibus campestris ornatus jucundior adveniret.

Caput III. — 3. Ipseque homo divini opificii dignatione formatus ad hoc terrestris creaturæ effectus est dominus, ut divinis institutionibus parens, ejus tantum et voluntatem servaret, qui se in tantis rebus dominum præfecisset ex nihilo. Qui in ipso
Gen. III, 6 et seq. exordio non nescius, depravatus invidia, dum super indultum Dei opificium cupit fieri, quod natura non dederat, amisit gratiam, quam Creatoris pietas attribuerat: continuo ob concupiscentiam diabolicæ deceptionis sententiam mortis prævaricator incurrens, etiam ad futuræ ex se stirpis originem propagavit; ut divina hoc loco recte sententia compleretur: *Invidia diaboli mors introivit in orbem*
Sap. II, 24. *terrarum.* Ita per occasionem delicti, in universis peccatoribus diabolus mortis est sortitus imperium, atque omnes a Deo deviantes, peccati vinculo obstrictos, squalentis tartari clausos ergastulo possidebat.

Caput IV. — 4. Quorum interitum dolens divina censura, non per servum vatem, nec per angelum
2 invisibilem;[2] sed ad hoc per substantiam humanæ carnis in homine Deus veniens habitavit, ut honestam vivendi formam mortalibus daret, et temporariis æternam in se credentibus vitam exemplo suæ mortis ac resurrectionis aperiret. Ut enim incredulitas, et simulacrorum cultus cœli aditum clauserat; ita inferni baratrum prævaricatoris perfidia procurarat.

5. In quorum suppliciis usque ad adventum Salvatoris Domini Jesu Christi diabolus per mortem regnavit, donec humanæ carnis ad Deum attemperata substantia, immaculatum corpus conditioni mortis addixit. Expers peccati Christus, cum ad tartari ima descenderet, seras inferni januasque confringens, vinctas peccato animas, mortis dominatione destructa, e diaboli faucibus revocavit ad vitam; atque ita divinus triumphus æternis characteribus est conscriptus, dum dicit: *Ubi est,*
I Cor. XV, 55. *mors, aculeus tuus? ubi est, mors, victoria tua?*

6. Quam felicitatem reparatæ salutis Paulus recolens clamat: *Sicuti per Adam mors intravit in hunc mundum, ita et per Christum salus re-*
Ibid., 22. *stituta est mundo;* et iterum: *Primus homo de*
Ibid., 47, 49. *terra terrenus, secundus homo de cœlo cœlestis.* Et adjiciens ait: *Sicut portavimus imaginem terreni,* id est, vetusti hominis in crimine, *sic portemus imaginem cœlestis,* id est, suscepti, redempti, reparati; ac purificati hominis salutem teneamus
Ibid., 23. in Christo, quia idem ipse Apostolus ait: *Initium Christus*, id est, auctor resurrectionis et vitæ; *deinde hi qui sunt Christi,* id est, qui in forma puritatis ejus viventes, de spe resurrectionis ejus securi erunt, cum ipso cœlestis promissi gloriam possessuri, sicut ipse Dominus in Evangelio ait: *Qui,* inquit, *me secutus fuerit, non peribit: sed transiet de morte ad vitam.* Joan. V, 24

7. Ita Salvatoris passio, vitæ humanæ salus est. Ad hoc enim pro nobis mori voluit, ut nos in eum credentes perpetuo viveremus. Voluit pro tempore fieri quod nos sumus, ut nos æternitatis ejus promissionem indepti, cum eodem perpetuo viveremus.

Caput V. — 8. Hæc, inquam, illa est cœlestium mysteriorum gratia, hoc paschæ donum, hæc optabilis anni festivitas, hæc exordia gignentium rerum. Hinc vitalis lavacri sacræ Ecclesiæ editi puer-
perio[3] infantes, parvulorum simplicitate renati, 3
balatu innocentis perstrepunt conscientiæ. Hinc casti patres, pudicæ etiam matres novellam per fidem stirpem prosequuntur innumeram. Hinc sub fidei arbore ab utero fontis innocui cereorum splendet ornatus. Hinc cœlestis meriti sanctificantur munere, et sacramenti spiritalis celebri mysterio saginantur. Hinc unius plebis gremio beatæ Ecclesiæ nutrita fraternitas, unicæ divinitatis sub-
stantiam,[4] ac virtutis trium nomen adorantes, psal- 4
mum annuæ festivitatis cum Propheta concelebrant: *Hic est dies quem fecit Dominus, exsultemus et lætemur in eo.* Ps. CXVII, 24

9. Quis, inquam, dies? Nempe ille qui attribuit vivendi principium, lucis exordium, auctor luminis, id est, ipse Dominus Jesus Christus, qui de semetipso ait: *Ego sum*, inquit, *dies: qui per diem* Joan. XI, 9
ambulat, non offendit, id est, qui Christum in omnibus sequitur, per ejus vestigia usque ad æternæ lucis solium transmeavit; sicut ipse Patrem pro nobis adhuc in corpore constitutus orat dicens: *Pater, volo ut ubi ego sum, ibi sint et hi qui in me crediderunt; ut sicut tu in me, et ego in te, ita et illi maneant in nobis.* Joan. XVII, 24.

10. Hic, inquam, exsultationis et lætitiæ dies est, in quo promissum perfectæ gloriæ consecuti, recte plebs sancta ad instar angelorum futuræ laudis mysterium, adhuc in hoc sæculo constituti, Domino cum Propheta cantamus: *Hic est dies quem fecit Dominus, exsultemus et lætemur in eo*, id est, auctor institutionis, redemptionis et vitæ perpetuæ Dominus Jesus Christus, qui est Rex regum, et Apoc. XVII, 14
Dominus dominorum, absque initio, sine fine in Patre regnans cum Spiritu sancto, nunc et semper et in sæcula sæculorum. Amen.

SERMO XXXVI.

In die sancto Pentecostes.

Sermonibus, qui additi sunt in Rom. editione, hic jungi debet. Quibus autem rationibus Ambrosii nomen obtinuerit, nos plane fugit: adeo in illo nihil videmus Ambrosianum. Quod autem linguarum divisionem superbiæ acceptum refert, ex Augustini sermone 271 sumptum putamus (Edit. Maur.).

1. Magna est, fratres charissimi, hodierna festivitas, in qua sicut audistis, acceperunt apostoli Spiritum sanctum, qui cum Patre et Filio unus et perfectus est Deus, ejusdem substantiæ, maje-

[1] Vet. edit., *defixa humo;* duo mss., *defixo humo;* melius Rom. edit. ut in textu.

[2] Rom. edit. sola, *sed ad substantiam humanæ carnis.*

[3] Codex Rom., *insontes parvulorum simplicitate renati baratrum innocentes,* etc.

[4] Idem codex, *ac virtutis trinum nomen adorantes.*

statis et potentiæ: qui non ex tempore, sed ab æterno a Patre Filioque inseparabiliter procedit: qui etiam Dei donum dicitur; quia et antequam esset angelus vel homo, cui daretur, jam sui natura donabile donum erat; quia charitas et amor est. Unde non solum patriarchis atque prophetis, sed etiam et reliquis justis latenter in anima datus est; et licet aliquando manifeste, numquam tamen tam aperte datus fuisse legitur, sicut hodie, id est, decima die post Christi ascensionem; quando supra centum viginti credentes in specie ignis apparuit. Sic enim lectum est, ut retinetis: *Et apparuerunt illis dispertitæ linguæ, tamquam ignis,*
Act. II, 3. *seditque supra singulos eorum.*

2. Videte, fratres, videte quid fecit superbia, et quid promeruit humilitas. Superbia divisit linguas, quando turrim homines ædificare voluerunt per-
Gen. XI, 3. tingentem usque ad cœlum; prius enim erat una lingua, qua homines se mutuo intelligebant, et propria mentis arcana invicem communicabant: verum ne perficerent superbi, quod cœperant, confusæ sunt linguæ, ac nationes divisæ sunt. Hodierna vero die cum propter humilitatem Spiritum sanctum accepissent credentes, cœperunt omnibus linguis
A loqui. Abjicite quapropter a vobis fratres, superbiam; quoniam omnes superbi filii sunt diaboli; et estote humiles, ut Spiritus sancti gratiam accipere, et filii Dei vocari mereamini. Sint munda corda et corpora vestra ab omnium peccatorum sordibus; quia Spiritus sanctus non habitat in corpore subdito peccatis. Sap. I, 4.

3. Si vascula prius mundatis, in quibus aliquid pretiosum servare vultis, et domos vestras præparatis et ornatis, quando potentem personam exspe-
B ctatis; multo magis mundanda sunt corda ab odio et ira atque invidia et omni malitia, et maxime ab immunditia atque avaritia; ut Spiritus sanctus ad vos venire, et apud vos mansionem facere non dedignetur. Et sicut nobis homo in fetido loco, et stercoribus pleno sua sponte non habitat; ita Spiritus sancti gratia non visitat animam, quæ in fetore peccatorum perseverat. Ideoque necesse est, fratres, ut in adventu Spiritus sancti domos animarum vestrarum adornetis bonorum operum flo-
C ribus, easque repleatis pretioso castitatis odore, et benevolentiæ balsamo; ut Spiritum sanctum in vobis habitare delectet, cum Patre et Filio per omnia sæcula sæculorum, amen.

SERMONES DE DIVERSIS.

SERMO XXXVII.

De Mirabilibus.

Auctorem hujus sermonis non pauca ex Ambrosii Comment. in Luc. *lib.* IV, *num. 58 et sequent., mutuatum constat. Immo quod a Gratiano citatur tamquam petitum ex hoc sermone, minus accedit ad ejus textum, quam ad memorati Commentarii: quod forte argumento fuerit aliquid in indicatione loci mutatum esse. Idem autem sermo in multis mss. Ambrosio nostro attribuitur, in quibusdam tamen sine auctoris nomine invenitur; unde conjicimus aliis in mss. pro scriptorum libitu fuisse inscriptum. Cum porro in Gall. cod. cujus omnes sermones Maximi esse probabile est, hic sermo habeatur, eum quoque hujus Patris esse indicium est, quod etiam Ambrosii imitatio eidem familiaris videtur astruere. Inscribitur in eodem cod.* De duabus naviculis: *in Silv.* de cathedra S. Petri: *in Remig.* De S. Petro: *in cæteris vero, sicut et in antiq. editt., ut nos in capite* (Edit. Maur.).

1. Quantorum mirabilium operator sit Dominus Jesus Christus, intelligere possumus ex hac evangelica lectione, quæ describit tanta per eum beneficia in populum fuisse collata, ut provocatæ hominum turbæ ad audiendum illum magis irruerent, quam rogarent; et medicinam salutis non sperarent per humilitatis gratiam, sed per importunitatis injuriam; ita ut irruentes, sicut ait Evange-
Luc. V, 1 et seq. lium, turbas a Domino Jesu non desertum separaret, non Synagoga repelleret, non reverentia divinitatis arceret. Hæc est enim consuetudo infirmantium, ut dum sperant suis ægritudinibus medicinam, ab importuna petitione non loco prohibeantur, non
D tempore, non pudore; sed quanto plus medetur ille, qui sanat, tanto amplius ille importunus est, qui laborat.

2. Ergo cum Dominus Jesus ab irruentibus turbis semotus in terra esse non posset, aspiciens in mari duas naviculas, unam navem Petri omni festinatione conscendit, ut importunitatis injuriam vel aquarum natura depelleret, quia eam doctoris reverentia minime coercebat; atque exinde cœpit de navicula Petri ad homines doctrinæ suæ verba
E profundere. Videte misericordiam Salvatoris: separatur quidem ab hominibus corpore, doctrinæ tamen iis utilitate conjungitur. Ubique miseretur, ubique prodest. In terra positus, per tactum languorem corporum sanat: in mari constitutus, per doctrinam vulnera curat animarum.

3. Sed videamus quæ sit ista navicula Simonis Petri,[1] quam ad docendum de duabus magis op- 1
portunam Dominus judicavit, quæ et tutum Salvatorem præstet ab injuria, et credulitatis hominibus
F largiatur eloquia: invenimus enim jam Dominum navigasse in alia navi, et gravibus injuriis lacessitum. Navigavit enim cum Moyse in mari Rubro, quando populum Israel per undarum fluenta transvexit; sed gravibus est affectus injuriis, sicut ipse ait in Evangelio ad Judæos: *Si crederetis Moysi, et mihi crederetis.* Injuria autem Salvatoris est Joan. V, 46.
incredulitas Synagogæ. Ergo Petri navem elegit, Moysis deserit, hoc est, spernit Synagogam perfidam, fidelem assumit Ecclesiam.

G 4. Duæ enim quasi naviculæ a Deo destinatæ sunt, quæ in hoc, tamquam in mari, mundo salutem hominibus piscarentur, sicut ait Dominus apostolis: *Venite, faciam vos piscatores hominum.* Matth. IV, 19
Ex his ergo duabus naviculis una relinquitur ad terram inanis et vacua, altera producitur in altum

[1] Omnes edit., *quam adducendam de duabus;* omnes mss. elegantius, *quam ad docendum,* etc.

onusta vel plena: vacua enim Synagoga relinquitur in littore, quia Christum cum prophetarum amisit oraculis; onusta autem Ecclesia in altum assumitur, quia Dominum cum apostolorum doctrina suscepit. Synagoga, inquam, remanet ad terras, quasi terrenis inhærens operationibus; Ecclesia autem in altitudinem evocatur, tamquam cœlorum profunda sacramenta discutiens; in illam scilicet altitudinem, de qua Apostolus ait: *O altitudo divitiarum sapientiæ et scientiæ Dei!* Propterea dicitur Petro: *Duc in altum,* hoc est,[1] in profundum disputationum generationis divinæ. Quid enim tam profundum, quam quod ait Petrus ad Dominum: *Tu es Christus Filius Dei vivi?* Quid tam terrenum, quam quod de Domino dixerunt Judæi: *Nonne hic est filius Joseph fabri?* Ille enim altiore consilio nativitatem Christi divinitus approbavit; hi mente viperea generationem cœlestem carnaliter æstimabant. Unde ait Salvator Petro: *Quia non caro et sanguis tibi hoc revelavit, sed Pater meus, qui in cœlis est.* Pharisæis autem dicit: *Quomodo potestis bona loqui, cum sitis nequam?*

Rom. xi, 33. Luc. v, 4. Matth. xvi, 16. Luc. iv, 22. Matth. xvi, 17. Matth. xii, 34.

5. Hanc igitur solam Ecclesiæ navem ascendit Dominus, in qua Petrus magister est constitutus, dicente Domino: *Super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam.* Quæ navis in altum sæculi istius ita natat, ut pereunte mundo, omnes quos suscipit, servet illæsos. Cujus figuram jam in veteri videmus Testamento: sicut enim Noe arca, naufragante mundo, cunctos quos susceperat, incolumes reservavit; ita et Petri Ecclesia, conflagrante sæculo, omnes quos amplectitur, repræsentabit illæsos: et sicut tunc transacto diluvio, ad arcam Noe columba signum pacis detulit; ita et transacto judicio, ad Ecclesiam Petri Christus gaudium pacis deferet, quia ipse columba vel pax est, sicut promisit, dicens: *Iterum autem videbo vos, et gaudebit cor vestrum.*

Matth. xvi, 18. Joan. xvi, 22.

6. Sed quoniam hanc eamdem naviculam Petri, de qua nunc Dominus cœlestis doctrinæ suæ sacramenta depromit, legimus in Matthæo, dormiente in eadem Domino, ventis insurgentibus perturbatam, ita ut cuncti apostoli mortis periculum formidarent; videamus quæ causa est, quod una eademque navicula hic in tranquillitate doctrinam populis tribuit, ibi in tempestate discipulis metum mortis indicit; præsertim cum ibi etiam cum cæteris apostolis Simon Petrus esset. Hæc autem est causa periculi: erat ibi Simon Petrus, sed erat pariter et proditor Judas. Quamvis enim illius fides fundaret naviculam, hujus tamen eam perfidia conturbabat. Tranquillitas est ubi solus Petrus navigat; tempestas ubi Judas adjungitur. Licet esset Petrus firmus suis meritis, perturbatur tamen criminibus proditoris. Metuentibus igitur discipulis, anxiante Petro, dormiebat Dominus. Durum forte videatur quod, anxiante Petro,[2] dormiebat: dormiebat Petro, ne vigilaret Judæ; unius igitur delicto cunctorum merita quatiuntur. Obdormit Christus, ventorum spiramina concitantur; quisquis enim peccatum admittit, statim et dormine sibi facit Dominum, et procellam sibi spirituum suscitat immundorum: necesse est autem diabolica insurgat tempestas, cum Domini serenitas conquiescit.

Matth. viii, 24. 1, q. 4, c. *Turbatur;* et 24, q. 1, c. *Non turbatur.*

7. Igitur si unius Judæ peccato cuncti periclitantur apostoli,[3] hoc exemplo caveamus perfidum, caveamus proditorem, ne per unum plurimi fluctuemus. Quin etiam hujusmodi abjiciamus de nostra navicula, ut non obdormiat, sed vigilet in nobis Dominus, atque eo vigilante, nulla nos spiritalis nequitiæ procella concutiat. Ubi enim fides integra est, ibi Salvator docet, vigilat, et exsultat; ibi requies, ibi tranquillitas, ibi cunctorum est medicina: ubi autem fidei est admixta perfidia, ibi Christus torpet, dormit, et piger est; ibi metus, ibi tempestas, ibi omnium est discrimen: pro actibus enim nostris Dominus nobis obdormit aut vigilat.

SERMO XXXVIII.

De Gratia Baptismi.

Hoc titulo non solum in vet. editt., sed etiam in pluribus probatioribusque mss. inscribitur hic sermo: at in Remig. eidem præfigitur, de festo Epiphaniæ. *Et certe non obscurum videtur illum non multo post hoc idem festum ad catechumenos habitum esse, ut ad studium accipiendæ baptismatis gratiæ excitarentur. Nihil Ambrosii præfert: sed æquiori jure attribui Maximo potest; et cum sermoni* x *et* xi *supra editis pulchre conveniat, existimare licet tres hos sermones designatos esse a Gennadio, ubi prodidit eumdem episcopum* de Baptismi gratia librum, *vetustiss.,* libros, *edidisse* (Edit. Maur.).

1. Quia constat, sicut ante dies prosecuti sumus, Jesum Christum non sui causa baptizatum esse, sed nostri; debemus, fratres dilectissimi (vobis catechumenis loquor), gratiam baptismatis ejus omni festinatione suscipere, et de fonte Jordanis, quem ille benedixit, benedictionem consecrationis haurire, ut in eum gurgitem, in quem illius sanctitas mersit, nostra peccata mergantur: scilicet ut eadem aqua, quæ Dominum circumdedit, et servulos circumpurget; quatenus ex venerabili Christi lavacro nobis unda sancta proficiat, et iisdem vestigiis atque mysteriis, quibus benedictionem a Salvatore est mutuata,[4] nos fotu beatiore purificet, gratiamque quam a Christo suscepit, in christianos refundat.

Matth. iii, 13 et seq.

2. Ergo, fratres, tingi debemus eodem fonte, quo Christus, ut possimus esse, quod Christus. Nam, quod salva fide dixerim, licet baptismum utrumque sit Domini, tamen gratius puto hoc baptismum esse, quo nos abluimur, quam illud quo Salvator baptizatus est. Hoc enim celebratur per Christum, illud celebratus est per Joannem: in illo se magister excusat, in isto nos Salvator invitat: in illo justitia semiplena, in isto Trinitas est perfecta: ad illud sanctus venit, sanctus egreditur; ad istud peccator venit, et sanctus abscedit: in illo benedictio confertur mysteriis, in isto per mysterium delicta donantur. Baptizari ergo, fratres, debemus eodem gurgite, quo Salvator: sed ut eodem fonte mergamur, non nobis

[1] Mss. Vallisel. et Silv., *in profundum generationis divinæ.*

[2] Sic iidem duo mss.; alii vero et vet. edit., *dormiebat: dormiebat Petro: navigabat Judæ;* at Rom. edit., *Dominus dormiebat. Verum dormiebat Petro, sed mare turbabat Judæ.*

[3] Nonnulli mss., *hoc exemplo perfidum caveamus proditorem.*

[4] Omnes edit., *nos fœtu beatiore;* omnes mss., *nos fotu beatiore;* unus, *beatiores.*

orientalis petenda est regio, non fluvius terræ Ju-
1 daicæ;[1] ubique enim nunc Christus, ubique Jordanis est. Eadem consecratio, quæ orientis flumina benedixit, occidentis fluenta sanctificat. Unde et si forte nomen fluvio aliud sit e seculo, inest tamen illi mysterium e Jordane.

3. Denique iisdem sacramentis res agitur, quibus ut tunc gesta est, nisi quod gratia pleniore: tunc enim Trinitatem carnalibus oculis vidimus, modo eamdem Trinitatem fidei oculis contemplamur: tunc Christum vix humanus vultus aspexit, nunc eumdem mens humana complectitur: tunc Spiritus sanctus velut columbæ specie hominem circumfudit, modo se in interiora hominis ipsa virtute divini-
2 tatis infundit:[2] tunc Pater ad nos propter Filium longo auditu vocis advenit, modo autem descendit ad nos pariter ipse cum Filio. Plenior ergo gratia est, ubi Deus non assumpta specie descendit ad homines, sed propria substantia descendere dignatur ad filios: ibi enim tamquam incredulis fidem vult signis corporalibus persuadere, hic tamquam fidelibus gratiam spirituali virtute conferre. Plenioris ergo gratiæ est Deum videre, sicut est Deus, quam videre eum sic, ut requiras eum. Hic est perfecta Trinitas, ibi adhuc scrutanda divinitas. Plenior
3 igitur est gratia[3] Deum propria veritate cognoscere, quam in assumpta specie suspicari.

4. Faciamus ergo ipsi pro nobis, quod Deum videmus fecisse pro nobis: faciamus circa nos, quod fieri circa se Joannes optavit. Si ille qui erat propheta et sanctus, Salvatoris baptismum concupivit, quanto magis nos peccatores et indigni gratiam hanc debemus ambire! Videte misericordiam Salvatoris: hoc nobis sponte defertur, quod propheta postulans non meretur accipere.

5. Quid autem causæ sit quod Joannes petierit Christi baptismum, nec acceperit, debemus advertere. Ait enim illi Dominus postulanti: *Sine modo;*
Matth. III, 15. *sic enim decet nos implere omnem justitiam.* Scimus autem quod Joannes Baptista typum legis gerebat. Justum ergo erat, ut ipse baptizaret Dominum; scilicet ut quemadmodum secundum carnem de Judæis Salvator est genitus, ita et secundum Spiritum de lege Evangelium nasceretur; ut unde successionem ducebat originis, exinde et traditionem consecrationis acciperet. Hoc est igitur, quod ait: *Sic enim decet nos implere omnem justitiam.* Justum enim erat, ut mandata Legis, quæ ipse condiderat, ipse compleret, sicut alibi
Matth. V, 17. dicit: *Non veni Legem solvere, sed adimplere.*

SERMO XXXIX.

De Camelo.

Rom. edit. ut hunc sermonem evangelio dominicæ XIV *post Pentecosten adaptaret, illi exordium propria auctoritate præfixerat. Quam autem absurde id voluerit, inde cognoscitur,*
A *quod hunc sermonem haud multo post Epiphaniam habitum constet. Quædam porro in illo reperimus tantum cognationis cum sermone 20 a nobis rejecto præferentia, ut utriusque eumdem fuisse auctorem arbitremur. Nec profecto desunt quæ illum Maximo videantur asserere; sed nulla suppetunt, quæ Ambrosio* (Edit. Maur.).

Potissimum e verbis lib. III Regum numero 2 prolatis conspicimus sermonis auctorem usum esse
B versione communi Vulgata antiquiori, ideoque ea ætate vixisse qua translatio d. Hieronymi nondum in communem usum devenerat.

1. Dicit[4] in Evangelio Dominus Jesus Christus: 4
Facilius est transire camelum per foramen acus, quam divitem intrare in regnum cœlorum. Quæ Matth. XIX, 24.
sententia vereor ne forte vobis conveniat, qui divitias sæculi hujus aut habetis, aut quæritis. Sicut enim cameli animal, quod est tortuosum atque de-
C forme, perversitas ipsa corporis per angustissimam acus cavernam præterire non patitur: ita et divites oneratos avaritia, et cupiditate fœdatos, ipsa vitæ deformitas per arctam viam regni minime introire permittit; ait enim idem Dominus: *Arcta et angusta via est, quæ ducit ad vitam.* Matth. VII, 14.

2. Igitur in camelo[5] difficultatem transitus præstat habitudo membrorum; in divite autem impedimentum magnitudo efficit peccatorum: gibbus enim quidam est animæ turpe quid vel cogitare,
D vel facere; ac mentis quædam tortuosa deformitas, in mundi rebus semper intendere, et ab Ecclesiæ sanctæ limine curis sæcularibus avocari. Unde mihi videtur hanc deformitatem corporis propheta spiritaliter elocutus, fœditatem morum potius indicasse, cum dicit: *Non glorietur gibbosus sicut rectus;* quasi sic diceret: Non glorietur peccator III Reg. XX, 11.
vitiorum suorum pravitate distortus, sicut gloriatur justus conscientiæ bonæ simplicitate directus. Quamvis enim, o peccator, proceritate corporis
E gaudeas, quamvis scapularum tuarum æqualitate læteris; anima tamen tua morum pravitate deformis est.

3. Recte ergo camelo comparatus est dives; siquidem illum a transitu acus corporis crassitudo revocat, hunc ab ingressu Ecclesiæ patrimonii sollicitudo detentat: et sicut illum parvum foramen non capit oneratum mole membrorum; ita et hunc introitus sanctus non suscipit gravatum cumulo delictorum. Uterque habet propriam sarcinam suam:
F ille oneratus est carnibus, iste peccatis; et sicut ille inhabilis est angustissimæ acus cavernæ, ita et hic inconveniens est beatissimo Dei regno: ad quod camelum[6] corpore incompositum natura, hunc 6
autem pravum voluntas efficit.

4. Hæc autem dico, fratres, de iis qui festivissimam diem sanctæ Epiphaniæ, ne in Ecclesia procurarent, patrimoniorum suorum compedibus sunt

[1] Ita mss.; at editt., non etiam male, *ubi enim nunc Christus est, ibi quoque Jordanis est.*

[2] Omnes edit., *Tunc Pater a Domino:* cod. Remig. et Vallisel.... *ad Dominum;* optime Lugd., *tunc Pater ad nos,* etc.

[3] Vet. editt., *Deum propria virtute cognoscere;* Rom. et mss. commodius, ut in contextu.

[4] Rom. edit., *Mammona apud Hebræos hujus sæculi divitiæ appellantur. Dicitur vero mammona iniquus quia nonnisi iniqui in eis spem constituunt: justi autem, licet ea possideant, non sunt illis tamen divitiæ, nisi cœlestes et spiritales. Servit igitur Mammonæ, qui in terrenis hujus sæculi rebus confidit. Hi alibi viri divitiarum a propheta appellantur. Nolite, fratres, divitias appellare illas, nolite eas amare; quia si serviatis illis, et cum illis peribitis. Ideo de hujusmodi divite Jesus Christi alibi dicit,* etc.

[5] Omnes edit., *difficultatem quæstus;* et infra, *immundis rebus semper;* utrobique aptius mss. ut in contextu.

[6] Ita mss.; editt. autem, *corpore compositum natura.* Parum concinne.

detenti, et terreno quodam obligati sunt vinculo, ut venire eis ad domum Domini non liceret. Non quod eos quidpiam detineat, sed quod ita propriis sint actibus implicati, ut jam arbitrium vivendi suæ potestatis amiserint; et dum sollicitudinem patrimonii exhibent, animarum medicinam penitus non requirant.

5. Quid mihi, o dives, difficultatem temporis objicis? Quid necessitatem ingeris repentinam? Si cor habes, intellige quia omni necessitate major necessitas est salutis; et utilior est causa prius curare vitam, tunc peculii damna sarcire; ne dum augmentum patrimonii quærimus, sentiamus animæ detrimentum. Sed forte judicem metuis, quem in secretario reliquisti. Mihi crede quod magis Deum judicem metuere debes, qui de ipso tuo judice judicabit. Illum ergo metuis, qui mox accipiet successorem; Dominum non metuis, cui nemo aliquando succedit? Considera itaque judicii imminentem diem, et inextinguibiles gehennæ flammas, stridorem horrendum dentium, tenebrarum ultimum cruciatum; et si potes, relicta Ecclesia, sæcularibus sollicitudinibus implicare. Vereor enim ne dum mundi divitias quæritis, inveniatis potius divitias peccatorum; et repertis thesauris sæculi, cœlestes thesauros amittatis.

SERMO XL.

De jejuniis et eleemosynis.

Ut sermo in epistolam Dominicæ XXIII *post Pentecosten ex hoc fieret, edit. Rom. et veram ejus inscriptionem immutaverat, et in textum verba nonnulla inseruerat, quod utrumque restituimus. Ipsa autem dicendi ratio tantopere opposita est Ambrosianæ, ut cuivis potius quam illi possit ascribi* (Edit. Maur.).

1. Non dubito, fratres, contristari vos quotiescumque absentem mea vobis necessitas facit; dum enim quem diligitis, non videtis, tamquam boni filii pietatis stimulis laboratis. Sed quamvis corpore vos ego interdum deseram, spiritu tamen vos non relinquo; quocumque enim iero, dilectio vestra me sequitur; ubicumque fuero, ibi mecum vestra fraternitas commoratur. Quisquis enim in Christi mandatis permanet, necesse est ut Christi adhæreat sacerdoti; et licet longe positus videatur, fit tamen proximus, dum illum unius fidei gratia repræsentat. Ille se sane separatum a sacerdotibus putet, qui actibus malis separatus a Christo est. Atque ideo, fratres, vos qui mandatum Salvatoris facitis, quamvis absentes a me fueritis corpore, dilectione tamen mihi minime defuistis. Ita quos separabat longitudo terrarum, Christi gratia connectebat.

2. Sunt autem nonnulli inter vos, fratres, quorum licet vultus in Ecclesia videamus, cor tamen eorum in agris esse cognoscimus; et præsentiam quidem eorum consideramus in plebe, sed conversationem eorum invenimus in rure.[1] De quibus dicit Apostolus: *Et gloria in pudendis ipsorum, qui terrena sapiunt;* ii enim de terra semper cogitant, de terra tractant, quæ terrena sunt, sapiunt. Philip. III, 19.

A His convenit divina illa sententia, qua dicitur: Terra es, et in terram redibis; qui ideo aliquando ad ecclesiam veniunt, non quia ex fide christiani sunt, sed ne christiani ab hominibus non putentur. Gen. III, 19

3. Quibus cum jejunium indicitur, de intemperie se temporis semper excusant; dicunt enim æstivis mensibus: Dies longa est, torrentior sol est, sitim ferre non possumus, poculis nos refrigerare debemus; hiemis vero tempore: Grave frigus est, rigores sunt pessimi, algorem tolerare nequimus, B escis calefieri nos oportet. Ita homines quorum animus semper est in prandio, prandendi sibi causas inquirunt; et dum se a jejuniis excusant, tempora Creatoris[2] accusant. 2

4. Dic mihi, o delicate christiane,[3] qui æstum solis jejunando ferre non potes, numquid æstus, quem sustenturus es, torrentior est gehenna? numquid hiems horridior est tenebris, quibus retrudendus es? In exteriores enim tenebras abjicientur peccatores: *ibi erit fletus et stridor dentium,* Matth. VIII, 12 C sicut ait Dominus: stridor, inquam, dentium ad instar hiberni temporis semper erit in illis tenebris. Ergo sicut penetrante algore hiemis, toto homines corpore contremiscunt; ita et interveniente conscientia frigida delictorum, gravi peccatores dentium stridore quatientiur. Ita miser peccator, dum hic hibernum rigorem metuit, ibi tenebrarum frigus incurrit: dum hic æstum solis evitat, ibi gehennæ sustinebit ardorem.

5. His autem ipsis hominibus cum dixerit, ut aliquid D pauperibus largiantur, statim objiciunt: Necessitates infinitæ sunt, tributa sunt gravia, fiscalia explicare non possumus. Et tanta tibi ingerunt, ut quasi reum te statuant, cur hoc ipsum illos volueris commonere, non intelligentes quod ii sunt inimici crucis[4] Christi, qui non intelligunt quod omnibus necessitatibus salutis sit necessitas præferenda, et quod tributum reddere alii prodest; eleemosynam facere ipsi proficiat, qui largitur: tributi enim redditio illi præstat beneficium, qui accipit; eleemosynæ E autem operatio ei confert meritum, qui ministrat. Tributi, inquam, redditio detrimentum infert solventi; eleemosynæ erogatio lucrum tribuit eroganti: ditior enim fit vir misericors, posteaquam minus habere incipit pauperibus largiendo. 4

6. Beata igitur est eleemosyna, quæ et accipientem reficit, et lætificat erogantem: *Hilarem enim datorem diligit Deus;* atque ideo[5] melius est illi plus dare. Lætus ergo et hilaris est, qui F pauperibus subministrat. Recte plane lætus est, quia per nummulos paucos æternos thesauros sibi cœlestes acquirit. Et contra, semper tristis est et mœstus, qui tributa dissolvit. Nec immerito tristis est, qui ad solutionem non dilectione adducitur, sed terrore constringitur: Christi enim debitor lætus, Cæsaris tristis est; quia hunc ad solvendum amor cogit, illum pœna compellit. Hic præmiis provocatur, ille suppliciis coarctatur. 5 II Cor. IX, 7.

7. Dicit sanctus Apostolus: *Divitibus hujus sæculi præcipe non sublime sapere, et neque in incerto divitiarum sperare.* Vides ergo, o dives, quia sunt tuæ incertæ divitiæ. Quid ergo aurum G I Tim. VI, 17

[1] Vet. edit. ac mss.: *De terra enim dicit Apostolus;* ms. Reg., *de terra enim semper cogitant,* etc.

[2] Verbo *accusant* adjiecit, Rom. edit., *De iis dicit Apostolus: Quorum Deus venter est.*

[3] Omnes edit., *qui æstum*, etc.; mss. vero, *qui æstatem jejunando,* etc.

[4] Rom. edit., *Christi, ut hodie lectum est.*

[5] Omnes edit. ac ms. Lugd., *melius est illi prius dare;* commodius vero Valliscl.... *plus dare.*

congregas, in quo nulla certa fiducia est?[1] Auri tui avaritia cesset, et terra est: solidi tui cupiditas auferatur, et sordes sunt. Aurum enim et argentum vilis est et abjecta materies: ubi aurum increvit humana concupiscentia, tunc et his speciebus accrevit ambitio; aurum enim et argentum non pretiosum natura instituit, sed hominum voluntas effecit.

SERMO XLI.

De eo quod dicit Dominus in Evangelio: *Vulpes foveas habent*, etc.

Hic titulus est quem huic sermoni antiquæ edit. ac mss. indidere: at Rom. edit. eum habitum prænotavit In festo S. Basilii: *ubi non attenderunt ejusdem edit. curatores parum credibile videri ætate Ambrosii, quem hujus sermonis auctorem ferunt, Basilii natale jam tum celebrari solitum esse Mediolani. Hoc igitur unum asseri potest: præter nonnulla quæ ex* Comment. in Luc. *lib.* VII, *num. 30 et 31, huc translata sunt, Ambrosianum hic nihil est* (Edit. Maur.).

1. Si diligenter[2] advertit capitulum evangelicum, quod hodie lectum est, vestra dilectio, sensus vestros id ipsum capitulum potuit permovere, cur Dominus sicut Scriptura refert, cum ab altero interpellatus fuerit, ut eum, quocumque iisset, causa religiosi servitii sequeretur; alteri magis dixerit: *Sequere me;* et illo spreto atque despecto, alium potius tacentem nec opinantemque delegerit? Et cum utique acceptius voluntarium obsequium esse soleat, quam coactum; et servitium plus placeat, non quod imperio exigitur, sed quod sponte defertur; cur ergo iste respuitur, cur velut indignus etiam recusatur? Ait enim ad eum Dominus: *Vulpes foveas habent, et volucres cœli nidos: Filius autem hominis non habet, ubi caput reclinet.*

Matth. VIII, 22. Luc. IX, 58.

2. Primum itaque hoc considerare debemus, quod non est acceptor Dominus personarum (est enim æquus judex et justus), sed pro[3] qualitate morum rependat dilectionis affectum; et eum eligat, non qui verbis promptus, devotione piger; sed qui fuerit lingua tacitus, mente devotus, de quo dicit Propheta: *Tacitum te faciens, sapiens videberis.* De illo autem qui petulanter loquitur, refert Scriptura: *Non omnis qui dicit mihi, Domine, Domine, intrabit in regnum cœlorum: sed qui fecerit voluntatem meam.* Hinc ergo discimus quod ad Dominum non tam ore quam corde clamandum est.

Prov. XVII, 28. Matth. VII, 21.

3. Igitur Salvator noster, qui cogitationes hominum[4] sensusque pervideat, audiens quidem vocis obsequium, mentis autem versutiam recognoscens, tali illum animali comparat, quod aliud voce indicet, aliud moribus operetur: vulpes enim latratu canis resonat, dolo rapinam fraudis exercet. Tacentem ergo nec opinantem assumit. Tacebat quidem lingua, sed spiritu loquebatur; intelligimus enim quam devotus fuerit, qui sicut ipse asseruit, patrem reliquit mortuum, ut vitæ Dominum reperiret. Ait enim: *Permitte mihi prius ire, et sepelire patrem meum.* Mortuum ergo illum reliquerat, quem ut revertens sepeliret, exorat. Non eum dolor retinuerat, non mors retardaverat; quia festinabat ad vitam. Necdum morientis clauserat oculos, necdum rigentia membra condiderat; statim ut comperit advenisse Dominum, oblitus paternæ pietatis, affectum majorem pietate credidit plus Christum diligere, quam parentem. Legerat enim fortasse propheticam lectionem, quæ dicit: *Obliviscere populum tuum, et domum patris tui;* propterea oblitus est patrem, dum memor est Salvatoris. Audierat etiam Evangelium Domini: *Qui plus dilexerit patrem aut matrem, non est me dignus.*

Luc. IX, 59. Ps. LIV, 11. Matth. X, 37.

4. Ita cum Tobias justificetur, cur sepulturæ causa prandium dereliquerit; hic probatur, cum causa Christi patris reliquerit sepulturam. Ille enim non veretur, ne interveniente opere, terreni prandii epulas prætermitteret: hic metuit ne, interveniente mora, refectionem panis cœlestis amittat. Unde cum Christi contemplatione sepulturam omnibus debeamus, hic amore Christi patris deseruit sepulturam.

Tob. II, 3.

5. Discutiamus itaque primo illius interpellationem, responsionemque Domini Salvatoris. Ait enim ille: *Sequar te quocumque ieris.* Prompta quidem,[5] sed superba professio. Iturus enim ad passionem erat Dominus, descensurus ad inferos, ascensurus ad cœlum; numquid in omnibus illum potest fragilitas humana comitari? Stulta est ista præsumptio potius, quam religiosa confessio. Siquidem et Petro apostolo dicitur a Domino, cum æstimaret se sequi per omnia Salvatorem: *Quo ego vado non potes me modo sequi.* Et cum pertinaciter insisteret, ac se ab eo nec morte diceret separandum; tamquam jactantiæ condemnatus audit, quod esset Dominum tertio negaturus. Ita qui promittebat a confessione Christi nec morte divelli, ab ejus societate interrogatione ancillulæ separatur; et nisi velut modum quemdam statuens, tertio eum dixisset Dominum negaturum, forsitan sæpius interrogatus, frequentius denegasset.

Luc. IX, 58. Joan. XIII, 33.

6. Quid ergo respondetur illi petulanti? *Vulpes foveas habent, et volucres cœli nidos, et Filius hominis non habet, ubi caput reclinet.* Videte cui rei subtiliter comparetur: est enim hoc genus animalis fallax, et insidiis semper intentum, rapina fraudes exercens, quod nihil tutum, nihil otiosum, nihil patitur esse securum, quod inter ipsa quoque hominum domicilia prædam requirat.

Luc. IX, 58.

7. Quam comparationem non solum propter illum scriptam puto, sed propter plerosque etiam christianos, qui ore quidem Deum confitenter, moribus autem vulpium fallacia diversantur: omnis enim

[1] Codices Lugd. et Valliscl.: *Aurum tuum avaritia;* melius editt. ut in textu.

[2] Rom. edit., *advertit vestra dilectio, fratres, capitulum evangelicum.... quomodo Dominus, qui in lege, ut Scriptura refert, mandavit:* Honora patrem tuum, et matrem tuam; *quemadmodum præcepit tibi Dominus Deus tuus,* ut bene tibi sit; *nunc dicat:* Si quis venit ad me, et non odit patrem suum et matrem, etc., non potest meus esse discipulus? *Cui congruit quod in alio loco, cum interpellaretur a quodam:* Domine, permitte mihi primum ire, et sepelire patrem meum, *respondit:* Sine ut mortui sepeliant mortuos suos; tu autem vade, et annuntia regnum Dei. *Illi vero qui dixit:* Sequar te quocumque ieris; *respondit:* Vulpes foveas habent, et volucres cœli nidos; Filius autem hominis non habet ubi caput reclinet. *Cur ergo cum ab altero interpellatus fuerit ut quocumque iisset, religiosi servitii causa sequeretur eum: alteri magis dixerit qui eum sequi cunctabatur:* Sequere me: *et priori spreto,* etc.

[3] Editt. vet., *qualitate horum;* Rom., *qualitate meritorum;* codex Lugd., *qualitate morum.*

[4] Ita ms. Lugd., vet. autem editt., *sensusque provideat;* Rom. *prævidet.*

[5] Omnes edit., *sed superba responsio;* codex Lugd., *professio.*

christianus, qui sua vult peccata celare, hic spiritaliter vulpes est. Sicut enim vulpes propter fraudes suas in latibulis demoratur; ita et peccator tacens propter conscientiam suam peccatorum foveis delitescit: et sicut illa non audet inter medias hominum turbas morum suorum ostendere fallaciam; ita et hic erubescit in media Ecclesia conversationis suæ nequitiam confiteri. Vulpem plane dixerim omnem christianum, qui suo insidiatur vicino; qui quotidie nititur fines alienos arrodere, fructus invadere, animalia devorare, et quod est familiare huic tempori, non jam vulpium more pullos, sed luporum more rapere porcos: qui dum suo[1] labore possit se juvare, ferarum rabie prædam captat alienam.

8. Hæreticos etiam omnes arbitror vulpibus comparandos, qui cum in domo Domini habitare non possint, conventicula sibi quædam velut foveas præparant tenebrosas, in quibus pertinaciter latentes, insidiantur Ecclesiæ; ut si qua innocens anima forte processerit, velut pullum gallinæ matris absorbeant. Insidiantur, inquam, vulpes Ecclesiæ, hoc est, hæretici evangelicæ illi gallinæ, de qua ait Dominus: *Quoties volui congregare filios tuos, sicut gallina colligit pullos suos sub alas suas?* Sed ipsa, sicut Samson, ardentes faces vulpibus religavit.

Matth. XXIII, 37.
Judic. XV, 4.

SERMO XLII.

Increpatio ad plebem de eo quod scriptum est in Evangelio: *Qui habet, dabitur ei;* et: *Cantavimus vobis,* etc.

Cur hunc sermonem nominatim cuipiam Patri potius quam alteri assignemus, nihil occurit: ne vero Ambrosianum esse putemus, nihil non reclamat (Edit. Maur.).

Sane ipsa priora hujus sermonis verba palam faciunt eum ab Ambrosio prolatum non fuisse: siquidem et ipse semper libentissime ad populum verba faciebat, ejusque fidelis grex sacræ doctrinæ pabulum ex ore tanti Pastoris libentissime semper excipiebat, neque incuriose atque absque profectu, sed uberi cum fructu, ut historia testatur.

1. Frequenter studueram apud me ipsum, fratres, subtrahere vobis Dominicæ prædicationis eloquia, ac non elargiri sæpius sermonum cœlestium sacramenta. Siquidem nihil prosit offerre pabula recusanti, et potum porrigere minime sitienti: cur id quod offeras, non tam libenter hauriat, quam fastidiose velut turbulentum reddat; atque ita sicut et poculi sinceritas vitietur, et causas delicti fastidiosus potator inveniat? Sic ergo et charitati vestræ ingerere Dominici poculi prædicationem forte superfluum est; cum id anima vestra clausis visceribus non tam sitienter hauriat,[2] quam dissimulanter effundat. Fundit enim mandatum Domini, qui illud aure sua percipit, corde non continet; in superficie enim quadam corporis illud gestans, ac minime ad interiora transmittens quod audivit, dum obliviscitur, seriem prædicationis effundit, et ita[3] domum vacuus repedat, qui de ecclesia onustus exierat.

2. Dicite enim mihi, quis de vobis cum ad hospitium redierit, dicet: Hodie audivimus episcopum de eleemosynis disputantem; rem utilem prædicavit, debemus pauperibus misereri? Prosecutus etiam est de idolorum exsecranda cultura: requiramus ne ignorantibus nobis in posssesione nostra sit idolum. Admonuit etiam festinare debere catechumenum ad gratiam fidei: offeramus familiolæ nostræ ut fidem quisquis est fidelis, accipiat; ne forte ratio salutis eorum quæratur a nobis, quia vita eorum ex nostro pendet arbitrio. Nemo de Dei rebus cogitat, nemo de die judicii loquitur, quasi aut per omnia victuri, aut per omnia morituri. Mihi credite, ita vivimus in hoc sæculo, ut corpore moriamur; ita morimur, ut rationi reddendæ vivamus. Moritur interim homo, sed actuum causa non moritur: vivente autem causa, necesse est ut causæ suæ persona non desit, sicut ait propheta: *Ecce homo, et opera ejus.*

Eccl. XXXIX, 24.

3. Volueram ergo subtrahere vobis Dominicæ prædicationis eloquia, non quod iratus hoc facerem, sed ut Evangelicam sententiam custodirem. Ait enim Dominus: *Qui habet, dabitur ei, et abundabit: et qui non habet, id quod habet, auferetur ab eo.* Habenti ergo dari jussit; et non habenti non solum non dari, sed etiam id quod habet, auferri. Quæ sententia superflua vobis forsitan videtur: ego autem dico recte ac sapienter Dominum præcepisse. Habenti ergo jubetur dari. Meretur plane accipere, qui ita laboravit, ut propria sollicitudine animæ suæ divitias spiritales acquireret: ut puta quis continentiæ forti proposito cœpit castimoniæ custodire virtutem, meretur audire quæ castitatis remuneratio sit futura; ut[4] ad virtutis observantiam audiens remunerationis gloriam, facilius possit pugnam, quam cœpit, atterere. Alius ad misericordiam promptus debet audire quia ipsi miserebitur Deus, et qui hanc terrenam substantiam cœlestibus divitiis repensabit, necesse est ut auscultans vicissitudinem cœlestium præmiorum, promptior ac libentior opus Domini prosequatur, et ad misericordiæ quod habet bonum, largitatis addat augmentum. Ideo ait Dominus: *Qui habet, dabitur ei*, hoc est, qui dives fuerit bonis operibus, hic magis evangelica prædicatione ditetur.

Luc. XIX, 26

4. Cæterum si fornicatori prædices, et dicas quod virgo debeat permanere; et avaro quod omnia sua distrahere debeat atque donare, stultitia illi est. Hanc enim prædicationem ridiculam putat, sicut ait Apostolus: *Animalis autem homo non percipit quæ sunt spiritus Dei; stultitia enim est illi.* Tale enim est iis prædicare quod perfectum est, quale si mendicum pannis obsitum holoserica velis induere, et esurientem rusticum placento delectare; necesse est enim ut ab utroque recusaretur oblatio. Illi enim displicet holoserica, qui necessaria magis frigori vestimenta desiderat: huic placentum amarum, dum escam magis saturitatis exquirit. Istis ergo personis auferenda potius sunt, quæ sua sunt, sicut ait Evangelium: *Etiam id quod habet, auferetur ab eo;* hoc est, cogendus fornicator pannos suæ corruptionis abjicere, compellendus avarus est panem suæ cupiditatis exponere.

I Cor. II, 14.

5. Vereor autem, fratres, ne evangelica lectio plerisque de vobis congruat, quæ ait: *Cantavimus*

[1] Codex Lugd., *suo labore possit vivere.*

[2] Ita cod. Lugd. et Valliscl.; editt. vero, *quam dissimulanter infundat.* Non recte.

[3] Lugd. codex, *domum vacuus repetat.* Et infra, *quis de vestris cum,* etc.

[4] Codex Valliscl., *ad virtutis observantiam addens.*

vobis, et non saltastis: lamentavimus, et non
Luc. VII, 32. *plorastis.* Annuntiamus ergo vobis regni cœlestis gaudium, et minime corda vestra motu quodam alacritatis exsultant: prædicamus triste judicium, et sensus vestri ad pœnitentiam in lacrymas non prorumpunt; infidelitatis enim genus est in divinis rebus nec gaudere prosperis, nec flere contrariis. Saltationem ergo a nobis requirit Dominus, non
1 utique sinuosi volubilitatem corporis,[1] sed extollentis se fidei sanctitatem. Sicut enim qui corporaliter saltat, nunc aere suspenditur, nunc ad altiora jactatur, nunc alternis saltibus loca diversa collustrat; ita et qui spiritaliter saltat, interveniente fide, modo in aeris sublimitate erigitur, modo ad siderum altiora sustollitur, modo diversis cogitationum saltibus paradisum, cœlumque collustrat. Et sicut qui corporaliter saltat, volubilitate membrorum se exercens, gyrum sibi saltationis acquirit; ita et qui spiritaliter saltat, fidei alacritate semper se movens, gyrum sibi totius orbis assumit.

6. Solent autem homines, sicut mos est, in suis votis, hoc est, nuptiis, præcipue saltare vel canere; unde et nos habemus votivas nuptias, quibus saltare vel canere debeamus. Vota enim nostra celebrantur, quando Christo Ecclesia copulatur, sicut ait Joannes: *Qui habet sponsam, sponsus*
Joan. III, 29. *est.* Propter has ergo nuptias saltare nos convenit. Siquidem David rex pariter et propheta, cum multa cecinerit, ante arcam Testamenti etiam saltasse
II Reg. VI, 14. dicitur; elatus enim gaudio, in saltationem prorumpit: prævidebat enim in spiritu Mariam de germine suo Christi thalamo sociandam. Unde ait ipse: *Et ipse tamquam sponsus procedens de*
Ps. XVIII, 6. *thalamo suo.* Ideo ipse præ cæteris prophetiarum auctoribus plus cantavit, quia lætior cunctis per hæc gaudia suos posteros conjugabat; et ad propria vota solito dulcius invitans, docuit nos quid in ipsis nuptiis facere deberemus, cum ille ante nuptias tanta exsultatione saltaverit. Ante arcam ergo saltavit propheta David: arcam autem quid, nisi sanctam Mariam dixerimus? Siquidem arca intrinsecus portabat Testamenti tabulas; Maria autem ipsius Testamenti gestabat hæredem: illa intra semet Legem, hæc Evangelium retinebat; illa Dei vocem habebat, hæc Verbum. Verumtamen arca intus forisque auri nitore radiabat; sed et sancta Maria intus forisque virginitatis splendore fulgebat: illa terreno ornabatur auro, ista cœlesti.

SERMO XLIII.

Increpatio ad populum quod ecclesiam non frequentet.

Magni viri hunc sermonem Ambrosii esse existimantes, concilium, cujus in eo mentio exstat, nonnisi Aquilejense opinati sunt. Sed ut potius de hoc quam de alio agi credatur, nihil occurrit. Quod autem eumdem sermonem pro Ambrosiano illi habuerunt, fidem editionum hac in re secuti sunt. Cæterum ut non dicamus illum inveniri in antiq. cod. Gall. cujus sermones omnes tribuuntur Augustino, nihil ei neque in stylo neque in argumento inest, quod Ambrosio nostro conveniat (Edit. Maur.).

1. Deberem, fratres, post hos complures dies aliquid uberius prædicare, et revertens a tanto A examine sacerdotum, dulci vos sermone reficere. Bene dixi examine sacerdotum: quia sicut apes de divinarum Scripturarum flosculis suavia mella conficiunt, et quidquid ad medicinam pertinet animarum, oris sui arte componunt. Recte comparantur apibus sacerdotes; quia sicut apes castitatem corporis præferunt, cibum vitæ cœlestis exhibent, aculeum legis exercent; puri enim ad sanctificationem, suaves ad refectionem, severi sunt ad ultionem. Apibus plane sunt comparandi, qui velut B alveario quodam gratia matris Ecclesiæ continentur, in qua diversorum meritorum cellulas dulcissimis prædicationibus componentes, de uno Salvatoris examine christianorum examina multa producunt.

2. Cum semper, fratres, non cessaverim vos paterna pietate corripere, miror nihil vos tot meis commonitionibus profecisse, et doleo quod frequens prædicatio mea non vos profectu aliquo salutis corrigat, sed quadam contestationis pœna constringat. Prædicatio enim sacerdotis in plebe salvandis est C correctio, et contestatio judicandis: contestamur enim illis ante judicium, quod illos maneat in ipso judicio; ut tunc omni excusatione submota, et rei sint de peccatis, et obnoxii de contemptu. Unde et ego interdum parcens vobis tacere velim: sed malo vos contumaciæ causas reddere, quam me negligentiæ sustinere judicium.

3. Comperi enim, fratres, quod per absentiam meam ita rari quique ad ecclesiam veniatis, ita pauci admodum procedatis, quasi me proficiscente, D mecum pariter veneritis, et quasi cum necessitatibus ego pertrahor, vos mecum traxerit ipsa necessitas. Pariter ergo a domo Dei absentes sumus; sed hoc interest, quod me absentem necessitas efficit, vos voluntas. Nescitis quia etsi ego ab ecclesia desum, Christus ab Ecclesia sua, qui est ubique, non deest? Venis, frater, ad ecclesiam, non invenis ibi episcopum: sed si fideliter venis, invenies ibi episcoporum episcopum Salvatorem. Nam christianus qui tunc tantum procedit ad ec- E clesiam, quando episcopus præsens est, non tam Dei causa videtur processisse, quam hominis; nec implesse christiani timentis officium, sed amici deferentis obsequium.

4. Quid autem ego vos arguo, cum possitis me uno sermone convincere? Convincor enim cum in q. 1, c. *Quid autem.* hac parte clericos vobis magis video negligentes. Quomodo enim possum corrigere filios, cum fratres emendare non possim? aut qua fiducia succenseam laicis, cum a consortibus pudoris verecundia con- F ticescam? Ego autem, fratres, non de omnibus loquor. Sunt certe quidam devoti, sunt et alii negligentes: ego neminem nomino, conscientia sua unumquemque conveniat.

SERMO XLIV.

Post increpationem allectio ad populum.

Habetur hic sermo sub hac inscriptione in mss. Gall. atque Lugd.; in vet. autem editt. pro allectio *ponitur* consolatio: *at Rom. edit. titulum qui non tam sensu quam verbis distaret, concinnavit. Hanc vero concionem pronuntiatam esse post superiorem non ambigimus; ejusque auctorem nonnulla ex Hieronymo cap. 62* in Matthæum, *plura ex Ambrosio lib.* VI in Lucam, G

[1] Valliscl. cod., *sed extollentissimæ fidei sanctitatem.*

num. 96 et 97, mutuatum cernimus, quem ut alium existimemus ab Ambrosio, cuncta inducunt (Edit. Maur.).

1 1. Amarior fortasse fuerit[1] increpatio mea superioribus prædicationibus, quod plerosque de vobis acrius magisterii severitate convenerim, et sim prosecutus quæ aliquantis non blandimenta deferrent, sed tristitiam irrogarent. Verum nihil mea interest; ego enim gaudeo sciens discipuli tristitiam magistri esse lætitiam. Tunc enim auditor proficit, quando austeriora annuntiat prædicator: tunc ei salus gignitur, quando tristitia emendationis ingeritur; dicit enim beatus Apostolus: *Nam quæ secundum Deum est tristitia, pœnitentiam in sa-*
II Cor. VII, 10. *lutem stabilem operatur.*

2. Recte ergo lætor, quia salutem operor: cum objurgo, mœreat licet filius mei asperitate sermonis; me tamen delectat, qui proficere illum intelligo per mœrorem. Ait sanctus Apostolus: Quis
Hebr. XII, 6. *est enim filius, quem non verberat pater?* Non enim osculatur semper pater filium, sed et aliquando castigat. Ergo quando castigatur qui diligitur, tunc circa eum pietas exercetur. Habet enim et amor plagas suas, quæ dulciores sunt, cum amarius inferuntur; dulcior enim est religiosa castigatio, quam blanda remissio. Unde ait propheta: *Dulciora sunt vulnera amici, quam voluntaria*
Prov. XXVII, 6. *oscula inimici.*

3. Igitur, fratres, quia post tot increpationis meæ utilia verba credo vos benignitate sensuum profecisse, de sacris litteris aliqua conferamus. Sicut enim fons, qui non solito humore distillat, exagitatur surculis, et ita largior invenitur, ac primum ex eo turbida aqua producitur, ut unda purior subsequatur; sic ergo et sanctitas vestra exasperata quidem fuerat austeritate sermonis, sed devotior facta est dulcedine pietatis. Turbulentum enim quiddam vestri animi forsitan retinebant; sed jam ex vestris moribus profluit omne quod purum est.

4. Videamus ergo quid sit quod ait ad discipulos
Matth. XVI, 15. suos Dominus: *Vos autem quem me esse dicitis?* Non igitur tamquam ignarus interrogat Dominus, quid de eo populi discipulique sentirent; sed tamquam sciens universorum mentes, fidem manifestare voluit singulorum; ut quod corde credebant Dominum, alii Hieremiam, alii Joannem Baptistam, Petrus solus Christum Dei Filium confitetur. Gradus quidam sunt fidei, et qui devotius credit, religiosius confitetur.

5. Pro hac devotione dicitur Petro: *Beatus es tu, Simon Barjona; quoniam caro et sanguis non revelavit tibi, sed Pater meus, qui est in cœlis. Et ego dico tibi: Tu es Petrus, et super*
Ibid., 17 et seq. *hanc petram ædificabo Ecclesiam meam.* Cum vocaretur ergo Simon, per hanc devotionem vocatus est Petrus. Legimus, dicente Apostolo de ipso Domino: *Bibebant de spiritali consequente*
I Cor. X, 4. *eos petra, petra autem erat Christus.* Recte igitur quia petra Christus, Simon nuncupatus est Petrus; ut qui cum Domino fidei societatem habebat, cum Domino haberet et nominis Dominici unitatem: ut sicut a Christo christianus dicitur, ita et a petra Christo Petrus apostolus vocaretur.

6. Sed nec populorum opinionem possumus re-

A probare, qui unum de prophetis Dominum æstimabant. Nam ideo nonnulli velut Eliam Salvatorem Matth. XV, 14
forsitan putaverunt, quia ad cœlos Elias sicut Salvator ascendit. Sed non sicut Elias Christus est: IV Reg. II, 11
ille enim ad cœlos rapitur, iste regreditur: ille tamquam infirmus ignea quadriga subvehitur; hic tamquam Deus propria virtute portatur: ille sicut homo ducitur, hic sicut Salvator ascendit: ille ducentes sequitur angelos; comitantes sibi angelos iste præcedit. Denique iidem angeli remeantes in
B terram a Domino Salvatore dixerunt ad Apostolos: *Vivi Galilæi, quid statis aspicientes in cœlum? Hic Jesus qui receptus est a vobis, sic veniet quemadmodum vidistis eum euntem in cœlum.* Act. I, 11

SERMO XLV.

De primo Adam et secundo.

Hunc sermonem vel potius sermonis fragmentum, e Vat. cod. scripto jussu cardinalis Bo-
C *noniensis an. 1470 desumptum exhibemus, non quidem quod in eo quidquam deprehendamus Ambrosiani, sed quia scriptio non inelegans, et sancti Doctoris nomine in ms. prænotata, cum alioqui nusquam quod sciamus, edita fuerit, saltem ut in appendice locum habeat, nequaquam indigna videatur* (Edit. Maur.).

1. Audite, fratres charissimi, quale est legis mysterium. Primus homo de terra et cœlo; se-
D cundus de cœlo et terra: hic ex Deo et Maria, qui de terra; ille de terra et Spiritu, qui de cœlo est. Uterque tamen ex virgine, et sine coitus permixtione est: hic ex incorrupta, ille ex intacta, quia nullo adhuc semine, nec vomere fuerat sauciata, nec imbre. Per primum vita amissa, per secundum reddita. Primus acceptam perdidit gratiam, secundus cum vita tribuit gratiam: primus suasu virginis cecidit, secundus partu virginis, quod jacebat, erexit: primus peccando mortis pœ-
E nam protulit, secundus patiendo indulgentiam contulit: primus pro culpa de paradiso ejectus, secundus pro gloria cruci mundo affixus.

2. Ergo malum per feminam, immo per feminam bonum; quia per Evam cecidimus, per Mariam stamus: per Evam prostrati, erecti per Mariam: per Evam servituti addicti, per Mariam liberi effecti. Eva nobis sustulit diuturnitatem, Maria nobis reddidit perpetuitatem: Eva nos damnari fecit per arboris pomum, Maria absolvit per arboris donum;
F quia et Christus in ligno pependit, ut fructus.

3. Igitur sicut per arborem mortui, ita per arborem vivificati. Arbor nobis nuditatem ostendit, arbor indulgentiæ foliis vestivit: arbor peccatorum incussit ardorem, refrigerium delictorum vestibus præparavit arbor scientiæ: arbor spinas et tribulos genuit, spem et salutem arbor scientiæ peperit: arbor sudorem attulit et laborem, arbor contulit pacem et salutem: arbor lumen corporis patefecit, arbor oculos cordis disclusit: arbor mundi insi-
G nuavit astutiam, divinam arbor demonstravit prudentiam: malum arbor, bonum arbor ostendit; et ut ad dilecti originem redeam, et Deo annuente, quod sentire conceditur dicam: Adam nisi corporaliter cecidisset, Christus nos in ista vita non spiritaliter suscitare debuisset.

[1] Codex Lugd., *prædicatio mea.... quod plerosque de vestris*

4. O sacramentorum, ut diximus, Mariæ mysterium, o conclusam perfidis, et manifestam fidelibus disciplinam! Immortalis mortalem ædificat, parit immortalem: incorporalis terra concluditur, corporalis cœlo: Deus homo efficitur, sed exhibetur Deus; et hoc totum per Adam committitur, et lavatur per Mariam. Ergo felix Eva, per quam data est occasio; immo felix Maria, per quam tributa est curatio: felix Eva, per quam natus est populus; felicior Maria, per quam natus est Christus. Igitur alteri melior, immo et gloriosæ utræque; quia non lætificasset Mariam Christus, nisi Evam priorem, de qua nata est ipsa Maria, definxisset: nec venisset ad populum, nisi prius illa deliquisset in sæculo. Hæc mater humani generis dicitur, illa salutis: Eva nos edocuit, roboravit et Maria.

5. Per Evam crescimus, per Mariam regnamus: per Evam seducti ad terram, per Mariam elevati ad cœlum; et ut totum breviter legis patefaciam sacramentum, et duas in unam fuisse, sicuti omnes esse ostendam: in Eva tunc Maria inerat; per Mariam postea revelata est Eva.

6. Gratias Domino, fratres charissimi, quod quæ sit diei festivitas, doceri nos non necesse est; qui prævenitis devotione docti. Nam accesserunt huc hodie propheticæ atque evangelicæ lectiones eamdem rem docentes, quam fides vestra nos docuit. Donet ergo Deus noster, ut concordantibus sicut hodie, ita omni tempore cum lectione divina actibus, hoc vos habeatis in moribus.

SERMO XLVI.

De Salomone.

In omnibus Ambrosianis editionibus libelli titulum in fronte tulit hæc opella; cum tamen verus sermo sit, quo tria Salomonis scitu impossibilia mystice exponuntur. Ejus elegantiam, et simul ab Ambrosii stylo diversitatem Erasmus agnovit: verum secundam illam Hermannus putat obscuram esse, ipsi tamen vox Psalmographus, *cui etiam* Archipirata *jungi poterat, non satis videtur Ambrosiana: sed nos Erasmi judicium utraque ex parte verum credimus. Quod autem Hermannus sententiam qua hic dicitur Martha Lazari soror a Christo liberata fluxu sanguinis, parum esse firmam, quænam fuerit mulier sanata consulere licet Eusebii lib.* VII Hist. *cap. 18 edit. Vales., Sozomeni lib.* V *cap. 21, et Philostorgii lib.* VII, *num. 3. Quin et Ambrosius hanc quoque curationem diligenter explicat* Comment. in Luc. *lib.* VI, *num. 57 et 58, nec tamen ibi Marthæ meminit* (Edit. Maur.).

Non recentius quarto, vel primordiis quinti Ecclesiæ sæculi sermonem hunc scriptum fuisse constat ex num. ejus 12 (in edit. maur. 11), ubi diversæ hæreses recensentur priorum sæculorum, sed nulla quæ quartum excedat; præter quam etiam quædam Scripturarum sententiæ occurrant quæ cum versione Vulgata serius in communem usum deducta non conveniunt.

Caput primum. — 1. Mirum satis est, dilectissimi fratres, quod in hoc capitulo sapientissimus omnium hominum Salomon propheta proposuit tria impossibilia esse, quæ scire non posset, quartum adhuc esse quod non valeret agnoscere: *Vestigia*
A *aquilæ volantis, vias serpentis super petram, et semitas navis navigantis, et vias viri in juventute.* Hæc se nescire testatur ille propheta Salomon, qui ut primum transactis infantiæ rudimentis, annos juventutis ingressus est, in quibus posita adhuc infirma ætas, quem cursum vitæ deligat, nutat incerta; nihil aliud a Deo, quam sapientiam postulavit: inter ipsa, ut dixi, vitæ tentamenta jam sapiens, qui in dilectione rerum, quod omnibus præiret, elegit. Sic enim ipse in libro Prov. XXV, 19.
B Sapientiæ suæ se Dominum omnipotentem deprecatum fuisse commemorat: *Da mihi,* inquit, *sedium tuarum assistricem sapientiam;* ut sciam dispositionem orbis terrarum, virtutes elementorum, initium et consummationem et medietatem omnium rerum, divisiones et mutationes temporum, anni cursus, et dispositiones stellarum, naturas animalium, et iras bestiarum, vim ventorum, et cogitationes hominum, differentias arborum, et virtutes radicum: omnium enim artifex, ait, docuit me sa- Sap. IX, 4. Sap. VII, 21
C pientia. Et alibi ipse in eodem libro, *Invocavi,* inquit, *et venit in me spiritus sapientiæ.* Ibid., 7.

2. Et quid est, dilectissimi fratres, quod tam locuples possessor sapientiæ Salomon, cum omnia cognovisset, quæ in arcanis abditarum dispositionum tenebantur absconsa, hæc sibi impossibilia esse prætendit? Quippe qui a Deo esset sapientiam consecutus, qui noverat mundanæ dispositionis introitum, qualiter esset hoc cœlum omne quod cernimus, ardua sublimitate suspensum; quemadmodum
D fieret aeris istius circumjactus et fusus æquo moderamine libratus in medio; quibus modis pigro ad imum dilapsa pondere terra subsisteret; qua ratione intra certas littorum metas liquidi elementi impatiens fluctus lapsus exæstuet; quod principium rerum, quis finis, et quæ essent media. Quem iterum divisiones et mutationes temporum non latebant; qui comprehenderat qualiter sibi annorum mutua vicissitudo, redeunte orbe, succederet, qua causa varios stellarum ageret cursus, præcedendo
E se nonnumquam, aut subito subsequendo; unde earum esset ortus aut obitus, et alia multa, quæ sapientia docente, cognoverat. Mirum quod ista quæ sibi impossibilia esse dicit, aut scire non potuit, aut videre.

3. Sed quia omnia quæ in libris divinis prophetarum annuntiatione congesta sunt, suis sunt temporibus reservata, merito Salomon ante adventum Domini nostri Jesu Christi, quid aquila volans, quid serpens in petra, quid navis navigans, quæ
F juvenis via in juventute esset, scire non potuit: adhuc non erat tempus, quo de umbra corpus fieret, aut veritas de figura. Nobis vero, quibus Dominus noster Jesus Christus ostendit quod omnia de ipso essent in Lege conscripta; quibus nihil est occultum quod non reveletur, et posteaquam signatum illum septem sigillis librum nemo alter potuit reserare, quam Christus; permissum et indultum est nobis, ut omnia et videre possimus et nosse, sicut ipse Dominus ait: *Pater, confiteor tibi, quia ab-*
G *scondisti hæc a sapientibus, et revelasti ea parvulis.* Et iterum: *Vobis,* inquit, *permissum est* Matth. XI, 25.
scire mysterium hoc. Quæ ideo retuli, ut non Luc. VIII, 10.
tam Salomonem quod non potuisset scire reprehenderim, quam quod non fuisset temporis, ut sciret.

Caput II. — 4. Sed jam ne proposita lectio diutius differatur, pauca vobis quæ ita in quæstionem veniunt, propitio Deo nostro, cogitavi expo-

nere: *Tria sunt,* inquit, *impossibilia mihi scire, et quartum quod non cognosco: vestigia aquilæ volantis, et vias serpentis super petram, et semitas navis navigantis, et vias viri in juventute.* Prov. xxx, 19. Quis enim umquam, dilectissimi fratres, potuit ista cognoscere? Quasi vero sit facile ut suspensa aquila in altum celeri elatione pennarum, plausus sui et lapsus vestigia manifesta constituat, aut viam signet in vacuo, et lineam sui volatus ducat, figatque in liquido? Quis cursum navis deprehendat in fluctibus? quis indicium ejus, per quos aggeres et limites feratur, intelligat? Crebra semper et inquieta mutatio, dum undis sequacibus aut obruitur quod præcessit, aut opprimitur quod secutum est. Quis in petra signum aliquod serpentis agnovit, cum et materia sit dura saxorum, et lubrica natura serpentum? Aut quomodo possunt viæ viri in juventute cognosci, qui unde veniat, et quo eat, non potest deprehendi? Hæc sunt quæ sapientissimus Salomon propheta dixit se non posse cognoscere. Nunc ergo de singulis rebus istis quid dicamus, audite.

5. Aquilam in hoc loco Christum Dominum nostrum debemus accipere, qui post venerandam resurrectionem, qua docuit humanum genus in vitam redire posse post mortem, velut aquila revolavit ad Patrem, prædam secum referens, id est, hominem, quem rapuerat de faucibus inimici. Hæc est aquila, quam Ezechiel propheta in illam quadriformem sedem et Cherubim vidisse se retulit inter animalia quæ mysticum vehiculum rotis juncta portabant: unum enim animal simile vituli, aliud leonis, tertium hominis, quartum aquilæ, sicut in Ezech. i, 10 et seq. Apocalypsi Joannes se vidisse conscripsit. *Primum,* inquit, *animal simile vituli, secundum leonis, tertium hominis, et quartum aquilæ.*[1] Apoc. iv, 7. Sed de hac animalium æqualitate alter locus ad tractandum necessarius est. Nunc interim quod cœpimus, explicemus.

6. Hæc est aquila, de qua scriptum est: *Sicut aquila tegit nidum suum,* Deut. xxxii, 11. id est, Christus Ecclesiam. Et iterum inquit: *In umbra alarum tuarum sperabo.* Ps. lvi, 2. Et iterum: *Renovabitur sicut aquilæ juventus tua.* Ps. ciii, 5. Nam ut aquila colona, quasi ita mater nidi semper unius est, nec ad procreandam sobolem aliud aliquando cubile perquirit, et cum primum calidis ovis maturo ortu fetus eruperit interior, pullos educit implumes, hos contra faciem fervidi solis opponit, et qui ægram et invalidam corusco radiorum appulsu aciem submiserit oculorum, materno damnatus arbitrio, et a fratrum consortio separatus dejicitur in terram; et sicut avis ista inimica serpentum est, quos dum in aere alarum remigio subvectando supportat, hos obunco rostro, et armatis quasi quibusdam telis, pedibus suis lacerat ac divellit; quos cum devorat, calore suo interno noxium illud virus exstinguit: ita ergo et Christus Dominus unam diligit Ecclesiam, ut aquila nidum suum; quam ab æstu persecutionum alarum suarum defendit umbraculo: sic quoque extra Ecclesiam projicit, in quibus fidei lumen infirmum est, qui igneam Evangeliorum lucem vitiis sæcularibus inquinati ferre non possunt.

7. Et ut aquila serpentes devorat, et eorum venena calore coquit interno: ita et Christus Dominus noster, percusso dracone, id est, diabolo lacerato, quod humanum sibi corpus assumit, peccatum illud quod hominem tenebat obnoxium, tamquam perniciosum virus exstinxit, sicut Apostolus ait: *Et de peccato damnavit peccatum in carne sua;* et Rom. viii, 3. alibi: *Qui cum peccator non esset, pro nobis peccatum fecit.* II Cor. v, 21. Ad hoc quoque Moyses serpentem æneum in eremo suspendit in ligno, qui proprius erat typus corporis Christi, ut quicumque in eum aspiceret, non periret; corpus enim hominis per transgressionem vas fuerat serpentis effectum. Sic et alibi ipse Moyses virgam projecit in terram, quæ in similitudinem est corporata serpentis;[2] quæ et ipsa imago erat corporis Domini; ideo tantæ virtutis in se typum gerebat is qui absorbuit omnium Ægyptiorum potestatem.

8. Hoc est ergo quod ait: *Vestigia aquilæ volantis;* quia etsi post passionem et resurrectionem suam, præsentibus apostolis, Dominus noster ascendit in cœlum; tamen cujus hominis tam altus sensus et tantus est, ut explicare possit, quomodo illa tanta majestas de cœlo aut venire dignata fuerat, aut redire; cum hoc solum nobis scire liceat, quod aut venit, aut rediit? Quis enim cognoscere potest quemadmodum Verbum in Virginem venerit, ut repente conciperet, ut tam felicem fetum partus virginalis effunderet, ut hominem Deus indueret, quem totus mundus non potest, nec sufferre, nec capere? id est, quod ait: *Vestigia aquilæ volantis;* id est, Christi Domini advenientis ad terram, ac redeuntis ad cœlos vestigia comprehendi enarrarique non posse.

Caput III. — 9. *Et vias,* inquit, *serpentis super petram.* Dixi jam charitati vestræ quod sinuosis labens membris nitidus et volubilis coluber, tractibus suis vestigium aliquod in petra, quia res est dura, non faciat. Indicium enim monstri hujus nonnisi molli scriptura signatur in pulvere. Nunc ergo videamus quis sit iste serpens, aut quæ petra, in qua serpentis vestigium non apparet. Hanc petram Dominum nostrum esse ambigere non debemus. Sic enim Apostolus ait: *Bibebant autem de spiritali sequenti petra, petra autem erat Christus;* et Psalmographus, *In petra,* inquit, *exaltasti me;* I Cor. x, 4. et Moyses in cantico Deuteronomii: Ps. lxx, 3. *Lactavit eos mel ex petra, et oleum de solida petra,* id est, quod dulcem daturus iis esset Evangelii suavitatem, aut Spiritum sanctum per chrismatis unctionem. Deut. xxxii, 13. Et alibi ait: *Beatus qui tenet, et allidet infantes tuos ad petram:* Ps. cxxxvi, 9. quod utique in religiosis parricidium erat, si petra ista figuram Christi corporis non haberet. Nemo enim beatus in funere est, qui infantes suos allidit ad petram: sed ideo beatus est, quod illos conjungit ad petram.

10. Dixi ergo petram Dominum et Salvatorem nostrum in Scripturis omnibus inveniri. Serpens autem ex ipso nomine,[3] quod sit diabolus, apparet sicut callidior omnium bestiarum, quæ sunt supra terram, id est, diabolus: qui ideo serpens dicitur, quod occulte serpat, et quod sensus hominis tenuiter illabendo pertentet: quos si convicerit, me-

[1] Ita mss. et editt. præter Rom. ubi legitur: *Sed de horum animalium qualitate alter locus,* etc.

[2] Rom. edit., *Quæ quia et ipsa imago erat corporis Christi, et tantæ virtutis in se typum gerebat, omnium Ægyptiorum potestatem absorbuit.* Nec multum ab ea mss. atque aliæ edit. in verbis differunt, sed potius in verborum ordine, quem et sequimur.

[3] Sic vet. editt. ac mss.: edit. vero Rom. locum ita transposuerat, *Quod sit callidior omnium.... apparet quod est diabolus; qui,* etc.

dullis se hominum atque ossibus implicat et immergit. Qui in corpore hominis, quod omnipotens Christus Deus induerat, nulla malitiæ suæ potuit imprimere vestigia; quamvis illud ausus fuerit sæpe tentare, sicut ipse Dominus in Evangelio ait: *Ecce venit princeps mundi hujus, et nihil in me in-*
Joan. XIV, 30. *venit;* et alibi: *Nihil proficiet inimicus in eo, et*
Ps. LXXXVIII, 23 *filius iniquitatis non nocebit ei.* Hæc est ergo petra, id est, caro Christi nulla inimici iniquitate respersa, in qua serpentis, id est, peccati alicujus vestigium non apparet, ut scriptum est: *Qui peccatum non fecit, nec dolus inventus est*
I Pet. II, 22. *in ore ejus.*

CAPUT IV. — 11. Adhuc quid subjungat, audite: *Et semitas,* inquit, *navis navigantis.* Navem adæque Ecclesiam debemus accipere in salo mundi istius constitutam, quæ crebris ventorum fluctibus, id est, tentationum plagis et verberibus fatigatur: quam turbidi fluctus, id est, hujus sæculi potestas, conantur ad saxa perducere. Quæ etsi undarum fluctibus aut procellis sæpe vexatur, tamen numquam potest sustinere naufragium; quia in arbore ejus, id est, in cruce, Christus erigitur, in puppi Pater residet, gubernator proram Paracletus servat Spiritus. Hanc per angusta hujus mundi freta duodeni in portum remiges ducunt, id est, duodecim apostoli, et similis numerus prophetarum.

12. Inde Montani antra latratu falsi carminis resonant, qui duabus feminis prophetissis, Priscillæ et Maximillæ tamquam alicujus Scyllæ rabidis succinctus est canibus. In ista nave Ecclesiæ ea feliciter præterimus. Inde in Photinianam Charybdim non incidimus. Inde nullo modo in illud barathrum, quasi Dathan et Abiron, id est, in profundum mortis Ursacii et Valentis non incurrimus. Inde Arium archipiratam, qui nos per mare sæculi ad instar Pharaonis insequitur, non timemus; illam stellam servantes in cœlo, quæ Magos perduxit ad Christum, per quam nos regnum Dei, qui malorum omnium futurus est portus, exspectat. Inde numquam nos de hac navi Ecclesiæ præcipitatos Marcion ille cetus absorbuit. Inde Sabellius pirata non cepit. Inde nobis aquilo nocere non poterit, quamvis inde sint antichristi violenta flabra ventura, sicut
Jerem. I, 14. scriptum est: *Ex aquilone exardescent mala.* Inde syrtes gentilium, et periculosas hæreses et scopulos evitamus, quos superjacens atquæ tenuis occultat allapsus; quia hæretici sub prætextu nominis christianis, absconsa perfidiæ saxa fallaci confessione oris obducunt, in quæ homines, dum illis quod christiani sint, fides habetur, impingunt.

13. Hæc ergo navis Ecclesia est, quæ etsi quotidie sæculum istud tamquam aliquod pelagus sortitur infestum, numquam eliditur ad saxum, nec mergitur ad profundum. Navem autem Ecclesiam esse divinis testimoniis probamus, sicut ait: *Illic*
Ps. XLVII, 8. *transierunt naves Tharsis;* et alibi: *Adversus*
Isai. I, 16. *omnem navem maris;* quia sunt ecclesiæ sæculi, quæ totam sibi spem, quod fit in hoc tempore, non tam de Deo, quam de potestatibus hujus sæculi repromittunt.

14. Sed quod ait, *Vias navis navigantis,* proprie significat quod in tempore miro modo persecutionis comprehendi omnino non posset, quemadmodum vivida per interitum, et dives per damna reddatur, sicut ait ex persona ipsius Psalmographus: *In tri-*
Ps. IV, 2. *bulatione dilatasti me.* Quæ ob hoc multis in locis

A aut soli comparatur, aut lunæ: quæ etsi tunditur, non movetur, et si moveatur, resurgit.

15. *Et vias,* ait, *viri in juventute.* Vir iste, Christus Dominus noster est, sicut in Actibus apostolorum scriptum est: *Viri Israelitæ, audite hæc verba: Jesum Nazarenum virum a Deo electum in vobis, virtutibus et signis et portentis approbatum;* et Apostolus: *Ut omnes in virum per-* Act. II, 22.
fectum occurrere possimus, in mensuram Christi; Ephes. IV, 16.
et alibi: *Destinavi vos uni viro virginem castam*
B *exhibere Christo.* Hic est vir cujus viæ cognosci II Cor. XI, 2.
in juventute non possunt. Quis enim æstimare animo possit, aut capere quanta ille opera exercuerit, cum secundum hominem moraretur in terris? quæ itinera virtutum duxerit? in quas vias beneficiorum circa humanum genus fuerit ingressus, dum claudis pedum restituit firmitatem, dum cæcis lumina amissa reddit, aut imponit condita, dum eloquium præstat mutis, et surdis insinuat auditum, dum largum sanguinis fluxum siccat in Martha,
C dum dæmones pellit ex Maria, dum corpus redivivi spiritus calore constringit in Lazaro, et quod mors sibi vindicaret ad pœnam, lux denuo recepit ad vitam? Quid ille solidus gressus in fluctibus, quid reliquiæ de paucis panibus plus superesse, saturata multitudine, quam fuisse? Quid inopem in vino Galilæi conjugis apparatum, sed Domini operibus pretiosum? Et alia multa, sicut in Evangelio dictum est, quæ si omnia scripta essent, mundus ea capere non posset. Aut quid postremo descensus Joan XXI, 25.
D ad inferos, aut ascensus ad cœlum? Quid illud quod in passione ipsius integram lucis consuetudinem sol habere non potuit; ut taceam ruptum velum, lapidem revolutum? Hæ ergo viæ sunt in juventute, quas non tam deprehendere propheta, quam enarrare se non posse testatus est.

16. Tales hic etiam dicit *vias meretricis, quæ posteaquam abluta est, dicit se nihil mali fecisse.* Prov. XXX, 20.
Meretrix ista Ecclesiæ typus est, aliquando in gentibus constituta, idolorum cultibus vitiata, quam
E vanæ superstitionis stupra polluerant; quam falsorum deorum adulteram fecerat multitudo; lascivosque ac turpes incompositis motibus saltus nemorum et lucorum inculta lustrabat, dedita luxuriæ, pompæ gentilium mancipata. Hanc posteaquam Dominus noster Jesus Christus puro baptismatis fonte perfudit, ablutionem et criminis accepit et nominis per gratiam fidei. Post meretricem fit virgo, quia uni se destinavit Sponso. Nam et Raab illa meretrix Hierichuntis, quæ speculatores Jesu Nave excepit
F hospitio, et quod signo cocci signata est, qui color Josue VI, 25.
figuram Christi sanguinis indicabat, et quod eversionem civitatis evasit, Ecclesiæ typum habuit, quæ per sanguinem Christi ruinam mundi istius secura non metuit. Sic enim ait propheta: *Accipe,* inquit, *tibi uxorem fornicariam, et fac filios for-* Osee I, 2
nicationis. Ubique enim, dilectissimi fratres, cultura idolorum fornicatio nuncupata est, ut in Apocalypsi scriptum est: *Et sinis fornicari servos meos, et manducare idolis immolata.* Denique Apoc. II, 20.
G Hierusalem civitas illa quondam nobilis Hebræorum, quotiescumque a veritate deflexerat, et idolis serviebat, statim meretricis vocabulo nominabatur, sicut clamat Esaias: *Quomodo facta est meretrix civitas fidelis Sion?* Inde est ergo quod Isai. I, 21.
ait Salomon: *Talis autem via mulieris meretricis, quæ posteaquam abluta est, dicit se nihil mali fecisse.* Prov. XXX, 20.

SERMO XLVII.

In cap. xxx Proverb. de differentia Salomonis et aliorum prophetarum.

Hoc sermonis fragmentum, statim atque in edit. Rom. prodiit in lucem, Ambrosii non esse nemo non advertit: at vero ejus auctorem e tenebris eruere non tam pronum est; nisi quis ex eo quod locus de meretrice in hoc et in superiori sermone Ecclesiæ accommodatus, eodem quoque modo expositus reperiatur in sermone 2 de Eleemosyna, quem Maximi esse in sermonum prætermissorum censura probavimus, omnes eos eidem auctori conjectet assignandos. Ad hæc illud adjiciemus huic sermoni a Romanis editoribus multa fuisse partim adjecta, partim mutata, quæ nos e Vat. cod. restituimus (Edit. Maur.).

1. Ante adventum Christi Salvatoris nostri, prophetæ multi, concepto Spiritu sancto, futura nuntiarunt, inter quos et Salomon loco suo et ordine pro temporibus numeratur: sed inter alios et ipsum est aliqua distantia. Ideoque cæteri de solo Spiritu locuti sunt, Salomon autem et de Spiritu et de adjuncta sapientia est locutus. Denique
1 hoc [1] testatur locutio, quam ex verbis ejus audivimus recitatam; dum inter sapientiam et Spiritum profitetur ignorantiam suam, cum dicit: *Tria sunt,* inquit, *quæ non intelligo, viam navis in mare, semitam serpentis in petram, et vestigium aquilæ volantis in aera: quartum quod investigare non possum, hoc est, mulierem mœcham, quæ cum semel abluta fuerit, credit se in toto non pec-*
Prov. xxx, 19, 20. *casse.* Hæc verba communi sensu quasi de vulgo videntur collecta, sed in omnibus sunt sancta mysteria: tria in Christo, et unum in Ecclesia.

2. Nam quod dixit viam navis in mare se invenire non posse, hoc non est sine mysterio verbum.
2 Nam quis [2] inter fluctus colligebat viam, quam navis transire potuerat? Navis enim transitu suo undas scindit, et coagulat; ut sciatur quia transit, et non videatur, qua transierit. Visum enim habere potest, vestigium facere non potest. Christus est navis, in qua ascendunt omnium credentium animæ, quæ ut tota firmitas in fluctibus habeatur, de ligno fabricatur, et de ferro configitur: hoc est Christus in cruce. Sed quod dicit navem sine
3 vestigio, ideo quia [3] Verbum Dei vehemens per aurem penetravit ad viscera, collecto homine suo

A inter homines nascitur, Maria virgo generat. Transit navis per mare, et nulla in undis vestigia, venit Christus de cœlo, aure concipitur, utero tempore certo portatur. Talis Maria virgo remansit, post-
quam peperit, qualis fuit antequam Verbum [4] aure 4
concepit. Merito Salomon inter Spiritum sanctum et sapientiam ignorare se dicit, et mysterium indicat, quod ignorat.

3. Deinde profitetur se non videre semitam serpentis in petra: quod communiter omnibus homi-
B nibus patet; quia æstatis tempore cum terra solvitur in pulverem, de latibulo suo egressus serpens, impressione corporis sui in terra corrupta potest designare semitam: sed cum ad petram pervenerit, non facit in lapide, quod fecit in pulvere. Sic et serpens diabolus in ipsis natalibus mundi invenit corruptibilem terram, Adam et Evam libenter au-
dientem quæ locutus est. Fecit in auribus semi- Gen. III, 1 et seq.
tam, fecit et in pedibus, quibus interdictum fuerat iter ad arborem; fecit et in manibus, quibus con-
C trectata sunt poma: fecit [5] in lateribus, quibus 5
necdum concessæ, celebratæ sunt nuptiæ. Tunc serpens potuit in primitivum hominem quasi in pulverem vestigium facere, pervenit ad petram,
quæ est Christus (talis enim factus erat [6] Adam, 6
qualis et Christus est ex utero), vidit similitudinem coopertam corpore: sed cognoscere non potuit majestatem. Potuit et ipsum tentandum aggredi: sed Christus nec obtemperavit, nec iratus est; quia ira opus est diaboli: sed cum diaboli contempta
D sunt verba, serpens in petra vestigium non fecit.

4. Tertium vero se non intellexisse [7] testatur. 7
Aquila intelligitur Christus, qui volatu suo descendit ad terras. Quod animalis genus non nutritur, nisi primum castitas comprobetur matris, ut apertis oculis, abque palpitatione totum aspiciat solem. Merito enim hoc animal comparatur Salvatori; quoniam cum aliquid rapere voluerit, non vestigiis ambulat terras, sed excelsum eligit locum: sic et Christus alta cruce suspensus, tonante strepitu et
E terribili volatu [8] impetum ad inferos fecit, san- 8
ctosque rapiens ad superna remeavit.

5. Quartum quod dicit de muliere mœcha, hic mulier Ecclesia intelligitur, quæ dudum sequens idola, fornicata ibat post deos alienos: sed ubi,
cognita veritate, sedes [9] quas dudum collegerat, 9
cum semel fuerit baptismo lota, carens, credit se numquam peccasse, fit munda, fit nova, deposita
conversatione sæculi: moritur diabolo, [10] rena- 10
scitur Deo.

[1] Rom. edit., *testatur lectio .... Nam dum quorumdam mysteriorum propriam profitetur ignorantiam, assignare distantiam videtur inter sapientiam sibi collatam et spiritum. Dicit ergo:* Tria sunt mihi impossibilia scire, et quartum quos non cognosco: Semitas navis navigantis, vias serpentis super petram, et vestigia aquilæ volantis, et quartum quod non cognosco, vias viri in juventute. Talis via mulieris meretricis, quæ cum fecerit, postquam abluta fuerit, nihil dicit se fecisse mali.

[2] Rom. edit., *inter fluctus ostenderet, vel præscriberet viam, qua navis transierit? Navis enim transitu suo undas scindit, et illico se unda condensat; ut videatur quia transit, et non sciatur.... quæ ut firmius inter fluctus evehatur, de ligno,* etc.

[3] Eadem edit., *Verbum Dei vivum et efficax per aurem penetrat ad viscera sine læsione, et homine assumpto, Verbum inter homines nascitur sine sui diminutione, et Maria virgo generat sine corruptione. Transit ergo navis.... vestigia remanent; quia venit,* etc.

[4] Rom. edit., *aure conceperit, et utero gestaverit. Merito.... et infusam sapientiam distantiam ponit, dum ignorare se per Spiritum sanctum Mysterium indicat, quod per collatam sapientiam ignorabat. Denique.... super petram. Commune est, et omnibus,* etc.

[5] Eadem edit., *in lateribus, dum ab eis non ut fuerant concessæ,* etc.

[6] Rom. edit., *Adam de limo, qualis et Christus est ex Virginis utero, vidit hominis similitudinem, sed coopertam corpore cognoscere non potuit majestatem.*

[7] Rom. edit., *testatur, nempe vestigia aquilæ volantis.*

[8] Eadem Rom. edit., *impetum ab inferis fecit.... quod dicit de viis viri in juventute, et muliere meretrice, hæc mulier.... ut fornicaria ibat.*

[9] Rom. edit., *quas dudum elegerat, relinquens, cum semel fuerit baptismo a peccato lota, carens delictis, dicit se numquam peccasse:* at mss. ut in textu, ubi tamen pro *sedes,* mallemus *sordes.*

[10] Post verba *renascitur Deo* Vat. codex desinit; at subjungit Rom. edit., *ut scribit Apostolus ad Corinthios:* Si quis ergo in Christo nova creatura est, vetera transierunt,

SERMONES DE SANCTIS.

SERMO XLVIII.

In festo sanctæ Agnetis virginis et martyris.

Hunc sermonem hactenus ineditum e tribus mss. prælo commisimus, nimirum Valliclarensi, Remigiano atque Regio, in quibus omnibus Ambrosium nostrum præfert auctorem. Tametsi autem persuasum habeamus sancti Doctoris fetum non esse, elegantior tamen nobis visa est eadem opella, quam ut a tineis non vindicetur (Edit. Maur.).

Revera hunc sermonem Ambrosii non esse perspicue ostendunt quæ de supplicio flammarum et de nonnullis aliis adjunctis passionis sanctæ Martyris enarrantur, quæ cum genuina Ambrosii enarratione minime conveniunt.

1. Cum in toto mundo virgineus flos Mariæ immarcescibiles coronas innectat, et sceptrigeram pudoris aulam immaculato conservet affectu; eousque integritas perseveravit ad palmam, ut in puellis tropæum sanctitatis arriperet, et per vestigia matris virginis ad cœlestem thalamum perveniret. Hinc est quod annulo fidei Agnes se asserit subar-
1 ratam, et clamat se amore constrictam.[1] O quam imitabile virginibus virgo tui tradidisti amoris exemplum! O quam sanctum pectoribus virgineis tribuisti responsum, contemnendo mundi divitias, exsecrando carnis concupiscentias, et solam Christi pulchritudinem adamando!

2. Accedite ad puellam, puellæ, et discite in annis infantiæ quales in pectore suo circa amorem Christi flammas accenderit. Dicit se amatori suo servare fidem, et ejus corpus concupiscere solum, qui pro amore omnium mortis non recusavit interitum. Discite, virgines Christi, amorem in puella ferventem, et omnes mundi divitias velut stercora recusantem. Ideo enim sanctorum per litteras traduntur exempla, ut unusquisque pro qualitate sexus, et pro ætate annorum modum sui propositi teneat, et sicut per virginem virgines, ita et per conjugem conjuges vincere sæculum pro Christi amore
2 studeant, ac repugnatione animi mundi[2] dulcia recusantes, et ejus non recusantes austera, ad delectationes perpetuas et ad gaudia æterna pertingant.

3. Hæc dicentes non vituperamus conjugum casta commercia, sed virginum perseverantiam adorna-
3 mus; non enim virginitas[3] malis rebus superponenda est, sed est rebus optimis præferenda. Quæ enim mundis mundior, et sanctis sanctior est, non indiget malarum rerum vituperatione laudari. Sequantur itaque sancta conjugia patriarcharum conjuges in religione positæ, ac divinis litteris informatæ, Saram, Rebeccam, Rachelem, Annam, Susannam, Sephoram imitentur uxores: Christi vero virgines solam Virginem matrem Virginis luminis subsequantur.

A 4. Hujus pedissequa Agnes beatissima de se magnum pudicitiæ excitavit exemplum, cum virginitatem prætulit vitæ, omnemque a se amorem terrenum per amorem cœlestem expellens, tropæum cruci Christi arripuit; et tam contra libidines quam etiam contra universa supplicia fide potius armata quam ferro, fortiter dimicavit et vicit. Aspicit denique blandientem et renuit: minantem, et despicit: incendium attendit, et ridet. Nescit aliquid amare, quod transit; et dum nimis virginitatem diligit,
B nec ludibria, nec flammas, nec supplicia, nec carnifices metuit: postremo nec gladium furentis persecutoris expavit. Compellitur virgo ornamenta suscipere corporis, sed renuit; quoniam jam susceperat mentis: et quia non de elegantia corporis humani placere studebat, quia timebat de fœditate animæ Domino displicere, dabat interius per fidem suæ mentis candorem, atque pulchritudinem animæ, quam excolebat; et quantum sciebat quod animam suam pulchram faceret, tantum in sua carne eru-
C bescebat se esse formosam: tantumque studuit displicere carnalibus in carnis aspectu, quanto Christo institit, et ejus angelis complacere.

5. Turbatur juvenis a puella contemptus, et se muneribus complacere posse existimans, aurum, gemmas congeminans, vestes, prædia pretiosa convectat. Sed quia Christi charitas pretium pecuniarum non habet, virgo sacratissima in suo gradu usque ad sanguinis effusionem permansit; quoniam suo illam sanguine subarraverat Christus. Ad con-
D cupiscentem igitur revertitur census, et inconcussa virginitas Christo semel oblata perdurat. Discite, virgines Christi, normæ puellaris exempla, et oblata sub specie pietatis munuscula virorum tota intentione respuite, et quasi rabidi canis morsus omni cum gaudio recusate. A quo non receperis quod timeas Dei, non accipias quod diligas mundi: accipe, accipe, virgo, sed quod amori æterno proficiat. Quotiescumque ab homine consecuta fueris censum, sic accipe, ut te Christi sponsam agnoscas. Videt
E ille intus in mente quid facias, et quam expetenter ejus virgines comiteris attendit.

6. Videte ergo quomodo sequitur Agnes Mariam. Post opprobria nullum potuit penitus formidare supplicium, cui etiam lupanar turpitudinis locus efficitur orationis; et ubi diabolus ei ignominiam corruptionis præparaverat, illic eam excipere fecit Dominus coronam suæ virginitatis et palmam. Hoc est in suis sedibus hostes vincere, captivam ductam virginem ad penetralia regis libidinum, ipsum re-
F gem a virgine, quam captivaverat, victum, et victum cum virginis triumpho exire; nam qui tenuerat, tentus est: qui traxerat, tractus est: qui occidere se putabat, occisus est.

7. Denique ut probemus diabolum a virgine tunc fuisse victum, illius juvenis factum ad animum revocemus, quem contra Agnetis infantiam sic ar-

ecce facta sunt omnia nova. *Denique merito dicit se nihil fecisse mali; quia per regenerationis sacramentum ita sunt ejus abolita peccata, ac si facta non fuissent; nec sunt in Dei memoria, ut Ezechiel propheta testatur, dicens:* Vita vivet et non morietur, omnium enim delictorum ejus quæcumque fecit, non recordabitur ei. *In hoc namque in mortem se tradidit Christus, ut Apostolus ad Ephesios scribit, ut exhiberet ipse sibi gloriosam Ecclesiam non habentem maculam, neque rugam.*

[1] Codex Valliscl., *O quam mirabile est,* etc.

[2] Idem codex, *dulcia recusantes, per austera ad delect.,* etc.

[3] Codex Remig., *malis rebus supponenda est,* etc.

maverat inimicus, ut nudam faceret trahi ad lupanar per vulgus, sub voce præconantis ducis, populum ad libidinem invitantis. Hunc ergo ducem fuisse diaboli nemo est qui dubitet; et victo duce, populum esse superatum omnibus notum est: superatis autem cum suo duce populis, tyrannum teneri captivum omnibus patet. Constat autem diabolum superatum, quoties contra virginem arma arripuit: nam exspoliata virgo, crinibus tegitur; et nudata ab hominibus malis, vestiebatur ab angelis bonis; et damnata in prostibulo turpitudinis, in gremio apparuit castitatis. Efficitur oratorium angelorum locus, qui perditarum fuerat animarum; et ubi semper naufragaverat castitas, illic est coronata virginitas. Denique populos, quos præco ad libidinem invitaverat, virgo ad captivitatem obtinuit; et quos ad eam diabolus inquinatos induxit, illa a se mundos ejecit: omnes namque singillatim
1 ingressi, unus alterum [1] sustinebat ingressum, quem egressum, dum non crederet mundum, se exhibebat immundum: sed ingressus ad libidinem, ad adorandum Dominum meritis virginis tenebatur; et exibat inde Dei servus, qui diaboli fuerat servus
2 intus ingressus; [2] et tot facti sunt Christi cultores, quot diabolus corruptores se putaverat virginis invenisse.

8. Remansit itaque juvenis, qui reprobationis hujus auctor extiterat: qui se putabat defensorem virginis superare, hic splendorem dum provocaret ad luxum, vitam quam videbatur habere, amisit, et mortem quam quærebat, invenit. Succedunt ridentibus lacrymæ, et insultantibus finem lamentationes imponunt. Attendit virgo lugentem judicem, et quem minantem ante contempserat, nunc deprecantem exaudit. Illico igitur ut cœpit orare pro mortuo, et a mortuis excitat salvum, qui morti fuerat deputatus; et ad gaudium evocat, qui fuerat præcipitatus in luctum. Nam qui incestus fuerat mortuus, castus exsurgit; et fit prædicator castimonii qui persecutor exstiterat castitatis.

9. Ad hæc sacrilegi conturbantur in templis, et Christum ista miracula facientem non timentes, excitant seditionem ignobilis vulgi; ut ratio quæ suadebat finem seditionum, clamoribus pulsa, locum in mentibus hominum invenire non posset. Pater vero suscitati filii tristis abscessit, et ut legitur, turbis furentibus vicarium dereliquit. Virgineo itaque corpori stridentes præparavere flammas, sed corpus quod incendia libidinum superaverat, refrigerium in mediis flammis invenit; et quæ ad hoc focos ingressa fuerat, ut arderet, cœpit per sanctam virginitatem algere; ut disceret virginitas flammas sibi et incendia penitus dominari non posse.

10. Nec illos periisse æstimes, quos pro nomine Christi consumpsit incendium: nam cum legeris Eliam ignibus raptum, et pueros tres in mediis ignibus nulla ratione consumptos; aut quia Laurentium craticula consumptum recolis et Agnem sicut Theclam flammarum globos evasisse cognoscis, nullam in his suspiceris varietatem fidei tunc fuisse: una etenim fides sanctos Dei in passione exercuit, et diverso genere gloriarum reddidit utrobique victores. Nam qui consumptus est martyr, exsultat: et qui evasit victor, exsultat: et Isaiam sectum martyrem fecit, et Danielem leonum rabiem morsusque contemnentem, probatissimum Deus confessorem expressit: quo facto utrosque diaboli ostendit esse victores; unus enim moritur et triumphat, alius evadit et regnat.

11. Veni jam, virgo, ad thalamum, quem quæsisti: et pro amore sponsi gladium percussoris admitte; ut sponsam te virginitas immaculata comprobet Christi, et martyrem confessio probata consignet. Felix caterva virginum, quibus studium est tuæ confessionis sequi vestigia: habebunt enim tecum coronam in cœlo, quæ tecum superaverint inimicum in mundo. Nam sicut tibi Mariæ vestigia prosequenti participatio æternæ remunerationis apparuit; ita his imitantibus æterna credimus gaudia non neganda.

SERMO XLIX.

In natali SS. Cantii, Cantiani et Cantianillæ.

Martyrum, in quorum laudem habitus est hic sermo, festum v *nonas Apriles in Romano martyrologio renuntiatur: ad quem locum card. Baronius observat in Notis suis hunc ipsum sermonem Ambrosio perperam attributum, cum sit Maximi, cui judicio calculum nostrum jubentes adjungimus* (Edit. Maur.).

1. Hodie [3] beatissimorum Cantii, Cantiani, et Cantianillæ natalis est. Quam bene et jucunde tres martyres uno pene vocabulo nuncupantur! Nec mirum si similes sunt nomine, qui sunt similes passione: si una est illis apud homines appellatio, quibus apud Deum est [4] una vocatio; uniter enim vocati sunt a Domino, non interposito tempore aliter et aliter passi, sed omnes eodem ictu pariter martyrium pertulerunt. Quod quidem illis parentiva quadam a Christo affectione concessum est, ut congruerent meritis, qui vocabulis concordabant; et qui erant consanguinitate fratres, fierent etiam sanctitate germani; et quorum membra unius corporis substantia vegetabat, eorum animas ejusdem fidei confessio coronaret.

2. Refert autem de beatis supradictis historia, quod tempore passionis, cum eos persecutor inquireret, ascenso vehiculo, junctis mulabus, [5] eos secedere voluisse; et cum non longe ab urbis mœnibus iter agerent, unum animal de subjunctis subito corruisse, atque ita illos a persecutoribus comprehensos, [6] tentos ad pœnam.

3. Quod factum quam gloriosum sit, et a divinitate dispositum, debemus advertere. Semper enim Deus, quos elegit, hos victores subvectione sublimi in aulam regni cœlestis inducit. Nam sicut Elias curru applicito quasi ascendit ad cœlum; ita et IV Reg. II, 11 isti, vehiculo admoto, ad martyrium pervenerunt; et quadriga sicut illum evexit ad requiem, ita hos portavit ad gloriam. Et quamvis illa ignea quadriga fuerit, hæc tamen inferior non habenda est; quia illa unum gestavit prophetam, hæc tres martyres sustentavit.

[1] *Sustinebat,* id est, fixo vestigio manebat, et exspectabat.

[2] Desunt in cod. Remig., *et tot facti sunt.... virginis invenisse.*

[3] Codex Gall., *beatissimorum Cabelli cum tribus parvulis Canti,* etc.

[4] Idem codex Gall., *una professio.*

[5] Gall. cod., *antecedere voluisse, et cum voluissent ad urbis mœnia iter agere.*

[6] Idem codex, *comprehensos ad pœnam.*

4. Sed dicit aliquis: Gloriosius gestavit quadriga ignea quam terrena. Nec hoc plane defuit sanctis viris; nam sicut Eliam ignea quadriga portabat, ita et martyres fides ignea jam ferebat. Ferebat, inquam, illos Christus, qui lumen est, qui ignis est, de quo scriptum est: *Dominus noster ignis consumens est.* Hebr. XII, 29.

5. Ergo cum beatos, de quibus loquimur, persecutor urgeret, vehiculum conscenderunt. Qua causa? ut fugerent? Absit. Non ut fugerent; sed ut ad martyrium citius pervenirent: non ut latitarent, sed ut christianos se cunctis transeuntibus manifestius approbarent. Cæterum occultius inter plures in civitate latere potuerant, tutius per diversa singuli fugæ præsidium commendare. At vero ubi quis congregatione habita stratis vehiculis, apparatu disposito per aggerem publicum egreditur; illic non fuga dicenda est, sed profectus est. Sancti enim viri hoc facto velut in triumphali curru positi contestabantur[1] dicentes: Ecce persecutor, ecce proficiscimur, ecce præcedimus; quid resides? quid moraris? Subsequere nostra vestigia; nolumus enim videri inviti ducti ad pœnam, qui præcedere nos profitemur ad gloriam.

SERMO L.

In natali sancti Joannis Baptistæ.

Comparationes in hoc sermone inter Christi ac præcursoris ejus natalem institutæ in nonnullis Augustini sermonibus reperiuntur, unde illas in hunc transferre potuit auctor. Quamvis vero idem ab Ambrosii stylo non tam discrepat, quam plures aliorum; satis tamen in eo discriminis observare nobis videmur, ut ipsum sancto Antistiti abjudicemus (Edit. Maur.).

Tantam vero nos deprehendimus styli et phrasium cum Ambrosii eloquio convenientiam, ut sancto Doctori hunc sermonem libenter concedamus.

1. In sancti ac beatissimi Joannis Baptistæ laudibus, cujus natalem hodie celebramus, quid potissimum prædicem, nescio: utrum quod mirabiliter natus sit, an quod mirabilius sit occisus? Natus enim est in prophetia; in veritate peremptus est: nascendo annuntiavit Salvatoris adventum; moriendo condemnavit Herodis incestum. Vir enim sanctus et justus, et qui præter communem[2] hominum nativitatem ex repromissione generatus fuerat, hoc de Deo meruit, ne communi cum cæteris de sæculo morte discederet: sed corpus quod, Domino donante, susceperat, Dominum confitendo deponeret.

2. Ergo Joannes per omnia voluntatem Dei fecit; quia propter opus Domini et natus est et defunctus. Nam ut nativitatis ejus seriem breviter repetamus, cum essent pater ejus Zacharias et mater ejus Elizabeth ætatis senectute defessi, et nulla filiorum prole gauderent; procreandi etiam illis liberos tempus florentissimum præteriisset, ita ut de suscipienda jam sobole ipsa etiam eos vota deficerent, subita per angelum repromissione donantur, et nasci Joannem Gabriel sanctus annuntiat dicens: *Ne timeas, Zacharia, ecce exaudita est deprecatio tua, et uxor tua Elizabeth concipiet et pariet filium.* Luc. I, 13.

3. Exaudita est, inquit, oratio tua, unde intelligimus quod Joannem Zachariæ justitia magis orando genuerit, quam Elizabeth senectus[3] procreando susceperit. Hinc, inquam, intelligimus quod Joannem obsecratio creaverit, non voluptas. Cum enim materni uteri viscera ætatis senectute frigescerent, et fessa jam corporis membra fecunditatis gratiam perdidissent, contra impossibilitatem corporis, contra sterilitatem viscerum, Zachariæ precibus Elizabeth uterus intumescit, et concepit Joannem non natura, sed gratia.[4] Unde necesse erat sanctum nasci filium, qui non tam complexibus, quam orationibus gigneretur.

4. Minus autem mirari debemus quod tantam Joannes gratiam in nascendo meruerit; debuit enim præcursor et prævius Christi aliquid simile habere nativitati Domini Salvatoris. Siquidem Dominus de Virgine gignitur, Joannes de sterili procreatur: ille[5] de adolescentula immaculata depromitur, hic de vetula jam fessa generatur. Habet ergo et hujus nativitas aliquid gloria atque miraculi. Quamvis enim vilior partus mulieris videatur esse, quam virginis; tamen sicut Mariam suspicimus, quod Virgo pepererit, ita Elizabeth miramur, quod anicula procreavit.

5. Quod quidem factum mysterium aliquod arbitror continere, ut Joannes qui veteris Testamenti figuram gerebat, senis mulierculæ frigido jam sanguine nasceretur; Dominus autem qui regni cœlestis Evangelium prædicaret, ferventis juvenculæ flore progrederetur. Maria enim conscia virginitatis, miratur fetum visceribus involutum; Elizabeth autem conscia senectutis, erubescit[6] partu uterum prægravatum; dicit enim evangelista: *Occultabat se mensibus quinque.* Ibid., 24.

6. Illud autem quam mirandum, quod idem Gabriel archangelus utriusque nativitatis officium repræsentat! Zachariam solatur incredulum, confidentem Mariam cohortatur. Ille quia dubitavit, vocem perdidit: hæc quia statim credidit, Verbum salutare concepit.

7. Hoc etiam in laudibus Joannis minime tacendum videtur, quod nondum natus jam prophetat, et adhuc in materni uteri sinibus constitutus, adventum Christi, quia voce non poterat, gaudiis confitetur. Dicit enim Elizabeth ad sanctam Mariam: *Simul ut facta est vox salutationis tuæ in auribus meis, exsultavit in gaudio infans in utero meo;* Ibid., 44. exsultat enim Joannes antequam nascatur, et priusquam mundi oculis habitum recognoscat, jam spiritu mundi Dominum recognoscit. In quo arbitror propheticam convenire sententiam, quæ dicit: *Priusquam te formarem in utero, novi te; et priusquam exires de vulva, sanctificavi te.* Jerem. I, 5. Unde mirari non debemus quod ab Herode[7] in carcere clausus, Christum semper suis discipulis intimavit;

[1] Codex Gall., *dicentes: Ecce præcedimus, quid resides?*

[2] Codex Germ., *omnium nativitatem ex promissione.*

[3] Omnes edit. cum mss. duobus, *procurando susceperit;* melius cod. Lugd., *procreando susceperit.*

[4] *Unde necesse erat.... gigneretur,* deest in ms. Germ.

[5] Vet. editt., *ille de adolescentula: iste de jam fessa generatur;* Rom. et cod. Lugd. ac Theod. ut in contextu, nisi quod illa exhibet, *immaculate promitur, iste,* etc.; ms. vero Germ. a Theod. eo tantum dissidet, quod pro *adolescentula* præfert *virgine.*

[6] Editt., *partum utero prægravato;* melius mss., *partu uterum prægravatum.*

[7] Ita mss.; at edit. omnes, *missus in carcerem, clausus,* etc.

cum etiam clausus in utero eumdem Dominum gestibus prædicarit.

SERMO LI.

De prærogativa ejusdem S. Joannis Baptistæ.

Ejusdem auctoris hunc sermonem esse, cujus et superiorem cum ex stylo conjici potest, tum etiam ex eo quod eidem proxime subjicitur in vet. editt. ac mss. Illud porro quod a num. 5 usque ad finem de Joannis magnitudine dicitur, ex Ambrosio in Lucam *lib.* II, *num. 110, imitari ac proprio ingenio pertractare potuit sermonis auctor: ex eo autem hoc ipsum mutuari, qui sermonem 197 Append. August. ubi hoc fragmentum integrum exstat, consarcinavit; non enim uterque ab eadem manu profectus videtur, et minus hic noster refert centonem, quam supradictus* (Edit. Maur.).

In eo quod superius dicitur extare in hoc sermone ex Ambrosii Commentario *in Lucam*, novum argumentum habetur ad conficiendum hunc revera sermonem Ambrosii esse; siquidem semetipsum iterare ipse valde adamavit.

1. Sancti Joannis Baptistæ natalem hodie prosecuturus tacere vellem, et laborem atque imperitiam meam silentio coercere; sed ipsa vis nominis ejus minime me silere permittit: nam nuncupatio vocabuli ipsius, pectoris nostri urget secreta, silentii nostri resolvit arcana, et quod dissimulatione reticetur, admiratione compellitur. Si enim pater
Luc. I, 64. Zacharias cum eum nominavit, vocem recepit; quanto magis cum laudamus illum, eloquium promeremur? Et si illius os cum in sæculo nasceretur aperuit; quanto magis cum pro Christo patitur, ora nostra fecundat?

2. Cum enim Zacharias pater ejus propter incredulitatem nativitatis illius ab angelo Gabriele silentii esset taciturnitate multatus, et jam diu mutus verborum dispendio mentis secreta velaret, subito nato Joanne filio, cum apud proximos esset contentio quo nomine vocaretur, offeruntur patri tabulæ; ut vocabulum ejus pro suo arbitrio ipse describeret, et quod sermone non poterat, litteris loqueretur: tunc mirum in modum acceptis pugillaribus, ut stylum figeret, linguam resolvit, ac litteras sermone prævenit, et Joannem non testatus
Ibid., 20. est, sed locutus.

3. Videte igitur sancti Baptistæ meritum: vocem patri reddidit, sacerdoti eloquentiam reparavit. Videte, inquam, meritum: os quod angelus alligaverat, Joannes absolvit: quod Gabriel obstruxerat, parvulus reseravit; quamquam et ipse sit angelus, sicut scriptum est de eo: *Ecce mitto angelum*
Malach. IV, 1. *meum ante faciem tuam.* Respicite igitur Joannem, quanta vis sit ejus vocabuli, cujus nuncupatio reddidit muto vocem, patri pietatem, populo sacerdotem. Prius enim erat tacens lingua, sterilis filio, privatus officio: at ubi Joannes nascitur, fit repente pater, propheta, vel pontifex; loquela usum recipit, prolem affectio suscipit, sacerdotem functio recognoscit.

4. Cum ergo tanta vis sit ejus vocabuli, dicturi de eo, etsi tacere volumus, silere non possumus; ipse enim Joannes vox clamantis dicitur. Quis igitur, A qui vocem laudet, et taceat? clamorem admiretur, et mutus sit? Ait enim ipse de se: *Ego sum vox clamantis in deserto.* Videte quid dixerit; non Joan. I, 23. enim ait tantum: Ego sum vox; sed et clamantis vox; scilicet ut ad fidem consequendam vox aures penetret, clamor corda concutiat: vox regnum prædicet, clamor judicium comminetur.

5. Magnus igitur Joannes, cujus magnitudini etiam Salvator testimonium perhibet, dicens: *Inter natos mulierum major non est Joanne Baptista.* Luc. VII, 28. B Præcellit cunctis, eminet universis, antecedit prophetas, supergreditur patriarchas; et quisquis de muliere nascitur, inferior est Joanne.

6. Sed debemus diligenter inquirere, cur ita Dominus dixerit, hoc est: *Inter natos mulierum*, et non potius dixerit: Inter filios virorum non est major Joanne, cum utique mulieres natos sine viris habere non possint. Hoc autem dixit, quia numerosior est proles mulierum, quam virorum; est enim mulieris filius, qui viri filius non est. Denique C sancta Maria genuit filium, qui patrem hominem non haberet; Dominus enim est mulieris filius, et viri filius non est, sicut dicit Apostolus:[1] *Factum* [1]
de muliere, factum sub Lege; ut qui matrem in Galat. IV, 4. terris habet, Patrem haberet in cœlis. Ergo in laudem Joannis fecundioris sexus generatio ponitur, ut nullius ab eo nativitas separetur.

7. Dicit forte aliquis: Si inter natos mulierum major est Joannes, numquid etiam major est Salvatore? Absit; Joannes enim natus mulieris, Christus D autem virginis natus est: ille corruptibilis uteri sinibus effusus est; iste impollutæ vulvæ flore progenitus. Ideo autem cum Joannis nativitate Domini generatio deputatur,[2] ne Dominus [2]
extra veritatem videretur esse conditionis humanæ.

SERMO LII.

De vita ejusdem sancti Joannis Baptistæ.

Hic sermo tametsi a Gratiano et Ivone sub nomine Ambrosii citatus fuerit, nihil tamen præ se fert Ambrosii: sed nec quidquam affinitatis habet cum superioribus, quemadmodum ex ejus exordio, nec non ex eo quod longissime ab illis in Gall. codd. disjungatur, patet. Quin etiam si quis attentius illum discusserit, eumdem comperiet laciniis constare hinc inde sumptis; quandoquidem quod eo legitur de sanguine Abel clamante, infra in sermone 59 reperitur, et quod hic de concubinis, monachis clericisque disputatur, petitum videtur ex sermonibus Cæsarianis 292 et 293 Append. August. aliisque nonnullis (Edit. Maur.).

1. Diximus superiori Dominica, cum silentii nostri veniam peteremus, quod pro salute communi, sacerdotibus etiam tacentibus, doctrina evangelica non taceat, et quod silentium eorum suppleret divina sententia; semper enim divina Scriptura loquitur et clamat, sicut scriptum est de Joanne: G *Ego sum vox clamantis in deserto.* Non enim Joan. I, 23. tantum in illo tempore clamavit Joannes, quo pharisæis annuntians Dominum Salvatorem, dixit: *Parate viam Domini, rectas facite semitas ejus;* Matth. III, 3 sed et hodie clamat in nobis, et vocis suæ tonitruo deserta nostrorum concutit peccatorum. Ac

[1] Codex Theod., *Natum de muliere.*

[2] Idem codex, *ne Dominus extra naturam.*

licet sancta martyrii morte dormierit, vox tamen ejus vivit; dicit enim et nobis hodie: *Parate viam Domini, rectas facite semitas ejus;* semper enim Scriptura divina clamat et loquitur.

2. Unde et ad Cain dicit Deus: *Vox sanguinis* Gen. IV, 10. *fratris tui clamat ad me.* Nulla utique sanguinis vox est, sed clamare dicitur sanguis, qui innocens effusus est, non tam voce quam causa; et interpellare Dominum non prosecutione eloquii, sed indignatione commissi; ac reatum suum non tam verborum accusare sermonibus, quam conscientiæ ipsius criminatione constringere. Quamvis enim malum factum si in verbo producatur, excusationem fortasse recipit, nisi conscientia revocetur, 1 non potest excusari.[1] Conscientia enim reum suum semper tacita sine contradictione convincit et judicat.

3. Hodieque ergo Joannes clamat et dicit: *Parate viam Domini, rectas facite semitas ejus.* Parare ergo jubemur viam Domini, scilicet non aggerem itineris, sed fidei puritatem; Dominus enim terrenam semitam carpit, sed per secreta mentis incedit. Si quid igitur in hac via fuerit moribus asperum, crudelitate durum, conversatione pollutum, jubemur mundare, exæquare, componere; ut superveniens Dominus non offendat in nobis, sed magis reperiat viam castitate puram, proclivem fide, eleemosynis eminentem. Quod autem tali itinere incedere soleat Dominus, Propheta describit, dicens: *Iter facite ei, qui ascendit super occa-* Ps. LXVII, 5. *sum, Dominus nomen est ei.*

4. Sed videamus, ipse Joannes qui parare viam Domino jubet, quam ipse viam paraverit Salvatori. Per omnia plane, adveniente Christo, tramitem viæ suæ composuit et direxit. Nam fuit utique jejunus, humilis, parcus et virgo; omnes enim has virtutes ejus Evangelista describens ait: *Ipse autem Joannes vestitum habebat de pilis camelorum, et zona pellicea circa lumbos ejus. Esca autem ejus erant* 2 *locustæ, et mel silvestre.* Quæ igitur[2] major hu- Matth. III, 4, 5 militas in propheta, quam contemptis mollibus indumentis, pilorum asperitate vestiri? Quæ devotior fides, quam præcinctum zona paratum esse semper ad omne servitutis obsequium? Quæ præclarior abstinentia, quam spretis vitæ hujus deliciis, stridulis vesci locustis ac melle silvestri?

5. Quæ omnia hæc quoniam prophetæ usui erant, arbitror in his ipsis prophetiam fuisse. Nam utique cum prænuntius Christi vestimentum habebat camelorum asperitate contextum, quid aliud significat, nisi quod ipse Christus adveniens usurus esset indumentum humani corporis, quod erat peccatorum asperitate densatum; et quod velut immundissimæ bestiæ, hoc est, gentilis populi circumdatus exuviis, deformitatem ejus ipse gestaret? Zona vero pellicea quid aliud demonstrat, nisi hanc fragilem carnem nostram, quæ ante adventum Christi dominabatur ad vitia, post adventum ejus restrictam esse ad virtutem; ut quæ ante luxuriando dilatabatur in pinguedinem, nunc abstinendo attenuaretur in pellem?

6. Exitum vero ejus quam beatum legimus, scilicet quod psaltria regis filia[3] post illam mimicam 3

A voluptatem caput ejus petierit? Quid mirum si psaltria occidit prophetam? Scimus quia luxuria Marc. VI, 27 semper est inimica justitiæ, et iniquitas sine cessatione persequitur veritatem. In quo facto grande mysterium continetur; nam utique ipsa psaltria Synagogæ est comparanda, quæ Christum, dum luxuriatur, occidit. Quod autem ista psaltria Synagoga sit, dicit Dominus ad Judæos: *Cantavimus vobis, et non saltastis.* Matth XI, 17.

7. Cur autem a Joannis corpore caput ablatum B sit, manifesta res est. Joannes, sicut Scripturis astruitur, typum Legis gerebat: de Domino autem legimus, quia viri caput Christus est. Ergo cum I Cor. XI, 3. a Joannis corpore caput ejus aufertur, Christus quodammodo a Judæis Legis cultoribus separatur. Remansit enim illis sine Salvatore Lex exanimis et truncata; nam ex eo utique Judæi divina non sapiunt, ex quo sine capite esse cœperunt.

8. Iter igitur facit Domino, qui inter cæteras continentiæ virtutes matrimonii limitem non excedit, C nec conjugii præscriptum terminum adulterina permixtione commaculat. Sunt enim nonnulli qui cum legibus uxores duxerint, contra Divinitatis legem sibi sociant concubinas, non intelligentes quod contrahendo matrimonia, propriis se vinculis constrinxerunt: qui enim legibus duxit uxorem, profitetur se contra legem non esse facturum. Reum ergo ipse se statuit, qui adhibendo sibi adulteram, jus pollicitationis excedit.

9. Sed dicit aliquis: Uxorem non habeo, et ideo D mihi ancillulam sociavi. Audi quid dicat Scriptura ad Abraham: *Ejice ancillam, et filium ejus; non enim hæres erit filius ancillæ cum filio liberæ.* 32, q. 4, c. *Dicat aliquis.* Si igitur ancillæ filius hæres non est, ergo nec filius est. Cur ergo quæritur tale conjugium, de quo susceptus filius nec successionis possit hæres esse Gen. XXI, 10. nec sanguinis? Nec enim habere potest hæreditatis consortium, qui non habet originis privilegium. Cur, inquam, quæritur tale contubernium, de quo nati filii non matrimonii, sed testes sint adulterii? E Cur hujusmodi suscipiuntur adulterini, qui patri pudori sint, non honori? Dicit Scriptura: *Adulterorum filii non initiati erunt, et ab iniquo toro semen exterminabitur.* Mulier igitur tua si talibus Sap. III, 16. moribus prædita est, ut mereatur consortium, mereatur et nomen uxoris: præsta concubinæ tuæ libertatem et nomen uxoris; ne tu adulter sis potius, quam maritus.

10. Sed et ille iter facit Domino christianus, qui professionis suæ exhibet ei fidele servitium, et F castitatem quam promisit, custodit tam mente, quam corpore. Sunt enim plerique qui singularem vitam proponentes, singuli esse non possunt, sed quærunt sibi contubernia, atque utinam fratrum. Invenisti[4] christianum monachum, cui cum fratre 4 non convenit, et libentius ei convenit cum sorore: qui non sequitur seniorem utilia commonentem, et sequitur adolescentulam incongrua cachinnantem; ejus etsi sincerum corpus sit, anima non potest esse sincera.

G 11. Sed et ille clericus iter Domino facit, qui secundum Evangelium vivit, et per omnia obtemperat sacerdoti; aliquanti enim cum sint minus

[1] Omnes edit., *Conscientia enim reatum suum:* codex Lugd.... *reum suum.*

[2] Vet. editt., *major causa humilitatis;* Rom. et cod. Lugd., *major humilitas.*

[3] Codex Lugd., *post illam inimicam voluptatem.*

[4] Lugd. cod., *Inveni etiam christianum,* etc.

subditi, moleste ferunt, cum a senioribus arguuntur. Dicunt: Graviter irascitur episcopus, patientior esse
1 deberet. Audi ergo, optime clerice:[1] Sacerdotis exigis patientiam, et tui non exigis disciplinam? Nescis quia mihi salutis causa arguere aliquando permissum est, tibi numquam peccare concessum est? Dicit enim Apostolus: *Increpa opportune,*
1 Tim. IV, 2. *importune, argue.* Esto ergo in omnibus subditus sacerdoti, si vis eum esse mansuetum.

SERMO LIII.

In natali sanctorum apostolorum Petri et Pauli.

Huic sermoni nihil omnino inesse deprehendimus Ambrosiani styli; et quamvis in mss. quibusdam sancti Antistis nomine inscribatur, in antiquioribus tamen nemini tribuitur. Posset forte an veteris auctoris inde putari, quod numerosæ paganorum conversiones dicantur factæ, nisi commodius ad apostolorum prædicationem hæ referrentur (Edit. Maur.).

1. Natalem beatissimorum apostolorum Petri et Pauli hodie celebrantes, fratres charissimi, diversis epulis nos reficere debemus, et tantam fe-
2 stivitatem magna cum lætitia celebrare.[2] Quis enim talium virorum solemnitatem non magna cum lætitia debet celebrare? Quis enim talium virorum solemnitate non magnos sibi exhibeat apparatus; ut quo plus expenderit, plus se apostolos confirmet amare?

2. Verumtamen non opus est proprio sumptu ad refectionem nostram: nam natali suo sanctus Petrus ipse nos reficit; est enim omnibus copiis refertum vas ejus, quod illi de cœlo esurienti delatum est. Igitur qui esurit, sicut Petrus, reficitur ipse cum Petro. Ut quid ergo præparemus nobis proprium prandium, cum apostolico ferculo saginemur? Cur nobis inquiramus terrenas epulas, cum cœlestes copias habeamus? Dicit enim sanctus Lucas in Actibus apostolorum post orationem esurienti Petro circa horam sextam aperto cœlo vas quoddam splendidum velut linteum fuisse delatum, in quo erant omnia quadrupedia et repentia terræ, et volatilia cœli; et dixisse Dominum ad eum: *Petre, surge:*
Act. X, 11 et seq. *immola, et manduca.*

3. Ecce Petrus, qui dicit alibi: *Aurum et ar-*
Act. III, 6. *gentum non est mihi*, nunc convivii ejus vasculum splendidius est argento: ut qui propter Chri-
3 stum[3] argenti speciem refutasset, per Christum argenti nitore ditaretur. Pransuro igitur Petro desunt cocorum apparatus, desunt obsequia famulorum: sed quod est melius, ministeria divina non desunt, et utiliori commutatione sancto viro, quod deest in terris, abundat in cœlis; ut se reficiat enim Petrus, non cellarium sollicite reseratur, sed
4 cœlum ipsum protinus aperitur.[4] Legimus in Scripturis sanctum Eliam in deserto corvis ministran-
III Reg. XVII, 6. tibus pastum: quanto melius Petrus, cui non parvam escam tetra avis porrigit, sed integrum convivium multitudo angelica subministrat!

Act. X, 10. 4. Post orationem ergo esurit Petrus. Mirandum
A cur sanctum virum post orationem fames sequatur, cum soleat fames oratione depelli, et esuriens anima nonnisi obsecrationibus saginari. Sed puto Petrum post orationem non cibum esurisse hominum, sed salutem: nec inedia vexatum esse corporis, sed inopia credentium laborasse. Cum enim Judaicus populus perfidus et ingratus, illo prædicante, Christo non crederet, famem quodammodo Petrus sui officii sustinebat; famem enim patitur, qui minime fructum sui laboris assequitur. Act. X, 9

B 5. In cœnaculum igitur ad orationem festinus ascendit. Bene ait in cœnaculum ad orationem ascendisse Petrum, quia omnis sanctus quando orat, relinquens humilia vel terrena, in altum mentis extollitur, et in sublime suspensus rapitur, et cogitatione sancta cœlo vicinus efficitur. Atque ibi esurienti illi, hoc est, cogitanti in cordis sui sublimiori loco pro salute Judaici populi, offertur vas diversorum generum animalibus plenum, velut divinitate dicente illi: Tu in Judæos solos esuris; ecce
C famem fidei tuæ cunctarum gentium diversitate reficio. Nam utique diversa animalia collecta in uno vasculo, diversarum gentium congregatio collecta in una Ecclesia demonstratur: quæ Ecclesia in illius vasculo splendido, dum non habet maculam neque rugam, lintei nitore resplendet. In qua primum animal Deo ex gentibus centurio Cornelius immolatur.

6. De hoc ergo vasculo suo hodie nos reficit Petrus; cum enim videmus gentilium turbas ad fidem
D christianitatis accurrere, simul cum apostolis gratulamur. Non enim mortui sunt, quorum curamus natalem hodie: sed renati[5] vivunt plane, quia par- 5
ticipes effecti sunt Christi, qui vita est omnium. Quamvis enim corpora passione cæsa sint, inter- 6
ruptus tamen non est[6] ordo vivendi: jugiter enim et Deo gratias agunt, et laudes Salvatori referunt; nisi quod resoluta membrorum sarcina magis adhærent Christo, sicut ait Paulus apostolus: *Dissolvi, et cum Christo esse, multo melius.* Non ergo di- Philip. I, 23.
E cenda est mors, qua interveniente, caremus persecutoribus, et Christo connectimur. Non est plane dicenda mors, quæ Christo mortuum socians, lucrum efficit morientis, sicut ait beatus Apostolus: *Mihi enim vivere Christus est, et mori lucrum.* Ibid., 21. Illa autem vera est mors, quæ etiam viventem hominem peccatorum morte constringit; quia quamvis vivere videatur, sceleribus tamen suis morti jam videtur addictus, sicut ait Apostolus de illa deliciosa vidua: *Hæc autem vivens mor-*
F *tua est.* I Tim. V, 6.

SERMO LIV.

De neglecta solemnitate beatorum apostolorum Petri et Pauli.

Editt. antiq. et codex Lugd. huic sermoni titulum præfigunt De Margarita. *Non quidem recte, sed multo pejus Rom. edit. illum inscribit* In Festo S. Luciæ, *etc., cum de sancta illa in toto sermone nullum sit verbum. Veram igitur in-*
G *scriptionem e cod. Remig. restituimus. Quod porro ad auctorem hujus sermonis, potest qui-*

[1] Codex Lugd., *sacerdotem exigis pat., et te non exigis,* etc.
[2] *Quis enim.... debet celebrare,* in nostris omnibus mss. desunt.
[3] Cod. Vind. ac Mich., *argenti stipem refutasset.*
[4] Iidem cod. omittunt: *Legimus in Scripturis,.... subministrat.* Et infra: *Bene ait ascendisse Petrum.*
[5] Omnes edit., *vivunt pane;* omnes mss., *vivunt plane.* Infra vero edit. Rom. sola, *qui panis vita est omnium.*
[6] Editt. cum ms. Lugd., *ordo viventium;* concinnius alii cod., *ordo vivendi.*

dem hic idem esse, qui et sermonum 42, 43 et 44; sed qui Ambrosio illum arrogabit, is in Ambrosiana lectione parum versatum se declarabit (Edit. Maur.).

1. Satis ad correctionem vestram arbitror posse sufficere, fratres dilecti, quod anteriore Dominica profecturus, nulla vobis sacrarum litterarum spiritalia dona largitus sim; sed tantum vos increpans et arguens pro peccato, sine aliqua prædicationis consolatione dimiserim. Volui enim vos hoc ipsum intelligere quam graviter peccaveritis, qui divina eloquia audire minime meruistis. Hæc enim sacerdotum vehemens et copiosa vindicta est, indignis quibusque Scripturarum cœlestium sacramenta non credere; nec, sicut ait Dominus, *dare sanctum canibus, neque margaritas projicere porcorum*
Matth. VII, 6. *pedibus conculcandas.*

2. Perdit enim cœlestis margaritæ gratiam quis-
1 quis eam [1] fœdissimo peccatori circumdare conatur; gemma enim, sicut ipsi scitis, nisi auro non convenit, margarita nisi pretiosis monilibus non aptatur. Estote ergo aurum optimum, estote monile pretiosum, ut possit in vobis margarita spiritalis includi. Margarita enim Christus est Dominus, quam negotiator ille dives in Evangelio, venditis omnibus rebus suis, emere festinavit; et maluit omnes quas habebat, sæculi gemmas amittere, tantum ut unam
Matth. XIII, 46. Christi emeret margaritam.

3. Unde et ego, fratres, pro magnitudine, quod commiseratis, delicti, nolui vobis pandere Evangelicæ refectionis eloquia; sed magis ingerere animosæ indignationis injuriam, et prius vos verberibus spiritalibus emendare, ac sic margaritæ ditare muneribus. Malui, inquam, peccatum vestrum incusando acriter increpare, quam leniter dissimulando nutrire: quisquis enim fratrem non arguit peccantem, quodammodo hortatur ut peccet. Nolo autem putetis quod non de amore faciam, vos sæpius verberando; filius enim, qui castigatione dignus est, plus amatur, sicut ait Scriptura sancta: *Quem enim diligit Dominus, corripit: castigat autem*
Hebr. XXII, 6. *omnem filium, quem recipit.*

4. Dicite enim mihi si non dolendum fuerit hoc peccatum, sic vos salutis vestræ immemores tunc fuisse, ut beatissimis apostolis Petro et Paulo honorificentiam minime reddideritis; cum ipsos esse sciatis doctores gentium, auctores martyrum, principes sacerdotum: nec volueritis eorum natalem nobiscum festivissimum celebrare, atque illi cœlesti interesse convivio, in quo pro martyrum suorum
2 tanta lætitia, substantiam vitæ ipse nobis [2] Dominus ministravit? Vultis autem scire quantis bonis fraudati fueritis? Interrogate fratres, qui tunc temporis mecum pariter adfuerunt, quam refecti a Dominica mensa discesserint, vel quales secum domum spiritales divitias reportaverint.

5. Unum scio, quod si quis illa die honoratus aut dives ob natalem filii sui ad decimum usque milliarium ad prandium rogavisset, propter accuratas epulas, et inæquales mensuras absque dubio vos ituros fuisse. Igitur, fratres, quotiescumque martyrum memoriam celebramus, prætermissis
A omnibus sæculi actibus,[3] sine aliqua dilatione con- 3
currere debemus, reddere illis honorificentiam, qui nobis salutem profusione sui sanguinis pepererunt; qui tamquam sacrata hostia pro nostra propitiatione Domino sunt oblati, præsertim cum dicat ad sanctos suos omnipotens Deus: *Qui vos honorat, me honorat: et qui vos spernit, me spernit.* Quis- Luc. X, 16.
quis ergo honorat martyres, honorat et Christum: et qui spernit sanctos, spernit et Dominum.

B

SERMO LV.

In natali SS. Nazarii et Celsi martyrum.

Hic sermo non exstat in edit. Amerb. neque Eras., sed nec in ullis mss. quos quidem videre nobis licuerit, reperitur. Ut autem eum Ambrosii non esse quivis intelligat, cum eo tantum conferenda est Paulini narratio, qua inventas horum martyrum reliquias describit. Etenim inventionem illam extremis tantum
C *sancti Episcopi annis asserit evenisse, cum idem sermo jam celebri per omnem Ecclesiam eorum festo habitus fuerit. Colitur ipsorum dies natalis* V *kal. Augustas: inventio autem* VI *idus Maias. De quibus sanctis consuli etiam potest sanctus Paulinus* (Nolamus episcopus) *Carm. 9 in natali S. Felicis* (Edit. Maur.).

Dicendum e contextu hujus sermonis ejus auctorem præsulem aliquem Mediolanensis Ecclesiæ extitisse, licet certo non Ambrosium.

D

1. Etiamsi martyribus regionis extraneæ pia votorum debita redderemus, propriis consulere utilitatibus et commodis probaremur: nostros enim eos fides faceret, et remotis quamlibet finibus spe-
rata nobis patrocinia corrogarent. Studiorum siquidem sunt hujusmodi suffragia, non locorum, proinde apud domesticos Dei tantum intercessionis promerueris, quantum venerationis impenderis. Oportet itaque ut alienos potius nobis devotio religiosa
E conciliet, quam forte proprios a nobis negligentia irreligiosi teporis alienet.

2. Agnoscamus, charissimi, circa Ecclesiam nostram uberiorem divinorum munerum largitatem. Exsultant felices singularum urbium populi, si unius saltem martyris reliquiis muniantur: ecce nos populos martyrum possidemus. Gaudeat terra nostra nutrix cœlestium militum, et tantarum parens fecunda virtutum. Recte itaque et ex debito a filiis parentis Ecclesiæ horum beatorum martyrum ce-
F lebrantur insignia; qui illuminantes virtute fidei suæ innumerabiles populos, soli quidem illatam sibi sensere mortem, sed non soli mortis suæ beneficia possederunt. Immensa enim Dei nostri pietas multiplex ad bonitatem, et artifex ad salutem, proponens arduam virtutum palmam, raro appetitore pretiosam, in paucorum triumphis plurimorum commodis prospicit. Illorum siquidem merita nostra vult esse suffragia: simulque dum nobis fidem veram duro martyrii agone commendat; afflictionem
G præcedentium instructionem efficit posterorum.

3. Quanta est circa nos Dei nostri sollicitudo! Illos examinat, ut nos erudiat: illos conterit, ut nos

[1] Ita vet. editt.; at mss. Lugd. ac Remig., *fœdissimo pectori;* melius haud dubie, *fœdissimo pecori.*

[2] Omnes edit. et codex Lugd., *Dominus demonstravit;* optime Remig., *Dominus ministravit.*

[3] Vet. editt., *sine aliqua dubitatione;* Rom. et mss. ut nos in textu. Infra vero ubi omnes edit. ac ms. Remig., *tam sacrata hostia*, magis commode codex Lugd., *tamquam sacrata hostia.*

acquirat; eorumque cruciatus nostros vult esse profectus. Merito ergo eos colimus, qui periculis suis pugnant; et nostris utilitatibus militant qui per lucis vitæque contemptum edocent nos quantum Deo nostro debeamus affectum. Noverimus itaque quia non sine magno discrimine de religionis veritate dubitamus, quam tantorum sanguine confirmatam videmus. Magni periculi res est, si post prophetarum oracula, post apostolorum testimonia, post martyrum vulnera, veterem fidem quasi novellam discutere præsumas, et post tam manifestos duces in errore permaneas, et post morientium sudores otiosa disputatione contendas.

4. Congratulamur ergo, dilectissimi fratres, magnæ fidei vestræ, per quam dum exsules proflua charitate suscipitis, etiam incolas paradisi et cœli cives habere meruistis. Beatum itaque Nazarium martyrem Christi sancta Mediolanensis Ecclesia licet totum corpore secum retineat, et mundo tamen totum in benedictione transmisit. Hæc est enim sanctorum martyrum gloria, quorum etsi per universum mundum seminetur in cineribus portio, manet tamen integra in virtutibus plenitudo. Veneramur ergo in tanto Christi milite fidem nostram: mater namque martyrii fides catholica est, in qua iste illustris athleta, sanguine fuso, mortem pro ipsa calcavit. Mater, inquam, martyrii fides est: veneremur ergo in sanctorum martyrum gloria fidem nostram. Quomodo fidem nostram? Ab istis enim dum mortis tolerantia indubitanter excipitur, spes immortalitatis evidenter asseritur; numquam enim hanc vitam tam constanter expenderent, nisi esse alteram incomparabiliter beatiorem perfecta definitione sentirent. In sanctis itaque præconibus veritatis resurrectionis auctoritas est; prompti enim pereunt in melius reparandi, quibus per angustias tribulationum aperitur exitus ad amplitudinem gaudiorum.

5. Unde et beatus Nazarius, cujus hodie gloriosam de mundi hoste victoriam universalis Ecclesia festa exsultatione concelebrat, cum tempore gentilitatis non ignobilibus parentibus oriundus existeret, sacrilegi adhuc puer genitoris militiam simul et doctrinam detestari ex improviso cœpit: atque ab innocente matre, quæ jam christianæ fidei titulis insignita Christo sedule insistebat, sacrosanctæ regenerationis fluenta fidelis jam spiritu, ac fide instituta præveniens, demonstrari sibi flagitabat. Nondum siquidem baptismum consecutus, sed inter religionis principia consummatus; et nondum manifestatis sibi legibus, Deo plenus, repente possessio atque habitaculum Dei factus est: atque ita perventuræ usque ad cœlos turris[1] prius meruit elevare fastigium, quam disponeret fundamentum, nondum sacramentorum conscius, et in sacrificium jam præelectus.

6. Quid ad hæc nos infelices respondere poterimus, qui post nitorem baptismi, post collatum nobis sacra regeneratione candorem, post acquisitam indumenti nuptialis angelicam dignitatem, in peccatorum cœnum relapsi, et in antiqua criminum volutabra revoluti, niveum vestimentum tetris iniquitatum ac libidinum contagiis sordidamus; et holosericam, in qua sigillum divinæ imaginis acceperamus impressum, maculis mortiferæ corruptionis infecimus; et post singularem Dei nostri indulgentiam innovata fœdamus, integra rescindimus, expiata violamus, repetentes opera non jam undis purganda, sed flammis?

7. Quid illud, quamque insigne divinæ gratiæ munus, quod accepto jam salutari lavacro, post innumera virtutum signa, post peragratas circumquaque ob Christi prædicationem innumeras regiones; cum pro Dei summi confessione diversa per supplicia adversus eum totus pene orbis baccharetur; et nunc atrocissimis arctaretur pœnis cruciandus, nunc in longinquis finibus transveheretur exsulandus; ita robustissimo Christi athleta pectore tormenta omnia devincebat, ut strenuum de prostrato reportaret hoste tropæum; interque cruenta Cæsaris jussa vasti maris dejectus gurgitibus, ambulare ei divina super aquas concessum est providentia, et rerum obstupescente natura, per insueti itineris novas vias pendulum inferens gressum, tumentia maris dorsa calcavit? Videres æquoreas Sancti substerni meritis undas, supraque angelicis confortatum alloquiis, in Christi Jesu laudibus exsultare. Ecce profanus hostis numquam beato martyri tantum prodesset obsequio, quantum profuit odio.

8. Sed tandem perfecto agonis certamine, cum Celso puerulo, quem ipse Deo in holocaustum polluto assumpserat ex sæculo, crudeli imperio damnatione absolvitur, gladio consecratur. Felix hic tali exitu; quo omne delictum ita ab eo exiit, ut etiam redire non possit: quo sic debita sua solvit, ne ultra creditorem timeret: quo in se hostium peccata fide clausit, fide damnavit: per quem innocentiam devotione quæsivit, perseverantia invenit, morte servavit.

9. Quæ cum ita sint, carissimi, licet hic tantus Christi testis pretiosus confessione, pretiosior sanguine, crudeli vulnere pretiosior, et tincta veste candidior; licet hic Mediolanensium peculiaris putetur privilegio sepulcri, sed omnium est communione suffragii. Neque enim istius urbis charitas proflua et fides avara tantum huic martyri derogaverit, dum sibi arrogat, ut solum erga mœnia sua patrocinii illius beneficia adfutura esse crediderit. Non clauditur locis quod diffunditur meritis. Invocasti ubique martyrem; ubique te exaudivit ille, qui honoratur in martyre. Moderante itaque eo, qui pensat vota tua, et dispensat munera sua, in tantum vicina præsentia efficacis præbebitur advocati, in quantum fuerit fides devota suscepti. Oratio enim quæ castitatis, justitiæ et eleemosynarum operibus adjuvatur, excedit mundum, penetrat paradisum, evolat usque ad ipsum summæ majestatis, angelo conferente, conspectum, sicut quodam loco vox testatur angelica: Et cum tu, inquit, orares, ego obtuli orationem tuam in conspectu claritatis Dei. Act. x, 4.

10. Beata anima, charissimi, cujus votum, cujus compunctionis incensum, cujus supplicationis holocaustum, nulla infidelitate fumidum, nullo carnalis illecebræ fetore pollutum, nulla sævitia cruentatum, nulla odii simultate maculatum; sed fide igneum, conscientia nitidum, sinceritate cordis odoriferum, concordia et caritate perfectum, usque ad Dei vultum per cœlestium nuntiorum defertur obsequia. Quæ cum ita sint, honoremus beatos martyres, principes fidei, intercessores mundi, præcones regni, cohæredes Dei.

11. Quod si dicas mihi: Quid honoras in carne

[1] Rom. edit., *prius elevare fastigium*, omisso videlicet *meruit*.

jam resoluta atque consumpta, de qua nulla jam Deo cura est? Et ubi est illud, carissimi, quod ipsa veritas loquitur per Prophetam: *Pretiosa*, inquit, *in conspectu Domini mors sanctorum ejus?* Ps. cxv, 15. et iterum: *Mihi autem valde honorificandi sunt amici tui, Deus?* Ps. cxxxviii, 15. Honorare debemus servos Dei, quantos magis amicos Dei! de quibus alio loco dicitur: *Dominus*, inquit, *custodit omnia ossa eorum, et unum ex his non conteretur.* Ps. xxxiii, 21. Honoro ergo in carne martyris exceptas pro Christi nomine cicatrices, honoro viventis memoriam perennitate virtutis, honoro per confessionem Domini sacratos cineres, honoro in cineribus semina æternitatis, honoro corpus, quod mihi Dominum meum ostendit diligere, quod me propter Dominum mortem docuit non timere. Cur autem non honorent corpus illud fideles, quod reverentur et dæmones? quod et afflixerunt in supplicio, sed glorificant in sepulcro? Honoro itaque corpus, quod Christus honoravit in gladio, quod cum Christo regnabit in cœlo.

SERMO LVI.

De Natali sancti Eusebii Vercellensis episcopi.

In hoc sermone de sancto Eusebio tamquam de martyre agitur, quamvis in confessorum ordine semper reponatur apud antiquos: cætera satis historiæ hujus antistitis idem congruit. Habemus apud Maximum alium sermonem de eodem sancto in multis huic ipsi persimilem, sed sive illi ab eodem auctore, sive a diversis profecti fuerint, hunc non esse Maximi perspicuum est; cum in ipsamet Vercellensi Ecclesia sit pronuntiatus. Ejus vero auctorem antiquum fuisse ex eo patet, quod se, præsente Exsuperantio, ejusdem Eusebii discipulo, loqui significat. Verum quisquis ille sit, diversum eum esse ab Ambrosio, et alii jam ante agnoverunt, et tota sermonis series abunde probat (Edit. Maur.).

Quod Eusebii martyrium attinet, videantur quæ dicta sunt in nota 3 ad Ambrosii epistolam ad *Vercellensem Ecclesiam*, Opp. Ambrosii Tom. v, col. 555. Non negamus tamen, hunc et sequentem sermonem improbabilem efficere enarrationem de morte ipsi ab arianis illata lapidibus post ejus in patriam reditum ab exilio; cum uterque tam vetustus sermo hujus atrocis martyrii nullam faciat mentionem, et martyrem dicat Eusebium solummodo ob perpessas in exilio pœnas.

1. Ad sancti martyris Eusebii laudem aliquid addere velle, decerpere est; tam ineffabilium enim doctrinarum magister exstitit, ut merita ejus facilius operibus cognosci possint, quam sermonibus explicari. Tantum autem de eo conscientia retinet, quantum[1] oratio et narratio non prævalet. Igitur gesta illius non verbis adornanda sunt, sed perstringenda sententiis; præsertim quia nos scimus eam rem comere non debere sermonibus, quam videmus jam comptam esse virtutibus, cum dicat Apostolus: *Regnum Dei non in sermone est, sed in virtute.* I Cor. iv, 20.

2. Ergo ad merita ejus aliquid addere velle, decerpere est, me præcipue,[2] qui et ignarus rerum gestarum sim, et litterarum imperitus sacrarum, et rudis sacerdotalium functionum. Potuissent autem prædicare hæc sancti præcessores mei usu facilius, experimento probatius, doctrina præclarius: domnum et patrem specialiter beatum Exsuperantium loquor, qui fuit ejus minister in sacerdotio, comes in martyrio, particeps in labore. In cujus vultu sanctum quoque Eusebium videre nos credimus, et quasi in quodam speculo bonitatis illius imaginem contuemur: facile enim cognoscimus qualis magister fuerit, cujus talem videmus esse discipulum. Sed quoniam confessionis illius similis hunc gloria comitatur, mavult reticere laudes paternas; ne proprias pariter jactare videatur.

3. Quid ergo de martyris Eusebii gloria predicem, cujus tota plebs ista sit gloria? Et cum dicat Scriptura: *Gloria patris est filius sapiens;* Prov. x, 1. quantæ hujus sunt gloriæ, qui tantorum filiorum sapientia et devotione lætatur! In Christo enim Jesu per Evangelium ipse nos genuit. Quidquid ergo in hac sancta plebe potest esse virtutum et gratiæ, in sancti Eusebii magisterio reperitur. Ex hoc autem quasi quodam virtutum fonte lucidissimo rivulorum hæc puritas emanavit. Nam quia castitatis vigore pollebat, propositum virginitatis instituit; quia abstinentiæ gloriabatur angustiis, monachorum introduxit forte servitium; quia blandimentis erat præditus lenitatis, cunctorum civium in Deum provocavit affectum; quia pontificii administratione fulgebat, plures e discipulis sacerdotii sui elegit hæredes. Quamvis igitur nonnulli liberis suis relinquant auri argentique thesauros, nemo tamen sancto Eusebio ditiores reliquit; siquidem omnes exstiterunt aut sacerdotes, aut martyres.

4. Nam ut cætera taceam, illud quam admirabile est, quod in hac sancta Ecclesia eosdem monachos instituit esse, quos clericos; atque iisdem penetralibus sacerdotalia officia contineri, quibus et singularis castimonia conservatur; ut esset in ipsis viris contemptus rerum,[3] et accuratio levitarum: ut si videres monasterii lectulos, instar orientalis propositi judicares: si devotionem clerici perspiceres, angelici ordinis observatione gauderes.

5. Illud autem tacendum omnino non arbitror, quod cum arianorum detestanda perfidia totam cum universo mundo Italiam perturbasset, atque ejusdem pestilentiæ sacerdotes simplicitatem sancti Dionysii martyris captivassent; ita ut subscriptionis ejus vinculum retinerent, qua illum e manibus eorum sapientia liberavit? Sicut enim ait sanctus Paulus: *Factus sum Judæis tamquam Judæus, ut Judæos lucrifacerem;* I Cor. ix, 20 ita Eusebius hæreticis hæreticum se esse mentitus est, ut de hæresi filium liberaret. Dixit enim se eorum consentire perfidiæ, hoc sibi placere, quod illis: sed quod sibi filium Dionysium in subscribendo præponerent, graviter se moveri: Vos enim, inquit, qui dicitis Filium Dei Patri Deo æqualem esse non posse, cur mihi filium meum prætulistis? Qua illi ratione permoti, statim sancti Dionysii chirographum deleverunt, priorem locum subscribendi beato Eusebio deferentes. Quos ille increpans et irridens ait: Neque ego me vestris sceleribus polluo, neque filium meum vobiscum

[1] Codex Theod., *quantum oratio enarrare non prævalet.*

[2] Ita mss. ac vet. editt.; locum vero Rom. sic contraxit, *qui rerum a se gestarum pene ignarus sim. Potuissent autem*, etc.

[3] Codex Theod., *et accuratio litterarum.*

participare permitto. Unde cum dicat Evangelium in hac generatione prudentiores filios tenebrarum
Luc. xvi, 8. esse quam lucis; ecce hic ipsis tenebris prudentior filius lucis inventus est.

6. Tunc illi graviter indignantes, ita nequitiam suam fuisse delusam, novis eum per Constantium
1 principem[1] passionibus vexaverunt; nam post multas iujurias orientis plagæ illum exsilio relegarunt in quo tanta passus est, ut martyrii invictam gloriam reportaret. Dicitur enim inter cætera passionum genera hoc pœnale passionis supplicium pertulisse, ut dum interrogaretur ab arianis, et se eorum communicare perfidiæ denegasset, scalarum proclivi tractu supinis pedibus ad imum usque pertraheretur; et iterum revocatus ad summum, interrogatus denuo cum eadem respondisset, eadem pateretur, ac frequentem interrogationem frequenter hujusmodi supplicium fuerit subsecutum. In qua passione sancti Eusebii martyris, licet fuerit quassatum caput, elisum corpus, membra confracta; animus tamen fidei mansit invictus. Nam quanto plus illum ariana perfidia corporaliter lacerabat, tanto magis eum catholica integritas spiritaliter refovebat.

7. Quem quidem scalarum ascensum atque descensum possumus dicere, quem Jacob somnians
Gen. xxviii, 12. prophetavit; et sicut ille vidit etiam istas scalas ab imo ad cœlestia usque pertingere; sic quidem per has et Eusebius ascendit ad cœlum, et ariani ad inferos descenderunt. Unde, fratres, sanctum Eusebium Machabæorum martyrum choro annumerandum puto. Siquidem illi singulis membris martyrium pertulerint, hic autem totius corporis passione Dominum sit confessus; nec disparem eorum esse gratiam, quos etiam dies una in martyrio copulavit.

SERMO LVII.

De Depositione ejusdem sancti Eusebii.

Qui superiorem sermonem Maximo attribuunt, et hunc quoque eidem putant assignandum. Sed ut memorato Præsuli is astruatur, et ejus stylum, et cum Maximiano sermone in Eusebium secundo cognationem multo validius argumentum esse judicamus (Edit. Maur.).

1. Depositionem sancti Eusebii hodie celebramus. Quid est depositio? Non illa utique, quæ sepeliendis in terra membrorum reliquiis clericorum manibus procuratur; sed illa qua homo vinculis carnalibus absolutus, liber iturus ad cœlum, terrenum corpus exponit. Ipsa plane est depositio, in qua concupiscere abjicimus, cessamus delinquere, peccare desinimus, et totum quidquid saluti est grave, quasi abjecta sarcina oneris, exponimus. Nam ideo hæc dies pro celebritate maxima procuratur, quia vere est summa festivitas mortuum esse vitiis, soli vigere justitiæ; unde et depositionis ipsa dies natalis
2 dicitur, quod delictorum carcere liberati,[2] libertati nascimur Salvatoris.

2. Sed videatur sanctus Eusebius cum qua gloria
A ad hanc diem depositionis advenerit. Dicitur enim ante aliquantum temporis exitus sui manifesta revelatione vidisse se kalendis Augusti de monte ad montem volare, et prophetia quadam hoc interpretatus est hac die exiturum se esse de corpore. In quo facto nescio quid primum sit admirandum, utrum quod meruit exitus sui finem nosse, an quod scire potuerit quæ illum post exitum gratia permaneret. Dicit sanctus David: *Notum fac mihi, Domine, finem meum, et numerum dierum meo-*
B *rum*, et reliqua. Ecce quod Propheta optaverat, Ps. xxxviii, 5
Martyr accepit: notitiam quam ille exorat,[3] iste 3
consequitur; nisi quod, salva fide dixerim, amplius promereatur: ille enim finem postulat nosse, iste etiam ultra finem quid futurus esset, agnoscit: ille usque ad exitum quid desit, ignorat; iste post exitum quid supersit, addiscit.

3. Volare ergo se in hac die vidit martyr Eusebius. Sicut scimus, volare non potest, nisi quod purum, leve, atque subtile est: cujus nec sinceritas
C intemperantia retardatur; nec alacritas, nec velocitas mole gravatur. Gravari autem volatum dico, non tam mole membrorum, quam pondere delictorum; unde puto etiam in ipsis avibus ideo velocius columbam pene præ omnibus volitare,[4] quod ala- 4
critatem innocentia comitetur. Denique sanctus David cum puritate mentis volare concupisceret, non alterius animantis, nisi columbæ optavit alas, dicens: *Quis dabit mihi pennas sicut columbæ, et volabo, et requiescam?* Intelligebat enim quod Ps. lv, 7.
D ad altiora facilius penetratur simplicitate mentis, quam levitate pennarum.

4. Volavit ergo hac die sanctus Eusebius. Æstimemus jam ejus innocentiam de volatu,[5] et puri- 5
tatem ejus de ipsa elatione judicemus: tamquam columba enim in domo Dei degens, assumpsit spiritales pennas, et requievit in monte. Et licet ipse de monte ad montem volare se dixerit; tamen in ipsa translatione majorem requiem fuisse significo. Quid enim aliud est de monte ad montem volare,
E nisi de Salvatoris gratia ad Patris gloriam properare? Ipsi enim sunt montes, sicut dicit propheta: *Mons de monte sine manibus concidentium;* hoc est, Filius de Patre, absque ullius creationis accessu.

SERMO LVIII.

De sancto Cypriano.

Huic sermoni alius in eumdem Martyrem præmittebatur, qui in omnibus script. cod. et ant.
F *editt. 72 numerabatur: in Rom. vero edit. de sanctis 18, quem nos ut inter Maximianos editum rejecimus. Cum autem manifestum sit utrumque ab eodem concionatore fuisse pronuntiatum, utrumque etiam eidem Maximo tribuendum esse dubium non est* (Edit. Maur.).

Quisque conspicit ex hujus sermonis contextu prorsus ineptum esse titulum ei præfixum, cum solum ab initio ac per accidens Cypriani mentio fiat.

G 1. Ante dies, cum beatissimi martyris Cypriani celebraremus natalem, suavissime in ejus festivi-

[1] Codex Theod., *passionibus necaverunt.*

[2] Ita vet. editt. ac mss. nisi quod Theod. pro *libertati* legit *liberi;* Rom. autem edit. neutrum admittit, sed tantum præfert, *nascimur Salvatori.*

[3] Omittit cod. Theod., *iste consequitur.... amplius promereatur.* Infra vero ubi omnes edit., *quid supersit edixit;* idem codex reponit, *quid supersit addiscit.* Lugd., *addixit,* non recte.

[4] Omnes edit. et cod. Lugd., *quod alacritatem et innocentiam comitetur:* melius cod. Theod. ut in contextu.

[5] Codex Theod., *et pietatem ejus,* etc.

tate jucundati sumus; quia enim hoc vindemiarum in tempore passus est, tamquam et nos de vindemia dulces et varios fructus ex ejus passione collegimus; impinguavit enim nos, et refecit musto martyrii sui. Est enim mustum quod reficit et inebriat christianum, sed ebrietas illa magis sobrium
1 facit; qui enim inebriatur cœlesti gratia,[1] exebriatur sarcina peccatorum.

2. Hoc namque musto repleti sancti apostoli,
Act. ii, 13 sicut ait Scriptura, alienis linguis Dei magnalia loquebantur. In quo facto pariter ebrii esse videbantur, et sobrii; ebrii enim putabantur, quod in
2 iis[2] loquela præter naturam alte personabat; sobrii erant, quod juxta consuetudinem mentis Deum devotione laudabant. Quod quidem non elatione aliqua aut impudentia contigit, ut viri sancti peregrino sermone loquerentur: sed providentia divinitatis factum est, ut quia ad magnificandum Deum una loquela non sufficit, per plures linguas mentis devotio solveretur.

3. Jucundati enim sumus, quia de vinea Domini sabaoth fructum refectionis accepimus; vinea autem Domini sabaoth, sicut dicit propheta, domus Israel
Isai. v, 7. est, quæ domus nos sumus. Secundum fidem enim Israelitæ nos sumus; unde dicit Apostolus: *Qui ex*
Galat. iii, 7. *fide sunt, ii filii sunt Abrahæ.* Quoniam igitur nos sumus Israel, vineam Domini sumus: videmus diligenter ne ex palmite operis nostri non nascatur dulcedinis uva, sed fellis; ne dicatur nobis, quod Judæis dictum est per prophetam: *Sustinui ut faceret uvam, fecit autem spinas; et non justitiam,*
Isai. v, 7. *sed clamorem.* Quam dura conditio, ut possessio, quæ domino suo suavitatis fructus afferre debuit, spinarum illum asperitate compunxerit! hoc est, cum Judæi Salvatorem debuerint tota fidei devotione suscipere, spinarum eum coronaverunt passione. Quæ corona quidem, quantum in Judæis est, erat injuriarum contumelia; quantum in Domino, erat corona virtutum. Compungunt ergo Judæi Dominum, dum coronant; compungunt, dum crucifigunt. Unde ait Scriptura sancta: *Videbunt in*
Joan. xix, 37. *quem compunxerunt.*

4. Igitur, fratres, videte ne et vobis dicatur:
Isai. v, 2. *Sustinui ut faceret uvam, fecit autem spinas;* hoc est, ne spinas quos Domino Judæi cruentis imposuerunt manibus, nos iniquis sensibus apponamus, et compungamus eum non asperitate sentium, sed operum pravitate. Sunt enim spinæ cordis, quæ Verbum Dei etiam vulnerare consueverunt, de quibus meminit in Evangelio Salvator, dicens se-
minantis semen cecidisse inter spinas, et crevisse
Matth. xiii, 7 eas, ac suffocasse quod satum est. Quæ autem spinæ sint, ipse prosequitur, dicens utique sollicitudines esse mundanas, quæ cum crescunt in corde hominis, mandata Salvatoris in eo suffocant. Quis enim umquam sollicitus de mundo, potuit bene sollicitus esse de Christo? Quis dum lucris domus suæ providet, utilitatibus Ecclesiæ potuit providere? Unde ait Apostolus: *Qui sine uxore est, sollicitus est quæ sunt Domini, quomodo placeat Deo; qui autem cum uxore est, sollicitus est*
I Cor. vii, 32. *quæ sunt mundi, quomodo placeat uxori.*

5. Ergo, fratres, videte ne vinea vestra non uvas, sed spinas faciat; ne vindemia vestra non vinum afferat, sed acetum. Quisquis enim vindemiam legit,
A et pauperibus non largitur, ille acetum colligit, non vinum. Quisquis messes recondit, et indigentibus non ministrat, iste non alimoniæ fructus reposuit, sed tribulos avaritiæ congregavit. Nam propterea ait Scriptura de terra nostra: *Spinas et tribulos germinabit tibi.* Gen. iii, 18.

SERMO LIX.

In natali unius Martyris, sive Domitiani.

B *Hic sermo una cum subsequenti habetur in codice Floriacensi ante annos mille exarato, ubi et sancto Ambrosio assignatur. Verumtamen quod illos, cum hactenus fuerint inediti, in lucem emittimus, id codicis antiquitati datum voluimus, cum nihil habeant Ambrosianum, ut vel ex prima eorum lectione quivis agnoscat* (Edit. Maur.).

1. Diem celebramus hodie, fratres charissimi,
C mortui justi, et non est hic: si autem scire vultis ubi sit, interrogate lectionem, quam primo audistis: *Justus si morte præoccupatus fuerit, in refrigerio erit.* Refrigerium enim in hoc sæculo, cui, Sap. iv, 7.
unde? ubi plena sunt omnia tribulationibus; et quando tribulationes pascunt, plena sunt tentationibus. Mundus enim iste sive metuatur, sive blandiatur, timendus est: sed Deus timeatur, et mundus potius contemnatur, et magis sit cavendus. Si ergo volumus in refrigerio esse, quando mors præoccu-
D paverit, justi simus.

2. Forte dicit aliquis: Multum est ad me. Attendamus enim quod scriptum est: *Justus si morte præoccupatus fuerit, in refrigerio erit;* et cum quærimus, quid sit justus, terret nos psalmus:
Omnis homo mendax. Audiamus librum sapientiæ: Ps. cxv, 11.
Justus si morte præoccupatus fuerit, in refrigerio erit; audiamus psalmum: *Ego dixi in excessu mentis meæ, omnis homo mendax.* Numquid sanctus Domitianus non erat homo? Si ergo
E homo erat, et *omnis homo mendax;* quomodo justus erat, si mendax erat? aut quomodo in refrigerio est, si justus non erat?

3. Attendamus ergo, charissimi: habemus ista cogitatione plena testibus: non parvum refrigerium in eo, quod audimus Apostolum dicentem: *Adhuc enim Christus mortuus est, ut et vivorum et mortuorum dominetur;* et, *sive enim vivimus, sive morimur, Domini sumus.* Ille est justus, non Rom. xiv, 9.
perdet suos: certi sumus quia Christus non erat
F mendax. Christus homo et non mendax: quomodo ergo omnis homo mendax? Quia Christus sic homo, ut non solum homo. Ille nisi et Deus et homo esset, mendax esset. Talis ergo et tantus pro nobis mortuus est, et mortem timemus? Præcessit et resurrexit; ejus membra sumus, et caput nostrum sequimur.

4. Nam et ipse Psalmus consolatur nos: *Quid retribuam Domino pro omnibus, quæ retribuit mihi?* Ille quid dixit: *Ego dixi in excessu mentis* Ps. cxv, 13.
G *meæ, omnis homo mendax.* Homo mendax gratias Ibid., 11.
agit Domino, et non invenit quod illi retribuat pro tantis beneficiis, quæ ab illo accepit. Quid enim ab illo accipimus cum quærimus quid retribuamus, et non inveniemus? Non eramus, et creavit nos;

[1] Codex Theod., *exoneratur sarcina peccatorum.*

[2] Idem codex Theod., *loquela par, et natura altera.* Et infra, *aut imprudentia contigit.*

non erant pecora, et creavit pecora: amplius quod ad imaginem suam fecit nos; perieramus, et quæsivit nos: mortem Filii sui pignus dedit nobis, et vitam Filii sui promisit nobis, ab omnibus peccatis nostris in baptismate salutari mundavit nos; et quia hic vivendo postea contraximus quod dimitteret, ut dicamus: *Et dimitte nobis debita nostra*, docuit nos. Totum mundavit in baptizato, totum mundavit in renato vivente: non reliquit mori, non permittit mori, dico in peccato, quæ mors maligna et æterna est: vocatum monet, instruit, adjuvat, ignoscit, liberat. *Quid retribuam Domino pro omnibus, quæ retribuit mihi?* Quid dicis, homo? quid vis retribuere? Quidquid inveneris, ab illo accepisti.

5. Venimus ergo, venimus, si ex fide vivamus; Rom. I, 17. tunc enim justi erimus, quia *justus ex fide vivit.* Veniemus ergo ad illam mercedem, quæ æqualis erit omnibus. Pueri credunt, prima hora venerunt: adolescentes credunt, tertia hora venerunt: juvenes credunt, sexta hora venerunt: graviores credunt, nona hora venerunt: decrepiti credunt, novissima hora venerunt. Diversis horis venerunt, et mercedem unam acceperunt. Sic facti sunt novissimi primi, et primi novissimi: quia quod acceperunt Matth. XX, 10. primi, hoc acceperunt novissimi. Quid est ipse denarius? Vita æterna. Quare æqualis est omnibus? Quia ibi nemo vivit plus, nemo minus. Ad hoc tendamus, in Domino confidamus, vitam tentationis evadamus, vitam felicitatis habeamus.

Item Sermo de uno Martyre.

1. Dies solemnis, illustris dies patriæ, decore angelico nitens, hodiernus effulsit, quem martyris hujus florens corona vestivit. Dum per horas dies evolvitur, dum per vices dierum ac noctium, et lunæ crementa detrimentaque menses implentur, dum per quadrigam temporum ad metam suam rotatis axibus annus auriga perducitur; resplenduit lætus hujus sancti Martyris dies, quo inter inimicas acies bellicosus exsultans, cunctos hostes vicit, et ad regna sibi debita properavit.

2. Est quidem semper in ancipiti certamine suspecta victoria cum in venerandos martyres aut judex sævit, aut carnifex fremit; et nunc gladius, nunc fera, nunc flamma, nunc tormenta timentur: at ubi loricam fidei virile pectus assumpserit, non sentit animus fortis, quidquid ingesserit mens crudelis: stat inter ignes illæsus, inter bestias et tormenta validus; securibus magis solvitur, quam truncatur. Sed tunc donec ad prosperum finem felicis horæ pugna veniret, hæsitabatur a christianis, et funereum spectaculum inter athletam Christi et ministros inimici pavidis pectoribus et fugitivis obtutibus explorabant; ne vulneri timidum martyr fidei daret latus, ne quos impetus sævientes effugeret, ne vel latrantes inter tormenta carnifices teneris sensibus exhorreret. Pendebat interim corona de cœlo liliis angelorum et rosis de cruce et sanguine Christi vernantibus intertexta, sertumque cœleste vario decore pictum, tamquam florentis prati diversicolor facies desuper radiabat.

3. Pugnabat igitur miles Dei, et fide, non corpore confligebat. Hinc de vita blandiebatur mundus, hinc de morte terrebat. Excitabatur in illo conflictu cæcus arenæ pulvis, sed claudi non potuit oculus confessoris. Videbatur utrobique, et quid pararet Deus, et quid cuperet inimicus. Scutum illi protectionis Christus erat: galeam salutis illi manus angelorum effecerant: loricam triplicem unus Deus, una fides, unum illi baptisma fabricabat: gladius illius Spiritus sanctus erat, dæmones pugnabant telis suis, iste suis: illi nigris, iste armis fulgentibus confligebat. Tuebatur clypeo fidei animam suam, corpus seminabat in terram; rigabat eam sanguine suo, ut fructus in resurrectione multiplices offerat Deo suo.

4. *Qui seminant,* inquit, *in lacrymis, in gaudio metent. Euntes ibant et flebant, mittentes semina sua: venientes autem venient in exsultatione, tollentes manipulos suos.* Effluebant tunc, certantibus sanctis, lacrymæ fidelium, quas pietas provocabat, donec incerti eventus periculosi certaminis qua vergerent, apparerent. Excutiebat injustæ persecutionis dolor lamentabiles fletus, et unusquisque christianorum, quod in alio videbat, in se timebat: et licet scirent beatis martyribus gloriam in cœlis esse paratam, tamen inter dubios variosque exitus, impendentibus tristibus, animis delicata charitas amaras lacrymas extorquebat. Ps. CXXV, 5.

5. Ibant martyres euntes, et flebant mittentes semina sua. O quam arcta et angusta via, qua ducit ad vitam! Ibant per bestias et machæras, per angustias et pressuras; oratione flentes, spe gaudentes: protegentes in terra corpora sua, quasi semina sua, ex quibus germinavit gloriæ seges æterna; tunc venient in exsultatione portantes manipulos suos, cum in resurrectione receperint flores suos: *Justus* quippe *ut palma florebit, et sicut cedrus in Libano multiplicabitur.* Nescit enim umquam in sanctis viridis decor ille marcorem; præsertim cui Deus tamquam perennis fluvius continuos latices et refrigeria larga ministrat. Ecce de uno grano corporis Christi, quod sepultum est, quanta martyrum messis erupit! Ecce de primitiva palma quantæ exsurrexerunt confessorum palmæ victrices! O paradisus, sanctarum animarum blanda se societate miscenti!

6. Inter hos iste beatissimus martyr hodie valentior festa novat. Vicit enim moriens adversarium, qui pugnabat; et coronam de cœlo consecutus est, quæ pendebat. Gaudeant nunc filii de triumphis martyrum, et posteris tradant annua vota, quorum patres et dura sanctorum aspexere certamina, et vincentum lætati sunt de corona.

SERMO LX.

De Natali sanctorum Martyrum.

In cod. Theod. inscribitur hic sermo in die SS. Alexandri, Eventii et Theodoli, *cum tamen iidem Martyres in sermonis contextu nusquam nominentur. Nihilo melius in Rom. edit. eidem præfigitur:* Pro communi unius Martyris, *cum omnia ex æquo illic referantur ad omnes martyres. Potior est igitur aliorum mss. atque edit. inscriptio. Verum quod in illis omnibus, præterquam in Gall. cod. sancto Ambrosio attribuitur, non obscurus error est, quemadmodum ex ejus stylo, nec non ex iis quæ sermoni 52 a nobis præmissa sunt, potest intelligi* (Edit. Maur.).

1. Si quantum me necesse est dicere, et vos oportet audire, tantum prosequi corporis mei posset

infirmitas, profecto omnes excusati essemus, scilicet ego insinuando præceptum, vos exsequendo mandatum. Sed quoniam imbecillitate percellimur, quominus quantum oportet dicere valeamus; excuset nos mentis devotio, quos non excusat prædicationis oratio: hoc est, etsi a laudibus Domini lingua cessamus, mirabilia tamen ejus fidei operibus approbemus: si non loquimur verbis ejus gloriam, factis[1] exsequamur ejus gratiam, quoniam dictis facta priora sunt. Nam Dominus in Evangelio ita dicit: *Qui fecerit sic, et docuerit sic, magnus vocabitur in regno cœlorum.* Vides ergo quoniam præcedit factum, subsequitur doctrina; siquidem benefacere prima doctrina est. Cessantibus enim verbis, hoc ipsum docet hominem opus optimum, dum videtur: quod etsi voce aures non excitat, virtute corda tamen compungit. Quis enim bonum factum videns, non gaudeat, miretur, imitetur,[2] ac veluti tacito magistro utens, ejus exemplo doceatur? Dictis igitur facta præcedunt, immo sine factis dicta nihil prosunt; nam ideo et Dominus fieri voluit, et sic doceri, ne sine bono opere verborum inutilis esset et superstitiosa jactatio.

Matth. v, 19.

2. Melius ergo docemur facto, quam voce: denique sancti martyres etsi voce tacent, factorum virtute nos edocent: etsi lingua silent, martyrii passione persuadent. Unde quamvis disertus orator facundia sua me doceat; id tamen quod utile est mihi, melius disco exemplo sanctorum, quam assertione verborum. Citius mihi persuadent oculi, quod cernunt, quam auris possit insinuare quod præterit; auditui enim cito irrepit oblivio, oculorum autem historia semper inspicitur. Quis enim non omnibus horis momentisque conspiciat quemadmodum tunc beati martyres propter nomen Christi diversis subjacuere suppliciis, et de ipsis pœnis quodammodo triumphabant? Quanto enim plura patiebantur, tanto se victoriosissimos esse credebant; victoria enim est martyris judicium persequentis, sicut scriptum est: *Et vincas, cum judicaris.* Cum judicatur enim martyr, et condemnatur, tunc vincit atque prosternit: tali enim judicio non est addictus ad mortem, sed absolutus ad requiem; ac per hoc manifestissime vicisse est, non perisse.

Ps. L, 6.

3. Constat igitur sanctos martyres plus passione docere, quam voce; quamquam ipsamet passio sine voce non sit. Legimus enim animas eorum de sub ara Dei clamare, vel dicere: *Quousque, sanctus et verus, non vindicas sanguinem nostrum?* Nam et Deus dicit de sanguine Abel ad Cain: *Vox sanguinis fratris tui clamat ad me.* Clamare igitur dicitur sanguis, qui innocens effusus est, non tam voce, quam causa. Sic et sanctorum martyrum animæ clamant, dum fidem atque innocentiam suam sensibus nostris ipsa passione commendant.

Apoc. VI, 10

Gen. IV, 10

SERMO LXI.

De Natali Martyrum.

Ex hujus sermonis lectione cognoscimus eum post resurrectionem Dominicam habitum esse: quo etiam tempore in Romano Breviario recitatur, sed sub Ambrosii nomine, cum tamen ab ejus dictione longissime discrepet. Verisimilius est Maximi esse, quandoquidem testatur Gennadius eum composuisse generalem omnium martyrum Homiliam: *cui addi etiam potest eumdem sermonem inveniri in Gall. cod. cujus sermones omnes ad eum Præsulem pertinere Mabillonius noster existimat* (Edit. Maur.).

1. Dignum et congruum est, fratres,[3] ut post lætitiam beati paschæ, quam in Ecclesia celebravimus, gaudia nostra cum sanctis martyribus conferamus; et iis annuntiemus Dominicæ resurrectionis gloriam, qui consortes sunt Dominicæ passionis. Qui enim socii sunt contumeliæ, debent et participes esse lætitiæ; ita enim dicit beatus Apostolus: *Sicut socii passionum estis, et resurrectionis eritis: si tolerabimus,* inquit, *et conregnabimus.* Qui ergo toleraverunt mala propter Christum, debent et gloriam habere cum Christo.

II Cor. I, 7.

II Tim. II, 12.

2. Annuntiemus, inquam, sanctis martyribus Dominici paschæ gratiam; ut dum sepulturæ illius prædicamus reserata claustra, et horum sepulcra reserentur: dum corpus illius mortuum dicimus tepentibus venis subito viguisse, horum quoque membra jam frigida immortalitatis calore foveantur; eadem enim ratio martyres suscitat, quæ et Dominum suscitavit. Nam sicut viam passionis experti sunt, ita experientur et vitæ; scriptum est enim in psalmo: *Notas mihi fecisti vias vitæ.* Hoc utique in resurrectione ex persona dicitur Salvatoris,[4] qui dum post mortem ab inferis redit ab superos, incipit nota haberi via vitæ, quæ ante non habebatur: ignota enim erat ante Christi adventum via vitæ, quia nullius adhuc resurgentis[5] fuerat trita vestigio. At ubi Dominus resurrexit, nota facta, solea trita est plurimorum, de quibus sanctus evangelista ait: *Multorum corpora sanctorum surrexerunt cum eo, et introierunt in sanctam civitatem.*

Ps. XV, 11

Matth. XXVII, 52.

3. Unde cum Dominus in resurrectione sua dixerit: *Notas mihi fecisti vias vitæ;* possumus et nos jam dicere Domino: Notas fecisti nobis vias vitæ; ipse enim nobis notas fecit vias vitæ, qui nobis semitam manifestavit ad vitam. Notas enim mihi fecit vias vitæ, cum me docuit fidem, misericordiam,[6] justitiam, castitatem: his enim pervenitur itineribus ad salutem; et licet nos in resolutione corporis mortis umbra circumdet, tamen gressus suos vita non deserit: inter ipsas medias inferni leges incunctanter Christi virtutibus ambulamus. Unde ait sanctus Propheta: *Nam etsi ambulavero in medio umbræ mortis, non timebo mala; quoniam tu mecum es.* Quod manifestius Dominus ait de fideli, dicens: *Qui autem credit in me, non morietur in æternum.* Et licet moriatur, vivet.

Ps. XI, 15.

Ps. XXII, 4.

Joan. XI, 27.

4. Ergo, fratres, cum sanctis martyribus paschæ Domini gloriam conferamus: conferamus, inquam, et licet melius noverint omnia, tamen nos illis præ-

[1] Omnes edit., *ejus gloriam;* omnes mss., *ejus gratiam.*

[2] Cod. Lugd., *ac velut ita cito magistro;* Theod., *ac velim tacito magistro,* etc.

[3] Omnes edit., *ut post lætitiam paschæ;* omnes mss., ... *beati paschæ.* Sic etiam infra ubi editt., *Dominicæ paschæ,* omnes mss. *Dominici paschæ.*

[4] Ita mss. Valliscl. et Theod.: editt. vero cum ms. Lugd., *qui dum* (Rom., *ut qui dum*) *post mortem.... incipiat notam habere viam vitæ.*

[5] Omnes edit. et codex Lugd., *fuerat temerata vestigio.... nota facta solo attrita est,* etc.; mss. Valliscl. ac Theod. ut in textu.

[6] Codex Valliscl., *justitiam, sanctitatem.*

dicemus quemadmodum Dominus de sepulcri gremio resurrexerit ad superos. Illi nobis revelent quo pacto de inferni profundo remeaverit ad sepulcrum; notum, inquam, nobis faciant quemadmodum in exanime jam corpus et frigidum sese calor insinuaverit, spiritus ingesserit, sanguis infuderit, et gelatas humore venas pristini vigoris pulsus agitaverit; notum, inquam, nobis faciant quemadmodum organum corporis dissipatum in priorem statum nervorum rursus coaptaverit resoluta compago, et harmoniam viscerum jam silentem in veterem concentum Spiritus vivificans animaverit. Sacerdotes ergo prædicent, quæ Salvator post resurrectionem mirabilia gesserit ad superos: martyres revelent, quanta in ipsa morte refrigeria operatus sit in defunctis.

SERMO LXII.

De bellico Tumultu, seu pro communi Martyrum.

Hunc sermonem cum aliis duobus, quorum unum Romani editores in tom. I Oper. Ambr. *collocaverant, alter vero inter sermones sancti Maximi jam vulgatus est, hujusce Patris ex æquo esse astruit Mabillonius noster Tom.* I Musei Ital. *part.* II, *pag.* 5. *Id certe cum sermonum dictio, tum citata loco indicato auctoritas Gennadii pulchre confirmat. Cæterum quod Rom. edit. hunc ipsum sermonem* Pro communi Martyrum *inscriptum voluerit, nulla cur hoc faceret, ratio fuit; proindeque aptius inter sermones* De Diversis *sub eo titulo quem in ant. editt. ac mss. præfert, in posterum erit locandus* (Edit. Maur.).

1. Movet fortasse vos, fratres, quod tumultus bellorum et incursiones præliorum fieri audimus assidue; et cur nostris temporibus fiant, dilectio-
1 nem vestram fortasse plus moveat.[1] Sed hæc causa est, quia quanto magis proximi sumus mundi excidio, tanto magis regno sumus proximi Salvatoris. Ipse enim Dominus ait, quod in novissimis diebus: *Exsurget gens adversus gentem, et regnum ad-*
Marc. XIII, 8 *versus regnum;* et alibi: Cum videritis bella, et terræ motus, et fames, scitote quoniam in proximo
Matth. XXIV, 33. est regnum Dei. Ergo vicinatas ista bellorum vicinum magis nobis Christum esse demonstrat. Atque ideo venientem adversarium timere non debeo, quia per hæc signa venire potius intelligo Salvatorem; quamvis enim iste metum incutiat temporalem,
2 ille[2] tamen salutem deserit sempiternam. Potens est autem idem Dominus, ut et hostilem a nobis repellat pavorem, et suam nobis præsentiam largiatur.

2. Per hos igitur bellorum tumultus mundi quoddam significatur excidium; futurum enim judicium
3 hæc inquietudo præcedit. Est autem[3] quoddam commonitionis indicium Dei, videre quod metuas; ut possis intelligere plus superesse, quod metuas. Dum enim cauti sumus ad ea, quæ cernimus, cautiores ad illa efficimur, quæ speramus. Vir autem sapiens his actibus terrenis instruitur, quemadmodum futuri sæculi debeat declinare judicium: dum
4 enim perspicit in hac communi perturbatione[4] pri-

A mores viros tuitiones in mœnibus præparare, ipse admonetur quemadmodum in futura eversione mundi defensionem christianis præparet animabus. Cernimus armari civitatis portas: debemus etiam prius in nobis portas armare justitiæ; sunt enim portæ justitiæ, de quibus sanctus Propheta dixit: *Aperite mihi portas justitiæ*, et reliqua. Tunc autem ci- Ps. CXVII, 19.
vitatis porta munita esse poterit, si prius in nobis portæ justitiæ muniantur. Cæterum nihil prodest muros munire propugnaculis, et Deum provocare
B peccatis: illa enim constituitur ferro, saxis et sudibus; hæc armatur misericordia, innocentia, castitate: illa telorum multitudine custoditur; hæc orationum frequentia defenditur. Et ad plenam tuitionem urbium portas principum solent signa præcedere; animarum autem nostrarum portas signum Salvatoris anticipet.

3. Ergo, fratres, propter futurum mundi judicium armis nos cœlestibus muniamus, accingamur lorica fidei, salutis galea protegamur, verbo Dei velut
C spiritali gladio defendamur; qui enim his armis instructus fuerit, nec præsentem perturbationem metuit, nec futurum judicium pertimescit. Siqui- I Reg. XVII, 50
dem sanctus David hac devotione protectus, Goliam illum fortissimum armatum etiam inermis occiderit, et virum bellicosum munitionibus undique circumseptum sola fidei virtute prostraverit. Cum enim sanctus David non operiretur galea, non præcingeretur gladio, non lancea uteretur; occidit autem illum non telo ferreo, sed gladio spiritali.
D Quamvis enim inermis oculis hominum videretur, satis tamen erat gratia divinitatis armatus. Verum ipse spiritalis gladius non fuit gladius; non enim gladio Golias, sed lapide prostratus occubuit. Legimus in Scripturis lapidis vocabulo Christum figuraliter designari, sicut ait propheta: *Lapidem quem reprobaverunt ædificantes, hic factus est in caput anguli.* Igitur cum lapide Golias percutitur, Christi Ps. CXVII, 22.
virtute prosternitur. Et in qua tandem corporis parte percutitur? In fronte scilicet: gentilis enim
E et sacrilegus homo ibi percutitur a Christo, ubi deerat Christus; et ibi infertur ei mortis exitium, ubi signum salutis non invenitur. Quamvis enim esset Golias undique armorum protectione munitus, frons tamen ejus patebat ad mortem, quia signaculum Salvatoris non gestabat. Atque ideo ibi perimitur, ubi nudus a Dei gratia reperitur.

4. Hæc autem in figura facta esse nemo est, qui nesciat. Nam et David armorum indumentis sese ante præcinxerat: sed cum esset in iis gravis et I Reg. XVII, 39.
F impeditus, ita ut ambulare vix posset, eadem sine cunctatione projecit, significans arma illa hujus mundi vana et luxuriosa esse opera, in quibus qui sese permiscere voluerit, tamquam gravis et gradiendi ad cœlum cursum liberum non habebit. Simul et illud nos docuit, quod non in armis tantum speranda victoria est, sed in nomine Salvatoris oranda.

SERMO LXIII.

De Servo centurionis in Evangelio in dedicatione Basilicæ.

G *Hic sermo in dedicatione Ecclesiæ habitus cognoscitur, sed præter stylum ab Ambrosiano abhorrentem, et Paulini de hac dedicatione*

[1] Cod. Lugd., *Sed hæc causa est, quanto proximi sumus a mundi excidio, tanto magis a regno,* etc.
[2] Ita mss.; omnes vero edit., *ille tamen deserit sempiternum.*
[3] Codex Lugd., *quoddam commotionis.*
[4] Omnes edit., *priores viros:* aptius mss., *primores viros.*

silentium, cum neque de reliquiis illic detectis, neque de sanctis ejusdem Basilicæ patronis quidquam dicatur, hanc consecrationem ab Ambrosio celebratam non esse abunde patet. Verum neque a quo Præsule, neque quo loco, neque quo tempore facta fuerit, hujus sermonis series prodit (Edit. Maur.).

1. Legimus in sancto Evangelio, cum centurionis cujusdam servus, qui erat illi pretiosior, gravi paralysis ægritudine laboraret, et per seniores Judæorum ille centurio rogaret Salvatorem ut ejus doloribus mederetur *(erat enim,* ut ait Scriptura, *moriturus),* inter cætera ad majorem commendationis gratiam seniores Judæorum dixisse Domino: *Dignum est, ut hoc illi præstes; diligit enim gentem nostram, et Synagogam ipse ædificavit nobis.* Si ergo commendatur Domino, qui ædificavit Synagogam, quanto est commendatior, qui ædificavit Ecclesiam! Et si is meretur gratiam, qui impietatis receptaculum præstitit; quanto majorem meretur gratiam, qui religioni domicilium præparavit! Et si ille cœlesti misericordia visitatur, qui construxit locum, ubi Christus semper negatur; quanto magis visitandus est,[1] qui fabricari fecit tabernaculum, ubi Christus quotidie prædicatur!

Luc. VII, 7 et seq.

Luc. VII, 4.

2. In centurione enim Dominus non quid operis fecerit, sed qua mente operatus sit, comprobavit. Nam qui id temporis quo nondum christiani erant, sollicite Synagogam fecit; si fuissent utique christiani, intelligitur quod multo sollicitius fecisset Ecclesiam. Sed tamen licet Synagogam ædificet, Christum prædicat: in ipso enim opere commonet pharisæos debere illos suscipere Salvatorem; et demonstrat propterea se tabernaculum amplius addidisse, ut multipliciter ibi Domini gloriam loquerentur. Si enim credit in Christum conditor Synagogæ, multo magis credere debet habitator ipsius Synagogæ.

3. Centurio ergo si justificatus est propter opus fragile vel terrenum, justificandus plane vir clarissimus et providentissimus Comes noster, propter opus tam perpetuum vel cœlestæ: qui comes sicut est centurione dignitate potior, ita et fide debet esse devotior. Sapiens vir et religiosus comes, qui quantum in bello imperatori militat, tantum et in pace militat Salvatori; et quantum festinat de hostium manibus captivos eruere, tanto magis festinat a diaboli se sacrilegio liberare. Ibi inimicos terreni regis interficit; hic adversarios Domini cœlestis insequitur: ibi barbaros vincit, hic dæmones. Sapiens, inquam, qui sicut comes imperatoris est, ita et comes Christi esse desiderat. Nam bene utique et religiose agendo, dignitatem suam cupit esse perpetuam, secundum quod scriptum est in propheta: *Et vos, o boni reges, bonas facite vias vestras et studia vestra, et audite vocem Domini Dei vestri; et pœnitebit Dominum mali, quod locutus est adversus vos.*

Jerem. XXVI, 13.

4. Ergo cum centurio rogaret Dominum, ut de morte erueret ægrotantem, et vellet Dominus ad domum centurionis pergere, in qua servulus decumbebat, ait centurio: *Domine, non sum dignus ut intres sub tectum meum.* Excusat igitur centurio, et ne sub tectum ejus ingrediatur Dominus, indignum se dicit. Ecce dignus est comes noster, sub cujus tectum hodie Salvator ingreditur.

5. Videamus ipsa centurionis excusatio quam habeat gratiam; ait enim: *Domine, non sum dignus ut intres sub tectum meum: sed dic tantum verbo, et sanabitur puer meus.* O fides christiana, quæ cum humilitate totum impetrare consuesti! Ecce religiosus centurio ad accipiendam salutem dignior fit, dum se profitetur indignum; et dum ædes suas injuriosas putat, magis eas honorificas fecit et gratas. Magnæ enim et perfectæ fidei vir,[2] qui intelligeret Christum Dominum cœlorum esse, dum verebatur ne hospitii sui eum angusta non acciperent. Ergo contradicente centurione, non pergit ad domum Dominus. Non pergit Dominus, sed pergit Domini medicina: non visitat ægrum Salvator, sed visitat sanitas Salvatoris.

Matth. VIII, 8

6. De fratribus vero nostris sanctis viris Vitalino et Majano quid dicam? Scio illos gloriam ab hominibus non quærere, nisi a solo Deo: sed tamen laudem eorum etsi ego taceam, ipsa opera loquuntur; ad ipsorum enim laudem pertinet, quidquid in aliis paulo ante laudavimus. Nam hoc tabernaculum etsi plurimi construxerunt, hi tamen sumptu operati sunt uno assensu. Et quo tandem sumptu, cum sint in sæculo mediocres et tenues? Illo scilicet, de quo ait Apostolus: *Abundantia fidei, et divitiis simplicitatis.* Est enim sanctis viris semper dives ipsa paupertas. Unde credo hos beatos hanc Ecclesiam non minus orationibus, quam impendiis fabricasse; sic enim oportebat ut opus Christi precibus magis cresceret, quam cæmentis. Totam enim substantiam et in hujus facturam operis expenderunt, et ipsis certe nihil deest. Ipsa plane est, sicut diximus, dives locuplesque paupertas, quæ expendit omnia, et possidet omnia. Sed hæc a Deo benedicta est, sicut illa vidua, de qua dicit Dominus in Evangelio: Mulier hæc vidua pauper plus quam omnes misit; nam omnes hi ex abundanti sibi miserunt in munera Dei, hæc autem totum victum suum quem habuit, misit.

II Cor. VIII, 2.

[1] Ms. Lugd., *qui fabrefecit tabernaculum.*

[2] Cætera usque ad finem hujus sermonis in cod. Lugd. desunt.

PRÆFATIO
IN EPISTOLAS EX AMBROSIANARUM NUMERO SEGREGATAS.

Sequentia exponunt Maurini Editores de hujusmodi epistolis, quarum priorem et nos omittimus, ceteras et ipsi damus:

« Quinque epistolas ex Ambrosianarum catalogo duximus eximendas, quarum duæ priores, nimirum *Ad sacram virginem Demetriadem*, et *Ad virgines sacras*, in omnibus operum sancti Ambrosii editionibus vulgatæ fuerant; tres vero posteriores, videlicet: *de Inventione sanctorum Gervasii et Protasii; de Inventione sanctorum Vitalis et Agricolæ*, atque epistola *ad Florianum*, a Romanis editoribus primum in lucem emissæ sunt. De singulis censuram nostram breviter subjicimus, ut lector intelligat quibus momentis ad eas abdicandas simus inducti.

« Epistolam *ad Demetriadem* omnes eruditorum centuriæ Ambrosio abjudicant, quorum judicium ratum esse debere quidquid legentibus illic occurrit, aperte probat: maxime vero quæ disputantur de Pelagianis Doctore nostro posterioribus. Eamdem ante aliquot annos Leoni Magno conatus erat asserere in sua operum ejusdem Pontificis editione Quesnellius; in quem nuper Anselmus insurgens magnis animis, illam populari suo Prospero cum aliis non paucis credidit vindicandam. Quilibet ea in contentione utri voluerit parti sese adjunget; nos enim dum constet Ambrosii non esse, haud refragabimur. Cum porro eadem epistola multis in locis apud alios ab Ambrosio Patres edita fuerit, inutili pondere gravare videremur nostrum hoc volumen, si denuo ipsam recudere animus esset.

« Quamobrem quatuor earum quas hic dabimus, ordinem ducet, quæ *virginibus sacris* destinata est. Hæc autem cum aliorum calculo rejicitur, tum a Baronio ipso dicitur *perperam Ambrosii nomine consignata*. Unde non mirari profecto non possumus quid viris doctissimis, qui operis a Bollando incœpti molem humeris exceperunt, venerit in mentem, cum eam epistolam sub ejusdem Ambrosii nostri nomine typis expresserunt. Advertere sane debuerunt auctorem ejus prorsus ignarum exstitisse illorum morum, qui temporibus sancti Antistitis Romæ obtinebant. Nam alioqui numquam scripsisset, quod legimus sub finem epistolæ: *Perseveravit*, inquit, *Constantia in virginitate, per quam multæ virgines et mediocres et nobiles et illustres sacra velamina susceperunt*. Quam enim hoc vanum ac futile sit, ex Hieronymi cognoscitur testimonio, ubi sic ait: *Nulla eo tempore nobilium feminarum voverat Romæ propositum monachorum, nec audebat propter rei novitatem ignominiosum, ut tunc putabatur, et vile in populis nomen assumere*. Ergo si cui Ambrosio tribuenda erit hæc epistola, censuram amplectemur Joannis Bandini ad marginem ejusdem epistolæ in Vaticano codice exaratam, unde eam amica manu descriptam habuimus in hæc verba: *Non est Ambrosii Mediolanensis, sed alterius cujusdam Ambrosii monachi, qui hunc sermonem græce scripsit. Exstat in bibliotheca Vaticana, et postmodum in latinam linguam conversus est ab alio.*

Ad annum 324, num. 107.

Epist. *de laudibus Marcellæ*.

« Quod spectat ad reliquas tres illas, quas in Romana editione primum prodiisse supra diximus, quisquis easdem cum aliquibus vere Ambrosianarum contendere instituerit, statim agnoscet quanto discrimine invicem abhorreant. Ut vero id apertius clariusque sit, quæ in prima illarum de inventione corporum Gervasii et Protasii referuntur, cum iis quæ de hac ipsa inventione Augustinus, Paulinus, atque adeo ipsemet Ambrosius memorant, conferantur. Non diffitendum tamen locum ex hac eadem epistola in fragmento Orationis Joannis Damasceni *de Imaginibus* citatum reperiri. Sed nihil aliud ex hoc probare possis, nisi jam inde ab ætate ejusdem sancti, si tamen ejus vere sit illud fragmentum, illam epistolam Ambrosii nomine circumferri consuevisse. Nec vero obscurius videtur sequentem alicujus esse consarcinatoris, qui Ambrosii narrationem, qua Vitalis atque Agricolæ martyrum inventionem in *Exhortatione Virginitatis* descriptam reliquit, partim addendo, partim mutando, partim transponendo interpolavit. Huc adde Gregorii Turonensis auctoritatem diserte affirmantis ætate sua martyrum quidem Gervasii atque Protasii Acta extitisse, non vero Vitalis et Agricolæ. Postremo Epistola quæ in Romana editione *Flaviano* inscribitur, in codice autem Regiæ Bibliothecæ vix ducentis annis superiore: *De moribus et honesta vita;* licet utrobique Ambrosii nomen in fronte ferat, huic tamen titulo ejusdem stylus ac ingenium plane reclamant ».

Lib. I *de Gloria Mart.* cap. 41 et 47.

Quoad epistolam tamen quæ *Exhortatio ad Virgines* inscribitur, animadvertimus, illius a Maurinis superius memoratæ Bandinii notæ cl. Mazochium nullam habuisse rationem. Immo vero ab eodem refutatur, quia revera græcum exemplar non textum originalem, sed translationem ex originali latino exhibere potuit. Ipse autem quia in sancti Maximi sermone quædam conveniunt cum hujus suppositæ epistolæ textu, et ad hanc idem Maximus provocare videtur vocibus *ut legitur*, opinatur, priorem partem istorum *Actorum* jam extitisse cum Maximus scriberet, et quidem eadem fere forma qua ab epistolæ auctore in hanc recepta est; sed quia in suo Sermone Maximus nullatenus memorat miram visionem quam Agnetis parentes (id est cognatos) ad hujus tumulum habuisse epistola enarrat, neque aliam similem qua Constantia magni Constantini filia valetudinem ab Agnete recuperasset, prout iterum epistola habet; ideo infert partem *Actorum* secundam post ipsum Maximum conscriptam esse, cum in suis de Agnete laudibus tam insignia portenta Maximus silentio nullatenus præteriisset si ea in Actis descripta præ oculis habuisset. Unde conjicit prælaudatus Mazochius, epistolæ auctorem hanc ex utroque antiquiori et recentiori libello consarcinasse, atque hinc explicari rerum verborumque similitudinem quæ eam inter et Maximi sermonem interdum deprehenditur.[1] Quia vero supposititius Ambrosius, qui initio se *episcopum* dicit, et ideo videri

[1] Ut notatum jam est, hic sermo in pluribus convenit, interdum etiam in verbis, cum Agnetis Actis quæ supposita Ambrosii epistola continentur. Primo editus fuit in *Bibliothecæ Patrum* lugdunensi, et quidem inter s. Maximi taurinensis conciones auctoritate membranarum ejus nomen referentium, quam auctoritatem et plena styli consonantia cum aliis Maximi operibus apprime firmabat. Latuit tamen id Maurinos Ambrosii Editores, qui hunc nacti sermonem in tribus codicibus Ambrosii nomen prodentibus, cum tamen ex nimis aperta ab Ambrosiano stylo dissonantia ne illum Ambrosio adjudicarent retinerentur, in Appendice ut opus incerti auctoris excuserunt, non ita in hoc satis sagaces ut eum Maximi fœtum esse comperirent, sicut et alios Ambrosio antea adscriptos rite Maximo attribuerunt. Serius Tillemontius (in Agnete, nota 1) absque ambagibus concionem hanc Maximo ademit. Sed Mazochius satis superque demonstrat eam vere Maximo esse accensendam (nota 25, cap. IV Additamentorum de s. Agnete). Etiam Bollandus sermonem hunc invenerat manu exaratum, sed quia nullum auctoris nomen præseferebat, pariter ut incerti auctoris eum vulgavit. Agnetis Acta, quæ modo habentur, eo posteriora esse, ostensum jam fuit, et quomodo Mazochius affinitatem hæc inter illumque intercedentem explicaverit, æque propositum est in hac ipsa Præfatione ad epistolas Ambrosio falso tributas.

vult non alius a Doctore nostro, epistolæ auctor, scripsit: « Hæc ego Ambrosius servus Christi, dum in *volu-* « *minibus abditis* invenissem scripta, non sum passus infructuoso silentio tegi »; et ideo propter ea verba *voluminibus abditis,* quæ libros *privatos*, apocryphos in mitiori sensu, significant, qui nempe in ecclesiarum pluteis publice legendi asservandi non essent, ad Gelasii decretum de canonicis et apocryphis scripturis aliqua ratione alludere videtur; hinc rursus non injurie opinatur Mazochius hanc epistolam sexto decurrente sæculo confectam esse. Quæ suppositio ex eo firmatur quod s. Adhelmus, qui vixit eodem sæculo exeunte et septimo exordiente, ex illa absque dubio omnia hauserit quæ de Agnete et de Constantia, ut ejus ecclesiæ fundatrice, conscripsit. Superadduntur vero et ex eloquio suppositionis indicia quæ apud ipsum Mazochium videre est.

Kalend. Neapol., Addit Jun. De s. Agnete V. et M.

Neque hæc supposititia epistola et *abdita volumina* e quibus conflata fuit, illudendi consilio scripta censenda sunt. Sed quæ veris factis hominum phantasia paullatim addebat, aut quæ ex falso aliquo supposito conjiciebantur, nimia credulitate scriptis consignata, etiam præclari alicujus viri nomine usurpato disseminabantur, ut plenam inde fidem sibi comparando majorem ædificationis gignerent fructum. Sed quia sancta Dei Ecclesia ædificationem e veritate tantum eliquata requirit, ideo in romano concilio per memorato jam Gelasii pontificis decretum declaratum est: « Gesta ss. Martyrum, quæ multiplicibus tormentorum cruciatibus, et mirabilibus confessionum « triumphis irradiant.... singulari cautela in Romana Ecclesia non leguntur; quia et *eorum qui conscripsere* « *nomina penitus ignorantur;* et ab infidelibus et idiotis superflua aut minus apta, quam rei ordo fuerit, esse « putantur ». De Constantia vero, quæ in hac epistola memoratur, in apposita nota serius dicemus.

Nos demum et aliam addimus epistolam a cl. cardinali Majo e quodam Vaticano cod. erutam atque in T. VII suæ *Scriptorum Veterum Novæ Collectionis* (pagg. 159-161), editam, quæ internos omnes profert genuinitatis characteres, quæque etiam ad calcem editionis Mignii excepta fuit. Non tamen cum aliis omnibus certis Ambrosii episcopis collocavimus, ne statutum jam earum a Maurinis ordinem turbaremus.

EPISTOLÆ
EX AMBROSIANARUM NUMERO SEGREGATÆ.

EPISTOLA I.

Antequam Agnæ virginis martyrium describatur, amor in eam filii præfecti, ejusque repulsa memoratur. Hinc adjicitur virginis condemnatio ad lupanar, et inter miracula divinitus propter eamdem puellam perpetrata adolescentis in eam depereuntis interitus, atque ad vitam revocatio. Tum sequitur virginis ob ethnicorum seditionem condemnatio ad rogum, ejusque in mediis ignibus illæsæ permanentis cruenta cædes. Mox paganorum in christianos ad Martyris tumulum orationi instantes furore declarato, nex Emerentianæ, et Constantiæ Augustæ sanitas restituta, nec non ab eadem principe templum liberatrici suæ ædificatum, et ipsius cum aliis pluribus virginitatis propositum enarratur (Edit. Maur.).

Ambrosius episcopus servus Christi virginibus sacris.

Diem festum sacratissimæ virginis celebremus: hinc psalmi resonent, inde concrepent lectiones: hinc populorum turbæ lætentur, inde subleventur pauperes Christi. Omnes ergo gratulemur in Domino, et adædificationem virginum qualiter passa sit Agnes beatissima, ad memoriam revocemus.[1] Tempore illo erat quædam virgo Romæ nobilibus orta natalibus, nomine Agnes, quæ certans contra principes et potestates tenebrarum, tertiodecimo ætatis suæ anno mortem perdidit, et vitam invenit, quia solum vitæ dilexit Auctorem. Infantia quidem computabatur in annis, sed[2] erat senectus mentis in moribus: corpore quidem juvencula, sed animo cana. Pulchra facie, sed pulchrior fide, et elegantior castitate.

2. Quæ dum a scholis reverteretur, a præfecti Urbis filio adamatur.[3] Cujus parentes cum requisissent, et invenissent, cœperunt pulchra offerre, et pulchriora promittere. Denique detulerant secum pretiosissima ornamenta, quæ a beata Agne veluti quædam stercora sunt recusata. Unde factum est ut juvenis majori perurgeretur amoris stimulo, et putans eam juvenis meliora velle accipere ornamenta,[4] omnem lapidem pretiosum secum defert, et gloriam; et per se ipsum, et per amicos, et per notos, et affines, cœpit aures virginis appellare, divitias, domos, possessiones, familias, atque omnes hujus mundi delicias repromittere, si consensum suum ejus conjugio non negasset.

3. Ad hæc beata Agnes tale fertur juveni dedisse responsum: Discede a me, fomes peccati, nutrimentum facinoris, pabulum mortis: discede a me, quia jam ab alio amatore præventa sum, qui mihi satis meliora obtulit ornamenta, et annulo fidei suæ subarrhavit me, longe te nobilior et genere et dignitate. Ornavit inæstimabili dextrocherio dexteram meam, et collum meum cinxit lapidibus pretiosis. Tradidit auribus meis inæstimabiles margaritas, et circumdedit me vernantibus atque coruscantibus gemmis. Posuit signum in faciem meam, ut nullum præter ipsum amatorem admittam. Induit me cyclade auro texta, et immensis monilibus ornavit me. Ostendit mihi thesauros incomparabiles, quos

[1] *Tempore illo erat.... et potestates tenebrarum*, e Noalliano cod. restituuntur.

[2] Omnes edit., *sed mentis senectus erat immensa;* melius vero cod. Noall. ut in contextu.

[3] Ita cod. Noall.; omnes autem edit., *cujus parentes dum requisisset, et invenisset, cœpit offerre plurima, et plura promittere.*

[4] Omnes edit., *omnium lapidum pretiosorum secum detulit gloriam.*

mihi se daturum repromisit, si in ejus perseveravero amore. Non ergo potero ad contumeliam prioris amatoris vel aspicere alium et illum relinquere, cum quo sum charitate devincta; cujus est generositas celsior, possibilitas fortior, aspectus pulchrior, amor suavior, et omni gratia elegantior. A quo mihi jam thalamus collocatus est, cujus mihi organa modulatis vocibus resonant: cujus mihi virgines justissimis vocibus cantant. Jam mel et lac ex ore ejus suscepi, jam amplexibus ejus castis astricta sum, jam corpus ejus corpori meo sociatum est, et sanguis ejus ornavit genas meas. Cujus mater virgo est, cujus pater feminam nescit; cui angeli serviunt, cujus pulchritudinem sol et luna mirantur, cujus odore reviviscunt mortui, cujus tactu confortantur infirmi, cujus opes numquam deficiunt, cujusque divitiæ numquam decrescunt. Ipsi soli servo fidem meam, ipsi me tota devotione committo. Quem cum amavero, casta sum; cum tetigero, munda sum; cum accepero, virgo sum. Nec deerunt post nuptias filii, ubi partus sine dolore succedit, et fecunditas quotidiana cumulatur.

4. Audiens insanissimus juvenis, amore carpitur cæco, et inter angustias animi et corporis anhelo cruciabatur spiritu. Inter hæc lecto prosternitur, et per alta suspiria amor a medicis aperitur. Fiunt nota patri, quæ fuerant inventa a medicis, et eadem paterna voce, quæ fuerant jam dicta a filio, ad petitionem virginis revolvuntur. Abnegat Agnes beatissima, et se nullo pacto prioris asserit sponsi
1 fœdera violare. Cumque pater diceret[1] in fascibus se constitutum præturam agere, et idcirco quemvis etiam illustrem virum minime sibi debere præferri; cœpit tamen vehementissime inquirere quis esset sponsus, sancta cujus Agnes potestate gloriaretur. Tunc exstitit quidam ex parasitis ejus, qui diceret hanc christianam esse ab infantia, et magicis artibus ita occupatam, ut dicat Christum sponsum suum esse.

5. Audiens hæc Symphronius præfectus lætus efficitur, et missa apparitione cum grandi strepitu, suis eam tribunalibus præcepit sisti. Et primo quidem blandis eam sermonibus secretius provocat, deinde terroribus pulsat. Sed virgo Christi nec blandimento seducitur, nec terrore concutitur: sed eodem vultu, eodem animo perseverans, et terrentem similiter sicut blandientem animo deridebat. Videns itaque Symphronius præfectus tantam in puella constantiam, parentes ejus alloquitur; et quia erant nobiles, et vim eis inferre non poterat, titulum eis christianitatis opposuit. Sequente autem die Agnem sibi præsentari jubet; et iterum iterumque repetens, replicare cœpit de juvenis amore sermonem.

6. Cumque omnes sermones ejus casso labore deficerent, sisti eam suis tribunalibus jussit, cui et dixit: Superstitio christianorum, de quorum te magicis artibus jactas, nisi a te fuerit segregata, non poteris insaniam abjicere pectoris, neque æquissimis consiliis præbere consensum. Unde te ad venerabilem deam Vestam properare necesse est, et si perseverantia virginitatis placet, ejus die nocteque sacrificiis reverendis insistas. Ad hæc beata Agnes respondit: Si filium tuum, quamvis iniquo amore

A vexatum, tamen viventem hominem recusavi, hominem utique qui est rationis capax, qui et audire, et videre, et palpare, et ambulare potest,[2] et ful- 2
gore lucis hujus cum bonis perfrui: si ergo hunc causa amoris Christi nulla possum ratione respicere; quomodo possum idola muta et surda, et sine sensu et sine anima colere, et ad injuriam summi Dei cervicem meam vanis lapidibus inclinare?

7. Audiens hæc præfectus Symphronius dixit: Cupio[3] præbere consultum infantiæ tuæ, et adhuc 3
B te deos blasphemantem idcirco differo, quia annos tuos infra sensum aspicio. Noli ergo temetipsam ita despicere, ut motus deorum incurras. Beata Agnes respondit: Noli infantiam corporalem ita in me despicere, ut putes me te velle habere propitium. Fides enim non in annis, sed in sensibus geritur; et Deus omnipotens mentes magis comprobat, quam ætates. Deos autem tuos, quorum motus me incurrere non vis, ipsis irasci permitte, ipsis loqui jube: ipsi hoc mihi præcipiant, ipsi jubeant se coli,
C ipsi jubeant adorari. Verum quoniam ad hoc video te tendere, quod impetrare non poteris, quidquid tibi videtur, exerce.

8. Symphronius præfectus dixit: Unum tibi e duobus elige: aut cum virginibus deæ Vestæ sacrifica, aut cum meretricibus scortaberis in contubernio lupanari. Et longe erunt a te christiani, qui te ita magicis artibus imbuerunt, ut hanc calamitatem intrepido animo te posse perferre confidas. Unde, ut dixi, aut sacrifica deæ Vestæ ad
D laudem generis tui; aut ad ignominiam natalium tuorum eris publicæ abjectionis scortum. Tunc beata Agnes cum ingenti constantia dixit: Si scires quis est Deus meus, non ista ex ore tuo proferres. Unde ego, quia novi virtutem Domini mei Jesu Christi, secura contemno minas tuas, credens quod neque sacrificem idolis tuis, neque polluar sordibus alienis; mecum enim habeo custodem corporis mei angelum Domini. Nam unigenitus Dei Filius, quem ignoras, murus est mihi inexpugnabilis, et custos
E mihi est numquam dormiens, et defensor mihi est numquam deficiens: dii autem tui aut ærei sunt, ex quibus cacabi melius fiunt ad usus hominum; aut lapidei,[4] ex quibus plateæ melius sternuntur 4
ad evadendum lutum. Divinitas autem non in lapidibus vanis habitat, sed in cœlis: non in ære aut aliquo metallo, sed in regno superno consistit. Tu autem et similes tui, nisi ab istorum cultura recesseritis, similis vos pœna concludet; sicut enim illi igne conflati sunt, ut funderentur; sic colentes
F eos perpetuo incendio conflabuntur, non ut fundantur, sed ut confundantur in æternum, et pereant.

9. Ad hæc insanus judex jussit eam exspoliari, et nudam ad lupanar duci, sub voce præconis dicens Agnem sacrilegam virginem, deos blasphemantem, scortum lupanaribus datam. Statim autem ut spoliata et crine soluta est, tantam densitatem capillis ejus divina gratia concessit, ut melius videretur fimbriis eorum, quam vestibus tecta. In-
G gressa autem turpitudinis locum, angelum Domini illic ita paratum invenit, ut circumdaret eam immenso lumine, ita ut nullus posset eam præ splen-

[1] Ita cod. Noall.; editt. vero, *in fascibus præfecturæ se agere.*

[2] Omnes edit., *et flore lucis hujus cum bonis frui;* cod. Noall., *et fulgore,* etc.

[3] Ita cod. Noall., at editt.: *Cupio consultum,* etc.

[4] Omnes edit., *ex quibus sternuntur plateæ;* alia e memorato cod. addita sunt.

dore respicere, nec contingere, nec videre. Fulgebat enim tota cella illa, quasi radians sol in virtute sua; et quanto quis curiosior esse voluisset, tanto sui visus aciem obtundebat. Cumque se in orationem Domino prostravisset, apparuit ante oculos ejus stola candidissima, et apprehendens eam induit se, et dixit: Gratias tibi ago, Domine Jesu Christe, qui me in numero ancillarum tuarum computans, vestem hanc mihi largiri præcepisti. Ita namque ad mensuram corpusculi ejus aptum erat indumentum, et ita nimio candore conspicuum, ut nullus dubitaret hoc angelicis manibus præparatum. Interea lupanar efficitur locus orationis, in quo [1] omnes qui fuissent ingressi, adorarent et venerarentur, dantes honorem Deo pro immenso splendore, et mundiores egrederentur foras, quam fuerant intus ingressi.

10. Cumque hæc agerentur, præfecti filius qui auctor erat hujus sceleris, venit ad locum cum sodalibus suis juvenculis, quasi insultaturus puellæ, cum quibus libidinis suæ se posse credebat ludibrium exercere; [2] sed ingressus, ut misit ante se pueros ferventes et turpiter sævientes, cum nimia autem veneratione et ingenti admiratione egressos cœpit impotentes arguere, atque vanos et molles ac miseros judicare. Et irridens eos, locum in quo virgo adorabat, audacter ingressus est; et videns tantum lumen circa eam, non dedit honorem Deo: sed irruens in ipsum lumen, priusquam vel manu eam contingeret, cecidit in faciem suam, et præfocatus a diabolo exspiravit. Videntes autem socii ejus, quod moras intus innecteret, putabant obscœnis eum operibus occupatum. Et ingrediens unus ex juvenibus, qui ei familiarior erat, ut quasi congratularetur insultationi ejus, et mortuum eum inveniens, exclamavit voce magna, dicens: Piissimi Romani, succurrite: magicis artibus ista meretrix præfecti filium interfecit. Fit repente concursus populorum ad theatrum, et varia furentis populi acclamatio. Alii dicebant magam, alii innocentem, alii sacrilegam conclamabant.

11. Præfectus autem audiens filium suum interiisse, cum ingenti tumultu ac luctu venit ad theatrum; et ingressus locum, in quo corpus filii ejus jacebat exanime, cum magno clamore dicebat beatissimæ virgini: Crudelissima omnium feminarum, ad filium meum voluisti apodixin tuæ artis magicæ demonstrare; et cum talia atque alia hujuscemodi innecteret, et causam mortis ejus ab ea vehementer inquireret, ait ad eum beatissima Agnes: Ille cujus voluntatem volebat perficere, ipse in eum potestatem accepit. Quare autem omnes qui ad me ingressi sunt, sani egressi sunt? Quia omnes dederunt honorem Deo, qui misit angelum suum, et induit me hoc indumento misericordiæ suæ, et custodivit corpus meum, quod ab ipsis cunabulis Christo consecratum est et oblatum. Videntes autem splendorem angelicum, adorabant omnes, et abscedebant illæsi: hic autem impudens statim ut ingressus est, sævire cœpit et fremere; cumque manum suam ad me contingendam aptaret, dedit eum angelus Domini in reprobam, quam conspicis, mortem.

12. Dicit ei præfectus: In hoc apparebit quia non magicis artibus ista gessisti, si deprecata fueris ipsum angelum, ut restituat mihi filium meum sanum. Cui beata Agnes respondit: Licet fides vestra hoc impetrare non mereatur a Domino; tamen quia tempus est ut virtus Domini mei Jesu Christi manifestetur, egredimini omnes foras, ut solitam ei orationem offeram. Cumque universi foras fuissent egressi,[3] prosternens se in faciem pavimenti, rogare cœpit Dominum, ut juvenem suscitaret. Orante autem illa, apparuit ei angelus Domini, et levavit eam flentem, et confortans animum ejus, juvenem suscitavit. Qui egressus foras cœpit voce publica clamare et dicere: Unus est Deus in cœlo et in terra et in mari, qui est Deus christianorum; nam omnia templa vana sunt: dii qui coluntur, omnes vani sunt, et penitus nec sibi possunt, nec aliis aliquod auxilium exhibere.

13. Ad hanc vocem omnes haruspices et templorum pontifices conturbabantur, et fit per eos vehementior quam fuerat, seditio populorum, atque omnes una voce clamabant: Tolle magam, tolle maleficam, quæ et mentes mutat, et animos alienat. Præfectus autem videns tanta mirabilia, obstupuit: sed veritus proscriptionem, si contra templorum pontifices ageret, et Agnem contra suas sententias defensaret, vicarium suum ad seditionem populi judicem dereliquit, ipse autem tristis abscessit, quod eam non potuit post resurrectionem filii sui liberare. Tunc vicarius, Aspasius nomine, [4] populi seditionem non ferens, jussit in conspectu omnium ignem copiosum accendi, et in medium eam præcepit jactari flammarum. Quod cum fuisset impletum, statim in duas partes divisæ sunt flammæ, et hinc atque illinc seditiosos populos exurebant; ipsam autem penitus in nullo contingebat incendium. Et magis non hoc virtutibus divinis, sed maleficiis reputantes, dabant fremitus inter se populi, et infinitos clamores ad cœlum.

14. Tunc beata Agnes extendens manus suas in medio ignis, his verbis orationem fudit ad Dominum: Omnipotens, adorande, colende, tremende Pater Domini mei Jesu Christi, benedico te, quia per Filium tuum evasi minas hominum impiorum, et spurcitias diaboli impolluto calle transivi.[5] Ecce nunc sancti Spiritus rore cœlesti perfusa, resolutus est juxta me ignis, flamma dividitur, et ardor incendii hujus ad eos a quibus ministratur, effunditur. Benedico te, Pater prædicande, qui etiam inter flammas intrepidam me ad te venire permittis. Ecce jam quod credidi, video: quod speravi, jam teneo: quod concupivi, complector. Te confiteor labiis et corde, et totis visceribus concupisco. Ecce ad te venio vivum et verum Deum, qui cum Domino Jesu Christo Filio tuo, et cum Spiritu sancto vivis et regnas modo et semper per infinita sæcula sæculorum, amen.

15. Cumque complesset orationem, ita omnis ignis exstinctus est, ut nec tepor quidem incendii remansisset. Tunc Aspasius urbis Romæ vicarius, populi seditionem non ferens, in guttur ejus gladium mergi præcepit; atque hoc exitu, roseo sui

[1] Sic Noall. codex: editt. autem, *omnis qui fuisset ingressus, adoraret.... dans honorem immenso lumini, et mundior*, etc.

[2] Omnes edit., *et ingressos ante se furentes pueros, et turpiter sævientes cum omni veneratione;* etc. Noall. cod. ut in textu.

[3] Eadem edit., *prosternens se in faciem planam;* codex Noall.... *in faciem pavimenti.*

[4] *Populi seditionem non ferens* additur e cod. Noall.

[5] Omnes edit., *Ecce et nunc rore cœlesti perfusus per Spiritum sanctum focus juxta me moritur;* codex Noall. ut in corpore.

sanguinis rubore perfusam Christus sibi sponsam et martyrem dedicavit. Parentes vero ejus nullam penitus tristitiam habentes, cum omni gaudio abstulerunt corpus ejus, et posuerunt illud in prædio suo non longe ab Urbe, via quæ dicitur Numentana. Ubi cum omnis turba christianorum concurreret, insidias a paganis perpessi sunt; et videntes populum infidelium supervenientem armatum, omnes fugerunt; aliquanti vero lapidum ictibus læsi evaserunt.

16. Dum[1] orat inter tanta agmina collactanea ejus virgo sanctissima Emerentiana, constans stabat immobilis, et his verbis exprobrabat eis dicens: Superflui, miseri, caduci atque atrocissimi, Deum omnipotentem colentes occiditis, et pro defensione lapidum homines innocentes jugulatis. Hæc et his similia dum turbis furentibus diceret, lapidata est ab eis, et orans juxta sepulcrum beatissimæ Agnæ virginis, emisit spiritum. Non dubium est quod in suo sanguine sit baptizata, quæ pro defensione justitiæ, dum confiteretur Dominum, mortem constanter excepit. Eadem denique hora fit terræ motus vehementissimus; et cum nimia esset cœli serenitas, tantæ coruscationes, tantaque fulgura et tonitrua exstiterunt, ne pars maxima insani populi exspiraret. Unde factum est ut nullus penitus ex eo advenientibus ad sepulcra sanctorum aliquas molestias excitaret. Venientes autem parentes beatæ Agnæ virginis cum sacerdotibus nocte, abstulerunt corpus[2] Emerentianæ, et sepelierunt illud in confinio agelli beatissimæ virginis Agnæ.

17. Igitur dum parentes sanctæ Agnæ assiduis pernoctationibus vigilarent ad sepulcrum ejus, vident in medio noctis silentio exercitum virginum, quæ omnes auro intextis cycladis indutæ cum ingenti lumine præteribant: inter quas etiam vident beatissimam Agnem similiter fulgentem, et ad dexteram ejus Agnum stantem. Hæc dum viderent parentes ejus, et qui simul erant, quasi stupore mentis detenti sunt. Sed beata Agnes rogat sanctas virgines parumper gradum figere, et stans parentibus suis dixit: Videte ne me mortuam lugeatis, sed congaudete mihi et congratulamini; quia cum his virginibus lucidas sedes accepi, et illi sum juncta in cœlis, quem in terris posita[3] tota devotione dilexi. Et his dictis, pertransiit.

18. Hæc visio publice ab omnibus, qui viderant, divulgata est. Unde factum est ut post aliquantos annos ad Constantiam Augusti filiam hoc factum ab his qui viderant, narraretur. Erat enim ipsa Constantia virgo prudentissima, sed ita obsessa vulneribus, ut a capite usque ad pedes nulla membrorum pars libera remaneret. Accepta autem spe recuperandæ salutis, venit ad sepulcrum martyris nocte; et licet pagana, tamen credula animi intentione preces fideliter fundebat. Quod cum faceret repente somni suavitate corripitur, et videt per visum beatissimam Agnem talia sibi monita præferentem: Constanter age, Constantia, et crede Dominum Jesum Christum filium Dei esse Salvatorem tuum, per quem modo consequeris omnium vulnerum, quæ in corpore tuo pateris, sanitatem. Ad hanc vocem Constantia evigilat sana, et sic sana, ut nec signum in suis membris alicujus vulneris remaneret. Reversa igitur ad palatium sanissima, facit gaudium et patri suo Augusto, et fratribus suis imperatoribus. Coronatur civitas tota, fit[4] lætitia militibus et primatibus suis, atque universis audientibus hæc, infidelitas gentium confundebatur, et fides Dominica lætabatur.

19. Interea patrem et fratres Augustos rogat, ut basilicam beatæ Agnæ construerent,[5] et sibi illic mansionem collocari præcepit. Cucurrit autem hæc opinio ad omnes, et quotquot credentes ad ejus sepulcrum advenissent, salvabantur, quacumque infirmitate detenti essent. Quod facere Christum nullus dubitat usque in hodiernum diem. Perseveravit autem ipsa Constantia Augusti filia in virginitate, per quam multæ virgines et mediocres, et nobiles, et illustres sacra velamina susceperunt. Et quia fides mortis damna non patitur, usque in hodiernum diem multæ virgines Romæ Agnem beatissimam quasi in corpore manentem aspiciunt, et ejus exemplum agentes viriliter, et integre perseverant, credentes sine dubio quod perseverantes perpetuæ victoriæ palmam acquirant.

20. Hæc ergo Ambrosius servus Christi, dum in voluminibus abditis invenissem descripta, non sum passus infructuosa silentio tegi. Ad honorem igitur tantæ martyris sicut gesta ejus agnovi, conscripsi; et ad ædificationem vestram, o virgines Christi, textum passionis ejus credidi destinandum,[6] obsecrans virtutem Spiritus sancti, ut labor noster ad vestram imitationem fructum in conspectu Dei valeat invenire, cui honor et gloria in sæcula, amen.[7]

[1] Ita codex Noall.; omnes autem edit., *Emerentiana autem, quæ fuerat collactanea ejus, virgo sanctissima, licet catechumena, constanter stabat, intrepida et immobilis.*

[2] Editt., *sanctæ Emerentianæ virginis.*

[3] Eædem edit., *tota animi intentione dilexi.*

[4] Ita codex Noall.; editt. vero, *militantibus atquæ privatis.* De quo loco videsis notas Casauboni in Lampridium pag. 174.

[5] Editt., *Et sibi illis mausoleum collocari.* Consule Acta Liberii in Conciliis Phil. Labæi, pag. 37.

[6] Eædem edit., *obsecrans charitatem Spiritus sancti, ut labor noster in vestra imitatione fructum in conspectu Domini valeat invenire, amen:* codex vero Noall. ut nos in textu.

[7] De Constantia, quæ in præcedentibus proponitur ut Constantini Magni filia et perpetuam virginitatem in Christi fide professa, accurate disputatum est a Mazochio in operis sæpius memorati *Commentarii in marmoreum Neapol. Kalendarium* Volumine III, pag. 735, ac præcipue pag. 737 et sequentibus, ubi habetur de eadem apposita *Disquisitio.* Animadvertit igitur doctissimus vir duas fuisse Magno Constantino filias, Constantinam nempe atque Helenam, priorem nuptam Hannibaliano ac dein Gallo Cæsari, alteram Juliano, qui serius apostata. Constantinam seriores mss. Constantiam dicunt, sicut et voces Constantinus et Constantius promiscue in iisdem usurpati sunt. Uti certum vero admittit Mazochius quamdam extitisse Constantinam (sive Constantiam), et quidem consanguinitate cum augustali Constantini familia forte devinctam, quæ S. Agnetis (melius *Agnes*) visione fuerit recreata, et ideo templum Deo in ipsius Agnes honorem extruxerit, quæque virgo extiterit Christo sacrata; idque evincit testimoniis tunc Actorum martyrii Joannis et Pauli (sect. I, v. 9). tum inscriptionis acrosticæ, Damaso merito tributæ, quæ olim legebatur in ipso templo a Constantina ædificato. Hanc vero ipsam Constantinam, Constantini filium voluit Baronius Gallo nuptam, eique omnes post eum assensere eruditi. Sed merito animadvertit Mazochius, uni virgini convenire priora epigrammatis verba:

Constantina Deum venerans, Christoque dicata;

siquidem christiana denotatur verbis *Deum venerans*, aliis autem *Christoque dicata* significari non potest nisi professio virginitatis, ut de ipsa Agne dicitur prope finem ejusdem epigrammatis, *martyr, devotaque Christo;* atque solis etiam vocibus *virgo devota,* vel tantum *devota,* consuetum fuit denotare puellas quæ perpetuam castitatem pro Christo professæ erant. Notat postremo idem Mazochius verba initio Actorum Joannis et Pauli quibus dicitur: *Postquam Constantinus imp. migravit ad cœlos, et secuta est filia Constantina, dum esset pessimus Julianus,* quæ e subsequenti

EPISTOLA II.

(Alias LIII).

Cum beneficia Dei tegenda non sint, visionem narrat, qua sibi per quadragesimam Gervasius ac Protasius semel et iterum, tertia autem vice etiam Paulus apparuerat, ut eis post exhumatas ipsorum reliquias Ecclesia construeretur, imperans. Addit convocatis coepiscopis inventa esse sanctorum corpora, quorum conversionem, necem ac sepulturam ex schedula illic detecta refert. Quibus Vitalis ac Valeriæ martyrium etiam inseritur (Edit. Maur.).

Ambrosius servus Christi fratribus per omnem Italiam in Domino æternam salutem.

1. In divinis voluminibus reus subscribitur, qui non studuerit dare gratis, quod ipse gratis accepit: quidquid enim Ecclesiæ Domini profuturum erat, subtraxisse arguitur, cum noluerit tradere omnibus, quod ipse non celandum acceperit. Unde Psalmographus vates canit: *Justitiam tuam non abscondi in corde meo: veritatem tuam et salutare tuum dixi. Non celavi misericordiam tuam in concilio*
Ps. xxxix, 11. *multorum.* Et pro hoc opere quasi vicissitudinem a Deo postulans adjecit: *Tu autem, Domine, ne*
Ibid., 12. *elonges misericordiam tuam a me.* Quasi diceret Deo: sicut ego feci alios misericordiam invenire, ita et ipse non patiaris longe fieri misericordias tuas a me. Aperiamus ergo cur ista præmisimus, et vestros animos qui pie de Domino sentitis et creditis, de inventione sanctorum corporum ad lætitiam invitemus.

2. In diebus itaque transactæ nuper quadragesimæ, cum Dominus donasset mihi, ut jejunantium
1 et orantium[1] me faceret esse participem, in oratione positum ita me somnus oppressit, ut nec vigilans aperte, nec dormiens integre, viderem apertis oculis mecum duos juvenes ephebos vestibus candidissimis, id est, colobio et pallio indutos, caligulis calceatos, manibus extensis orantes. Nullam quidem gravedinem patiens, loqui cum eis non poteram: sed quia, ut dixi, pars in me somni incumbebat, quæ me ad eorum interrogationem verbum proferre non sineret. Plene autem evigilanti visio eorum ab oculis meis elapsa est.

3. Factum est proinde ut rogarem Domini misericordiam, ut si ludificatio dæmonum esset, abscederet; si vero esset veritas, plenius appareret. Ad impetrandum vero quæ poscebam a Domino augmentavi jejunium; similique modo, canente gallo, orantes mecum iidem juvenes apparuerunt.

4. In tertia vero nocte, defecto jejunio corpore, non dormienti, sed stupenti, cum quadam mihi tertia apparuere persona, quæ similis erat beato Paulo apostolo, cujus me vultum pictura docuerat, in tantum ut ipse mecum, illis tacentibus, loqueretur, dicens: Isti sunt qui monita mea secuti,
A prædia et divitias respuentes, secuti sunt Domini nostri Jesu Christi vestigia, nihil terrenum, nihilque carnale concupiscentes, in media hac Mediolanensi urbe per decem annos in Dei servitio perdurantes, ad hoc pertingere meruerunt, ut Christi martyres efficerentur. Quorum corpora in eodem loco invenies, in quo stas et oras. Duodecim pedum altitudine terra coopertam arcam invenies, quam arcam superius exaltabis, et in nomine eorum ecclesiam fabricabis. Cumque ab eo eorum nomina requirerem, dixit mihi: Ad caput eorum libellum scri-
B ptum invenies, in quo et ortus eorum, et finis scriptus est.

5. Convocans itaque omnes per circuitum fratres et episcopos urbium vicinarum, referens universa quæ videram, quæque audieram, ipsis coram positis, primus ego terræ fossor accessi; cæteri vero episcopi prosecuti, fodientes pervenimus ad arcam, quam sanctus promiserat Paulus: quam aperientes, invenimus quasi in ipsa hora positos
C sanctos miro odore flagrantes. Ad eorum caput libellum invenimus, in quo erant hæc per ordinem universa conscripta:

6. Ego servus Christi Philippus intra domum meam sanctorum corpora, quæ cum filio meo rapui, sepelivi. Quorum mater Valeria et pater Vitalis sunt dicti: quos uno ortu geminos genuere, et unum Protasium, alterum Gervasium vocaverunt. [2] 2

7. Quorum pater Vitalis milet consularis, cum fuisset cum Paulino judice suo Ravennam ingressus,
D et cœpisset Paulinus christianos ad sacrificandum requirere, oblatus est ei quidem christianus nomine Ursicinus, arte medicus, natione Ligur. Tunc jussit eum Paulinus in conspectu suo torqueri, dicens: Sacrifica, Ursicine, diis immortalibus. Ille autem respondens, dixit ad eum: Non sacrificabo surdis et mutis, sed sacrificabo Domino meo Jesu Christo. Et cum vidisset, quod eum mutare non posset a constantia sua, post nimia tormenta, jussit eum capitalem subire sententiam. Locus autem ille, ubi
E decollabantur christiani, hoc habebat vocabulum, ut diceretur, ad Palmam. Arbor enim antiqua palmæ illic erat.

8. Igitur cum, ut diximus, post nimia tormenta decollandus venisset sanctus Ursicinus ad Palmam, expavit; et dum vellet male evadere, exclamavit S. Vitalis dicens: Noli, noli, Ursicine medice, qui alios curare consuevisti, te ipsum æternæ mortis jaculo vulnerare; et qui per passiones nimias venisti ad palmam, coronam noli perdere a Domino
F præparatam. Audiens hæc sanctus Ursicinus, genu posuit, et spiculatorem, ut feriret, hortatus; agens pœnitentiam quod expavisset. Quem spiculator feriens, Christi martyrem fecit. Statimque sanctus Vitalis corpus martyris rapiens, intra Ravennensium urbem sepelivit cum omni honestate martyri debita, et ad judicem ultra sanctus Vitalis venire contempsit. Quem Paulinus consularis ideo maxime teneri mandavit; non tantum quia contempsit ad

contextu probarent ipsam Constantinam virginem Deo dicatam esse revera imperatoris Constantini filiam, nihil facere contra argumenta historica aliunde certa, quæ tertiam filiam virginitatem professam Constantino non consentiunt, ac verba *et secuta est filia Constantina* ab eo inserta esse, qui de filia Constantini intelligi voluit in spuriis Actis S. Gallicani quæ ibi leguntur de divitiis a Constantina Joanni et Paulo relictis, quibus ipsi *omnibus diebus turbam Christianorum pauperum recrearent.* De Agnes vero suppliciis videas quæ a laudato Mazochio diserte in eodem volumine disputantur a pag. 909 ad pag. 928 (Editor Mediolanensis).

[1] Deest in Rom. edit., *et orantium.*

[2] Rom. edit., *vocaverunt, cumque ab intestato Gervasius et Protasius, hoc est, patre sancto Vitale martyre, et matre sanctæ memoriæ Valeria defunctis, utrique patrimonio successissent, domum propriam,* etc. Nos vero duos codices Longipontinos, qui martyrium SS. Vitalis ac Valeriæ huic epistolæ inserunt, secuti sumus.

eum redire, verum quantum ob hoc quod christianus esset detectus.

9. Tunc ministri ejus rapientes eum, in conspectu ejus adduxerunt. Et videns eum Paulinus, ait ad eum: Quomodo maleficiis deceptus es, Vitalis, ut non sacrifices diis? Cui ille respondit: Non sacrifico surdis et mutis, sed sacrifico Deo meo, qui fecit cœlum et terram, mare et omnia quæ in eis sunt, et Jesu Christo filio ejus, qui cum eo et Spiritu sancto vivi et regnat. Tunc Paulinus jussit eum levari in equuleo, ut per tormenta ejus consensum ad sacrificandum compelleret. Sed sanctus Vitalis studuit, ut Deo redderet gemmam pretiosam, quam rapere diabolus studebat. Et respondens, ait ei: Infinita tibi dominatur stultitia: aut putas memetipsum posse decipere, qui alios a periculo mortis, vel deceptionis liberare studui?

10. Tunc Paulinus consularis dixit ad Officiarium: Ducite eum ad Palmam, et nolite decollare, si sacrificare contempserit: sed facite foveam in terra, tamdiu quo usque perveniatis ad aquam, et ibi eum supinum deponite, et terra atque lapidibus obrutum, ibi dimittite. Quod cum fuisset impletum, Deus sibi sanctum Vitalem ita martyrem consecravit, ut sacerdos Apollinis qui hoc consilium Paulino judici dederat, diabolo repletus, per septem dies energumenus clamaret ibi, ubi obrutus est sanctus Vitalis, dicens: Incendis me, martyr; crucias me, sancte. Post septem vero dies præcipitatus a diabolo in flumine, exspiravit. Sanctus autem Vitalis gloriosus martyr Christi, juxta civitatem Ravennensium præstat orationibus vel intercessionibus suis beneficia omnibus credentibus Jesum Christum usque in hodiernum diem.

11. Valeria autem conjux ejus, dum vellet corpus sancti Vitalis auferre, a christianis prohibita est, et in visionibus sæpe admonita, ne sanctum corpus a malo homine bene positum violaret. Sed illa in intentione perdurante, evidentius ei apparuit sanctus Vitalis, dicens ad eam: Noli mihi molesta esse, mulier; quia numquam mihi tam gloriosum poteris parare sepulcrum, quale mihi Dominus Jesus Christus fieri jussit.

12. Ipsa autem dum reverteretur ad urbem Mediolanensium, incurrit homines idololatras Silvano sacrificantes in itinere; quam cum vidissent, deponentes eam de vehiculo, hortabantur secum epulari. Cumque illa resistens, diceret: Christiana sum, non licet mihi de Silvani vestri sacrificiis manducare, statim illi hæc audientes, tanta eam cæde mactaverunt, ut vix eam seminecem sui homines ad Mediolanensium urbem perducerent, ita ut intra triduum migraret ad Christum.

13. Et posteaquam pater eorum beatus Vitalis martyrio est coronatus, atque beatissima mater Valeria migravit ad Christum, ab intestato jure Gervasius et Protasius parentibus successissent; domum propriam in qua nati fuerant, et res universas parentum, et casellulas venumdantes, dederunt omne pretium pauperibus, et familiolam suam ingenuam fecerunt; ipsique se in uno cœnaculo concluserunt, et per decem annos lectioni et orationi vacantes, hoc ordine in anno conversionis suæ undecimo ad palmam martyrii[1] pervenerunt.

14. Superveniente comite Astasio, qui proficiscebatur ad bellum, quod a Marcomanis fuerat excitatum,[2] occurrerunt ei templorum cultores cum sacerdotibus suis, dicentes: Si vis lætus ad Augustos nostro reverti et victor, Gervasium et Protasium diis nostris sacrificare compelle; vehementer enim dii nostri de eorum contemptu commoti, responsum nobis dare contemnunt.

15. Audiens hæc Astasius comes jussit eos teneri, et ad se adduci. Quibus dixit: Hortor vos ut deorum nostrorum injurias temperantes, ad immolandum eis devoti studeatis insistere; ut expeditio mea gnaviter celebretur. Beatus Gervasius dixit: Victoriam de cœlo debes ab omnipotente Deo requirere, non de simulacris immundis et vanis, quæ oculos habent sine lumine, aures sine auditu, nares sine odoratu, os sine sermone, manus sine tactu, pedes sine gressu, et ventrem absque interioribus probantur habere, et sine flatu esse noscuntur. Indignatus comes Astasius jussit eum tamdiu plumbatis tundi, quamdiu exhalaret spiritum.

16. Quo amoto, jussit sibi astare Protasium, cui dixit: Miser, vel tu vivere stude, et noli βιωθάνατος fieri, sicut et frater tuus. Cui Protasius respondens, ait: Quis est miser, ego qui non timeo, an tu qui me timere probaris? Comes dixit: Ego te quomodo timeo? Protasius respondit: In eo quod te times lædi, si non sacrificavero; si enim non timeres te lædi a me, me ad sacrificium non compelleres. Ego autem te non timens, contemno minas tuas, et omnia idola tua, quasi stercora computans, Deum solum qui regnat in cœlis, adoro.

17. Audiens hæc Astasius, jussit eum fustibus cædi. Postea vero erecto dixit: Miser, ut quid tam superbus et tam rebellis existis? Vis perire, sicut tuum probasti perire germanum? Protasius dixit: Non tibi irascor, nec ego, nec ipsa justitia; quoniam cæcos tui cordis oculos attendo: incredulitas enim, quæ in tuis sensibus regnat, non te permittit videre quod Dei est. Nam et Dominus meus Jesus Christus, crucifigentes se non maledixit: sed potius ut eis indulgeretur, oravit, addens et hoc, quia nescirent qui facerent. Unde et ego tui misereor, quia nescis quid facias. Age ergo quod cœpisti, ut mihi possit cum meo fratre Gervasio hodie benignitas Salvatoris nostri occurrere.

18. Tunc comes Astasius jussit eum capite cædi. Quod cum factum esset, ego Philippus abstuli cum filio meo furtim nocte sanctorum istorum corpora, et in domo mea, Deo solo teste, in ista arca saxea sepelivi, credens me orationibus eorum consequi misericordiam Domini nostri Jesu Christi, qui cum Patre et Spiritu sancto vivit et regnat in sæcula sæculorum, amen.

EPISTOLA III.

(*Alias LV*).

Martyrum Vitalis et Agricolæ, qui Bononiæ inter tumulos Judæorum sepulti erant, factam cum plausu christianorum, Judæorum admiratione, ac miraculis non paucis inventionem refert. Eosdem et a nomine et a constantia in suppliciis laudat; aliaque nonnulla subjicit ad eamdem rem pertinentia (Edit. Maur.).

[1] Rom. edit., *idola respuentes, sub Astasio comite in Mediolanensi civitate die kalendarum juniarum feliciter pervenerunt. Nam eo tempore superveniente*, etc.

[2] Eadem edit., *occurrerunt ei cultores idolorum.*

Ambrosius servus Jesus Christi, vocatus episcopus, dilectissimis fratribus,[1] et universis plebibus per Italiam æternam in Domino salutem.

1. Magna atque præcelsa martyrum testimonia, de quibus vobis scripturus sum, noster potius attenuat, quam explicat sermo. Verum quod sermo attenuat, virtus adauget; idcirco quod in me minus est, in martyribus luculentes resplendet.

2. Invitatus itaque a plebe Bononiensi negare præsentiam meam, Domino suggerente, nullatenus potui; quoniam tempus aderat, ut sua quæ Christus solet mirabilia, suis fidelibus ostenderet. Nam Diocletiani et Maximiani imperatorum temporibus duo viri, Vitalis nempe et Agricola, pro Christo in civitate Bononiæ martyrium passi sunt, quorum corpora, ne a fidelibus reperirentur, inter Judæorum sepulcra recondita fuerant. Christum igitur confitentes, et pro ejus gloria morientes, inter eos qui eum negaverunt, indecore sepulti sunt. Locum autem, qui omnes latebat, Christus Dominus noster mihi revelare dignatus est. Ubi jejunii et orationibus plures habentes excubias, invenimus tandem pignora martyrum, prout mihi Dominus revelaverat, tamquam inter spinas rosam legentes, et omnibus palam manifestata sunt.

3. Aderat populus christianus cum plausu et lætitia. Judæi ludentes dicebant: *Flores visi sunt*
Cant. II, 12. *in terra nostra.* Respondebant christiani: *Tempus*
Ibid. *incisionis advenit.* Alii dicebant: Alii seminaverunt, et nos in eorum labores introimus, et martyrum fructus recipimus; ut quod scriptum est impleatur,
Joan. IV, 38 quod qui seminat, et qui metit, mercedem accipit. Judæi audientes voces plaudentis Ecclesiæ, ridentes
Cant. II, 12 dicebant: *Vox turturis audita est in terra nostra:* christiani dicebant: *Vineæ florentes dederunt*
Ibid., 13. *odorem suum.* Unde bene per prophetam dicitur: *Dies diei eructat verbum, et nox nocti indicat*
Prov. XVIII, 3. *scientiam.* Quasi dicat: *Dies diei*, hoc est, christianus christiano, *et nox nocti*, hoc est, Judæus Judæo.

4. Certe et ipsi dæmones confitebantur, et ab hominum corporibus illico egrediebantur. Et multi qui variis vexabantur ægritudinibus, sanctorum tangentes sudaria, continuo sanabantur, et plura per sanctos suos mirabilia in populi præsentia, dum sacra veherentur pignora, operatus est Dominus.

5. Colligant ergo alii aurum atque argentum, et de latentibus eruant venis, legant pretiosa monilium serta: temporalis iste thesaurus est, et habentibus non infrequenter perniciosus. Nos legimus martyrum clavos; et plures quidem, quia plura in eis vulnera, quam membra fuerunt. Colligimus sanguinem triumphalem, et crucis lignum. Namque sicut qui ab convivium magnum invitantur, apophoreta secum referre consuerunt, ita nos ex convivio Bononiensi apophoreta gratiæ et sanctitatis plena nobis reservare curavimus.

A 6. Sanctorum igitur martyrum uni nomen est Vitalis, Agricola nomen alteri: utrique nomen aptum; ut martyrio jam designati ipsis etiam vocabulis noscerentur. Nam ille Vitalis dictus est, quasi per istius vitæ contemptum vitam aliam, quæ æterna est, sibi compararet: iste vero Agricola, qui bonos spiritalis gratiæ fructus sereret, et sui sanguinis effusione meritorum et virtutum suarum plantaria rigaret.

7. Sanctus Vitalis, cum a persecutoribus, ut Christum B negaret, imperaretur, et ille constantius[2] confiteretur, adeo omni tormentorum genere cruciatus est, ut nullus in ejus corpore sine vulnere esset locus. Quare hanc ad Dominum orationem effudit, dicens: Domine Jesu Christe, Salvator meus et Deus meus, jube suscipi spiritum meum; quia jam desidero accipere coronam, quam sanctus angelus tuus mihi ostendit. Et completa oratione, emisit spiritum.

8. Sanctus vero Agricola mitioribus ita præditus erat moribus, ut ab omnibus impense diligeretur; C ideoque ejus passionem differebant. Verum persecutorum hæc indulgentia, quapiam etiam immanitate martyri videbatur acerbior; nec enim eorum blanditiæ sedulitatis, sed fraudis erant: differebant quippe coronam. Hinc namque tormenta suppliciaque plura in sancto exercuere Vitale, ut sanctum terrerent Agricolam: sed Dominus illa in majorem ejus constantiam vertit. Denique videntes nihil proficere, eum tandem cruci affixerunt: sicque Deo spiritum reddidit.

D 9. Sanctus Vitalis sancti Agricolæ servus fuerat, mox ejus in passione socius, nunc gloriæ consors factus est. Merito autem sanctus Vitalis primo passus est, et ut servus præcessit, quia Domino parabat locum: secutus est dominus, ut servi prudentis fidem probaret. Passio servi disciplina est Domini: hic instituit, ille implevit; nihil illi servitute decerpitur. Quomodo autem minui potest, quod Christus donavit egregie? Ille quidem homini serviendo didicit quomodo placeret Christo: hic ge- E minam acquisivit laudem in illo magisterii, in se martyrii. Beneficiis mutuo certaverunt, postquam æquales esse meruerunt: hic illum ad martyrium præmisit, ille istum accersivit. Nihil ergo ad meritum hominis conditio detraxit, nihil dignitas auxit; sed utrumque fides consummavit. Nam scriptum est: *Sive liber, sive servus, omnes in Christo unum sumus;* et: *Unusquisque quod fecerit bonum, hoc recipiet a Domino.* Apud Dominum Ephes. VI, 8.
enim servitus et libertas æqua lance penduntur: F cum nulla sit major dignitas, quam servire Christo, qui tanti nos æstimavit, ut animam suam pro nobis traderet.

10. Hæc vobis pauca et compendiario, dilectissimi fratres, de corporum sanctorum martyrum inventione significare curavimus; ut ipsorum memoriam in ecclesiis facere valeatis. Passi sunt autem sancti martyres sub Diocletiano et Maxi-

[1] Codex Reg., *et universæ plebi æternam in Domino salutem. Magna atque præcelsa martyrum testimonia, quæ attenuat noster potius quam explicat sermo. Igitur invitatus a plebe Bononiensi, negare præsentiam meam nullatenus potui; quoniam tempus aderat, ut sua Dominus mirabilia, quæ solet, ostenderet. Apophoreta quidem plena sanctitatis et gratiæ mecum detuli: apophoreta autem solent habere triumphos principum. Et hæc apophoreta triumphalia sunt: Christi enim nostri principis triumphi sunt martyrum palmæ. Ergo quia in me minus est, quam præsumebatur, in martyribus plus reperitur. Sancti martyris nomen Agricola est.* Cætera vero eadem serie, ac iisdem verbis, excepta una aut altera sententia, habentur in *Exhortat. Virgin.* a cap. 1, num. 2, usque ad cap. 2, num. 10. Sed post verba: *hodie dedicamus* subjungitur illa invocatio, quam in lib. cit. cap. 14, num. 94, legere est; post quam additur clausula: *Passi sunt*, etc., ut infra.

[2] Reg. codex, *profiteretur Dominum Jesum Christum, illis omnium tormentorum in eo genera exercentibus, ita ut non esset*, etc.

miano imperatoribus, in civitate Bononiensi provinciæ Italiæ, pridie nonas Novembris, regnante Jesu Christo Domino nostro, cui est omnis honor et gloria in sæcula sæculorum, amen.

EPISTOLA IV.

(*Alias XXIX*).

Florianum ad maturam et continuam pœnitentiam excitans, quid ipsi sive in dictis, sive in factis sequendum fugiendumve sit, præscribit (Edit. Maur.).

Pulcra quidem epistola, sed revera, ut Maurini animadverterunt, ingenium ac stylum Ambrosii nostri minime referens, qui conceptus suos valde uberius explicare consuevit, atque ad cor magna dulcedine pertingere.

AMBROSIUS episcopus FLORIANO.

1. Dilecte fili, dilige lacrymas, noli differre eas. Tantum promptus esto ad lamenta, quantum fuisti promptus et pronus ad culpam. Nulla res de peccato te securum faciat. Eccl. v, 5.

2. Non potes iram vitare? saltem tempera. Magna gloria est, si cui potuisti nocere, parcas; peccanti in te non retribuas secundum culpam, sciens in te venturum esse judicium. Nam non habebis indulgentiam, nisi alteri donaveris; odium enim hominem separat a regno, a cœlo subtrahit, a paradiso dejicit. Jacob. ii, 13.

3. In omnibus actibus tuis imitare bonos, æmulare sanctos, habeto ante oculos exempla sanctorum: socios tibi bonos conjunge, quia si socius fueris conversationis, eris et virtutis. Periculosum est cum his qui male vivunt, conversari. Melius est ergo habere malorum odium, quam consortium. Ps. xvii, 26.

4. Vanus sermo cito polluit mentem; et facile agitur quod libenter auditur. Hoc proferatur ex labiis, quod aures non polluat audientis.[1] Mores hominis lingua pandit; et qualis sermo ostenditur, talis animus comprobatur: *Ex abundantia enim cordis os loquitur*, ut scriptum est. Retine verbum quod non ædificat audientes; quia qui otiosum verbum non reprimit, cito[2] ad noxia transit. 1 Matth xii, 34. 2

5. De alieno malo os tuum non coinquines: numquam detrahas peccanti, sed condole: quod in aliis detrahis, in te potius pertimesce. Numquam profecto detrahes, si te ipsum bene perspexeris. Tantum cura corrigere vitam tuam, quantum prospicis alienam. Per nullam fallaciam vitam alicujus defendas.

A 6. Nec plaga, nec mors te terrebit, si bene et pie vixeris. Curiositas periculosa præsumptio est. Plus dilige audire, quam dicere: plus auscultare, quam loqui. Qui obtemperat in malo, similis est ei, qui facit malum. Facientem et obsequentem[3] par pœnitentia constringit. Quidquid boni cum discretione feceris, virtus est: virtus vero indiscreta pro vitio deputatur. 3

7. Testimonium tuum nulli noceat: sermo tuus non sit reprehensibilis, sed ab omnibus sit acceptus B atque laudabilis. Nullius personæ affectu a recto judicio deflectaris, an dives, an pauper sit; causam respice, non personam. Justitiam pro sola æterna retributione distribue; qui enim præsentia dona affectat, futuram gloriam non quærit vel sperat. In judicio numquam misericordiam deseras:[4] impia justitia est humanæ fragilitati non ignoscere. Nullum ante judicium condemnes: nullum judices suspicionis arbitrio. 4

8. Cave honores, quos tenere sine culpa non C potes.[5] Sublimitas honorum sine onere peccati vix tenetur; ideo dicit Apostolus: *Nec quærentes ab hominibus gloriam;* in majori enim gradu major sine dubio culpa est: qui minor est, veniæ proximus est. 5 I Thess. ii, 6

9. Nullus[6] sine peccati periculo terrenas res administrat: valde rarum est, ut qui divitias possidet, ad requiem tendat. Unde scriptum est: *Amen dico vobis quod dives difficile intrabit in regnum cœlorum.* Qui curis terrenis se implicat,[7] a Do- D mino se separat. Nemo potest amplecti Dei gratiam simul et sæculi. Difficile est cœlestibus et terrenis curis simul insistere. Difficile est Deum simul et mundum diligere. Toto animo odi et damna quod diligit mundus. Tamquam mortuus, a labe et affectu istius mundi te separa: sicut sepultus, nullam habeas curam de hoc sæculo: tamquam defunctus, ab omni terreno te priva negotio. Contemne vivens quæ post mortem habere non poteris. 6 7 Matth xix, 23.

10. Omnibus[8] tribue: non eligas, cui miserearis, E ne forte prætereas illum, qui meretur accipere: incertum est enim pro quo placeas magis Deo. Non auferas uni unde tribuas alteri, ne alieno spolio misericordem te ostendas: condemnat miseratio ista, non proficit. 8

11. Bonum quod facis, misericordiæ, non jactantiæ causa facias; si enim hic laus quæritur, in cœlo remuneratio amittitur.[9] De his dicitur: *Amen dico vobis, receperunt mercedem suam.* Justis in cœlo, non in terra merces promittitur. 9 Matth vi, 5

F 12. Lege quod scripserim; et vide ne quod legendo miraris, vivendo contemnas. Vale, et nos dilige, quia te ut filium nos diligimus.

[1] Rom. edit., *Mentem hominis,* etc.

[2] Eadem edit., *ad noxiam trahit.*

[3] Reg. codex, *perpetua pœna constringit.*

[4] Codex Reg., *impia mens est,* etc.

[5] Idem cod. *Sublimatus honorem agnitudo est scelerum; in majori gradu,* etc.

[6] Regius codex, *sine peccato terrenas res,* etc.

[7] Rom. edit., *ab eo te separa.* Minus commode.

[8] Eadem edit., *Omnibus te tribue.... ne forte præferas illum,* etc.

[9] *De his dicitur:* hæc verba cum subjecto Matthæi loco in Reg. cod. desiderantur: in quo etiam post verbum *promittitur* epistola desinit in hunc modum: *Vide quisquis hoc legis, ne quod legendo respicis, vivendo contemnas. Laus Deo. Amen.*

EPISTOLA DE FIDE
AD BEATUM HIERONYMUM PRESBYTERUM.[1]

Perfecta æqualitas Verbi cum Patre initio hujus epistolæ asseritur, quod omnino congruit tempori ac indoli Ambrosii; dein vero ipsa incarnationis divini Verbi ratio quam accuratissime exhibetur, ut quædam formulæ ex ipso Athanasii symbolo desumptæ videantur. Instat demum s. Doctor in enucleanda veritate utriusque naturæ, divinæ et humanæ, in Christo, et in asserenda veritate in eo tum animæ humanæ, tum humanæ quoque carnis, in qua postrema epistolæ parte apollinaristarum errores eum præ oculis habuisse satis elucet. Constat igitur ex ejus complexu magni esse momenti hanc epistolam dogmatico respectu.

postolica narrat auctoritas: Sine fide impossibile esse ut quisquam placeat Deo. Nos ergo fideliter credimus Patrem, Filium et Spiritum sanctum, unum verum solum Deum in essentiali substantia, ac sanctam et individuam personalem æternitatem. Deitas enim Christi par in omnibus et consubstantialis est Patri, et sempiterna atque intemporaliter una eademque potentia genitoris et geniti. Creator quippe omnium naturarum, quoniam per ipsum omnia facta sunt, et sine ipso factum est nihil, superior est omnibus quæ creavit, nec umquam creatori suo non fuerunt subjecta quæ condidit: cui proprium et sempiternum est nec aliunde quam de Patre, nec alium esse quam Pater est. Huic si addita esset potestas, si illustrata dignitas, si exaltata sublimitas, minor erat provehente qui creavit, nec habebat divitias ejus naturæ, cujus indiguit largitate.

In ea plenitudine temporis, quæ sempiterno consilio fuerat præstituta, et prophetica dictorum atque gestorum significatione promissa, factus filius hominis non suæ conversione substantiæ, sed nostræ assumptione naturæ, venit quærere et salvare quod perierat. Venit autem non locali accessu nec motione corporea, tamquam præsens futurus unde abfuisset, aut illinc recessurus unde venisset, sed venit per hoc quod erat visibilis et cunctis cernentibus declarandus. Humanam scilicet carnem atque animam A in visceribus Virginis matris accipiens, ut manens in forma Dei, servi formam assumeret, et in similitudine carnis peccatorum veniret, per quam non minueret divina humanis, sed augeret divinis humana. Talis enim erat omnium a primis ducta genitoribus causa mortalium, ut originali peccato transeunte per posteros, nullus pœnam damnationis evaderet, nisi Verbum caro fieret et habitaret in nobis. Quod deitatis est, caro non minuit; quod carnis est, deitas non peremit. B Idem enim et sempiternus ex Patre, et temporalis ex matre; in sua virtute inviolabilis, in nostra infirmitate passibilis. In deitate tantum et cum Patre et cum Spiritu sancto unius ejusdemque naturæ; in susceptione autem hominis, non unius substantiæ, sed unius ejusdemque personæ: ut idem esset dives in paupertate, omnipotens in submissione, impassibilis in supplicio, immortalis in morte. Nec enim Verbum aut in carnem aut in animam aliqua sui parte con- C versum est; cum simplex et immutabilis natura deitatis tota in sua sit semper essentia; nec damnum sibi recipiens nec augmentum; et sic assumptam naturam beatificans, ut glorificata in glorificante permaneat.

Cur autem inconveniens aut impossibile videatur, ut Verbum et caro atque anima unus homo Christus et unus Dei hominisque sit Filius, si caro et anima, quæ dissimilium naturarum sunt, unam faciunt, etiam sine Verbi D incarnatione,[2] personam? Cum multo facilius sit, ut hanc unitatem sui atque hominis, deitatis præstet potestas, quam ut eam in substantiis suis obtineat solius humanitatis infirmitas. Nec Verbum igitur in carnem, nec in Verbum caro mutata est: sed utrumque in uno manet, et unus in utroque est, non diversitate divisus, non permixtione confusus, nec alter ex Patre, alter ex matre; sed idem ex Patre ante omne principium, et idem in fine sæculorum, ut esset E mediator Dei et hominum, homo Jesus Christus in quo habitaret plenitudo divinitatis.

Nativitas enim Domini secundum carnem quamvis habeat quædam propria, quibus humanæ conditionis initia transcendat, sive quod solus ab inviolata Virgine sine concupiscentia est conceptus et natus; sive quod ita e visceribus matris est editus, ut fecunditas pareret, et virginitas permaneret; non alterius tamen naturæ erat ejus caro quam nostra est; nec alio F illi quam cæteris hominibus anima est inspirata

[1] De hac videas quæ in Præfatione dicta sunt.

[2] Rectissime Ambrosius *personam*, non *naturam* dicit. Nam si contra una hominis natura dicitur, ut plerique loqui solent, hoc exemplo mire abutuntur Monophysitæ, ut unam Christi naturam affirment. Re autem vera duæ sunt in homine naturæ seu substantiæ; spiritalis, anima; materialis, caro. Legatur de hoc exemplo præclara Athanasii doctrina, ed. Maur. t. I, p. 1279.

principio, quæ excelleret non diversitate generis, sed sublimitate virtutis. Nihil enim carnis suæ habebat adversum; non discordia desideriorum gignebat compugnantiam voluptatum: sensus corporei vigebant sine lege peccati, et veritas affectionum sub moderamine deitatis et mentis, nec tentabatur illecebris, nec cedebat in vitiis: verus homo vere unitus est Deo; nec secundum existentem prius animam deductus e cœlo, nec secundum carnem creatus ex nihilo: eamdem gerens in Verbi deitate personam, et tenens communem nobiscum in corpore animaque naturam. Non enim esset Dei hominumque mediator, nisi idem Deus idemque homo in utroque et unus esset et verus.

Invitat quidem nos ad latitudinem disserendi materiæ magnitudo; sed apud eruditionem tuam non est copia laborandi. Apud te est Bethleem, in qua salutifer Virginis partus illuxit, quem involutum pannis, inter angustias diversorii, præsepe suscepit.

Apud te est declarata ab angelis, adorata a magis, post multorum infantium ab Herode mortem Salvatoris infantia est persecuta. Apud te, inquam, locus est, ubi pueritia adolevit, ubi adolescentia maturavit, et per incrementa corporea in virum perfectum veri hominis natura profecit, non sine cibo esuritionis, non sine somno quietis, non sine fletu miserationis, nec sine pavore formidinis. Unus enim atque idem est qui in Dei forma operatur miracula magnæ virtutis.

Ut autem repararet omnium vitam, recepit omnium causam; et vim veteris chirographi, quod solus inter omnes non debuit, pro omnibus solvendo vacuavit; ut sicut per unius reatum omnes facti fuerant peccatores, ita per unius innocentiam omnes fierent innocentes: inde in homine manente justitia, ubi est suscepta humana natura. Nulla enim ratione extra nostri corporis veritatem. Nam quia captivitatis nostræ originalia vincula solvi non poterant, nisi exsisteret homo nostri generis nostræque naturæ, quem primi præjudicia non tenerent, et qui immaculato sanguine suo chirographum lethale dilueret, sicut erat ab initio divinitus præordinatum; ita est in plenitudine præfiniti temporis factum, ut multis modis significata promissio diu exspectato veniret effectu; nec posset esse ambiguum quod continuis significationibus semper fuerat nuntiatum. In magno autem sacrilegio diversa hæreticorum impietas manifestatur, cum specie deitatis honorandæ, humanæ carnis in Christo derogant veritatem; et religiose æstimant credi, si dicatur in Salvatore nostro verum non esse quod salvat; cum ita secundum promissionem omnia sæcula præcurrentem mundus sit Deo reconciliatus in Christo, ut nisi Verbum dignaretur caro fieri, nulla caro posset salvari. Enucleatius autem declarare fidei sacramentum, et confundere hæreticam pravitatem tuum est, pater optime Hieronyme. Hoc unum oro et deprecor, mei ut memor sis frequentius, invictissime miles Christi. Amen.

PRÆFATIO
AD PRECATIONES SEQUENTES.

Duabus precationibus *ante Missam*, quæ vulgo S. Ambrosii nomen gerunt, Patres e S. Mauri Congregatione in sua S. Doctoris editione sequentia præmiserunt:

« Sequentes duæ precationes in omnibus quidem Ambrosianis editionibus reperiebantur: sed scripta earum exemplaria perquam rara sunt, et inventu difficilia. Nobis profecto, forulis nobiliorum bibliothecarum non indiligenter perlustratis, manuscriptum prioris orationis nullum, posterioris vero tantum unicum detegere licuit. Quod argumentum est haud mediocre illos a quibus inter Ambrosii Opera primum editæ sunt, non frequentium exemplarium auctoritate niti potuisse. Non mirum igitur si a judicibus sagacioribus utraque partus adulterini loco habita fuerit: etiamsi enim prima non paucis Doctore nostro visa sit digna, tamen attentius consideranti et ejus stylus ab Ambrosiano paulum diversus, et in ea citati ex antiquo fœdere loci nonnulli cum LXX versione non congruere deprehenduntur. Quod vero attinet ad posteriorem, in ea rejicienda minor est difficultas; quippe quæ licet non inelegans, Ambrosianæ gravitatis vix quidquam præ se ferat. Eam autem ad codicem Floriacensem annorum circiter 700 exactam, multo quam fuerat, emendatiorem exhibemus. Cæterum nobis minime placet, quod Theophilus Reinaudus utramque ea propter Mediolanensi episcopo ascriptam putat, quia characteres S. A. eisdem orationibus in manuscripto aliquo prænotatos de sancto Ambrosio quispiam interpretatus sit, cum per illos sanctus Anselmus indicaretur. Enim vero ut alia quadrarent, nimium unius ratio dissidet ab altera, quam ut ambarum eumdem auctorem fuisse arbitremur ».

Utraque precatio legitur in cod. B. 84 *Inf.* Bibliothecæ Ambrosianæ mediolanensis, qui olim erat Bobiensis Monasterii, et sæculo X adscribitur, continet vero Missale quoddam juxta vetustam romani ritus liturgiam; qua admissa codicis ætate, altera precatio sancto Anselmo Cantuariæ episcopo attribui non posset. Immo nec ætas codicis Floriacensis a Maurinis supputata admitteret ut precationis ejusdem Anselmus auctor extiterit.

Sed et in cod. D. 84 *Inf.* ejusdem bibliothecæ, atque ex eodem monasterio illuc delato, qui XI asseritur sæculi, aliæ orationes sub nomine Ambrosii occurrunt, quas ad calcem exhibebimus istarum.

PRECATIONES
VULGO AMBROSIO ATTRIBUTÆ.

PRECATIO PRIMA

In præparatione ad Missam.

umme sacerdos et vere pontifex Jesu Christe, qui te obtulisti Deo Patri in ara crucis hostiam puram et immaculatam pro nobis miseris peccatoribus, et qui dedisti nobis carnem tuam ad manducandum, et sanguinem tuum ad bibendum, et posuisti mysterium in virtute Spiritus sancti, dicens: *Hæc quotiescumque feceritis, in mei memoriam facietis;* rogo per tuum sanguinem pretiosum, magnum salutis nostræ pretium: rogo per hanc miram et ineffabilem caritatem, quo nos miseros et indignos sic amare dignatus es, ut lavares nos a peccatis nostris in sanguine tuo; doce me servum tuum indignum, quem inter cætera dona tua ad officium sacerdotale vocare dignatus es nullis meis meritis, sed sola dignatione misericordiæ tuæ: doce me, quæso, per Spiritum tuum tantum mysterium tractare ea reverentia et honore, eaque devotione et timore, quibus oportet et decet.

I Cor. xi, 25.

2. Fac me, Domine Jesu Christe, per gratiam tuam semper illud de tanto mysterio credere et intelligere, sentire et firmiter retinere, dicere et cogitare, quod tibi placet, et expedit animæ meæ. Intret Spiritus tuus bonus in cor meum, qui sonet ibi sine sono, et sine strepitu verborum loquatur omne veritatem tantorum mysteriorum. Profunda sunt nimis, et sacro tecta velamine.

3. Propter magnam clementiam tuam concede mihi hodie et semper missarum solemnia puro corde et pura mente celebrare. Libera cor meum ab immundis et nefandis, vanis et obnoxiis cogitationibus. Muni me beatorum angelorum pia et fida tutela, atque fortissima custodia; ut hostes omnium bonorum confusi discedant per virtutem tanti mysterii, et per manum sancti angeli tui. Repelle a me, Domine Jesu Christe, et a cunctis servis tuis durissimum spiritum superbiæ, cenodoxiæ, invidiæ, iracundiæ, fornicationis et immunditiæ, dubietatis et blasphemiæ. Confundantur qui nos persequuntur; pereant illi qui cuncta perdere festinant. Rex virtutum, castitatis et integritatis amator Deus, cœlesti rore benedictionis tuæ exstingue in corpore meo totum fomitem ardentem libidinis, ut maneat in me tenor totius castitatis animæ et corporis. Mortifica in me carnis stimulos, et omnes libidinis commotiones, et da mihi veram et perpetuam castitatem cum cæteris donis tuis, quæ tibi placeant in veritate; ut sacrificium laudis casto corpore et mundo corde valeam tibi offerre.

4. Quanta enim, Domine Jesu Christe, cordis contritione, et lacrymarum fonte, quanta reverentia et tremore, quanta corporis castitate, et animi pu-
A ritate istud divinum et cœleste sacrificium est celebrandum, ubi caro tua in veritate sumitur, ubi sanguis tuus in veritate bibitur, ubi summa imis junguntur, ubi adest præsentia sanctorum angelorum, ubi tu es sacerdos et sacrificium mirabiliter et ineffabiliter constitutus! Quis digne hoc celebrare poterit, nisi tu, Deus omnipotens, offerentem feceris dignum? Scio, et vere scio, et ipsum pietati tuæ confiteor, quia non sum dignus accedere ad mysterium tantum propter nimia peccata mea, et
B infinitas negligentias meas. Sed scio veraciter, et credo ex toto corde et ore confiteor, quia potes me facere dignum, qui solus potes mundum facere de immundo conceptum semine, de peccatoribus facere justos et sanctos. Per hanc omnipotentiam tuam te rogo, ut concedas mihi peccatori hoc cœleste sacrificium celebrare cum timore et tremore, cum cordis puritate et lacrymarum fonte, cum lætitia spiritali et cœlesti gaudio. Sentiat mens mea dulcedinem beatissimæ præsentiæ tuæ, et ex-
C cubias sanctorum angelorum tuorum in circuitu meo.

5. Ego enim, Domine, memor venerandæ passionis tuæ accedo ad altare tuum, licet peccator, ut offeram tibi sacrificium, quod tu instituisti, et offerri præcepisti in commemorationem tui pro salute nostra. Suscipe ergo istud, quæso, summe Deus, dulcissime Jesu Christe, pro Ecclesia tua sancta, et pro cuncto populo tuo, quem acquisisti sanguine tuo pretioso. Et quoniam me peccatorem inter te et eumdem populum medium esse voluisti, licet in
D me boni operis testimonium non agnoscas, officium dispensationis creditæ non recuses, nec per me indignum famulum tuum eorum salutis pereat pretium, pro quibus victima factus, salutaris dignatus es esse redemptio. Profero ergo, Domine, si dignaris propitius intueri, tribulationes plebium, pericula populorum, captivorum gemitum, miseriam orphanorum, necessitates peregrinorum, inopiam debilium, desperationes languentium, defectus senum, suspiria juvenum, vota virginum, lamenta vidua-
E rum: tu enim misereris omnium, Domine, et nihil odisti omnium quæ fecisti. Memorare quæ sit nostra substantia, quia tu Pater noster es; ne irascaris satis, neque multitudinem viscerum tuorum super nos contineas. Non enim in justificationibus nostris prosternimus preces nostras ante faciem tuam, sed in miserationibus tuis multis. Aufer a nobis, Domine, iniquitates nostras, et ignem sancti Spiritus in nobis clementer accende. Aufer cor lapideum de carne nostra, et da nobis cor carneum
F quod te timeat, diligat et honorificet, te delectetur, te sequatur, et te perfruatur. Oramus, Domine, clementiam tuam, ut sereno vultu familiam tuam sacri tui nominis officia præstolantem aspicere digneris. Et ut nullius sit irritum votum, nullius vacua postulatio, tu nobis preces suggere, quas ipse audire propitius et exaudire delecteris.

6. Rogamus etiam te, sancte Pater, pro spiritibus fidelium defunctorum, ut sit illis salus æterna, ac perpetua sanitas, gaudium et refrigerium sem-

piternum, hoc magnum pietatis sacramentum. Domine Deus meus, sit illis hodie magnum et plenum gaudium de te pane vivo et vero, qui de cœlo descendisti, et das vitam mundo, de carne sancta et benedicta, agni videlicet immaculati qui tollis peccatum mundi, et potari de fonte pietatis tuæ, qui per lanceam militis de latere emanavit crucifixi Domini nostri; ut consolati exsultent in laude et gloria tua sancta.

7. Peto, Domine, clementiam tuam, ut descendat super hunc panem et calicem istum plenitudo divinitatis tuæ. Descendat etiam, Domine, illa sancti Spiritus tui invisibilis forma, et incomprehensibilis majestas, sicut quondam in patrum hostias descendebat, qui et oblationes nostras corpus et sanguinem tuum efficiat, et me indignum sacerdotem tuum doceat tantum tractare mysterium, ita ut placide ac benigne sacrificium suscipias de manibus meis ad salutem omnium tam vivorum quam defunctorum. Rogo te, Domine, per ipsum sacrosanctum mysterium corporis et sanguinis tui, quo quotidie in Ecclesia tua pascimur et potamur, abluimur et sanctificamur, atque unius tuæ summæque divinitatis participes efficimur; quatenus des mihi virtutes tuas sanctas, quibus repletus, bona conscientia ad altare tuum accedam, ita ut hæc cœlestia sacramenta efficiantur mihi salus et vita. Tu enim dixisti ore tuo sancto et benedicto: *Panis quem ego dedero, caro mea est pro mundi vita.* Et: *Qui manducat me, vita vivet propter me, ipse manet in me, et ego in eo. Ego sum panis vivus qui de cœlo descendi: si quis manducaverit ex hoc pane, vivet in æternum.* Joan. VI, 51, 52.

8. Panis dulcissime, sana palatum cordis mei, ut sentiam suavitatem amoris tui: sana ab omni languore, ut nullam præter te amem pulchritudinem. Panis candidissime, habens in te omne delectamentum, et omnis saporis suavitatem, qui nos semper reficis; comedat te cor meum, et dulcedine saporis tui repleantur viscera animæ meæ. Manducat te angelus pleno ore; manducet te peregrinus homo pro modulo suo, ne deficere possit in via, tali recreatus viatico. Panis sancte, panis vive, panis pulcher, panis munde, qui descendisti de cœlo, et das vitam mundo, veni in cor meum, et munda me ab omni inquinamento carnis et spiritus. Intra in animam meam, et sanctifica me intus et exterius. Esto tutamen et perpetua salus corporis et animæ meæ. Repelle a me insidiantes mihi. Hostes recedant procul a præsentia tua, ut foris et intus per te munitus, recto tramite perveniam ad tuum regnum; ubi non mysteriis, sicut in hoc tempore agitur, sed facie ad faciem te videbimus, cum tradideris regnum Deo Patri, et erit Deus omnia in omnibus. Tunc me de te satiabis satietate perpetua, ut nec esuriam, nec sitiam in æternum: qui cum eodem Deo Patre et Spiritu sancto vivis et regnas per omnia sæcula sæculorum, amen.

PRECATIO SECUNDA

Item in præparatione ad Missam.

1. Summa et incomprehensibilis natura, virtus vitaque beata, lux inaccessibilis, vera, singularis et una sapientia, veritas incommutabilis, sancta, A incomparabilis et æterna dilectio, temporalium rerum sine tempore conditor, visibilium et invisibilium invisibilis æternusque patrator, Pater et Filius et Spiritus sanctus, unus et verus in Trinitate Dominus Deus: Pater non habens a quo sis, habens tamen sapientiam, id est, Filium, cui major vel anterior non sis: Filius habens Patrem a quo sis, non tamen habens cui minor vel posterior sis: Spiritus sanctus habens Patrem et Filium, a quibus sis, non tamen habens quibus vel B inæqualis vel impar sis; quia totum in hac tua divinitate, cui tempus numquam accidit, æternum ac coæternum, æquale ac coæquale est, in qua alius Pater, alius Filius, alius Spiritus sanctus; sed Pater in Filio et Spiritu sancto, Filius in Patre et Spiritu sancto, Spiritus sanctus in Patre et Filio est; quia sicut tua, Deus noster, natura personas recipit, sic partes nequaquam admittit: qui nec supra, nec subtus, ante vel retro convenit, quia corporum lineamenta non recipit. Unde et tota C omnibus in locis sine loco habetur, nec tamen tota comprehenditur; tota namque ubique habetur, quia profecto pars in ea nulla reperitur; tota autem non comprehenditur, quia videlicet cum in creaturis unicuique tota præsens efficitur, etiam ultra creaturas tota invenitur. Quamobrem cum cœlum et terram implet, tota est: cum hominem unum implet, tota est; nec variatur per singula, quæ in singulis tota est; nec de loco ad locum transit, cum unum deserens alterum petit, quæ semetipsam D sine loco et tempore movet. Hinc merito colendus, hinc adorandus es, hinc incommutabilis, hinc incircumscriptus agnosceris; hinc mediator Dei et hominum homo Christus Jesus secundum divinitatis essentiam, totus cum hominibus in terris, totus erat cum Patre in cœlis, cum diceret: *Nemo ascendit in cœlum, nisi qui de cœlo descendit Filius hominis, qui in cœlo est. Qui* videlicet, Joan. III, 13. *cum in forma Dei esset, non rapinam arbitratus est esse se æqualem Deo: sed semetipsum exi-* E *nanivit, formam servi accipiens,*[1] *in similitudi-* 1 *nem hominum factus, et habitu inventus ut homo. Humiliavit semetipsum, factus obediens usque ad mortem, mortem autem crucis.* Philip. II, 6.

2. Per hunc te, beata Trinitas, humanitatis habitum, per hujus subjectionis humilitatem deprecor; per hujus sacratissimam obedientiam, per hujus beatissimam mortem exoro in primis, ut te Dominum Deum meum diligam, te sitiam, te toto corde perquiram: deinde ut proximum juxta vires F atque mensuram in hac ipsa tua dilectione carum semper atque dilectum attendam. Sed hanc dilectionem nulli, Domine, præstabis, nisi cui vitia prius odisse donaveris. Obsecro ergo, pia et vera misericordia, solida atque unica spes mea, ut superbiæ regnum auferas ab anima mea. Horendum, Domine, pavendumque tam maximum malum, quod angelos de cœlo projecit, quod homines[2] de paradiso eli- 2 minavit, quodque initium omnis peccati est, et ad ipsum pertinet quidquid vitii ut iniquitatis est, G cujus primæ soboles, septem nimirum principalia vitia, ex hac virulenta radice proferuntur, scilicet inanis gloria, invidia, ira, tristitia, avaritia, ventris ingluvies atque luxuria. Sed et numerosa propaginis turba ex singulis generatur.

[1] Omnes edit., *in similitudinem hominum, factus obediens;* cætera ex Reg. cod. restituta sunt.

[2] Reg. cod., *de paradiso minavit.*

3. Inanis ergo gloria cum plene mentem ceperit, mox septiformem in illa nequitiam gignit, inobedientiam scilicet, jactantiam, hypocrisin, contentionem, pertinaciam, discordiam, ac novitatum præsumptionem. Sed si huic vera humilitas opponatur, omnis ejus nequitia vacuatur. Te ergo deprecor, humilitatis magister, ut hanc cordi meo inseras, insertamque custodias, quæ dum cunctis inferiorem se attendit, subjectionem protinus gignit, jactantiam exstinguit, hypocrisin excludit, contentionem refugit, pertinaciam emollit, discordiam præcavet, novitatum præsumptionem abhorret. Hoc beatæ humilitatis medicamine morbum elationis sanandum prævideras, cum per hominem assumptum auctor nostræ salutis, tuis ad te venientibus diceres: *Discite a me quia mitis sum et humilis corde, et*
Matth. xi, 29. *invenietis requiem animabus vestris.* Et rursum: *Nisi conversi fueritis, et efficiamini sicut par-*
Matth. xviii, 3. *vuli, non intrabitis in regnum cœlorum.*

4. De invidia quoque odium, susurratio, detractio, exultatio in adversis proximi, afflictio autem in prosperis ejus propagatur. O mala progenies, quæ si animo intromissa dominari cœperit, omnem sanctitatis sobolem exstinguit! Qui itaque invidet vel odit, non alium prius quam se ipsum occidit: qui susurrat et detrahit, prius suas quam aliorum radices evellit: qui exsultat in adversis proximi,
1 et affligitur in prosperis ejus,[1] alieno se primum gladio petit. Hoc secundum superbiæ virgultum tunc primo fuit exortum, cum ille de quo scriptum est, *Invidia diaboli mors introivit in orbem ter-*
Sap. ii, 24. *rarum,* Cain persuasit ut livoris odio fraternum funderet sanguinem. Sed nimirum idem Cain invidus prius suam animam, quam alterius carnem peremit; scriptum quippe est: *Qui odit fratrem suum, homicida est. Et scitis quia omnis homi-*
I Joan. iii, 15. *cida non habet vitam æternam in se manentem.* Hinc, Domine, apparet cujus primum homicida est, qui alterum odit, in quo vita non est. Quod contra Moyses omnium mitissimus admonet, dicens: *Ne*
Lev. xix, 17. *oderis proximum tuum in corde tuo.* Et quia ille, qui invidet et odit, consequenter susurrat et detrahit; hoc malum Scriptura sancta præcavendum
Ibid., 16. denuntiat: *Non eris,* inquit, *susurro in populis;*
Jacob. iv, 11. et: *Nolite detrahere alterutrum, fratres.* Qui vero detrahit fratri, detrahit legi; qui enim susurrat et detrahit, consequens est ut in adversis proximi exsultet, in prosperis autem animi tristitiam contrahat. Sed occurrit beatus Apostolus, et dicit:
Rom. xii, 15. *Gaudere cum gaudentibus, flere cum flentibus.* Et ecce alius pro terrenis rebus, terrenisque honoribus, alius pro virtutum successibus cuilibet invidet, quemlibet odit, contra quemlibet susurrat, de quolibet detrahit, de cujuslibet adversis exsultat, de prosperis animum mœstificat.

5. Sed ut in cunctis hoc multiplex malum superetur, occurrat, Domine, quæso, illud multiforme bonum, quod potenti virtute resistens non det invidiæ locum, caritas scilicet, quæ fundamentum est omnium virtutum et bonorum: quæ non invidet, sed congaudet: non odit, sed diligit: non susurrat, sed objurgat: non detrahit, sed arguit: non de adversis proximi gaudet, sed mœret: non de prosperis afflictionem contrahit, sed consolationem recipit. Merito autem tale nomen accepit, quod illa carius inveniri non poterit: quam qui habet,
A te utique habet. *Deus*, inquit, *charitas est; et qui manet in charitate, in Deo manet, et Deus in eo.* Qui ut præfatum invidiæ superet malum, I Joan. iv, 8.
cordis simul et oris jungenda custodia est: cordis scilicet, ne invideat, ne in adversis proximi exsultet, ne in prosperis mœstitiam contrahat; oris vero, ne susurret, ne detrahat. Scriptum quippe est: *Omni custodia serva os tuum: serva tuum cor, quia ex ipso vita procedit.* Et rursum scri- Prov. iv, 23.
ptum est: *Mors et vita in manibus linguæ.* Citius Prov. xviii, 21.
B autem malum quod intus latet, exstinguitur, si a pravo eloquio foris lingua frenetur. *Pone, Domine, custodiam ori meo, et ostium circumstantiæ labiis meis; ut non declinet cor meum in verbum malum. Libera animam meam a labiis iniquis,* Ps. cxl, 3.
et a lingua dolosa. Ps. cxix, 2.

6. Ira autem invidiam sequitur, qua inter cætera vitia nihil asperius, nihil invenitur amarius: quæ dum ultra modum efferbuerit, atrociter mentem exulcerat, sensum hebetat, linguam immutat,
C oculos obumbrat, totumque corpus perturbat. Hinc protinus rixæ, contumeliæ, clamor, indignatio, tumor mentis, et blasphemiæ suscitantur. De qua nimirum Scriptura sancta testatur, dicens: *Ira in sinu stulti requiescit,* et: *Ira viri justitiam Dei* Eccl vii, 10.
non operatur. Jacob. i, 20.

7. Sed objice, Domine, contra tam amarissimum iracundiæ malum suavissimum patientiæ bonum, in quo specialiter animarum nostrarum salus collocatur, cum nobis per Evangelium dicatur: *In*
D *patientia vestra possidebitis animas vestras.* Quæ Luc. xxi, 19
nimirum dum arcem et principatum in mente susceperit, omnes mox perturbationes compescit; rixas et contumelias in exhortationem convertit; confusum clamorem sub ordinato silentio premit; indignationem tumoremque mentis mansuetudine vincit; blasphemias gratiarum actione repellit. Quod si forte in immensum ira succensa ad horam patientia succubuerit, nullumne, Domine, remedium erit? Erit certe. Nam cum hujus mali damnationem
E Evangelium denuntiet, dicens: *Qui irascitur fratri suo, reus erit judicio: qui autem dixerit fratri suo racha, reus erit concilio: qui autem dixerit fatue, reus erit gehennæ ignis;* protinus recu- Matth. v, 22.
perationem subjungit, cum dicit: *Si offers munus tuum ad altare, et ibi recordatus fueris quia frater tuus habet aliquid adversum te, relinque ibi munus tuum ante altare, et vade prius reconciliari fratri tuo, et tunc veniens offeres munus tuum.* Et illud: *Cum statis ad orandum,* *Ibid.*, 23
F *remittite, si quid habetis adversus alterum in cordibus vestris.* Hanc mihi, Domine Deus, secun- Marc. xi, 23
dam tribue victoriam, si furore cæcatus amisero primam, cum non tuo zelo, sed meo vitio cujuslibet animum offendo.

8. Tristitia quoque iram persequitur: quæ dum cordis arcana penetrat, protinus in ejus cubiculo malitiam, rancorem, pusillanimitatem, desperationem, torporem circa præcepta, vagationem mentis erga illicita generat. Quæ inter cætera vitia quam
G sit detestanda, beatus Paulus indicat: *Sæculi,* inquiens, *tristitia mortem operatur.* Sed obsecro, II Cor. vii, 10.
Deus et Dominus meus, oppone contra sæculi tristitiam futuræ beatitudinis lætitiam, quæ ex mœrore contractam malitiam vincat benevolentia, tædio procreatum rancorem pellat sinceritate, pu-

[1] Ita codex Reg.; editt. autem, *alieno proximum se petit gladio.*

sillanimitatem fortitudine roboret, desperationem spei fiducia erigat, torporem circa præcepta exercitio spiritali repellat, vagationem mentis erga illicita inconcussa stabilitate refrenet. Quod si, ad momentum subtracta lætitia spiritali, malum tristitiæ prævaluerit, agam, quæso, quod monet beatus Jacobus: *Tristatur quis in vobis? Oret æquo*
Jacob. v, 13. *animo, et psallat.*

9. Avaritia sequitur tristitiam, quæ in utroque Testamento pari notatur exsecratione. In veteri
Eccl. x, 9. namque dicitur: *Avaro nihil est scelestius;* in novo autem: *Et avaritiam, quæ est idolorum ser-*
Ephes. v, 5. *vitus.* Ex qua profecto septem nequitiæ procreantur, scilicet, proditio, fraus, fallacia, perjurium, inquietudo, violentia, et contra misericordiam obduratio. Et ecce, Domine Deus, quilibet amator mundi, et non tui, propter metalla pretiosa, ardentes fulgentesque lapides, servos et servas, prædia et fundos ad mortem proximum tradit, fraudem incurrit, fallaciam obducit, perjurium committit; et alius inquietus et violentus est propter villam, alius propter gallinam: alius obduratur contra misericordiam ne retribuat aurum, alius ne porrigat potum. Sed peto, mi Deus, amator castus et verus, ut cui præter te nulla possessio debetur in terra, nihil quod tu non es, concupiscam in terra; semper illius sententiæ meminerim, qua dicitur: *Nudus egressus sum de utero matris meæ; nudus re-*
Job. i, 21. *vertar illuc.* Atque illius: *Nihil intulimus in hunc*
I Tim. vi, 7. *mundum, sed nec auferre quid possumus.* Quæ nimirum dum pie considerantur, mundi contemptum afferre videntur, qui avaritiæ contrarius est.

10. Post hæc restat ventris ingluvies, quæ a necessitate quidem incipit, sed modus necessitatis excedens, ad voluptatem pertransit; dumque a licitis ad illicita pervenerit, mox ineptam lætitiam, scurrilitatem, immunditiam, multiloquium, sensusque hebetudinem circa intelligentiam parturit; cujus mortiferum virus tunc utcumque vacuatur, cum non qualitas, sed libido in escis præcavetur. Prima enim mulier non exquisitarum dapum, sed sola
Gen. iii, 6. pomi delectatione mortem mundo induxit; et antiquus hostis regem nostrum non de carne, sed
Matth. iv, 3. de pane tentavit; et Sodoma idcirco igne et sulphure periit, quia inter cætera mala panem in
Gen. xix, 24. saturitate comedit.

11. Quapropter clementiam tuam, Deus, imploro, ut sicut æger ad medicinam, sic ad sumendas dapes accedam; nequaquam scilicet in eis voluptatem appetens, sed necessitati subveniens. Aufer a me propter magnam misericordiam tuam omne ciborum noxium desiderium, congruamque servo tuo escarum propitius tribue abstinentiam; ut inter necessarium modum proprium temperem appetitum, remotaque a me omni prorsus crapula et ebrietate, sciam in virtute tua abundare, sciam et penuriam pati, noverim quoque in quibus mihi sufficiens esse possim. Ita, Domine, ita, Pater bone, noxiis gastrimargiæ succis arefactis inepta lætitia vel scurrilitas non pullulabit, quæ illos maxime ad insaniam perducit, in quibus crapula et ebrietas dominium sumit: *Sedit* enim *populus manducare et bibere,*
Exod. xxxii, 6. *et surrexerunt ludere.* Contra quos illa sententia venit, qua dicitur: *Væ vobis divitibus, qui habetis consolationem vestram! Et væ vobis, qui ridetis*
Luc. vi, 25. *nunc; quia plorabitis et flebitis!* Quod contra ii

A qui carnem suam crucifixerunt cum vitiis et concupiscentiis ejus, audiunt: *Mundus gaudebit, vos* Galat. v, 24.
vero contristabimini; sed tristitia vestra vertetur in gaudium, et gaudium vestrum nemo tollet a vobis. Et rursum: *Beati qui lugent, quoniam ipsi* Joan. xvi, 20.
consolabuntur. Immunditia quoque, quæ juxta Apo- Matth. v, 5.
stolum quibusdam regni cœlestis aditum claudit, vigilantem numquam, dormientem vero tardius sua colluvione fœdabit. Multiloquium inedia pressum silebit: hebetudo sensus circa intelligentiam spiri-
B tualis acuminis ingenio cedet, quod sancta parcimonia in mente propagabit: venter enim abstinentia contractus humanos in altum elevat sensus.

12. Luxuria gastrimargiam sequitur, quæ dum licentiæ metas excedit, mox de se cæcitatem mentis, inconsiderationem, inconstantiam, præcipitationem, amorem sui, odium Dei, affectum præsentis sæculi, horrorem autem vel desperationem gignit futuri. Sed peto, Domine, ut qui ab ipso pubertatis tempore a complexu carnalis copulæ alienum me esse
C voluisti,[1] delectationis ejus consensu non tangar. [1]
Quid enim prodest, Domine Deus, virginem esse corpore, si contingat mente esse corruptum? *Qui* enim *viderit mulierem ad concupiscendum eam,* *jam mœchatus est eam in corde suo.* Huic pro- *Ibid.*, 28
fecto necdum castitatem professo, juxta Apostolum melius est nubere, quam uri: sed obsecro, Domine, II Cor. vii, 9.
ut cui non licet nubere, nec contingat aduri.

13. Ecce dum pro me sollicitus talia postulo, meminisse caritatis debeo; ut etiam pro aliis exo-
D rem. Te igitur amatorem Ecclesiæ tuæ deprecor, Deus, pro sacerdotibus ejus; ut verbis simul et meritis vitæ populum sibi creditum ad cœlestem patriam invitent. Pro regibus, ducibus, et iis qui in sublimitate positi sunt; ut patres orphanorum et judices viduarum semetipsos exhibeant, miseriis inopum, et gemitibus pauperum condoleant, nihil nisi quod justum est, in judicio quærant; sicque administrent præsentia, ne amittant bona futura. Pro virginibus, continentibus, ac mundo renuntian-
E tibus; ut præsentia despiciant, futura requirant, nec se negotiis sæcularibus implicent; ut tibi militantes placeant, cui se probaverunt. Pro conjugatis, ut sic sibi invicem carnis debitum solvant, ne a desiderio patriæ cœlestis exorbitent.

14. Sed quid ago, Domine? Quasi oblitus peccatorum meorum, pro aliis exorare præsumo. O quam in multis offendi atque offendo! Sed tamen non subrepit desperatio, cum publicanum in templo justificatum attendo; cum latronem in cruce confiten-
F tem, et de cruce ad Paradisum transeuntem aspicio; cum Mariam post multas criminum maculas fonte pietatis ablutam; cum Petrum post negationem apostolatus gratiam recuperasse intueor. Sed rogo, ineffabilis pietas, ut cui de tantis exemplis præsumere donasti, gemitus publicani, confessionem latronis, lacrymas meretricis, fletusque negantis apostoli concedas. Quia si flagello temporali scelera mea vindicanda provideris, lacrymosus imploro, ut dum contra hæc iratus desævis, semper in ira mi-
G sericordiæ recorderis: quem enim diligis, corripis; flagellas autem omnem filium, quem recipis. Quibus Hebr. xii, 6.
nimirum verbis[2] etsi virga percussoris minatur, paternus tamen pietatis affectus monstratur. Da ergo, Domine, inter flagella tolerantiam, ne murmurationis notam, ut malus servus, incurram; sed

[1] Omnes edit., *delectationis ejus sensu.*

[2] Eædem edit., *etsi virga percussionis.*

magis quasi bonus filius, gratiarum actiones rependam.

15. Illud etiam magnopere peto, ut diem obitus, diem extremi judicii, damnationem æterni supplicii, beatitudinemque regni futuri semper meminerim: quod nemo indesinenter potest, nisi qui ad vitam præordinatus est æternam. Indesinenter, Domine, recolenda est dies illa, in qua lux cum tenebris pugnat, misericordia cum crudelitate desudat, in qua adversarius noster mala quæ fecimus, locuti sumus, vel cogitavimus, violentissimus accusator retexet, justitiam tuam ad hæc punienda deposcet. Ubi quid sum, Domine, nisi tu, qui juste judicas, etiam misericorditer defendas? Recordare, quæso, quia advocatus meus es ipse, qui judicas. Quod si etiam in illo adhuc sæculo aliquid in me vindicandum reservas, peto ne me potestati dæmonum tradas, dum scelus meum purgatoria pœna detergis.

16. Numquam, Domine, oblivioni tradenda est dies illa, de qua dixit propheta: *Dies,* inquit, *iræ, dies illa, dies tribulationis et angustiæ, dies calamitatis et miseriæ, dies tenebrarum et caliginis,*[1] *dies nebulæ et turbinis, dies tubæ et clangoris:* in qua, cœlis et terris ardentibus, *exibunt angeli, et separabunt malos de medio justorum, et mittent eos in caminum ignis:* in qua messores collecta zizania alligabunt in fasciculos ad comburendum. In qua a sinistris positi audient impii: *Discedite a me, maledicti, in ignem æternum, qui præparatus est diabolo, et angelis ejus.* In qua jam obseratis vitæ januis cum exstinctis lampadibus stultæ virgines a thalamo exclusæ plorabunt, dominationemque ingementes clamabunt: *Domine, Domine, aperi nobis;* et tunc dices illis: *Nescio vos.* In qua etiam qui miraculis coruscaverunt, similiter lamentabuntur repulsi, et dicent: *Domine, Domine, nonne in nomine tuo prophetavimus, et in nomine tuo dæmonia ejecimus, et in tuo nomine virtutes multas fecimus?* Et tunc confiteberis etiam istis quia numquam novisti eos, subjiciens: *Discedite a me, omnes qui operamini iniquitatem.*[2] Quis hæc, Domine Deus, terribilis in consiliis, mirabilis in majestatibus, faciensque prodigia; quis, inquam, hæc non paveat, et a fundo cordis non contremiscat; cum etiam illos damnari audiat, quos in hac vita contigit miraculis coruscare? Ad quæ nimirum valet illa sententia, qua dicitur: *Nescit homo utrum amore an odio dignus sit; sed omnia reservantur in futurum incerta.* In quo et si justus vix salvabitur, peccator et impius ubi parebunt?

[1] Sophon. I, 15 et seq.
Matth. XIII, 49.
Matth XXV, 41
Ibid., 11.
Matth. VII, 22.
[2] Ps. VI, 9.
Eccl. IX, 1.

17. Etiam, Domine Deus, indesinenter meditandum æternæ damnationis supplicium, in quo quidquid pœnarum nunc excogitari potest, quidquid etiam non potest, semper adest. Cujus vermis immortalis, ignis inexstinguibilis, fetor intolerabilis est: cujus terra tenebrosa, et mortis caligine cooperta, terra miseriæ et tenebrarum est: cujus torrentes in picem convertuntur, et humus in sulphur, ardebitque in sempiternum: cujus lacus sanguine, igneque permixtus est, et quoscumque suscipit, demergit simul et exurit. O quam horrenda! o quam stupenda sunt ista!

18. Sed major erit, Domine, cruciatus, amissio tuæ claritatis. Sufficit enim ad plenam miseriam tua non perfrui beatitudine, in qua justi receptis corporibus, sanctorumque angelorum celsitudini coæquati,[3] in æternam lucem aspicientes, sicut sol refulgebunt. Nec immerito sole et luna non indigebunt, quia te perenne lumen habebunt. Non esurient neque sitient, non laborabunt neque deficient, non mœrebunt neque lugebunt; quia quidquid satietatis, quidquid quietis, quidquid gaudii est, tua visitatio præstabit, quæ in omnibus omnia erit. Nec tempus jam illis accedet, quia totum æternitas possidebit: nec timebunt ultra jam mori, qui meruerint beata immortalitate vestiri. Quid autem de hac beatitudine miser ego homo amplius dicere valeo? qui de illa quidquid dixero, illa sententia reprimor, quam per Prophetam et Apostolum dictam intelligo: *Quod oculus non vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascenderunt, quæ præparavit*[4] *Deus his, qui diligunt eum.* Erunt certe in illa beata vita hæc bona quæ præmisi, sed ineffabili et nobis adhuc incomprehensibili modo. Hujus desiderio, Domine Deus, formator et reformator meus, hujus amore peragam quidquid in hac vita præcipis ut agam; nec sit ultra timor in charitate, sed perfecta caritas foras mittat timorem.

[3]
[4] I Cor. II, 9.
II Joan. IV, 18.

19. Et ut efficax hæc mea sit deprecatio, beatæ Mariæ virginis suffragia peto, quam tanti meriti esse fecisti, ut prima inter mulieres novum munus offerret, et nulla præter ipsam tam novum acciperet: novum scilicet munus prima offerret,[5] ut puerpera virgo perseveraret: nulla præter ipsam tam novum acciperet, ut Deum virgo pareret, et post partum virgo maneret. Apostolorum intercessionem imploro, qui beatissimam Mediatoris paupertatem, ejusque passiones vestigio insequentes, ad tantum celsitudinis culmen pervenerunt, ut quæcumque ligarent super terram, essent ligata et in cœlo; et quæ solverent super terram, essent soluta et in cœlo; atque in extremis sederent super duodecim thronos, judicantes duodecim tribus Israel. Martyrum preces deposco, qui pro veritate non dubitarunt sanguinem fundere, nec dilexerunt animas suas usque ad mortem, ut mortis superarent auctorem. Confessorum orationes expostulo, qui bella tentantis inimici, dum pie viverent in catholica pace, vel etiam hæreticorum conflictationem diuturno certamine pertulerunt, atque, ut verum dicam, longioris occultique martyrii palmas acceperunt. Talium, Deus meus, preces numquam spernas, si ut pro me exorent, ipse inspiraveris, qui in æternitate perenni vivis et regnas cuncta per sæcula, et in omnibus sæculis, amen.

Matth. XVI, 19.
Matth. XIX, 28.

(Ex Cod. Bibl. Ambr. D. 84. *Inf.* sæc. XI olim Bobiensis).

ORATIO SANCTI AMBROSII

priusquam Missa cælebretur.

Ante conspectum divinæ majestatis tuæ reus assisto qui invocare nomen sanctum tuum præsumo. Miserere mihi, Domine, homini peccatori. Ignosce indigno sacerdoti per cujus manus hæc oblatio videtur offerri. Parce peccatorum labe præ cæteris

[1] *Dies nebulæ et turbinis,* e ms. restitutum est.
[2] Editt., *Quis hic.... quis, inquam, hic non pareat.*
[3] Regius codex, *coæquati, internam lucem,* etc.
[4] Ita ms.; editt. vero, *Deus diligentibus se.*
[5] Ms. codex, *ut puella virgo perseveraret.*

polluto et *(ne)* intres in judicium cum servo tuo, quia non justificabitur in conspectu tuo omnis homo vivens. Scilicet vitiis ac voluptatibus carnis aggravati sumus. Recordare, Domine, quod caro sumus: in tuo conspectu etiam cœli non sunt mundi. Quanto magis nos homines terreni, immundi sicut pannus menstruatæ! Indigni sumus, Jesu Christe, ut simus viventes, sed tu qui non vis mortem peccatoris, da nobis veniam in carne constitutis ut per pœnitentiæ labores vita æterna perfruamur in cœlis per te, Christe Jesu, qui cum Patre et Spiritu Sancto vivis et regnas Deus per omnia sæcula sæculorum. Amen.

Alia.

Ante conspectum divinæ majestatis tuæ, Domine, reus assisto, et non sum dignus accedere ad altare tuum ac invocare nomen sanctum tuum ad sacrum mysterium celebrandum. Sed tu, Domine Deus omnipotens, misericors et miserator, patiens et multæ miserationis et clemens, cunctis meis criminibus et peccatis clementer ignosce, et effice me tibi idoneum et dignum ministrum indulgendo crimina et peccata, et gratiam tuam mihi misericorditer largiendo. Per *etc.*

Item alia.

Ignosce, Domine, quod dum rogare compellor, dum per immunda labia nomen sanctum tuum assumo, et immundorum actuum secreta confiteor, non habeo apud te verba sine crimine. Tu enim conscientiæ meæ vulnera, tu cogitationum mearum occulta nosti, et immunditias meas tu solus agnoscis. Miserere mihi, Domine, miserere mihi. Ignosce mysterii tui secreta tractanti, nec indignum misericordiæ tuæ judices quem pro aliis rogare pro-

A mittis; et in quo testimonium boni operis non agnoscis, officium saltem dispensationis creditæ non recuses, Salvator mundi, qui cum Patre et Spiritu Sancto vivis et regnas Deus per omnia sæcula sæculorum.

Alia.

Ante oculos tuos, Domine, conscientiæ testis assisto, rogare audeo quod impetrare non mereor; tu enim scis, Domine, omnia quæ aguntur in nobis.

B Erubescimus confiteri quod per nos non timemus admitti. Verbis tibi tantum obsequimur, corde mentimur, et quod velle nos dicimus, nolle nostris actibus approbamus. Parce, Domine, confitentibus, ignosce peccantibus, miserere rogantibus, et quia in sacramentis tuis meus sensus infirmus est, præsta, Domine, ut qui ex nobis duri cordis verba non suscipis, per te nobis veniam largiaris per Dominum *etc.*

C *Apologia ante Altare.*

Conscientia quidem trepidi, omnipotens, ad altare tuum accedimus; sed fiduciam de tuæ pietatis misericordia retinemus, et licet ad celebranda sacrificia semper inveniamur indigni; sed si recedimus veremur de inobedientia condemnari (in cod. *condepnari*). Pro qua re dignare nos pietate paterna placido vultu respicere, et cordis nostri infirma purgare. Et si nos pondere peccatorum ac reatu

D constringimur, nostrarum tamen per eum obtentu *(desunt aliqua)* tibi sint quæsumus, Domine, in omnibus placita mysteria consecranda per te, gloriosa et admirabilis Trinitas, qui *(ita)* vivis et regnas in sæcula sæculorum. Amen.

PRÆFATIO

AD EXPOSITIONEM SUPER SEPTEM VISIONES LIBRI APOCALYPSIS.

Sufficit de hac sequentem exhibere *Admonitionem,* ut more suo Maurini Editores eam vocant:

« Hujus Commentarii exemplar, in quo sancti Ambrosii nomen inscriptum erat, nactus e bibliotheca monasterii cujusdam Cuthebertus Tonstallus Dunelmensis episcopus, illud ita publici juris facere constituit, ut simul etiam Doctori nostro ipsum vindicare propria præfatiuncula conaretur. Non tamen dissimulat locum unum in eo reperiri, *qui Gregorium Romanum episcopum et verbis et sensu præferat;* sed nihil esse idem respondet, cur Ambrosium in hoc imitari non potuerit sanctus Gregorius. Ex hac Tonstalli editione, quæ anno 1548 prodiit Parisiis, hæc Commentaria in appendicem suæ Ambrosianorum Operum editionis Gillotius admisit: quod similiter a Romanis factitatum est. Dubitari porro minime potest quin hoc ipsum opus e manuscripto valde mutilo vulgatum fuerit, quandoquidem nomina Hilarii, Augustini, Prudentii, Hieronymi, et ipsiusmet Ambrosii, ac demum Gregorii, qui sexties, ut minimum, citatisque nonnumquam ipsius verbis ibi allegatur, prætermissa sunt in editionibus: quæ nos non secus ac frequentissimas alias lacunas manuscriptorum optimorum subsidio restituimus. Vide cap. 9, 11, 12, 13, 17, 21 et 22.

« Verumtamen quantumvis imperfectæ fuerint eædem superiores editiones, idonea tamen argumenta suppeditarunt, unde critici omnes adulterinum fetum Ambrosio suppositum fuisse agnoscerent. Eo inducebant scripti elocutio majestate Ambrosiana multo inferior, ignorantia græcarum litterarum, denique potestatis Longobardorum Cap 17. quasi jam deletæ facta mentio. Et sane hoc ultimum sufficiebat, ut sanctum Antistitem demonstraret ejus commentationis auctorem dici haudquaquam posse, quam post annum 774, quo eadem gens, exstincto rege suo Desiderio, sub ditionem Caroli Magni redacta fuit, compositam esse dubium non est. Quid vero si huc addamus istum auctorem de Gregorio pont. max. tamquam inter sanctos et Ecclesiæ doctores cum Hieronymo atque aliis Cap. 1, 6 et 20. jam tunc recepto sermonem habere, atque ex Athanasii symbolo quasi pro regula fidei per universum christianum orbem jam decantari solito frequentia usurpare testimonia, et ad postremum archidiaconorum avaritiam Cap 18. quæ synodorum Parisiensis, Cabillonensis et Aquisgranensis nono sæculo celebratarum canonibus coercita est, graviter et cum stomacho insectari?

« Tempus igitur, quo hunc auctorem floruisse necesse est, deprehensum habemus; de nomine ejusdem nunc *De Christ. Eccl. Success. ac statu* cap. 1. quærendum est. Neque vero Usserius Armachanus, ut hallucinatus est in eo, quod illum recentem esse existimavit, ita etiam in hoc erravit, quod affirmavit Berengaudum fuisse appellatum. Etenim hoc ipsum nomen in codicibus omnibus, Gemeticensi tantum excepto, aut in fronte præscriptum legitur; aut saltem in conclusione,

quæ in editionibus prætermissa est, his verbis indicatur: *Quisquis nomen auctoris scire desideras, litteras Expositionum in capitibus* VII *Visionum primas attende. Numerus quatuor vocalium quæ desunt, si græcas posueris, est* LXXXI. Verum quoniam forte obscura et ænigmatica videri possunt hæc ipsa verba, eorum expositionem in Regio ac Sagiensi codice ante 600 annos et eadem manu qua ipsemet Commentarius scriptam hic subjicimus.

« Auctor hujus libri Berengaudus appellatur, si diligenter, quomodo inveniendum nomen suum ipse doceat, attendatur. Primæ enim litteræ Expositionum in capitibus septem Visionum, quas attendere jubet, istæ sunt, B. R. N. G. V. D. S. Quatuor autem græcæ vocales, quæ his adjungendæ sunt, exprimentes numerum LXXXI, istæ sunt: E brevis, 5; item E brevis, 5; A, 1; et O, 70. Junge ergo simul numerum, quem singulæ vocales istæ continent, et habebis sine dubio LXXXI; nisi vero, E, ut prænotatum est, bis assumpseris, in aliis omnino diversis vocalibus numerus iste tibi non occurret. Confer itaque has quatuor vocales superioribus septem consonantibus, et syllabas ex his compone hoc modo *Berengaudos*. Habes igitur *Berengaudos*. Sed hæc græca terminatio est: latina autem terminatio est *Berengaudus*. Quod enim apud Græcos in *os*, apud Latinos terminatur in *us*, ut *Petros Petrus, Paulos Paulus*. Quod si ordinem prædictarum vocalium, in inveniendo hoc nomine tenere malueris, et prius ponendo A, cæteras per consonantes ita disponere, ut dicas *Barenguedos*, non tibi quidem in hoc præscripta vocalium ratio adversatur: sed barbarum nimis, et omnimodo inusitatum hominis nomen inde formatur. Melius ergo est, et multo rectius ut, sicut præscriptum est, *Berengaudus*, non *Barenguedus* vocetur, quia hoc usitatum et magis elegans; illud vero et inusitatum et minime elegans hominis nomen videtur.

« Jam vero si quis aveat scire quodnam fuerit auctoris ejusdem institutum ac vitæ genus, tametsi nihil omnino exploratum de hoc suppetat, eum tamen monasticam Benedictinæ familiæ institutionem secutum esse hinc conjicimus, quod de vitiis quæ sibi aditum in monasteria tum temporis fecerant tamquam ocularis testis subinde Cap. 9 et 21.
Cap. 18 et 21. disserat, et locos plures passim inserat e Regula beati Benedicti ad verbum expressos. Quæ tamen ratio si non probetur, negari saltem minime poterit *viri ecclesiasticis litteris*, ut Regius codex in ipso capite præscriptum habet, *optime eruditi* hoc Opus esse. Non aliud judicium jam olim de illo tulerat Dionysius Chartusianus, et recenti memoria id ipsum sensit eruditissimus, ac de catholica religione optime meritus dominus Benignus Bossuet Meldensium præsul, cujus suffragio hic non assentiri nefas ducimus ».

EXPOSITIO
SUPER SEPTEM VISIONES LIBRI APOCALYPSIS.

DE PRIMA VISIONE.

1 eatum[1] Joannem apostolum et evangelistam hunc librum Apocalypsin edidisse constat; quamvis exstiterint aliqui, qui non ab eo, sed ab alio dixerint fuisse compositum: sed ejus fuisse sequentia manifestant.

CAPUT I.

(VERS. 1). *Apocalypsis Jesu Christi, quam dedit illi Deus.* Apocalypsis, revelatio vel manifestatio interpretatur. Quod revelationis donum et Pater Filio dedit, secundum quod homo erat, et ipse Filius sibimetipsi, divinitas scilicet homini, quem assumpsit. *Palam facere servis suis quæ oportet fieri cito.* Cum hic liber non solum futura, sed et præsentia et præterita narret; cur hic sola futura Dominum nostrum Jesum Christum servis suis manifestare dixit? Quia videlicet præsentia visu, præterita auditu facile cognoscuntur: futura autem, non nisi aut per doctrinam divinarum Scripturarum, aut per revelationem agnosci queunt. *Et significavit, mittens per angelum suum servo suo Joanni.* In hoc loco talis mihi sensus esse videtur: Dominus Jesus angelum suum misit, et per A eumdem angelum servo suo Joanni manifestavit, quæ oportet fieri cito.

(VERS. 2). *Qui testimonium perhibuit Verbo Dei.* Hic locus aperte demonstrat non ab alio Joanne, sed ab illo qui Evangelium scripsit, hunc librum esse compositum. Qui et in cœna supra pectus Domini, Joan. XIII, 25.
in quo erant omnes thesauri sapientiæ et scientiæ absconditi, recubuit, de quo immensum fontem sa- Coloss. II, 3.
pientiæ haurire meruit. Perhibuit ergo testimonium Verbo Dei, quando dixit: *In principio erat Ver-*
B *bum, et Verbum erat apud Deum, et Deus erat Verbum.* Sed et in hoc quod sequitur, quæstio Joan. I, 1.
oritur: *Et testimonium Jesu Christi quæcumque vidit.* Quomodo ergo testimonium perhibuit Jesu Christi, quæcumque vidit, cum ipse dicat in eodem Evangelio: *Multa quidem et alia signa fecit Jesus in conspectu discipulorum suorum, quæ non sunt scripta in libro hoc?* Sed testimonium perhibuit Joan. XX, 30.
Jesu Christo, quæcumque vidit, prædicando videlicet gentibus omnia quæ a Christo didicerat, et
C miracula quæ viderat narrando, ea tantummodo scribens quæ posteris amplius profutura esse præviderat.

(VERS. 3). *Beati qui legunt, et qui audiunt verba prophetiæ hujus, et servant ea, quæ in ea scripta sunt.* Tres species beatitudinis posuit: sed duæ nihil sunt, si tertia defuerit; nam nihil proficit eis qui legunt aut audiunt mandata Dei, si non servant ea, quæ legunt vel audiunt. Multi namque sunt, qui mandata Dei aut audiunt aut legunt: sed nihil
D eos juvat, quia cum corpore præsentes sint, mente

[1] *Beatum Joannem* usque ad *sequentia manifestant*, Rom. edit. jugulaverat, cum tamen hoc fragmentum et in edit. Gill. et omnibus mss. reperiatur: cui etiam in col. Gem. præmittuntur duo primi versus ejusdem libri Apocalypsis, in Reg. autem primus versus.

sunt absentes; aut enim in acquirendis rebus mens eorum dedita est, aut libidine exagitatur, aut proximum dijudicat, aut contra prælatum superbit, aut fingit se potentem futurum *(sic)*, aut cæteris vanissimis rebus distenditur. Potest talibus convenire quod ait propheta: *Aure audietis, et non intelligetis; et videntes videbitis, et non perspicietis.* Isai. VI, 9. Nonnulli vero sunt, qui divinas Scripturas legunt et audiunt; id est, mentem ad earum intelligentiam accommodant: sed ideo divinas Scripturas discunt, ut sapientes et egregii apud homines habeantur, et in sæculi prosperitatibus floreant, non ut vitam reprobam corrigant. Sed beati non sunt, quia Scripturam divinam non pro amore Dei, sed pro amore sæculi didicerunt. De talibus dicit propheta: *Sapientes ut faciant mala, bene autem facere nescierunt.* Jerem. IV, 22. Et Dominus in Evangelio in parabola seminantis loquitur, dicens: *Quod autem in spinis cecidit, ii sunt qui audierunt, et a sollicitudinibus et voluptatibus vitæ euntes suffocantur, et non referunt fructum.* Luc. VIII, 15. Illi ergo soli beati sunt, qui ideo mandata Dei student discere, ut audiant, id est, in mente recondant: ideo in mente recondunt, ut opere impleant: ideo opere implent, ut æternam beatitudinem assequantur. *Tempus enim prope est.* Tempus videlicet judicii; nam si tempus ab adventu Domini usque ad finem mundi ante oculos ponas, longum invenies: sed in comparatione priorum temporum breve est.

(VERS. 4). *Joannes septem Ecclesiis, quæ sunt in Asia. Gratia vobis et pax ab eo, qui est, qui erat, et qui venturus est.* Per septem Ecclesias, una Ecclesia catholica designatur; propter septem videlicet dona Spiritus sancti, quibus illustrata in mundo refulget. Asia elata interpretatur; quia inter elatos hujus sæculi Christus multitudinem fidelium invenit, ex quibus Ecclesiam suam fabricavit. Et perpende quia totus hic liber in septenario numero consistit, sicut sunt septem Ecclesiæ, ad quas hæc scripta diriguntur; sicut sunt septem candelabra, septem stellæ, septem lampades, septem cornua agni, septem oculi, septem sigilla, septem angeli tubis canentes, septem tonitrua, septem itidem angeli phialas habentes. Nam et draco qui diabolum, et bestia quæ Antichristum designat, uterque septem capita habuisse visus est: similiter et bestia, super quam mulier meretrix sedisse visa est; et si diligenter advertas, totus hic liber in septem visiones distinctus est. Prima est, quæ septem epistolas ad septem Ecclesias destinatas continet, et cætera quæ ibi continentur: secunda est, in qua sedem in figura Ecclesiæ in cœlo positam vidit, et supra sedem Christum sedentem: in tertia Agnus librum et sigilla ejus aperuit: in quarta septem angeli sunt visi tubis canentes: in quinta septem iterum angeli visi sunt phialas habentes: in sexta resurrectio describitur: in septima gloria sanctorum in figura civitatis Hierusalem de cœlo descendentis demonstratur.

(VERS. 5). *Gratia*[1] *vobis et pax ab eo, qui erat, et qui est, et qui venturus est, et a septem spiritibus, qui in conspectu throni ejus sunt; et a Jesu Christo, qui est testis fidelis.* Hic tota Trinitas demonstratur; per eum namque qui erat, et qui est, et qui venturus est, Pater designatur. Erat namque ante constitutionem mundi sine ullo initio; est modo post constitutionem mundi, regens omnia quæ creavit et gubernans: venturus est post finem mundi cum Filio et Spiritu sancto, ut regnet cum sanctis suis in sæcula sæculorum. Per septem autem spiritus sanctus Spiritus, eo quod sit septiformis, intelligitur. *Et ab Jesu Christo, qui est testis fidelis.* Ille veracitur testis fidelis dici potest, qui nescit mentiri: qui quod electis suis misericorditer repromisit, sine dubio implebit: qui nec eum, qui calicem aquæ frigidæ egenti dederit, a mercede vacuum derelinquit: cujus verba ita fixa permanent, ut facilius sit cœlum et terram in nihilum redigi, quam aliquid immutari ex omnibus, quæ se facturum essa prædixit. Matth. X, 42. *Primogenitus mortuorum, et princeps regum terræ.* Quomodo Christus primogenitus mortuorum dicitur, cum ipse in fine temporum sit natus, adventumque ejus innumerabilis multitudo hominum præcesserit?[2] Sed primogenitus pro primo ponitur, sicut primos in populo eos vocamus, qui non ætate, sed honore et dignitate cæteros antecellunt. Mortui autem ipsi sunt, de quibus Apostolus loquitur, dicens: *Mortui enim estis, et vita vestra abscondita est cum Christo in Deo.* Coloss. III, 3. Primogenitus ergo mortuorum Christus est, quia ipse est primus, et caput omnium electorum suorum. *Princeps regum terræ.* Rex a regendo dicitur: per reges ergo apostoli et cæteri sancti designantur, quia et semetipsos et alios regere noverunt: per terram autem Ecclesia designatur. *Qui dilexit nos, et lavit nos a peccatis nostris in sanguine suo.* Ergo quia dilexit, lavit: et quid ista lavatio nobis contulit, sequentia manifestant.

(VERS. 6). *Et fecit nos regnum et sacerdotes Deo et Patri.* Regnum Dei Ecclesia Dei dicitur: regnum ergo Dei ex hominibus Christus Deus fecit, quando eos tales constituit, in quibus ipse cum Patre et Spiritu sancto inhabitare et regnare dignaretur. Nam qui designantur per regnum, ipsi et per sacerdotes: sacerdotes ergo Dei electi dicuntur, eo quod membra sint summi Sacerdotis, de quo Psalmista loquitur, dicens: *Tu es sacerdos in æternum secundum ordinem Melchisedech.* Ps. CIX, 4. Possunt et aliter electi Dei sacerdotes Dei dici, eo quod semetipsos quotidie per compunctionem cordis et orationes, cæteraque bona opera offerant Deo, sicut dicit Psalmista: *Sacrificium Deo spiritus contribulatus.* Ps. L, 19. Est et sacrificium laudis, quod quotidie offerre Deo sancta Ecclesia consuevit, de quo idem propheta loquitur dicens: *Immola Deo sacrificium laudis.* Ps. XLIX, 14. Et iterum: *Sacrificium laudis honorificabit me.* *Ibid.* 23

(VERS. 7). *Ecce venit cum nubibus, et videbit eum omnis oculus, et qui eum pupugerunt.* Veniet ad judicium cum nubibus, sicut dicit ipse in Evangelio: *Et tunc videbunt Filium hominis venientem in nubibus cum potestate magna et majestate.* Matth. XXIV, 30. Sed quomodo eum omnis oculus videbit, cum Scriptura dicat: *Tollatur impius, ne videat gloriam Dei!* Isai. XXVI, 10. Videbunt eum impii ad sinistram in judicio

[1] Rom. edit. hinc expunxerat, *Gratia vobis... qui venturus est:* quod nos ex mss. ac Gill. restituimus. Cum autem non infrequenter similia sibi permiserit in textibus Scripturæ, eadem a nobis ad fidem mss. et edit. Gill. restituentur.

[2] Ita mss.; at editt. e contrario: *Sed primogenitus proprie mortuorum ponitur.*

constituti in ea forma, qua in mundo constitutus ab hominibus videri potuit; sed non in ea, qua Deus est: justi autem in ea claritate eum videbunt, qua modo in cœlestibus positi eum vident, et visuri sunt post finem mundi in perpetuum. Sed et ipsi qui eum pupugerunt, velint, nolint, videre conpellentur: impii videlicet Judæi, qui eum crucifixerunt; ut sciant quem irriserunt, sicut scriptum
Joan. xix, 37. est in Evangelio: *Videbunt in quem transfixerunt.*

Et plangent se super eum omnes tribus terræ. Per omnes tribus terræ soli reprobi intelliguntur. Plangent autem se, cur præcepta Dei contempserunt, cur propter breve gaudium perpetuam tristitiam acquisierunt. Aliter: *Ecce venit cum nubibus,* possunt per nubes apostoli cæterique prædicatores intelligi. Venit autem cum nubibus, quando nomen ejus per sanctos prædicatores universis gentibus innotuit. *Et videbit eum omnis oculus;* quia omnes qui oculos habuerunt, eum viderunt, eos videlicet oculos de quibus dicit ipse apostolis: *Beati oculi,*
Luc. x, 23. *qui vident, quæ vos videtis.* Habebant autem impii Judæi oculos, sed eos oculos non habebant, quibus Deus videtur. *Et qui eum pupugerunt:* id est qui eum persecuti sunt, et membra ejus ad fidem illius maxima ex parte conversi sunt, ex quibus fuit apostolus Paulus. *Et plangent se super eum omnes tribus terræ.* Per omnes tribus terræ omnis multitudo gentium potest intelligi, quæ ad Christum conversa est: quæ quotidie in Ecclesia Dei posita plangit peccata sua, ut veniam a Deo consequi mereatur. *Etiam* atque *amen* confirmatio sermonis est.

(Vers. 8). *Ego sum,* A *et* Ω. Quid sit alpha et omega, sequentia manifestant: id est, *principium et finis.* Sicut ipse dixit Judæis: *Ego principium,*
Joan. viii, 25. *qui et loquor vobis.* Potest etiam Salvator noster principium ideo dici, eo quod ipse sit principium, id est, creator generis humani, et auctor salutis; finis autem, quia ipse est finis legis, finis mortis, omnisque prævaricationis. *Qui est, et qui erat, et qui venturus est, omnipotens.* Est modo in mundo Ecclesiam suam regens, erat ante constitutionem mundi æternaliter cum Patre permanens; venturus est ad judicium, ut judicet mundum in æquitate.

(Vers. 9). *Ego Joannes frater vester, et socius in tribulatione, et regno, et patientia in Jesu.* Discipulos vocat fratres, quia uno Christi sanguine redempti, et una matre Ecclesia generati erant. Socium se eorum in persecutione etiam dicit, quia omnes Ecclesias Domitiani persecutio turbaverat: socium in regno, quia et se membrum Ecclesiæ, sicut et ipsi erant, quos Deo acquisierat, fatebatur: socium se eorum etiam in patientia testatus est; quia et ipsi æquanimiter adversa tolerabant, sicut et ipse qui pro amore Christi in Pathmos insula relegatus tenebatur.

(Vers. 10). *Fui autem in spiritu in Dominica die.* In spiritu se fuisse dicit, quia tanta mysteria, quæ sequuntur, non carnalibus, sed spiritalibus oculis videri poterant: *Animalis enim homo non per-*
I Cor. ii, 14. *cipit ea, quæ sunt spiritus Dei.* Dominica autem dies tempus Evangelii designat; de quo tempore Apostolus loquitur dicens: *Ecce nunc tempus ac-*
II Cor. vi, 2. *ceptabile, esse nunc dies salutis.* In quo tempore prophetæ mysteria divina gentibus esse pandenda prædixerunt. *Et audivi post me vocem tamquam*

A *tubæ dicentis.* Quasi post nos est, quod ignoramus. Aliter:[1] Vox Domini post nos est, quia nos quasi servi fugitivi sumus: Dominus autem post tergum nostrum clamat, ut nos revocet. Post se ergo Joannes vocem audivit; quia mysteria quæ tunc ei revelata sunt, nondum perfecte cognoverat. Quæ vox similis tubæ dicitur fuisse; de hac tuba propheta loquitur dicens: *Clama, ne cesses, quasi tuba exalta vocem tuam, et annuntia populo meo scelera eorum, et domui Jacob peccata eorum.* Isai. lviii, 1.
B Tuba ad pugnandum milites provocare solet: similiter et nos sermo Dei ad pugnandum contra diabolum atque vincendum incitare non desinit.

(Vers. 11). *Quod vides, scribe in libro, et mitte septem Ecclesiis, Ephesum et Smyrnam, Pergamum et Thyatiram, Sardis et Philadelphiam et Laodiceam.* Per has septem Ecclesias una Ecclesia catholica, sicut interpretatio nominum docet, designatur. Ephesus namque voluntas, sive consilium interpretatur; Smyrna canticum eorum;
C Pergamus divisio cornuum; Thyatira illuminata; Sardis principium pulchritudinis; Philadelphia salvans hæreditatem Dei; Laodicea tribus amabilis Domino. Ephesus igitur, quæ prima ponitur, initium conversionis uniuscujusque demonstrat; interpretatur namque voluntas, sive consilium. Quod enim melius consilium, quam voluntas bona, quæ homini suadet abrenuntiare diabolo, et sequi Christum, relinquere vitia, et apprehendere virtutes? Et quia qui ad Deum converti volunt, necesse est ut Domini
D misericordiam implorent, ut perficere possint, quod desiderant; Smyrna huic supponitur, quæ canticum eorum interpretatur. Ille enim bene cantat, qui misericordiam conditoris sui corde contrito, et humiliato spiritu deprecatur: de quo cantu Apostolus loquitur dicens: *Cantantes et psallentes in cor-*
Ephes. v, 19. *dibus vestris Domino.* Et quia qui a Deo exaudiri vult, necesse est ut vitia derelinquat, et ad bona opera agenda, in quantum virtus suppetit, semetipsum convertat; Pergamus in ordine sequitur, quæ
E divisio cornuum interpretatur. Duo cornua in hoc loco malum et bonum significant. Cornua dividimus, quando inter bonum et malum discernentes, malum a nobis repellimus, et bonum amplectimur. Et quia quamdiu in peccatis jacemus, in tenebris sumus; cum autem mala a nobis rejicimus, et bona operari incipimus, quasi a tenebris ad lucem progredimur; non inconvenienter post Pergamum Thyatira sequitur, quæ illuminata interpretatur. Et quia ex operatione mandatorum Dei pulchritudo animæ
F accrescit, et quanto quis in operatione mandatorum Dei plus crescit, tanto ampliorem pulchritudinem animæ suæ confert; non incongrue post Thyatiram, Sardis sequitur, quæ principium pulchritudinis interpretatur. Principium pulchritudinis ideo dicitur, quia sanctorum pulchritudo in hac vita inchoatur, et in æterna beatitudine perficitur. Sequitur Philadelphia, quæ salvans hæreditatem Dei dicitur. Quid est autem hæreditas Dei, nisi omnis multitudo electorum, sicut dicit Dominus ad prophetam:
G *Hæreditas autem mea Israel?* Et in quo salus Isai. xix, 25. electorum consistit, nisi in operatione mandatorum Dei? Nam ille qui venit quærere et salvare quod Luc. xix, 10. perierat, illis salutem animarum largitur, qui mandata ejus singula secundum propriam virtutem custodiunt. Laodicea septima ponitur, quia tribus

[1] Deest in cod. Reg. et Gem., *Aliter: Vox Domini.... ut nos revocet.*

amabilis Domino interpretatur. Tribus autem amabilis Domino est omnis multitudo electorum, quæ est Ecclesia, quæ per abrenuntiationem vitiorum, et per virtutum operationem ad hoc pervenit, ut tribus amabilis Domino vocetur.

(Vers. 12). *Et conversus sum, ut viderem vocem, quæ loquebatur mecum.* Cur tamdiu aversus stetit? Cur non ad primum ictum sermonis aures ejus percutientis, ad eum conversus est, qui a tergo loquebatur? Sed nobis exemplum dedit; nam ad Dominum qui secum loquebatur, non prius conversus est, quam nomina Ecclesiarum, ad quas scribere præcipiebatur, audiret. Et superius breviter diximus per interpretationes nominum septem Ecclesiarum viam demonstrari, quæ ducit ad vitam. Quisquis igitur per hanc viam ire ad Deum desiderat, aut legendo, aut ab aliis audiendo, qualiter per hanc viam gradi debeat, investigare debet; quia stultus viator est, qui ad locum optatum ire desiderat, et viam nescit; si non prius discere studuerit, quæ sit longitudo viæ, quæ asperitas, qui anfractus, quæ pericula; ut cum iter scandere cœperit, pericula præcognita facilius transeat. Multos enim vidimus sæculum reliquisse, ut per contemplationis viam vitam æternam acquirerent; sed quia nescierunt asperitatem viæ, subito cecidisse. Sed potest fieri, ut contra hæc testimonium vobis de divina Scriptura aliquis objiciat, quæ dicit:
Eccli v, 8. *Ne tardes converti ad Deum.* Ad hæc ego respondeo, quia jam ad Deum convertor, cum viam quæ ad eum ducit, investigare non desino. Et quid est, quod dicit: *Et conversus sum, ut viderem vocem;* cum vox non oculis, sed auribus percipiatur? Sed Joannes in spiritu positus, spiritalibus oculis ea quæ sequuntur, videre promeruit. Neque opus erat ibi voces verborum perstrepere, ubi intus erat Deus, qui docebat. Aliter: ille competenter verba Dei audit qui quod audierit, oculis mentis intueri non desinit, ut ea opere impleat.

(Vers. 13). *Et conversus, vidi septem candelabra aurea, et in medio septem candelabrorum aureorum similem Filio hominis.* Septem candelabra aurea septem Ecclesias designant, sicut ipse exposuit; et septem Ecclesiæ unam Ecclesiam catholicam figurant. Quæ candelabra aurea dicuntur, sive propter persecutiones quas sancti in sæculo perferunt, sive propter sapientiam qua illuminantur. In quorum medio Christus stare visus est, sicut ipse dicit in Evangelio: *Ecce ego vobiscum sum*
Matth. xxviii, 20. *omnibus diebus usque ad consummationem sæculi.*

(Vers. 14, 15). Sequitur: *Vestitum podere, et præcinctum ad mamillas zona aurea: caput vero ejus et capilli erant candidi tamquam lana alba, et tamquam nix: et oculi ejus tamquam flamma ignis: et pedes ejus similes aurichalco, sicut in camino ardenti: et vox ejus sicut vox aquarum multarum. Et habebat in dextra sua septem stellas: et de ore ejus gladius ex utraque parte acutus exibat: et facies ejus, sicut sol lucet in virtute sua.* Si septem candelabra et septem stellas pro duobus ornamentis accipere volueris, decem ornamenta invenies, ex quibus Domini corpus decoratum fuisse visum est. Sed quid duo ornamenta, id est, septem candelabra, et septem stellæ significarent, ipse per semetipsum exposuit: quid autem octo quæ restant, significent, perscrutandum nobis est. Sanctam namque civitatem Dei, quæ ex omnibus electis constat, quæ ab initio usque ad finem tendit, si diligenter perspicias, in septem partes divisam invenies. Prima igitur pars ejus sunt electi, qui ab initio usque ad diluvium fuerunt: secunda patriarchæ et cæteri justi usque ad Legem datam: tertia hi, qui sub Lege fuerunt: quarta prophetæ: quinta apostoli, et qui ex Judæis crediderunt: sexta vero pars est gentium multitudo, quæ ad fidem venit: septima electi, qui in fine mundi nascituri sunt, et contra Antichristum pugnaturi. Per has igitur septem partes, quod Dominus dederit, dicendo redeamus: de octava in sequentibus dicemus. Poderis igitur, quæ est talaris tunica, justos qui ante diluvium fuerunt, designat. Quæ cujus coloris fuerit, non dicitur; eo quod nullam aliam legem, nisi naturalem, habuerint. Naturalis autem lex est creatorem suum diligere, et quod sibi quis non vult fieri, alteri non facere. Hanc legem nullus, qui ratione suffultus est, ignorare permittitur. Per zonam autem patriarchæ et cæteri justi, qui ante legem fuerunt, designantur. Quæ aurea dicitur, quia multis tribulationibus, sicut aurum in fornace probati esse noscuntur: sicut Abraham, qui de igne Chaldæorum erutus est: sicut Loth, quem Sodomitæ afflixerunt: sicut Isaac, qui cæcitatem pertulit: sicut Jacob, qui persecutione fratris atque soceri est afflictus: sicut Joseph, qui captivitatem et carcerem sustinuit: sicut Job, qui amissionem rerum, diramque passionem pertulit. Eodem modo et de cæteris,[1] quos Scriptura non commemorat, debemus intelligere. Quæ zona mamillas constrinxisse legitur; per mamillas namque duo præcepta caritatis designantur, per quæ sanctos patres Deo placuisse certum est.

Caput vero ejus et capilli erant candidi tamquam lana alba et tamquam nix. Per caput Lex, per capillos vero qui ex capite nascuntur, multitudines eorum designantur, qui per Legem salvi facti sunt. Qui capilli tamquam lana alba, et tamquam nix candidi esse dicuntur; quia videlicet ille populus a tenebris vitiorum per Legem est emundatus. *Oculi autem ejus velut flamma ignis.* Oculi cuncta quæ circa se sunt, longe lateque perspiciunt: per oculos igitur prophetæ designantur, qui ea quæ ventura erant, longe ante prævidere meruerunt. Qui sicut flamma ignis esse dicuntur, quia Spiritu sancto illuminati mysteria cœlestia contemplati sunt.

Et pedes ejus similes aurichalco, sicut in camino ardenti. Per pedes apostoli designantur, et cæteri qui ex Judæis crediderunt. De istis pedibus propheta loquitur dicens: *Quam pulchri super montes pedes evangelizantis pacem, annuntiantis bonum, prædicantis salutem, dicentis: Sion, regnabit Deus tuus.* Qui similes aurichalco dicuntur; Isai. lii, 7
æs namque in fornace quibusdam medicaminibus admixtis tamdiu conflatur, usque dum colorem auri accipiat, et dicitur aurichalcum. Per æs igitur, quod sonorum est, et quod in nigredinem cito vertitur, Judæi designantur, qui Legem quidem secundum litteram sonare videbantur; sed velamine nigredinis mente obtecti, spiritalem intelligentiam, quæ in ea latebat, intelligere nequiverunt. Æs igitur in aurichalcum est conversum, quando ex Judæis apostoli sunt electi. Per fornacem autem sive mundus,

[1] Edit. Gill. ac Rom., *quos Scriptura commemorat;* mss. vero, *non commemorat.*

in quo aliquantum Christus conversatus est, sive
1 tribulationes quas sustinuit, possunt designari.[1] In hac etiam fornace apostoli ei conjuncti sunt, sicut ipse dicit: *Vos estis enim, qui permansisti mecum*
Luc. XXII, 28. *in tentationibus meis.* In hac ergo fornace per doctrinam Evangelii splendorem auri accipere meruerunt. *Et vox ejus, sicut vox aquarum multarum.* Per vocem aquarum multarum multitudo gentium, quæ ad fidem Christi cucurrit, designatur.

Et habebat in dextera sua stellas septem. Quid hoc significet, ipse in sequentibus exponit. *Et de ore ejus gladius ex utraque parte acutus exibat.* Per gladium electi qui in fine mundi nascituri sunt, atque contra Antichristum pugnaturi, designantur. Et quia maxima multitudo gentium culturam Christi derelinquens, Antichristum hominem impiissimum pro Deo adorabunt, non incongrue illi qui ad errores eorum concidendos progressuri sunt, per gladium designantur. Qui duo acumina habere visus est; quia ipsi doctores, duorum Testamentorum doctrinis eruditi, facile hostes devincent. Nam quod de ore Domini ipse gladius procedere visus est, illud significat, quod ipse dixit in Evangelio: *Non enim vos estis qui loquimini, sed Spiritus Pa-*
Matth. X, 20. *tris vestri, qui loquitur in vobis.* In iis ergo septem ornamentis omnis electorum Ecclesia, quæ a nobis in septem partes dividitur, comprehenditur. Sine iis ergo septem partibus non mihi videtur hunc librum quemquam ordinate posse intelligere: de octava autem quæ restat, aliquid dicendum est.

Et facies ejus, sicut sol lucet, in virtute sua. Per faciem Ecclesia, sicut post resurrectionem futura est, designatur; et ideo per faciem, quia tunc
I Cor. XIII, 12. Deum, sicut dicit Apostolus, justi facie ad faciem videbunt. Quæ sicut sol lucere visa est, quia sicut dicit Dominus: *Tunc justi fulgebunt sicut sol in*
Matth. XIII, 43 *regno Patris sui.* Inveniuntur in Scripturis quædam his septem partibus convenientia, ut est illud quod
Josue VI, 6 et seq in Josue legitur, ubi præcepit Dominus, ut circumiret arca Dei civitatem Jericho per septem dies semel in die, sacerdotibus eam portantibus, tubisque canentibus, ac populis sequentibus. Jericho namque omne corpus reproborum, quod est civitas diaboli, designat: per filios vero Israel electi designantur: per sacerdotes prædicatores: per tubas doctrina prædicationis: per populum vero qui eos sequebatur, omnes justi designantur, qui eorum doctrinam sequebantur, et actus imitabantur: per arcam autem quam ferebant, Christus intelligitur, qui a sanctis in cordibus eorum habitans portatur. De prædicatoribus autem qui post Christi adventum fuerunt, nulli dubium quod Christum non solum lingua prædicando, verum etiam corde diligendo portaverunt. Illi autem qui adventum ejus præcesserunt, quomodo illum portaverunt? Portaverunt utique et illi; nam aliqui eorum eum verbis prædixerunt, aliqui factis præsignaverunt. Quærendum vero nobis est quid circuitus iste, qui per septem dies factus est, designet. Loci namque quem circuimus, ingressum devitamus; nam cum per viam pergimus, si foveam aut limum profundum, aut aliquod periculum invenimus, circumeundo si possumus, ingressum ejus devitamus, ut periculum evadamus. Jericho namque circuimus, si iter vitæ præsentis secundum voluntatem Dei perficimus; nam quamvis cum reprobis habitemus, Jericho circuimus, si ab

A eorum pravitatibus abstinemus. De hac circuitione mihi videtur dixisse Psalmista: *Circuivi et immolavi in tabernaculo ejus hostiam jubilationis.* Cir- Ps XXVI, 6.
cuivit namque et postea immolavit; quia facta reproborum prius sprevit, ut hostia jubilationis ejus acceptabilis Deo fieret. Multi enim sunt, qui assidue laudant Deum: sed quia vitia a se repellere nolunt, eorum laudationis hostia non est acceptabilis Deo. Prima igitur circuitio ad eos justos, qui ante diluvium fuerunt, pertinet, qui filii Dei dicti sunt. Ci-
B vitatem igitur Jericho tamdiu circuierunt, quamdiu a societate reproborum se sequestraverunt. Postquam igitur arca Dei, et populus Jericho civitatem circuierunt, ad castra redierunt; quia unusquisque justus circuitionis suæ tempore expleto, post mortem ad societatem electorum, quæ sunt castra sanctorum, ducitur. Secundæ diei circuitus ad eos, qui post diluvium usque ad Moysen fuerunt, pertinet: qui et ipsi civitatem Jericho circuierunt; quia ab iniquitatibus reproborum se separaverunt.
C Nam et Abraham, quamvis inter Amorrhæos habitaret, non solum vitia, sed etiam corporum societatem in tantum horruit, ut filio suo ex filiabus eorum nollet accipere uxorem. Et de Loth, qui apud Sodomitas habitabat, loquitur beatus Petrus, II Pet. II, 7.
qui auditu et visu justus erat, habitans apud eos, qui de die in diem animam justam iniquis operibus cruciabant. Eodem modo et cæteri. Tertius vero circuitus ad eos, qui sub Lege fuerunt, pertinet: qui quanta sollicitudine a societate iniquorum se
D secernere deberent, ipsa Lex manifestat. Prophetæ vero, ad quos quartus circuitus pertinet, in tantum peccata principum, hominumque impiorum spreverunt atque reprehenderunt, ut pro hoc quidam eorum lapidati, quidam secti, quidam vero in occisione gladii mortui sint. Apostoli vero, et hi qui ex Judæis crediderunt, ad quos quintus circuitus pertinet, quanto studio se ab infidelium Judæorum consilio atque operibus segregaverint, Lucas in Actibus apostolorum narrat. Gentes vero ad quas
E sextus circuitus pertinet, quanto ardore se a societate impiorum disjunxerint, martyres requisiti dicant. Septimus vero circuitus ad eos, qui temporibus antichristi futuri sunt, pertinet: sed et illi quomodo antichristi ministrorumque ejus devitent perfidiam, hic liber manifestat. Septimo ergo die circumeuntibus sacerdotibus cum arca Jericho, atque vociferantibus, muri Jericho ceciderunt, omnisque populus cum rege suo interfectus est; quia prædicantibus in fine mundi prædicatoribus veritatis,
F finemque mundi annuntiantibus, subito finis mundi adveniet, omnisque civitas diaboli destruetur, atque cum ipso capite suo diabolo perpetua morte damnabitur.

Legimus etiam in libro Judicum, Samson fortissimum habuisse septem crines. Samson Christum Judic. XVI, 13
significat: per capillos vero omnes electi designantur. Et sicut capilli adhærent capiti, ita et omnes justi adhærent Christo, qui caput est omnium electorum suorum; et sicut capilli Samson in septem partes
G divisi sunt, ita et omnis electorum numerus in septem partes pro temporum qualitatibus dividi potest, sicut superius demonstravimus.

Sed et hoc quod in Salomone scriptum est: *Sapientia ædificavit sibi domum, excidit columnas septem;* potest huic nostro intellectui convenire. Prov. IX, 1.

[1] *In hac etiam fornace.... in tentationibus meis,* aberant ab editt.; quæ nos e mss. omnibus reposuimus.

Sapientia namque ædificavit sibi domum, quando Dominus noster Jesus Christus ab initio mundi usque ad finem ejus ex numerositate electorum Ecclesiam sibi construxit et construet: excidit columnas septem, quando iis septem temporibus prædicatores, qui singulis temporibus convenirent, in Ecclesia sua statuit, qui et monitis salutaribus, et bonorum operum exemplis eam sustentarent.

Possumus et hoc quod idem Salomon in alio loco
Eccl. xi, 2. ponit, dicens: *Da partem septem, necnon et octo,* huic nostræ expositioni coaptare. Primum igitur quærendum nobis est, quid sit unde partes facere præcipimur. Est namque quoddam bonum, et ipsum est summum bonum, caritas videlicet, quæ nisi partiatur, perfectum bonum non erit; partitur enim in dilectionem Dei, et dilectionem proximi: quæ cum una sit, habet tamen duo brachia, quæ circumquaque extendens, et Deum hominibus, et homines Deo conjungit. Sunt et duæ vitæ, una quæ activa, altera quæ contemplativa nuncupatur. Dilectio proximi ad activam, dilectio autem Dei proprie ad contemplativam pertinet. Possumus igitur per septem omnem electorum multitudinem, per octo vero Dominum nostrum Jesum Christum intelligere; eo quod octava die resurrexerit. Sancti itaque Dei partem amoris sui septem dant, cum in exercitiis vitæ activæ occupantur; videlicet cum curam proximo non solum carnalem, sed et spiritualem impendunt. Dant etiam partem octo, cum eos amor Dei ad contemplationem ejus iterum revocat. Aliter. Partem septem damus, cum sanctis Dei debitam venerationem exhibemus: partem octo damus, cum Deo creatori nostro debitum cultum impendimus.

(Vers. 17). Sequitur: *Et cum vidissem eum, cecidi ad pedes ejus tamquam mortuus.* Ecce Joannes, qui sibi stare videbatur, viso Domino, cecidit tamquam mortuus; quia unusquisque vir sanctus quantum se ad contemplandam divinitatem Dei altius erexerit, tanto apud se introrsus inferius cadit: quia in comparatione Dei ejus magnitudo quam parva sit facile perspicit. Unde et tamquam mortuus cecidit, quia in comparatione Dei se nihil esse perspexit. Ad pedes cecidit, quia incarnationis ejus mysterium, quod per pedes figuratur, se nullo modo comprehendere posse perspexit. *Et posuit manum suam super me dicens: Noli timere.* Sicut manus in corpore plurima habet officia, ita et manus Dei in divinis Scripturis plurimas significationes; Job namque flagellum Dei manum Dei vocat, cum dicit: *Manum tuam longe fac a me, et formido*
Job. xiii, 21. *tua non me terreat.* Et iterum amicis dicit: *Miseremini mei, miseremini mei, saltem vos amici*
Job. xix, 21. *mei; quia manus Domini tetigit me.* Nam et Hieremiam manu sapientiæ Dominus tetigit, sicut ipse dicit: *Et misit Dominus manum suam, et tetigit os meum, et dixit mihi: Ecce dedi verba mea in*
Jerem. i, 9. *ore tuo,* et reliqua. Similiter et Daniel manu confortationis Dei tactus est, quando propter visionem angelicam in terra prostratus jacens, manum ad se missam vidit, quæ eum confortavit, cui et dixit:
Dan. x, 10. *Loquere, Domine, quoniam confortasti me.* Hac ergo confortationis manu idem Joannes tactus est, quæ eum, ne se ultra modum dejiceret, confortando erexit.

(Vers. 18). *Ego sum primus et novissimus.* Si primus, cur dixit Arius Filium Dei initium habuisse? Si enim initium habuit, non ipse primus, sed ipse A a quo initium sumpsit, fuit. Primus ergo et novissimus ipse est, quia sicuti finem non habebit, sic nec initium habuit. *Et fui mortuus, et ecce sum vivens in sæcula sæculorum.* Hoc manifestum est. *Et habeo claves mortis et inferni.* Qui clavem alicujus domus habet, quem vult, intromittit; et quem vult, ab ingressu domus repellit. Per clavem ergo potestas Filii Dei intelligitur. Claves igitur mortis et inferni ipse possidet; quia quos vult, a damnatione mortis perpetuæ misericorditer liberat; et quos B vult, in eodem damnationis periculo justo judicio remanere sinit.

(Vers. 19). *Scribe ergo quæ vidisti, et quæ sunt, et quæ oportet fieri post hæc.* Hic demonstrat non se de præsentibus et futuris tantummodo; sed et de præteritis prophetiam texuisse. *Scribe ergo quæ vidisti,* id est, quæ de præteritis tibi ostensa sunt: *quæ sunt, et quæ oportet fieri post hæc,* id est, præsentia et futura.

(Vers. 20). *Mysterium septem stellarum quas* C *vidisti in dextera mea, et septem candelabra aurea.* Subauditur, quid significent. Quid autem significent, subdendo manifestat: *Septem,* inquit, *stellæ angeli sunt septem Ecclesiarum, et septem candelabra aurea Ecclesiæ sunt.* Septem igitur angelos rectores septem Ecclesiarum debemus intelligere, eo quod angelus nuntius interpretatur; et qui verbum Dei populis annuntiant, non inconvenienter angeli, id est, nuntii vocantur. Et sicut per septem Ecclesias una Ecclesia catholica, ita et per septem D rectores septem Ecclesiarum omnes rectores Ecclesiæ catholicæ designantur.

CAPUT II.

(Vers. 1). *Et angelo Ecclesiæ Ephesi scribe: Hæc dicit qui tenet septem stellas in dextera sua, qui ambulat in medio septem candelabrorum aureorum.* Per dexteram Dei potestas Dei in hoc loco potest designari, per stellas sancti prædicatores. E Sancti igitur prædicatores manu Dei tenentur; quia ab ipso gubernantur et reguntur, et ipsi sunt copulati, sicut ipse in Evangelio loquitur dicens: *Sicut palmes non potest ferre fructum, nisi manserit in vitæ; sic et vos, nisi in me manseritis.* Joan xv, 4
In medio vero septem candelabrorum aureorum Christus ambulat, sicut ipse dicit propheta: *Inhabitabo inter illos, et inambulabo: et ero illorum Deus, et ipsi erunt mihi populus.* Levit. xxvi, 12

(Vers. 2). *Scio opera tua.* Ea videlicet quæ ope- F rabaris prius antequam refrigesceret in te charitas. *Et laborem et patientiam tuam,* id est, persecutiones, quas pro nomine meo patienter toleras. *Et non potes sustinere malos.* Cum Scriptura divina nobis præcipiat, ut toleremus malos; cur hic lau- Matth. xiii, 29, 30
datur, quod non potuerit sustinere malos? Sed de hæreticis mihi dictum videtur: nam proximorum mala aliquando reprehendendo corrigere debemus, tempore videlicet opportuno; aliquando patienter tolerare, ut quos correctio non emendat, patientia G ad emendationem provoeet. Sunt namque nonnulli, qui reprehendere proximos nesciunt, nisi ira inflammati. Horum aliquis si non solum pro magna, verum etiam pro parva aliqua re contra proximum commotus fuerit, tamdiu iram in corde gestat, usque dum in actibus proximi aliquid videat, quod reprehendere possit; et tunc lætus efficitur, cum reprehensionis vindictam proximo intulerit. Quod si alicui

viderit displicuisse, dicit se zelo Dei hoc fecisse. Ad te ergo loquor, qui talis es. Cur quæris fallere eum, qui occulta cordium considerat? Si zelus Dei in te est, cur oculi tui per diversa vagantur more diabolico, desiderans malum potius videre, quam bonum, desiderans in proximo videre malum, quod reprehendas, non bonum, unde ædificeris? Sunt etiam multi, qui eos a quibus aliquam injuriam pertulerunt, etiam pro minimis delictis impatienter insectantur; eos vero quos diligunt, non solum non reprehendunt, quamvis graviter deliquerint; sed etiam tota virtute defendunt. O infelix amicitia, quæ illum quem diligit tacendo et defendendo diabolo tradit; illum vero cui iratus est, reprehendendo a diabolo abstrahit! Correctio ergo illa justa est, quæ ex Dei zelo et amore fraterno descendit: quæ non propter iram vindicandam, sed propter animam proximi salvandam profertur. Verum quia hæc paucis diximus, ad ea quæ cœpimus, redeamus. Igitur hoc quod præsuli Ecclesiæ Ephesi a Domino dicitur: *Quia non potes sustinere malos,* de hæreticis debemus intelligere: omnis enim qui pastor est Ecclesiæ, societatem hæreticorum, quantum potest, vitare debet; ne per occasionem familiaritatis eorum corda simplicium veneno suæ malitiæ corrumpant. Sicut enim lupus quietus inter oves sine laceratione earumdem ovium versari non potest; sic nec hæreticus inter simplices. Sequitur: *Et tentasti eos, qui se dicunt apostolos esse, et non sunt; et invenisti eos mendaces.* Quidam prava docentes temporibus apostolorum, apostolos se esse dicebant; ut per reverentiam nominis facilius pravam doctrinam in cordibus audientium plantarent. Hos et apostolus Paulus damnat, et Dominus in Evangelio cavendos insinuat, cum dicit: *Attendite a falsis prophetis, qui veniunt ad vos in vestimentis ovium, intrinsecus autem sunt lupi rapaces.* Hos ergo iste falsos, eorumque doctrinam falsam esse comprobavit.

II Cor. x. 12

Matth. vii, 15.

(Vers. 3, 4). *Et patientiam habes, et sustinuisti propter nomen meum, et non defecisti:* id est in hoc apparuit patientia tua, qui in laboribus, quos pro nomine meo sustinuisti, non defecisti. *Sed habeo adversum te, quod charitatem tuam primam reliquisti.* Multi sunt, qui in initio conversionis suæ in servitio Dei ferventes existunt, sed processu temporis tepescunt: quod huic præsuli Ecclesiæ Ephesi contigisse manifestum est.

(Vers. 5). *Memento ergo unde excideris.* Unde excisus es? De charitate: si de charitate excisus es, de Deo excisus es; quia Deus charitas est. *Et age pœnitentiam.* Videlicet eo quod per torporem et ignaviam tuam a charitate disjunctus es. *Et prima tua opera fac: sin autem veniam tibi cito, et movebo candelabrum tuum de loco suo, nisi pœnitentiam egeris.* Si per candelabrum Ecclesia Ephesi designatur, cur propter peccatum pastoris Ecclesia locum suum perdet, cum Scriptura dicat: *Non morientur patres pro filiis, neque filii pro patribus suis: sed unusquisque in peccato suo morietur?* Sed per locum videtur mihi merces, quæ illi pro pastorali cura debebatur, designari, ut sit sensus: Nisi pœnitentiam egeris pro eo quod charitatem tuam primam reliquisti, et ad prima opera non redieris, ut quod ore prædicas, opere impleas; mercedem, quæ tibi pro pastorali cura debebatur, subtraham.

Joan. iv, 10.

Jerem. xxxi, 30.

(Vers. 6). *Sed hoc habes* (videlicet ut candelabrum non moveatur) *quia odisti facta nicolaitarum, quæ et*[1] *ego odi.* Et est sensus: Pro eo quod odisti facta nicolaitarum, quæ et ego odi; merces quæ tibi pro pastorali cura debebatur, adhuc tibi manet. Nicolaitæ vero erant hæretici, quos superius dixit non posse eum sustinere.

(Vers. 7). *Qui habet aures audiendi, audiat quid Spiritus dicat Ecclesiis.* Quia cunctis aures habentibus dicit: *Qui habet aures audiendi, audiat;* aures proculdubio cordis requirit. *Vincenti dabo edere de ligno vitæ, quod est in paradiso Dei mei.* Duo ligna fuerunt in medio paradisi, e quibus unum lignum vitæ, alterum vero lignum scientiæ boni et mali vocabatur. Quorum virtus talis erat, ut si quis ex ligno vitæ comedisset, non moreretur in æternum; si quis vero ex ligno scientiæ boni et mali comederet, quamvis esset immortalis, mortalis statim fieret. Paradisus igitur Ecclesiam significat; lignum vero vitæ in medio paradisi Christus est in medio Ecclesiæ suæ. Lignum autem scientiæ boni et mali, quod et ipsum in medio paradisi fuisse dicitur, diabolum significat, qui inter fideles discurrere non cessat, ut quoscumque potest, decipiat. Lignum igitur vitæ ad electos, lignum vero scientiæ boni et mali ad reprobos pertinet. Fructus ergo ligni vitæ electi comedunt, ut in æternum[2] vivant; quia præcepta Evangelii custodiunt, ut in æternum vivant cum Domino: fructus vero ligni scientiæ boni et mali reprobi comedunt, et moriuntur; quia suggestionibus diaboli, omnibusque vitiis et voluptatibus pascuntur, unde æternam damnationem sibi acquirunt. Et sicut mulieri delectabiliores fuerunt fructus ligni scientiæ boni et mali, quam fructus ligni vitæ; ita et reprobis delectabilior est gloria hujus sæculi, quam oculis corporis vident, quam gloria cœlestis patriæ, quæ nonnisi oculis spiritualibus videtur. Sed oritur quæstio, cur lignum scientiæ boni et mali dicatur, cum primo homini scientiam mali ministraverit; non scientiam boni. Quæ mihi ita solvenda videtur: primus namque angelus, quando creatus est, scientiam boni habuit, non scientiam mali: scientiam vero mali per semetipsum invenit, ob quam causam de illa cœlesti gloria dejectus est. De ligno ergo scientiæ boni et mali primus homo comedit, quando illius suggestiones secutus est, qui scientiam boni et mali habebat; neque enim lignum scientiam mali docere potuit, sed diabolus qui præceptum Dei homini transgredi suasit. Dicit ergo: *Vincenti dabo edere de ligno vitæ, quod est in paradiso Dei mei.* Ille vincit, qui in bonis operibus usque ad finem vitæ suæ perseverat. Vincenti ergo Christus edere de ligno vitæ dabit; quia præcepta sua usque ad finem vitæ servantibus immortalitatis suæ gloriam in cœlesti beatitudine secum dabit; ut cum eo æternaliter vivant, cujus præcepta in sæculo positi servare studuerunt. Quod autem patrem Deum suum vocat, ad humanitatem pertinet.

Gen ii, 27.

(Vers. 8, 9). *Et angelo Smyrnæ Ecclesiæ scribe: Hæc dicit primus et novissimus, qui fuit mortuus et vivit: Scio tribulationem tuam, et paupertatem tuam.* Potest fieri, ut Smyrnæorum Ec-

[1] Ita mss.; at editt., *ego odi. Pro eo quod illorum facta odisti, quæ et ego odivi.*

[2] Editt. tantum, *vivant cum Domino;* cætera adjecta sunt ex mss.

clesia eamdem persecutionem a contribulibus suis in rapina bonorum suorum pertulerit, quam et illa quæ apud Hierosolymam erat. Ideoque tribulatio et paupertas ejus a Domino, quam pro ipso sustinuit, laudatur. Potest et per hoc voluntaria paupertas intelligi, de qua Dominus dicit in Evangelio: *Beati pauperes spiritu, quoniam ipsorum est regnum cœlorum.* Matth. v, 3.

Sed dives es: pauper videlicet rebus, dives virtutibus. *Et blasphemaris ab iis, qui se dicunt Judæos esse, et non sunt: sed sunt synagoga satanæ.* Judæi confitentes interpretantur: Judæi qui Christum blasphemantes negant, non Judæi, id est, confitentes; sed synagoga satanæ non inconvenienter vocantur.

(Vers. 10, 11). *Nihil horum timeas, quæ passurus es.* Prædicuntur ei adversa, ut venientia facilius tolerare posset.[1] *Ecce missurus est diabolus ex vobis in carcerem, ut tentemini:* id est, quosdam ex vobis diabolus, id est, ministri diaboli in carcerem missuri sunt; ut tentemini utrum in timore pœnarum a fide recedere, an pro amore Christi mori deliberetis. *Et habebitis tribulationem diebus decem.* Tempus quo hæc persecutio crudelius sævitura esset, demonstravit. *Esto fidelis usque ad mortem, et dabo tibi coronam vitæ.* Corona vitæ gloriam sempiternam demonstrat.

Qui habet aures, audiat quid Spiritus dicat Ecclesiis. Qui vicerit, non lædetur a morte secunda. Quid sit mors secunda, in sequentibus dicemus.

(Vers. 12). *Et angelo Pergami Ecclesiæ scribe: Hæc dicit qui habet romphæam utraque parte acutam.* Per romphæam judiciaria Domini potestas potest intelligi: quæ utraque parte acuta dicitur, propter duo judicia, unum quod factum est per aquam, alterum quod fiet per ignem. Sed excludimur ab hoc intellectu, eo quod illud judicium jam peractum, atque per misericordiam Dei abolitum sit. Tunc namquæ judicii illius acumen deletum est, quando Deus dixit ad Noe: *Per memetipsum juravi, quia non adjiciam ultra aquas diluvii super terram.* Gen. vi, 17. Videtur ergo mihi per romphæam divinam Scripturam debere intelligi, quæ propter resecanda vitia acuta esse dicitur, et propter duo Testamento utraque parte acuta demonstratur. Nam et vetus et novum Testamentum hoc nobis indesinenter admonent, ut vitia relinquamus et in bonis operibus nosmetipsos exerceamus; quatenus salutem animarum nostrarum invenire possimus.

(Vers. 13). *Scio ubi habitas, ubi sedes est satanæ:* id est, inter illos habitas, qui sessorem habent diabolum. *Et tenes nomen meum, et non negasti fidem meam:* id est, quamvis ab eis, inter quos habitas, pro nomine meo assidue persecutiones perferas; tamen nomen meum tenes, et fidem meam non negasti. *Et in diebus illis Antipas testis meus; qui occisus est apud vos, ubi satanas habitat. Et in diebus illis,* id est, in diebus quibus persecutio apud vos amplius fervebat, Antipas testis meus, subauditur, exstitit, qui occisus est apud vos, ubi satanas habitat. Apud vos occisus est, et non a vobis; sed ab illis inter quos vos habitatis, in quibus habitat diabolus.

(Vers. 14, 15). *Sed habeo adversum te pauca,* A *quia habes illic tenentes doctrinam Balaam, qui docebat Balac mittere scandalum coram filiis Israel; ita habes et tu tenentes doctrinam nicolaitarum.* Legimus in libro Numeri quod Balac rex Moabitarum ad suggestionem Balaam posuerit speciosas mulieres in conspectu filiorum Israel diis suis sacrificantes, quarum pulchritudo non solum ad perpetrandam libidinem eos accendit; sed etiam ut de sacrificiis earum comederent, perduxit. Nicolaitæ vero erant hæretici nuptias detestantes, B docentesque fideles, ut quibuscumque vellent, miscerentur more bestiarum. Sicut ergo per doctrinam Balaam, filii Israel in fornicationis malum delapsi sunt, propter quod multi eorum perierunt; ita et nicolaitæ quosdam ex fidelibus, qui apud Pergamum erant, sua prava doctrina in fornicationis malum dejecerunt, docentes eos ut nullo modo se vinculo conjugali irretirent; sed quibuscumque vellent, passim miscerentur. Quod autem dicit: *Habeo adversum te pauca,* significat paucos C ex fidelibus ab hæreticis esse deceptos. Num. xxv, 1.

(Vers. 16). *Similiter pœnitentiam age.* Hoc quod dicit, *similiter*, videtur mihi ad angelum Ephesi Ecclesiæ respicere, cui dicitur: *Pœnitentiam age, eo quod charitatem tuam primam reliqueris.* Quasi diceret: Sicut præcepi angelo Ephesi, ut pœnitentiam ageret, eo quod caritatem primam reliquisset, similiter et tu pœnitentiam age, eo quod a caritate deviaveris; ut aliquos tuorum per taciturnitatem amitteres. *Si quominus, veniam* D *tibi cito.* Solet per adventum Domini mors intelligi; unicuique enim Dominus tunc venit, quando per mortem animam a corpore separat. *Cito*, id est, improvise, sicut de servo negligente Dominus in Evangelio loquitur: *Veniet autem Dominus servi illius in die quo nescit, et hora qua ignorat; et dividet eum, partemque ejus cum hypocritis ponet.* Homo enim ex anima et corpore consistit: dividit Dominus hominem cum animam a corpore separat: partem ejus cum hypocritis ponit E quando animam, quæ secunda pars est in homine, pro iniquitatibus suis cum impiis cruciandam tradit. In hoc quod dicit: *Veniam tibi cito*, talis mihi sensus esse videtur: Si pœnitentiam non egeris, veniam tibi cito; ut te per mortem, quam prævidere negligis, dissolvam. Sequitur: *Et pugnabo cum illis in gladio oris mei:* id est, alium in loco tuo ponam, et ponam gladium verborum meorum in ore ejus, in quo dejiciat adversarios veritatis. Matth. xxiv, 51.

(Vers. 17). *Qui habet aures, audiat quid Spi-* F *ritus dicat Ecclesiis.* Ubicumque hæc sententia ponitur, vel in Evangelio, vel in Apocalypsi, sciendum est mysticum esse, quod dicitur, et ad intelligendum difficile. *Vincenti dabo manna absconditum.* Legimus in veteri Testamento, quia populum Judæorum per deserta gradientem Dominus manna paverit, usque dum venirent ad terram repromissionis. Per manna igitur sapientia, quæ Christus est, intelligi potest: *Ipse* est enim *panis vivus, qui de cœlo descendit.* Hoc pane aluntur G omnes electi, in deserto atque in itinere hujus sæculi positi, usque dum veniant ad terram repromissionis, id est, ad cœlestem beatitudinem, quam repromisit Deus diligentibus se. Absconditum autem ideo dicitur, quia sapientia Dei superbis absconditur, et humilibus revelatur, sicut ipse dicit in Exod. xvi, 14. Joan. vi, 41.

[1] Hic textus in editt. rejectus fuerat post verba, *tolerare posset;* sed contra auctoritatem mss.

Evangelio: *Confiteor tibi, Pater, Domine cœli et terræ, quia abscondisti hæc a sapientibus et pru-*
Matth. xi, 25. *dentibus, et revelasti ea parvulis.*

Et dabo illi calculum candidum. Per calculum, qui lapis parvus est, et a calculando sic vocatur, Evangelium possumus accipere. Quia sicut antiqui horum lapidum multitudine magnam sibi congregabant ad partiendos et dividendos numeros; ita doctores Ecclesiæ multa verba Evangelii in cordibus suis congregant, quorum cum obscuritates et spirituales intelligentias et utilitates auditoribus suis aperiunt, quasi numeros suos dividunt et partiuntur. *Et in calculo nomen novum scriptum, quod nemo scit, nisi qui accipit.* Quod est hoc nomen Christi, quod in calculo Evangelii scriptum esse dicitur? *In principio erat Verbum, et Ver-*
Joan. i, 1. *bum erat apud Deum, et Deus erat Verbum;*
Joan. x, 30 et iterum: *Ego et Pater unum sumus;* et idem evangelista in alio loco dicit: *Quia non solum solvebat sabbatum, sed et Patrem suum dicebat*
Joan. v, 18 *Deum, æqualem se faciens Deo.* Si Christus æqualem se faciebat Deo, cur dicit Arius minorem esse Filium Patre? Hoc ergo nomen quod in calculo scriptum est, nullus scit, nisi qui accipit; quia omnipotentiam, divinitatem, æqualitatem Filii cum Patre nullus scire prævalet, nisi cui doctrina Evangelii data fuerit. Sed est aliud quod nos movet; nam paulo superius dixit: *Vincenti dabo manna absconditum, et dabo illi calculum candidum, et in calculo nomen novum, quod nemo scit, nisi qui accipit.* Si igitur solis illis qui diabolum vincunt, et manna, et calculus, et nominis Christi datur scientia; ergo impii qui diabolum non vincunt, sed ab eo vincuntur, quamvis baptisma, quamvis fidem Christi videantur suscepisse, ab hoc tamen munere alieni exsistunt. Sed dicit aliquis: Quomodo litteratus quisque, et in divinis Scripturis eruditus, mysterium nominis Christi nescit; quamvis et sæculum diligat, et voluptuose vivat? Huic ego duorum hominum similitudinem mel multum possidentium opponam, ex quibus unus ex eo edere solitus erat, alter vero ab ejus esu, quadam necessitate cogente, omnibus modis abstinebat. Quis horum tibi videtur saporem mellis satius cognovisse? Utique respondebis mihi quia is, qui ejus dulcedine perfrui solitus erat. Et tamen si interrogasses utrumque de melle, cujus esset saporis, uterque dulcissimum esse fateretur: sed diceret ille quod audivit; iste, quod expertus erat: illius lingua loqueretur quod fauces ignorabant; istius autem quod delectatio docuerat. Ille igitur qui mel non ad utendum, sed ad lucra exaggeranda possidebat, eos significat, qui ex scientia divinarum Scripturarum[1] gloriam temporalem plusquam æternam capessunt: ille vero qui mel ad hoc possidebat, ut ejus dulcedine assidue frueretur, eos significat, qui mandata Dei non pro gloria temporali, sed pro amore Dei discere student; ut per eorum operationem ad gloriam æternam pervenire mereantur. Illis mandata Dei, quamvis ea prædicent, dulcia non sunt; quia non dulcedinem cœlestis patriæ, sed dulcedinem terrenam, quæ amaritudinem generat, diligunt: istis autem mandata Dei spes cœlestis patriæ dulcia facit, sicut dicit Psalmista: *Quam dulcia faucibus meis eloquia tua, Domine:*
Ps. cxviii, 103. *super mel et favum ori meo!* Illi ergo soli sciunt

A nomen Dei, qui custodiunt mandata Dei: qui vero sæculum diligunt, qui in quibusdam vitiis semetipsos dejiciunt, quia desideria carnis suæ perficiunt, nesciunt nomen Dei; quia timorem et amorem ejus a mente sua abjiciunt. Aliter: Potest per calculum nomenque in ea scriptum beatitudo cœlestis patriæ designari; ut per calculum cœlestis patria, per nomen vero in eo scriptum beatitudo cœlestis patriæ figuretur. Hoc ergo nomen nullus scit, nisi qui accipit calculum; quia quanta sit illa cœlestis
B beatitudo nullus scire prævalet, nisi qui ad hanc pervenire meruerit, sicut dicit Esaias propheta: *Oculus non vidit, Deus, absque te, quæ præparasti exspectantibus te.* Isai. lxiv, 4.

(Vers. 18, 19). *Et angelo Thyatiræ Ecclesiæ scribe: Hæc dicit Filius Dei, qui habet oculos ut flammam ignis, et pedes ejus similes aurichalco.* Quid ista significent, superius dictum est. *Scio opera tua, et charitatem, et fidem, et ministerium, et patientiam tuam, et opera tua no-*
C *vissima plura prioribus.* Hic per omnia laudatur, sed sicut sequentia manifestant, sola taciturnitatis culpa in eo redarguitur.

(Vers. 20). *Sed habeo adversum te, quia permittis mulierem Jezabel, quæ se dicit propheten, docere et seducere servos meos, fornicari, et manducare de idolothytis.* Hæc mulier, quæ Jezabel impiissimæ comparatur, ideo se propheten mendaciter affirmabat, ut facilius sub religionis nomine falsam doctrinam in populum Dei introduce-
D ret; et sicut Jezabel cogebat populum Dei culturam Dei deserere, et idola venerari; ita et hæc populum Dei a cultura Dei, id est, a fide recta, conabatur per pravam doctrinam separare. Fornicatur enim anima quæcumque a Deo creatore suo recedit. Idolothytum vocat illud, quod idolis erat consecratum. Docebat enim hæc mulier nihil nocere fidelibus, si comederent carnes, quæ idolis immolabantur.

(Vers. 21). *Et dedi illi tempus, ut pœnitentiam*
E *ageret, et non vult pœnitere a fornicationibus suis.* Sicut et beatus Job de impio dicit: *Dedit illi Deus locum pœnitentiæ, et ille abusus eo est in superbiam.* Job. xxiv, 23.

(Vers. 22, 23). *Ecce mitto eam in lectum, et qui mœchantur cum ea, in tribulatione maxima, nisi pœnitentiam egerint, et filios ejus interficiam morte.* Ecce mulieri, et filiis ejus pœnitentiæ locus nullus promittitur, eo quod pœnitentiæ tempus a Deo sibi indultum spreverint: iis autem qui mœ-
F chabantur cum ea, adhuc locus pœnitentiæ repromittitur. Videntur ergo mihi ii, qui mœchabantur cum ea, eos designare, qui pravis ejus assertionibus faventes, nec dum autem ex toto in foveam malitiæ ejus demersi fuerant; per filios autem ejus eos designari, qui jam ex toto ab ea decepti, medicamentum correctionis nullo modo recipere volebant. Per lectum autem in quo mulier mittenda erat, infernus designatur, in quo sepultus est et dives, de quo dicit Dominus in Evangelio: *Mor-*
G *tuus est autem et dives, et sepultus est in in-*
ferno. Per tribulationem vero maximam, in qua Luc. xvi, 22.
ponendi erant, qui mœchabantur cum ea, nisi pœnitentiam agerent, et per mortem in qua filii ejus interficiendi erant, eadem inferni pœna designatur. *Et scient omnes Ecclesiæ, quia ego sum scrutans*

[1] Codex Gem. *gloriæ temporalis plusquam æternam capaces sunt.*

renes et corda. Per renes qui infra corpus continentur, et ex quibus libido procedere dicitur, peccata abscondita; per corda autem cogitationes occultæ designantur. Et est sensus: *Et scient,* videlicet in die judicii, quando et ipsa mulier, et omnes qui decepti sunt ab ea, damnabuntur, omnes Ecclesiæ, id est, omnes qui christiano nomine censentur, non solum electi, sed etiam reprobi, *quia ego sum scrutans renes et corda*, id est, non solum peccata quæ patent, verumetiam et quæ latent: sed et ipsas cogitationes intueor, et in illa die dabo unicuique vestrum secundum opera vestra.

1 (Vers. 24). *Vobis autem*[1] *dico cæteris, quia Thyatiræ estis, quicumque non habent doctrinam hanc, qui non cognoverunt altitudinem satanæ, quemadmodum illi dicunt, non mittam super vos aliud pondus.* Hoc quod dicit, videtur mihi non ad doctrinam mulieris tantum, sed ad falsos apostolos pertinere, qui docebant eos, qui ex gentibus crediderant, ut in Legem et circumcisionem verterentur. Et quia Judæi de Legis observantia superbiebant, et post Evangelium datum custodia Legis secundum litteram nihil est aliud quam servitus diaboli; possumus per altitudinem satanæ ipsam Legem, si carnaliter impletur, intelligere. Quod igitur dicit, tale est: *Vobis dico cæteris, qui Thyatiræ estis;* videlicet qui in fide perstitistis: *quicumque non habent doctrinam hanc*, id est, qui non receperunt doctrinam illius pessimæ mulieris: *qui non cognoverunt altitudinem satanæ, quemadmodum illi dicunt,* id est qui Legem non susceperunt, quemadmodum falsi apostoli dicunt, ut eam carnaliter impleant: receperunt quidem eam, ut spiritualiter impleant; non receperunt
Act. xv, 1. autem eam, ut carnaliter custodiant. Verbi gratia: illi dicebant, quia nisi circumcidatis carnem præputii vestri, non potestis salvi fieri: isti autem circumcisionem non carnaliter, sed spiritualiter intelligentes, circumcidebant a cordibus et a carne sua omnia vitia. Illi dicebant, ut servarent sabbatum, nihil in eo facientes operis: isti vero omne tempus vitæ suæ pro sabbato accipientes, ab omni opere servili, id est, a peccatis, in quanto poterant, abstinere curabant. *Non mittam super vos aliud pondus,* id est, qui in fide perstitistis, qui falsos apostolos non recepistis, non mittam super vos aliud pondus, nisi quod ab apostolis præceptum est vobis; ut abstineatis vos ab escis, quæ idolis immolantur, et a suffocato, et sanguine, et forni-
Ibid., 29. catione.

(Vers. 25). *Verumtamen id quod habetis, tenete, donec veniam.* Ac si diceret: Quia parvuli estis, et lac vobis opus est, non solidus cibus, fidem quam didicistis, tenete, donec veniam; ut per aspirationis meæ gratiam ad altiora opera virtutum agenda vos provocem.

(Vers. 26, 27 *et* 28). *Et qui vicerit, et custodierit usque in finem opera mea, dabo ei potestatem super gentes, et reget eas in virga ferrea, et tamquam vas figuli confringentur, sicut et ego accepi a Patre meo.* Per finem in hoc loco mors intelligitur: qui ergo vicerit mundum et concupiscentias ejus, et perseveraverit usque in finem, dabitur ei potestas super gentes, et reget eas in virga ferrea. Sed et si per finem mors intelligitur, quomodo electi post mortem gentes dicuntur regere;

A cum in illa beata vita nullus sit, qui regatur in virga ferrea; ubi nihil distortum, nihilque pravum invenitur? Nisi forte eo sensu intelligamus, quo illud: Qui fecit, quæ futura sunt. Omnia enim quæ secundum dispositionem Dei fienda sunt, in prædestinatione ejus jam quasi facta exsistunt; quia non potest fieri ut immutetur aliquid ex omnibus, quæ statuit Deus ut fiant. Similiter et sanctis: quos præscivit Deus futuros justos, et in bonis operibus perseveraturos, ante ortum illorum hoc præstitit,
B ut habeant potestatem super gentes, et regant eas in virga ferrea, sicut ad Hieremiam loquitur dicens: *Priusquam te formarem in utero, novi te: et antequam exires de vulva, sanctificavi te; et prophetam in gentibus dedi te.* In secundo psalmo Jerem. v, 1
scriptum est quia dixit Pater ad Filium: *Postula a me, et dabo tibi gentes hæreditatem tuam, et possessionem tuam terminos terræ. Reges eos in virga ferrea, et tamquam vas figuli confringes eos.* Dedit Pater Filio potestatem, ut regat gentes in Ps. ii, 8.
C virga ferrea; dedit et Filius potestatem apostolis et cæteris prædicatoribus, ut regant et ipsi gentes in virga ferrea, et tamquam vas figuli conterant eas. Per virgam igitur ferream Evangelium designatur, sicut et per virgam ligneam Lex. Nam virga lignea, qua utebatur Moyses, ipsam legem, quæ ab eo data est prætendebat; ipsa namque virga, sicut in Exodo legimus, percussit bis sili- Exod. xvii, 6
cem, et egressæ sunt aquæ largissimæ, ita ut populus biberet et jumenta. Virga igitur est vetus
D Testamentum: bina percussio Legem et prophetas: petra autem Christum figurabat. Virga ergo bis silicem percussit, quando vetus Testamentum per legem et prophetas Christum ad redemptionem generis humani venturum esse prædixit. Et quia impossibile erat, ut ea quæ per Legem et prophetas prædicebantur, non implerentur, sicut Dominus dicit in Evangelio: *Facilius est cœlum et terram transire, quam unum iota, aut unus apex prætereatur a Lege, qui non impleatur,* virga bis Luc. xvi, 17.
E silicem percussit, quando vaticinia prophetarum atque Legis quodammodo compulerunt ut homo fieri Deus dignaretur. Percussa est igitur petra, et egressæ sunt aquæ largissimæ; quia Christus secundum hoc quod dictum erat, veniens, fluenta doctrinæ cœlestis, id est, Evangelium, de se produxit. Bibit populus et jumenta, id est, Judæi et gentes. Ipsa etiam virga in tabernaculo floruit, nucesque produxit; quia in tabernaculo Ecclesiæ Num. xvii, 8
postea vetus Testamentum flores spiritalium sen-
F suum protulit, ipsique flores fructus bonorum operum ediderunt. Hoc totum ideo diximus, ut demonstraremus per ligneam virgam designatam fuisse Legem.

Et quia austeriora sunt præcepta novi Testamenti quam veteris, non incongrue per virgam ferream Evangelium, per ligneam autem Lex figuratur. In illa dicitur: *Comedetis, et saturabimini; bibetis, et inebriabimini; dormietis, et non erit qui exterreat;* et iterum: *Comedetis vetustissima veterum,* Lev. xxvi, 5, 6.
G *et vetera novis supervenientibus projicietis;* et Ibid., 10
multa alia quæ ad delectationes carnales pertinent. Hic autem dicitur: *Videte ne graventur corda vestra in crapula et ebrietate, et curis hujus sæculi;* et iterum: *Arcta et angusta via est, quæ* Luc. xxi, 34.
ducit ad vitam; et Paulus apostolus dicit: *In* Matth. vii, 14

[1] Editt., *dico, cæterisque qui Thyatiræ:* mss., *dico cæteris; qui, etc.*

omnibus exhibeamus nosmetipsos sicut Dei ministros, in multa patientia, in vigiliis, in jejuniis; et alia innumerabilia, quæ in novo Testamento de maceratione carnis inveniuntur. Nam et Dominus in Evangelio quam austeriora sint sua præcepta præceptis Legis, manifestat cum dicit: *Audistis quia dictum est antiquis: Non occides; qui autem occiderit, reus erit judicio: ego autem dico vobis, quia omnis qui irascitur fratri suo, reus erit judicio: qui autem dixerit fratri suo, racha, reus erit concilio: qui autem dixerit, fatue, reus erit gehennæ ignis;* et iterum: *Dictum est antiquis: Non mœchaberis: ego autem dico vobis quia qui viderit mulierem ad concupiscendam eam, statim mœchatus est eam in corde suo;* et iterum: *Dictum est antiquis: Quicumque dimiserit uxorem suam, det illi libellum repudii; ego autem dico vobis: Quicumque dimiserit uxorem suam, excepta causa fornicationis, mœchatur; et qui dimissam duxerit, mœchatur;* et iterum:[1] *Dictum est antiquis: Oculum pro oculo, dentem pro dente: ego autem dico vobis non resistere malo: sed si quis te percusserit in dexteram maxillam, præbe illi et alteram: et qui voluerit tunicam tuam tollere, dimitte ei et pallium;* et iterum: *Dictum est antiquis: Diliges amicum tuum, et odio habebis inimicum tuum; ego autem dico vobis: Diligite inimicos vestros, benefacite iis qui oderunt vos, et orate pro persequentibus et calumniantibus vos; ut sitis filii Patris vestri, qui in cœlis est.* Hæc igitur verba Domini quæ protulimus, aperte demonstrant per virgam ferream Evangelium, per ligneam autem fragilem et mollem Legem figurari: per vasa autem figuli corda gentilium omnibus erroribus dæmonum repleta designantur, quæ a tactu virgæ ferreæ confracta sunt; quia veniente Evangelii gratia, omnis error gentilium destructus est, et quæ erant antea vasa fictilia, facta sunt vasa ferrea, contra omnia tentamenta dæmonum, et contra persecutiones hominum malorum fortissima.

II Cor. vi, 4. Matth. v, 21, 22 Ibid., 27, 28 Ibid., 31, 32 Ibid., 38-40. Ibid., 43-45

Et dabo illi stellam matutinam: id est, meipsum dabo illi; ipse est enim stella matutina, de quo dicit Scriptura: *Orietur stella ex Jacob, et exsurget homo de Israel, et percutiet duces Moab.* Moab dicitur[2] ex patre: et Dominus Judæis dixit: *Vos ex patre diabolo estis.* Duces ergo Moab Dominus percussit, quando omnes fabricatores errorum exinanivit.

Num. xxiv, 17.

CAPUT III.

(Vers. 1). *Et angelo Sardis Ecclesiæ scribe: Hæc dicit, qui habet septem spiritus Dei, et septem stellas.* Septem spiritus Dei septem sunt dona Spiritus sancti, quæ in Dominum descendisse propheta Esaias ostendit dicens: *Et requiescet super eum spiritus Domini, spiritus sapientiæ et intellectus, spiritus consilii et fortitudinis, spiritus scientiæ et pietatis: et replebit eum spiritus timoris Domini.* De his septem spiritibus, quos Dominus dederit, in sequentibus dicemus: quid sint autem septem stellæ, superius dictum est. Sequitur: *Scio opera tua, quia nomen habes quod vivas, et mortuus es.* Nomen habebat quod viveret, id est, nomen christianum: sed mortuus erat, quia fidei opera, quæ est caritas, non habebat.

Isai xi, 2.

(Vers. 2). *Esto vigilans, et confirma cætera, quæ moritura erant.* Vigilat qui semper bona opera exercet: præcipitur ergo huic, ut vigilet, id est, ut in caritatis operibus semetipsum exerceat; ne parva bona quæ adhuc videbatur habere, deperirent. Quia sicut corpus mortuum est sine anima, ita et nos quælibet bona videamur habere, mortua sunt, si caritas defuerit: *Non enim invenio opera tua plena coram Deo meo.* Non erant plena, sed vacua; quia caritate non replebantur: unde et quinque virgines fatuæ a contubernio sponsi cœlestis repulsæ sunt, quia oleum caritatis in vasis suis habere noluerunt.

Matth. xxv, 3.

(Vers. 3). *In mente ergo habe qualiter acceperis et audieris, et serva, et pœnitentiam age:* id est, recordare qualiter fidem Christi in baptismate perceperis, ubi promisisti renuntiaturum te diabolo, et omnibus operibus ejus: recordare etiam quid a doctoribus fidei christianæ, qui te fidem Christi docuerunt, qualiter te vivere oporteret, audisti: *Et serva quod audisti, et pœnitentiam age;* eo quod a bonis operibus tamdiu torpuisti. *Si ergo non vigilaveris;* id est, ad bona opera agenda temetipsum non excitaveris, *Veniam tamquam fur, et nescies qua hora veniam ad te.* Illi Dominus tamquam fur supervenit, ut eum per mortem ab hac mundana habitatione subtrahat, qui in pravitatibus suis requiescens, neque a vitiis vult abstinere, neque ipsam mortem ante oculos ponere, sicut Dominus dicit in Evangelio: *Quia si sciret paterfamilias qua hora fur venturus esset, vigilaret utique, et non sineret perfodi domum suam.* Per patremfamilias mentem possumus intelligere: quia sicut paterfamilias omnibus qui in domo sunt, principatur: ita et mens omnibus actibus corporis et cogitationibus præfertur. Pater igitur familias dormit, furque veniens domum ejus perfodit, quando mens in delectationibus carnalibus requiesciens, mors dum non prævidetur, supervenit, atque domum corporis perfodiens, animam abstrahit. Si autem vigilaverit, id est, in bonis operibus perseveraverit, mortem non ut furem, sed ut liberatricem perferet.

Matth. xxiv, 43.

(Vers. 4). *Sed habes pauca nomina in Sardis, qui non inquinaverunt vestimenta sua.* Ecce discipuli pastori negligenti præponuntur, ut saltem in eorum imitatione proficeret. Sed mirum, cur pauca nomina habere dicatur, et non paucos homines. Sed hoc ad excellentiam magnam alicujus sancti pertinet, cum eum Deus nominatim scire dicitur, sicut Moysi perfecto viro dicitur: *Novi te ex nomine;* et Dominus dicit in Evangelio: *Et proprias oves vocat nominatim, et educit eas.* Isti ergo pauci, qui voce Dei laudari merentur, non inquinaverunt vestimenta sua, id est, munditiam quam in baptismo perceperunt, sordibus vitiorum non inquinaverunt. *Et ambulaverunt mecum in albis, quia digni sunt;* id est, in bonis operibus.

Joan x, 3.

(Vers. 5, 6). *Qui vicerit, sic vestietur vestimentis albis;* id est, qui per pœnitentiam et lacrymas diabolum vicerit, et vitia omnia a se expulerit,

[1] Deerant in ed. *Et iterum,* usque ad, *dimitte ei et pallium:* quem locum supplevimus e mss.

[2] Ita mss.; edd., vero, quæ inter voces *ex patre,* ac istas, *Duces ergo Moab,* interponuntur, prætermittunt.

eamdem munditiam quam baptizatus possidet, et ipse consequenter. Hæc ideo dicit, ut et pastorem Sardis Ecclesiæ, et omnes etiam peccatores ad pœnitentiam provocet. *Et non delebo nomen ejus de libro vitæ.* Si librum vitæ prædestinationem vocat, quomodo de libro vitæ aliquis deleri potest, cum Apostolus dicat: *Quos autem prædestinavit, hos et vocavi: et quos vocavit, hos et justificavit: et quos justificavit, ipsos et glorificavit?* Nisi forte ita intelligamus: Sunt multi qui ab hominibus justi putantur, sed in conspectu Dei injusti exsistunt. Ergo homines qui eos justos æstimant, jam in libro Dei eos scriptos esse putant: sed in die judicii, cum facta reproborum atque justorum omnibus patebunt, hæc inscriptio atque falsa suspicio a mentibus eorum delebitur, cum eorum damnationem pro impietatibus suis conspexerint. *Et confitebor nomen ejus coram Patre meo, et coram angelis Dei.* Confessio ista tunc fiet nominum justorum, quando secundum qualitatem meritorum unusquisque mercedem recipiet.

Rom. VIII, 30.

(Vers. 7). *Et angelo Philadelphiæ Ecclesiæ scribe: Hæc dicit sanctus et verus, qui habet clavem David.* Legimus in libro Regum, quod dixerit Dominus ad David: *Et erit cum dormieris cum patribus tuis, suscitabo semen tuum, quod egredietur ex te, et firmabo regnum ejus in sempiternum. Et ero illi in patrem, et ipse erit mihi in filium.* Hoc de Christo esse dictum nullus est, nisi perfidus Judæus, qui ambigat. Et in domum obseratam nullus nisi per clavem potest introire. Filius ergo Dei habet clavem David, quia ipse hominem assumpsit ex genere David, quem clavem David vocat, per quem reserata sunt omnia, et quæ Deus ad David, et quæ David de eo locutus est. *Qui aperit, et nemo claudit: claudit, et nemo aperit.* Aperuit Dominus Jesus Christus vetus Testamentum ad intelligenda divina mysteria, quæ in eo latebant, quod nullus claudere poterit: clausit vero observantiam litteræ legalis superfluam, quam nullus aperire poterit. Aperuit etiam corda gentilium ad percipiendam doctrinam fidei, quæ nullus persecutor claudere potuit: clausit vero atque destruxit culturam idolorum, quam nullus persecutorum aperire potuit. Aperuit etiam aditum regni cœlestis suis electis, quod nulla vis dæmonum claudere potest: clausit vero eumdem aditum reprobis, quod nullus eis aperire poterit.

II Reg. VII, 12.

(Vers. 8). *Scio opera tua: ecce dedi coram te ostium apertum quod nemo potest claudere; quia modicam habes virtutem, et servasti verbum meum, et non negasti nomen meum.* Videtur mihi quod iste angelus Ecclesiæ Philadelphiæ non satis in divinis Scripturis fuerit eruditus, et ideo dixerit eum modicam habuisse virtutem ad revincendos videlicet inimicos fidei veritatis. Et est sensus: Quia in persecutione constans fuisti, et servasti verbum meum, id est, a prædicatione verbi mei non cessasti, et nomen meum non negasti; ideo quia modicum habes virtutem, dedi coram te ostium apertum in divinis Scripturis, ut intelligas mysteria divinarum Scripturarum: quod nemo poterit claudere, id est, sapientiæ quæ tibi dabitur, nullus poterit resistere inimicorum.

(Vers. 9). *Ecce dabo de synagoga satanæ, qui dicunt se Judæos esse, et non sunt, sed mentiuntur. Ecce dabo de synagoga*[1] *satanæ,* subauditur quosdam, id est, ex Judæis, qui sunt synagoga satanæ, qui tibi adversabantur, et quorum infestationem assidue tolerabas, ut credant per verba tua in me.

(Vers. 10). *Ecce faciam illos ut veniant, et adorent ante pedes tuos, et scient quia dilexi te; quoniam servasti verbum patientiæ meæ;* id est, cum crediderint per verba tua in me, adorabunt ante pedes tuos, deprecantes ut per te vitam æternam consequantur. *Et ego te servabo ab hora tentationis, quæ ventura est in universum orbem, tentare omnes qui inhabitant terram.* Hora tentationis diem judicii significat: tentationem autem pro manifestatione posuit,[2] quia singulorum causæ tunc manifestabuntur. Et in Exodo legimus: *Tentat vos Deus, ut sciat si diligatis eum,* id est, ut manifestum fiat et appareat omnibus, si diligitis eum. Secundum hunc igitur sensum hora tentationis hora manifestationis designatur, quando singulorum facta omnibus manifestabuntur. A qua hora tentationis nos et omnes electos suos Dominus salvabit.

Deut. XIII, 3

(Vers. 11). *Ecce venio cito: tene quod habes, ut nemo accipiat coronam tuam.* Tene quod habes, id est, bonum quod habes, usque in finem vitæ tuæ tene. *Ut nemo accipiat coronam tuam,* id est, ut gloriam quæ tibi debetur, nullus sine te possideat.

(Vers. 12, 13). *Qui vicerit, faciam illum columnam in templo Dei mei, et foras non egredietur amplius.* Potest per templum Ecclesia designari: per columnas autem, quæ sustentant templum, prædicatores. Nam et Paulus apostolus Petrum et Jacobum columnas Ecclesiæ vocat; eo quod super ipsos ædificata sit Ecclesia, sicut Dominus dixit Petro: *Tu es Petrus, et super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam.* Sed videtur propter hoc, quod sequitur: *Et foras non egredietur amplius;* non ad præsentem Ecclesiam, sed ad cœlestem pertinere hanc sententiam. Nam multi fuerunt, qui columnæ Ecclesiæ dicebantur: sed propter pravam doctrinam eorum, ab ea exierunt, sicut fuit Origenes, et alii multi. Per templum ergo cœlestis habitatio, per columnam vero unusquisque electus potest designari: ergo qui vicerit omnia tentamenta diabolica, omnesque carnales voluptates, columna in templo Dei efficitur, id est, in cœlesti beatitudine; et sicut columna in loco, in quo statuitur,[3] firmissima stabilitate perseverat, ita et unusquisque electus in cœlesti beatitudine tam firmissimam stabilitatem a creatore suo consequitur, ut numquam ab ea divellatur; quemadmodum avulsus est diabolus, qui de cœlesti beatitudine superbiendo cecidit. *Et scribam super eum nomen Dei mei.* Nomen hoc Dei est æternum: nomen ergo Dei, quod est æternum, super unumquemque justum scribitur, quando æternitas ei cum Domino permanendi largitur. *Et nomen civitatis Dei mei novæ*

Galat. II, 2.

Matth. XVI, 28.

[1] Editt.; *satanæ, qui tibi adversabantur:* mss. autem, ut in contextu.

[2] Sic omnes mss.; editt. vero, *quia singulorum facta omnibus manifestabuntur. A qua hora tentationis,* etc.

[3] Voces, *firmissima stabilitate* usque ad *tam firmissimam stabilitatem,* e mss. restituuntur.

Hierusalem, quæ descendit de cœlo a Deo meo. Nova Hierusalem illa est cœlestis, quæ non ex lapidibus, sicut vetus, sed ex sanctis hominibus quotidie ædificatur. Hierusalem autem interpretatur visio pacis, id est, visio Dei. Nomen ergo Hierusalem super unumquemque electum scribitur, dum hoc unicuique conceditur, ut Deum sine fine videre mereatur. Aliter: Nomen Hierusalem super unumquemque electum scribitur, eo quod ipse Hierusalem, in quem Deus regnare dignetur, in societate videlicet angelorum omniumque electorum, qui
B Hierusalem cœlestis vocantur. Sed mirum, cur Hierusalem de cœlis descendisse dicitur, cum sciamus electos omnes a terris ad cœlos conscendere quotidie, non de cœlestibus ad terrena relabi. Sed Domino de cœlis ad redemptionem generis humani descendente, simul etiam sancti descenderunt; quia jam per prædestinationis gratiam illi conjuncti erant, quos per misericordiam suam redimere veniebat. *Et nomen meum novum;* videlicet ut vocetur filius Dei, sicut et ego sum Filius Dei.

(Vers. 14). *Et angelo Laodiceæ Ecclesiæ scribe: Hæc dicit: Amen, testis fidelis et verus.* Amen vere, sive fideliter interpretatur: quod est amen, hoc est testis fidelis et verus. *Qui est principium creaturæ Dei.* Non ideo se principium creaturæ Dei dicit, quod ipse sit creatus, sed quod ab ipso omnia sint creata, ut puta architectus fecit domum: si interrogaveris quis fuerit principium domus, dicetur tibi: Artifex, qui eam prius mente concepit, et postea ædificavit; quia domus sibimet
D ipsi principium dare non potuit.

(Vers. 15). *Scio opera tua, quia neque frigidus es, neque calidus.* Frigidus non erat; quia quamvis opera fidei non haberet, sola fide se justum existimabat: calidus non erat, quia charitas illi deerat. *Utinam frigidus esses, aut calidus:* id est, utinam aut charitate ferveres, aut te peccatorem, sicut es, æstimares; ut per timorem ignis æterni et pœnitentiam ad bona opera agenda impellereris.

(Vers. 16). *Sed quia tepidus es, incipiam te evomere ex ore meo.* Aqua tepida si hausta fuerit, fastidium generat; ideoque facile rejicitur. In os vero Domini tunc ingredimur, quando per baptismum a vitiis omnibus emundati, membra ejus efficimur. Igitur si fidem quæ per charitatem operatur, et quam in baptismate promisimus, a charitate tepescentes operari neglexerimus, ab ore Domini, veluti quoddam nocivum ac fastidiosum fetidumque rejicimur, sicut ipse dixit de se ipso discipulis suis: *Ego sum vitis, et vos palmites; et Pater meus*
1 *agricola est. Omnem palmitem non ferentem*[1] *in me fructum, præcidet eum, et omnem qui fert*
Joan. xv, 2 *fructum, purgabit eum, ut fructus plus afferat.*

(Vers. 17). *Quia dicis quod dives sum, et locupletatus, et nullius egeo.* Dives et locupletatus recte dicitur qui omnibus virtutibus plenus, usque
2 ad culmen[2] perfectionis excrevit. Iste autem præsul Ecclesiæ Laodiceæ propter solam fidem omnibus virtutibus divitem se et locupletem æstimabat, et
G nihil se ad salutem æternam acquirendam aliud egere, non recogitans illud quod dicit apostolus,
Jacob. ii, 26. quia *fides sine operibus otiosa est.*

A *Et nescis quia tu es miser et miserabilis, et pauper, et cæcus, et nudus.* Miserum eum dicimus, qui cum paupertate et nuditate etiam aliqua infirmitate premitur. Similiter et iste miser et miserabilis ideo dicitur, quod pauper erat virtutibus, mente[3] cæcus, operibus bonis nudus. 3

(Vers. 18). *Suadeo tibi emere a me aurum probatum, ignitum.* Per aurum sapientia intelligitur, sicut scriptum est: *Thesaurus desiderabilis requiescit in ore sapientis.* Quod probatum di- Prov. xxi, 20
B citur, quia probatos et perfectos reddit omnes, quos possidet. Ignitum vero ideo dicitur, quia eorum mentes in quibus habitat, in amorem Dei atque proximi accendit. Et quia vera sapientia ex divinis Scripturis accrescit. Psalmista manifestat, cum dicit: *Eloquia Domini eloquia casta, argentum igne examinatum, probatum terræ, purgatum septuplum.* Eloquia Domini eloquia casta sunt; quia Ps. xi, 7
castas mentes a vitiis reddunt. Sed cum nihil purgari possit, nisi quod sordidum est, quærendum nobis
C est, quomodo eloquia Domini purgari dicantur, in quibus nihil sordidum esse potest. Eloquia ergo Domini sicut argentum igne examinata esse dicuntur, quia mentes[4] fidelium aliquando igne pœ- 4
nitentiæ, aliquando igne charitatis ab omnibus sordibus vitiorum examinant. Quod autem ait: *Probatum terræ,* in hebræo habet: *Separatum a terra.* Quod etiam septuplum purgatum dicitur, propter septem purgationes quas divina Scriptura in se continet, septem videlicet virtutes, quibus
D omnia vitia purgantur: quemadmodum gulæ vitium purgatur per abstinentiam, superbia per humilitatem, libido per pudicitiam; odium, avaritia, invidia, et multa alia, per charitatem. Similiter et cætera vitia habent hostes suos, a quibus aut vincuntur, aut vincunt. Et quia superius Dominus dicit, ut aurum, id est, sapientia, a se ematur; quærendum nobis est, quo pretio sapientia ematur, cum Job dicat: *Non dabitur aurum obrizum pro ea;* nec aliud quid, quod inter homines pretiosius Job. xxviii, 15.
E habetur. Sed quo pretio ematur, ipso beatus Job manifestat, cum dicit: *Timor Domini ipsa est sapientia, et recedere a malo intelligentia.* Non Ibid., 28.
quod ille, qui timet, perfectus sit in sapientia, cum apostolus dicat: *Qui autem timet, non est perfectus in charitate:* sed quod sapientiam jam I Joan. iv, 18
possidere incipit, qui pro ea pretium dare inchoat. Pretium autem ejus est timor Domini, abrenuntiatio vitiorum, pœnitentia, lacrymæ, opera misericordiæ. Et ideo non inconvenienter sequitur: *Ut*
F *locuples fias.* Quia sine hoc pretio ad locupletationem virtutum, quod est sapientia, nemo pervenire potest. *Et vestimentis albis induaris.* Vestimenta alba sunt opera bona. *Et non appareat confusio nuditatis tuæ.* Confusio nuditatis illa est, de qua dicit Psalmista: *Ecce enim in iniquitatibus conceptus sum, et in peccatis peperit me mater mea.* Hanc autem confusionem nuditatis bonis Ps. l, 7
operibus operire debemus; nam quamvis iste episcopus fidem haberet, nudus tamen dicitur; eo
G quod ab operibus fidei vacaret. *Et collyrio inunge oculos tuos, ut videas.* Per collyrium, quod caliginem ab oculis detergit, lacrymasque educit, pœnitentia atque compunctio cordis potest intelligi;

[1] Editt. *in me fructum purgabit eum*, sed hiatum hunc mss. omnes suppleverunt.

[2] Codex Gem., *persecutionis excrevit.* Non satis recte.

[3] Desiderabatur in editt. *mente cæcus.*

[4] Editt., *Fidelium aliquando igne charitatis ab omnibus sordibus examinant:* mss. vero nobiscum faciunt.

ipsa est namque quæ ab oculis mentis caliginem cæcitatis detergit, atque ad videndum quæ sit retributio justorum et pœna peccatorum acuit.

(Vers. 19). *Ego quos amo, arguo et castigo.* Sicut dicit Scriptura: *Quem enim diligit, Dominus corripit: flagellat autem omnem filium, quem*
Hebr. XII, 6. *recipit.*

(Vers. 20). *Æmulare ergo, et pœnitentiam age:* id est, æmulare bonos, et pœnitentiam age; eo quod a bonis operibus usque modo torpueris. *Ecce sto ad ostium et pulso: si quis audierit vocem meam, et aperuerit januam, intrabo ad illum, et cœnabo cum illo, et ipse mecum.* Pulsat Dominus ad ostium nostrum, cum per Scripturam divinam quotidie nos admonet, ut vitia relinquentes, ad bona opera agenda convertamur. Vocem ejus audimus, et januam aperimus, cum mandata ejus
1 tota mentis intentione suscipimus.[1] Ad nos vero ipse intrat, cum caritatem suam in cordibus nostris plantat. Cœnat vero nobiscum, cum de nostris profectibus gaudet. Cœnamus nos cum illo, cum de spe cœlestis gloriæ exultamus.

(Vers. 21). *Qui vicerit, dabo ei potestatem sedere mecum in throno meo; sicut et ego vici, et sedi cum Patre meo in throno ejus.* Vicit Christus diabolum, vincunt et sancti ejus: sed Christus per semetipsum, sancti vero ejus non per semetipsos, sed per ipsum. Dedit Pater Filio potestatem secundum quod homo est, ut sedeat in throno ejus: dedit et Filius potestatem sanctis suis, ut sedeant et ipsi in throno ejus. Sed Christus ad dexteram Patris sedet, sicut dicit Psalmista: *Dixit Dominus*
Ps. CIX, 1. *Domino meo, sede a dextris meis,* quia æqualis est Patri: sancti autem non ad dexteram Filii sedere dicuntur, sed in sedibus suis, sicut dixit Dominus in Evangelio: *Sedebitis et vos super sedes duode-*
Matth. XIX, 28. *cim, judicantes duodecim tribus Israel.* Ipsi enim non naturaliter ut Christus, sed per adoptionem sunt filii; ideo diversas sedes sortiuntur secundum meritorum diversitatem. Præstet hoc nobis, de quo loquimur; ut in earum sedium distributione nos miseri partem habere mereamur, Jesus Christus Dominus noster, qui cum Patre et Spiritu sancto vivit et regnat in sæcula sæculorum, amen.

DE VISIONE SECUNDA.

2 Ratio[2] deposcit ut post septem epistolas, quas ad septem Ecclesias, quæ unam catholicam designant, Joannes direxit, in quibus fideles instituuntur, qualiter ad virtutum celsitudinem conscendere debeant, ejusdem Ecclesiæ status atque sublimitas manifestius describatur.

CAPUT IV.

(Vers. 1). *Post hæc vidi ostium apertum in cœlo.* Per ostium Christus intelligitur, qui dicit: *Ego sum ostium: per me si quis introierit, sal-*
Joan. X, 9. *vabitur.* Quod ostium apertum esse dicitur, quia omnibus ad se venire desiderantibus, quamvis multis sceleribus deprimantur, ostium misericordiæ suæ aperire non dedignatur, sicut ipse dicit in Evangelio: *Venite ad me omnes qui laboratis et one-*
A *rati estis; et ego reficiam vos.* Per cœlum autem Matth. XI, 28
Ecclesia designatur. Sed si omnis qui per ostium in ovile ovium, id est, in sanctam Ecclesiam introierit, salvabitur; reprobi, quorum innumerabiles intra sanctam Ecclesiam continentur, quo aditu introierunt? De hoc Dominum interrogemus; ait enim: *Qui non intrat per ostium in ovile ovium,*
sed ascendit aliunde; ille fur est et latro. Qui- Joan. X, 1.
cumque ergo hoc quod in baptismo promiserunt, observare nolunt, non per ostium in ovile ovium,
B sed aliunde ascenderunt. *Et vox prima, quam audivi, tamquam tubæ loquentis mecum, dicens.* Vocem primam vetus Testamentum accipere possumus: sed melius mihi videtur, ut per vocem primam Joannem Baptistam intelligamus, de quo scriptum est: *Et tu, puer, propheta Altissimi vocaberis; præibis enim ante Dominum parare vias ejus, ad dandam scientiam salutis plebi ejus*
in remissionem peccatorum eorum. Sed et ipse Luc. I, 76
Joannes se vocem vocat, dicens: *Ego vox cla-*
C *mantis in deserto, dirigite viam Domini, sicut*
dixit Esaias propheta. Et quia prædicatio ejus Joan. I, 23 ex Isai. XL, 3
circumquaque percrebuit, vox prædicationis ejus tubæ similis dicitur. Sed quid vox ista dicat, audiamus:[3] *Ascende huc, et ostendam tibi quæ* 3
oportet fieri post hæc; id est, terrena desere, et ad cœlestia animum erige. Aliter: Joannes evangelista personam eorum in hoc loco gerit, qui per Joannem Baptistam in Christum crediderunt, et multi eo tempore exstiterunt, qui Joannem Chri-
D stum æstimabant: Joannes vero sursum auditores suos mentes erigere suadebat, cum se non Christum esse dicebat, sed alterum qui post se venturus erat, dicens: Non sum ego Christus: veniet vero fortior me post me, *cujus non sum dignus ut solvam corrigiam calceamenti. Ipse vos baptizabit*
in Spiritu sancto et igne; et iterum: *Illum oportet* Joan. I, 27.
crescere, me autem minui. Sed et discipulos suos conscendere sursum monebat, cum se deserendum, Joan. III, 30
et Christum esse sequendum manifesta ratione per-
E docebat. Deinde sequitur: *Et ostendam tibi, quæ oportet fieri post hæc;* ac si diceret: Si sursum cor erexeris, id est, si Christum fide secutus fueris, ea quæ doceo, et quæ ventura sunt, etiam ipso docente, facile cognoscere poteris.

(Vers. 2). *Et statim fui in spiritu;* id est, cum in Christum credere cœpi, ex carnali spiritalis effectus sum. *Et ecce sedes posita erat in cœlo, et supra sedens.* Per cœlum, ut supra diximus, Ecclesia designatur: sedes vero posita in cœlo, corda
F sanctorum in Ecclesia commorantium designat. Qui vero supra sedem visus est sedere, Deus est, qui in cordibus sanctorum suorum inhabitat atque sedet, sicut Apostolus dicit: *Templum enim Dei sanctum est, quod estis vos.* I Cor. III

(Vers. 3). *Et qui sedebat, similis erat aspectui lapidis jaspidis, et sardii.* Jaspis viridis coloris est, sardius autem rubei: per viriditatem ergo jaspidis divinitas nostri Salvatoris; per ruborem autem sardii ejus humanitas designatur. Salvator igitur
G noster et viriditatem jaspidis in se continet, quia secundum divinitatem per omnia æqualis est Patri; et ruborem sardii, quia secundum humanitatem homo perfectus exsistit, sicut scriptum est: *Per-*

[1] Ita mss.; editt. autem: *Ad nos vero intrat, cum nostris profectibus gaudet.*

[2] *Ratio deposcit.... manifestius describatur,* edit. Rom. e medio tulerat.

[3] Eadem Rom. edit., *Ascende huc, id est, terrena desere.*

fectus Deus, perfectus homo, ex anima rationali et humana carne subsistens.

Symb. sub. Athanasii nomine.

Et iris erat in circuitu sedis, similis visioni smaragdinæ. In Genesi legimus, quia dixit Deus ad Noe: *Arcum meum ponam in nubibus cœli, et recordabor fœderis mei sempiterni, quod pactum est inter Deum et omnem animam viventem.* Per arcum igitur, qui in signum clementiæ Dei hominibus in terra consistentibus apparet, misericordia Dei non inconvenienter accipitur. Iris ergo, id est arcus, sedem Dei, id est, Ecclesiam circumdabat; quia ejus misericordia nos circumdando, protegit et gubernat,[1] atque ab invisibilibus hostibus defendit: *In ipso enim,* sicut dicit Apostolus, *vivimus, movemur et sumus.* Qui arcus similitudinem smaragdi habuisse dictus est, qui nimiæ atque gratissimæ viriditatis est; jaspis vero, de quo superius diximus, viridis coloris est, sicut smaragdus. Sed ejus viriditas obtusa est; viriditas vero smaragdi perspicua est, cujus pulchritudo oculos intuentium ad se mirandam pertrahit. Per viriditatem ergo jaspidis, sicut diximus, divinitas nostri Salvatoris accipitur; quæ obscura, et quibusdam nebulis obtecta est, quia divinitatem Redemptoris nostri nulla mens, sicut est, comprehendere potest; et quanto altius se mens ad perscrutandum erexerit, tanto amplior caligo ei objicitur. Per viriditatem vero smaragdi, quæ perspicua est, misericordia Domini recte designatur; misericordia namque Domini tam perspicua est, ut nullus homo sanam mentem possidens, hanc ignorare valeat. Quis enim immensam misericordiam Dei quam erga humanum genus exhibuit, et exhibet quotidie, ignorare potest; quamvis verbis perfecte explicari non possit? Sed et hoc quod viriditas hujus lapidis hebetatos oculos, si inspicitur, ad videndum acuit, potest misericordiæ Dei convenire; quando enim in peccatis jacemus, et scelera nostra nos deprimunt, hebetatos oculos mentis habemus. Cum vero consideramus misericordiam Dei, qualiter meretrices et latrones, omniumque scelerum generibus depressos, etiam et persecutores suos per pœnitentiam ad salutem reduxit, ad spem veniæ reformamur. Et quia jam in perditionis fovea detinebamur, misericordiam Domini intuentes, atque de ea præsumentes, ad eum quem offenderamus, confugimus, ut ejus misericordia a morte perpetua liberemur. Quam misericordiam Dei Psalmista intuens, nec eam verbis explicare valens, ipsum Deum misericordiam suam vocavit, dicens: *Deus meus misericordia mea.*

Gen. IX, 13 — 1 — Act. XVII, 28. — Ps. CXLIII, 1, 2.

(Vers. 4). *Et in circuitu sedis sedilia vigintiquatuor, et supra thronos vigintiquatuor seniores sedentes, circumamicti vestimentis albis, et in capitibus eorum coronæ aureæ.* Vigintiquatuor seniores in hoc libro aliquando Patres veteris Testamenti, aliquando novi, aliquando simul utrosque significant; sed in hoc loco Patres veteris Testamenti designant, qui vigintiquatuor sedilibus sedisse dicuntur; quando enim sedemus, a labore quiescimus. Per sedilia igitur vigintiquatuor libri veteris Testamenti designantur. Super vigintiquatuor igitur thronos, vigintiquatuor seniores sedisse visi sunt; quia Patres veteris Testamenti a laboribus et curis hujus sæculi, in lectione et meditatione divinorum librorum quodammodo quiescebant. Sed quærendum nobis est, cum sedes Ecclesiam significet, cur in circuitu sedis hæc sedilia disposita esse dicantur. Nimirum quia quisquis paterfamilias domum suam tutam a latronibus et inimicis esse desiderat, hanc aut muro, aut sepe, aut pariete circumdat. Similiter Ecclesia et contra hæreticos et contra paganos, qui fidem Christi in ea dejicere volunt, veteris Testamenti libris munitur; quia quando ea quæ colit, longe ante adventum Christi fuisse prædicta probat, jacula inimicorum fidem Christi evertere cupientium longe a se repellit. Qui senes circumamicti vestimentis albis fuisse dicuntur, et in capitibus eorum coronæ aureæ: per alba vestimenta vitæ puritas, per coronas autem aureas opera bona designantur.

(Vers. 5). *Et de throno* (id est, de Ecclesia) *procedunt fulgura, et voces, et tonitrua.* Per fulgura miracula, quæ per sanctos suos operatur Deus: per voces prædicatio: per tonitrua vero terror gehennæ ignis designatur; quia sancti prædicatores eos, quos amore cœlestis patriæ a vitiis revocare nequeunt, eis tormenta æterna, quæ impiis præparata sunt, opponunt; ut quos blanditiis nequeunt, saltem terroribus a vitiis compescant. *Et*[2] *septem lampades ardentes ante thronum.* Quid sint septem lampades, ipse exponit, cum dicit: *Quæ sunt septem spiritus Dei.* Per septem spiritus Dei septem dona Spiritus sancti debemus intelligere, quæ in Dominum requievisse propheta Esaias manifestat dicens: *Et requiescet super eum spiritus Domini, spiritus sapientiæ et intellectus, spiritus consilii et fortitudinis, spiritus scientiæ et pietatis: et replebit eum spiritus timoris Domini.* Hæ igitur septem lampades, id est, septem dona Spiritus sancti, ante sedem, id est, ante conspectum Ecclesiæ suæ ardere dicuntur; quia sine lumine harum virtutum in nocte hujus sæculi positi, per vitæ vias ad cœlestem patriam gradi non possumus. Quod autem Christum hæc septem dona a Spiritu sancto accepisse dicit, ad humanitatis ejus mysterium pertinet; nam secundum divinitatem in nullo augeri potuit, sine quo nihil esse potuit.

2 — Isai. XI, 2.

Verum quæri potest, cur propheta cum hæc septem dona in Christum descensura esse diceret, a majoribus cœpit, et descendendo ad minora pervenit. Sed non abs re esse factum videbitur, si diligenter inspiciatur. Nam quia Dominus noster Jesus Christus de illa cœlesti beatitudine, in qua æqualis erat per omnia Patri, ad terras descendere, et homo fieri dignatus est, et ab angelis minorari voluit, quos ipse creaverat; non inconvenienter hæc septem dona descendendo accepit, quia voluntatem Patris descendendo et humiliando se usque ad mortem adimplevit, sicut dicit Apostolus: *Humiliavit semet ipsum usque ad mortem, mortem autem crucis.* Nos autem qui ab ipsa perditionis fovea ad cœlestia sublevamur, a minoribus incipimus, ut ad majora crescendo perveniamus.

Phil. II, 8.

Quomodo autem hæc septem dona super Christum descenderint, prout Dominus dederit, breviter dicamus. Spiritus sapientiæ super hominem Christum requievit, quando Filius Dei secundum divinitatem, qui sapientia Patris dicitur, in eum descendit.

[1] Ita mss.; editt. vero, *atque a visibilibus et invisibilibus hostibus.*

[2] Fragmentum cod. S. Audoeni: *Beatus Joannes apostolus et evangelista in Apocalypsi vidit septem lampades,* etc.

Spiritus intelligentiæ in eum requievit, quando omnibus virtutibus est ditatus sicut in Evangelio scriptum est: *Jesus proficiebat sapientia, et ætate, et gratia coram Deo et hominibus.* Luc. II, 52

Post intellectum consilium sequitur. Consilium a consulendo dicitur; nam si aliquod periculum nobis imminet, consilium a sapiente perquirimus, qualiter periculum evadamus. Similiter et cum ad aliquam dignitatem sæculi conscendere cupimus, consilium quærimus qualiter ad id quod desideramus, pervenire valeamus. Christus igitur est consiliator noster, qui consilium dat qualiter pericula æterna evadamus; et consilium quod dat, ipse perficit, cum a periculis æternis nos liberat. Similiter et consilium dat qualiter ad hæreditatem paradisi pervenire possimus, et ad ipsa gaudia ipse nos perducit. Spiritus itaque consilii in homine Christo descendit, dum a Spiritu sancto percepit doctrinam Evangelii, in qua consilium consistit omnium hominum salvari cupientium.

Spiritus etiam fortitudinis super Christum requievit, quando ad debellandum hostem antiquum fortis inter homines apparuit. De hac sua fortitudine ipse dixit in Evangelio: *Dum fortis armatus custodit atrium suum, in pace sunt ea, quæ possidet: si autem fortior illo superveniens vicerit eum, universa arma ejus auferet, in quibus confidebat, et spolia ejus distribuet.* Luc. XI, 21.

Post fortitudinem sequitur scientia. Apud homines multæ scientiæ sunt; sunt namque diversarum artium diversæ scientiæ. Est scientia in litteris, est in mundanis legibus, est in augendis rebus temporalibus, est etiam scientia in præcavendis periculis; sunt etiam multi, qui per subtilitatem sensus quædam futura prævident. Sed has scientias aliquando boni, aliquando mali possident: scientiam vero quæ in Christum descendit, nullus nisi bonus habere potest. Quæ tanta fuit, quantam nulla mens comprehendere potuit: *In ipso* enim *sunt omnes thesauri sapientiæ et scientiæ absconditi.* Coloss. II, 3. Videtur itaque mihi per spiritum scientiæ aliquod factum ejus nos debere intelligere; prævidens namque Salvator noster, si accessum hominum peccatorum devitaret, multos sceleratos in desperationis foveam esse decidendos, peccatoribus per societatem corpori se conformari voluit, manducans videlicet et bibens cum eis, tactus etiam meretricum non respuens: qui etiam et latroni in initio confessionis ejus paradisum repromisit, ut omnibus peccatoribus salvari cupientibus spem veniæ tribueret. Luc. XXIII, 43. Pharisæi vero spiritum scientiæ non habentes, reprehendebant eum, eo quod cum publicanis et peccatoribus manducaret. Sed ipse spiritum scientiæ possidens, dixit eis: *Non est opus sanis medicus, sed male habentibus: non veni vocare justos, sed peccatores ad pœnitentiam.* Matth. IX, 12 et seq.

De spiritu vero pietatis non est necesse nobis quidquam dicere. Quid enim tam pium, quam ille qui peccatum non fecit, nec inventus est dolus in ore ejus; et cum posset a morte potestate sua liberari, se pro salute generis humani et teneri, et ligari, et conspui, et alapis cædi, et flagellari, et crucifigi permisit? I Pet. II, 22.

Spiritus vero timoris Domini, qui ultimus ponitur, ad passionem pertinet; non quod timore coactus sit, ut pro salute generis humani moreretur: sed timorem pro obedientia accipere debemus, de qua ipse dicit: *Non veni facere voluntatem meam, sed voluntatem ejus, qui misit me, Patris.* Joan. VI, 38 Nam et filium, qui patri carnali est per omnia obediens, patrem timere dicimus, cum illa obedientia non sit timoris, sed amoris. De quo timore Psalmista dicit: *Timor Domini sanctus permanens in sæculum sæculi;* non autem timor, sed charitas Dei in sæculum sæculi permanebit. Ps. XVIII, 10.

Nunc qualiter hæc septem dona Spiritus sancti unicuique fidelium conveniant, breviter dicendum est. Et quia nos, qui per primæ prævaricationis culpam in perditionis laqueo jacebamus, misericordia Dei ad superna reducimur ab inferioribus, id est, a timore Dei incipimus, ut ad superiora, id est, ad sapientiam proficiendo crescamus. Et quibus gradibus Christus humiliando se ad nos descendit, salutemque nostram moriendo perfecit, eisdem gradibus et nos ad eum conscendere debemus; faciendo videlicet præcepta ejus, quæ in donis septem Spiritus sancti continentur. Spiritus igitur timoris Domini super unumquemque peccatorem requiescit, cum considerans peccata sua, justumque judicium Dei pertimescens, pœnasque ignis æterni, quæ impiis præparatæ sunt, ad pœnitentiam lacrymasque convertitur, et amarissime flere incipit quod delectabiliter gessit.

Spiritus vero pietatis super quemlibet peccatorum requiescit, dum audiens Scripturam dicentem: *Sicut aqua exstinguit ignem, ita eleemosyna exstinguit peccatum;* Eccli III, 33. Et Dominum dicentem: *Date eleemosynam, et ecce omnia munda sunt vobis,* Luc. XI, 41. alere egentes, vestire nudos, et cætera pietatis opera incipit exercere; ut Deum alios miserando propitium sibi faciat, quem peccando offenderat. Unde et Daniel propheta regem impiissimum, ut peccata sua eleemosynis redimeret et misericordiis pauperum, admonere studuit.

A pietate ad scientiæ spiritum conscenditur; nam quamvis videatur aliquis scientiam possidere, stultus est, si male vivit. Quid enim stultius, quam timorem Dei a mente abjicere,[1] vitiis deservire, rapidoque cursu ad interitum properare? Si igitur stultitia est vitiis deservire, et scientia optima est vitia deserere, atque ad Deum tota mente converti; quicumque per timoris spiritum peccata sua plangere incipit, et per pietatis spiritum misericorsdiam indigentes esse studet, ut Deum alios miserando misericordem sibi faciat, necesse est ut per donum sancti Spiritus scientiæ spiritum possideat. Quicumque enim converti ad Deum desiderat, necesse est[2] ut vitia derelinquat; et quicumque vitia deserere cupit, necesse est ut per doctrinam divinarum Scripturarum, sive per prædicationem sanctorum virorum, discat quæ sint genera vitiorum, qualiter homines illaqueent, et quibus modis exstingui possint; quæ sint etiam deceptiones dæmonum, et qualiter contra eos pugnandum sit: hoc est igitur scientiæ spiritum possidere.

Et quia Salomon dicit quia *qui addit scientiam, addit et laborem;* Eccl. I, 18 a scientia ad fortitudinis spiritum conscenditur. Nam sicut quilibet præliator non contra eum, quem in vinculis tenet, pugnat; sed potius contra eum, qui resistere ei vult: ita et diabolus non contra eum, quem vinculis pecca-

[1] Editt., *vitiis deservire? Scientia vero maxima est,* etc.: mss. ut in contextu.

[2] *Ut vitia derelinquat.... necesse est,* ex fide mss. omnium reposuimus.

torum constrictum tenet, dimicat; sed potius contra eum, qui peccare desistit, et ad Deum tota mente revertitur. Quicumque ergo per pœnitentiam pietatisque opera a diaboli vinculis absolvi meretur, atque contra eum per scientiæ spiritum bellum cupit instruere; necesse habet ut a Spiritu sancto fortitudinis domum accipiat: quo instructus, et interiores hostes, id est, vitia funditus possit exstinguere, et exteriores, videlicet homines, per patientiam superare, omniaque jacula dæmonum scuto fidei a se repellere.

A fortitudine ad consilium conscenditur: consilium autem salutis nostræ in præceptis consistit evangelicis. Quisquis igitur vitia in se exstinguere
1 per fortitudinis spiritum potuit, necesse est[1] ut ad mandata Evangelii perscrutanda, atque in corde suo recondenda transeat: ubi consilium reperiet, qualiter ad perfectionis culmen conscendere valeat.

Et quia mandata Evangelii sine virtutibus custodiri non possunt, a spiritu consilii ad intellectum conscenditur, in quo perfectio virtutum tota consistit. Intellectus vero donum a Spiritu sancto fideles accipiunt, cum omnibus virtutibus ditari merentur: ille enim verum intellectum possidet, qui fide illuminatur, qui pudicitia mundatur, patientia decoratur, qui humilitate munitur, qui caritate refulget, cæterisque virtutibus consummatur.

2 Et quia[2] per operationem virtutum ad culmen perfectionis conscenditur, sapientia intellectui præponitur, in qua tota perfectio consistit. De hac perfectione Dominus dicit in Evangelio: *Si vis perfectus esse, vade, vende omnia quæ habes, et da pauperibus, et habebis thesaurum in cœlo;*
Matth. XIX, 21. *et veni, sequere me.* Sunt namque multi, qui ad perfectionis culmen subito conscendere conantur: sed quia per gradus virtutum non conscendunt, facile corruunt. Quid enim prodest substantiam relinquere, si iram, odium, ebrietatem, invidiam, superbiam, vanam gloriam, cæteraque vitia, quæ occidunt animam, a mente sua non abjiciat? Non enim prodest arborem conscendere, ut leonem evadat, si serpentem in sinu gestet, cujus veneno pereat. Nec dicit Dominus illum perfectum esse, qui substantiam tantummodo dimiserit; sed eum qui et substantiam dimiserit, et ipsum secutus fuerit. Sequimur autem illum, quando imitamur. Ad hoc igitur perfectionis culmen ille competenti gradu conscendit, qui prius vitiis abrenuntiatis, per actua-
3 lem vitam[3] quæ virtutibus perficitur, ad contemplativam conscendit, in qua soli Christo conjungitur, qui est sapientia Patris, Filiusque Dei, et civis Hierusalem cœlestis efficitur.

Nunc qualiter descensioni Christi per gradus septem donorum Spiritus sancti ascensio fidelium conveniat, breviter demonstremus. Ultimus descensionis Christi gradus est timor Dei, per quem passionem et mortem ejus diximus fuisse designatam, et primus ascensionis ad Deum convertentium. Congruit autem mors Domini iis, qui per spiritum timoris Domini peccata sua deflent; quia in morte Domini remissio consistit omnium peccatorum, nec perfecta remissio peccatorum esse posset, si ille pro nobis mortuus non fuisset.

A Sextus descensionis Christi gradus est pietas, et secundus ascensionis pœnitentium. Congruit autem pietas fidelium cum pietate Domini; quia ille iis qui secundum animam erant miseri, misericordiam suam impendit, ab æterna morte sua morte eos liberans,[4] et isti iis qui secundum corpus sunt mi- 4
seri, misericordiam impendunt, largiendo eis corporum necessaria, quibus in judicio ipse dicturus est: *Quod uni ex minimis meis fecistis, mihi fecistis.* Matth. I, 25.

B Quintus descensionis Christi gradus est scientia, et tertius ascensionis fidelium. Convenit autem spiritus scientiæ qui fidelibus datur, cum spiritu scientiæ, qui homini Christo oblatus est; quia ille ut peccatores salvos faceret, semetipsum illis conformare non est dedignatus; et isti ut peccata evadant, ad eum per spiritum scientiæ confugiunt, qui potestatem habet dimittendi peccata.

Quartus descensionis Christi gradus est fortitudo, et quartus similiter ascensionis fidelium. Congruit
C autem fortitudo fidelium fortitudini Christi; quia ea fortitudine isti vincunt diabolum, qua et Christus vicit, fortitudine videlicet Christi, non sua, sicut ipse dicit: *Sine me nihil potestis facere.* Joan XV, 5.

Tertius descensionis Christi gradus est spiritus consilii, et quintus ascensionis fidelium. Conjungitur autem consilium fidelium consilio Christi, cum ad præcepta Evangelii servanda se transferunt, in quibus perfectum consilium consistit omnium sanctorum.

D Secundus descensionis Christi gradus est intellectus, et sextus ascensionis fidelium. Congruit autem intellectus fidelium intellectui Christi, cum easdem virtutes quas ipse a Spiritu suo percepit, easdem et sancti ejus ab ipso percipere merentur.

Primus descensionis Christi gradus est sapientia, et septimus ascensionis fidelium; quia Christus est sapientia Patris, et ab ipso omnis sapientia oritur. Sancti igitur qui per operationem virtutum Domino copulantur, ab ipso sapientiam, in qua totius boni-
E tatis summa consistit, percipiunt. Quibus ipse per Prov. III, 13.
Salomonem loquitur, dicens: Si quis diligit sapientiam, ad me declinet, et eam inveniet; et eam cum invenerit, beatus est, si tenuerit eam.

(Vers. 6). Sequitur: *Et in conspectu sedis tamquam mare vitreum, simile crystallo.* In templo Salomonis mare æneum fuisse legimus, in quo lavabantur sacerdotes, antequam accederent ad al-
tare, ad hostias offerendas: æris vero splendor II Par. IV, 6.
quadam nigredine cito obnubilatur. Per mare itaque
F æneum lex Moysi designatur, quæ fulgorem spiritalis intelligentiæ litteræ nigredine obscurat. Et sicut æs si lima teratur, splendor ejus aperitur; ita et spiritalis intelligentia, quæ litteræ superficie obscuratur in Lege, si a fidelibus viris diligenter discutiatur, per gratiam Dei manifestatur. In hoc igitur mari sacerdotes lavabantur, quia per sacrificia et per quasdam observationes legales quædam peccata veteris populi delebantur. Per mare ergo vitreum atque crystallum non inconvenienter novum
G Testamentum intelligitur. In hoc autem mari tria invenimus, mare, vitrum, atque crystallum: per mare igitur historia, per vitrum moralis intelli-

[1] Fragmentum cod. Aud., *ut ad mandata Legis vel Evangelii.*

[2] Gill., *per orationem virtutum;* Rom., *per orationum virtutem;* mss. vero nobis congruunt.

[3] Fragmentum Aud., *quæ virtutibus proficit..... Hierusalem cœlestis perficitur.*

[4] Editt., *et isti qui secundum corpus sunt, misericordiam;* mss. ut nos in corpore.

gentia, per crystallum autem spiritalis intelligentia designatur. Per vitrum ergo, ex quo specula fiunt, non incongrue moralis intelligentia accipitur; quia sicut homo quidquid turpe in facie gerit, in speculo deprehendere potest; ita et quidquid vitiosum in animabus hominum esse potest, moralis intelligentia patefacit. Per crystallum autem, quæ clarior est omnibus gemmis, et quæ flammas splendoris, sæpe etiam et ignem de se emittere solet, spiritalis intelligentia exprimitur, quæ obscura quæque in divinis Scripturis elucidat, mentes spiritalium sensuum flammis illuminat, quosdam etiam in amorem Dei, amoremque cœlestis patriæ accendit.

Et in medio sedis et in circuitu sedis quatuor animalia plena oculis ante et retro. Hoc secundum historiam stare non potest; neque enim tam parvus numerus et ambitum sedis, et medietatem obtinere poterat: sed spiritaliter intelligendum est. Quatuor igitur animalia non solum quatuor evangelistas, sed et omnes doctores Ecclesiæ, qui eorum doctrinam sequuntur, designant. In circuitu vero sedis quatuor animalia stant; quia doctores Ecclesiæ populum sibi commissum et a visibilibus et ab invisibilibus hostibus quanta virtute possunt, defendunt. In medio sedis consistunt, quia unumquemque eorum ut in virtutibus omnibusque bonis operibus proficiant, admonere non desinunt. Quatuor ergo hæc animalia ante et retro oculos habuisse visa sunt, quia prædicatores sancti et futura et præterita inspiciunt. Ante oculos habent, quia diem judicii, damnationemque impiorum, gloriamque justorum dum inspiciunt, auditoribus suis quid cavere, et quid appetere debeant, ostendunt. Retro oculos habent, quia vitam præcedentium patrum dum intuentur, et ipsi in eorum imitatione proficiunt, eorumque vitam atque doctrinam auditoribus suis anteponunt; ut et ipsi in eorum[1] imitatione proficiant.

(Vers. 7). *Et animal primum simile leoni, et secundum animal simile vitulo, et tertium animal habens faciem quasi hominis, et quartum animal simile aquilæ volanti.* Figuras quatuor animalium non omnes auctores uno modo exposuerunt; sed ab antiquioribus nobis traditum est, ut per leonem Marcum intelligeremus, per vitulum Lucam, per hominem Matthæum, per aquilam volantem Joannem; eo quod Marcus a desertis incipiat, Lucas a sacerdotio Judæorum, Matthæus ab homine, id est, a Christi generatione, Joannes vero a divinitate Christi. Quidam vero alium ordinem sequentes, per leonem Matthæum, per vitulum Marcum, per hominem Lucam, per aquilam vero Joannem designatum fuisse putant. Nam per leonem, qui rex est bestiarum, ideo Matthæum designatum fuisse dicunt, eo quod ipse Christum secundum humanam naturam ex regia stirpe descendisse narraverit: ipse etiam tempore nativitatis ejus stellam apparuisse dicit, quæ eum Regem cœli et terræ, angelorum, hominumque fuisse demonstravit: Magos etiam veluti Regem mundi ad adorandum eum ab Oriente perduxit: sed et regem terræ, id est, Herodem, tempore nativitatis ejus cum omnibus ministris suis turbatum fuisse dicit; quia sicut quilibet rex qui parvæ potentiæ est, si alterum regem qui magnæ potentiæ est, contra se, ut regnum ejus invadat, venire cognoverit, contremiscit et conturbatur: ita et Christo in carne veniente, qui Rex futurus erat mundi, Herodes turbatus est, et omnis Hierosolyma cum illo; nam et munera quæ Magos Christo obtulisse narrat, eum Regem, Deum et Dominum esse omnium creaturarum demonstrant. Marcum vero propter simplicitatem eloquii per vitulum signatum fuisse dicunt: Lucam per hominem, eo quod ipse generationem Christi secundum humanitatem plenius quam cæteri prosecutus est; namque ab ipso[2] qualiter ab angelo annuntiatus sit, didicimus, qualiter natus, qualiter sit in præsepio positus, qualiter circumcisus, qualiter in templo præsentatus, qualiter usque ad maturam ætatem crescendo pervenerit. Joannem per aquilam designatum fuisse nullus est, qui neget.

(Vers. 8). *Et quatuor animalia, singula eorum habebant alas senas, et in circuitu et intus plena sunt oculis.* Per senarium numerum qui perfectus est, perfectio sanctorum designatur, ad quam nullus nisi per doctrinam Evangelii valet assurgere: *Lex enim nullum ad perfectum adduxit.* Senas vero alas quatuor animalium si simul junxeris, vigintiquatuor invenies. Videntur ergo mihi eamdem significationem habere, quam et vigintiquatuor sedilia, quæ vigintiquatuor libros veteris Testamenti significasse diximus. Sedilia autem cum semper terræ hæreant, eos qui in eis requiescunt, ad terram aliquantulum incurvant: alæ vero eos quibus innexæ sunt, ad excelsa sublevant. Libri igitur veteris Testamenti antiquis patribus sedilia fuerunt; quia eos secundum litteram intelligentes, nequaquam ad eorum intelligentiam spiritalem se erigere perfecte potuerunt: sed hæc sedilia patribus novi Testamenti in alas conversa sunt; quia libros veteris Testamenti spiritaliter intelligentes, per eorum doctrinam ad cœlestia quotidie sublevantur.

Verum quia hic numerus, id est, vigintiquatuor, in hoc libro sæpe invenitur, placuit ut de sacramentis hujus numeri pauca dicamus. Partes namque hujus numeri sunt, unus, duo, tres, quatuor, sex, octo, duodecim. Unus qui in capite ponitur, unum Deum significat: duo vero qui sequuntur, duo Testamenta indicant: tres ad Trinitatem pertinent: post tres non inconvenienter quatuor sequuntur, quia per doctrinam quatuor Evangeliorum fides nobis sanctæ Trinitatis manifestata est: post quatuor vero sex, qui perfectus est numerus, sequuntur; quia sine doctrina Evangelii nullus ad perfectionis culmen conscendere potuit; quia *Lex*, sicut dicit Apostolus, *nullum ad perfectum adduxit:* post sex octo sequuntur, quia octo sunt virtutes, quæ dimicant contra vitia, sine quarum operatione nullus ad fastigium perfectionis valet conscendere: post octo sequuntur duodecim, quia per doctrinam apostolorum ad fidem pervenimus, quæ mater est omnium virtutum.

Quatuor ergo animalia in circuitu et intus plena esse oculis dicuntur. Per circuitum totum corpus intelligere debemus; nam Ezechiel cum de iis animalibus loqueretur, dicit totum corpus eorum plenum fuisse oculis. Sancti igitur retro oculos habent, quando audientes comminationem Domini dicentis: *Nemo mittens manum suam in aratrum, et aspiciens retro, aptus est regno Dei,* tota vir-

Matth. II, 3

Hebr. VII, 19.

Ibid.

Ezech. I

Luc. IX, 62

Matth. II, 2.

[1] Codex Gem., *imitatione atque doctrina proficiant.*

[2] Deerant in editt., *qualiter ab angelo.... qualiter natus;* quæ in mss. non mittuntur.

tute laborant, ne in mala quæ se aliquando egisse meminerunt, relabantur: quamvis ea ante mentis oculos ad humilitatis suæ custodiam ponere non desistunt. Ante se oculos habent, quando audientes vocem Domini dicentis: *Beatus ille servus,*
Matth. xxiv, 46. *quem cum venerit Dominus, invenerit vigilantem,* bona quæcumque possunt, operari non desinunt, ut tempore mortis suæ, Domino veniente, parati inveniantur. A sinistris oculos habent, cum omnia tentamenta dæmonum scuto fidei a mentibus suis repellunt: a dextris oculos habent, cum sollicite cavent, ne pro bonis operibus extollantur. Sive a dextris et a sinistris oculos habent, cum eos nec prospera erigere, nec adversa possunt inclinare. Inferius oculos habent, cum desideria carnalia exstinguendo calcant: superius oculos habent, cum ad cœlestem patriam toto mentis desiderio anhelant: intus oculos habent, dum corda sua a sordidis cogitationibus custodiunt.

Et requiem non habebant die ac nocte dicentia: Sanctus, sanctus, sanctus Dominus Deus omnipotens, qui erat, et qui est, et qui venturus est. Quia requies reproborum vita præsens est, sequitur eos tribulatio, quæ finem non habet; justi autem in hoc sæculo tribulantur, ut requiem æternam possideant, dicente Paulo apostolo: *Per multas*
Act. xiv, 21. *tribulationes oportet nos introire in regnum Dei.* Aliter: sancti requiem non habent, quia a laudibus Dei et orationibus non cessant, dicente Domino:
Luc. xviii, 1. *Oportet semper orare, et non deficere;* et Paulus apostolus loquitur dicens: *Sine intermissione orate,*
I Thess. v, 17. *in omnibus gratias agite.* Sed quærendum nobis est, quomodo sine intermissione orare possimus. Multi enim sunt, qui cum sint assidui in orationibus, in psalmodiis, in missarum celebrationibus, et eleemosynas multas largiantur; tamen superbia inflantur, avaritiæ æstibus ardent, pecunias quacumque arte possunt, congregant; in tantum ut etiam ipsos pauperes, quorum misereri debuerant, quibusdam argumentis insectentur, ut ex eorum parva substantia opes suas augeant, dicentes hoc se legaliter facere, cum ista lex non sit Dei, sed stropha diaboli. Sed et in monasteriis multi inveniuntur, qui in vigiliis, in psalmis, in orationibus, et missarum celebrationibus sunt dediti, et tamen ira sæpissime et facile inflammantur: quidam vero ebrietati et gulæ deserviunt: quidam etiam odium in corde longo tempore portant: quidam in bonis, quæ agere videntur, favores et laudes hominum quærunt: quidam invidia, quidam detractionibus, aut ceteris vitiis deprimuntur. Et quid plura? Omnem sanctitatem quam sermonibus usurpant, indignis moribus deturpant atque devenustant.

Ad istorum ergo cæcitatem demonstrandam quamdam similitudinem proponam. Homo quidam usque ad collum defixus in limo tenebatur; cumque vidisset quemdam prætereuntem, extendens manum, clamabat dicens: Miserere mei, et extrahe me ab hoc luto. Cumque manum extendisset, ut eum extraheret, iste manum quam extenderat, sub luto demersit. Cumque ille qui ad extrahendum venerat, recedere vellet, iste iterum ut erueretur, postulabat. Cumque ille secundo ad eruendum manum extenderet, iste sicut prius manum sub luto demersit. Cumque crebrius hoc faceret, ille iratus dixit: Cur petis ut eruaris, cum in tuo periculo

A persistere velis? Et quia interitum tuum diligis, possides quod elegisti. Similiter et isti Deum deprecantur assidue, ut a vitiis eruantur; et tamen ipsa vitia ita amplectuntur, ut ab eis nullo modo divelli possint. Ponamus ergo ante oculos, duos: unum doctum assidue orantem, psallentem, missas celebrantem, et tamen quibusdam vitiis subditum; alterum vero indoctum, idiotam, attamen fidelem, Deum timentem atque amantem, proximum diligentem, patientem, humilem. Quis horum tibi vi-
B detur Apostoli sententiam servasse, qua dicit: *Sine intermissione orate:* ille qui assidue orat, I Thess. v, 17.
et quibusdam vitiis subjacet; an iste qui nescit orare, et tamen mundus est a vitiis, et operibus bonis deditus? Omnibus claret istius innocentiam atque bona opera magis exaudire Deum, quem illius voces, cujus vita quibusdam vitiis sordescit. Ille igitur sine intermissione orat, qui congruis temporibus mente et lingua Deum deprecatur, et in bonis operibus assiduus est. Qui quando dormit,
C aut aliquibus operibus humanæ vitæ necessariis est occupatus, opera ejus refulgent in conspectu Dei, et ipsa sunt intercessores ejus apud Deum, sicut ad Cornelium loquitur angelus, dicens: *Orationes tuæ et eleemosynæ tuæ commemoratæ sunt in conspectu Dei.* Act. x, 4.

Quid autem quatuor animalia indesinenter dicant, audiamus: *Sanctus, sanctus, sanctus, Dominus Deus omnipotens, qui erat, et qui est, et qui venturus est.* Ter sanctum Deum vocantes,[1] de- [1]
D monstrant Patrem et Filium et Spiritum sanctum. Quod autem dicunt: *Dominus Deus omnipotens,* a pluralitate transeuntes ad singularitatem, ostendunt Patrem et Filium et Spiritum sanctum unius esse dominationis, unius deitatis, unius omnipotentiæ. Sed quærendum nobis est, si quatuor animalia non solum quatuor evangelistas, sed et omnes doctores Ecclesiæ designant; cur sanctam Trinitatem indesinenter invocare dicantur, cum sancti Dei aliquando in orationibus, aliquando in lectione,
E aliquando in prædicatione, aut diversis necessitatibus occupentur. Prædicatores ergo sancti dum fidem sanctæ Trinitatis et mente retinent, et ore profitentur, dum opera fidei adimplent, dum eamdem fidem et opera fidei quibuscumque possunt, prædicant, dum etiam in orationibus et in gratiarum actionibus ipsum qui est trinus et unus Deus, exorant et laudant, dum secundum Apostolum, sive manducant, sive bibunt, omnia in nomine Domini Jesu Christi faciunt, Trinitatem sanctam indesinenter
F invocant. Quod autem sequitur: *Qui erat, et qui* I Cor. x, 31.
est, et qui venturus est; jam superius dictum est.

(Vers. 9, 10). *Et cum darent illa animalia gloriam et honorem et benedictionem sedenti super thronum, viventi in sæcula sæculorum; procedebant viginti quatuor seniores ante sedentem in throno, et adorabant viventem in sæcula sæculorum.* In hoc loco per quatuor animalia quatuor libri Evangeliorum designantur: per viginti quatuor seniores Patres novi Testamenti ac-
G cipi possunt. Quatuor ergo animalia gloriam et honorem et benedictionem sedenti super thronum, viventi in sæcula sæculorum dant; quia doctrina Evangelii in universo orbe legitur et prædicatur, per quam gloria et honor et benedictio Patri et Filio et Spiritui sancto datur. Ad vocem igitur

[1] Editt., *Ter spiritum Domini vocantes;* mss., *Ter sanctum Deum vocantes.*

quatuor animalium, viginti quatuor seniores ceciderunt ante sedentem in throno, et adoraverunt viventem in sæcula sæculorum, quia sancti Dei per universum orbem constituti, audientes doctrinam Evangelii, humiliant se in conspectu Dei, ut cum ipso vivant in sæcula sæculorum. *Et mittebant coronas suas ante thronum, dicentes.* Per coronas opera bona fuisse designata superius diximus: sancti ergo coronas suas ante thronum mittunt, dum quidquid boni agunt, Deo tribuunt, non sibi, secundum Apostoli præceptum: *Qui gloriatur, in*
II Cor. x, 17. *Domino glorietur.*

(Vers. 11). Quid autem dicant, audiamus: *Dignus es, Domine Deus noster, accipere gloriam et honorem et virtutem.* Superius dixit quatuor
1 animalia gloriam et honorem[1] et benedictionem Deo dedisse: hic autem viginti quatuor seniores dicunt gloriam et honorem et virtutem Deum accepisse, virtutem pro benedictione commutantes. Quid vero aliquis Deo dare potest, aut quid Deus ab aliquo accipere potest; cum ipse creaverit omnia, et sine quo nihil esse potest, et qui dicit in Evan-
Joan. xv, 5. gelio: *Sine me nihil potestis facere?* Si enim sancti sine Deo nihil possunt facere, quid possunt dare illi? Igitur quia hominum talis est natura, ut nihil boni a se habere possint, nisi ab ipso accipiant,
2 qui est summe bonus; dat Deus sanctis suis,[2] unde ipse eum remunerent. Regnum namque cœlorum Deum promisit sanctis suis, attamen si pretium bonorum operum pro eo dederint: et quia electi hoc pretium non habent, nisi ad ipso accipiant; ipse dat pretium, unde ab ipso emant vitam æternam. Dant itaque sancti gloriam Deo quando quid-
3 quid boni faciunt, eo studio faciunt[3] ut glorificetur Deus per ipsos, sicut ipse dicit in Evangelio: *Videant vestra bona opera, et glorificent Patrem*
Matth. v, 16. *vestrum, qui in cœlis est.* Nam et Joannes Pe-
Joan. xxi, 19. trum dicit morte sua Deum clarificasse. Dant honorem, quando in omnibus quæ agunt, honorem Dei quærunt, non suum. Superius benedictio tertio loco ponitur, hic autem virtus: et quia sancti, dum magna faciunt, benedicuntur ab hominibus, convenit virtus cum benedictione. Sed quantum sancti pro magnis operibus quæ faciunt, laudes hominum detestantur, liber Actuum apostolorum nobis indicat. Nam Petrus et Joannes cum claudum sanassent, et omnium oculi essent intendentes in eos, quasi sua virtute hoc fecerint, Petrus oculorum benedictiones devitans, dixit ad eos: *Viri fratres, quid nos intuemini, quasi in nostra*
4 *virtute*[4] *aut pietate fecerimus hunc ambulare? Deus Abraham, et Deus Isaac, et Deus Jacob*
Act. iii, 12. *suscitavit Filium suum Jesum.* Et in sequentibus: *In cujus nomine astat hic coram vobis sanus.* Similiter Paulus et Barnabas cum ægrotum in Lystris sanassent, et populi vellent eis sacrificare, sciderunt vestimenta sua dicentes: *Viri, quid hæc facitis? Et nos homines sumus, similes*
Act. xiv, 14 *vobis.* Possumus et hoc de Christo intelligere, quem secundum humanitatem et gloriam, et honorem, et virtutem accepisse manifestum est.

Sequitur:[5] *Quia tu creasti omnia, et propter voluntatem tuam erant, et creata sunt.* Si hoc eo sensu intelligendum est, quo et illud: *Qui fecit, quæ futura sunt;* omnes ergo creaturæ erant in potestate et voluntate Dei, antequam crearentur: creata vero sunt eo tempore, quo disposuit Deus. Ipse igitur qui cuncta creavit ex nihilo, creare dignetur in nobis cor mundum, qui vivit et regnat in sæcula sæculorum, amen.

DE VISIONE TERTIA.

Non[6] inconvenienter post descriptam Ecclesiæ formam apertio libri ponitur, per quam apertio divinarum Scripturarum designatur; quia postquam a sanctis apostolis cæterisque prædicatoribus Ecclesia in gentibus fundata est, libri veteris ac novi Testamenti secundum apostolicam fidem a sanctis doctoribus expositi sunt.

CAPUT V.

(Vers. 1). *Et vidi in dextera sedentis super thronum librum scriptum intus et foris, signatum sigillis septem.* De dextera et sigillis quod Dominus dederit, in sequentibus dicemus: liber vero scriptus intus et foris non solum vetus Testamentum, sed et novum significat, qui intus scriptus est secundum allegoriam, foris secundum historiam. Hic igitur liber vetus et novum Testamentum in se continet; quia spiritalis intelligentia in veteri Testamento nihil est aliud, quam novum Testamentum.

(Vers. 2). *Et vidi Angelum fortem, prædicantem voce magna.* Angelus fortis Patres veteris Testamenti significat, qui voce magna prædicaverunt; quia Christum ad redemptionem generis humani venturum esse prædixerunt. *Quis est dignus aperire librum et solvere signacula ejus?* Interrogatio angeli desiderium sanctorum significat; desiderabant enim sancti videre Christum in carne, et audire sermones ejus; eo quod scirent omnia mysteria veteris Testamenti ab eo esse revelanda, sicut ipse dixit discipulis suis: *Amen dico vobis, quia multi prophetæ et reges voluerunt videre quæ vos videtis, et non viderunt, et audire quæ auditis et non audierunt.* Luc. x, 24

(Vers. 3). *Et nemo dignus inventus est neque in cœlo, neque in terra, neque subtus terram aperire librum et solvere signacula ejus.* Nullus namque angelus cœlum inhabitans, nullus justus in terra consistens, nullus etiam ex iis qui mortis debitum solverant, in mundo umquam apparuit, qui genus humanum de potestate diaboli redimeret, quæ redemptio apertio est veteris Testamenti.

(Vers. 4). *Et ego flebam multum, quoniam nemo dignus inventus est aperire librum, nec videre eum.* Joannes in hoc loco personam gerit eorum, de quibus modo diximus, id est, Patrum veteris Testamenti; flebant enim sancti multum, eo quod mysteria Scripturarum sibi abscondita

[1] Ita mss.; editt. vero, *et benedictionem a Deo accepisse, hic virtutem pro benedictione commutavit.*

[2] Editt., *unde ipse eos remuneret;* mss., *unde ipsi eum remunerent.*

[3] Sic omnes mss.; editt. vero, *ut glorificent Deum Patrem, sicut Filius Dei dicit... Ut videant,* etc.

[4] Editt., *virtute aut potestate fecerimus.* Et infra, *Jesum, in cujus nomine hic stat coram vobis;* mss. autem, ut in contextu.

[5] Eædem edit., *et creata sunt? Omnes ergo,* etc.: lacunam vero reparant omnes mss. excepto ubi legimus. *Si erant, quomodo creata sunt. Omnes ergo,* etc.

[6] Rom. edit. proprio marte jugulaverat totum hunc prologum, usque ad *Et vidi,* etc.

vero paradisi doctores Ecclesiæ designantur. Et sicut arbores paradisi victum pomorum præbebant primis hominibus, ita et doctores Ecclesiæ victum verborum divinorum animabus fidelium in Ecclesia constitutorum præbere non desistunt. De ligno autem vitæ, et de ligno scientiæ boni et mali superius diximus. Fons vero qui egrediebatur de medio paradisi, Evangelium significabat, qui in medio sanctæ Ecclesiæ exoritur. Qui inde in quatuor capita dividebatur; quia doctrina Evangelii in quatuor libros dividitur, et circuit omnes terminos terræ.

Nam et Adam Christum figuravit, Eva vero Ecclesiam: et sicut Eva ex latere viri dormientis facta est, ita et Ecclesia ex latere Christi in cruce pendentis fabricata est: quia ejus sanguine redempta et mundata est a sordibus. Duo filii nati sunt Adæ, Cain et Abel: Cain populum Judæorum; Abel vero Christum significavit. Obtulit Cain de
1 fructibus[1] terræ munera Domino; quia populus Judæorum qui terrenus erat, terrena munera offerebat, id est, primitias decimas, sacrificia, et cætera quæ in Lege jubebantur: Abel vero obtulit de primogenitis gregis sui, et de adipibus eorum. Primogeniti gregis sunt apostoli, quos primos genuit Ecclesia, et ex quibus Ecclesia nata est: adeps vero fides est apostolorum. Obtulit igitur Abel de primogenitis gregis sui, et de adipibus eorum; quia Christus apostolos, quos de mundo elegerat, fidemque illorum Deo Patri obtulit. Cain invidia ductus, eo quod respexisset Dominus ad Abel, et ad munera ejus, interfecit eum; similiter et Judæi videntes signa, quæ sua et Patris virtute Christus operabatur, interfecerunt eum, qui frater illorum erat secundum carnem. Maledixit Deus Cain, eo quod interfecisset Abel fratrem suum; dixitque ei quod vagus et profugus esset super terram. Similiter et Judæi non solum a Deo, sed a semetipsis maledicti sunt, quando dixerunt de Christo: *Sanguis ejus super nos, et super*
Matth. xxvii, 25 *filios nostros.* Suntque vagi et profugi super terram; quia propriam sedem nullam habentes, per universas gentes vagantur. De apertione igitur primi sigilli tantum dixisse sufficiat.

Audivi unum ex quatuor animalibus, dicens: Veni, et vide. Eamdem significationem habet primum animal, quam et secundum, et tertium, et quartum; significant enim doctores Ecclesiæ. Quod autem dicit: *Veni et vide,* ad intelligentiam spiritualem nos provocat, ac si diceret: Veni non passibus corporis, sed passibus mentis; et intellige spiritualiter ea, quæ primo tempore historialiter facta legisti.

(Vers. 2). *Et ecce equus albus, et qui sedebat super eum, habebat arcum et data est ei corona, et exivit vincens, ut vinceret.* Equus albus justos qui ante diluvium fuerunt, designat, qui propter innocentiam albi dicuntur. Sessor vero equi Dominus est, qui sanctis suis æternaliter præsidet. Per arcum autem, qui procul sagittas a se mittit et vulnerat, vindicta Domini potest designari; qua et primos homines propter inobedientiæ culpam damnavit, et Cain propter fratricidii reatum septuplum punivit. Per coronam nihilominus, sicut et per equum album, justi qui ante diluvium fuerunt,

A designantur. *Exivit* vero *vincens, ut vinceret,* quando statuit ut per aquas diluvii omnis multitudo reproborum deleretur.

(Vers. 3, 4). *Et cum aperuisset sigillum secundum.* Secundi sigilli apertio ad arcæ fabricam, et ad justos qui ante Legem fuerunt, pertinet. Ad demonstrandam ergo secundi sigilli apertionem pauca de his loquamur. In Genesi scriptum est quia dixit Deus ad Noe: *Fac tibi arcam de lignis lævigatis; mansiunculas in arca facies, et bitu-*
B *mine linies intrinsecus et extrinsecus, et sic facies eam. Trecentorum cubitorum erit longitudo arcæ, quinquaginta cubitorum latitudo, et tri-*
ginta cubitorum altitudo illius. Arca Ecclesiam: Gen. vi, 14, 15.
Noe vero fabricator arcæ Christum fabricatorem Ecclesiæ figurabat. Quæ arca ex lignis lævigatis facta fuisse describitur: per ligna lævigata, quæ et aquas prohibuerunt, et vitam omnibus animalibus intra se constitutis servaverunt, doctores Ecclesiæ designantur, qui et doctrina et scriptis suis
C aquas diversorum errorum ab ingressu Ecclesiæ prohibent, et vitam iis qui intra Ecclesiam sunt, sua doctrina et exemplis servant: quæ lævigata esse dicuntur, id est, ab omni asperitate vitiorum emundata. Per mansiunculas vero, quæ in arca fieri jussæ sunt, diversi ordines in Ecclesia designantur; alius enim in conjugali ordine, alius in continenti, alius in monachico, alius in sacerdotali, dum Deo servire student, quasi in diversis mansionibus habitant. Per bitumen autem, quo lita
D fuisse dicitur, divina Scriptura designatur. Tabulæ ergo ex quibus arca facta est, quas doctores Ecclesiæ significasse diximus, bitumine intrinsecus et extrinsecus litæ sunt; quia doctores Ecclesiæ intrinsecus liti sunt per sapientiam, doctrinamque divinarum Scripturarum, et extrinsecus per opera virtutum.

Trecentorum autem cubitorum longitudo arcæ fuisse describitur, quinquaginta cubitorum latitudo, et triginta cubitorum altitudo illius. Per longitu-
E dinem igitur arcæ fides, per latitudinem caritas, per altitudinem spes figuratur. Longitudo ergo arcæ in trecentos cubitos extenditur, quia fides nostra in confessione sanctæ Trinitatis consistis; centenarius vero perfectus est numerus. In trecentos ergo cubitos fides nostra præsignata est, quia æquam perfectionem habet Pater et Filius et Spiritus sanctus, sicut scriptum est: *Qualis Pater, talis Filius, talis Spiritus sanctus.* Athan. Symbol.

Latitudo nihilominus ejus in quinquaginta cu-
F bitos dilatatur, quia fides per dilectionem operatur. Sed non inconvenienter per quinquaginta cubitos latitudinis charitas figuratur; septies enim septem quadraginta novem faciunt: quod si unum huic numero addiderit, quinquaginta invenies. Dilectio ergo proximi non inconvenienter in septenario numero comprehenditur, quia sine septem virtutibus perfici non potest.[2] In septem vero septenos unusquisque 2
fidelis dilectionem proximi extendit, dum quibuscumque modis necessitates aut adversitates pro-
G ximis evenire possunt, eisdem modis et ipse ad superveniendum paratus existit: verbi gratia, dum esurienti, nudo, hospiti, egenti, in carcere posito, quæ sunt necessaria ministrat: dum dolentem consolatur, dum iracundum verbo temperat, dum odium

[1] Ita mss.; editt. autem, *terræ munera, id est, primitias, decimas,* etc.

[2] Ita iidem mss.; editt. vero, *septenis.... extendit;* Rom. edit., *ostendit.*

in corde gerentem pacificat, discordantesque ad pacem reducit: dum eum qui in peccatis jacet, ad pœnitentiam provocat: dum ad vitam æternam quoscumque potest, secum trahere studet, et ut breviter dicam, quibus modis vult ut ei salubriter ab alio subveniatur, eisdem et ipse quibuscumque potest, subvenire paratus est. Ad septem autem septenos si unum adjungas, quinquaginta fiunt: similiter et ad dilectionem proximi, si unius Dei dilectionem adjungas, tota charitas integra atque perfecta in te efficitur.

Altitudo vero arcæ in triginta cubitos exaltata est, quia ille utilem spem[1] possidet, qui a fide sanctæ Trinitatis, sicut nobis ab apostolis tradita est, atque cæteris documentis, neque opere, neque credulitate discordat. Qui enim spem sine recta fide de vita æterna possidenda sibi usurpat, sine dubio semet ipsum decipit, quia *sine fide impossibile est placere Deo.* Altitudo itaque arcæ a magna longitudine et latitudine exoriebatur, et in cubito sursum consummabatur; quia charitas quæ ex fide nascitur, in magna latitudine erga proximorum curam semet ipsam extendit. Sursum vero in cubito consummatur, quia omnis spes fidelium atque desiderium ad unius Dei visionem tendit.

Hebr. XI, 6.

Quod autem Noe ad jussionem Domini ex omnibus animantibus mundis et immundis masculos et feminas introduxit in arcam, significat quod mali et boni in Ecclesiam introducerentur. Sed de mundis septena, et septena: de immundis vero bina et bina, masculus et femina in arcam introierunt; per munda namque animalia electi, per immunda vero reprobi designantur. Munda itaque animalia in septimo numero ponuntur, quia illi soli electi sunt, qui per gratiam Spiritus sancti ab operatione donorum ejusdem Spiritus sancti alieni non sunt: reprobi vero in secundo numero ponuntur, quia solo corpore et anima in Ecclesia consistunt, mente vero extra Ecclesiam sunt.

Gen. VII, 8.

In sequentibus quoque scriptum est: *Quia aperiens Noe fenestram arcæ quam fecerat, dimisit corvum, qui egrediebatur et non regrediebatur, donec siccarentur aquæ super terram.* Per corvum, avem nigerrimam, Judæi infidelitate tenebrosi designantur. Noe igitur de arca corvum emisit, quia Dominus noster Jesus Christus a consortio sanctæ Ecclesiæ populum Judæorum separavit. Post corvum emisit colombam, quæ cum non invenisset ubi requiesceret pes ejus, reversa est ad eum in arcam. Secundo emisit columbam ex arca, quæ venit ad eum ad vesperam, portans ramum olivæ virentibus foliis in ore suo. Tertio emisit columbam, quæ non est reversa ultra ad eum. Per columbam sæpe Spiritus sanctus figuratur, eo quod in columbæ specie super Dominum descenderit.

Gen. VIII, 6

Luc. III, 22.

Sed quærendum nobis est quid significet trina emissio columbæ et bina reversio. Tres emissiones tria tempora significant: primum ante Legem, secundum sub Lege, tertium sub gratia. In hoc vero loco Noe Deum, arca autem cœlestem Dei habitationem designat. Noe prima columbam ex arca emisit, quia Deus omnipotens sanctis viris, qui ante Legem fuerunt, gratiam Spiritus sancti dedit; et qui Legem non habebant, divina præcepta quæ postea data sunt, per donum Spiritus sancti impleverunt. Sed columba non invenit ubi pes ejus requiesceret, quia non solum cæteræ gentes, sed et ipsi Judæi in Ægypto positi in tantum culturam Dei reliquerunt, ut eo tempore quo Moyses natus est, pene nullus inveniretur in quem Spiritus sanctus habitare dignaretur; et quodammodo gratia Spiritus sancti ad eum rediit, a quo missa est, cum homines peccatores deseruit.

Secundo emisit Noe columbam ex arca, quia Deus gratiam Spiritus sancti hominibus Legem puro corde servantibus dedit. Vespere autem quo columba ad Noe rediit, tempus quo Christus natus est, designat. De hoc tempore Dominus dicit in Evangelio: *Lex et prophetæ usque ad Joannem;* quia postquam Evangelium cœpit prædicari, circumcisio et multæ observationes legales nihil profuerunt. Quamdiu Legis observatio Deo placuit, tamdiu homines Legem servantes Spiritus sancti gratia comitavit; et sicut columba ad vesperam ad Noe rediit, ita et Spiritus sancti gratia Judæos infideles deserens, quodammodo ad eum a quo fuerat missa, reversa est. Per ramum vero olivæ Legem possumus intelligere, vel accipere: per folia autem virentia, eos qui per Legem salvi facti sunt. Columba igitur ramum olivæ cum virentibus foliis in ore suo detulit, cum Spiritus sancti gratia eos, quos per Legem salvaverat, quodammodo Deo obtulit.

Luc. XVI, 16.

Tertio Noe columbam ex arca emisit, quando fidem Evangelii servantibus gratiam Spiritus sancti dedit. Quæ non est reversa ultra ad eum, quia fides Evangelii tamdiu cum electis manebit, usque dum veniente Domino ad judicium, electi qui in hoc mundo invenientur, rapientur coram Domino in aera, et sic semper cum Domino erunt.

I Thess. IV, 16.

Ad demonstrandam vero apertius secundi sigilli apertionem, de tribus patriarchis pauca dicamus. In Genesi scriptum est, quia tentavit Deus Abraham, et dixit ad eum: *Tolle filium tuum, quem diligis, Isaac, et vade in terram visionis, et offeres eum ibi in holocaustum super unum montium, quem dixero tibi.* Abraham vero de nocte consurgens, stravit asinum suum, ducens secum duos juvenes, et Isaac filium suum. Abraham Christum secundum divinitatem; Isaac autem hominem, quem Christus assumpsit, designat; per asinum vero apostoli designantur. Abraham igitur de nocte surrexit, quia Filius Dei, mundo in tenebris ignorantiæ posito, ex Maria Virgine nasci dignatus est: stravit asinum suum, quando apostolis suis mandata Evangelii tradidit:[2] per duos vero juvenes duo præcepta caritatis designantur. Duo juvenes secum duxit, quia duo præcepta caritatis discipulis suis arctius et frequentius tradidit: duxit et Filium suum, quia hominem quem assumpsit, ad moriendum pro genere humano tradidit, sicut ipse dixit in Evangelio discipulis suis: *Ecce ascendimus Hierosolymam, et consummabuntur omnia, quæ scripta sunt per prophetas de Filio hominis. Tradetur enim gentibus, et illudetur, et flagellabitur, et conspuetur: et postquam flagellaverint, occident eum, et die tertia resurget.*

Gen. XXII, 2.

Luc. XVIII, 32 et seq

Die autem tertia elevatis oculis, vidit locum procul. Tres dies tres decades annorum, terque binos menses designant, quo spatio temporum Chri-

[1] Editt., *quia ille venialem spem;* mss., *utilem spem.*

[2] Editt., *tradidit. Duos vero juvenes secum duxit;* mss. vero nobis consentiunt.

stus in mundo conversatus dicitur. Locus vero Hierusalem designabat, in qua passus est Christus. Sed cur locum se procul vidisse dixit, cum quotidie in templo prædicaret? Quia quamvis Judæi prope essent corpore, propter incredulitatem tamen longe ab illo recesserant.

Dixitque Abraham pueris suis: *Exspectate hic cum asino: ego et puer illuc usque properantes,* Gen. XXII, 5. *postquam adoraverimus, revertemur ad vos.* Similiter et Christus exspectare discipulos suos jussit, usque dum resurgens reverteretur ad eos, cum diceret: *Omnes vos scandalum patiemini in me in ista nocte; postquam autem resurrexero, præ-* Matth. XXVI, 32. *cedam vos in Galilæam.* Et cum comprehenderetur, dixit Judæis: *Si ergo me quæritis, sinite hos* Joan. XVIII, 8. *abire.*

Tulit igitur Abraham ligna holocausti, et imposuit super Isaac filium suum: ipse vero portabat in manibus ignem et gladium. Diximus superius per ligna peccata nostra fuisse designata: ligna ergo Isaac portavit, quia peccata nostra Christus pertulit in corpore suo super lignum, ut peccatis mortui justitiæ vivamus. Per manus vero Abrahæ potestas Domini nostri Jesu Christi intelligitur; in ejus namque potestate fuit ut moreretur, et ut non moreretur, si vellet, sicut ipse ait: *Potestatem habeo ponendi animam meam, et potestatem* Joan. X, 18. *habeo iterum sumendi eam.* Per ignem autem passio, per gladium ejus mors intelligitur.

Cum venisset ad locum, ædificavit altare, et desuper ligna composuit. Cumque colligasset Isaac filium suum, posuit eum in altari super struem lignorum. Per altare crux intelligitur: crucem ergo Filius Dei ædificavit, in qua homo quem assumpserat, immolaretur, quia ipso permittente factum est. Super altare vero ligna composuit, et super ligna posuit Isaac filium suum colligatum; illud namque quod suffocare volumus, nobismet ipsis supponimus, ut pondere nostro suffocetur, et pereat: similiter et Redemptor noster ligna, id est, peccata nostra in cruce pendens sibi supposuit, ut pondere suo atque virtute suffocarentur ac delerentur. Vincula autem Isaac afflictionem Domini in cruce designaverunt. Ea vero quæ angelus ad Abraham locutus est, ad hanc expositionem non pertinent.

Levavit Abraham oculos, viditque arietem inter vepres hærentem cornibus, quem assumens obtulit holocaustum pro filio. Aries Christum signavit: per duo cornua duo præcepta caritatis designantur: per vepres Judæi. Christus igitur inter vepres hærebat cornibus, quia Judæos ut fratres diligens, et sciens quia gentium vocatio Judæorum esset perditio; noluit primo fidem Evangelii gentibus tradere, sed mittens ad prædicandum discipulos suos, præcepit eis dicens: *In viam gentium ne abieritis, et in civitates Samaritanorum ne intraveritis: sed ite potius ad oves perditas domus* Matth. X, 5. *Israel.* Et mulieri Chananææ dixit: *Non sum* Matth. XV, 24. *missus, nisi ad oves quæ perierunt domus Israel;* et iterum: *Non est bonum sumere panem filio-* Ibid., 26. *rum, et mittere canibus.*

Abraham autem a vepribus arietem abstraxit, atque in holocaustum pro filio obtulit, quia Pater Filium, et ipse Filius semet ipsum ab amore impiorum Judæorum separavit, atque hominem quem A assumpsit, pro salute humani generis in holocaustum obtulit.

De eodem vero Isaac scriptum est, quia habuit duos filios, Esau et Jacob. Esau venator fuit, et homo agricola; Jacob vero simplex habitabat in tabernaculis. Per Esau populus Hebraicus, per Jacob vero populus gentium designatur. Isaac autem utriusque genitor typum Domini tenuit, qui utrumque populum, et illum per Legem, et istum per fidem filios sibi fecit. Esau agricola erat, quia Judæorum B populus pro terrenis commodis Deo serviebat. Non enim dictum est ad illos: Si pauperes fueritis spiritu, si mites, si pacifici, si misericordes, si persecutiones pro nomine meo sustinueritis, beati eritis, et merces vestra copiosa erit in cœlis; sed dictum est ad illos: *Si custodieritis mandata mea, et judicia mea servaveritis, dabo vobis pluvias temporibus suis, et terra proferet germen suum, et pomis arbores replebuntur*, et cætera quæ ad delicias sæculi pertinent. Fuit etiam Esau venator, Levit. XXVI, 3. C quia per effusionem sanguinum arietum, hircorum atque vitulorum Deum placare consueverat: Jacob autem simplex habitabat in tabernaculis, quia electi[1] ex gentibus sola fide, bonaque voluntate [1] Deo placere studuerunt. Per tabernacula vero sive diversas Ecclesias, in quibus per universum orbem una Ecclesia catholica divisa est, sive diversos ordines possumus intelligere.

Isaac diligebat Esau, eo quod de venationibus illius vesceretur: sed Rebecca diligebat Jacob. D Isaac, sicut diximus, in hoc loco typum Domini tenet: per Rebeccam autem præscientiam Dei possumus intelligere. Isaac igitur diligebat Esau, eo quod de venationibus illius vesceretur; quia Deus diligebat populum Judæorum, eo quod assiduis eorum oblationibus placaretur: mater vero diligebat Jacob, quia sciens Deus populum gentium multo meliorem fore, quam populum Judæorum, per præscientiæ suæ gratiam multo amplius eum diligebat. Esau cum in venatione moraretur, ut de agrestibus E animalibus cibos patri exhiberet, quatenus ab illo benediceretur, mater Jacob ad percipiendam benedictionem patri applicuit; quia cum populus Judæorum observationibus legalibus deditus esset, atque ad fidem Christi percipiendam tardius occurreret; mater gratia populum gentium, eo quod fidem Christi cum aviditate suscepisset, ad percipiendam benedictionem, quæ Judæis debebatur, Deo obtulit. Qualiter autem ipse populus gentium hoc benedictionis donum promeruit, testantur opera F Jacob per significationem, quæ pro benedictione percipienda egisse describitur.

Dixit igitur Rebecca filio suo Jacob: *Affer mihi duos hædos optimos, et faciam ex eis escas patri tuo, quibus libenter vescitur; et benedicet tibi coram Domino, antequam moriatur.* Abiit et at- Gen. XXVII, 9. tulit, deditque matri. Paravit illa cibos, sicut noverat velle patrem illius, et vestibus Esau, quas apud se habebat domi, induit eum, pelliculasque hædorum circumdedit manibus, et colli nuda pro- G texit, deditque pulmentum, et panes quos coxerat, tradidit. Per duos hædos confessionem peccatorum populi gentilis, et pœnitentiam possumus intelligere. Duos ergo hædos optimos Jacob matri obtulit, quia per confessionem peccatorum et pœnitentiam, quæ via est ad fidem euntibus, populus gentilis ad

[1] Sic mss.; at vero editt., *ex gentibus soli fide*, etc.

eamdem fidem percipiendam properavit. Qui hædi optimi dicuntur fuisse, quia valde acceptabilis Deo est pœnitentia peccatoris cum abrenuntiatione vitiorum, sicut ipse Dominus noster dicit in Evangelio: *Gaudium est in cœlo super uno peccatore pœnitentiam agente, quam super nonaginta novem justis, qui non indigent pœnitentia;* per unum peccatorem populum gentium, per nonaginta vero novem justos Judæos intelligi volens. Qui justi ideo dicuntur, quia propter observationem Legis justos se falso putabant; nam ad eosdem justos Dominus loquitur, dicens: *Væ qui justificatis vos coram hominibus, Deus autem novit corda vestra.* Qui in imperfecto numero ponuntur, quia nullum ad perfectum adduxit Lex.

Luc. xv, 7. Luc. xvi, 15. Hebr. vii, 19.

Per escas autem delectabiles, quæ Isaac ad sumendum ex duobus hædis præparatæ sunt, pœnitentiæ opera debemus intelligere. De iis escis loquitur Joannes Baptista, dicens: *Facite fructus dignos pœnitentiæ.* Per vestes vero valde bonas, quas Esau, id est, Judæi domi reliquerant, optima precepta Legis possumus accipere, ut est illud: *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, et ex tota anima tua, et proximum tuum sicut te ipsum;* et multa alia, sine quibus nullus justus esse potest. Hæ sunt optimæ vestes, quas Judæi domi, id est, in veteri Testamento reliquerant, eo quod ea observare nollent: iis populus gentilis indutus et ornatus, ad Deum Patrem cum cibis operum bonorum perrexit. Cum cibis autem et panes detulit. Per panem sæpe verbum Dei designatur, quia ille congruenter ad Deum Patrem cum cibis operum bonorum pergit, qui et alios quoscumque potest, ad bona opera agenda admonere non desinit.

Matth. iii, 8 Deut. vi, 5.

Sed et illud nobis quærendum est, cur mater pellibus hædinis manus Jacob et colli nuda protexerit. Pellis namque cum ab hædo subtrahitur, caro apparet, unde delectabiles cibi confici possunt; similiter et ab unoquoque peccatore cum vitia detrabuntur, bona naturæ cum ratione apparent, quæ si fide decoquantur,[1] delectabiles cibi ex bono naturæ Deo præparantur. Per collum igitur, eo quod in collo sæpe superbia appareat, possumus elationem mentis intelligere: per manus vero opera designantur. Collum ergo unusquisque fidelis pellibus hædinis circumdat, cum ad mentis elationem deponendam, et humilitatis suæ custodiam, peccata præterita ante oculos mentis revocare non desinit. Manus circumdat, cum ne in bonis operibus extollatur, peccata præterita ante oculos mentis sæpe reducit.

Postquam Isaac cibum sumpsit, obtulit ei Jacob etiam vinum. Si per cibum activæ vitæ opera designantur, possumus per vinum, quod mentes hominum alienat, contemplativam vitam accipere, quæ ab amore sæculi mentes quorumdam electorum insensibiles reddit. Cibo igitur potuque sumpto, Isaac Jacob benedixit; quia illi benedictionem cœlestis patriæ a Deo percipiunt, qui eum usque ad finem vitæ suæ bonis operibus placare student.

Idem vero Jacob cum fugeret Esau fratrem suum, venit ad quemdam locum; cumque supposuisset capiti suo lapidem, dormivit illic, viditque in somnis scalam ad caput suum a terra usque ad cœlum erectam, et Dominum innixum scalæ, angelos quoque Dei ascendentes et descendentes per eam. Per lapidem[2] Christus intelligitur: fundamentum vero nostrum Christus est, de quo Apostolus dicit: *Fundamentum enim aliud nemo potest ponere præter id quod positum est, quod est Christus Jesus.* Caput igitur super lapidem ponimus, si ex bonis operibus parietem nostrum super Christum ædificamus.

Gen. xxviii, 12 I Cor iii, 12

Concordat huic sensui visio scalæ; duo namque ligna scalæ majora, quæ sunt ex utraque parte, atque ab inferioribus ad superiora eriguntur, duo præcepta caritatis designant. Per gradus vero qui in transversum ex utraque parte illis duobus lignis inseruntur, cæteræ virtutes designantur. Et sicut duo ligna nisi a gradibus, et gradus nisi a duobus lignis contineri non possunt: ita et caritas sine cæteris virtutibus, et cæteræ virtutes sine caritate esse non possunt. Et quemadmodum diversi gradus nisi in duobus lignis majoribus ex utraque parte inserantur, ascensum hominibus præbere non possunt:[3] ita et cæteræ virtutes, nisi ex dilectione Dei et dilectione proximi nascantur, ad cœlum ire volentibus ascensum præbere non possunt, sicut dicit Joannes apostolus: *Qui enim non diligit fratrem suum quem videt, Deum quem non videt, quomodo potest diligere?* Et sicut scala ex una parte terram, ex altera cœlum tangere visa est: ita et caritas ab inferioribus proximis, a superioribus vero Deo conjungitur. Unde et angeli Dei per eam ascendentes et descendentes monstrati sunt, quia sanctos Dei, qui per angelos designantur, aliquando amor Dei per contemplationis gratiam ad excelsa sublevat, aliquando amor et cura proximorum ad inferiora reducit. Dominum autem innixum scalæ vidit, quia quicumque per iter virtutum ad Dominum conscendere satagunt, postquam viam sui itineris finierunt, Dominum omnium bonorum auctorem, præmiorumque largitorem inveniunt, cum quo sine fine gaudebunt.

I Joan. iv, 20.

Cum vero idem Jacob reverteretur de Mesopotamia Syriæ, venissetque ad Jordanem, transductis omnibus quæ ad se pertinebant, remansit solus. Et ecce vir luctabatur cum eo usque mane. Cumque videret quod eum superare non posset, tetigit nervum femoris ejus, et statim emarcuit, dixitque ei: *Dimitte me, jam enim ascendit aurora. At ille respondit: Non dimittam te, nisi benedixeris mihi. Et ait illi: Quo vocaris nomine? Respondit ei: Jacob. At ille dixit: Non vocaberis ultra Jacob, sed Israel erit nomen tuum.* Per Jacob in loco quilibet peccator et pœnitens designatur. Quod vero angelus cum Jacob[4] in figura Domini luctabatur, et ille cum angelo, illud significat quod Dominus dicit in Evangelio: *Regnum cœlorum vim patitur, et violenti rapiunt illud.* Qui sunt autem violenti, nisi peccatores et pœnitentes? Qui cum se vident pro sceleribus suis mortis perpetuæ esse reos, tamdiu januam paradisi precibus pulsant, usque dum eis aditus regni cœlestis aperiatur. Jacob ergo cum Domino luctatur quando quilibet

Gen. xxxii, 26. Matth. xi, 12

[1] Editt., *quæ si fide Deo coquantur;* mss., *decoquatur.*

[2] Ita mss.; editt. vero, *Christus intelligitur: Fundamentum enim aliud,* etc.

[3] *Ita et cæteræ virtutes.... præbere non possunt,* hoc totum e mss. restitutum est.

[4] Editt., *in figura luctabatur, illud significat;* mss. ut in contextu.

peccator pertimescens pœnas ignis æterni, tamdiu in precibus persistit, usque dum ei misericordia divina succurrat, sicut sequentia manifestant.

Qui cum videret quod eum superare non posset, tetigit nervum femoris ejus, et statim emarcuit. Et quia libido ex femore nascitur, per nervum femoris voluptates carnales intelligi possunt. Nervum igitur femoris peccatoris Dominus tetigit, cum omnia desideria carnalia, ex quibus peccata oriuntur, exstinxit; quia fieri non potest, ut a peccatis abstineamus, quamdiu in voluptatibus carnalibus resoluti jacemus. Dixit igitur angelus ei, videlicet ille qui in persona Domini cum eo luctabatur: *Dimitte me, jam enim ascendit aurora;* Gen. XXXII, 26. ac si dixisset: Desine jam pro timore ignis æterni flere; quia jam tranquillitas, vitiis exstinctis, rediit, quæ te in perditionis foveam demerserant.

Et quia non satis prodest mala deserere, nisi bona agere studeamus, sequitur: *Dixitque Jacob: Non dimittam te, nisi benedixeris mihi;* id est, a precibus non cessabo, nisi me virtutibus ditaveris; ut qui usque modo secundum carnem vixi, amodo secundum spiritum vivam. *Dixitque ei:* [1] *Quod est nomen tuum? Respondit ei, Jacob; dixitque ei: Non vocaberis ultra Jacob, sed Israel erit nomen tuum;* id est: Non vocaberis ultra supplantator vitiorum, sed vocaberis vir videns Deum: et qui ante flebas, ne in infernum demergereris, nunc flebis, eo quod aliquo tempore a visione omnipotentis Dei elongeris, dicens cum Psalmista: *Heu mihi, quia incolatus meus prolongatus est!* Ps. CXIX, 5.

Idem etiam Jacob post luctationem quam cum Angelo gessit, uno pede claudicasse dicitur; qui vero claudicat, super sanum pedem totus innititur, altero paulisper terram tangens. Duo igitur pedes duorum alimentorum genera designant; sunt namque alimenta corporis, sunt et animæ. Alimenta corporis sunt cibi, potus, vestimenta: alimenta vero animæ sunt Dei verbum, opera bona. Unusquisque igitur fidelis si uno pede paulisper terram tangit, super alterum totus innititur; quia iis quæ sunt mundi tantummodo ad necessitates corporis sublevandas utitur, sicut dicit Apostolus: *Habentes autem victum et vestitum, iis contenti simus.* I Tim. VI, 8. In ea vero quæ ad salutem animæ pertinent, totus incumbit, ne aliquando a via Dei, quæ salus animæ est, deviet. Ad apertionem secundi sigilli demonstrandam pauca de multis diximus: nunc ordinem persequamur.

Sequitur: *Audivi secundum animal dicens: Veni et vide;* id est, intellige spiritualiter, quæ a patriarchis facta cognovisti. *Et ecce equus rufus:* [2] *et qui sedebat super illum, datum est ei ut sumeret pacem de terra, et ut invicem se interficiant. Et datus est illi gladius magnus.* Per equum rufum justi, qui post diluvium usque ad Legem fuerunt, designantur. Et quia rufus color aureo colori parumper appropinquat, veluti si aureo colori sanguineum admisceas; non incongrue sancti viri, qui ante Legem fuerunt, huic colori comparantur; eo quod et sapientia claruerint, quæ per aurum figuratur, et in persecutionibus et adversis

A constantes fuerint, quæ per sanguinem figurantur. Sessor vero hujus equi Dominus est, qui in sanctis suis habitat. Huic sessori datum est ut pacem sumeret de terra. Si pax bona est a Deo, de terra quomodo sumpta est? Sed est pax bona, et est pax mala. Pacem malam filii Dei ante diluvium cum filiis hominum habuerunt, quando filias eorum acceperunt, et suas eis dederunt; ideoque cum illis aquis Gen. VI, 1. diluvii deleti sunt. Sed et filiis Israel præcepit Dominus ut fœdus non inirent cum Chananæis, neque

B filias eorum acciperent, nec filias suas illis darent. Exod. XXIII, 32. Nam de pace bona et mala Psalmista loquitur dicens: *Cum electo electus eris, et cum perverso perverteris.* Ps. XVII, 27. Hanc ergo pacem Deus de terra sumpsit, quando justos homines ab impiis separavit mente, non corpore. *Et ut invicem se interficiant.* A quibus pax ablata est, consequens est, ut alius ab alio interficiatur; nam sæpe justi injustos, et injusti justos interficiunt, sicut Aram frater Abrahæ secundum traditionem Judæorum in igne Chaldæo-

C rum, eo quod ignem adorare noluerit, mortuus est: sicut Abraham quatuor reges pro suis impietatibus cum exercitibus interfecit: sicut filii Jacob qui pro stupro sororis omnes Sichimitas interfecerunt. Per gladium autem magnum aquas diluvii accipere possumus, quibus omnis mundus deletus est. Possumus etiam per gladium magnum exterminium quinque civitatum intelligere, quarum habitatores igne et sulphure perierunt, eorumque terram, quæ cum ipsis in abyssum demersa est.

D *Et cum aperuisset sigillum tertium.* Sigilli tertii apertio ad Legem et ad eos qui sub Lege fuerunt pertinet. Ad demonstrandum ergo tertii sigilli apertionem, placuit ut pauca de Moyse, et de iis quæ in Lege irrationabilia esse videntur, dicamus. In Exodo scriptum est quod cum natus esset Moyses, absconditus est mensibus tribus a parentibus suis; postea vero fecit ei mater fiscellam scirpeam, et livit eam bitumine ac pice, et posito intus infante, posuit eum in carecto ripæ fluminis. Moyses Chri- Exod. II, 1 et seq.

E stum figurabat: per menses autem tres quibus absconditus est Moyses, tria tempora designantur: unum ante diluvium: secundum post diluvium usque ad Moysen: tertium a Moyse usque ad adventum Domini.[3] In his tribus temporibus homines adventus [3] Christi secundum carnem latuit; a perfectis tamen prædictus est. Per fiscellam vero scirpeam beata virgo Maria designata est: mater ergo fiscellam scirpeam, in qua Moyses poneretur, præparavit; quia sapientia Dei, quæ est Filius Dei, beatam et

F gloriosam Mariam semper virginem elegit, in cujus intemerato utero hominem, cui per unitatem personæ conjungeretur, formaret. Per bitumen vero quod ab aquis solvi non potest, virginitatem beatæ Mariæ, quæ nullo æstu carnali violari potuit, intelligere possumus; per picem autem, quæ custos [4] [4] est vini, humilitatem custodem cæterarum virtutum. De qua ipsa loquitur dicens: *Quia respexit humilitatem ancillæ suæ; ecce enim ex hoc beatam me dicent omnes generationes.* Luc. I, 48. Per flumen

G vero mundus: per carectum in quo Moyses positus est, Judæi designantur; nam in sequentibus in pa-

[1] Editt., *Dixitque ei: Non vocaberis;* mss. vero nobiscum faciunt.

[2] Edit. Gill., *Et ecce equus rufus. Hic color aureo*, etc. Rom. post vocem *rufus* addidit et has consequentes, *et qui sedebat super illum: datum est ei ut sumeret pacem de terra.* Nos vero cætera ex mss. restituimus.

[3] Ita mss.; editt. e contrario, *In iis tribus temporibus quomodo homines adventus Christi.... prædictum est.*

[4] Editt., *custos est bituminis;* mss., *custos est vini.*

pyrione a filia Pharaonis inventus fuisse legitur. Eamdem significationem habet carectum in hoc loco, quam et papyrus; nam carectum manus attrectantium vulnerare solet, ex papyro autem antiquitus libri conficiebantur. Per carectum ergo Judæi designantur, qui prophetas, medicos videlicet spiritales, qui vulnera eorum sanare cupiebant, interfecerunt. Iidem etiam et per papyrum designantur, eo quod in Scripturis sibi a Deo traditis gloriarentur, quas legebant, et non custodiebant. Filia[1] vero Pharaonis, videlicet diaboli, populum ex gentibus figuravit. Filia ergo Pharaonis Moysen a papyrione sustulit; quia Ecclesia ex gentibus fidem Christi suspiciens, eumdem Christum a Judæis credere nolentibus abstulit.

Exod. II, 5.

Postea cum idem Moyses oves Jethro cognati sui pasceret, apparuit ei Dominus in igne flammæ rubi, et videbat quod rubus arderet, et non comburetur. Possumus per rubum qui flammas ex se producebat, et non comburebatur, beatam virginem Mariam intelligere, quæ Filium Dei ex suo utero protulit, et virginitatem non amisit: sed propter ea quæ sequuntur, per rubum Christum esse intelligendum existimo, secundum quod homo est. Flamma vero rubi ejus divinitatem figuravit. Rubus ergo ardebat, et non comburebatur, quia Filius Dei hominem assumens, sicut ejus divinitas non est mutata in humanitatem, ut amitteret quod erat; sic nec ejus humanitas per divinitatem ardens, non est ob absumpta ita a divinitate, ut amitteret humanitatem: sed ex duabus substantiis humanitatis atque deitatis unus Christus permansit et permanet, sicut scriptum est: *Perfectus Deus, perfectus homo, ex anima rationali et humana carne subsistens.*

Exod. III, 2.

Athanas. in Symbolum.

Locutusque est Dominus ad Moysen de medio flammæ rubi: *Ne appropies huc, solve calceamentum de pedibus tuis; locus enim in quo stas, terra sancta est. Videns vidi afflictionem populi mei, qui est in Ægypto, et gemitum ejus audivi, et descendi liberare eum. Sed veni, mittam te ad Pharaonem, ut educas filios Israel de terra Ægypti.* Et post pauca: *Dixitque Moyses ad Dominum: Quis ego sum, ut vadam ad Pharaonem, et educam filios Israel de Ægypto?* Et in sequentibus de filiis Israel loquitur ad Dominum, dicens: *Non audient vocem meam, sed dicent: Non apparuit tibi Dominus;* et iterum: *Obsecro, Domine, mitte quem missurus es.* Hæc verba demonstrant Moysen invitum obedisse mandatis Domini, ut educeret filios Israel de terra Ægypti: sed quærendum nobis est, cur tantus vir Domini præceptum invitus exsecutus sit. Verum hanc ejus pertinaciam spiritaliter intelligere debemus; dicit enim Apostolus: *Hæc autem omnia in figura contingebant illis: scripta sunt autem ad correptionem nostram, in quos fines sæculorum devenerunt.* Per Moysen igitur in hoc loco apostoli designantur; in initio namque prædicationis evangelicæ apostoli scientes electionem gentium reprobationem esse Judæorum, nolebant gentibus doctrinam Evangelii tradere, ut de potestate diaboli eruerentur. Unde et Dominus in visione quadrupedum atque reptilium Petrum,[2] cur gentes despiceret, reprehendit dicens: *Quod Deus purificavit, tu commune ne dixeris.* Ad hunc igitur sensum pertinet illud, quod Dominus dixit ad Moysen: *Ne appropinques huc, solve calceamentum de pedibus tuis; locus enim in quo stas, terra sancta est;* ac si alicui ex magnis apostolis Dominus dixisset: Quamvis mortuos suscites, quamvis umbra corporis tui ægrotos sanes; in nullo tamen te mihi comparare audeas, quia magna quæ agis, non sunt de te, sed ego operor per te. Calceamenta autem pedes muniunt, ne terram tangant: per terram vero gentes designantur. *Solve*, inquit, *calceamentum de pedibus tuis;* id est, aufer odium et despectionem gentium de corde tuo. *Locus enim in quo stas, terra sancta est:* id est, mundus in quo habitas, meo sanguine redemptus est.

Exod. III, 5 et seq.

Ibid., 11.

Exod. IV, 1.

Ibid., 13.

I Cor. X, 11.

Act. X, 15.

Exod. III, 5.

Et in sequentibus dixit Dominus ad Moysen: *Quid est quod tenes in manu tua? At ille dixit: Virga. Ait illi: Projice eam in terram. Quam cum projecisset, versa est in colubrum, ita ut fugeret Moyses, dixitque ei Dominus: Apprehende caudam ejus; quam cum apprehendisset, versa est in virgam.* Per virgam Judæi designantur. Moyses virgam in manu tenebat, quia apostoli populum Judæorum per amorem in corde tenebant, totaque virtute laborabant ut eos per doctrinam suæ prædicationis ad salutem perducerent. Projecit Moyses virgam de manu, quia apostoli videntes Judæos in Christum nullo modo velle credere, amorem eorum a cordibus suis projecerunt. Per colubrum vero diabolus designatur. Versa est igitur virga in colubrum, quia Judæi ex prædicatione apostolorum deteriores effecti, qui ante dicebantur populus Dei, facti sunt filii et membra diaboli. Fugit Moyses, quia apostoli, relictis Judæis, transierunt ad gentes. Per caudam vero, quæ finis est corporis, Judæi qui in fine mundi nascituri sunt, designantur. Moyses igitur caudam serpentis apprehendit, atque in virgam versa est, quia prædicatores sancti in fine mundi Judæos quodammodo apprehendent, cum per eorum doctrinam ad fidem Christi convertentur, atque ex filiis diaboli efficientur filii Dei.

Exod. IV, 2.

Nam et illud, quod præcipiente Domino, Moyses manum in sinum misit, et leprosam retraxit, et iterum misit, et sana effecta est; eamdem significationem habet: per manum namque Moysi Judæi designantur. Manum Moyses in sinum misit, quia Apostoli Judæorum salutem desiderantes, eis doctrinam fidei prædicare non cessabant. Moyses manum retraxit, et leprosam invenit, quia Judæi ex prædicatione apostolorum multo pejores effecti, in pessimam lepram incredulitatis atque blasphemiarum delapsi sunt. Moyses iterum manum in sinum misit, et sanam retraxit, quia prædicatores sancti in fine mundi Judæos in sinum recipient, cum eis fidem Christi prædicabunt, eosque ad sanitatem, quam amiserant, reducent.

In sequentibus quoque scriptum est, quod cum reverteretur Moyses in Ægyptum, occurrit ei Dominus, et volebat interficere eum. Tulit illico Sephora acutissimam petram, et circumcidit carnem præputii filii sui, tetigitque pedes ejus, et dixit: *Sponsus sanguinum tu mihi es.* Et dimisit eum, postquam dixerat: *Sponsus sanguinum tu mihi es,* ob circumcisionem. Si Dominus occidere voluit

Ibid., 25.

[1] *Filia vero Pharaonis.... figuravit,* in editt. rejecta fuerant post verbum *abstulit.*

[2] Ita mss.: at editt., *ne gentes despiceret, docuit.*

Moysen, quare non fecit quod voluit, cum Psalmista dicat: *Omnia quæcumque voluit Dominus,*
Ps. cxxxiv, 6 *fecit?* Sed voluntas sæpe pro comminatione ponitur: comminatus est igitur Dominus Moysi mortem, eo quod incircumcisum filium ferret, sicut ad Abraham loquitur, dicens: *Omnis anima ex vobis quæ*
Gen. xvii, 14 *circumcisa non fuerit, peribit de populis suis.* Sed ista prætermittentes, ad spiritalem intelligentiam recurramus. Moyses in hoc loco eos qui ex gentibus crediderunt, designat; in initio namque fidei apostoli et cæteri prædicatores considerantes imbecillitatem gentium fidem Christi suscipientium, noluerunt eis austeriora Christi præcepta primum tradere; ne forte territi non auderent ad fidem Christi suscipiendam accedere. Hæc ita esse apostolus Paulus demonstrat, qui eis qui ex gentibus crediderant, per epistolam loquitur, dicens: *Tamquam parvulis in Christo lac vobis potum dedi, et non escam; nondum enim poteratis, sed nec adhuc quidem potestis; adhuc enim estis car-*
I Cor. iii, 2 *nales.* Sed et apostoli eis, qui apud Antiochiam in Christum crediderant, mandaverunt dicentes: *Placuit Spiritui sancto et nobis nihil imponere vobis oneris, nisi ut abstineatis vos ab escis, quæ idolis immolantur, et a fornicatione, et suffocato, et sanguine.* Comminatus est igitur Dominus Moysi mortem, eo quod carnem præputii filii sui circumcidere dissimularet, quia credentibus ex gentibus, eo quod tepidi essent in caritate, Dominus mortem comminatus est, cum eis præcepta Evangelii sui anteposuit, ubi scriptum est: *Arcta et angusta via est, quæ ducit ad vitam;*[1] *et pauci sunt, qui vadunt per eam. Lata et spatiosa via est, quæ ducit ad mortem; et multi sunt,*
Matth. vii, 14 *qui vadunt per eam;* et iterum: *Qui non bajulat crucem suam, et sequitur me, non est me di-*
Luc. xiv, 27. *gnus;* et multa alia quæ de resecatione vitiorum in Evangelio, et in dictis apostolicis inveniuntur.

Per petram vero Christus intelligitur; acumen autem petræ dura præcepta Evangelii. Tulit igitur Sephora acutissimam petram, et circumcidit carnem præputii filii sui, quia Ecclesia cernens filios suos nullo modo posse perfectam consequi salutem, nisi omnia desideria carnalia ab eorum corporibus exstirparet, tulit austeriora præcepta Evangelii, et amputavit a corporibus filiorum suorum omnium nutrimenta vitiorum. In pedibus vero finis est corporis: Sephora igitur post circumcisionem pedes filii sui tetigit, quia ille circumcisionem salutiferam percipit, qui in bono quod cœpit, usque in finem vitæ perseverat. Postquam autem Sephora pedes filii sui tetigit, jam non filium, sed sponsum vocat: sponsus vero Ecclesiæ Christus est. Sed et ipsa ejus sponsa vocatur, sicut dicit Joannes Ba-
Joan. iii, 29 ptista: *Qui habet sponsam, sponsus est.* Quem et sponsum sanguinum vocat, quia Christi sanguine est redempta. Filii ergo Ecclesiæ post circumcisio-
2 nem vitiorum, et in bonis[2] operibus vitæ consummationem jam non filii, sed sponsi vocantur; quia illi conjuncti sunt in cœlis per copulationem membrorum, qui sponsus Ecclesiæ in terra vocatur, et est.

Et quoniam non possumus omnia quæ per Moysen

A in Ægypto gesta sunt, commemorare, pauca de iis quæ post egressionem Israelitici populi ex Ægpyto ab eis gesta sunt, ponamus. Filii igitur Israel ut Pharaonem et Ægyptios evaderent, per medium sicci maris transierunt, et aquæ eis erant quasi pro muro a dextris et a sinistris. Similiter et po- Exod. xiv, 22.
pulus gentium, ut diabolum omnesque ejus satellites evaderent, per aquam baptismatis transierunt. Et qui antea erant filii diaboli, ex aqua et Spiritu sancto, qui per columnam ignis designabatur, re-
B nati effecti sunt filii Dei. Aqua ergo maris filios Israel salvavit. Pharaonem vero cum omnibus satellitibus suis necavit, quia aqua baptismatis[3] ima- 3
ginem Dei salvat; peccata quibus servierat, exstinguit; diabolus autem unicuique exstinguitur, qui eum fideliter cum omnibus pompis ejus abrenuntiat. Aquæ vero quæ pro muro eis erant a dextris et a sinistris, fidem designabant nostram, quam in baptismate percepimus, quæ murus est noster, ex utraque parte defendens nos et ab invisibilibus
C hostibus et a visibilibus.

Post transitum maris Rubri venerunt in Marath, ubi aquas amaras invenerunt, quas bibere non poterant. Et ostendit Dominus Moysi lignum, quod cum misisset in aquas, in dulcedinem versæ sunt. Exod. xv, 23.
Per aquas amaras lex Moysi designatur: per lignum autem passionem Christi, eo quod in ligno crucis completa fuerit, debemus intelligere. Populus igitur qui ex Ægypto egressus est, aquas amaras invenit, quia Legem acceperunt, quam implere non potue-
D runt: sed gentibus ad fidem Christi venientibus amaritudo Legis per passionem et resurrectionem Christi in dulcedinem versa est, quia ab eis spiritaliter, non carnaliter intellecta est. Illud etiam quod in Elim duodecim fontes repererunt, et castrametati sunt juxta aquas, eamdem significationem Ibid., 27.
habet; per aquas namque duodecim fontium doctrina novi Testamenti designatur, quæ a duodecim fontibus, id est, a duodecim apostolis per universum mundum emanavit: per septuaginta autem
E palmas vetus Testamentum designatur,[4] eo quod 4
per interpretationem Septuaginta interpretum ad notitiam gentium usque pervenerit.

Iis nihilominus intermissis, pauca de iis quæ in Lege irrationabilia esse videntur, dicamus. Præcepit Dominus filiis Israel: *Non coques ædum in lacte matris suæ;* et iterum: *Non arabis simul* Exod. xxiii, 19.
in bove et asino; et non indues vestem, quæ ex lana linoque contexta est. Quid enim peccat quis, Deut. xxii, 10.
si hædum in lacte matris coquat? aut quid agri-
F cola delinquit, si cum bobus et asinis terram vomere scindat? aut quid offendit aliquis, si vestem ex lana linoque contextam induat? Sed spiritaliter hæc omnia intelligenda sunt; per hædum namque unusquisque peccator designatur: mater autem nostra primi parentes fuerunt, ex quibus omnes procreati sumus: lac vero matris vitia sunt, quæ de originali peccato processerunt; nisi enim originale peccatum fuisset, vitium nullum esset. De hoc matris lacte Psalmista loquitur, dicens: *Ecce enim*
G *in iniquitatibus conceptus sum, et in delictis peperit me mater mea.* Hædus igitur in lacte ma- Ps. l, 7.
tris coquitur, dum quilibet peccator igne vitiorum

[1] Ita mss.; editt. autem, *et pauci sunt, qui vadunt, vel qui intrant per eam. Et iterum,* etc.

[2] Omnes edit., *operibus consummationem;* omnes mss., *operibus vitæ consummationem.*

[3] Gill. edit., *imaginem Dei salvatoris, peccata quibus servierat, exstinguit:* Rom. sic emendaverat, *imaginem Dei Salvatoris gerens, peccata quibus populus gentium servierat, exstinguit:* nos vero consensum mss. secuti sumus.

[4] Omnes edit., *eo quod interpretatio;* omnes mss., *eo quod per interpretationem.*

usque ad diem mortis suæ exuritur. Præcepit ergo Dominus, ne coquatur hædus in lacte matris suæ, id est, ut peccator non sinatur usque in diem mortis suæ in peccatis permanere: sed ante diem mortis suæ ad bona opera agenda revocetur, ne pereat.

Deut. XXII, 10. *Non arabis simul in bove et asino.* Per bovem apostolos, cæterosque prædicatores; per asinum populum Judæorum possumus intelligere. Aramus vero, quando secundum traditionem sanctorum nosmetipsos in bonis operibus exercemus. In bove igitur et asino simul arat, quicumque doctrinam apostolorum, traditionesque Judæorum simul servare nititur. A qua doctrina Paulus apostolus Galatas revocare studuit, cum diceret: *O insensati Galatæ! quis vos fascinavit veritati non obedire? Dico enim vobis quoniam si circumcidamini,*
Galat. III, 1. *Christus vobis nihil prodest.* Possumus etiam per bovem quemlibet sapientem prædicatorem, per asinum vero stultum intelligere. Præcipitur ergo ut non aretur simul in bove et asino, id est, ut non copuletur stultus sapienti in prædicationis officio. Hoc autem quod dicit: Non induas vestem ex lana
Deut. XXII, 11. linoque contextam, secundum superiorem sensum possumus intelligere; per lanam namque, quæ vestis est ovium, doctrinam apostolorum; per linum vero, quod ex terra oritur, doctrinam Judæorum possumus intelligere. Vestem ergo induimus, cum nosmetipsos bonis operibus circumdamus; et lana autem linoque contexta utitur veste qui cum traditionibus apostolorum etiam traditiones Judæorum vult observare.

Præcepit etiam Dominus Moysi, ut si quis leprosus mundatus esset, veniret ad sacerdotem, et offerret duos passeres sacerdoti. Ex quibus ille unum immolans, decurrere faceret sanguinem ejus in aquas viventes, et intingens passerem vivum in aquas, in quibus sanguinem immolati passeris decurrere fecerat, cum ligno cedrino, lana coccinea, et hyssopo aspergeret septies leprosum, et tunc
Lev. XXVI, 3 et seq. rite mundaretur. Per sacerdotem Christus intelligitur: duo vero passeres duorum Testamentorum doctores intelliguntur: per aquas autem viventes præcepta Evangelii designantur, de quibus Dominus dicit in Evangelio: *Qui credit in me, sicut dicit Scriptura, flumina de ventre ejus fluent aquæ*
Joan. VII, 38. *vivæ.* Aquas vivas vocat, eo quod vitam æternam præstent facientibus ea. Per passerem igitur immolatum, sicut diximus, doctores Judæorum, sacerdotes videlicet, scribæ et pharisæi designantur. Sanguis vero, qui vitam passeris præstabat, spiritalis est intelligentia, quæ in observationibus Judæorum latebat. Et sicut passer sine sanguine mortuus efficitur, ita et multæ observationes Judæorum, si spiritalis intelligentia defuisset, vanæ esse viderentur. Postquam ergo sanguis passeris apparuit, atque in aquas vivas decurrit, passer mortuus est; quia postquam spiritalis intelligentia, quæ in observationibus Judæorum latebat, per gratiam Domini nostri Jesu Christi manifestata est, quædam observationes legales nihil profuerunt; sed et ipsi qui propter custodiam Legis fidem Christi spreverunt, secundum animam mortui sunt. Sanguis igitur passeris aquis viventibus admixtus est, quia omnis Scriptura, quæ ad novum Testa-

A mentum[1] pertinet, exemplis veteris Testamenti spiritaliter intellectis repleta est. Per lignum vero cedrinum Pater, per hyssopum Filius, per lanam autem coccineam, quæ fulgorem ignis habet, Spiritus sanctus designatur. Iis tribus qui rite mundari volebat, aspergebatur, quia nullus per aquam baptismatis a lepra peccatorum mundari potest, nisi sub invocatione Patris et Filii et Spiritus sancti.

Sed si per hæc tria Pater et Filius et Spiritus sanctus designantur, cur passer vivus quartus
B adjungitur? Per passerem namque vivum prædicatores novi Testamenti designatos fuisse diximus. Sacerdos ergo ligno cedrino, cocco et hyssopo passerem vivum adjungebat, quia Dominus noster Jesus Christus in invocatione sui nominis, et Patris et Spiritus sancti adjungit ministerium sacerdotum, nosque a peccatis nostris, qui per leprosum designamur, per eorum invocationem, et per aquam baptismatis abluit. Qui passer in aquis viventibus intingi jubetur, quia qui alios docet, in divinis
C Scripturis doctum esse oportet: nam si cæcus cæcum ducere tentaverit, ambo in foveam cadunt. Matth. XV, 14
Qui leprosus septies aspergi præcipitur, quia nullius munditia sine donis septem Spiritus sancti perfecta esse potest. Quis enim sine timore Dei, sine pietate cæterisque virtutibus salvus esse potest? Sed cum unusquisque a prædicatoribus fidei qualiter vivere debeat secundum mandata Dei docetur, septies aqua viva aspergitur. Post emundationem vero leprosi passer vivus in agro avolare sine-
D batur, quia prædicatores sancti post expletum officium prædicationis suæ in agro patriæ cœlestis avolare promerentur.

In alio quoque loco scriptum est, quia præcepit Dominus Moysi, ut offerrent filii Israel sacerdoti caprum emissarium, poneretque sacerdos manus super caput ejus, et confiteretur super eum peccata filiorum Israel, et mitteret eum per hominem paratum, in desertum, ut portaret peccata filiorum Israel in desertum. Ille autem qui caprum
E emissarium in desertum ducebat, non permittebatur in castra ingredi, nisi prius lavaret vestimenta sua. Eamdem ergo significationem habet sacerdos, Levit. XVI, 10 et seq.
quam et caper emissarius; significant enim Dominum nostrum Jesum Christum. Sacerdos igitur super caprum emissarium peccata filiorum Israel confessus est, quia Filius Dei peccata generis humani super hominem quem assumpsit, posuit, ut pro eis ipse moreretur. Per desertum vero, cujus habitationem omnes deliciosi perhorrescunt, crux
F designatur, cunctis reis valde horribilis. Duxit ergo homo paratus caprum emissarium in desertum, quia Judæi, qui ad hoc scelus perpetrandum[2] præsciti fuerant, Dominum nostrum Jesum Christum crucifixerunt. Illi autem qui caprum emissarium in desertum duxerat, præceptum est ut lavaret prius vestimenta sua, et sic ingrederetur in castra, quia Judæi interfectores Christi in castra Ecclesiæ ingredi non potuerunt, nisi prius aqua baptismatis abluerentur.

G Et in Deuteronomio præcepit Moyses filiis Israel, dicens: *Si transieris per agrum, et inveneris avem incubantem super pullos suos; ne teneas avem cum pullis suis, se dimitte avolare avem in campum, et captos tene filios: ut longo vivas*

[1] Ita mss.; editt. vero, *pertinet, spiritalibus intellectibus repleta est.*

[2] Omnes edit., *præstiti fuerant;* omnes mss., *præsciti fuerant.*

tempore in terra, quam Dominus Deus tuus de-
[1] *derit tibi.* Numquid[1] dimissio aviculæ dies alicujus
Deut. XXII, 6. augere poterat? Non, sed spiritualiter intelligendum est. Per avem unaquæque sancta anima designatur; per pullos autem ejus bona opera intelliguntur. Nam sicut avis pullos suos sub alas congregat, ut eos fovendo nutriat; ita unaquæque sancta anima opera sua intra cordis secreta recondit, et ea semper augendo multiplicat et nutrit, ut ex iis mercedem plenissimam recipiat. Avem itaque cum pullis suis invenimus, cum aliquem justum pro suis bonis operibus amando amplectimur. Avem in agro avolare permittimus, cum eum quem diligebamus, per mortem ad regna cœlestia conscendisse gaudemus: filios vero ejus captos tenemus, si ejus bona opera in mente retinemus, atque in eorum imitatione proficimus. Et in hoc longitudinem vitæ nobis acquirimus, quæ non nisi in cœlesti beatitudine constitutis datur. De apertione tertii sigilli pauca de multis diximus: nunc ordinem prosequamur.

(VERS. 5). *Audivi tertium animal dicens: Veni*
[2] *et vide;* id est, intellige spiritaliter[2] Scripturam Legis. *Et ecce equus niger, et qui sedebat super eum, habebat stateram in manu sua.* Per equum nigrum doctores Legis possumus intelligere; nigredo enim equi sive obscuritatem Legis, quam docuerunt, sive duritiam designat. Nam et Moyses velamen habebat super faciem suam, eo quod splendor vultus ejus, id est, spiritalis intelligentia in Lege a lippientibus oculis non posset videri. Sessor autem equi Dominus est: statera vero æquitatem judicii legalis demonstrat, ut est istud: *Animam pro anima, oculum pro oculo, dentem*
[3] Exod. XXI, 23. *pro dente, pedem pro pede,*[3] et qualem inflixerit quis maculam, talem et sustinere cogatur.

(VERS. 6). *Et audivi vocem in medio quatuor animalium dicentem.* Potest per vocem, quæ facta est in medio quatuor animalium, vox Ecclesiæ accipi Domini misericordiam implorantis. *Bilibris tritici denario, et tres bilibres hordei denario, et vinum et oleum ne læseris.* Magna sunt quæ protulit, et valde obscura. Per triticum, ex quo panis optimus conficitur, divinam Scripturam possumus accipere, quæ est panis animarum: duæ vero libræ tritici duo Testamenta designant, quibus divina Scriptura dividitur. Ex iis duabus libris tritici magnam ciborum copiam nobis sancti patres præparaverunt, qui eam multipliciter exposuerunt: denarius autem Dominum designat. Binæ ergo libræ tritici denario copulantur, quia quod sancta Scriptura loquitur, ad unius Dei omnipotentiam, magnitudinem, bonitatem atque severitatem pertinet; quidquid enim boni erga proximos agimus, de illo est, non de nobis. Per asperitatem vero hordei opera sanctorum designantur: quæ aspera quidem videntur per operationem sed spes ea suavia facit, sicut dicit Dominus: *Jugum enim meum suave*
Matth. XI, 30. *est, et onus meum leve.* Tres autem bilibres hordei
[4] sunt: non inconvenienter ergo[4] per senarium numerum qui perfectus est, opera sanctorum designantur, quia perfectio sanctorum ex bonis operibus accrescit. Tres bilibres ergo hordei denario

A conjunguntur, quia quidquid boni electi in hoc sæculo operantur, quidquid adversi patiuntur, pro amore unius Dei omnipotentis agunt et patiuntur.

Aliter: per equum ii qui per Legem salvi facti sunt, designantur: per ascensorem ejus ipse dator Legis: per stateram vero æquitas judicii ejus. Consequens est ut per binas libras tritici et per tres bilibres hordei vetus Testamentum intelligamus: per binas ergo libras tritici duo præcepta caritatis, quæ in Lege et prophetis specialiter com-
B mendantur, designantur, sicut Dominus dicit in Evangelio: *In iis duobus mandatis tota Lex pendet et prophetæ.* Et per tres bilibres hordei vetus Matth. XXII, 40.
Testamentum possumus accipere; eo quod in tres partes ab Hebræis dividatur, in Prophetas, in Legem, in Hagiographa. Nec inconvenienter per hordeum, quod asperum habet corticem, vetus Testa-
mentum designatur,[5] propter asperitatem videlicet [5]
præceptorum legalium. Nam sicut hordeum infra asperitatem corticis sui medullam continet, ex qua
C panis conficitur, ita et infra litteram veteris Testamenti spiritalis intelligentia continetur, ex qua a magistris Ecclesiæ panis doctrinæ spiritalis conficitur, ad nutrimenta fidelium proficiens; scribit enim apostolus Paulus quia nullum ad perfectum adduxit Lex, nullum scilicet eorum qui eam carnaliter intelligunt et operantur: eos vero qui eam spiritaliter intelligunt et operantur, ad perfectionis culmen sine dubio erigit. Tres ergo libræ hordei Hebr. VII, 19.
duplicantur, ut ad senarium, qui perfectus est nu-
D merus, perveniant, cum vetus Testamentum a doctoribus Ecclesiæ primo historialiter, postea spiritaliter intelligitur, ejusque spiritalis intelligentia operibus impletur. Per denarium autem æterna vita designatur, sicut Dominus docet in Evangelio. Matth. XX, 2.
Precatur igitur Dominum Ecclesia, et dicit: *Bilibris triticī denario, et tres bilibres hordei denario,* id est, ii qui duo præcepta caritatis secundum doctrinam Legis atque Prophetarum, patribus videlicet veteris Testamenti: similiter et eis qui
E vetus Testamentum spiritaliter intelligunt et operantur, id est, fidelibus Ecclesiæ, denarium vitæ æternæ dignare largiri. Per austeritatem vero vini activam vitam, per pinguedinem olei contemplativam possumus accipere. Quod ergo dicit: *Vinum et oleum ne læseris,* tale est ac si diceret: Eos qui tibi per activæ vitæ opera sive contemplativæ servire studuerunt, ne læseris, cum ad judicium veneris.

(VERS. 7). Sequitur: *Et cum aperuisset sigillum*
F *quartum.* Apertio sigilli quarti ad prophetas pertinet, qui adventum Christi, passionem et resurrectionem ejus, vocationemque gentium et aperto sermone, et per varias figuras prædixerunt. Salvator igitur noster quartum sigillum aperuit, quando intelligentiam prophetarum doctoribus Ecclesiæ præbuit. Sed de dictis prophetarum non est nobis necesse quidquam dicere, eo quod ab eisdem doctoribus expositi sint. Et quia non solum quæ a prophetis scripta sunt, sed et quæ ab eis gesta
G sunt, spiritalem habent intelligentiam, pauca de iis quæ per David, Eliam et Elisæum gesta sunt, dicamus.

[1] Ita mss.; at editt., *dimissa avicula dies alienos augere poterat.*

[2] Rom. edit. sola, *qui Scripturarum legis.*

[3] Omnes edit., *et quale inflixerit quis malum, tale,* etc.: mss. autem ut in contextu.

[4] Editt., *per binarium numerum.* Et infra, *et per tres libras hordei:* mss. autem utroque loco nobis consonant.

[5] Ita mss.; editt. vero, *propter asperitatem corticis sui. Medullam continet,* etc.

In Regum volumine scriptum est, quia cum David vellet pergere ad pugnam contra Philistæum, dixit ad Saul: *Pascebat servus tuus gregem patris sui, et veniebat leo vel ursus, tollebatque arietem de medio gregis, et insequebar, percutiebamque eos, eruebamque eum de ore eorum. Et illi consurgebant adversum me, et apprehendebam mentum eorum, et suffocabam, interficiebamque eos; nam et leonem et ursum interfeci ergo servus tuus.* David Christum significat; per leonem autem et ursum persecutores Ecclesiæ designantur: per leonem imperatores et cæteri principes terræ: per ursum Judæi designati sunt, qui Ecclesiam Dei persecuti sunt: per arietem vero martyres designantur. Leo igitur et ursus venit, atque arietem de medio gregis abstulit; quia persecutores quosdam de Ecclesia fideles tulerunt, atque pro Christi nomine interfecerunt. Et sicut David leonem et ursum insecutus percussit, atque arietem de ore eorum eruit; similiter et Redemptor noster quosdam e persecutoribus persecutus est, quando eis pœnam quam merebantur, in præsenti sæculo irrogavit, sicut primo Herodi, et iterum secundo, et tertio, et multis aliis. Percussit quippe, quando eos æterna morte damnavit: arietem de ore eorum eruit, quia populum fidelium ab eorum laceratione liberavit. Et iterum illi consurgebant adversum David, quia temporibus persecutorum cum alii punirentur, alii contra Christum insurgebant, ut ejus nomen atque culturam funditus exstinguerent. Sed David apprehendebat mentum eorum, et suffocabat, interficiebatque eos. Per mentum, quod ori est proximum, blasphemiæ Judæorum atque paganorum designantur. Christus mentum persecutorum apprehendit, et suffocavit, interfecitque eos; quando imperatoribus in Christum credentibus, omnis cultura et error gentilium ita suffocatus est, ut nullus persecutorum auderet os ad blasphemandum Christum aperire;[1] omnesque exstincti sunt, credentibus in Christum gentibus.

I Reg. XVII, 34 et seq.

Ibid., 35.

Idem autem David cum ad bellum contra Philistæum iret, baculum suum tulit secum, quem semper habebat in manibus, elegitque sibi quinque limpidissimos lapides de torrente, et misit eos in peram, quam habebat secum, et fundam manu tulit, et processit contra Philistæum. Per baculum quo homo sustentatur, apostoli designantur, qui Christum quasi sustinuerunt, cum opus propter quod in mundum venerat, compleverunt, sicut dicit apostolus Paulus: *Dei enim adjutores sumus.* Per peram autem ejus humanitas designatur: per quinque lapides quinque libri Moysi, quos in peram misit; quia scientiam quinque librorum homini, quem assumpserat, dedit: per fundam autem ejus linguam accipere possumus. Processio vero David contra Philistæum duobus modis secundum allegoriam intelligi potest; processit namque Salvator noster contra Philistæum, quando ductus est in desertum a Spiritu sancto, ut tentaretur a diabolo, vinceretque diabolum. Quinque lapides David in peram misit, sed ex uno Goliam prostravit, quia Salvator noster scientiam quinque librorum æqualiter possedit, sed ex uno, id est Deuteronomio, trina testimonia assumpsit, ex quibus tres tentationes diaboli devicit. Et sicut David funda lapidem jecit, et Goliam interfecit; ita et Dominus noster Jesus Christus lingua sanctæ Scripturæ testimonia protulit, et diabolum superavit.

I Cor. III, 9.

Aliter: perrexit David ad pugnam contra Philistæum: similiter et Christus, ut diabolum vinceret, ad passionem properavit. David lapide Goliam dejecit; similiter et Christus diabolum morte sua peremit. Cumque gladium non haberet in manu David, tulit gladium[2] Philistæi, et interfecit eum gladio suo, præciditque caput ejus. Gladius diaboli mors est: *Invidia enim diaboli mors intravit in orbem terrarum.* Iste est gladius, quo primum hominem, deinde genus humanum usque dum a Christo redimeretur, interfecit. Hunc gladium incurrimus, cum peccamus: sed hunc gladium Christus non habebat, quia peccatum non fecerat, nec inventus fuerat dolus in ore ejus. Originali quoque peccato obnoxius non erat,[3] quia ex concubitu viri, qui sine peccato esse non potest, ortus non fuerat. Christus itaque qui mortem ex debito non habebat, a diabolo qui auctor ejus erat, mortem mutuavit, et per eamdem principem mortis interfecit. Per caput autem Philistæi genus humanum in hoc loco designatur. Præcidit David caput Philistæi, quia Christus a corpore diaboli electorum multitudinem separavit. Detulit illud in Hierusalem, quia multitudinem electorum in cœlesti beatitudine, quæ Hierusalem vocatur, collocavit.

Sap. II, 24

I Pet. II, 22

De Elia vero et Elisæo, quamvis eorum facta plena sint spiritalibus sensibus, ea tantummodo proferamus, quæ a Domino in Evangelio commemorata sunt. Nam cum venisset Dominus in Nazareth, dixerunt ei concives ejus: *Quanta audivimus facta in Capharnaum, fac et hic in patria tua.* Dixitque eis: *Amen dico vobis, quia multæ viduæ erant in diebus Eliæ in Israel, quando clausum est cœlum, et ad nullam illarum missus est Elias, nisi in Sareptam Sidoniæ ad mulierem viduam. Et multi leprosi erant in diebus Elisæi in Israel, et nemo eorum mundatus est, nisi Naaman Syrus.* In Regum volumine scriptum est quia cum cœpisset Achab rex Israel Eliam persequi, præcipiente Domino abiit in desertum, et sedit juxta torrentem Charib: corvi quoque deferebant ei panes et carnes mane, et panes et carnes vespere, et bibebat de torrente. Elias Christum figurabat: per torrentem autem Charib Legem debemus intelligere. Charib interpretatur mendacium, non quod lex mendacium sit; solent namque prudentes proponere auditoribus suis parabolas, ut apertius intelligantur ea, quæ dicere volunt, et introducunt bestias et aves loquentes. Quod si sola verba parabolarum attendas, mendacium esse prospicies: sin vero sensuum, veritatem probabis. Similiter et quædam præcepta legalia, si litteram tantummodo attendas, inutilia tibi videbuntur: si spiritalem intelligentiam, veritas tibi magna in littera refulget. Quædam igitur præcepta legalia Judæis mendacium sunt; quia ea carnaliter intelliguntur: nobis autem veritas; quia ea spiritaliter intelligere curamus. Per corvos vero sacerdotes Judæorum designantur, velamine

Luc. IV, 23 et seq.

III Reg. XVII, 3 et seq.

[1] *Omnesque exstincti sunt, credentibus in Christum gentibus,* ex mss. restituitur.

[2] Omnes edit., *Philistæi, et caput illius amputavit. Iste est,* etc.

[3] Ita omnes mss.; omnes vero edit., *obnoxius erat, quia in peccato ortus non fuerat. Christus itaque,* etc.

cordium suorum tenebrosi: per carnes juge sacrificium quod mane et vespere offerebatur. Panes autem panes propositionis demonstrant, qui assidue in conspectu Domini ponebantur: bibebat vero de torrente, quia in observationibus legalibus Christus delectabatur. Post dies autem multos siccatus est torrens, quia veniente Christo in carne, et Evangelium prædicante, observatio legalis cessavit, atque ab illo tempore nihil profuit, sicut dicit Dominus: Matth. xi, 13. *Lex et prophetæ usque ad Joannem,* etc. Et iterum dicit ad Israel per prophetam: *Ne offeratis ultra sacrificium frustra. Incensum abominatio est mihi: neomenias et sabbata vestra non feram;* Isai. i, 13 *iniqui sunt cœtus vestri.*

Et dixit Dominus ad Eliam: Vade in Sareptam Sidoniorum, et manebis ibi; præcepi enim III Reg. xvii, 9 *ibi mulieri viduæ ut pascat te.* Qui consurgens, abiit in Sareptam. Elias in Sareptam abiit, quia Judæos perfidos Christus derelinquens, per apostolos suos transivit ad gentes: Sarepta vero succensa interpretatur, vel angustia panis; gentiles quippe, qui erant civitas diaboli, et qui per Sareptam designantur, igne vitiorum succensi erant. De hoc igne Scriptura dicit: *Omnes vos accendentes ignem, accincti flammis ambulate in lumine* Isai. i, 11 *ignis vestri, et in flammis quas succendistis vobis.* Illi namque flammis accincti sunt, qui igne vitiorum undique exuruntur, qui et angustia panis vocantur, quia nullus prædicator umquam ad eos accesserat, qui pabulum verbi Dei eis impertiret. Cumque venisset ad portam civitatis, apparuit ei mulier vidua, colligens ligna. Eamdem significationem habet mulier, quam et civitas; significat enim Ecclesiam ex gentibus congregatam vidua vero erat, quia Deum virum suum, peccatis suis exigentibus, perdiderat. Et vocavit eam, dixitque ei: *Affer mihi paululum aquæ in vase, ut bibam.* Minora petiit, ut ad majora perveniret; possumus namque per paululum aquæ, quod animum sitientis refrigerat, voluntatem audientium intelligere; quia sicut sitientis linguam aqua refrigerat, ita et prædicatorum mentes promptus animus auditorum. Cumque illa pergeret ut afferret, clamavit post tergum ejus, dicens: *Affer mihi et buccellam panis in manu tua.* Quasi post tergum nobis est, quod ignoramus: Elias ergo post tergum mulieris clamavit, quia prædicatores sancti gentibus Deum, quem ignorabant, prædicaverunt; unde et per buccellam panis initia fidei possumus intelligere.

Et quia illi competenter ad fidem veniunt, qui student prius peccata sua confiteri, recte subditur: *Dixitque ei mulier: Vivit Dominus Deus tuus, quia non habeo panem, nisi quantum potest pugillus capere farinæ in hydria, et paululum olei in lecytho.* Lecythus vas erat, in quo oleum servabatur. Possumus vero per farinam rationem, per oleum autem opera misericordiæ intelligere. Gentilis ergo populus cognoscens se graviter errasse, confitebatur nihil in se boni esse; nisi tantummodo quod parum rationis, et parum ex operibus misericordiæ videretur habere. Gentiles namque parum rationis habebant, quia ex parte rationabiles, ex maxima autem parte irrationabiles erant. Quid enim irrationabilius, quam dicere ligno aut lapidi: Deus meus es tu? Habebant et parum misericordiæ, quia ipsa natura sæpe eos ad hoc impellebat, ut miseris subvenirent. Per vasa vero in quibus farina et oleum continebatur, eorum corda

A designantur. *En colligo duo ligna, ut ingrediar, et faciam illud mihi et filio meo, ut comedamus et moriamur.* Ligna quæ in civitate colliguntur, nihil utilitatis habent, nisi ut igni comburantur. Per ligna igitur errores gentilium diabolica fraude inventi designantur. Mulier ligna duo colligebat, quia gentilis populus ex doctrina philosophorum atque poetarum diversos errores colligebat, pro quibus perpetuo incendio traderetur. Sed quid est, quod dicit: *Ut comedamus et moriamur?* Nos B enim ideo comedimus, ut vitam in corpore servemus; hæc autem ideo se dicit comedere, ut moriatur, quia doctrina gentilium mortem magis infert, quam vitam.

Ad quam Elias: *Vade, et fac sicut dixisti; verumtamen mihi fac ex ipsa farinula subcinericium panem parvulum, et affer ad me; tibi autem et filio tuo facies postea.* Per panem fides, per cinerem vero sæpe pœnitentia designatur, sicut dicit beatus Job ad Dominum: *Idcirco ipse me* C *reprehendo, et ago pœnitentiam in favilla et cinere.* Panis igitur cinere cooperitur, cum quilibet Job. xlii, 6. infidelis ad fidem veniens, primum studet deflere mala quæ fecit, ut convenientius ad fidem Christi percipiendam, quæ in baptismate datur, accedat. Elias itaque præcepit mulieri ut ex farina panem faceret, sibique deferret, quia prædicatores sancti gentes hortabantur, ut ex rationis bono quod a Deo perceperant, cibum fidei Deo præpararent, sibique deferrent; fidem namque unusquisque ad D baptismum veniens, prædicatori defert, cum ad interrogationem sacerdotis qualiter credat, confitetur; Elias panem quem mulieri facere præcepit, comedit, quia profectus filiorum merces est prædicatorum. Quapropter Elias mulieri præcepit ut sibi primum, postea sibi et filio suo panem præpararet, quia conversio peccatoris prædicatori primo imputatur: postea vero conversus panem sibi præparat, cum in bonis operibus semetipsum exercens ut hæres cœlestis patriæ fiat, obtinet. Quod autem ait Elias: E *Hydria farinæ non deficiet, nec lecythus olei minuetur usque in diem, in qua daturus est Dominus pluviam super terram;* illud significat, III Reg. xvii, 14. quod fides ab electorum cordibus bonaque opera non deficient, usque dum Dominus ad judicium cum omnibus sanctis suis veniat.

Similiter et Elisæus Christum figurabat, Naaman vero populum gentium. Multi leprosi erant in Israel, et nemo eorum mundatus est, nisi Naaman Syrus; quia veniente Christo in carne, et Judæi et gentes F lepra peccatorum suorum circumdati erant: sed Judæis in iniquitate sua permanentibus, gentes a lepra peccatorum suorum mundatæ sunt. Præcepit ergo Elisæus Naaman, dicens: *Vade et lavare septies in Jordane, et recipiet sanitatem caro tua, atque mundaberis.* Abiit, et lavit in Jordane IV Reg. v, 10. septies, et restituta est caro ejus sicut caro pueri parvuli, et mundatus est a lepra. Aquæ Jordanis baptismum figurabat, eo quod in ea Christus baptizatus sit. Naaman aquis Jordanis ablutus est, G et lepra mundatus; quia populus gentium aqua sacri baptismatis a lepra peccatorum suorum est expurgatus. Septena vero ejus lavatio septiformem Spiritum sanctum figurabat, per cujus operationem remissio peccatorum in baptismo datur; quia sicut corpus visibiliter aquis baptismatis, ita anima invisibiliter per operationem Spiritus sancti a peccatis omnibus emundatur. Giezi autem qui pretium sani-

tatis a Naaman percepit, lepramque ejus hæreditavit, eos designat, qui doctrinam suæ prædicationis hominibus vendunt: quos Dominus in Evangelio
Joan. x, 12. non pastores, sed mercenarios vocat. Elisæus igitur sanitatem contulit, et Giezi pretium accepit, quia ab eis quos divina misericordia salvat, perversi doctores pretium sanitatis exigunt. Et ideo hæredes lepræ eorum efficiuntur, quia in malis quæ isti per gratiam Dei contempserunt, permanentes, damnationem sibi perpetuam acquirunt. De apertionibus quatuor sigillorum quæ ad vetus Testamentum pertinere certum est, pauca de multis diximus; ut demonstraremus nihil aliud esse sigillorum apertionem, nisi demonstrationem spiritalium sensuum in veteri Testamento, quæ nobis per Christum facta est.

(Vers. 8). Sequitur: *Et ecce equus pallidus, et qui sedebat super eum, nomen illi mors, et infernus sequebatur eum.* Videntur hæc quæ de equite quarto dicuntur, ad Antichristum pertinere: sed quia superiores tres equites in bonam partem interpretati sumus, ut convenirent cum apertionibus trium sigillorum; ordinis rectitudo cogit, ut et istum in bonam partem intelligamus, quatenus concordet cum apertione quarti sigilli, quam ad prophetas pertinere demonstravimus. Equus igitur pallidus prophetas significat: pallor vero diversis modis accidit hominibus; aliquando namque pavore, aliquando languore, aliquando morte totum corpus occupante, multisque modis aliis pallescunt homines. Prophetæ itaque, qui populo peccanti prædicebant quod in rapinam et gladium et perditionem darentur, non inconvenienter colorem pallidum habuisse dicuntur; sessor autem hujus equi Dominus est, qui in prophetis suis inhabitavit. Sed valde durum videtur, quod nomen mortis habuisse dicitur; ipse enim vita est omnium electorum suo-
Joan. xiv, 6. rum, sicut ipse dicit: *Ego sum vita.* Sed si diligenter Scripturas divinas inspexerimus, inveniemus Dominum nostrum Jesum Christum etiam mortem vocari. Nam sicut vita est omnium electorum, quibus quotidie vitam æternam largitur; ita et mors dici potest reproborum, quos pro sceleribus suis quotidie morti tradit perpetuæ; ipse enim habet potestatem animam et corpus perdere in
Matth. x, 28. gehennam. Nomen ergo mortis habuisse dicitur, quia Israelitico populo peccanti mortem intulit, sicut in cantico Deuteronomii ipse manifeste demonstrat, cum dicit: *Ignis succensus est in fu-*
1 *rore meo, et ardebit usque ad inferni*[1] *novissima: devorabitque terram cum germine suo, et montium fundamenta comburet. Congregabo super eos mala, et sagittas meas complebo in eis: consumentur fame; et devorabunt eos aves morsu amarissimo. Dentes bestiarum immittam in eos cum furore trahentium super terram atque serpentium. Foris vastabit eos gladius, et intus*
Deut. xxxii, 22 et seq. *pavor,* et reliqua.

Hunc equitem infernus sequebatur, quia omnes qui comminationes prophetarum, quas ex ore Domini ad populum protulerant, contempserunt, infernus absorbuit. Unde et sequitur: *Et data est ei potestas in quatuor partes terræ occidere in*

A *gladio, et fame, et morte, et bestiis terræ.* Per quatuor partes terræ[2] omnis terra Israel designatur. 2
Qualiter autem in gladio, et fame, et morte, et bestiis terræ consumpti fuerint, libri Prophetarum atque Regum aperte demonstrant. Quærendum vero nobis est cur apertio quatuor sigillorum ad vetus Testamentum, trium vero ad novum pertineat. Quatuor namque sunt elementa, quibus secundum corpus subsistimus: vetus igitur Testamentum in quaternario numero non inconvenienter ponitur,
B quia lex Moysi nihil aliud populo Hebraico, nisi ea quæ ad quatuor elementa pertinent, repromittit. Novum vero Testamentum in ternario numero ponitur, quia fides sanctæ Trinitatis, sine qua salvi esse non possumus, in eo specialiter commendatur.

(Vers. 9). *Et cum aperuisset sigillum quintum.* Quinti sigilli apertio, sexti et septimi, sicut jam diximus, ad apertionem novi Testamenti pertinet: et quamvis novum Testamentum apertio sit veteris Testamenti; tamen multa in eo obscure ponuntur,
C quæ necesse est et exponantur. Igitur sigillum quintum, sextum et septimum Salvator aperuit, quando ea quæ per parabolas ipse locutus est, et figuraliter gessit, doctoribus Ecclesiæ patefecit. Sed de expositione novi Testamenti non est nobis necesse quidquam dicere, eo quod a sanctis patribus mirabiliter et multipliciter sit expositum. Quinti igitur sigilli apertio ad martyres pertinet: quintum vero sigillum tunc Christus aperuit, quando ea quæ per parabolas et quasdam figuras de per-
D secutione martyrum, et glorificatione eorum dixit, doctoribus Ecclesiæ manifestavit. Aperuit etiam quintum sigillum, quando eis cœlestem gloriam quam promiserat, contulit, eosque in mundo apud homines clarificavit. *Vidi sub altare Dei animas interfectorum propter verbum Dei, et testimonium Jesu, quod habebant.* Altare Dei Christus est: animæ igitur sanctorum sub altare quiescunt, quia sicut capiti supposita sunt membra, eique cohærent, ita et animæ sanctorum in cœlesti gloria
E constitutæ, Christo salvatori subjectæ sunt, eique per conjunctionem membrorum nectuntur.

(Vers. 10, 11). *Et clamabant voce magna, dicentes: Usquequo, Domine sanctus et verus, non judicas et non vindicas sanguinem nostrum de iis, qui habitant in terra?* Cum Scriptura præcipiat malum pro malo non reddere, et Dominus Rom. xii, 17.
dicat in Evangelio: *Diligite inimicos vestros, et benefacite iis, qui oderunt vos;* quid est quod Matth. v, 44.
sancti in cœlestibus constituti ultionem de inimicis
F suis expetunt? Sed scimus sanctos Dei diem ultimum desiderare, in quo et corpora et mercedem plenam laborum suorum a Domino præcipient. Nam hunc diem Dominus desiderandum esse discipulis suis manifestavit, cum signa diei judicii prædiceret, dicens: *Cum autem videritis hæc fieri, respicite et levate capita vestra; quoniam appropinquavit redemptio vestra.* Et in oratione Dominica assidue Luc. xxi, 28
petimus, *ut adveniat regnum tuum.* Verum quia Matth. vi, 10
sanctorum resurrectio atque glorificatio in die ju-
G dicii fiet, et dies judicii damnatio erit impiorum, sancti ultionem de inimicis suis postulant, quando petunt ut dies Domini veniat; quia eo die damna-

[1] Post vocem *novissima*, codex Gem. subjungit, *et cætera;* nec ulterius producit testimonium hujus cantici; editt. illud extendunt usque ad verbum, *comburet;* nos vero cæterorum cod. auctoritati morem gessimus.

[2] Omnes edit., *omnis terra designatur;* omnes vero mss. addunt τὸ *Israel*, quod necessarium hic esse ostendunt sequentia.

tione perpetua damnabuntur. Sed hic quæstio oritur, cur sancti diem Domini desiderent, cum propheta
Amos v, 18. dicat: *Væ desiderantibus diem Domini?* Scimus namque diem Domini damnationem esse impiorum, sicut jam diximus. Et quid necesse fuit prophetæ dicere: *Væ desiderantibus diem Domini!* cum nullus impius reperiatur, qui aut mortem suam, aut diem Domini desideret; eo quod in eo damnari metuit? Et quia verum est quod propheta dixit, investigandum nobis est quid significet. Damnatio quippe impiorum sunt peccata: quicumque ergo cum scorto coire desiderat, damnationem suam desiderat:[1] quicumque inebriari desiderat, damnationem suam desiderat: qui equum aut bovem aut aliquid huic rei simile furari desiderat, damnationem suam desiderat: qui damnum aliquod proximo inferre desiderat, damnationem suam desiderat. Igitur quia damnatio impiorum erit dies judicii, quicumque ea scelera committere desiderat, pro quibus in die judicii damnabitur, diem Domini, id est, damnationem suam desiderat.

Et datæ sunt illis singulæ stolæ albæ. Stolæ albæ gloria est sanctarum animarum: singulas stolas albas sancti Dei nunc possident, quia corporibus in terra quiescentibus,[2] solius animæ beatitudine æterna perfruuntur: binas stolas tunc percipient, cum post resurrectionem animæ cum corporibus gloriam cœlestis patriæ sine fine possidebunt. *Et dictum est illis ut requiescerent adhuc tempus modicum, donec impleantur conservi eorum, et fratres eorum, qui interficiendi sunt, sicut et illi.* Tempus modicum tempus est usque ad diem judicii: quod modicum idcirco dicitur, quia in comparatione futuri temporis valde modicum est. Sancti ergo qui hoc desiderant, ut dies judicii fiat, in qua et corpora et mercedem plenam laborum suorum recipiant, tempus modicum exspectare jubentur, donec impleatur numerus fratrum eorum; quia dies judicii non veniet, usque dum impleatur omnis numerus electorum. Sed quærendum nobis est, cur solæ animæ pro Christi nomine interfectorum sub altare Dei quievisse, et stolas singulas accepisse legantur; cum omnes electorum animæ sub hoc altare quiescant, easdem stolas et ipsæ possideant? Per animas igitur interfectorum non solum martyres, sed et omnes animas justorum debemus accipere; eo quod et ipsi mundo sint mortui, ut Deo viverent, sicut dicit Apostolus: *Mortui enim estis, et vita vestra abscondita est cum Christo*
Coloss. iii, 3 *in Deo.* Et de semetipso dicit: *Mihi mundus cru-*
Galat. vi, 14. *cifixus est, et ego mundo;* et: *Omnes qui volunt pie vivere in Christo Jesu, persecutionem pa-*
II Tim. iii, 12. *tiuntur;* et: *Per multas tribulationes oportet*
Act. xiv, 21. *nos intrare in regnum Dei.* Sed et Joannes auctor hujus libri calicem Domini bibisse describitur, cum sine gladii peremptione quieverit.

(Vers. 12). *Et cum aperuisset sigillum sextum.* Sigilli sexti apertio ad Judæorum dejectionem, sicut diximus, et a gentium vocationem pertinet. Et quia Christus de Judæorum perditione et de gentium electione multa per parabolas est locutus, quædam etiam gessit, quæ hoc designaverunt; sextum sigillum aperuit, quando doctoribus Ecclesiæ ea quæ per figuras dixit et fecit, per inspirationis suæ gratiam patefecit. Aperuit etiam sextum sigillum, quando ea quæ prædixit, opere implevit. *Terræ motus factus est magnus.* Per terram in hoc loco Judæi designantur: terræ motus factus est magnus, quando a Romanis hæc gens est devastata. *Et sol factus est niger, sicut saccus cilicinus.* Per solem idem Judæorum populus designatur: sol igitur factus est niger, tamquam saccus cilicinus, quia populus Judæorum qui propter cognitionem unius Dei, et propter custodiam Legis, velut sol in mundo, refulgebat inter cæteras gentes, factus est omnibus hominibus odiosus propter iniquitates suas; sacco namque pœnitentes vestiuntur, ut indicent se esse peccatores. Sol ergo nigredinem sacci habuit, quia omnibus gentibus facinora Judæorum patuerunt. *Et luna facta est sicut sanguis.* Eamdem significationem habet luna, quam sol; significat namque Synagogam. Luna ergo speciem sanguinis habuisse visa est, quia omnibus claruit Judæos propter effusionem sanguinis Christi sanctorumque ejus esse deletos.

(Vers. 13). *Et stellæ ceciderunt super terram, sicut ficus mittit grossos suos, cum a vento magno movetur.* Per stellas principes sacerdotum designantur, scribæ et pharisæi: per ficum autem terram Judæorum possumus intelligere; grossi vero ejusdem arboris fructus inutiles vocantur, qui cito labuntur, cum arbor eadem vento concutitur. Ficus igitur vento commota est, et inutiles fructus a se emisit; quia terra Judæorum a Romanis invasa est, et gentem inutilem, et Deo odibilem a se expulit, ut habitatio fieret fidelium. Stellæ itaque grossorum more in terram ceciderunt, quia eos qui per doctrinam Legis velut stellæ in populo refulgebant, eadem pœna conclusit, quæ et cæteram multitudinem.

(Vers. 14). *Et cœlum recessit, sicut liber involutus.* Per cœlum vetus Testamentum designatur: liber vero quando involvitur, ejus scriptura ab oculis intuentium absconditur. Liber ergo Judæis involutus est, quia spiritalem intelligentiam in veteri Testamento, quæ Christum demonstrabat, intelligere noluerunt. Cœlum itaque sicut liber involutus recessit, quia vetus Testamentum Judæos dereliquit, et ad gentes transivit. *Et omnis mons et insulæ de locis suis motæ sunt.* Et quia Judæorum terra montuosa est, possumus per montes eos qui in civitatibus, per insulas autem eos qui in campestribus habitabant, intelligere. Qui de locis suis moti sunt, quia omnes aut exterminati, aut in captivitatem ducti sunt.

(Vers. 15, 16, 17). *Et reges terræ, et principes, et tribuni, et divites, et fortes, et omnis servus et liber absconderunt se in speluncis, et in petris montium, et dicunt montibus: Cadite super nos, et abscondite nos a facie Sedentis super thronum, et ab ira Agni: quoniam venit dies magnus iræ ipsorum, et quis poterit stare?* Per reges terræ principes et tribunos, eos qui hanc gentem regere videbantur, possumus intelligere: per divites et fortes, servos et liberos, cæteram multitudinem. Qualiter autem se in speluncis et petris montium absconderunt, Josephus manifeste narrat, qui eversionem Hierusalem describit. Tanta enim fuit afflictio, ut cum fame diutina consumerentur, et ab hostibus exterius, et multo deterius a

Joseph. lib. vi *de bello Judaico*, c. 11 et seq.

[1] *Quicumque inebriari* usque ad *qui equum* e mss. restituitur.

[2] Ita mss.; editt. autem, *stolis animæ beatitudinis æternæ perfruuntur.*

prædonibus intrinsecus affligerentur; absconderint se in puteis et cloacis, et in quibusdam terræ abditis locis, cupientes mori, ut prolixam miseriam mortis compendio terminarent. Qui etiam scientes se pro sceleribus suis ista pati, et post mortem se inferni pœnas esse passuros, cupiebant ut montibus, sub quibus delitescebant, opprimerentur, et absconderentur a facie Dei et a facie Christi ejus, quem graviter noverant se offendisse. Nam et Dominus cum ad passionem duceretur, hoc eos esse passuros mulieribus se lamentantibus prædixit, dicens: *Filiæ Hierusalem, nolite flere super me, sed super vos ipsas flete, et super filios vestros, quia ecce venient dies quando dicent: Beatæ steriles, quæ non genuerunt, et ubera quæ non lactaverunt! Tunc incipient dicere montibus: Cadite super nos; et collibus: Cooperite nos. Quia si in viridi ligno hæc faciunt, in arido quid fiet?* Se viride lignum, illos vero lignum aridum vocat; ac si dixisset: Si in me qui lignum sum[1] secundum humanitatem, viride autem secundum divinitatem, id est, qui Deus sum et homo, hæc faciunt; in illis qui lignum sunt aridum, id est, qui viriditatem fidei non habent, quid fiet? Subauditur, pessime peribunt. Sed et arbor fici quam Dominus ante passionem maledicendo aridam fecit, eo quod in ea fructum non reperisset, eosdem Judæos designavit, quos maledictione perpetua damnavit, eo quod in illis fructum fidei nullum reperisset.

Luc. XXIII, 28

Matth. XXI, 19.

CAPUT VII.

(Vers. 1). *Post hæc vidi quatuor angelos stantes super quatuor angulos terræ.* Judæorum dejectione præmissa, nunc qualiter Ecclesia ex gentibus congregata fuerit, narrare inchoat. Per quatuor quippe angelos quatuor regna designantur, Assyriorum scilicet, Persarum, Macedonum atque Romanorum. Sed quia potestas quatuor regnorum ad solos Romanos transierat, per quatuor angelos soli Romani intelliguntur, qui potestatem sibi quatuor regnorum vindicaverant: per quatuor vero angulos universæ gentes, quæ intra quatuor mundi plagas continentur, designantur, quas sibi Romani subjecerant. *Tenentes quatuor ventos terræ, ne flarent super terram, neque super mare, neque in ullam arborem.* Per ventos qui nubes excitant, ut terram irrigantes faciem ejus hilarem reddant, ac fructiferam faciant, pax cunctis mortalibus optata designatur, quæ et mentes hominum lætificat, et ut propriis utilitatibus deserviant, facultatem tribuit: per terram et mare omnes gentes figurantur: per arbores autem, ii qui inter eos principatum tenebant. Quatuor ergo angeli quatuor ventos tenebant, ne flarent super terram, quia Romani, qui per quatuor angelos designantur, omnem terram cædibus, et rapinis, et mortibus hominum replentes, non sinebant genus humanum pacatum esse ac quietum.

(Vers. 2). *Et vidi alterum angelum descendentem ab ortu solis, habentem signum Dei vivi.* Alter angelus Christus est, de quo scriptum est: *Et vocabitur nomen ejus magni consilii Angelus.* Ipse est sol, de quo scriptum est: *Vobis autem timentibus nomen meum orietur sol justitiæ, et sanitas in pennis ejus.* Ab ortu solis Christus descendit, id est, a semetipso; quoniam non ex concubitu viri carnem assumpsit, sed a semetipso, qui utique sibi carnem immaculatam ex carne Virginis creavit. Signum autem Dei vivi est divinitas: nam in carne positus, signum Dei vivi habuit; quia ea opera gessit, quæ demonstrabant eum unicum esse Filium Dei, sicut ipse dicit: *Opera quæ ego facio, ipsa testimonium perhibent de me.*

Isai. IX, 6.

Malach. IV, 2

Joan. X, 25

(Vers. 3). *Et clamavit voce magna quatuor angelis, quibus datum est nocere terræ et mari dicens: Nolite nocere terræ et mari neque arboribus, quoadusque signemus servos Dei nostri in frontibus eorum.* Clamasse Dei fecisse est: etenim adventu suo fecit ut Romani ab infestatione generis humani cessarent, fieretque pax per universum orbem, sicut dicit Psalmista: *Orietur in diebus ejus justitia et abundantia pacis*, donec semina fidei per universas gentes spargerentur, ac signaculo fidei ii qui præordinati erant ad vitam æternam, signarentur.

Ps. LXX, 7.

(Vers. 4). *Et audivi numerum signatorum, centum quadragintaquatuor millia signati ex omni tribu filiorum Israel.* Per centum quadragintaquatuor millia præsentis Ecclesiæ electi designantur; duodecies namque duodeni fiunt centum quadragintaquatuor. Omnes igitur qui fidem duodecim apostolorum custodiunt, actusque imitantur, in hoc numero consistunt. Sed quærendum nobis est, cur ex omni tribu filiorum Israel congregati esse dicantur, cum multo plures ex gentibus quam ex Judæis crediderint. Verum si interpretationes nominum attendimus, in nominibus[2] duodecim tribuum omnes electos reperiemus; nomina quippe duodecim tribuum ad omnes electos pertinent.

(Vers. 5-8). *Ex tribu Juda duodecim millia signati: ex tribu Ruben duodecim millia signati: ex tribu Gad duodecim millia signati: ex tribu Aser duodecim millia signati: ex tribu Nephthalim duodecim millia signati: ex tribu Manasse duodecim millia signati: ex tribu Simeon duodecim millia signati: ex tribu Levi duodecim millia signati: ex tribu Issachar duodecim millia signati: ex tribu Zabulon duodecim millia signati: ex tribu Joseph duodecim millia signati: ex tribu Benjamin duodecim millia signati.* Juda prior ponitur, Benjamin vero ultimus: quod si interpretationes nominum inspicere voluerimus, Judam inferiorem,[3] Benjamin vero superiorem reperimus; nam qui ad Deum conscendere desiderat, a minoribus incipit, ut gradatim crescendo ad majora perveniat, sicut dicit Psalmista: *Ibunt sancti de virtute in virtutem.* Et quia sancti ad Deum per iter virtutum conscendunt, subjungit: *Videbitur Deus deorum in Sion.* Juda confessio interpretatur. Juda ergo prior ponitur, quia quicumque post peccata ad Deum converti desiderat, necesse est ut prius confiteatur peccata sua, sicut dicit Jacobus apostolus: *Confitemini alterutrum peccata vestra, et orate pro invicem, ut salvemini;* videlicet ut per confessionem peccatorum et pœni-

Ps. LXXXIII, 8

Ibid.

Jacob. V, 16

[1] Omnes edit., *secundum humanitatem viride, hoc secundum divinitatem:* rectius mss. ut in contextu.

[2] Editt., *duodecim tribuum, omnes ad electos pertinet;* sed locum nobis mss. restituerunt.

[3] Ita mss.; editt. vero: *Judam inferiorem in pœnitentia: Benjamin vero superiorem reperimus in patria.*

tentiam Deum sibi placabilem faciat, quem offenderat. Et quia qui salubriter pœnitet, et deflet mala quæ fecit, gaudium in cœlo facit, oculos misericordiæ Dei ad se convertit, sicut dicit Dominus: *Convertimini ad me, et ego revertar ad vos.* (Zach. i, 3.) Ruben secundus ponitur, qui visionis filius interpretatur, quia per pœnitentiam visionis factus est filius, qui erat antea filius perditionis. Post Ruben Gad sequitur, qui accinctus interpretatur, quia necesse est, ut qui pœnitet se mala gessisse, et petit ne in eadem relabatur, contra omnia vitia armetur, voluptatesque carnales a se præcidat; quia non potest fieri ut a peccatis abstineat, qui in voluptatibus carnalibus requiescit.

Et quia qui contra vitia pugnat viriliter, jam beatus esse incipit, Aser in ordine ponitur,[1] qui beatus interpretatur. Post Aser Nephthalim ponitur, qui dilatatio mea interpretatur. Omnis enim qui scit se Deum offendisse, et vult ut ei misericordia divina succurrat, debet et ipse misereri quibuscumque potest, et quomodo potest, sicut dicit Dominus: *Beati misericordes, quoniam ipsi misericordiam consequentur.* (Matth. v, 7.) Illius quippe mens circumquaque dilatatur, qui per dilectionem quam proximis exhibere debet, omnibus quibuscumque potest, miseretur. Post Nephthalim Manasses sequitur, qui oblitus interpretatur, quia expedit ut qui peccata sua deflet, qui eleemosynas pauperibus largitur, ut peccata ejus dimittantur, eadem peccata ita deserat, quatenus ea penitus oblitus esse videatur.

Et ideo Simeon sequitur, qui exauditio interpretatur; ille enim pro malis quæ fecit, deprecans ut ei dimittantur, a Deo exauditur, qui omnia vitia ex toto deserit. Deinde Levi sequitur, qui additus sive assumptus interpretatur, quia qui de peccatis quæ fecit, jam pœnitentiam exercuit; qui contra vitia pugnavit, eaque devicit; qui erga indigentes misericors exstitit, atque his operibus hoc promeruit, ut ejus peccata dimitterentur, de venia jam securus, timorem ignis æterni a mente abjicit, atque in amorem Dei ac cœlestis patriæ totus assumitur, iisque additur, qui filii Dei nuncupatur et sunt. Sequitur Issachar, qui merces interpretatur: sed interpretationem hujus nominis clarius videbimus, si ea quæ mater Lia, eo nascente, dixit, ponamus; ait enim: *Reddidit Deus mercedem mihi, quia dedi ancillam meam viro meo.* (Gen. xxx, 18.) Et idcirco appellavit nomen ejus Issachar, id est, merces. Caro nostra ancilla nostra debet esse: vir noster Deus noster est. Ancillam vero nostram viro nostro damus, si carnem nostram Dei servitio mancipamus, si eam vigilare, jejunare, et abstinere compellimus, atque voluptates ejus edomamus. Issachar igitur Liæ in mercedem datus est a Deo, quia iis qui carnem domant, qui vitia exstinguunt, ea merces datur a Deo, ut virtutibus ditentur.

Et ideo post Issachar Zabulon ponitur, qui habitaculum fortitudinis interpretatur. Quis est autem fortis, nisi Deus? de quo Psalmista dicit: *Dominus fortis et potens, Dominus potens in prœlio.* (Psalm. xxiv, 8.) Et quod habitaculum fortitudinis, nisi habitatio Dei? In illo enim habitat Deus, in quo fides, patientia, castitas, humilitas, caritas cæteræque virtutes

A commorantur. Et quia per operationem virtutum augentur præmia meritorum, Joseph subsequitur, qui augmentum interpretatur. Benjamin ultimus, immo et superior ponitur, qui filius dextera interpretatur. Dextera namque Patris Filius dicitur; et Evangelium loquitur, quia sancti Dei ad dexteram Dei ponentur. Electi itaque filii dexteræ efficiuntur, cum ab hac vita subtracti, in cœlestibus sedibus collocantur; ubi nihil est sinistrum, sed totum dextera. Igitur quia interpretationes nominum duo- (Matth. xxv, 33.)
B decim tribuum usque ad eum finem perduximus, quo in cœlestibus sedibus collocantur, congruum est ut ea quæ sequuntur, ad glorificationem animarum sanctarum transferamus.

(Vers. 9, 10). *Post hæc vidi turbam magnam, quam dinumerare nemo poterat, ex omnibus gentibus, et tribubus, et populis, et linguis, stantes ante thronum,*[2] *et in conspectu Agni.... Et clamabant voce magna, dicentes: Salus Deo nostro, qui sedet super thronum, et Agno.* Per turbam
C superiorem, quæ numero comprehenditur, electi qui in Ecclesia Dei singulis temporibus laborant, designantur, sicut jam diximus. Et quia multi sunt vocati, pauci vero electi, et in comparatione re- (Matth. xx, 6.)
proborum exigua est turba electorum, non immerito numero centum quadraginta quatuor millium, electi qui singulis temporibus in Ecclesia Dei laborant, designantur: in cœlesti vero beatitudine, ubi singulis temporibus ex omnibus gentibus, tribubus et linguis congregantur, tanta eorum effi-
D citur multitudo, ut nullo numero comprehendi possit. Per stolas autem albas munditia animarum designatur: palmæ vero in signum victoriæ ponuntur. Palmas igitur non solum sancti martyres quibus victoria specialiter ascribitur, sed et omnes electi, qui in hoc sæculo positi contra visibiles et invisibiles hostes fortiter dimicarunt, in cœlesti beatitudine possident. Palmæ autem præmia sunt victoriæ sanctorum, qui et voce magna clamare dicuntur: *Salus Deo nostro, qui sedet super thro-*
E *num, et Agno.* Sancti Dei numquam cessant a laudibus Dei, nec tamen labor est in laudando Deum, quia sicut dulcis est sanctis visio Dei, sic et laus Dei.

(Vers. 11, 12). *Et omnes angeli stabant in circuitu throni, et seniorum, et quatuor animalium, et ceciderunt in medio throni in facies suas, et adoraverunt Deum, dicentes: Amen, benedictio, et claritas, et sapientia, et gratiarum actio, honor, et virtus, et fortitudo Deo nostro*
F *in sæcula sæculorum, amen.* Superius millia millium angelorum in circuitu throni Deum laudare dicuntur: hic autem nullo numero comprehenduntur, sed omnes in circuitu throni stare dicuntur. Possumus per superiores angelos, qui numero comprehenduntur, eos intelligere qui ad diversa officia in mundo destinantur: eos autem qui sine numero ponuntur, illos qui in cœlestibus cum Domino conversantur. Sed et hic septem benedictiones ponuntur, sicut superius, ut demonstret eodem modo et istos
G benedicere Deum, qui mundum sua gubernatione tuentur, sicut et illos qui in cœlestibus cum Domino commorantur.

(Vers. 13, 14). *Et respondens unus de senio-*

[1] Editt., *qui beatitudo interpretatur. Sequitur Nephthali, qui dilatatio,* etc.; mss. vero, ut nos in textu.

[2] Ita mss. ac Gill. edit.; at Rom. e contrario post vocem *Agni* addidit: *amicti stolis albis, et palmæ in manibus eorum.* Post vocem vero *dicentes* resecavit *Salus Deo nostro.... et Agno.*

ribus dixit mihi: Ii qui amicti sunt stolis albis, qui sunt et unde venerunt? Et dixi illi: Domine mi, tu scis. Interrogat, ut doceat; per seniorem namque doctores Ecclesiæ: per Joannem vero auditores intelliguntur. Nam prædicatores sancti gloriam animarum sanctarum quibuscumque modis possunt, intimant auditoribus suis, ut mentes eorum ad amorem cœlestis patriæ accendant. *Et dixit mihi: Ii sunt qui venerunt ex magna tribulatione; et laverunt stolas suas, et dealbaverunt eas in sanguine Agni.* Hic demonstrat non ad electos, qui in hac vita laborant; sed ad eos qui in cœlesti vita cum Domino requiescunt, hæc pertinere. Non enim sancti de magna tribulatione, sed ad magnas tribulationes perferendas in mundum veniunt,[1] sicut dicit Salomon: *Homo ad laborem*
Job. v, 7. *nascitur, et avis ad volatum.* Et Dominus dicit in Evangelio: *Beati qui persecutionem patiuntur propter justitiam; quoniam ipsorum est regnum*
Matth. v, 10. *cœlorum.* Et Paulus dicit: *Per multas tribula-*
Act. xiv, 21. *tiones oportet nos intrare in regnum cœlorum;* hic enim tempus est tribulationis, illic tempus pacis. Sancti itaque de magna tribulatione veniunt, qui ab hac vita subtracti, ubi tempus tribulationis est, in æterna quiete collocantur. Laverunt autem stolas suas, quia animas suas, in hac vita positi, ab omnibus sordibus peccatorum mundaverunt: primo quidem per baptismum; postea vero per pœnitentiam et lacrymas, ac misericordiæ opera, et in cæteris bonis operibus. Quæ etiam in sanguine Agni dealbatæ fuisse dicuntur, quia animæ electorum, quæ antea erant nigredine peccatorum involutæ, per redemptionem sanguinis Christi candorem munditiæ assumpserunt.

(Vers. 15). *Ideo sunt ante thronum Dei, et serviunt ei die ac nocte in templo ejus.* In conspectu namque Dei sancti Dei assistunt, ac visione ejus indesinenter perfruuntur. Templum vero Dei cœlestem patriam, servitium Dei amorem Dei vocat. Quod enim servitium tam acceptabile Deo, quam ut diligatur ex toto corde, totaque virtute? Et quis ita ardenter diligit Deum, sicut illi qui assidue contemplantur faciem ejus? *Et qui sedet super thronum, habitat super illos.* Thronus Dei sancti Dei sunt, sicut superius diximus. Qui ergo designantur per thronum Dei, ipsi sunt super quos habitat Deus: habitat vero super sanctos suos Deus, cum eos suo lumine illuminat, circumdat et tuetur.

(Vers. 16). *Non esurient, neque sitient amplius.* Cum Dominus dicat in Evangelio: *Beati qui esuriunt et sitiunt justitiam; quoniam ipsi satu-*
Matth. v, 6. *rabuntur;* cur hic sancti Dei numquam esurire dicuntur? Sed sicut superius diximus, non ad electos, qui in hac vita[2] commorantur: sed ad eos qui in cœlesti beatitudine cum Deo exultant, hoc pertinere credendum est. Justi namque in hac vita positi, videntes hominum injustitias, esuriunt et sitiunt justitiam, cupientes omnes homines justos esse, sicut ipsi sunt. Esuriunt et sitiunt etiam, ut sua justitia quotidie crescat; esuriunt et sitiunt vitam æternam. Animæ vero sanctorum non esurient neque sitient amplius,[3] quia quod esurierunt, jam percipere meruerunt. *Et non cadet super eos sol, neque ullus æstus.* Per solem tribulationes quas sancti ab hominibus perferunt, possumus intelligere: per æstum tentationes dæmonum, sive voluptates carnales. Et quia sancti in hac vita positi persecutiones iniquorum hominum tolerando vicerunt, tentationes dæmonum superaverunt, desideria carnalia in se exstinxerunt, in cœlesti beatitudine positi, nullum laborem in perpetuum sentiunt.

(Vers. 17). *Quoniam Agnus, qui in medio throni est, reget illos.* Regit Deus sanctos suos, cum voluntates eorum ita disponit, ut nihil velle possint, nisi quod Deus vult. *Et deducet eos ad vitæ fontes aquarum.* Vitæ fons Christus est, qui dicit: *Ego sum vita.* Quod enim sine illo est, mor- Joan. xiv, 6
tuum est: quod vero in illo est, vita est. Ad vitæ fontem Christus sanctos suos ducit, quia ad semetipsum eos ducit, ut sint unum cum illo. Per aquas eosdem sanctos possumus intelligere; ipse est quippe et fons aquarum, quia ab ipso procedit omnis sanctitas electorum, sicut ipse dixit: *Sine me nihil potestis facere.* Joan. xv, 5

Et absterget Deus omnem lacrymam ab oculis eorum. Quia tempus flendi hic fuit, tempus ridendi in illa beatitudine erit, sicut Dominus dicit: *Beati qui nunc lugent, quoniam ipsi consolabuntur.* Matth. v, 5

CAPUT VIII.

(Vers. 1). *Et cum aperuisset sigillum septimum.* Apertio septimi sigilli ad nativitatem Christi pertinet: sed quærendum nobis est cur in septimo, non in quinto loco ponatur. In Genesi scriptum est, quia sex diebus fecit Deus cuncta, quæ ex cœlo et terra originem sumpserunt, septimo autem requievit; et idcirco vocavit diem septimum sabbatum, id est, requiem. Quæ est autem requies Gen. ii, 2
nostra, nisi Christus? Non inconvenienter ergo in septimi sigilli apertione nativitas Christi ponitur: quia ipse est requies omnium sanctorum suorum, quæ per septimum diem figuratur. Et quia ea quæ in nativitate Christi gesta sunt, spiritalem intelligentiam obtinent; septimum sigillum Christus aperuit, cum ea quæ per significationem gesta sunt, doctoribus Ecclesiæ per inspirationem Spiritus sancti manifestavit. *Factum est silentium in cœlo quasi media hora.* Per silentium pax quæ ab Octaviano Augusto, Christo nascente, per universum orbem facta est, designatur. Media autem hora silentium factum est, quia pax quam Ecclesia in initio fidei apud paganos habuit, pauco tempore mansit; nam a Nerone imperatore interrupta est, et Petro Pauloque interfectis, præcepit omnes christianos persequi.

(Vers. 2). *Et vidi septem angelos stantes in conspectu Dei, et datæ sunt illi septem tubæ.* Ordo istorum septem angelorum in sequentibus est; nam sicut præco ante regem aut principem mittitur, qui ejus adventum annuntiet; ita et Joannes, quia magna erant quæ per angelos designabantur, eorum memoriam facere voluit, antequam ad eorum narrationem veniret.

(Vers. 3). *Et alius angelus venit, et stetit ante altare, habens thuribulum aureum*[4] *in manu sua:*

[1] Rom. edit., *sicut dicit Job.* Sed Auctoris lapsum cum mss. ac Gill. malumus retinere.

[2] Editt., *qui in hac vita sunt positi, loquitur: qui videntes:* lacuna vero suppleta est ex mss.

[3] Eædem edit., *quia esurierunt, jamque percipere vitam æternam, meruerunt:* mss. autem ut in contextu.

[4] Rom. edit. resecaverat *et data sunt ei.... ante Dominum:* vel ut Gill., *ante thronum.*

et data sunt ei incensa multa, ut daret de orationibus sanctorum omnium super altare aureum, quod est ante Dominum. Iste angelus Christum significat: venit autem, quia per incarnationis mysterium in mundo apparuit: per altare autem aureum Ecclesia designatur. Qui ante altare stetisse dicitur; jacebat namque Christus in incredulis, qui eum purum hominem æstimabant: stabat vero cum fidelibus, qui eum Deum verum esse credebant. Ante altare ergo stetit, quia apostolis et cæteris credentibus, ex quibus Ecclesia tunc constabat, quod Deus esset, manifestavit. Per thuribulum vero quod in manu tenebat, corda apostolorum cæterorumque fidelium demonstratur. Quod aureum fuisse dicitur, quia corda discipulorum per fidem purificata, et per sapientiam quam a Christo didicerant, erant inaurata. Quod thuribulum in manu tenuisse dicitur, quia corda apostolorum in manu Dei erant, sicut dicit Salomon: *Cor regis in manu*
Prov. xxi, 1. *Dei; quocumque voluerit inclinabit illud.* Numquid cor istius Salomonis in manu Dei erat, quando idola adorabat? Numquid cor Antiochi aut Herodis in manu Dei erat? Numquid corda regum sanctos Dei persequentium in manu Dei erant? In manu diaboli erant, qui ad quæcumque volebat facinora, ea inclinabat: corda vero regum spiritalium, id est, sanctorum in manu Dei sunt; et ideo quocumque voluerit, inclinabit ea.

Sequitur: *Et data sunt ei incensa multa.* Incensa multa præcepta sunt Evangelii; incensa enim in thuribulo ponuntur, ut calore ignis accepto, flagrantiam odoris sui circumquaque spargant: similiter et Christus doctrinam Evangelii in cordibus discipulorum suorum posuit, qui igne caritatis succensi, odorem fidei suæ per omnes gentes sparserunt. Unde et sequitur: *Ut daret de orationibus sanctorum omnium super altare aureum, quod est in conspectu Dei.* Genera orationum plura sunt; orant namque fideles verbis, Deum deprecantes, ut dimittantur eis omnia peccata eorum: orant et eleemosynas largiendo, sicut dicit Dominus in Evangelio: *Date eleemosynam, et ecce omnia*
Luc. xi, 42. *munda sunt vobis.* Et in alio loco scriptum est: *Sicut aqua exstinguit ignem, ita eleemosyna ex-*
Eccl. iii, 33 *stinguit peccatum.* Orant etiam dimittendo proximis quæ in eis deliquerunt, sicut Dominus dicit in Evangelio: *Si remiseritis hominibus peccata eorum, et Pater vester cœlestis dimittet vobis*
Matth. vi, 15. *peccata vestra.* Orant nihilominus et præcepta caritatis servando, quemadmodum scriptum est, quia
Jacob. v, 20. universa delicta operit caritas. Ille igitur salubriter orat Deum, qui servat mandata Dei; nihil enim prodest nobis clementiam Dei verbis implorare, et operibus irritare. Super altare ergo aureum de orationibus sanctorum dedit Deus, quando super corda credentium fidem, doctrinam, actusque apostolorum, cæterorumque prædicatorum posuit, ut haberent unde erudirentur et quod imitarentur.

(Vers. 4). Unde et sequitur: *Et ascendit fumus aromatum de orationibus sanctorum, de manu angeli in conspectu Dei.* Per fumum aromatum non solum orationes fidelium, sed et flagrantia bonorum operum designatur, quæ ab Ecclesia indesinenter ascendit in conspectu Dei. Qui fumus de
A manu angeli conscendere dicitur, quia quidquid boni fideles faciunt, operante Deo faciunt, sicut dicit ipse: *Sine me nihil potestis facere.* Joan. xv.

(Vers. 5). *Et accepit angelus thuribulum, et implevit illud de igne altaris, et misit in terram. Et facta sunt*[1] *fulgura, voces, et tonitrua, et* 1
terræ motus. Per ignem Spiritus sanctus designatur: angelus itaque, id est, Christus thuribulum, id est, corda discipulorum, de igne altaris, id est, de Spiritu sancto implevit, quando post ascensionum
B suam in cœlum, decimo die Spiritu sancto misso de cœlo, corda discipulorum implevit, ac scientiam omnium linguarum dedit. Et si per altare Ecclesia designatur, cur Spiritus sanctus antequam daretur, ignis altaris esse dicitur, sicut idem Joannes dicit: *Nondum erat Spiritus datus, quia Jesus nondum fuerat glorificatus?* Sed Spiritus sanctus antequam daretur, ignis altaris erat, quia per remissionis gratiam jam eum Ecclesia possidebat. Nam Dominus ante passionem suam promisit se Spiritum
C sanctum daturum discipulis suis; et idem Joannes cum verba Caiphæ posuisset dicentis: *Expedit vobis, ut unus moriatur homo pro populo, et non tota gens pereat,* intulit dicens: *Hoc autem a semetipso non dixit, sed cum esset pontifex anni illius, prophetavit quia Jesus moriturus erat pro gente; et non tantum pro gente, sed ut filios Dei qui dispersi erant, congregaret in unum.* Joan. xi, 50-52.
Numquid ii qui in Christum credituri erant, qui per universas gentes dispersi idolis serviebant, filii
D Dei erant? Erant itaque jam filii Dei per prædestinationem, quia jam prædestinati erant ad vitam æternam. Congregati sunt vero postea in unum, quando per fidem, quam in baptismate susceperunt, corpori Ecclesiæ sunt sociati. Misit ergo angelus ignem, quem in thuribulo posuerat, in terram, quia doctrinam fidei, quam in cordibus apostolorum posuerat, per adventum Spiritus sancti in cordibus Judæorum, qui per incredulitatem terra erant, per ora apostolorum effudit.

E *Facta sunt fulgura, voces, et tonitrua, et terræ motus.* Per fulgura virtutes quæ per apostolos fiebant, per voces prædicatio, per tonitrua autem comminatio ignis æterni designatur: per terræ motus vero conversionem Judæorum possumus intelligere; conversi sunt namque ad pœnitentiam per prædicationem beati Petri, sicut liber Actuum apostolorum narrat: *Iis,* inquit, *auditis, compuncti sunt corde, et dixerunt ad Petrum et ad reliquos apostolos: Viri fratres, quid faciemus? Osten-*
F *dite nobis.* Et in sequentibus scriptum est, quia Act. ii, 37.
ad hanc primam Petri prædicationem crediderunt ex illis tria millia, postea vero innumerabiles. Hunc ignem, id est, Spiritum sanctum, super nos qui terra sumus, misericordia Domini nostri Jesu Christi effundere dignetur, ut ex carnalibus spiritales[2] ef- 2
ficiamur, qui vivit et regnat in sæcula sæculorum, amen.

DE VISIONE QUARTA.

G Gratia Domini nostri Jesu Christi largiente, de apertionibus septem sigillorum pauca diximus: nunc de cantu tubarum septem angelorum, qui sequitur.

[1] *Et facta sunt.... et terræ motus,* in Rom. edit., *loco mota sunt.*

[2] Codex Gem., *efficiamur, ipso adjuvante, qui vivit et regnat cum Deo Patre in unitate Spiritus sancti per immortalia sæcula sæculorum, amen.*

aliqua proferamus. Per septem angelos, doctores, qui ad erudiendum populum Dei a Deo missi sunt, et mittentur usque ad finem, designantur. Et quia sacramenta divinarum Scripturarum doctoribus Ecclesia perspicacius, Deo inspirante, quam cæteris patuerunt, rationis ordo poscebat, ut post reserationem sigillorum quæ apertionem divinarum Scripturarum significat, septem angeli ponerentur, per quos omnes doctores populi Dei designantur, qui scientiam divinarum Scripturarum locupletius perceperunt. Et sicut omne corpus electorum in septem partes divisimus, ita et septem angeli tubis cecinisse visi sunt: per quos omnes doctores populi Dei designantur, quamvis ab eo ordine parumper discrepent. Nam superius per poderem,[1] quæ talaris est tunica, et prior in ornamentis Domini ponitur, ut et in sequentibus per primum cornu Agni, justos qui ante diluvium fuerunt, diximus fuisse designatos: per zonam vero auream in corpore Christi, et per secundum cornu patriarchas et ceteros qui ante Legem fuerunt: hic autem per primum angelum doctores qui ab initio mundi usque ad Legem fuerunt, per secundum doctores Legis designantur.

(Vers. 6). *Et septem angeli paraverunt se, ut tubis canerent.* Per tubæ cantum prædicatio designatur; prædicatores quippe sancti ad hoc semper parati existunt, ut quoscumque possunt, per doctrinam suæ prædicationis Deo acquirant.

(Vers. 7). *Et primus angelus tuba cecinit.* Per primum angelum, sicut jam diximus, prædicatores qui ante Legem fuerunt, designantur. Primus ergo angelus tuba cecinit, quia sancti viri qui ante Legem fuerunt, quamvis nullam legem haberent, nisi naturalem, hoc quibuscumque poterant,[2] suasisse credendi sunt, ut Deum creatorem suum timerent atque diligerent, et quod quis pati non vellet, alteri non faceret. *Et facta est grando et ignis, mixta sanguine, et missum est in terram.* Ea quæ septem angelis tubis canentibus facta fuisse visa sunt, in bonam partem, sicut mihi videtur, accipienda sunt: sicut e contrario effusio phialarum septem angelorum, quæ sequitur, in malam. Per grandinem igitur quæ percutit, verba sanctorum virorum, quæ corda pravorum hominum arguendo percutiebant, designantur. Quæ ignem et sanguinem permixtum habuisse describitur: per ignem Spiritus sanctus designatur, qui in sanctis inhabitans suis, minister verborum eorum exstitit: per sanguinem vero Christus intelligitur, qui et a Patribus sæpe prædictus est, et eorum actibus præfiguratus: terra autem sæculi homines peccato subditos demonstrat.

Et tertia pars terræ combusta est.... et omne fœnum viride combustum est. Per tertiam partem terræ eos, qui per doctrinam et exempla bonorum hominum salvi facti sunt, debemus intelligere: qui igne timoris Dei atque amoris quidquid pravi in se fuit, combusserunt atque deleverunt. Arbores vero illos, qui principatum inter eos tenuerunt, significant: ex quibus multi per doctrinam et exempla bonorum hominum salvi facti sunt, sicut Abimelech per Abraham et per Job tres amici ejus. Per fenum autem viride, quod omne combustum esse dicitur, ii designantur, qui et superius per tertiam partem terræ et arborum quæ combusta est, id est, electi, qui eo tempore fuerunt; fenum namque viride difficile accenditur, aridum vero facile consumitur. Per fenum vero viride electi, per aridum autem reprobi designantur. De hoc arido feno propheta dicit:[3] *Vere fenum est populus. Exsiccatum est fenum, et cecidit flos: verbum autem Domini manet in æternum;* per fenum igitur viride, ii qui fide erant viridi designantur, qui omne quod in se reprobum fuit, igne caritatis combusserunt.

Gen. xx, 17. Job xlii, 8. Isai. xl, 7

(Vers. 8). *Et secundus angelus tuba cecinit.* Per secundum angelum Moyses et cæteri Legis doctores designantur. *Et ecce tamquam mons magnus igne ardens, missus est in mare.* Per montem magnum lex Moysi designatur, quæ propter gravitatem ponderis sui monti assimilatur; et propter spiritalem intelligentiam, quæ in Lege refulgebat, igne ardere dicitur. Ipse vero hebraicus populus propter magnitudinem scelerum per mare designatur.

(Vers. 9). *Et facta est tertia pars maris sanguis, et mortua est tertia pars creaturæ, quæ habebat animas in mari, et tertia pars navium interiit.* Omnis remissio in Lege sanguinis effusione atque aspersione fiebat; unde et Moyses populum sanguine aspersit, dicens: *Hic est sanguis Testamenti, quod mandavit ad vos Deus.* Sed et Aaron et filios ejus, ut mundi efficerentur ad offerendas hostias Deo, idem Moyses sanguine aspersit, nec sine sanguinis effusione remissio esse poterat. Per tertiam ergo partem maris electi qui eo tempore fuerunt, designantur: per sanguinem vero in hoc loco remissionem peccatorum possumus accipere. Tertia igitur pars maris in sanguinem versa est, quia electi qui eo tempore fuerunt per observationem Legis a peccatis suis emundari meruerunt. Tertia vero pars creaturæ, quæ habebat animas in mari, et mortua fuisse dicitur, eamdem significationem habet, quam et tertia pars maris quæ in sanguinem versa est. Per mare autem, sicut jam diximus, multitudo peccatorum designatur: pisces vero cum ab aquis subtrahuntur, animas amittunt. Electi ergo quamdiu in aquis vitiorum suorum versantur, animas marinas habent, peccatorum videlicet tenebris involutas; cum vero aut per baptismum, aut pœnitentiam ab aquis vitiorum extrahuntur, animas pristinas quasi amittunt, cum ex malis boni efficiuntur, moriunturque diabolo, ut vivant Deo. Tertia igitur pars piscium animas amiserunt, quia electi qui eo tempore fuerunt, per observationem Legis mortui sunt peccato, et cœperunt vivere Deo. Per naves autem, quæ aquas sub se habent, illisque supereminent, principes gentis illius designantur. Tertia vero pars quæ interiit, eos designat, qui ex eis justi fuerunt juxta illum sensum, quem diximus: eo quod interierint et mortui sint peccato, et vixerint Deo.

Hebr. ix, 20 Exod. xxiv, 8.

(Vers. 10). *Et tertius angelus tuba cecinit, et cecidit de cœlo stella ardens tamquam facula.* Eamdem significationem habet stella quam et angelus; significat namque prophetas: sed quærendum nobis est, quomodo de cœlo in terram cecidisse dicatur. Sancti in cœlo quodammodo conscendunt, cum eos amor divinus ad cœlestia contemplanda

[1] *Quæ talaris est tunica,* deest in mss.

[2] Editt., *suasisse conati sunt;* mss., *suasisse credendi sunt.*

[3] Ita mss.; editt. vero, *est populus. Per fenum igitur viride, ii qui fideles erant viri, designantur.*

elevat: cadunt in terram, cum eos amor proximorum ad ima retrahit; ut prædicatione sua peccantes ad viam veritatis reducant; facula vero accenditur, ut tenebras noctis depellat. Verba igitur prophetarum faculæ fuerunt, quia tenebras peccatorum a mentibus hominum fugaverunt. Possumus etiam per ignem faculæ Spiritum sanctum intelligere, quo inflammati prophetæ, et multos ab iniquitatibus correxerunt, et quæ ventura erant, prædixerunt. *Et cecidit in tertiam partem fluminum, et in fontes aquarum.* Per flumina et fontes duodecim tribus cum suis familiis designantur: per tertiam vero partem ii, qui ex eis ad vitam æternam præscripti erant, figurantur. Cecidit ergo stella in tertiam partem fluminum, quia illi doctrinam prophetarum acceperunt, et in cordibus suis plantaverunt, qui ad vitam æternam prædestinati erant.

(Vers. 11). *Et nomen stellæ dicitur absinthium.* Absinthium valde est amarum: per absinthium igitur comminationes prophetarum designantur, quas populo peccanti ingerebant, prædicentes eis quod nisi pœnitentiam agerent, in prædam et in captivitatem hostibus suis darentur; et quod si nec sic pœniterent, morte perpetua damnarentur. *Et facta est tertia pars aquarum in absinthium.* Illi amaritudinem pœnitentiæ per comminationes prophetarum assumpserunt, quos superius per tertiam partem aquarum diximus fuisse designatos, id est, electi. *Et multi homines mortui sunt de aquis, quia amaræ factæ sunt.* Illis namque amaritudo pœnitentiæ mortem intulit, qui salvi esse meruerunt; mortui sunt enim secundum id quod mali erant, et vixerunt secundum id quod boni esse cœperunt.

(Vers. 12). *Et quartus angelus tuba cecinit.* Quartus angelus Christum et apostolos ejus significat. *Et percussa est tertia pars solis, et tertia pars lunæ, et tertia pars stellarum; ut obscuraretur tertia pars eorum, et diei non luceret tertia pars, et noctis similiter.* Sol, luna, et stellæ ad unam rem pertinent: nam per solem populus Judæorum, per lunam vero Synagoga, per stellas autem principes sacerdotum et pharisæi designantur. Sed si obscurationem solis et lunæ atque stellarum ad eos, qui in Christum noluerunt credere, transferre voluerimus, ordo superior perturbabitur. Superius enim combustionem terræ tertiæ partis, quæ sub cantu tubæ primi angeli facta esse dicitur, conversionem tertiæ partis maris in sanguinem, quæ sub cantu tubæ secundi angeli facta fuisse visa est, conversionem nihilominus tertiæ partis aquarum in absinthium, quæ sub cantu tubæ tertii angeli facta fuisse legitur, in bonam partem accipiendam esse demonstravimus; ideoque ad electos pertinere. Consequens est ergo ut percussionem solis et lunæ atque stellarum in bonam partem interpretemur. Per tertiam itaque partem solis, quæ percussa, id est, obscurata est, ii qui ex populo Judæorum in Christum crediderunt, designantur; obscurati sunt namque impiis Judæis, sed refulserunt in conspectu Dei. Similiter et per tertiam partem lunæ atque stellarum quæ obscurata est, ii qui ex archisynagogis atque sacerdotibus et ex pharisæis in Christum crediderunt, designantur; quia et ipsi propter lumen verum, id est, Christum, quem perceperunt, obscurati sunt eis, quorum mentis oculos diabolus obcæcaverat, ne in Christum crederent; nam claritas solis lippientes oculos obcæcat magis, quam illuminat. Possumus vero per tertiam partem diei apostolos, per tertiam autem partem noctis eos qui ex gentibus crediderunt, intelligere. Obscurati sunt namque eis apostoli, qui eorum doctrinam non solum spreverunt, sed etiam ipsos usquequaque persecuti sunt. De hac eorum obscuratione Dominus dicit: *Trademini autem a parentibus et fratribus et cognatis et amicis, et morte afficient ex vobis. Et eritis odio*[1] *omnibus hominibus propter nomen meum.* Luc. xxi, 16.

(Vers. 13). *Et vidi et audivi vocem unius aquilæ volantis per medium cœlum, dicentis voce magna: Væ, væ, væ, habitantibus in terra a vocibus trium angelorum, qui erant tuba canituri.* Per cœlum in hoc loco Ecclesia designatur; aquila vero Christum et apostolos ejus demonstrat. Aquila ergo per medium cœlum volabat et clamabat, quia Christus primum per Judæam, apostoli vero ejus per universas gentes Evangelium prædicaverunt: quas etiam persecutiones ab adversariis Ecclesiam esse passuram multis modis prædixerunt. Ideoque tria væ posuit, ex quibus primum ad hæreticos pertinet, qui Ecclesiam Dei multis modis impugnare conati sunt: secundum ad paganos, qui eamdem Ecclesiam Dei persecuti sunt, maximamque fidelium multitudinem interfecerunt: tertium ad antichristum qui populum Dei in fine mundi debellaturus est. Nec putare debemus quod tria væ ad electos pertineant, qui diversas calamitates ab impiis pertulerunt: sed potius ad eosdem impios, qui easdem calamitates intulerunt. Unde et, *Væ, væ, væ, habitantibus in terra* dicit; impii namque qui nihil aliud quam terram quærunt, habitatores terræ jure vocantur: justi autem qui cœlestia semper desiderant, cœli habitatores recte vocantur, sicut dicit apostolus Paulus: *Nostra autem conversatio in cœlis est.* Philip. iii, 20.

CAPUT IX.

(Vers. 1). *Et quintus angelus tuba cecinit.* Quintus angelus defensores Ecclesiæ orthodoxæ fidei designat: tuba cecinerunt, quando pro defensione fidei omnibus modis laboraverunt. *Et vidi stellam de cœlo cecidisse in terram.* Per stellam hæresiarchæ designantur, quia sicut stellæ in cælo refulgent, ita et isti antequam caderent, doctrina et sapientia refulgebant in Ecclesia. De cœlo in terram cecidit, quia ab Ecclesia præcisi, corpori reproborum, qui per terram designantur, sociati sunt. Sed quærendum nobis est, cur primum hæreticos, qui per stellam et locustas designati sunt, posuerit; et postea persecutores, qui designantur per equites loricatos, de quibus in sequentibus in cantu tubæ sexti angeli dicturus est. Quia antequam imperatores Romanorum Ecclesiam Dei persequi instituissent, hæretici esse cœperunt, sicut Nicolaus, qui temporibus apostolorum exstitit, et multi alii. *Et data est illi clavis putei abyssi.* Per clavem liberum arbitrium hæreticorum, quod habuerunt in malo, designatur; per abyssum vero corda eorum; per puteum autem eorum ora designantur. Data est igitur hæreticis clavis putei abyssi, quia per- Act v., 5.

[1] *Et eritis odio.... propter nomen meum,* ex omnibus mss. restituitur.

misit Deus hæreses esse, sicut dicit apostolus Paulus: *Oportet hæreses esse, ut qui probati sunt,*
I Cor. xi, 19. *manifesti fiant inter vos.*

(Vers. 2). *Et aperuit puteum abyssi.* Stella quæ de cœlo cecidit, puteum abyssi aperuit: quia hæretici ad proferenda mala, quæ in cordibus eorum latebant, ora sua aperuerunt. *Et ascendit fumus putei, sicut fumus fornacis magnæ.* Per fumum doctrina hæreticorum designatur, quia sicut fumus vento impulsus cito evanescit, ita et doctrina hæreticorum per doctrina sanctorum Patrum velut fumus evanuit: per fornacem vero sæpe corda impiorum designantur, sicut dicit propheta: *Velut*
Osee vii, 4. *clibanus ardens corda eorum.*

Et obscuratus est sol et aer de fumo putei. Per solem sæpe Christus intelligitur, in hoc autem loco membra ejusdem, id est, prædicatores sancti designati sunt: per aerem vero populus fidelis, qui eis subjectus erat. Sed quomodo electi obscurati sunt, quos pravitas hæretica decipere non valuit? Sed obscurati sunt eis, quos hæretici decipere potuerunt, qui et in sequentibus per locustas designantur: verum claritas eorum cæteris fidelibus latere non potuit, sicuti nec lucerna sub modio abscondi potest.

(Vers. 3). *Et de fumo exierunt locustæ in terram.* De fumo, id est, de doctrina eorum qui hæresiarchæ appellati sunt, magna multitudo hæreticorum generata est. In terram exierunt, quia a societate electorum separati, eis qui terra vocantur, id est, infidelibus conjuncti sunt. *Et data est illis potestas, sicut habent potestatem scorpiones terræ.* Sæpe Deus dicitur dedisse quod permittit: permittit enim Deus impiis male agere, ut ex eorum malis bona operetur. Per scorpiones vero possumus dæmones accipere, quia sicut scorpiones dum non prævidentur, corpora hominum suo veneno inficiunt et exstinguunt, ita et dæmones incautis hominibus venena malarum persuasionum ingerunt, et dum ad perpetranda scelera pertrahunt, eorum animas veneno suæ malitiæ infectas occidunt. Potestas ergo locustarum, id est, hæreticorum, similis est potestati scorpionum, id est, dæmonum, quia sicut dæmones in hoc semper insistunt, ut quoscumque possunt decipiant, ita et hæretici tota virtute laborabant, ut quoscumque possent, in foveam suæ perditionis demergerent.

(Vers. 4). *Et præceptum est illis, ne læderent fenum terræ; neque omne viride, neque omnem arborem.* Quod significat fenum terræ, hoc et omne
Sup. cap. 8. viride: nam sicut superius sub cantu tubæ primi angeli per omne fenum viride, quod combustum esse dicitur, electi qui primis temporibus fuerunt, designantur; ita et hic per fenum terræ, et omne viride fidelis populus est designatus: per arbores vero doctores Ecclesiæ designantur. Prohibiti sunt ergo hæretici, ne læderent fenum terræ, neque omne viride, neque omnem arborem; quia non permisit Deus, ut eos qui viriditatem fidei habebant, id est, qui fidem quam profitebantur, operibus implebant, neque sanctos prædicatores, qui non erant spinæ vel tribuli, ex quibus neque uvæ, neque ficus colliguntur; sed potius arbores bonorum operum fructus ferentes, ex quibus fideles populi reficiebantur, hæretici deciperent; unde et sequitur:

A *Nisi homines, qui non habent signum Dei in frontibus suis.* Quid est autem signum Dei, nisi caritas, de qua idem Joannes loquitur, dicens: *Deus caritas est?* Possumus vero per frontes, I Joan. iv, 8.
quæ qualitates mentium sæpissime demonstrant, corda reproborum intelligere. Illi ergo facile ab hæreticis decipiebantur, qui signum Dei vivi, id est, caritatem in cordibus suis non habebant.

(Vers. 5). *Et præceptum est illis, ne occiderent eos.* Quod dicit, *præceptum est illis,* videtur
B mihi ad dæmones pertinere: tanta est enim nequitia dæmonum, ut si hoc Deus permisisset, statim ut homo mortale facinus admisisset, eum interficerent: sed exspectat Deus homines impios, ut aliquando per pœnitentiam ad eum redeant et salventur, sive ut justi per eos probentur. Nam et Psalmista, cum de impiis loqueretur, precabatur dicens: *Ne occidas eos, ne quando obliviscantur*
populi mei. Et in Judicum libro scriptum est, quia Ps. lviii, 12.
dimisit Deus Chananæos et Philistæos, ut in eis
C experiretur Israel, et haberet scientiam certandi cum hostibus. Præcepit ergo Deus, id est, Jud. iii, 1, 2.
non permisit ut exterminarentur, sive omnes hæretici, sive omnes impii, ut haberent justi per quos probarentur, sicut aurum quod probatur per ignem.

Unde et sequitur: *Sed ut cruciarentur mensibus quinque.* Per menses quinque omne tempus vitæ præsentis, quod in quinque ætatibus consistit, possumus intelligere. Prima namque ætas est in-
D fantia, secunda pueritia, tertia adolescentia, quarta juventus, quinta senectus; quamvis beatus Gregorius, ut cum sex ætatibus mundi ætates hominum conformaret, senectutem in duas partes diviserit.[1] 1
In quinque ergo mensibus, id est, in omni tempore vitæ præsentis non solum hæretici, sed et omnes impii cruciantur. Nam velint nolint, cum ad memoriam mortem pœnamque quæ mortem sequitur, reducunt; quamvis de prosperitatibus sæculi videantur exsultare, cruciantur tamen intrin-
E secus, eo quod sciant se pro sceleribus suis æternaliter esse cruciandos. E contrario justi, quamvis extrinsecus diversis modis affligantur; intrinsecus tamen de spe cœlestis gloriæ, ad quam se perventuros credunt, exsultant. Possumus etiam per quinque menses omne tempus hujus mundi intelligere: primus namque mensis est ab origine mundi usque ad diluvium; secundus a diluvio usque a Moysen; tertius a Moyse usque a David; quartus a David usque ad Christum; quintus a Christo usque ad
F consummationem sæculi. In iis ergo quinque mensibus omnes fabricatores errorum cruciantur, sive eo modo quo superius diximus, sive quod falsas adinventiones suas vident a veritate superari.

Et cruciatus eorum ut cruciatus scorpii, cum percutit hominem. Diximus superius per scorpiones dæmones esse designatos: nam sicut scorpio corpus aculeo vulnerat, ut per vulnus venenum intromittat, per quod hominem interficiat;[2] ita et dia- 2
bolus aut ira, aut superbia, aut libidine, aut aliqua
G delectatione carnali mentem vulnerat, ut per hoc venenum suæ malitiæ infundat, animamque interficiat. Cruciatus ergo locustarum similis esse cruciatui scorpii dicitur, quia hæretici imitantes patrem suum diabolum, per lenia verba atque composita

[1] *Quamvis beatus Gregorius.... diviserit,* communi omnium mss. auctoritate vindicatur.

[2] *Ita et diabolus.... animamque interficiat,* in codice Gem. desideratur.

mentes hominum imperitorum vulnerabant, venenumque sui erroris infundentes, eorum animas necabant. Possumus quippe per cruciatum animarum interfectionem intelligere.

(Vers. 6). *Et in diebus illis quærent homines mortem, et non invenient eam: et cupient mori, et fugiet mors ab eis.* Hæc sententia ad electos pertinet. *In diebus illis,* id est, in diebus quibus Evangelii gratia per universum mundum refulget, *quærent homines mortem.* Quærebat Paulus mortem persequendo Ecclesiam Dei, et non invenit eam, quia Christus qui est murus impenetrabilis, se illi objiciens, a morte quam quærebat, ad vitam, quæ est ipse, violenter reduxit. Fuerunt et alii multi, qui quæsierunt mortem aut Ecclesiam Dei persequendo, aut cætera mala exercendo: sed fugit mors ab ipsis, quia per prædicationem sanctorum ad vitam sunt revocati. Nos etiam quosdam vidimus, qui quæsierunt mortem, et non invenerunt eam; et cupierunt mori, et fugit mors ab eis. Scimus enim quosdam fuisse, qui amplius quam oportebat sæculum diligentes, multo tempore, multisque modis laborassent, ut divites fierent, cupientes de-
1 liciose vivere, et carnis suæ desideria perficere:[1] sed cum ad id quod optabant, pervenire non possent, respuentes sæculi falsa promissa, ad divitias cœlestes acquirendas se contulerunt, atque ad earum perceptionem, sicut credimus, bonis operibus insistendo, pervenire meruerunt. Vidimus nihilominus quosdam monasteria reliquisse, et ad sæculum transisse, et in servitio quorumdam hominum potentium se tradidisse, ut terrenas divitias atque possessiones, quas per se habere non poterant, eorum suffragiis obtinerent: sed cum ad id quod desiderabant, pervenire non possent, sæculum reliquisse, et ad monasteria sua rediisse, atque in bonis operibus vitam terminasse. Ii ergo quæsierunt mortem et non invenerunt eam; et cupierunt mori, et fugit mors ab eis. De talibus Dominus sub specie Hierusalem ad prophetam loquitur, dicens: *Ecce ego sepiam viam tuam spinis, et sepiam eam maceria, et semitas suas non inveniet. Et sequetur amatores suos, et non apprehendet eos:*
Osee II, 6. *quæret, et non inveniet eos.* Amatores nostri sunt desideria carnalia: amatores nostros sequimur, quando in hoc laboramus, ut divitiarum possessores efficiamur, ut habeamus unde desideria carnalia expleamus. Amatores nostros sequimur, et non apprehendimus, quando misericordia Dei impediente, ad hoc quod inutiliter desideramus, pervenire non possumus.

(Vers. 7). *Et similitudines locustarum similes equis paratis in prælium.* Per equos sæpe prædicatores sancti designantur, sicut Habacuc propheta in cantico suo loquitur, dicens: *Viam fe-*
Habac. III, 15. *cisti in mari equis tuis, in luto aquarum multarum.* Viam fecit Deus in mari equis suis, in luto aquarum multarum, quando initio fidei pacem mundo largitus est; ut apostoli ejus per universas gentes, quæ per mare et lutum designatæ sunt, possent discurrere, et semina fidei spargere. Equi ergo Dei ad prælium parabantur, quando prædicatores sancti et verbo et virtutibus ad hoc armabantur, ut genus humanum de potestate diaboli eruerent. Locustæ vero similes equis paratis in prælium esse dicuntur,

A quia sicut prædicatores sancti tota virtute laborabant, ut quoscumque possent, de laqueis diaboli eriperent; ita et hæretici ad hoc semper armabantur, ut quoscumque possent decipere, in barathrum suæ damnationis involverent. *Et super capita earum tamquam coronæ similes auro.* Sæpe per aurum sapientia designatur, sicut superius jam diximus: per coronas locustarum sapientia sæcularis ostenditur. Coronæ igitur locustarum aurum ipsæ non erant, sed similitudinem auri habebant,
B quia sapientia sæcularis, in qua hæretici maxime confidebant, aurum non erat, id est, sapientia; sed potius stultitia, sicut dicit apostolus Paulus: *Sapientia hujus sæculi stultitia est apud Deum.* I Cor III, 19

Et facies earum, sicut facies hominum. Homo rationale est animal; per faciem vero hominum divinarum Scripturarum scientiam intelligere possumus, quam hæretici habere studebant, ut per eam facilius simplices quosque deciperent. Locustæ igitur facies hominum habere videbantur; sed simi-
C litudo erat, non veritas; quia hæretici videbantur quidem scientiam habere divinarum Scripturarum: sed procul a veritate distabant, quia eam non recte intelligebant.

(Vers. 8). *Et habebant capillos sicut capillos mulierum.* Per capillos qui sine sensu præciduntur, possumus maximam multitudinem stultorum intelligere, qui ab hæreticis facile decipiebantur; quia sicut capilli absque injuria præciduntur, ita et isti ab Ecclesia sine aliquo dispendio præcisi sunt. Per
D mulieres vero diversas Ecclesias possumus intelligere. Habebant igitur locustæ capillos sicut capillos mulierum, quia sicut sanctæ Ecclesiæ Dei habebant turmas suas, quæ certis temporibus ad divina officia celebranda confluebant; ita et hæretici habebant populos insanos, qui in diversis locis conveniebant, non[2] ad mysteria divina, sed ad diabolica celebranda. *Et dentes earum sicut leonum erant.* Officium dentium est, ut quidquid intra se ceperint, terendo consumant, et in foveam
E ventris demergant. Possumus ergo per leones et dentes persecutores Ecclesiæ intelligere: per leones quidem principes; per dentes autem eos, qui eorum imperio sanctos Dei laniabant. Dentes igitur hæreticorum sicut leonum erant, quia sicut pagani Ecclesiam Dei persequebantur, et quoscumque poterant, terroribus atque cruciatibus in perditionis voraginem implicabant; ita et hæretici quosdam potentes homines sibi sociantes, Ecclesiam Dei persecuti sunt, multosque more dentium minis et impressionibus
F afflictos, in ventrem suæ malitiæ demerserunt.

(Vers. 9). *Et vox alarum earum, sicut vox equorum multorum currentium in bellum.* Possumus per alas verba hæreticorum intelligere, quia sicut alæ a terra aves sublevant, ita hæretici suis eloquiis extollebantur: per equos vero prædicatores designantur, sicut superius jam diximus. Vox igitur alarum locustarum erat sicut vox equorum multorum currentium in bellum; quia sicut prædicatores sancti voces prædicationum emittebant, cum
G pergerent ad bellum contra diabolum, ut genus humanum de potestate ejus liberarent; ita et hæretici circumquaque discurrebant, falsam doctrinam spargendo, ut quoscumque possent, deciperent, et diabolo subjugarent.

[1] Omnes edit., *ut carnis suæ desideria perficerent;* omnes mss, *ut divites fierent,* etc.

[2] Editt., *ad ministeria divina, sed ad diabolica officia:* mss. autem ut in contextu.

(Vers. 10). *Et habebant caudas similes scorpionum, et aculei erant in caudis earam.* Isaias propheta dicit quia propheta docens mendacium, cauda est. Hæretici ergo qui propter notitiam divinarum Scripturarum prophetas se esse æstimant, non inconvenienter caudis scorpionum assimilantur, quia eorum doctrina falsa erat et venenosa, unde et aculeos in caudis habuisse dicuntur. Per aculeos namque blasphemiæ, quas in divinis Scripturis intermiscebant, designantur. Et sicut scorpio innoxius esset, si aculeus deesset; ita et doctrina hæreticorum bona esset, si hanc blasphemiis non fœdarent. *Potestas earum nocere hominibus mensibus quinque.* Quid sint menses quinque superius dictum est.

Isai. IX, 15

(Vers. 11). *Et habebant super se regem angelum abyssi, cui nomen hebraice Abaddon, græce Apollyon, et latine habet nomen Exterminans.* Certum est omnibus hæreticorum principem esse diabolum, sicut Dominus dicit ad Job: *Ipse est enim rex super omnes filios superbiæ,* unde et exterminator vocatur, eo quod exterminator sit totius bonitatis.

Job XLI, 25

(Vers. 12, 13). *Væ unum abiit, et ecce veniunt adhuc duo væ. Et sextus angelus tuba cecinit.* Per sextum angelum martyres designantur: sextus angelus tuba cecinit, quia martyres Christi doctrinam fidei infidelibus propinaverunt. *Et audivi vocem unam ex cornibus altaris aurei, quod est in conspectu Domini, dicentem sexto angelo.* Per altare aureum, sicut superius jam diximus, Ecclesia designatur. Quatuor ergo cornua altaris quatuor evangelistas demonstrant: vocem ergo unam ex quatuor cornibus altaris aurei audisse se dicit; quia una est fides, una doctrina quam quatuor libri Evangeliorum docent.

(Vers. 14). Quid autem hæc vox sexto angelo dicat, manifestat subdendo: *Vade, et solve quatuor angelos, qui alligati sunt in flumine magno Euphrate.* Primum dicamus quid sint quatuor angeli, quid vincula, quid Euphrates; et postea cur sexto angelo præcipiat Evangelium, ut solvat quatuor angelos, diligentium investigabimus. Nam sicut superius in apertione sexti sigilli quatuor angeli super quatuor angulos terræ stetisse visi sunt, tenentes quatuor ventos terræ, ne flarent super terram, neque in ullam arborem; ita et hic sub cantu tubæ sexti angeli quatuor angeli in flumine magno Euphrate alligati esse referuntur. Eamdem ergo significationem habent quatuor angeli isti, quam et illi; significant enim quatuor regna, Assyriorum videlicet, Persarum, Macedonum atque Romanorum. Et quia potestas quatuor regnorum, sicut superius diximus, ad Romanos secesserat, per quatuor angelos in hoc loco Romani designantur; per Euphraten vero hic mundus intelligitur. Quid sint ergo vincula quatuor angelorum, superius manifestat; nam supra scriptum est, quia *vidit Joannes angelum descendisse de cœlo, habentem signum Dei vivi: et clamavit voce magna quatuor angelis, quibus datum est nocere terræ et mari, dicens: Nolite nocere terræ, et mari, neque arboribus, quoad usque signemus servos Dei nostri in frontibus eorum.* Per angelum qui habebat signum Dei vivi Christum diximus fuisse designatum: vincula igitur quatuor angelorum verba sunt Domini, non quod Dominus præceperit persecutoribus, ut a persecutione cessarent, donec semina fidei per omnes gentes spargerentur: sed quod potestate fecit, hoc dicitur verbis præcepisse. Romani namque ante adventum Christi a cædibus et rapinis atque effusione sanguinis generis humani[1] nullo modo satiari poterant. Veniens vero Christus in carne pacem mundo largitus est, et Romani qui ab effusione sanguinis generis humani manus cohibere non poterant, pace ligati sunt, atque ab effusione sanguinis prohibiti sunt. Præcepit ergo vox, quæ processit a quatuor cornibus altaris aurei, sexto angelo qui habebat tubam, ut solveret quatuor angelos, quia doctrina Evangelii hoc præcepit prædicatoribus verbi Dei, ut nullis minis, nullis terroribus hominum impiorum terreantur, ut cessent ab officio prædicationis, sicut Dominus dicit in Evangelio: *Nolite timere eos, qui occidunt corpus, animam autem non possunt occidere.* Imperatores quippe Romanorum et cæteri principes terræ, cum viderent religionem christianam quotidie augeri, et culturam idolorum evacuari, interminati sunt mortem omnibus qui Christum colerent aut prædicarent. Sextus ergo angelus, id est, martyres, quatuor angelos,[2] id est, persecutores suos quasi solverunt; cum propter insuperabilem evangelizandi constantiam ad persequendos eos se armaverunt.

Cap. 7.

Apoc. VII, 2, 3.

Matth. X, 28.

(Vers. 15). Unde et sequitur: *Et soluti sunt quatuor angeli, qui parati erant in horam, et diem, et mensem, et annum, ut interficerent tertiam partem hominum.* Soluti sunt quatuor angeli, quia impii homines, pace abjecta, manibusque solutis, quas pax alligaverat, persecuti sunt populum Dei. Quod autem dicit: *Parati erant,* impiorum hominum voluntatem demonstrat, quia antequam tempus persecutionis veniret, voto parati erant, ut populum Dei interficerent. Sane tertia pars hominum, ut superius dictum est, electos significat. Porro quod in horam et diem, et mensem, et annum, quatuor angeli, ut interficerent tertiam partem hominum parati esse dicuntur, possumus ad omnes impios, qui ab initio mundi fuerunt, et erunt usque in finem, referre. Per horam quippe tempus ab initio mundi usque ad diluvium; per diem autem tempus a diluvio usque ad Legem; per mensem vero tempus sub Lege; per annum autem tempus sub gratia designatur. In iis ergo quatuor temporibus semper reprobi persequuntur electos.

(Vers. 16). *Et numerus equestris exercitus vicies millies dena millia, audivi numerum eorum.* Qui designantur per quatuor angelos, ipsi et per equestrem exercitum, videlicet persecutores Ecclesiæ. Exercitus autem persecutorum equestris esse dicitur, quia sicut habet Deus equos suos, id est, sanctos prædicatores, qui eum per universum mundum deportaverunt; ita habet diabolus equos suos, id est, omnes impios, super quos sedet, et ad perpetranda diversa scelera impellit. Qui vicies millies dena millia esse dicuntur;[3] per finitum namque numerum persecutorum innumerabilis multitudo exprimitur.

[1] *Nullo modo satiari poterant.... generis humani,* isthæc omnia hæc edit. debet auctoritati mss.

[2] Editt., *id est, prædicatores suos;* rectius mss., *id est, persecutores suos.*

[3] Sic editt.; mss. vero, *per infinitum namque numerum.*

(Vers. 17). *Et ita vidi equos in visione: et qui sedebant super eos, habebant loricas igneas, et hyacinthinas, et sulphureas.* In hoc loco per equos insani populi, per sessores autem equorum principes terræ designantur: per loricas vero, quæ ictus gladiorum a se repellunt, duritia cordium reproborum designatur, quæ ad corda eorum gladium spiritus, quod est verbum Dei, accedere non sinit. Quæ loricæ igneæ, hyacinthinæ, et sulphureæ esse dicuntur. Per ignem plane crudelitas mentis persecutorum: per hyacinthum, qui cœli figuram habet, honor deitatis quem diis suis deferebant, designatur: per sulphur vero quod fetet, blasphemiæ quas in Christum proferebant, designantur. Persecutores igitur loricas igneas et hyacinthinas atque sulphureas habuisse dicuntur, quia partim propter incredulitatem mentis corda sua induraverant, ut non solum in Christum non crederent, sed etiam servos ejus persequerentur; partim propter defensionem falsorum deorum; partim propter blasphemias quas in Christum proferebant, dicentes eum magum fuisse et seductorem. *Et capita equorum erant tamquam capita leonum.* Per capita equorum imperatores Romanorum designantur, quia capita esse videbantur omnium persecutorum, qui etiam propter insatiabilem rabiem leonibus assimilantur. *Et de ore eorum procedit ignis et fumus et sulphur.* Per ignem impia præcepta imperatorum designantur, quibus populus Dei interfici jubebatur: per fumum vero honor deitatis, quem diis suis deferre jubebant. Et recte per fumum idololatriæ falsitas designatur, quia sicut fumus a facie venti evanescit, ita et cultura idolorum in conspectu prædicationis evangelicæ deperiit: per sulphur autem, sicut supra dictum est, blasphemiæ, quas Christo ingerebant, designantur.

(Vers. 18). *Ab his tribus plagis interfecta est tertia pars hominum;* id est, multitudo martyrum: *per ignem* videlicet, *fumum, ac sulphur, quæ procedebant de ore ipsorum.* Procedebat quippe ignis de ore ipsorum, id est, jussio impiissima, qua præcipiebant ut sancti Dei martyres interficerentur: procedebat et fumus, quia præcipiebant ut honor deitatis ab omnibus hominibus diis suis impenderetur: procedebat et sulphur, id est, blasphemiæ in Christum, præcipientes ut religio christiana funditus de mundo exstingueretur.

(Vers. 19). *Potestas enim equorum in ore ipsorum est, et in caudis eorum.* Superius capita equorum, ut leonum esse dicuntur: in ore vero leonum dentes consistunt, quibus conterunt et dilaniant omnia, quæ ceperint. Possumus itaque per dentes carnifices intelligere, qui in ore leonum, id est, in potestate persecutorum positi, eorum imperio diversis cruciatibus corpora sanctorum cruciabant. Corpora igitur sanctorum persecutores in ore, id est, in potestate habebant, sed animas non habebant, sicut Dominus dicit in Evangelio: *Nolite timere eos, qui occidunt corpus, animam*
Matth. x. 28. *autem non possunt occidere.* Et ideo potestas persecutorum tantummodo in ore erat, quia corpora sanctorum in potestate habebant, sed animas non habebant: occidere poterant, quos vincere non valebant. Per caudas vero philosophorum atque poetarum doctrina designatur. *Nam caudæ eorum similes serpentibus, habentes capita, et in iis nocent.* Recte doctrina philosophorum serpentibus assimilatur, quia plena erat venenis mendaciorum. Qui serpentes capita habere dicuntur, quia omnes errores gentilium proprios habebant auctores. Potestas ergo equorum in caudis eorum erat, quia persecutores Ecclesiæ per doctrinam philosophorum volebant evertere religionem christianam.

(Vers. 20, 21). *Et cæteri homines qui non sunt occisi in iis plagis, neque egerunt pœnitentiam ab operibus manuum suarum;*[1] *ut non adorarent dæmonia et simulacra aurea et argentea, et ærea, et lapidea, et lignea; quæ neque videre possunt, neque audire, neque ambulare: et non egerunt pœnitentiam ab homicidiis suis, neque a veneficiis suis, neque a fornicatione sua, neque a furtis suis;* subauditur, perierunt. Tertia igitur pars, quæ interfecta est, salva facta est, id est, electi, ex quibus multi pro Christi nomine interfecti sunt: reliqui libentissime occumberent, si necessitas exegisset. Cæteri vero, id est, pagani, qui in Christum credere noluerunt, ut agerent pœnitentiam ab iniquitatibus suis, perierunt.

CAPUT X.

(Vers. 1). *Et vidi alium angelum fortem descendentem de cœlo, amictum nube, et iris in capite ejus.* Quia superius adversitates Ecclesiæ narraverat, quæ ab hæreticis et paganis passa est; restat ut de prosperitate ejus, qualiter inter persecutiones creverit, narret. Constat namque Ecclesiam in persecutionibus crevisse, et quanto amplius opprimebatur, tanto amplius confortabatur, et crescebat: sicut de filiis Israel in figura ejusdem Ecclesiæ scriptum legimus, qui quanto amplius ab Ægyptiis opprimebantur, tanto amplius multiplicabantur. Angelus fortis Dominum nostrum Jesum Christum designat, de quo dicit Psalmista: *Dominus fortis et potens, Dominus potens in prælio.* Ps. xxiii, 8. Qui descendens de cœlo amictus nube esse dicitur, quia Dominus noster veniens in mundum, carnem quæ per nubem designata est, induit; ut per carnis assumptionem se hominibus conformaret, quos redimere veniebat. Per irim vero ejus misericordia designatur, sicut superius diximus: per caput autem ejus divinitas in hoc loco intelligitur. Irim in capite habebat, quia ejus divinitas ante incarnationem suam tantam misericordiam assumpserat, ut homo fieri pro hominibus non dedignaretur, et ad ultimum pessima morte damnari. *Et facies ejus erat sicut sol.* Sæpe per solem Dominus designatur, quia sol omnes creaturas visibiles suo splendore atque pulchritudine antecedit: sed quæ creatura poterit comparari suo creatori? Verum per figuras visibiles sæpe invisibilia demonstrantur. In corde igitur electorum Christus sol est, quem cernere per spem nullo modo desistunt, et ad hujus pulchritudinem intuendam perventuros esse se credunt. *Et pedes ejus tamquam columna ignis.* Per columnam ignis Ecclesiam possumus accipere:[2] sive quia Spiritu sancto ignita resplendet, sive quia amore Dei atque proximi indesinenter ardet. Per duos vero pedes duos populos intelligere debemus. Ex duobus ergo pedibus una columna efficitur;

[1] Ita mss.; editt. autem, *ut non adorarent idola aurea, et argentea, et aurea,* etc.

[2] In editt. deerant, *sive quia Spiritu sancto ignita resplendet, sive,* quæ restituuntur ex mss.

quia ex duobus populis, ex Judæis videlicet atque gentibus, una Ecclesia Dei fabricatur. Possumus etiam per duos pedes duo Testamenta intelligere, sicut in sequentibus plenius demonstrabimus. Nec discordat a sensu superiori, eo quod vetus Testamentum Judæis, novum autem gentibus specialiter traditum sit.

(Vers. 2). *Et habebat in manu sua libellum apertum.* Hic Liber superius septem sigillis signatus fuisse describitur; sed de ejus apertione, Domino largiente, aliqua diximus. Libellum igitur apertum in manu sua Dominus noster Jesus Christus tenere visus est, quia sensus divinarum Scripturarum doctoribus Ecclesiæ ipse aperuit. *Et posuit pedem suum dexterum super mare; sinistrum autem super terram.* Per pedem dextrum, sicut diximus, novum Testamentum: per sinistrum vetus designatur. Possumus autem per mare populum gentium intelligere propter profunditatem ignorantiæ atque errorem: per terram vero quæ excolitur, ut fructum ferat, Judæos qui excolebantur per disciplinam Legis, et fructum ferebant, cum præcepta legalia, quamvis carnaliter, implebant. Pedem ergo suum dextrum Dominus super mare posuit, quando specialius gentibus doctrinam Evangelii, quam Judæis tradidit, sicut Paulus eisdem Judæis loquitur, dicens: *Vobis oportebat primum loqui verbum Dei, sed quia repellitis illud, et indignos vos judicastis æternæ vitæ, ecce convertimur ad*
Act. xiii, 46. *gentes.* Pedem sinistrum super terram posuit, quando Legem Judæis specialiter tradidit. Sed nullum moveat, quod posteriora prius commemoraverit, et priora posterius; eo quod in divinis Scripturis hoc sæpe contingat. Ad quod comprobandum unum tantummodo exemplum proferamus. In psalmo cente-
Vers. 17. simo quinto, cum dixisset: *Aperta est terra, et deglutivit Dathan, et operuit super congregationem Abiron: et exarsit ignis in synagoga eorum, flamma combussit peccatores;* retro revertitur, et dicit: *Et fecerunt vitulum in Oreb, et adoraverunt sculptile:* nec inconvenienter per dextrum pedem novum Testamentum, per sinistrum autem vetus designatur, eo quod vetus Testamentem umbra fuerit novi Testamenti.

(Vers. 3). *Et clamavit, quemadmodum cum leo rugit.* Clamavit Christus per legem, sed non quemadmodum cum leo rugit, quia in una domo Israel vox ejus tantummodo audita est: clamavit postea per Evangelium, *quemadmodum cum leo rugit,* quia in omnem mundum vox ejus intonuit. *Et cum clamasset, locuta sunt septem tonitrua voces suas.* Per septem tonitrua septem virtutes possumus accipere. Clamavit Christus per Legem, sed septem tonitrua non sonuerunt: clamavit per Evangelium, et locuta sunt septem tonitrua voces suas. Nam illis quibus Lex dicebat: Maledictus qui non reliquerit semen suum in Israel; et quibus ob hoc plures uxores atque concubinas habere licitum erat, pudicitiæ tonitruum necdum sonuerat. Similiter et illi, quibus Lex dicebat: *Oculum pro oculo, dentem pro dente; et qualem inflixerit*
Exod. xxi, 24 *quis maculam, talem et sustinere cogatur;* necdum tonitruum patientiæ audierant. Et illi tonitruum caritatis necdum perfecte audierant, quibus Lex dicebat: *Diliges amicum tuum, et odio ha-*
Matth. v, 43. *bebis inimicum tuum.* Idem et de cæteris virtutibus intelligendum est. Septem ergo tonitrua locuta sunt quando per doctrinam Evangelii sublimitas virtutum cœpit demonstrari.

A (Vers. 4). *Et audivi vocem de cœlo dicentem mihi: Signa quæ locuta sunt septem tonitrua, et noli ea scribere.* Vox de cœlo vox est de Ecclesia; scribere vero est prædicare, quia sicut scriptor atramento in volumine scribit, unde legentes exercitentur; ita et quilibet doctor verba Dei scribit, cum ea prædicando in cordibus audientium plantat. Cur ergo per vocem quæ de cœlo sonuit, prohibitum est ne septem tonitrua scriberentur, in Actibus apostolorum, et in epistolis
B Pauli invenire possumus. In initio namque fidei prædicatores sancti videntes infirmitatem gentium ad fidem venientium, non sunt ausi eis austeriora Christi præcepta committere; ne forte duritia præceptorum territi, non auderent ad fidem Christi suscipiendam accedere, sicut Paulus apostolus discipulis suis scripsit, dicens: *Tamquam parvulis in Christo lac vobis potum dedi, non escam; nondum enim poteratis, sed nec adhuc quidem potestis; adhuc enim estis carnales.* Sed et apo- I Cor iii 2.
C stoli qui erant Hierosolymis, eis qui ex gentibus crediderant, mandaverunt, dicentes: *Placuit Spiritui sancto et nobis nihil imponere vobis oneris, nisi ut abstineatis vos ab escis, quæ idolis immolantur, et a fornicatione, et suffocato, et sanguine.* Vox ergo de cœlo Joanni loquitur, ne se- Act xv, 28
ptem tonitrua scriberet; quia apostoli qui per cœlum designantur, primis prædicatoribus præceperunt, ne noviter ad fidem venientes, subito ad celsitudinem virtutum conscendere cogerent, donec
D in fide confortati, jam ad operationem virtutum transire possent.

(Vers. 5, 6, 7). *Et angelus quem vidi stantem supra mare et super terram, cum levasset manum suam, et jurasset per viventem in æternum qui creavit cœlum, et ea quæ in eo sunt; et terram, et ea quæ in ea sunt: mare, et ea quæ in eo sunt; quia tempus amplius non erit, sed in diebus septimi angeli, cum cœperit tuba canere, consummabitur mysterium Dei, quod evangeli-*
E *zavit per servos suos prophetas.* Nos quando juramus, volumus ut firmum sit quod loquimur. Dixisse ergo Domini jurasse est, quia fieri non potest ut quod loquitur Deus, irritum fiat, sicut ipse dicit in Evangelio: *Cœlum et terra transibunt, verba autem mea non transibunt.* Cum igitur Christus Luc. xxi, 32
per viventem in æternum, et per eum qui fecit omnes creaturas juravit, per semetipsum juravit: Quia *omnia per ipsum facta sunt, et sine ipso factum est nihil.* Juravit autem non quibusdam Joan i, 3
F verbis semetipsum obligando; sed dicendo ea quæ ventura erant. Per septimum vero angelum prædicatores, qui in fine mundi futuri sunt, designantur, de quibus in sequentibus dicemus. Juravit ergo Christus, quod in diebus septimi angeli consummabitur mysterium Dei, quod evangelizavit per suos prophetas, quia prædixit quia tunc veniet finis, cum omnis electorum numerus fuerit completus.

(Vers. 8). *Et vocem quam audivi de cœlo iterum loquentem mecum, et dicentem: Vade, et*
G *accipe librum de manu angeli stantis supra mare et supra terram.* Vocem primam ea dicit, quando de cœlo ei dictum est: *Signa quæ locuta sunt septem tonitrua, et noli ea scribere.* Eamdem itaque vocem se iterum audisse dicit, quia ejusdem Spiritus sancti vox fuit illa, cujus et ista. Per Joannem in hoc loco omnes apostolos intelligere debe-

mus. Vox ergo divina Joanni locuta est, ut iret ad angelum, et acciperet ab eo librum, quia Spiritus sancti gratia apostolis inspiravit, ut relictis omnibus, Christum sequerentur; ut doctrinam Evangelii ab eo perciperent.

(Vers. 9, 10). *Et abii ad angelum, dicens ei ut daret mihi librum.* Abierunt apostoli ad Christum, ut ab eo doctrina divinarum Scripturarum instruerentur. *Et dixit mihi: Accipe, et devora illum, et faciet amaricare ventrem tuum, sed in ore tuo erit dulce tamquam mel. Et cum devorassem eum, amaricatus est venter meus.* Per os in quo sapores discernuntur, corda apostolorum intelligere possumus: per ventrem autem in quo omnes spurcitiæ commorantur corporis, memoriam peccatorum intelligere debemus. Liber igitur dum devoraretur, ut mel dulce fuisse dicitur, quia divina Scriptura dum in mente revolvitur, vitamque æternam mandata Dei custodientibus repromittit, dulcis ut mel in corde efficitur: cum vero mentem a superioribus ad inferiora, id est, a contemplatione cœlestis patriæ ad peccata sua intuenda deducit, pœnasque quas impii pro peccatis suis passuri sunt, ostendit, quæ antea fuerat dulcis in demonstratione cœlestis gloriæ, amara efficitur in peccatorum ostensione. Possumus etiam hoc de Joanne proprie intelligere, qui antequam Evangelium scriberet, Pathmos in exsilium ductus est: sed quia propter absentiam ejus hæretici Ecclesiam Dei invaserant, post reversionem suam de exsilio ad eorum blasphemias destruendas compulsus est Evangelium scribere. Præcepit igitur vox divina Joanni, ut iret ad angelum, et acciperet ab eo librum, quia Spiritus sanctus hoc Joanni inspirando suasit, ut iret ad Christum non passibus corporis, sed passibus mentis, ad considerandam divinitatis ejus potentiam atque cum Patre æqualitatem, ut de divinitate ejus libellum omnibus fidelibus salutiferum posset conscribere. Devoravit vero Joannes librum, cum scientiam Evangelii quod postea scripsit, plenissime accepit. Liber itaque dum devoraretur, dulcedinem mellis ori exhibuit, quia divina Scriptura quanto amplius in corde ruminatur, tanto salubriorem dulcedinem menti exhibet. Possumus autem per ventrem, in quo escæ putrescunt, carnem hanc mortalem intelligere. Liber igitur qui in ore dulcis fuit, amaritudinem ventri generavit, quia sancti viri quanto amplius in meditatione divinarum Scripturarum dediti sunt, quantoque eorum meditatio dulcior fit in mente, tanto majorem amaritudinem carni suæ exhibent, affligendo videlicet eam jejuniis, vigiliis,[1] abstinentia, cæterisque cruciatibus, quibus caro atteritur.

(Vers. 11). *Et dixit mihi: Oportet te prophetare iterum populis, et gentibus, et linguis, et regibus multis.* Prædicitur ei quod ab exsilio ad prædicandum rediturus sit. Sed cum sancti Patres tradant quod post reversionem suam de exsilio tantummodo in Epheso, et circa adjacentia loca ejus prædicaverit, ibique mortuus sit, et corpore requiescat; quomodo populis, et gentibus, et linguis, et regibus multis prophetasse dicitur? Sed prophetavit, id est, prædicavit per Evangelium suum, quod postea scripsit omnibus gentibus, et linguis, et regibus multis, quia per omnes gentes dispersum est, et in meditatione ejus omnes terrarum populi, regesque multi proficiunt.

CAPUT XI.

(Vers. 1). *Et datus est mihi calamus mensuræ similis virgæ, dicens: Surge, et metire templum Dei, et altare, et adorantes in eo.* Per calamum quo antiqui scribere solebant, Evangelium quod ei datum est a Domino, et quod postea scripsit, designatur: per virgam vero sæpe disciplina accipitur. Calamus igitur qui Joanni datus est, similitudinem virgæ habuit, quia disciplina christianorum est Evangelium. Unde et templum et altare et adorantes in eo metiri præcipitur; per templum namque Ecclesia: per altare sancti et perfecti viri, qui in Ecclesia consistunt: per adorantes autem in eo cætera multitudo, quæ eorum doctrina instruitur, designatur. Templum nempe Dei et altare, atque adorantes in eo unusquisque prædicator metitur, dum unicuique secundum propriam capacitatem spiritualis gratiæ doctrinam[2] administrat; aliter enim docendus est sapiens, aliter insipiens: aliter litteratus, aliter illitteratus: aliter paganus, aliter christianus: aliter hæreticus, aliter catholicus. Nam et Dominus dicit in Evangelio, quia paterfamilias *peregre proficiscens, vocavit servos suos, et tradidit illis bona sua. Et uni dedit quinque talenta, alii autem duo, alii vero unum; unicuique secundum propriam virtutem.* Matth. xxv, 14.

(Vers. 2). Sequitur: *Atrium autem quod est foris, ejice foras, et ne metiaris illud; quoniam datum est gentibus.* Si foris erat, quomodo foras ejici poterat? Per atrium ergo Judæi designantur: Judæi igitur foris erant per incredulitatem: sed Joannes et cæteri apostoli adhuc eos per amorem in cordibus suis tenebant, sicut dicit apostolus Paulus: *Optabam ego ipse anathema esse a Christo pro fratribus meis, qui sunt cognati mei secundum carnem, qui sunt Israelitæ.* Unde præcipitur Rom. ix, 3. ei, ne illud metiatur, id est, verba prædicationis non eis ministret, sicut in Evangelio ipse præcipit, dicens: *Nolite mittere margaritas vestras ante porcos; ne conculcent eas pedibus suis, et conversi elidant vos.* Matth. vii, 6 Et ad prophetam Ezechielem Dominus loquitur, dicens: *Ecce ego adhærescere faciam linguam tuam palato tuo, nec eris quasi vir objurgans; quia domus exasperans est.* Ezech. vii, 26. Hocque atrium datum esse gentibus dicitur, quia Judæi propter incredulitatem suam paganis gentibus erant conjuncti: sive traditi erant gentibus, id est, Romanis, ut ab eis delerentur atque exterminarentur. *Et civitatem sanctam calcabunt mensibus quadraginta duobus.* Subito saltum facit ad Eliam atque Enoch, qui temporibus Antichristi venturi sunt: et pulchro satis ordine, videlicet, ut qui Judæorum dejectionem per figuram atrii protulerat, eorum restaurationem tacite subnecteret; constat enim Judæos in fine mundi per prædicationem Eliæ et Enoch ad fidem Christi esse reversuros. Civitatem itaque sanctam, id est, Ecclesiam Antichristus et ministri ejus calcabunt, id est, persequentur mensibus quadraginta duobus, qui faciunt tres annos et dimidium.

(Vers. 3, 4). *Et dabo duobus testibus meis, et*

[1] Editt., *Abstinentia vitiorum, cæterisque,* etc.; mss. omittunt, *vitiorum.*

[2] Omnes edit., *administrat, aliter hæreticis, aliter catholicis;* mss. vero nobiscum faciunt.

prophetabunt diebus mille ducentis sexaginta, amicti saccis. Testes duos Dominus Eliam et Enoch vocat, qui adventum ejus secundum præcurrent, sicut Joannes præcurrit primum. *Ii sunt duæ olivæ, et duo candelabra in conspectu Domini terræ*
Matth. v, 15. *stantes.* Oliva oleum fert, quod supra candelabrum postea ponitur, ut luceat omnibus, qui in domo sunt. Per oleum in hoc loco sapientiam spiritalem possumus accipere; unusquisque enim oliva tunc est, quando apud se quiescens, per contemplationis gratiam Deo deservire studet; quando illud implere studet, quod Dominus dicit in Evangelio: *Nesciat sinistra tua quid faciat dextera tua; ut sit eleemosyna tua in abscondito: et Pater tuus*
Matth vi, 3. *qui videt in abscondito, reddet tibi.* Candelabrum vero tunc fit, quando illud implet quod Dominus dicit in Evangelio: *Videant opera vestra bona,*
Matth. v, 16. *et glorificent Patrem vestrum, qui in cœlis est.* Duo igitur isti sancti modo olivæ sunt cum in aliquo loco terræ positi, ubi eos majestas divina commorari præcepit, per contemplationis gratiam Deo deserviunt: candelabra tunc fient, cum ad explen-
[1] dum prædicationis suæ[1] officium venerint, quando omnibus, et fidelibus videlicet et reprobis verbum Dei annuntiabunt. De hoc candelabro Dominus dicit in Evangelio: *Neque accedunt lucernam, et ponunt eam sub modio, sed super candelabrum, ut*
Ibid., 15. *luceat omnibus, qui in domo sunt.* Lucerna quippe super candelabrum ponitur, quando officium prædicationis sancto viro traditur, qui bonum quod prædicat, flammis bonorum operum illustrat: lucerna vero sub modio ponitur, quando officium prædicationis alicui reprobo committitur, qui bonum quod prædicat, pravis operibus tegit; ne lumen
[2] præbeat eis, qui in domo sunt,[2] sicut dicit sanctus Gregorius, quia cujus vita despicitur, restat ut et prædicatio ejus contemnatur. Duæ ergo olivæ et duo candelabra in conspectu Domini stare dicuntur; quia in terra positi, illud tempus præstolantur, quo officium prædicationis suæ expleant, et mortis debitum solvant, sicut sequentia manifestant.

(Vers. 5). *Et si quis voluerit eis nocere, ignis exiet de ore eorum, et devorabit inimicos eorum: et si quis voluerit eos lædere, sic oportet eum occidi.* Quia Spiritus sanctus loquitur per ora sanctorum, sicut Dominus dicit in Evangelio: *Non enim vos estis, qui loquimini: sed Spiritus Patris*
Matth. x, 20. *vestri, qui loquitur in vobis;* non incongrue verba sanctorum ignis vocantur, sicut Psalmista dicit de Domino: *Ignitum eloquium tuum vehementer,*
Ps. cxviii, 140 *et servus tuus dilexit illud.* Ignis igitur exiet de ore sanctorum istorum, et devorabit inimicos eorum; quia doctrina eorum ita errores Antichristi destruet, ut omnibus sanam mentem possidentibus nihil videatur esse, quod asserere conabuntur Antichristus et ministri ejus. Quod autem sequitur: *Et si quis voluerit eos lædere, sic oportet eum occidi,* ad eamdem rem pertinet.

(Vers. 6). *Ii habent potestatem claudendi cœlum, ut non pluat diebus prophetiæ eorum: et habent potestatem super aquas, convertendi eas in sanguinem, et percutere terram omni plaga*

A *quotiescumque voluerint.* Legimus Eliam oratione clausisse cœlum, et iterum aperuisse: sed et Moysen aquas in sanguinem convertisse. Non ergo putandum est Eliam minorem virtutem habere, cum ad explendum officium suæ prædicationis venerit, quam habuit eo tempore, quo inter homines conversatus est, sed potiorem. Possumus etiam per cœlum Ecclesiam, per pluviam verba sanctorum spiritaliter intelligere; clauditur namque cœlum impiis, cum Deus suo judicio corda eorum ita obdurari sinit,
B ut nullo modo verbo Dei aditum accedendi ad cor suum tribuant, ut salventur. Nam et propheta Esaias cœlum Judæis clausit, cum ei a Domino dictum est: *Excæca cor populi hujus, et aures ejus aggrava, et oculos ejus claude; ne forte videant oculis, et auribus audiant, et corde suo intelligant: et convertantur, et sanem eos.* Clausit Isai. vi, 19
et cœlum[3] Hieremias inimicis suis, cum dicebat [3]
ad Dominum: *Ne propitieris iniquitati eorum, et peccatum eorum a facie tua non deleatur. Fiant*
C *corruentes in conspectu tuo: in tempore visitationis tuæ peribunt.* Numquid Moyses non habebat Jerem. xviii, 23.
potestatem claudendi cœlum et aperiendi, cui dicebat Dominus, cum populus peccasset: *Dimitte me, ut irascatur furor meus contra eos, et deleam eos, faciamque te in gentem magnam?* Exod. xxxii, 10.
Sancti itaque illi quibusdam claudent cœlum, ut non descendat super eos imber misericordiæ Dei, eis videlicet, quos ab erroribus Antichristi revocare non potuerint: quibusdam vero aperient, eis
D videlicet quos ab erroribus Antichristi revocaverint; imbremque super eos pluent, quando suis precibus Deum illis propitium efficient. Per aquas quas in sanguinem convertere dicuntur, populi designantur: sanguis autem ultionem divinam demonstrat. Aquas igitur in sanguinem convertent, quando gentes quæ a fide Christi discesserint, perpetua morte esse damnandas suo judicio decernent.

(Vers. 7). *Et cum finierint testimonium suum, bestia quæ ascendit de abysso, faciet contra eos*
E *bellum, et vincet illos, et occidet eos.* Bestia hæc Antichristum significat. *Faciet contra eos bellum,* quando eos persequetur: *vincet* vero *illos* non superando verbis, sed interficiendo.

(Vers. 8). Unde et sequitur: *Et occidet eos, et jacebunt corpora eorum in platea civitatis magnæ, quæ vocatur spiritaliter Sodoma et Ægyptus; ubi et Dominus eorum crucifixus est.* Si per civitatem magnam Hierusalem terrestrem voluerimus intelligere propter hoc quod dicit: *Ubi*
F *et Dominus eorum crucifixus est,*[4] a veritate [4]
aberrabimus; eo quod illa Hierusalem usque ad solum destructa sit et ista quæ pro ea ædificata est, non in eo loco, sed in alio sita esse dicatur: neque Sodoma et Ægyptius dicenda est, eo quod a christianis incolatur. Simulque considerandum quia ubicumque in hoc libro civitas magna ponitur, Babylonem quæ est civitas diaboli, et ex omnibus reprobis constat, significat. Quod autem in platea civitatis magnæ corpora eorum projicienda esse
G dicuntur, possumus simpliciter intelligere, ut in quacumque platea, quæ ad jus alicujus reprobi

[1] Ita mss., nisi quod ubi alii, et editt. legunt *officium,* Sag. habet *mysterium,* forte *ministerium:* totus autem locus in editt. hoc modo exstat, *officium venerint, quando omnibus, videlicet fidelibus et infidelibus, verbum,* etc.

[2] Editt., *sicut scriptum est: Cujus vita despicitur;* omnes vero mss. hanc fraudem potius quam lapsum restituunt.

[3] Omnes edit., *Hieremias amicis suis;* omnes mss. melius, *Hieremias inimicis suis.*

[4] Ita mss.; at editt. e contrario, *a veritate non aberrabimus.* Minus commode.

pertineat, jaceant. Sed melius mihi videtur, ut sicut per civitatem magnam omnes reprobos intelligendos esse diximus, ita et per plateam corda reproborum intelligamus: jacebunt itaque corpora sanctorum in platea civitatis magnæ; quia sancti illis jacent, a quibus nullius esse momenti existimantur: e contrario fidelibus stant, qui quanta sit eorum virtus atque gloria, cordis oculis intuentur. Civitas vero diaboli non inconvenienter Sodoma et Ægyptus nominatur, eo quod Sodoma cæcitas, Ægyptus tenebræ interpretentur. Quis enim deteriorem cæcitatem atque tenebras patitur, quam impii, qui præcipiti gradu, ut in cloacam inferni demergantur, mala operando properare non desistunt? In platea vero civitatis magnæ, ubi Dominus crucifixus est, corpora sanctorum projicienda esse describuntur, quia sicut a membris diaboli Christus crucifixus est, ita ab eisdem ii duo prophetæ occidentur.

(Vers. 9-12). *Et videbunt de populis, et tribubus, et linguis, et gentibus corpora eorum per tres dies et dimidium, et corpora eorum non sinent poni in monumentis; et inhabitantes terram gaudebunt super eos, et jucundabuntur, et munera mittent invicem; quoniam ii duo prophetæ cruciaverunt eos, qui habitabant terram. Et post dies tres et dimidium spiritus vitæ a Deo intravit in eos: et steterunt super pedes suos et timor magnus cecidit super omnes qui viderunt eos. Et audierunt vocem magnam de cœlo dicentem illis: Ascendite huc. Et ascenderunt in cœlum in nube, et viderunt illos inimici eorum.* Hoc si secundum historiam impleatur, hominibus quidem incognitum, Deo autem nota sunt omnia. Possumus autem et nos huic historiæ spiritalem intelligentiam adjungere: sed temerarium videtur illam historiam, quam intelligimus, spiritalibus sensibus velle adornare. Nullam quippe domum extra positi, interius ornare valemus: sed ne omnino tacuisse videamur, pauca dicamus. Possumus per tres dies et dimidium tres annos et semis intelligere, quibus ii duo prophetæ prædicaturi sunt: per monumenta vero mentes reproborum intelligere possumus. De iis monumentis Dominus loquitur, dicens: *Væ vobis, scribæ et pharisæi, quia estis sicut sepulcra dealbata, quæ a foris quidem videntur candida, intrinsecus autem plena sunt omni immunditia et ossibus*
Matth. XXIII, 13. *mortuorum.* Sic et vos a foris quidem paretis hominibus justi, intus autem pleni estis rapina et iniquitate. In monumentis igitur reprobi corpora sanctorum non sinent poni, quia doctrinam illorum a mentibus suis abjicient. Quod autem post dies tres et dimidium spiritus vitæ a Deo intrare in eos dicitur, et stare super pedes suos, resurrectionis tempus accipere possumus, quod post tria tempora et dimidium, quamvis non statim, in proximo tamen fiet. Stabunt quippe super pedes suos, quando post resurrectionis tempus, quanta sit eorum virtus atque magnificentia omnibus impiis manifestabitur. Timor vero magnus cadet super inimicos eorum, cum viderint eos, quia in die judicii cum viderint eos, gloriamque illorum, turbabuntur timore horribili, dicentes: *Ii sunt quos aliquando habuimus in derisum, et in similitudinem improperii. Nos insensati vitam illorum æstimabamus insaniam, et finem illorum sine honore. Quomodo*

A *computati sunt inter filios Dei, et inter sanctos sors illorum est?* Et quia Malachias propheta ex Sap. V, 3
persona Domini loquitur, dicens: *Ecce ego mittam vobis Eliam prophetam, qui convertat corda patrum ad filios*, et cætera quæ sequuntur; cre- Malach. IV, 5.
dimus Judæos per prædicationem Eliæ, sicut superius,[1] prout potuimus, demonstravimus, ad fidem 1
Christi esse convertendos. Possumus autem per duos testes duorum populorum prædicatores intelligere, Judæorum videlicet atque gentium. Qui
B diebus mille ducentis sexaginta prophetaturi esse dicuntur, quia omni tempore quo Antichristi persecutio atque deceptio per universum orbem desæviet, quoscumque poterunt, ad viam veritatis reducere studebunt.

(Vers. 13). *Et in illa hora factus est terræ motus magnus.* Nunc ad initium prædicationis Eliæ et Enoch revertitur. Terræ motus, sicut superius jam diximus, motionem cordium solet designare: terræ motus tunc fiet, cum per prædicationem Eliæ
C et Enoch multi ad pœnitentiam, multi ad fidem convertentur. *Et decima pars civitatis cecidit.* Non sanus sensus mihi videtur esse, ut per civitatem, cujus decima pars cecidit, Ecclesiam intelligamus; eo quod hic sermo ad civitatem magis diaboli, quam ad civitatem Dei respiciat. Illius ergo civitatis in hoc loco decimam partem corruisse dicit, quam superius civitatem magnam, Sodomamque et Ægyptum vocavit, et in cujus platea corpora sanctorum per tres dies et dimidium insepulta ja-
D cere dicuntur. Et quia per denarium numerum sæpe Lex designatur, eo quod Lex per decalogum sit accepta; possumus per decimam partem quæ corruit, Judæos observatores Legis intelligere, qui per prædicationem Eliæ fidem Christi suscipientes, a civitate diaboli corruent et præcidentur. *Et occisa sunt terræ motu hominum septem millia: et reliqui in timorem sunt missi, et dederunt gloriam Deo cœli.* Sicut per denarium numerum Lex, ita et per septenarium sæpe gratia Evangelii
E accipitur. Ecce decima pars civitatis, quam non ex lapidibus, sed ex hominibus constare docuimus, cecidit; et non decem millia, sed septem millia mortua esse perhibentur. Denarius igitur numerus in septenarium commutatus est; quia Judæi observationes legales respuentes, doctrinam Evangelii suscipient: quæ propter septem dona Spiritus sancti per septenarium numerum designatur. Septem ergo millia mortua esse describuntur, quia morientur diabolo, ut vivant Deo: reliqui vero qui in timore
F sunt missi, electos cæteros designant, qui videntes conversionem Judæorum atque divinam Scripturam in illis esse completam, in timore Dei atque amore proficient, Deumque pro eorum conversione laudare non desistent.

(Vers. 14). *Væ secundum abiit, et ecce væ tertium veniet cito.* Væ tertium ad ea mala, quæ per Antichristum facturus est diabolus, ad diem judicii pertinet. Et quia superius angelum quem vidit stare supra mare et supra terram, jurasse
G dicit per viventem in æternum; quia in diebus septimi angeli, cum cæperit tuba canere, consummabitur mysterium Dei, quod evangelizavit per servos suos prophetas, diem judicii breviter ponere voluit, et ad mala Antichristi postea narranda revertitur. Quod si diligenter inspicimus, videbimus

[1] Omnes editt., *superius demonstravimus;* omnes mss. ut in corpore.

eum hoc ordinate fecisse; scimus namque quia prædicatores sancti, qui in fine mundi nascituri sunt, hoc prædicabunt, quod dies Domini in proximo sit; ut quos exhortationibus ad viam veritatis reducere non potuerint, saltem terroribus ad pœnitentiam provocent. Et quia ante persecutiones Antichristi dies judicii incipiet prædicari, eumdem diem judicii Joannes antea ponere voluit, quam ad persecutiones ipsius Antichristi narrando veniret.

(Vers. 15). *Et septimus angelus tuba cecinit.* Per septimum angelum, sicut diximus, prædicatores sancti qui in fine mundi nascituri sunt, designantur. Tuba canent, cum verbum Dei annuntiabunt. *Et factæ sunt voces magnæ in cœlo, dicentes.* Possumus per cœlum Ecclesiam, per voces vero magnas sanctorum verba intelligere, qui in adventu Domini ad judicium venientes exsultabunt, sicut Dominus dicit in Evangelio: *Respicite et levate capita vestra; quia appropinquat redemptio vestra.*

Luc. xxi, 28.

Factum est regnum hujus mundi Domini et Christi ejus, et regnabit sæcula sæculorum. Numquid antea non erat Domini et Christi ejus regnum hujus mundi? Sed regnum hujus mundi homines vocavit, in quorum mentibus aut regnat Deus, aut regnat diabolus. Regnat Deus in sanctis suis: regnat diabolus in eis qui sunt ex parte ejus; ipse est enim rex super omnes filios superbiæ. Regnum igitur hujus mundi Domini et Christi ejus tunc fiet, cum diabolus cum omnibus quos decepit, in infernum demersus fuerit; cum illud implebitur, quod Angelus ad Danielem loquitur, dicens: *Regnum autem et potestas, quæ est subter omne cœlum, tradetur populo sanctorum, qui et obtinebunt illud usque in sæculum, et in sæculum sæculorum.*

Job. xli, 25.

Dan. vii, 27.

(Vers. 16). *Et viginti quatuor seniores qui in conspectu Dei sedent in sedibus suis, ceciderunt in facies suas, et adoraverunt Deum, dicentes.* Per viginti quatuor seniores in hoc loco animas sanctorum, quæ in cœlesti beatitudine cum Domino commorantur, possumus intelligere: sedes vero requiem sempiternam designant. Viginti quatuor seniores in conspectu Dei sedent in sedibus suis, quia sanctorum animæ sine corporibus in cœlesti beatitudine modo cum Domino requiescunt. In facies suas ceciderunt et adoraverunt, quia sancti Dei cum viderint justissimum Dei judicium peragi, inenarrabilemque ejus potentiam, dejicient se per humilitatis subjectionem in conspectu Creatoris sui, scientes nihil esse quidquid est, in comparatione illius, qui Deus est.

(Vers. 17, 18). *Gratias agimus tibi, Domine Deus omnipotens, qui es, et qui eras sanctus, et qui accepisti virtutem tuam magnam, et regnasti. Et iratæ sunt gentes, et advenit ira tua, et tempus mortuorum judicari;*[1] *et reddere mercedem servis tuis prophetis, et sanctis, et timentibus nomen tuum, pusillis et magnis; et exterminandi eos qui corruperunt terram.* Est Christus modo, postquam hominem assumpsit, ejusdem sanctitatis qua et Pater, ejusdem æternitatis, ejusdem potentiæ: erat et antequam hominem assumeret, æqualis per omnia Patri. Accepit autem virtutem suam magnam, quando per passionem suam diabolum vicit: regnavit vero, quando genus humanum sibi subjecit: iratæ sunt gentes, quia impii homines Ecclesiam Dei persecuti sunt, ut nomen Christi de mundo exstinguerent: adveniet autem ira Dei, cum dies judicii advenerit: adveniet tempus mortuorum judicari, videlicet ut mortui judicentur. Illi scilicet mortui, qui in hac vita positi, animas suas male vivendo interficere non timuerunt. *Et reddere mercedem servis tuis prophetis et sanctis, et timentibus nomen tuum, pusillis et magnis.* Hoc tunc implebitur, quando in die judicii dicturus est: *Venite, benedicti Patris mei, percipite regnum, quod vobis paratum est ab origine mundi.* Pusillos illos vocat, qui minoris sunt meriti: magnos, qui majorem gratiam obtinent apud Deum. *Et exterminandi eos, qui corruperunt terram.* Corruptores terræ impios vocat: hoc tunc implebitur, quando dicet: *Ite, maledicti, in ignem æternum,*[2] *qui paratus est diabolo, et angelis ejus.* Sed quærendum nobis est, quam terram corruperunt impii. Semetipsos utique male vivendo corruperunt, quando in luxuriis cæterisque vitiis corpora sua enutrierunt. Corruperunt et aliorum terram, eorum videlicet, quos et verbis et exemplis ad mala opera agenda pertraxerunt. Nunc ad ea quæ prætermiserat, id est, ad mala Antichristi narranda revertitur. Et ut commodius ad ea exprimenda perveniat, ab adventu Christi incipit, atque mala quæ Ecclesia a diabolo passa est, commemorans, qualiter idem diabolus eamdem Ecclesiam per Antichristum evertere conetur, annectit.

Matth. xxv, 32

Ibid., 41.

(Vers. 19). *Et apertum est templum Dei in cœlo, et visa est Arca Testamenti ejus in templo ejus.* Possumus per templum Dei beatam Mariam intelligere: per arcam vero Testamenti Christum, qui ex ea carnem assumpsit. Templum autem Dei non ideo apertum dicitur, quod uterus beatæ virginis Mariæ in pariendo Dominum apertus sit, quæ fuit virgo ante partum, virgo in partu, virgo post partum: sed ideo apertum dicitur, quia per ipsum visibilis nobis factus est Dominus noster Jesus Christus. Possumus etiam per templum vetus Testamentum intelligere: per arcam sacramenta quæ de Christo in veteri Testamento continentur. Veniente quippe Christo in carne, apertum est vetus Testamentum, atque spiritalis intelligentia, quæ in eo latebat, fidelibus est revelata: *Et facta sunt fulgura, et voces, et terræ motus, et grando magna.* Per fulgura miracula quæ per Christum facta sunt: per voces vero ejus prædicatio designatur. Terræ motus autem motionem cordium designat; moti sunt namque multi per prædicationem Christi ad pœnitentiam de peccatis suis peragendam:[3] moti sunt de infidelitate ad fidelitatem: moti sunt de malo ad bonum. Et quia grando terram solet percutere, possumus per grandinem comminationes ignis æterni, quæ in Evangeliis sæpe inveniuntur, intelligere; quibus corda pravorum percutiuntur, ut resipiscant ab iniquitatibus suis.

CAPUT XII.

(Vers. 1). *Et signum magnum apparuit in cœlo, mulier amicta sole, et luna sub pedibus ejus, et*

[1] Rom. edit. resecaverat *et reddere mercedem.... qui corruperunt terram.*

[2] Restituitur ex mss., *qui paratus est diabolo,* etc.

[3] Ita mss.; editt. vero, *moti sunt per fidelitatem ab infidelitate.... ad bonum per bonam conversionem.*

in capite ejus corona stellarum duodecim. Hæc mulier Ecclesiam designat; consequens quippe erat, ut post prædicationem Christi, ejus forma describeretur, quam prædicatio Christi genuit. Possumus autem per cœlum in hoc loco hunc mundum intelligere: per signum magnum salutem magnam, quam adventus et prædicatio Christi mundo contulit: per solem vero Christus designatur, sicut dicit propheta: *Vobis autem timentibus nomen Domini*
Malach. iv, 2. *orietur sol justitiæ, et sanitas in pennis ejus.* Mulier itaque amicta erat sole, quia fideles, ex quibus Ecclesia constat, in baptismate Christum induunt, sicut Apostolus dicit: *Omnes qui in Christo*
Galat. iii, 27 *baptizati estis, Christum induistis.* Per lunam vero, quam sub pedibus habuisse visa est, quæ crescit et decrescit; mundum istum possumus intelligere, quem Ecclesia despiciendo calcat, ut liberius ad cœlestia tendat. Sed quia luna noctem illuminat, melius mihi videtur, ut per lunam Scripturam sacram intelligamus, sine cujus lumine in nocte hujus sæculi per vias rectitudinis incedere non valemus. De hoc lumine Psalmista dicit: *Lucerna pedibus meis verbum tuum, et lumen*
Ps. cxviii, 105. *semitis meis.* Mulier igitur lunam sub pedibus suis habuisse visa est, quia Ecclesia gressus mentis suæ in præceptis divinarum Scripturarum figens, ad cœlestia quotidie novit tendere. Quæ etiam in capite suo coronam stellarum duodecim habuisse visa est. Caput Ecclesiæ Christus est, duodecim vero stellæ duodecim sunt apostoli. Possumus nihilominus per caput mentes fidelium intelligere. Mulier ergo in capite coronam stellarum duodecim habuisse visa est, quia mentes fidelium doctrina et actus Apostolorum, cum eos imitari satagunt, exornant.

(Vers. 2). *Et in utero habens, et clamabat in doloribus, et cruciabatur, ut pareret.* Quomodo infans in utero coagulatur, humanamque formam accipit atque spiramentum; similiter et Ecclesia infideles quosque, quos in utero gestat, dum eos prædicando tamdiu nutrit, usque dum humanam formam accipiant, id est, usque dum in Christum credant, atque animam spiritalem accipiant, quæ in baptismo datur, cum efficiuntur Dei filii. Unde et clamare in doloribus dicitur, et cruciari ut pariat; clamat namque Ecclesia prædicando, clamat etiam pro auditorum suorum salute Deum deprecando. Cruciatur vero ut pariat, cum luget eos, quos in peccatis jacere conspicit, sicut Paulus apostolus infirmantibus discipulis loquitur dicens: *Filioli mei, quos iterum parturio, donec formetur*
Galat. iv, 19. *Christus in vobis.* Et in Actibus apostolorum Ephesiis loquitur, dicens: *Per triennium quotidie non cessavi, cum lacrymis monens unumquemque*
Act. xx, 19. *vestrum.* Et Psalmista de prædicatoribus loquitur, dicens: *Euntes ibant et flebant, mittentes se-*
Ps. cxxv, 6. *mina sua.*

(Vers. 3, 4). *Et visum est aliud signum in cœlo: et ecce draco magnus rufus, habens capita septem et cornua decem, et in capitibus suis septem diademata: et cauda ejus trahebat tertiam partem stellarum cœli, et misit eas in terram.* Draco iste diabolum significat: rufus autem color talis est, ac si croceo colori sanguinem admisceas. Concordat vero pallidus color, id est, croceus cum sanguineo; quia sanguis dum effunditur, mortem adducit: pallor autem totum corpus morientis cooperit. Recte ergo diabolus habere dicitur

A colorem mortis, quia illius invidia mors introivit Sap. ii, 24.
in orbem terrarum: per septem vero capita reprobi, quibus diabolus ad decipiendum genus humanum usus est, designantur. Diademata regiam ejus potestatem designant; ipse est enim rex, sicut dicit Scriptura, super omnes filios superbiæ. Nam sicut Job 41, 5.
per septem cornua Agni omnes electi designati sunt, quos in septem partes divisimus; ita et per septem capita draconis reprobi, qui eis in via Dei adversati sunt, designantur. Primum namque
B caput draconis fuerunt reprobi, qui ante diluvium fuerunt, quos Scriptura filios hominum vocat; quia eis qui filii Dei vocabantur, in laqueum fuerunt. Secundum caput diaboli fuerunt ii, qui post diluvium usque ad Legem fuerunt; inventores scilicet idolorum diversorumque errorum, per quos genus humanum deceptum est. Tertium caput diaboli fuerunt ii, qui postquam Lex data est populo Dei, idola colere suadebant. Quartum caput diaboli fuerunt falsi prophetæ, regesque impii, a quibus
C populus Dei in tantum deceptus est, ut pro suis iniquitatibus in captivitatem duceretur. Quintum caput fuerunt impii Judæi, qui et Dominum occiderunt, et apostolos ejus persecuti sunt. Sextum caput fuerunt persecutores Ecclesiæ. Septimum vero caput diaboli erit Antichristus. Quid significent autem decem cornua, in sequentibus dicemus, in eo loco ubi mulier meretrix super bestiam coccineam sedisse visa est. Per caudam vero, quæ Apoc. xvii, 3.
finis est corporis, Antichristus designatur. Tertiam
D igitur partem stellarum cœli cauda draconis traxisse visa est; quia Antichristus multos ex iis, qui ab hominibus electi putabantur, et qui in Ecclesia velut stellæ in cœlo, scientia et intellectu refulgent, decipiet, atque in perditionis foveam demerget. *Et draco stetit ante mulierem, quæ paritura erat; ut cum peperisset, filium ejus devoraret.* Possumus per mulierem in hoc loco et beatam Mariam intelligere, eo quod ipsa mater sit Ecclesiæ, quia eum peperit, qui caput est Ecclesiæ;
E et filia sit Ecclesiæ, quia maximum membrum est Ecclesiæ. Draco igitur stetit ante mulierem, ut cum peperisset, filium ejus devoraret, quia in exordio nativitatis Christi eum per Herodem ministrum suum interficere voluit. Stat etiam ante Matth. ii, 13.
mulierem, id est, Ecclesiam, ut eos quos per baptismum Deo generat, male suadendo perdat.

(Vers. 5). *Et peperit filium masculum.* In quantum hoc ad Dominum nostrum Jesum Christum pertinet, quid necesse fuit dicere filium masculum
F mulierem peperisse, cum omnes sciamus masculum esse Dominum nostrum Jesum Christum? In quantum vero ad Ecclesiam, cur dicit masculum eam peperisse, cum ex utroque sexu filios et filias quotidie Deo generet? Femineus quippe sexus fragilis est: femina igitur quæ fortitudine animi assumpta diabolum vincit, atque per bona opera Deo placere studet, non incongrue vir vocatur, quia quamvis corpore sit femina, virtute tamen animi viris bonis coæquatur. Mulier itaque masculum peperit, quia
G ejus membra quem beata Maria virgo peperit, quotidie Ecclesia parit. Unus ergo masculus est, quem virgo Maria peperit, et Ecclesia quotidie parit, quia Christus cum omnibus membris suis unus Christus est. *Qui recturus erit omnes gentes in virga ferrea.* Hoc superius dictum est. *Et ra-* Ad cap. 2.
ptus est filius ejus ad Deum, et ad thronum ejus. Hoc tunc impletum est, quando quadragesima die

postquam resurrexit, ascendit in cœlum. Rapiuntur quotidie filii Ecclesiæ, id est, membra Christi ad Deum et ad thronum ejus, cum post mortem ad cœlestia perducuntur.

(Vers. 6). *Et mulier fugit in solitudinem, ubi habet locum paratum a Deo, ut ibi pascant illam diebus mille ducentis sexaginta.* Solitudinem Christum vocat; solitudo quippe dicitur, eo quod sola sit, deserta ab habitatoribus: similiter et Christus desertus est a suis, sicut Evangelista loquitur, dicens: *In propria venit, et sui eum non rece-*
Joan. I, 11. *perunt.* Et per prophetam loquitur Dominus, dicens: *Torcular calcavi solus, et de gentibus non est*
Isai. LXIII, 3. *vir mecum.* Mulier igitur fugit in solitudinem, quia apostoli et cæteri discipuli, ex quibus tunc constabat Ecclesia, relicto diabolo, relictisque omnibus quæ possidebant, Christum secuti sunt. Per dies vero mille ducentos sexaginta tempus quo
Matth. XIX, 27. Christus prædicavit, designatur. Pascitur ergo mulier diebus mille ducentis sexaginta, quia apostoli et cæteri discipuli, ex quibus, sicut superius diximus, Ecclesia tunc constabat, per tres annos et dimidium dapibus Evangelii a Domino pasti sunt.

(Vers. 7). *Et factum est prælium magnum in cœlo; Michael et angeli ejus præliabantur cum dracone.* Quia superius nativitatem et prædicationem Christi breviter comprehendit, consequens est ut qualiter per passionem suam diabolum vicit, subjungat. Michael qui interpretatur, quis ut Deus, Christum significat. Prælium in cœlo factum est, id est, propter cœlum, pro salute videlicet omnium electorum præliatus est Michael cum dracone, quia Christus prædicando, patiendo et moriendo, pro salute generis humani præliatus est. Præliati sunt angeli Michaelis, id est, apostoli Christi, cum dracone, prædicando videlicet, miracula faciendo, et ad ultimum pro Christi nomine moriendo. *Et draco pugnabat, et angeli ejus.* Pugnavit draco et angeli ejus contra Michaelem, quando diabolus et cætera multitudo dæmonum Judæos contra Christum excitaverunt, ut eum interficerent. Pugnavit et contra angelos Michaelis, quando apostolos Christi et per Judæos et per paganos tamdiu persecutus fuit, usque dum eos interficeret.

(Vers. 8). *Et non valuerunt, neque locus inventus est eorum amplius in cœlo.* Non valuit diabolus neque ministri ejus vincere Christum, nec apostolos ejus, quia unde putaverunt vincere, victi sunt. Putaverunt namque Christum se per mortem vicisse; sed ex morte ejus nomen illius claruit in mundo. *Non valuerunt* ergo, *neque locus inventus est eorum amplius in cœlo,* quia per prædicationem apostolorum, cæterorumque sanctorum, a cordibus electorum, qui per cœlum designantur, expulsi sunt.

(Vers. 9). *Et projectus est ille draco magnus, serpens antiquus, qui vocatur diabolus et Satanas, qui seducit universum orbem: et projectus est in terram, et angeli ejus cum eo missi sunt.* Recte diabolus serpens vocatur, sive quod per serpentem primum hominem deceperit, sive quod veneno suæ malitiæ genus humanum perdiderit. Diabolus vero interpretatur deorsum ruens; ruit quippe primo per superbiam de cœlo: ruit postea, cum ab electorum cordibus per Christum dejectus est, sicut

A præsens Scriptura demonstrat. Satanas autem interpretatur contrarius; contrarius est enim Deo, omnibusque bonis hominibus. Væ illis quibus diabolus amicus est! Nam quanto amplius est cuilibet amicus, tanto ampliora ei tormenta ingerit; infelix est enim amicitia diaboli. Quod autem dicit: *Qui seducit universum orbem,* præsens tempus pro præterito posuit. Seduxerat autem genus humanum, quod per orbem designatur: sed ex magna parte illud per Christum amiserat. Projectus est ergo
B diabolus et angeli ejus in terram, quia ab electis expulsus, solos reprobos, qui per terram designantur, possedit.

(Vers. 10). *Et audivi vocem magnam de cœlo dicentem: Nunc facta est salus et virtus et regnum Dei nostri, et potestas Christi ejus.* Vox magna de cœlo vox est angelorum pro salute generis humani gaudentium, Deumque laudantium, sicut dicit Dominus in Evangelio: [1] *Gaudium majus* 1
est in cœlo super uno peccatore pœnitentiam
C *agente, quam super nonagintanovem justis, qui non indigent pœnitentia.* Possumus per unum pec- Luc. XV, 7.
catorem populum gentilem, per nonagintanovem justos Judæos intelligere, qui ad centenarium numerum non perveniunt, quia neminem ad perfectum adduxit Lex: multo enim majus gaudium factum Hebr. VII, 19.
est in cœlo de conversione gentium, quam de Judæorum observationibus. In dejectione igitur diaboli facta est salus credentium: acceperunt etiam virtutem vincendi diabolum, a quo antea [2] victi 2
D tenebantur. Factum est nihilominus regnum Dei nostri, quia in quibus diabolus regnabat, cœpit regnare Pater, et Filius, et Spiritus sanctus: facta est et potestas Christi ejus, cum eos quos diabolus possidebat, cœpit Christus possidere. *Quia projectus est accusator fratrum nostrorum, qui accusabat illos ante conspectum Dei nostri die ac nocte.* Accusantur noxii homines apud judices, cum eorum scelera eis manifestantur: in conspectu vero Dei, qui non solum facta, sed et cogitata
E considerat, quomodo diabolus aliquem accusare potest? Sed accusamur in conspectu Dei, cum peccamus: accusat et diabolus, cum in peccatis male suadendo dejicit.

(Vers. 11). *Et ipsi vicerunt eum propter sanguinem Agni, et propter verbum testimonii sui.* Propter sanguinem Agni vicerunt, quia redemptio sanguinis Christi hoc contulit sanctis, ut diabolum possent vincere. Vicerunt etiam propter verbum testimonii sui, fidem servando quam professi sunt,
F eamque operibus implendo. Sed valde obscurum est, quod sequitur: *Et non dilexerunt animas suas usque ad mortem.* Quomodo enim sancti animas suas non diligunt, pro quarum salute ardua quæque ac difficilia patiuntur? Quomodo animas suas non diligunt, pro quibus semetipsos vigiliis, jejuniis, abstinentia macerant, atque cæteris virtutibus exercent? Quod si per animam vitam præsentem intelligere voluerimus; quis sanctus vitam suam non diligit, in qua positus, illam cœlestem gloriam sibi
G acquirit, *quam nec oculus vidit, nec auris audivit, nec ulla mens potest comprehendere?* Aut I Cor. II, 9.
quis ad illam sine ista umquam pervenit? Lucrum enim magnum confert sanctis vita præsens, sicut e contrario reprobis magnum detrimentum. Secun-

[1] Codex Gem., *Gaudium est angelis Dei in cœlo.*

[2] Omnes edit., *vincti tenebantur;* omnes mss., *victi tenebantur.*

dum tamen quemdam modum recte dicuntur sancti vitam suam odio habere; eo quod propter amorem vitæ æternæ in fastidium eis vita præsens vertatur, sicut Psalmista deplorans dicebat: *Heu mihi! quia incolatus meus prolungatus est.* Dominus quoque dicit in Evangelio: *Qui amat animam suam, perdet eam: et qui odit animam suam in hoc mundo, in vitam æternam custodit eam.* Cum enim in hoc mundo dicit,[1] demonstrat quomodo hoc intelligere debeamus. *Qui amat* igitur *animam suam in hoc mundo, in vitam æternam custodit eam*, id est, secundum sæculum perdet eam: *et qui odit animam suam in hoc mundo,* id est, secundum sæculum, *in vitam æternam custodit eam.* Amatores mundi animas suas amant secundum sæculum, quia ab hac vita præsenti numquam vellent recedere,[2] ut semper luxuriose possent vivere. Ille dives animam suam secundum sæculum diligebat, qui dicebat: *Anima, habes multa bona posita in annos plurimos, epulare, jucundare, et satiare.* Sancti vero qui nolunt conformari huic sæculo, sicut dicit Apostolus, sed reformari in novitate sensus spiritalis: qui non diligunt mundum, neque ea quæ in mundo sunt: qui nolunt esse amici sæculi hujus, ne inimici Dei constituantur; odio habent animas suas in hoc mundo, id est, non diligunt eas secundum sæculum, sed secundum Deum, pro cujus amore transitoria cuncta contemnunt, ut eas in vitam æternam custodiant. Non dilexerunt igitur sancti animas suas usque ad mortem, qui eas in præsenti vita servare noluerunt, ut Christum negarent: sed pro Christi nomine mori potius elegerunt, ut eas in vitam æternam invenirent.

Ps. cxix, 5. Joan. xii, 25. Luc. xii, 19 Rom. xii, 2. I Joan. ii, 15. Jacob. iv, 4

(Vers. 12). *Propterea lætamini, cœli, et qui habitatis in eis.* Possumus per cœlos, et habitatores cœlorum diversas Ecclesias intelligere, quæ una est. Præcipitur igitur filiis Ecclesiæ ut lætentur, eo quod a tam immani hoste liberari meruerint per Domini gratiam. *Væ terræ et mari! quia descendit diabolus ad vos, habens iram magnam, sciens quod modicum tempus habet.* Possumus per terram Judæos, per mare vero paganos cæterosque reprobos intelligere. Væ igitur Judæis, atque gentibus incredulis! quia propter iram quam habet diabolus, eo quod maximam multitudinem amiserit, tam atrociter reprobis dominatur, et in tantis flagitiis dejicit, ut nullo modo digni sint, quatenus ad vitæ vias revertantur, et sanentur. Dicit etiam diabolum scire quod modicum tempus habeat, quia quanto appropinquare cernit diem judicii, tanto amplius callidior efficitur ad decipiendos homines.

(Vers. 13). *Et postquam vidit draco quod projectus est in terram, persecutus est mulierem, quæ peperit masculum.* Videns diabolus se maximam multitudinem electorum amisisse, et intra angustias cordium reproborum esse conclusum, persecutus est mulierem, id est, Ecclesiam; concitavit enim imperatores Romanorum, omnemque multitudinem impiorum ad persequendum populum Dei.

(Vers. 14). *Et datæ sunt mulieri duæ alæ aquilæ magnæ, ut volaret in desertum in locum suum; ubi alitur per tempus, et tempora, et dimidium temporis a facie serpentis.* Per aquilam Christum possumus intelligere: duæ vero alæ duo sunt Testamenta. Duæ igitur alæ datæ sunt mulieri, quia duo Testamenta Ecclesia accepit, ut eorum doctrina et diabolum evadat, et ad cœlestem patriam quotidie conscendat. Hanc namque patriam desertum vocat, quemadmodum et Dominus dicit in Evangelio, cum se nonagintanovem oves in deserto dixit dimisisse, et unam abiisse quærere, quæ erraverat. Hanc patriam locum Ecclesiæ vocat, sicut ipse in judicio dicturus est: *Venite, benedicti Patris mei, percipite regnum, quod vobis paratum est ab origine mundi.* Per tempus vero et tempora, et dimidium temporis, tempus a passione Christi usque ad finem mundi designatur. In hoc ergo spatio temporum animæ sanctorum, id est, Ecclesia, dapibus gloriæ cœlestis patriæ in cœlesti beatitudine pascuntur.

Luc. xv, 4 et seq. Matth. xxv, 34.

(Vers. 15). *Et misit et serpens ex ore suo post mulierem aquam tamquam flumen, ut eam faceret trahi a flumine.* Flumen aquæ desideria sunt carnalia; videns quippe diabolus Ecclesiam non posse dejici persecutionibus, sed potius crescere et roborari, multitudinem desideriorum carnalium ei immittere voluit, quibus decepta, ad mala opera agenda retraheretur.

(Vers. 16). *Et adjuvit terra mulierem, et aperuit os suum et suscepit flumen, quod misit serpens ex ore suo.* Possumus per terram reprobos intelligere, qui susceptores fuerunt desideriorum carnalium, quibus diabolus fideles irretire voluit et ad se pertrahere. Possumus etiam per eamdem terram Christum intelligere; et quia in sermonibus Domini magna potestas est: *Dixit enim, et facta sunt, mandavit et creata sunt;* haud absurde per os terræ potestas ejus intelligi potest. *Adjuvit* ergo *terra mulierem,* id est Christus Ecclesiam, *et aperuit os suum, et suscepit flumen, quod misit serpens ex ore suo:* id est sinum misericordiæ suæ aperuit, flumenque vitiorum potestas ejus funditus exstinxit.

Ps. cxlviii, 5.

(Vers. 17). *Et iratus est draco in mulierem, et abiit prælium facere cum reliquis de semine ejus, qui custodiunt mandata Dei, et habent testimonium Jesu.* Reliqui de semine Ecclesiæ electi sunt, qui in fine mundi nascituri sunt. Quemadmodum autem hoc prælium diabolus peragat, in sequentibus manifestatur.

(Vers. 18). *Et stetit super arenam maris.* Per arenam maris multitudo reproborum, qui eo tempore futuri sunt, designatur.

CAPUT XIII.

(Vers. 1). *Et vidi de mari bestiam ascendentem, habentem capita septem et cornua decem et super cornua ejus decem diademata.* Hæc bestia Antichristum significat: qui vero designantur per arenam, ipsi et per mare, multitudo scilicet reproborum. De mari igitur bestia conscendere visa est, quia de societate reproborum Antichristus exurget, quæ bestia capita septem et cornua decem habere describitur. Similiter et draco superius se-

[1] Aberant ab editt.. *cum enim in hoc mundo dicit* usque ad *amatores mundi:* quæ nos e cunctis mss. in locum suum reposuimus.

[2] Editt., *sed semper luxuriose hic vivere;* mss. vero ut in contextu.

ptem capita habuisse dictus est, et in capitibus septem diademata: per quæ omnes reprobos, quibus diabolus ad decipiendum genus humanum usus est, diximus fuisse designatus. Hæc autem bestia non in capitibus, sed in decem cornibus decem diademata habuisse describitur; ideoque per decem cornua gentes quas sibi Antichristus subjugaturus est, designantur: septem vero capita septem vitia principalia designant. Et ut sequentia melius intelligamus, placuit mihi in enumeratione vitiorum
1 Prudentium sequi,[1] qui de conflictu vitiorum atque virtutum egregie versibus disseruit. Primum namque vitium posuit culturam idolorum, secundum libidinem, tertium iram, quartum superbiam, quintum luxuriam. Quamvis enim libido ita inserta sit luxuriæ, sicut aliquod membrum corpori, pro qua
2 re a Patribus[2] pro libidine sæpe luxuria ponebatur; tamen inter libidinem et luxuriam distantia est. Sextum posuit avaritiam, septimum blasphemiam, sive discordiam. Et quia eos qui iis vitiis subditi erunt, facile Antichristus decipiet, sibique sociabit, recte per septem capita septem vitia designantur.

De iis septem vitiis Dominus in Evangelio loquitur dicens: *Cum immundus spiritus exierit ab homine, ambulat per loca arida, quærens requiem, et non inveniens dicit: Revertar in domum meam, unde exivi. Et cum venerit, invenit scopis mundatam et ornatam. Et tunc vadit, et assumit septem alios spiritus secum nequiores*
Matth. XII, 43 *se, et intrantes habitant ibi.* Immundus spiritus exivit ab homine, quando diabolus exivit a Judæis, cum Legem acceperunt. Ambulavit per loca arida, id est, per gentium nationes, quæ aridæ erant, quia viriditatem fidei non habebant. Non invenit ibi requiem, quia veniente Christo in carne, gentes quas diu tenuerat, amisit. Rediit in domum suam, unde exivit, quia ad Judæos possidendos reversus est, eo quod in Christum credere noluerint. Invenit domum Judæorum vacantem, quia Christum hospitem non habebant. Quærendum vero nobis est, cur eas mentes quæ Deum habitatorem non habebant, mundatas et ornatas dixerit. Sed mundatæ erant diabolo, non Deo, quod enim mundum est in conspectu Dei, immundum videtur diabolo; et quod
3 immundum est Deo, mundum est diabolo.[3] Nam sicut scarabæo mundius videtur stercus cujuslibet animantis, quam quilibet cibus mundus atque delectabilis; ita et diabolus plus diligit ea corda, quæ omnibus vitiis sunt repleta, quam ea quæ cunctis virtutibus pollent. Scopæ autem sunt, quæ domum a quisquiliis emundant. Habet igitur Deus scopas suas, habet et diabolus: scopæ Dei sunt, quæ domum ejus emundant, ut in ea ipse habitare possit, videlicet confessio peccatorum, pœnitentia, lacrymæ, et eleemosynæ: scopæ diaboli sunt, quæ secundum eum domum ipsius everrunt, scilicet amor sæculi, levitas mentis, contemptus mandatorum Dei et multi alia. Septem vero spiritus, quos diabolus secum assumpsit, septem sunt vitia principalia: cum iis ergo septem satellitibus diabolus

A Judæos usque modo possidet. Sed quæri potest, cur hæc septem vitia principalia diabolo esse deteriora dicantur. Verum nobis deteriora sunt vitia, quam dæmones: quia illi foris nos impugnant, vitia autem intrinsecus nos assidue debellant. Nam sicut levius tolerantur hostes, qui extrinsecus urbem oppugnant, eo quod muros habeant objectos, quam ii qui intrinsecus positi jam civitatem depopulantur: ita facilius tolerantur dæmones, qui exterius, quam vitia quæ intus nos indesinenter de-
B vastant. *Et super capita ejus nomina blasphemiæ.* Blasphemia Antichristi plura nomina habebit, quia multis modis Christum blasphemabit.

(Vers. 2). *Et bestia quam vidi, similis erat pardo, et pedes ejus sicut pedes ursi, et os ejus sicut os leonis erat.* Per pardum, qui fertur diversos colores habere, hypocrisis Antichristi designatur: qui cum futurus sit homo nequissimus, variis virtutibus se decolorabit, ut facilius stultos quosque decipiat. Per ursum vero, qui callidissimum est
C animal, ejus astutia ad decipiendos homines demonstrari potest. Per leonem nihilominus ejus crudelitas ad dilacerandum populum Dei designatur. *Et dedit illi draco virtutem suam, et potestatem magnam.* Virtutem suam diabolus, quæ tota mala est, Antichristo dabit; quia in illo habitabit, et per eum quidquid nequitia diaboli excogitare potest, operabitur. Sed cum Scriptura dicat: *Non est potestas nisi a Deo*, quomodo diabolus pote- Rom. XIII, 1.
statem magnam Antichristo dabit? Deus dabit An-
D tichristo potestatem, sed ipsam potestatem in tantum permutabit in malum, ut tota diabolica esse credatur, et sit.

(Vers. 3). *Et vidi unum de capitibus ejus quasi occisum in mortem, et plaga mortis ejus curata est.* Diximus superius per septem capita Antichristi septem vitia principalia esse designata. Per caput ergo quod non occisum, sed quasi occisum visum est, blasphemia designatur. Quærendum itaque nobis est, quomodo blasphemia quasi occisa
E esse dicatur. Primis namque temporibus Evangelii fuerunt multi hæretici, qui fidem Ecclesiæ suis erroribus labefactare conati sunt: sed omnipotens Deus defensores Ecclesiæ ortodoxos Patres ex filiis ipsius Ecclesiæ elegit, quos flumine sapientiæ suæ replens, per eorum doctrinam omnes hæreses ab Ecclesia sua[4] exstirpavit; ut fuerunt Ambrosius, 4
Hilarius, Hieronymus, Augustinus, Gregorius, et multi alii qui etiam maximam copiam librorum ediderunt, quibus omnes hæreses, quæ fuerunt, et
F quæ esse poterant, destructæ sunt. Blasphemia ergo quasi occisa est modo, quia quamvis sint multi qui multas blasphemias mente concipiant, malum quod mente conceperint, non audent proferre, ne per istorum doctrinam turpiter convincantur. Hoc igitur caput, id est, blasphemia, temporibus Antichristi mortuum esse videbitur; sed a diabolo in Antichristo resuscitabitur, quem ad blasphemandum Christum in tantum accendet, ut omnes blasphematores in suis blasphemiis antecedat. *Et ad-*

[1] Omnes edit., *prudentium sequi vestigia, qui de conflictu vitiorum atque virtutum egregie disseruerunt. Primum namque vitium posuerunt*, etc.; omnes mss., e contrario nobiscum faciunt: unde cognoscitur illius a quo exaratus fuerat ille codex, quem Dunelmensis episcopus prælo subjecit, vel crassa ignorantia, vel putida impostura.

[2] Eædem edit., *pro qua re a pluribus;* mss. vero, *pro qua re a Patribus.*

[3] Gill. in corpore, *nam sicut mundius videtur stercus cuilibet animanti;* in margine autem.... *quibusdam animantibus:* quam emendationem licet ineptissimam Rom. edit. transtulit in contextum. Sed veram lectionem exhibemus e mss.

[4] Omnes edit., *exstirpavit. Qui etiam*, etc. Quidquid vero interponitur, e mss. omnibus restitutum est.

mirata est universa terra post bestiam. Per terram peccatores homines designantur.

(Vers. 4). *Et adoraverunt draconem, quia dedit potestatem bestiæ: et adoraverunt bestiam, dicentes: Quis similis bestiæ, et quis poterit pugnare cum ea?* Quomodo draconem, id est, diabolum, adorabunt, quem non videbunt? Sed adorabunt Antichristum illi, qui per terram designantur, et in Antichristo diabolum, dicentes nullum esse Antichristo similem, nec esse qui ejus fortitudini possit coæquari.

(Vers. 5). *Et datum est illi os loquens magna et blasphemias.* Datum est, id est, permissum est a Deo, ut loquatur magna de semetipso, dicens se esse Filium Dei, et ut loquatur blasphemias de Deo. *Et data est illi potestas facere menses quadraginta duos.* Difficile videtur, ut in tam parvissimo tempore, id est, in tribus annis et dimidio, omnes gentes sibi subjicere, et ad suam culturam genus humanum præter paucos electos possit adducere; erunt enim multi electi, sed in comparatione infidelium valde paucissimi. Verum potest fieri, ut primo omnes gentes suæ ditioni subjiciat: postea vero in superbiam elatus, se pro Deo coli instituat. Nam sicut mihi videtur, in tribus annis et dimidio persecutionis tempus tantummodo comprehenditur, in quo et per se, et per discipulos suos, et per ostensionem signorum mirabilium tota virtute laborabit, ut culturam deitatis omnes homines sibi impendant. Eos autem qui contradicere voluerint, diversis et inauditis tormentis affliget; ut coacti faciant, quod voluntarie facere detrectabunt.

(Vers. 6). *Et aperuit os suum in blasphemias ad Deum blasphemare nomen ejus, et tabernaculum ejus, et eos qui in cœlo habitant.* Aperiet namque os suum ad blasphemandum Deum Patrem videlicet, et Filium, et Spiritum sanctum: blasphemabit et nomen Dei dicens Christum non esse Deum; blasphemabit etiam tabernaculum Dei, id est, Ecclesiam Dei, dicens nihil prodesse fidelibus religionem Christianam, sed interitum magis afferre quam salutem: blasphemabit et eos qui in cœlo habitant, id est, martyres, et cæteros sanctos, dicens nihil prodesse eos posse cuiquam, falsumque esse quidquid de eis a fidelibus asseritur.

(Vers. 7). *Et datum est illi bellum facere cum sanctis, et vincere illos.* Faciet bellum cum sanctis quosdam blandiendo, quosdam terrendo, et ad ultimum eis pessima tormenta inferendo, ut eos in errores suos inducat: sed fieri non potest, ut in errorem inducantur electi. Vincet autem illos non superando, sed interficiendo.

(Vers. 8). *Et data est ei potestas in omnem tribum, et populum, et linguam, et gentem: et adoraverunt eum omnes, qui habitant terram.* Hoc secundum litteram implebitur. Multi dicent, cur talia Deus fieri sinat, ut Antichristus genus humanum tam pessime decipiat? Verum duabus causis exsistentibus talia permittet; nam sicut ipse dicit in Evangelio: *In illis diebus refrigescet caritas multorum, et abundabit iniquitas,* in tantum quippe malitia hominum excrescet, et ita Deum pro suis sceleribus ad iracundiam provocabunt, ut

Matth. xxiv, 12.

A digni sint quatenus tam pessimo homini subjiciantur, atque ab eo decipiantur, testante Scriptura: *Qui regnare facit hominem hypocritam propter perversitatem populi. Tradet enim illos Deus,* sicut dicit Apostolus, *in reprobum sensum,* ut faciant quæ non conveniunt; et quibus nihil pensi erit,[1] tantum ut quidquid mali cogitaverint, expleant; justissima Dei permissione fiet, ut ab Antichristo decepti deterius pereant. Permittet etiam hoc Deus fieri propter probationem electorum suorum, ut

B sicut aurum probatur per ignem; ita et illi in persecutionibus Antichristi probentur et examinentur, sicut in Daniele de illis scriptum est: *Eligentur,*[2] *et dealbabuntur, et quasi aurum probabuntur plurimi.* Sequitur: *Quorum non sunt scripta nomina in libro vitæ Agni, qui occisus est ab origine mundi.* Liber vitæ prædestinatio est Dei omnipotentis: reprobi non sunt scripti in libro vitæ, quia non sunt prædestinati ad vitam æternam. Sed quærendum nobis est, quomodo Agnus,

C id est, Christus, ab origine mundi occisus esse dicatur.

(Vers. 9). Nam illud quod sequitur: *Si quis habet aures, audiat;* ubicumque in divinis Scripturis ponitur, obscurum esse quod præcessit, demonstrat: aures quippe cordis atque intelligentiæ requirit. Agnus igitur ab origine mundi occisus est, quia ejus mors ab exordio generis humani in sanctis patribus præfigurata est. In primo namque homine præfigurata est, quando eo dormiente, Eva

D de costa ejus facta est: similiter et in Abel præfigurata est, qui a fratre Cain peremptus est: præfigurata est et per Isaac, quem pater in holocaustum obtulit Domino: similiter et per Joseph, quem fratres vendiderunt: præfigurata est etiam mors ejus in diversis sacrificiorum ritibus. Quoties ergo mors Christi a sanctis patribus aut præfigurata aut prædicta est, quasi toties Agnus occisus est. Quamvis hoc simpliciter possit intelligi, ut non dicat Agnum occisum ab origine mundi, sed nomina

E sanctorum scripta ab origine mundi in libro Agni, qui pro eorum salute occisus est.

(Vers. 10). *Qui in captivitatem duxerit, in captivitatem vadit: qui in gladio occiderit, oportet eum gladio occidi.* Antichristus qui populum christianum a Creatore suo captivabit, ipse a præsenti vita captivabitur, et in infernum detrudetur: et quia gladio malitiæ suæ multorum animas perempturus est, gladioque corporali justorum corpora occisurus, ipse gladio mortis perpetuæ damnabitur.

F *Hic*[3] *est patientia et fides sanctorum,* id est, patientia et fides sanctorum in persecutionibus Antichristi comprobabitur.

(Vers. 11). *Et vidi aliam bestiam ascendentem de terra, habentem cornua duo similia Agni, et loquebatur sicut draco.* Hæc bestia aut unum ex discipulis Antichristi designat deteriorem cæteris, aut multos, qui eum prædicaturi sunt. Quæ de terra ascendisse visa est, quia de societate reproborum exsurget: duoque cornua similia Agni ha-

G buisse visa est. Superius diximus per septem cornua Agni omnes electos esse designatos, quos in septem partes divisimus: per quintum autem cornu diximus Judæos, qui in Christum crediderunt, fuisse

Job xxxiv, 30.
Rom. i, 28.
1
2
Dan. xii, 10.
3

[1] Ita mss.; editt. vero, *nihil pejus erit, tantum,* etc.

[2] Editt., *et dealbabuntur plurimi;* mss. autem, *et dealbabuntur, et quasi aurum,* etc.

[3] Codex Gem., *Hic sapientia est,* etc.

designatos: per sextum vero gentes, quæ in Christum similiter crediderunt. Bestia itaque cornua duo similia Agni habebit, quia Judæos et gentes decipiendo possidebit. Quia quamvis multi credant ex Judæis per prædicationem Eliæ in Christum: maxima tamen pars eorum Antichristum secutura est, sicut dicit Dominus in Evangelio: *Ego veni in nomine Patris mei, et non recepistis me: alius*
Joan. v, 43. *veniet in nomine suo, et illum suscipietis.* Loquebatur ergo hæc bestia ut draco, quia ejus verba diabolica erant; nam diabolus qui loquetur per Antichristum, ipse loquetur et per discipulos ejus.

(Vers. 12). *Et omnem potestatem prioris bestiæ faciebat in conspectu ejus.* Quod dicit: *in conspectu ejus*, significat in nomine ejus; non enim præsens poterit esse Antichristus in omnibus locis, ubi fuerit prædicatus a suis. Faciet namque miracula Antichristus arte diabolica; facient et discipuli ejus: sed eorum miracula falsa erunt, et non vera, sicut dicit Apostolus: *Cujus adventus erit secundum operationem Satanæ, in omnibus*
II Thess. iii, 9 *virtutibus et signis et prodigiis mendacibus.* Non enim credibile est, ut eos quos Deus excæcaverat, aut debilitaverat, sanitati possint restituere: sed eos tantummodo, quos ipsi læserint, lædentes in occulto, sanantes in aperto. Sed et ipse Antichristus in tanta claritate se hominibus demonstrabit, ut ab insipientibus credatur Deus, sicut dicit Apostolus: *Ita ut in templo sedeat, ostendens se*
Ibid., 4. *tamquam sit Deus.*

(Vers. 13). *Et fecit terram, et inhabitantes in ea, adorare bestiam primam, cujus curata est plaga mortis. Et fecit signa magna, ita ut etiam ignem faceret de cœlo descendere in terram in conspectu hominum.* Legimus in libro Job diabolum ex permissione Dei ignem fecisse de cœlo de-
Job i, 16. scendere, et oves Job puerosque consumpsisse. Quod ergo illic per semetipsum fecit, hoc per Antichristum et sequaces ejus extremo tempore faciet.

(Vers. 14). *Et seduxit habitantes terram propter signa, quæ data sunt illi facere in conspectu bestiæ.* Nihil est quod sic seducat simplices quosque, quemadmodum signorum demonstratio. Ideoque ministri Antichristi propter signorum operationem facile stultorum multitudinem decipient. *Dicens habitantibus in terra, ut faciant imaginem bestiæ, quæ habet plagam gladii, et vixit;* videlicet, ut in imaginibus Antichristus adoretur. Quod autem bestiam plagam gladii habuisse dixit, et vixisse, potest fieri ut arte diabolica fingat se Antichristus mori et resurgere, ut hoc facto facilius homines decipiat: quod Simon magus fecisse dicitur.

(Vers. 15). *Et datum est illi ut daret spiritum imagini bestiæ, et ut loquatur imago bestiæ.* Sed et hoc quosdam magos fecisse audivimus; faciebant quippe per necromanticam artem, ut statuæ viderentur moveri, et loqui. Possumus hoc aliter intelligere. Imago speciem habet hominis, sed non est homo: similiter et Antichristus propter operationem virtutum atque signorum putabitur esse Deus, sed hoc falsissimum erit; non enim potest fieri ut homo impiissimus aliquid deitatis in se habeat. Imaginem ergo Antichristi facient, qui eum Deum existimabunt; ministri vero Antichristi spiritum imagini bestiæ dabunt, cum eos qui credi-

A derint in Antichristum, Christum blasphemare compellent. *Et faciet ut quicumque non adoraverint imaginem bestiæ, occidantur.* Fideles qui Antichristum adorare noluerint, diversis pœnis macerati interficientur; erit namque talis tribulatio, sicut dixit Dominus in Evangelio, qualis non fuit Matth. xxiv, 2
ab initio, neque fiet, ita ut in errorem inducantur electi, si fieri potest.

(Vers. 16). *Et faciet omnes pusillos et magnos, et divites et pauperes, et liberos et servos habere*
B *characterem in dextera manu, aut in frontibus suis.* Potest fieri ut sicut nos habemus characterem Christi, id est, crucem, qua signamur; ita habeat Antichristus proprium characterem, quo signentur ii, qui in eum crediderint. Possumus et hoc aliter intelligere. Discipuli Antichristi laudatores erunt vitiorum, docebunt enim ideo[1] creatum 1
vinum cæterasque divitias, ut homines iis abundanter, et sufficienter uterentur; ideoque fecisse Deum genitalia membra, ut homines feminis mi-
C scerentur, et nefas esse ut aliquis a concubitu abstineat: omnia desideria carnalia esse perficienda. Cum autem istam nefandam doctrinam virtutibus affirmaverint, terrenos homines qui proni erunt ad malum magis quam ad bonum, facile decipient. Sæpe vero per manus opera intelliguntur: characterem ergo Antichristi in dextera manu habebunt, quia opera maligna doctrinæ Antichristi congruentia exercebunt: habebunt et in fronte, per quam mens sæpe discernitur, quia ex pravis operibus, quam
D pessimas mentes gerant, dignoscetur.

(Vers. 17). *Et ne quis possit vendere, aut emere, nisi qui habuerit characterem nominis bestiæ, aut numerum nominis ejus.* Scimus humanam vitam non posse subsistere, nisi aut vendant aliquando homines aut emant: eo itaque Antichristi persecutio erga fideles crudelius grassabitur, quo eis hoc interdictum fuerit, sine quo vivere non poterunt. Facient autem hoc ministri Antichristi, ut in tempore necessitatis eos, qui christianitatis fidem
E occulte servare voluerint, deprehendant.

(Vers. 18). *Hic sapientia est. Qui habet intellectum, computet numerum bestiæ; numerus enim hominis est, et numerus ejus est sexcenti sexaginta sex.* De hoc numero multi multa dixerunt, pluraque nomina repererunt, in quorum litteris hic numerus invenitur. Tamen si aliquod ex iis nominibus Antichristus possideat, prævidere non potuerunt: sed de re tam incerta nihil audeo definire. Quis enim scit, si nomen quod ei a parentibus im-
F ponetur, hunc numerum contineat?

CAPUT XIV.

(Vers. 1). *Et vidi, et ecce Agnus stabat supra montem Sion.* Si diligenter textum lectionis sequentis inspiciamus, hæc quæ de centum quadraginta quatuor millibus dicuntur, ad electos potius, quorum animæ in cœlesti beatitudine cum Domino exsultant, quam ad eos qui in hac vita laborant,
G videbimus pertinere. Agnus itaque Christum demonstrat: Sion autem speculatio interpretatur: per montem vero Sion cœlestem patriam intelligere debemus. In monte igitur Sion Agnus visus est, quia in cœlesti beatitudine cum sanctis suis

[1] Ita mss.; editt. e contrario, *creatum vitium cœterasque divitias, ut homines iis abundanter, et efficienter uterentur. Cum autem istam nefandam*, etc.

1 Christus consistit.[1] *Et cum illo centum quadraginta quatuor millia, habentes nomen ejus, et nomen Patris ejus scriptum in frontibus suis.* In tertia visione quæ hanc præcedit, centum quadraginta quatuor millia ex duodecim tribubus electa, et signo fidei signata fuisse dicuntur. Illa ergo centum quadraginta quatuor millia, sicut expositio nominum duodecim tribuum demonstrat, ad electos qui in hac vita laborant, pertinent: ista vero centum quadraginta quatuor millia electos, qui in cœlesti gloria cum Domino lætantur, significant, sicut textus præsentis lectionis manifeste indicat. Sed cur nomen Patris et Filii tantummodo in frontibus suis eos scriptum habere dicit, et de Spiritu sancto reticuit? Quia videlicet ubicumque Patrem et Filium legimus, intelligere debemus Spiritum sanctum. Possumus autem per frontes corda sanctorum intelligere: nomen itaque Patris et Filii et Spiritus sancti in frontibus suis habent scriptum, quia a mentibus eorum amor Dei numquam avelli poterit, sicut avulsus est a cordibus quorumdam angelorum, qui propter superbiam de cœlo ceciderunt.

(Vers. 2). *Et audivi vocem de cœlo, tamquam vocem aquarum multarum, et tamquam vocem tonitrui magni.* Sæpe per Joannem præsentis vitæ fideles demonstrantur: per aquas vero populi designantur. Et quia de omnibus gentibus quotidie colliguntur electi, et in cœlesti beatitudine collocantur; sancti Dei in terra constituti, qui per Joannem designantur, vocem aquarum multarum assidue audiunt, quia doctrinam sanctorum in cœlis consistentium et cordis auribus sentiunt, et virtute qua possunt, eorum actus imitantur. Unde et eadem vox tamquam tonitruum esse dicitur, quod corda audientium terrere solet; terrentur enim, cum ad eorum perfectionem se ascendere non posse considerant. *Et vox quam audivi, sicut citharœdorum citharizantium in citharis suis.* Vox citharœdorum valde est dulcis audientibus: et quid dulcius fidelibus, quam memoria sanctorum in cœlis commorantium; dum quanta sit eorum gloria mente pertractant, atque ut ad hanc quandoque perveniant, suppliciter exorant?

(Vers. 3). *Et cantabant quasi canticum novum ante sedem, et ante quatuor animalia, et seniores: et nemo poterat dicere canticum, nisi illa centum quadraginta quatuor millia, qui empti sunt de terra.* Hic magna obscuritas est; dicit quippe centum quadraginta quatuor millia non fuisse coinquinatos cum mulieribus, virginesque esse; et ideo canticum novum cantare, quod nemo potest dicere, nisi illi soli: scimus autem quosdam ex apostolis atque martyribus uxores habuisse. Numquid ii qui virginitatem corporis servare studuerunt, laudes Deo decantant, et isti in laudibus Dei muti exsistunt? Maxime cum sciamus ex utroque sexu parvi meriti homines virginitatem corporis usque ad mortem servasse, sicut sunt infantes et pueri, quos ætas virginitatem amittere non permittit. Vidimus etiam quosdam aliquibus peccatis obnoxios, virginitatem corporis usque ad mortem servasse, quos credimus per ignem purgatorium esse purgandos, ut in justorum numero

A quandoque ascribi mereantur. Numquid istos tales apostolis et martyribus, quos uxores habuisse Scriptura non tacet, præferre audebimus, ut illud canticum suavissimum Deo offerant, a quo Petrus ejusque similes alieni exsistant? Nam sicut est dulcis sanctis visio Dei, sic et laus Dei: et quemadmodum saturari nequeunt visione Dei, ita nec satiari laudibus Dei. Et quanto proximiores sunt secundum meritorum qualitates Domino Deo, tanto et ferventiores in laudibus Dei. Quis vero digne considerare
B potest quam magna pars gloriæ sanctis detrahitur, si a laudibus Dei expertes habeantur? Nec ideo hoc dicimus, ut virginitati derogemus, quæ magna est virtus, sociaque angelorum, si tamen eam vitio non fœdaverint. Quis enim perpendere potest quam magnum bonum est integritatem corporis et animæ possidere? Igitur quia hæc quæ superius de virginibus dicta sunt, de iis solummodo qui virginitatem corporis servaverunt, intelligere non possumus; necesse est ut indagemus, qui sint virgines,
C et qui illi qui canticum virginum dicere non poterunt. Nam si superficiem lectionis diligenter attendimus, inveniemus non de solis virginibus, sed de omnibus sanctis animabus hæc esse dicta.

Diximus superius per centum quadraginta quatuor millia sanctorum animas esse designatas, quæ in cœlesti beatitudine Deum assidue laudare non desinunt; per sedem vero, et quatuor animalia, et seniores ante quos canticum novum cantare dicuntur, fideles in hac vita positi, ex quibus Ec-
D clesia constat, designantur, sicut in secunda Visione diximus. Ante sedem ergo, et quatuor animalia, et seniores centum quadraginta quatuor millia canticum novum cantasse dicuntur; novum namque Testamentum canticum novum dicitur, sicut dicit propheta: *Cantate Domino canticum novum, laus ejus ab extremis terræ.* Novum autem Testamentum dicitur, eo quod præcedat aliud, quod vetus vocatur; sive pro eo quod novos populos faciat, cum ex filiis diaboli facit filios Dei. Habent et
E fideles in hac vita positi cantica sua; sed in iis canticis sæpe confessio fit peccatorum, sæpe pro peccatis deprecatio, sæpe commemoratio tormentorum æternorum: ideoque in fletus sæpe cantantes excitant, sæpe in laudibus Dei orare solent, sæpe ad spem cœlestis patriæ mentes fidelium elevant: in illo vero cantico spirituum cœlestium nihil triste, nihil quod mentem perturbet, resonat: et quanto amplius depromitur,[2] tanto amplius gaudium et lætitiam mentibus cantantium infundit. Sicut igitur
F novum Testamentum dicitur, quia præcessit vetus: ita et illud canticum spirituum cœlestium novum canticum dicitur, quia præcessit aliud quod vetus est illis, qui ad cœlestem beatitudinem quotidie transeunt, et novum est ad quod perveniunt. Et hoc canticum ante sedem Dei, id est, in conspectu sedis, cantasse dicuntur; quod enim in conspectu nostro est, indesinenter aspicimus. In conspectu ergo fidelium, qui per sedem et quatuor animalia et seniores designantur, animæ fidelium canticum
G novum cantasse dicuntur, quia sancti viri in hac terra positi, gloriam sanctorum in cœlis commorantium oculis mentis assidue conspiciunt, atque

Isai. XLII, 10.

2

[1] Edit. Gill., *Christus consistit. Et cum illo centum quadraginta quatuor millia, ex duodecim tribubus electa;* edit. Rom., *Christus consistit. In superioribus quoque centum quadraginta quatuor millia, ex duodecim,* etc.; mss. autem ut in contextu.

[2] Omnes edit., *tanto ampliorem vel amplius gaudium et lætitiam;* nonnulli mss., *tanto ampliorem gaudii lætitiam;* cæteri ut nos in textu.

ut ad eorum societatem quandoque perveniant, tota virtute laborant.

1 *Et nemo poterat dicere canticum,*[1] *nisi illa centum quadraginta quatuor millia, qui empti sunt de terra:* id est, nemo illorum qui per sedem et quatuor animalia et seniores designantur. Vident namque modo fideles viri in terra positi quasi per speculum et in ænigmate gloriam sanctorum in cœlis consistentium, illudque canticum quia ardenter desiderant, quasi audiunt, sed dicere non possunt, quia *oculus non vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit, quæ præparavit Deus diligentibus se.* Qui de terra empti esse dicuntur; empti sunt quippe in terra positi pretioso sanguine Christi. Sed melius est ut per emptionem assumptionem intelligamus; assumpti sunt enim de terra, et in cœlesti beatitudine collocati.

I Cor. II, 9

(Vers. 4). *Ii sunt qui cum mulieribus non sunt coinquinati; virgines enim sunt.* Hic rursum oritur quæstio; nam si in illa beatitudine diversi ordines sunt, ut sunt apostoli, martyres, confessores, et virgines; quomodo omnes sanctorum animæ virgines esse dicuntur, et in tantum virgines, ut cum mulieribus coinquinatæ non fuisse dicantur? Et si verum est, quod Dominus dicit (immo verum est, quia non potest fieri ut Deus mentiatur: *Qui viderit mulierem ad concupiscendum eam, jam mœchatus est eam in corde suo),* quomodo omnes sanctorum animæ in toto spatio vitæ præsentis ab inquinatione mulierum mundæ esse potuerunt? Quærendum ergo nobis est quomodo hoc intelligendum sit; multi quippe fuerunt ante baptismum adulteri et fornicatores, sed in Christum credentes, atque de peccatis suis pœnitentiam agentes, fontemque baptismatis expetentes, quidquid in eis sordidum fuit, per Spiritus sancti gratiam aquis baptismatis deletum est: qui in bono quod in eodem baptismate promiserunt, usque in finem vitæ perseverantes, veniente Domino, ut eos per mortem ab hac terrena habitatione subtraheret, eorum animæ virgines, id est, integræ, et ab omni corruptione vitiorum mundæ inventæ sunt. Istorum ergo animæ jure virgines vocantur, quia eorum omnis corruptio aquis baptismatis, bonisque operibus deleta est. Fuerunt etiam multi, qui post baptismum multa scelera commiserunt, sed cum per pœnitentiam et lacrymas atque per misericordiam, cæterisque bonis operibus malum quod gesserunt, delere studuerint, et in bono proposito perseveraverint, Domino veniente, eorum animæ virgines repertæ sunt, quia quidquid in eis fuit reprobum, caritatis remediis est purgatum. Fuerunt et conjugati, qui Deum tota virtute dilexerunt, atque in virtutibus vitam ducere studuerunt. Istorum igitur animæ recte virgines vocantur, quia si quas sordes ex conjunctione feminarum traxerunt, bonis operibus deletum est. Similiter[2] de cæteris ordinibus intelligendum est.

Matth. v, 28.

Gen. II, 24.

Possumus etiam per mulieres corpora sanctorum intelligere, per viros autem animas, quia sicut vir et mulier una caro vocantur, ita corpus et anima unus homo: et quemadmodum femina inferior est viro, ideoque necesse est ut a viro regatur, ejusque dominationem perferat; ita corpus multo inferius est quam anima, et ideo necesse est ut a spiritu regatur atque dometur, ejusque desideria frangantur. Quod quia sancti facere studuerunt, non sunt coinquinati cum mulieribus, quia ex conjunctione corporum nullas sordes traxerunt, ex quibus Deum nimis offenderent. *Ii sequuntur Agnum quocumque abierit.* Quo vadit, qui omnia implet, et totus ubique est? Sed quemadmodum vadat, Apostolus docet dicens: *Cui vult miseretur, et quem vult, indurat.* Vadit itaque Deus miserendo quibusdam, et a quibusdam misericordiam suam auferendo. Sequuntur vero sancti, quia quibus ille misericordiam suam largitur, largiuntur et illi; et a quibus abscidit, abscidunt et illi. Hoc de electis in terra positis intelligere non possumus; sæpe enim miserentur quibus Deus non miseretur, sicut Samuel qui lugebat Saul, quem Deus projecerat a facie sua: quosdam etiam sancti damnare volunt, quibus Deus miseretur, sicut Jonas, qui cupiebat ut Ninivitæ delerentur, quos Deus salvare decreverat. *Ii empti sunt ex omnibus primitiæ Deo et Agno.* In Lege præceptum est ut primitiæ frugum offerrentur Deo: per primitias frugum, electi designantur; nam sicut ex multitudine fructuum parvæ primitiæ Deo offerebantur; ita et ex multitudine populorum parvus numerus electorum eligitur, qui ab angelis Deo in templo gloriæ cœlestis offertur, sicut Dominus dicit in Evangelio: *Multi enim sunt vocati, pauci vero electi.* Sancti ergo primitiarum more ex hominibus sunt assumpti, et in cœlesti beatitudine collocati.

Rom. IX, 18.

I Reg. XV, 35.

Joan. IV, 3.

Exod. XXIII, 19.

Matth. XXII, 14.

(Vers. 5). *Et in ore eorum non est inventum mendacium.* Valde difficile esse videtur, quod dicitur; sunt quippe quædam mendacia valde gravia, sunt alia quæ inter levia peccata deputanda sunt, a quibus nostris temporibus nescio si aliquis omni tempore vitæ suæ abstinere possit, nisi fuerit infans, qui loqui ignorat. Non itaque de omnibus mendaciis hoc dictum esse mihi videtur: sed est mendacium valde gravissimum, cum mentimur ea, quæ in baptismate promisimus. Hoc ergo mendacium in ore sanctorum non est inventum, quia hoc quod in baptismate promiserunt, usque in finem vitæ servare studuerunt. Et si fuerunt aliqui qui post baptismum multa peccata commiserunt, tamen in ore eorum non est inventum mendacium, quia per pœnitentiam, caritatisque opera malum quod gesserunt, ante mortem delere studuerunt: *Sine macula enim sunt.* Et hic satis aperte demonstrat, ea quæ in hac lectione continentur, non ad fideles qui in hac vita laborant, sed ad eos qui in cœlestibus sedibus requiescunt, pertinere. Quis enim in hac vita positus, sine macula esse potest? cum idem Joannes dicat: *Si dixerimus quia peccatum non habemus, nos ipsos seducimus, et veritas in nobis non est.* Animæ vero sanctorum sine macula sunt, quia si quas sordes ex mundana habitatione contraxerunt, aut per pœnitentiam et lacrymas, caritatisque opera, aut per flagella, aut certe post mortem igne purgatorio deletæ sunt.

I Joan. I, 8.

Dixi quod sensi. Quod si quis textum hujus lectionis ad præsentem Ecclesiam transferre voluerit, et per centum quadraginta quatuor millia aut prædicatores, aut cæteros justos in hac adhuc vita degentes; per novum vero canticum quod nemo

[1] Rom. edit. jugulaverat *nisi illa.... de terra.*

[2] Omnes edit., *de cæteris sordibus;* omnes mss., *de cæteris ordinibus.*

nisi ipsi soli dicere poterant, Evangelium designatum esse censuerit; perpendat sanctum Evangelium non solum ab electis, verum et a reprobis sæpe prædicari, de quibus Dominum in Evangelio dixisse credimus: *Multi dicent mihi in illa die, Domine, Domine, nonne in nomine tuo prophetavimus, et in nomine tuo dæmonia multa ejecimus, et in nomine tuo virtutes multas fecimus? Et tunc confitebor illis: Amen dico vobis, nescio vos. Discedite a me, omnes operarii iniquitatis.* De talibus etiam Paulus apostolus loquitur, dicens: *Sunt qui per contentionem Christum annuntiant, non sincere, existimantes se pressuram suscitare vinculis meis.* Si quis autem seriem lectionis hujus ad præsentis temporis virgines pertinere sanxerit, ad eos videlicet quos amor Dei ad integritatis custodiam, adjunctis cæteris bonis operibus, quotidie impellit, sanum mihi in hoc videtur possidere sensum: sed animadvertere debet non posse huic sensui convenire, ut per canticum novum in hoc loco Evangelium intelligat; sed potius gaudium spiritale, quod eis ex custodia virginitatis accrescit. Nullus igitur canticum novum dicere potest, nisi illi soli, quia gaudium virginitatis nullus habere prævalet, nisi soli qui hanc cæteris bonis operibus exornatam quotidie Deo offerre consuescunt. Similiter et qui hanc sententiam eis aptare voluerit, qui cum virginitatis palma ad cœlestia regna jam conscendere meruerunt, a recto intellectu non discrepat: sed sciat non convenire huic sensui, ut per novum canticum, aliquod canticum quod voce, lingua, labiis componi potest, intelligat: sed potius virginitatis præmium, quod a Domino æternaliter percipere merentur. Hocque canticum nullus, nisi illi soli, dicere potest, quia virginitatis præmium nullus percipit, nisi qui hanc in sæculo positi, intemerata mente pro Christi amore servare studuerint. De talibus propheta Esaias loquitur, dicens: *Hæc dicit Dominus eunuchis: Qui custodierint sabbata mea, et elegerint quæ volui, et tenuerint fœdus meum, dabo eis in domo mea, et in muris meis locum, et nomen melius a filiis et filiabus, nomen sempiternum dabo eis, quod non peribit.*

Matth. vii, 22

Philip. i, 17

Isai. lvi, 4 et ss

(Vers. 6). *Et vidi alterum angelum volantem per medium cœlum, habentem Evangelium æternum; ut evangelizaret sedentibus super terram, et super omnem gentem, et tribum, et linguam, et populum, dicentem voce magna.* Iterum universa breviter comprehendit; nam sicut superius cum mala Antichristi narrare vellet, ab adventu Christi inchoavit, persecutionesque quas Ecclesia a diabolo passa est, prius narrans ad Antichristum pervenit: ita et hic diem judicii describere cupiens, ab adventu Christi inchoat, atque sub specie trium angelorum[1] cuncta breviter replicans, ad diem judicii pervenit. Iste quippe angelus Christum et apostolos ejus, cæterosque Christi prædicatores significat. Qui Evangelium æternum habuisse dicitur; quia doctrina Evangelii a Christo, apostolis, cæterisque prædicatoribus data est, quam gentibus prædicarent. Quod Evangelium æternum esse dicitur, quia æternitatem præstat omnibus facientibus illud. Quod etiam super terram sedentibus prædicatum esse dicitur; gentes namque quibus Evangelium prædicatum est, nihil aliud quam terram quærebant, totamque requiem suam in terra posuerant. Quid autem iste angelus prædicet, audiamus.

(Vers. 7). *Timete Dominum, et date illi honorem; quia venit hora judicii ejus: et adorate eum, qui fecit cœlum et terram, mare et fontes aquarum.* Convenienter timorem Domini primo posuit, et postea honorem; timor etenim Domini ad pœnitentiam impellit hominem: pœnitentia vero ad bona opera agenda eum provocat. Honorem itaque Deo deferimus, cum bona opera agimus, sicut ipse Dominus dicit: *Videant opera vestra bona, et glorificent Patrem vestrum, qui in cœlis est.* Hora vero judicii ex tunc incœpit, ex quo Evangelium prædicari cœpit. Illi igitur acriter in die judicii judicabuntur, qui verbum Evangelii audientes, illudque spernentes, fidem Christi suscipere noluerunt. Similiter et illi qui susceperunt quidem fidem Christi, sed eam operibus implere noluerunt; cui enim plus committitur, plus ab eo exigetur. De illis autem qui verbum Dei non audierunt, Dominus dicit in Evangelio: *Qui non credit, jam judicatus est.*

Matth. v, 6.

Joan. iii, 18.

(Vers. 8). *Et adorate eum, qui fecit cœlum et terram, et mare et fontes aquarum*, id est, relinquite idola surda, muta, et cæca, et adorate eum qui cuncta fecit ex nihilo. *Et alius angelus prosecutus est, dicens.* Alius angelus doctores Ecclesiæ, qui finitis persecutionibus, Ecclesiam Dei gubernaverunt, designat. *Cecidit, cecidit Babylon magna.* Per Babylonem, sicut superius diximus, civitas diaboli designatur, quæ ex omnibus impiis constat. Ceciderat autem, quia omnis cultura dæmonum per fidem Christi deleta fuerat. Et bis cecidisse dicitur, quia ex parte persecutorum, et ex parte culturæ diabolicæ ceciderat. *Quæ a vino iræ suæ potavit omnes gentes.* Vinum iræ errores sunt gentilium, quibus Deum ad iracundiam provocaverunt: sed cum Babylon nihil sit aliud quam omnes gentes, id est, omnes reprobi, quomodo omnes gentes a vino iræ suæ potavit? Verum cum unus alterum docuit, et ille tertium, et tertius quartum, et ita in omnes homines error diabolicus transiit, utique Babylon omnes gentes vino iræ Dei potavit.

(Vers. 9, 10). *Et angelus tertius secutus est illos, dicens voce magna: Si quis adoraverit bestiam et imaginem ejus, et acceperit, characterem ejus in fronte sua, aut in manu sua; et hic bibet de vino iræ Dei, quod mixtum est mero in calice ipsius.* Angelus tertius prædicatores sunt, qui temporibus Antichristi futuri sunt; prædicabunt enim ut nullus Antichristum adoret, neque ad ejus pessimam doctrinam aures cordis accommodet, neque opera ejus imitetur: quod si quis fecerit, perpetua pœna eum esse damnandum testabuntur. Per vinum iræ Dei damnatio ultima, quæ in die judicii impiis irrogabitur, designatur: merum autem purum dicimus. Per merum igitur justitia Dei designatur, per calicem vero judicium Dei accipere possumus. Vinum itaque mixtum est mero in calice Dei, quia damnatio ultima, qua impii damnabuntur, mixta erit cum justitia in calice Dei, id est, in judicio Dei, quia justissimo Dei judicio perficietur. Bibent igitur impii vinum iræ Dei, cum illis dicetur: *Ite, maledicti, in ignem æternum,*[2] *qui præparatus est diabolo, et angelis ejus.*

Matth. xxv, 41.

[1] Ita mss.; editt. vero, *cuncta comprehendens.*

[2] Omissum fuerat in editt., *qui præparatus est diabolo, et angelis ejus.*

(Vers. 11). *Et cruciabitur igne et sulphure in conspectu angelorum sanctorum, et in conspectu Agni: et fumus tormentorum eorum in sæcula sæculorum ascendet.* Ignis exurit, sulphur autem fetorem pessimum de se emittit. Igne autem corporaliter cruciabuntur, qui ignem vitiorum in se exstinguere noluerunt: fetore sulphuris torquebuntur, quibus dulcis fuit fetor luxuriæ. In conspectu angelorum sanctorum cruciabuntur, et in conspectu Agni, videlicet ut in eorum conspectu crucientur, in quorum conspectu non timuerunt multa mala perpetrare. *Nec habebunt requiem die ac nocte, qui adoraverunt bestiam et imaginem ejus, et si qui acceperint characterem nominis ejus.* Cur neque in die, neque in nocte reprobos habere dicit requiem, cum electi æternum diem possessuri sint; reprobi vero perpetuam noctem? Sed more humano locutus est.

(Vers. 12, 13). *Hæc est patientia sanctorum, qui custodiunt mandata Dei, et fidem Jesu:* id est, talis est patientia sanctorum, et talem fructum affert, qualis in sequentibus demonstratur. *Et audivi vocem de cœlo dicentem mihi: Scribe, beati mortui qui in Domino moriuntur.* Talis est igitur patientia sanctorum, qui custodiunt mandata Dei, et fidem Jesu, ut sint beati in perpetuum. Sed quid est quod dicit: *Beati mortui, qui in Domino moriuntur?* Quis enim mortuus mori potest? Nullus procul dubio mortuus mori potest, nisi prius animam recipiat, ut iterum mori possit. Sed illi sunt beati, et illi in Domino moriuntur, qui prius moriuntur sæculo, postea carne: qui prius veterem hominem, id est, omnes nequitias et spiritales et carnales in se exstinguunt, ut possint dicere cum Apostolo: *Mihi mundus crucifixus est, et ego mundo.* Illi namque in Domino moriuntur, de quibus Dominus dicit in Evangelio: *Qui autem perseveraverit usque in finem, hic salvus erit.*

Galat. vi, 16.

Matth. xxiv, 13.

Amodo jam dicit spiritus, ut requiescant a laboribus suis. Amodo, id est, a tempore mortis suæ requiescent sancti a laboribus suis. *Opera enim illorum sequuntur illos.* Quomodo sequuntur? Nonne Cornelium opera sua præcesserant, cui ab angelo dictum est: *Orationes tuæ et eleemosynæ tuæ commemoratæ sunt in conspectu Dei?* Sed *sequi* pro comitari posuit: nam et exercitus qui regem comitatur, eum sequi dicitur, cum alii præcedant, alii sequantur, alii ad dexteram, sive sinistram incedant. Opera igitur sanctorum sequuntur illos, quia merces operum illorum comitatur illos in perpetuum. Possumus et hoc de illis spiritaliter intelligere, qui temporibus Antichristi pro nomine Domini nostri Jesu Christi interficiendi sunt; beati quippe erunt illi, et in Domino morientur, qui pro fide Domini nostri Jesu Christi morientur. Nunc quia pœnam illorum, qui in Antichristum credituri sunt, narravit, beatitudinemque illorum, qui in fide Christi perseveraverint usque in finem, breviter comprehendit; consequens est ut diem judicii describat, in quo hæc cuncta complebuntur.

Act. x, 4.

(Vers. 14-19). *Et vidi, et ecce nubem candidam, et super nubem sedentem similem Filio hominis, habentem in capite suo coronam auream, et in manu sua falcem acutam. Et alter angelus exiit de templo, clamans voce magna ad sedentem super nubem, dicens: Mitte falcem tuam, et mete; quia venit hora ut metatur, quoniam aruit messis terræ. Et misit qui sedebat super nubem, falcem suam in terram, et messuit terram. Et alius angelus exivit de templo, quod est in cœlo, habens et ipse falcem acutam. Et alius angelus exivit de altari, qui habebat potestatem supra ignem, et clamavit voce magna ad eum qui habebat falcem acutam, dicens: Mitte falcem tuam acutam, et vindemia botros vineæ terræ, quoniam maturæ sunt uvæ ejus. Et misit angelus*[1] *falcem suam acutam in terram, et vindemiavit vineam terræ et misit in lacum iræ Dei magnum.* Totam pene sententiam posui, ut undique circumspecta ejus anfractus apertius videantur. Uterque namque iste angelus Christum significat: similiter et duæ falces unam significationem habent; designant enim illud ignem, quo universus mundus delendus est, quia sicut primo tempore mundus per aquam deletus est, ita et in fine temporum per ignem delebitur. Sed quærendum nobis est, cur unus Christus per duos angelos, et una exterminatio per duas falces figuretur. Primus quippe angelus super nubem candidam sedisse, et coronam auream habuisse visus est; secundus vero neque coronam auream habuisse, neque super nubem candidam sedisse dicitur. Et primus messem terræ, secundus vero botros vineæ terræ præcidisse dictus est: sed primus quo loco messem terræ posuerit, non dicitur: secundus autem botros vineæ terræ in lacum iræ Dei magnum misisse dictus est. Videtur itaque mihi per messem terræ electos: per botros autem, ex quibus vinum oritur, quod mentes hominum alienat, reprobos esse designatos. Ista est messis, de qua Dominus dicit in Evangelio: *In tempore messis dicam messoribus: Colligite primum zizania, et ligate ea in fasciculos ad comburendum: triticum vero recondite in horreis meis.* Qui enim illic per triticum, ipsi in hoc loco per messem designantur. Et qui illic per zizania, ipsi in hoc loco per botros vineæ terræ figurantur: et quia Christus aliter apparebit justis, et aliter injustis, non inconvenienter per duos angelos figuratur. Justi namque in eadem claritate eum videbunt, quomodo ab angelis et sanctis spiritibus in cœlesti beatitudine cernitur; impii autem in ea specie eum videbunt, qua ab hominibus in terra positus videbatur: *Tolletur quippe impius, ne videat gloriam Dei.* Blandus itaque justis, terribilis apparebit injustis; unde et primus super nubem candidam sedisse, et coronam auream habuisse in capite describitur. Per nubem namque candidam corpus ejus immaculatam designatur: per coronam vero auream multitudo angelorum atque sanctorum, qui eum ad judicium venientem comitabuntur, exprimitur. Similiter et una exterminatio per duas falces designatur, quia aliter exterminabuntur justi, aliter injusti: justorum exterminatio redemptio potius dicenda est, sicut Dominus dicit: *Respicite, et levate capita vestra; quoniam appropinquat redemptio vestra.* Redemptio jure vocatur, eo quod a malis temporalibus liberet, et ad gaudia æterna perducat. Impiorum autem exterminatio et hic

Matth. xiii, 30

Isai. xxvi, 10

Luc. xxi, 28.

[1] Edit. Gill., *falcem suam acutam super terram, et messuit terram: uterque namque*, etc. Rom. autem, *falcem suam acutam in terram, et vindemiavit vineam terræ et misit in lacum iræ Dei magnum. Uterque namque*, etc. Locum vero, ut in mss. habetur reposuimus.

gravis erit, et post mortem gravior; damnatio enim luctusque perpetuus in eis permanebit. Justi de spe retributionis æternæ mortem lætam excipient: impii vero de damnatione perpetua timidi, tristissima morte plectentur.

Alter angelus qui exivit de templo, et clamavit voce magna ad eum qui sedebat super nubem, dicens: *Mitte falcem tuam, et mete,* electos qui in hac terra laborant, designat, per templum autem unde exiisse visus est, Ecclesia designatur. Clamavit ergo ad eum qui sedebat super nubem, ut mitteret falcem suam in terram, et meteret, quia sancti viri videntes mundum in maligno positum, ejusque miserias horrentes, deprecantur quotidie ut regnum Dei veniat, in quo ab omnibus angustiis liberati, corpora propria recipient, et in æternum cum Domino exultabunt. Ariditas vero messis maturitatem ejus indicat; nam sicut messis crescit usque ad maturitatem, quando arida efficitur; ita et numerus electorum usque ad finem mundi crescet, eorumque maturitas tunc perficietur, cum eorum fuerit numerus completus. Similiter et quartus angelus qui exiit de altari, qui habebat potestatem super ignem, eamdem significationem habet, quam et secundus, qui de templo exiisse visus est; significat namque electos in hac vita laborantes. Altare autem Ecclesiam significat, sicut et templum: per ignem vero caritatem possumus intelligere, quam in cordibus sanctorum spiritalibus fomentis Spiritus sanctus enutrit. Super hunc ignem sancti habere potestatem ideo dicuntur, quia et ipsi possident caritatem, et possidentur ab ea. Iste ergo angelus clamavit ad tertium angelum secundam falcem gerentem, quem Christum significasse diximus, ut vindemiaret botros vineæ terræ, per quos impii designantur; quia viri sancti videntes quotidie genus humanum a dæmonibus decipi, videntes etiam impios florere, mundumque semper ad deteriora delabi, orant ut dies judicii veniat, in quo et nequitia dæmonum cum ipsis auctoribus pereat, et omnis prævaricatio cum ipsis prævaricatoribus accipiat finem, et adducatur justitia sempiterna, quæ nullo fine terminabitur. Vinea quippe mundum significat, quæ omne impiorum multitudinem genuit et nutrivit: lacus vero, quem infernum vocamus, ideo lacus iræ Dei dicitur, quia vindicta iræ Dei in eo consummabitur.

(Vers. 20). *Et calcatus est lacus extra civitatem.* Per calcationem demersionem impiorum in infernum possumus intelligere: per civitatem autem cœlestis Hierusalem designatur, quæ ex omnibus electis constat. Extra hanc ergo civitatem lacus calcabitur, quia a consortio justorum impii separabuntur, et in infernum detrudentur, sicut Dominus dicit in Evangelio:[1] *Exibunt angeli, et separabunt malos de medio justorum, et mittent illos in caminum ignis. Ibi erit fletus et stridor dentium.* Matth. VII, 14.

Et exiit sanguis de lacu usque ad frenos equorum per stadia mille sexcenta. Per sanguinem pœna impiorum designatur: per spatium vero mille sexcentorum stadiorum, quod sanguis de lacu exiens occupavit, falsi christiani designantur: qui numerus quamvis a quaternario numero derivetur, circumquaque tamen[2] eumdem numerum servans spargitur, finesque ejus minime transiliit. Similiter et falsi christiani fidem Christi, quæ in quatuor libris Evangelii consistit, in baptismate suscipiunt: sed arctam et angustam viam, quæ intra angustias quaternarii numeri concluditur, relinquentes, quæ ducit ad vitam, per latam et spatiosam hujus sæculi viam, quæ ducit ad mortem, incedunt. Verumtamen a quaternario numero non recedunt, quia quamvis opera christianitatis non habeant, nomen tamen christianitatis non amittunt. Sanguis ergo de lacu exivit, et mille sexcenta stadia occupavit, quia ea pœna quæ dæmones et omnes incredulos absorbebit, etiam falsos christianos, qui fidem visi sunt habuisse, sed opera fidei non habuerunt, illaqueabit. Per equos vero falsi pastores Ecclesiæ designantur, qui officium regiminis non pro amore Dei, sed pro amore sæculi suscipiunt: per frenos quibus equi reguntur, eorum falsa doctrina designatur. Habent quidem falsi pastores doctrinam in ore, ne ab officio funditus alieni videantur: sed pharisæorum exemplum sequentes, dicunt et non faciunt. Et quia aliud non possunt docere, nisi quod Evangelium loquitur, et in prædicatione sua annuntiant peccatoribus quas pœnas patientur, nisi corrigantur; usque ad equorum frenos sanguis pervenit, quia pœnas quas peccatoribus minati sunt, nisi corrigerentur, ipsi quia vitia sua deserere noluerunt, experientur. Matth. XIII, 3.

CAPUT XV.

(Vers. 1). *Et vidi aliud signum in cœlo magnum et mirabile, angelos septem habentes septem plagas novissimas; quoniam in illis consummata est ira Dei.* Sicut superius antequam ad narrationem septem angelorum tubis canentium veniret, eorum mentionem facere studuit; ita et hic antequam ad septem angelorum phialas habentium narrationem veniat, eorum mentionem facit, ut indicet magna mysteria in eorum visione contineri. Sed de iis in sequentibus quod Dominus dederit, dicemus.

(Vers. 2, 3). *Et vidi tamquam mare vitreum mixtum igni, et eos qui vicerunt bestiam, et imaginem ejus, et numerum nominis ejus, stantes super mare vitreum, habentes citharas Dei, et cantantes canticum Moysi servi Dei, et canticum Agni dicentes.* Quid significet mare vitreum, superius in visione secunda diximus: sed illic tamquam crystallum esse dicitur, hic autem mixtum igne; et quia crystallus eximiæ claritatis est, ignemque de se, cum calorem solis acceperit, solet emittere, eamdem significationem habet illic crystallus, quam hic ignis; significant namque spiritalem intelligentiam, quæ in divinis Scripturis invenitur. Mare igitur vitreum mixtum est igni, quia divina Scriptura mixta est spiritalibus intellectibus. Super mare itaque vitreum ii, qui bestiam vicerunt, stare visi sunt, quia sancti Dei qui contra Antichristum pugnaturi sunt, in præceptis divinarum Scripturarum gressus figent,[3] nullaque impulsione ventorum a sua fide moveri poterunt. Per citharas vero quas habebant, mortificatio carnis Ad cap. 4.

[1] Desiderabatur in editt., *et mittent illos...*, *et stridor dentium.*

[2] Omnes edit., *eumdem numerum spargens spargitur;* omnes mss.,.... *servans spargitur.*

[3] Editt., *nullaque impulsione vitiorum;* mss.,.... *ventorum.*

designatur: canticum autem Moysi, vetus Testamentum; canticum Agni novum demonstrat. Canticum ergo Moysi et canticum Agni cantabant, quia et vetus et novum Testamentum sancti prædicabunt. Quod canticum quale sit, audiamus.

(Vers. 14). *Magna et mirabilia opera tua, Domine Deus omnipotens; justæ et veræ viæ tuæ, Rex sæculorum. Quis non timebit te, Domine, et magnificabit nomen tuum? Quia tu solus pius es; quoniam omnes gentes venient, et adorabunt in conspectu tuo, quoniam judicia tua manifesta sunt.* Concordat hoc canticum cum veteri et novo Testamento; nam septem benedictiones ibi inveniuntur, quæ septem partibus, de quibus superius
Ad cap. 5 et 7. diximus, coaptari possunt. Prima quippe benedictio est: *Magna et mirabilia opera tua, Domine Deus omnipotens;* quæ primo tempori convenire potest, in quo factum est cœlum et terra, omnesque creaturæ, quæ valde sunt mirabilia. Secunda est: *Justæ et veræ viæ tuæ, Rex sæculorum;* quæ congruit parti secundæ, in qua omnes creaturæ quæ habebant spiritum vitæ, justissimo Dei judicio aquis diluvii deletæ sunt. Tertia est: *Quis non timebit te, Domine?* quæ tertiæ parti, iis videlicet quibus Lex data est, congruit, qui timore potius quam amore Legis mandata exercebant. Quarta est: *Et magnificabit nomen tuum;* quam prophetis convenire manifestum est, qui nomen Dei et prædicationibus et scriptis magnificaverunt. Quinta est: *Quia tu solus pius es;* in quinta parte adventum Christi posuimus, in qua Dominus noster, qui solus pius est, et homo fieri pro salute generis humani, et pati et mori dignatus est. Sexta est: *Quoniam omnes gentes venient, et adorabunt in conspectu tuo;* manifestum est post ascensionem Domini omnes gentes ad fidem venisse Christi, quas in sexto loco posuimus. Septima est: *Quoniam judicia tua manifesta sunt;* quam ad diem judicii pertinere manifestum est, in quo judicia Dei justa et vera esse manifestabuntur. A cujus judicii damnatione nos misericordia et pietas Domini et Redemptoris nostri
1 Jesu Christi liberare[1] dignetur, qui cum Patre et Spiritu sancto vivit et regnat Deus per omnia sæcula sæculorum, amen.

DE VISIONE QUINTA.

Visio quinta, ad cujus sensus elucidandos, Domino juvante, perveuimus, ex maxima parte visioni superiori concordat, de cujus intelligentia usque modo quod Domini gratia largiri dignata est, di-
Ad cap. 8. ximus. Nam sicut illic septem angeli visi sunt, quibus datæ sunt septem tubæ; ita et hic septem angelis septem phialæ datæ fuisse memorantur: et sicut in cantu tubæ primi angeli grando magna terram percussit; ita et in effusione phialæ primi angeli homines, qui per terram sæpe designantur, pessimis vulneribus percussi esse dicuntur: et quemadmodum in cantu tubæ secundi angeli tertia pars maris in sanguinem versa est; similiter et in effusione phialæ secundi angeli totum mare in san-
2 guinem versum fuisse[2] describitur. Eumdem sensum sequuntur et cæteri: sed qualiter isti cum superioribus concordent, in sequentibus dicemus.

A Eamdem ergo significationem habent isti, quam et illi; significant quippe prædicatores, qui fuerunt ab initio, et erunt usque ad finem. Sed ideo bis ponuntur, quia sicut superius demonstravimus, ea quæ sub cantu tubæ primi angeli, secundi, tertii, atque quarti gesta fuisse visa sunt, ad electos pertinent. Porro quæ sub cantu tubæ quinti, sexti, atque septimi angeli facta fuisse referuntur, quibus et tria væ conjunguntur, in quibus persecutiones Ecclesiæ, quas ab hæreticis et a paganis passa est,
B et ab Antichristo in fine mundi passura est, describuntur, ex una parte ad reprobos, ex altera ad electos pertinent; quia impii ex malo quod piis ingerunt, pœnam perpetuam; justi vero ex malo quod perferunt, gloriam sempiternam sibi acquirunt. Omnia itaque quæ sub effusione phialarum septem angelorum describuntur, ad reprobos pertinent; unde et primi tubis, quibus exercitus Dei ad pugnam provocabatur, cecinisse dicuntur; sequentes autem phialas plenas iracundiæ Dei super
C impios effudisse referuntur.

(Vers. 5). *Post hæc vidi, et ecce apertum est templum tabernaculi testimonii in cœlo.* In Exodo scriptum est quod fecerit Moyses tabernaculum in deserto: postea vero a Salomone, jam populo in terra repromissionis degente, templum ædificatum est. Per desertum igitur hoc sæculum: per tabernaculum quod de loco ad locum transfertur, præsens Ecclesia designatur, quæ de deserto hujus sæculi quotidie ad cœlestem beatitudinem transit,
D pergitque de virtute in virtutem, ut videat Deum deorum in Sion. Unde et cortinæ tabernaculi, quæ Ps. LXXXIII, 8.
diversis coloribus depictæ erant, pellibus tegebantur et ciliciis, ut demonstrarent mortificationem carnis atque humilitatem custodiam esse virtutum. Quid autem per terram repromissionis, nisi cœlestis patria designatur, quam repromisit Deus diligentibus se? Et quid per templum, quod ex optimis lapidibus ædificatum fuit, figuratur, nisi cœlestis Hierusalem, quæ ex vivis lapidibus quotidie ædificatur?[3] Quod 3 Jacob. I, 12.
E ergo dicit: *Apertum est templum tabernaculi,* tale est ac si dicatur: Apertum est templum Ecclesiæ: templum vero Ecclesiæ quid est aliud, nisi cœlestis patria? In hoc templo Psalmista habitare desiderabat, cum dicebat: *Unam petii a Domino, hanc requiram; ut inhabitem in domo Domini omnibus diebus vitæ meæ.* Hoc itaque templum Ps. XXVI, 4.
per Christum apertum est, quia aditus regni cœlestis per eum omnibus fidelibus patefactus est.

(Vers. 6). *Et exierunt septem angeli, habentes*
F *septem plagas de templo, vestiti lapide mundo et candido, et præcincti circa pectora zonis aureis.* Si per templum cœlestis patria, et per septem angelos prædicatores designantur, quomodo de templo exiisse dicuntur? Numquid sancti de illa cœlesti patria ad prædicandum descendunt? Sed sancti prædicatores quasi de cœlesti patria exeunt, cum ab illo mittuntur, qui est gloria sanctorum, et a quo omnis doctrina eorum procedit. Qui septem plagas habuisse dicuntur: et superius septem plagas
G habuisse dicti sunt, eo quod in illi consummata sit ira Dei. Si septem plagas iracundiæ Dei habuerunt, quomodo sancti facti fuerunt? Sed habuerunt sancti Dei plagas septem in potestatem, non in pœnam

[1] Cod. Gem., *dignetur, cui est honor et gloria per omnia,* etc.
[2] Ita mss.; editt. vero, *describitur. Sed qualiter isti.... dicemus, eumdem sensum secuturi.*

[3] Omnes edit., *Quid igitur dicit, apertum est templum Ecclesiæ: Templum,* etc. Sed mss. hiatum resarciunt, ut in contextu.

suam; Dominus namque dicit in Evangelio: *In regeneratione cum sederit Filius hominis in sede majestatis suæ, sedebitis et vos super sedes duodecim, judicantes duodecim tribus Israel.* Per
Matth. XIX, 28
septem autem plagas septem vitia principalia, ex quibus omnia mala oriuntur, designantur. Septem igitur plagas septem angeli habuisse visi sunt, quia prædicatores sancti in die judicii septem vitia principalia, id est, omnes operatores malorum ita in potestate habebunt, ut eorum judicio perpetua pœna plectantur. Consummata est vero in sanctis prædicatoribus ira Dei, id est, per illos, quia eorum judicio ira Dei perficietur. Possumus septem plagas aliter intelligere. Superius omne corpus impiorum
Ad cap. I.
in septem partes divisimus: septem ergo plagæ sunt peccata, quæ unicuique parti aptius conveniunt; aliter enim judicabuntur ii, qui ante diluvium fuerunt, populumque Dei conjunctione feminarum de-
Gen. VI, 2.
ceperunt: aliter ii qui post diluvium idololatriam, diversosque errores invenerunt, per quæ genus humanum deceptum est: aliter ii qui sub Lege fuerunt, et mandata Dei non custodierunt: aliter pseudoprophetæ, qui populum Dei deceperunt: aliter impii Judæi, qui Dominum interfecerunt, et apostolos ejus persecuti sunt: aliter persecutores Ecclesiæ, qui fidem Christi exstinguere conati sunt: aliter ministri Antichristi, qui Christum deserturi, et Antichristum sunt secuturi. Has itaque plagas sancti Dei in potestate habebunt, quia singuli eos qui suis temporibus fuerunt, eorumque monita contempserunt, suo judicio perpetua pœna damnabunt. Per lapidem vero mundum atque candidum, quo septem angeli vestiti fuisse visi sunt, Christus designatur, de quo dicit Apostolus: *Omnes qui in*
Galat. III, 27.
Christo baptizati estis, Christum induistis. Per zonas autem aureas, quibus circa pectora præcincti narrantur, prædicatorum sapientia intimatur: quæ corda sanctorum intra se ita concludit, ut extra ipsam per diversos errores evagari non sinat.

Et unum e quatuor animalibus dedit septem angelis septem phialas aureas, plenas iracundiæ Dei viventis in sæcula sæculorum. Quatuor animalia quamvis quatuor evangelistas significent, tamen et simul et sigillatim Christum significant: sed quia brevitas non permittit ut dicamus quemadmodum unumquodque Christum significet; per istud unum animal Christum intelligamus. Phialæ vero corda sunt sanctorum, quæ propter sapientiam aurea recte vocantur. Unus ergo ex quatuor animalibus dedit septem angelis septem phialas aureas, quia Christus corda sanctorum suorum sapientia replevit. Verum si sapientia repleta sunt, quomodo iracundiæ Dei plena esse dicuntur? Dominus in Evangelio dicit de impiis Judæis: *Si non venissem, et locutus eis fuissem, peccatum non*
Joan. XV, 22.
haberent. Numquid Judæi ante adventum Christi peccatum non habebant? Erant itaque antea peccatores, sed peccatum incredulitatis, peccatum blasphemiæ, quo eum Beelzebub vocaverunt, peccatum homicidii, quo eum crucifixerunt, et multa alia scelera quæ ex adventu ejus traxerunt, non
[1]
habebant. In phiala autem Christi:[1] in qua vita mundi continebatur, Judæi sui culpis exigentibus, mortem invenerunt. Phialæ igitur septem angelorum plenæ fuerunt iracundiæ Dei, quia quantum ad reprobos pertinet, prædicatio sanctorum iram

A Dei in se continuit; quia pro eo quod eorum prædicationem contempserunt, iram Dei incurrerunt.

(VERS. 8). *Et impletum est templum fumo a majestate Dei, et de virtute ejus.* Diximus superius per templum cœlestem patriam designari: fumus vero si intra domum fuerit, oculos a foris perspicientium obscurat; ut non perfectæ possint videre ea, quæ in domo geruntur. Templum igitur cœlestis patriæ modo fumo est plenum, quia electi in hac vita positi, dum oculos mentis suæ ad con-
B templanda cœlestia attollunt, obscurantur quadam caligine, quam transmeare non possunt: quam obscurationem fumum vocat. Hanc caliginem Paulus patiebatur, cum dicebat: *Videmus nunc per speculum in ænigmate, tunc autem facie ad faciem.* Et iterum: *Nunc autem cognosco ex parte, tunc vero cognoscam sicut et cognitus sum.* Et notan- I Cor. XIII, 12.
dum quia hanc hebetationem electi quamdiu in hac vita positi sunt, patiuntur: cum autem ad illam cœlestem beatitudinem transierint, ab oculis
C mentis eorum avelletur. Unde et sequitur: *Et nemo poterat introire in templum, donec consummarentur septem plagæ septem angelorum.* Numquid in illa cœlesti beatitudine quotidie justi non introeunt? Sed de ingressione corporum hoc dictum esse intelligamus; in illa quippe cœlesti beatitudine justi ingrediuntur cum corporibus suis, usque dum septem plagæ septem angelorum compleantur. De septem plagis superius diximus: ultima vero plaga erit, cum Antichristus suis erroribus genus
D humanum inficiet. Finitis autem septem plagis, pro quibus examinandis dies judicii fiet, sancti corpora sua recipient, atque in templo patriæ cœlestis sine fine cum Domino habitabunt. De hac habitatione dicit Psalmista: *Beati qui habitant in domo tua, Domine; in sæcula sæculorum laudabunt te.* Ps. LXXXIII, 5.

CAPUT XVI.

(VERS. 1). *Et audivi vocem magnam de templo,*
E *dicentem angelis septem: Ite, et effundite septem phialas iracundiæ Dei in terram.* Vox de templo vox Domini est præcipientis prædicatoribus, ut verbum Dei non solum electis, sed etiam reprobis annuntient; quatenus habeant isti unde corrigantur, et illi unde deterius damnentur. Per terram vero peccatores designantur. Prædicatores itaque phialas suas super terram effundunt, cum verbum Dei peccatoribus annuntiant.

(VERS. 2). *Et abiit primus, et effudit phialam*
F *suam in terram, et factum est vulnus sævum ac pessimum in hominibus, qui habebant characterem bestiæ, et in eis qui adoraverunt imaginem ejus.* Primus Angelus prædicatores qui ante Legem fuerunt, designat: sicut et ille qui in præcedenti visione tuba primus cecinisse visus est. Sed illic Ad cap. 8.
per tertiam partem terræ quæ combusta est, electi designantur; hic autem per eos qui vulnus sævum ac pessimum passi sunt, reprobi. Effudit igitur angelus phialam suam in terram, quia sancti viri
G qui ante Legem fuerunt, admonitionis verba impiis impenderunt, ut eos corrigerent: sed vulnus sævum ac pessimum in eos factum est, quia ex prædicatione sanctorum deteriores effecti, mandata Dei contempserunt; vulnus namque sævum ac pessimum est contemptus mandatorum Dei. Verum si vulnus

[1] Codex Gem., *qui sapientia continebatur.*

sævum ac pessimum tantummodo ad reprobos pertinet, et illi tantummodo hoc passi sunt, qui characterem bestiæ habuerunt, quærendum nobis est qui sit character bestiæ. Quod si per characterem bestiæ superbiam voluerimus intelligere, eo quod propter illam diabolus de cœlo ceciderit, advertere debemus multos electos superbiæ vulnus habuisse, sed medicamento humilitatis sanatos esse. Est autem aliud vitium pessimum, quod medicamentum pœnitentiæ a se semper excludit; scimus enim diabolum esse irrevocabilem, ut nullo modo ab iniquitatibus suis corrigi possit. Itaque qui irrevocabilis est, medicamentum pœnitentiæ non requirit, sicut et diabolus ab hoc medicamento alienus existit. Ergo qui per doctrinam sanctorum Patrum a sceleribus suis revocari non potuerunt, characterem diaboli habuerunt, qui incorrigibilis et impœnitens perseverat. Sed quia hoc vitio, nostro tempore, multi laborant, necesse est ut de magnitudine ejus aliqua dicamus: nam sunt nonnulli ita irrevocabiles, ut quamvis sciant pravam esse assertionem suam, nullo modo ab ea revocari possint, timentes vinci ab hominibus; et ne convincantur, mendaciis et perjuriis atque flammantibus contentionibus falsitatem suam defendere conantur; dumque timent vinci ab hominibus, a diabolo vincuntur. Cætera ergo vitia medicamento pœnitentiæ sanantur: istud autem solum est, quod a se hoc salubre medicamentum excludit; ne scilicet per confessionem et pœnitentiam victi esse videantur. Et quia malum suum ut vicisse videantur, laudant, completur in illis illud propheticum: *Væ qui dicitis malum bonum, et bonum malum: po-*
Isai. v, 20. *nentes tenebras lucem, et lucem tenebras.* Fertur avis quædam esse, quæ serpentem vincit et comedit, sed post paululum veneno illius perimitur: similiter et isti gaudent se vicisse proximos, sed talis victoria interfectrix est animarum illorum. Quicumque ergo tales sunt, characterem portant diaboli. Per imaginem vero bestiæ vitia possumus intelligere,
1 eo quod ipse[1] sit auctor omnium malorum. Imaginem itaque bestiæ adorat quicumque vitiis servit; nam et Paulus dicit quod venter Deus esset falsorum prædicatorum: *Quorum,* inquit, *Deus venter est, et gloria in confusione ipsorum: qui terrena*
Philip. iii, 19. *sapiunt.* Similiter et avaritiam servitutem vocavit
Coloss. iii, 5. idolorum.

(Vers. 3). *Et secundus effudit phialam suam in mare, et factus est sanguis tamquam mortui, et omnis anima vivens mortua est in mari.* Iste angelus doctores Legis significat, sicut et ille qui in præcedenti visione secundus tuba cecinisse visus
Sup. ad cap. 8. est: sed ibi tertia pars maris in sanguinem versa fuisse dicitur, per quæ electos designatos fuisse diximus; hic autem totum mare in sanguinem
Gen. ix, 5. versum esse legitur. Vindicta criminalium scelerum secundum Legem erat sanguinis effusio. Per mare igitur prævaricatores Legis designantur; quod in sanguinem versum est, quia vindictam perpetuam pro contemptu mandatorum Dei receperunt. Omnis vero anima vivens mortua est in mari, quia multi ex iis qui in mari erant, id est, ex numero reproborum, qui per mare designantur, et qui ante per-

A ceptionem Legis vivi, id est, justi videbantur, accepta Lege, quod injusti fuerint, ex prævaricatione Legis comprobatum est. Sunt etiam modo multi in Ecclesia, qui antequam ad honores ecclesiasticos sive sæculares conscendant, sancti et justi videntur; verum acceptis honoribus, dum donum Dei in malum pervertunt, quod mortui et non vivi fuerint, omnibus patet.

(Vers. 4). *Et tertius effudit phialam suam super flumina, et super fontes aquarum, et factus*
B *est sanguis.* Iste angelus prophetas designat, per flumina vero fontesque aquarum duodecim tribus cum suis familiis designantur; nam et in præcedenti visione per tertium angelum tuba canentem prophetas diximus fuisse designatos.[2] Sed ibi tertia 2
pars fluminum atque fontium versa esse legitur in absynthium, per quam eos qui per doctrinam prophetarum amaritudinem pœnitentiæ assumpserunt, atque per eam salvi esse meruerunt, diximus fuisse designatos: hic autem in effusione phialæ
C tertii angeli flumina et fontes in sanguinem conversa fuisse leguntur. Angelus igitur phialam suam super flumina et fontes aquarum effudit, quando prophetæ sancti impio populo verbum Dei annuntiaverunt; sed illi ex prædicatione sanctorum multo deteriores effecti, non solum mandata Dei contempserunt, sed et ipsos verbi Dei ministros occiderunt. In sanguinem vero versi sunt, quia ipsi sibimetipsis mortem perpetuam intulerunt.

(Vers. 5, 6). *Et audivi*[3] *angelum quartum di-* 3
D *centem: Justus es, qui es, et qui eras sanctus, quia hæc judicasti; quia sanguinem sanctorum et prophetarum effuderunt, et sanguinem eis dedisti bibere, quod digni sunt.* Possumus per angelum quartum angelum illius populi intelligere, qui videns justo Dei judicio populum iniquum esse damnatum, laudat sententiam justissimam Dei omnipotentis. Et quia sanguinem sanctorum et prophetarum fuderunt, sanguinem biberunt, quia pro morte temporali, quam justis intulerunt, mortem
E perpetuam receperunt.

(Vers. 7). *Et audivi*[4] *etiam altare dicens: Do-* 4
mine Deus omnipotens, vera et justa judicia tua. Possumus per altare sanctos viros qui eo tempore fuerunt, intelligere; qui laudaverunt justum judicium Dei, eo quod impio populo justissimam damnationem intulerit, sicut legimus Danielem et tres pueros fecisse.

(Vers. 8, 9). *Et quartus phialam suam effudit*
in solem, et datum est illi æstu[5] *afficere homines,* 5
F *et igni. Et æstuaverunt homines æstu magno, et blasphemaverunt nomen Dei habentis potestatem super has plagas; neque egerunt pœnitentiam, ut darent illi gloriam.* Quartus angelus Christum et apostolos ejus, cæterosque prædicatores significat, ut quartum angelum in superiori visione significasse diximus: sed ibi per solem populus Judæorum, per tertiam partem solis et lunæ atque stellarum fideles qui ex illo populo in Christum crediderunt, designatur. Quartus igitur angelus
G phialam suam in solem effudit; quia Christus et apostoli ejus, quod impii Judæi a Romanis delendi

[1] Editt., *et quod ipsa, id est, diabolus sit auctor;* mss., *eo quod ipse sit auctor.*

[2] Omnes edit., *Sed ibi pars fluminum;* mss., *tertia pars fluminum.*

[3] Rom. edit., *angelum aquarum dicentem: Justus es, Domine.... Possumus per angelum aquarum,* etc.

[4] Omnes edit., *Et audivi vocem de altari dicentem: Etiam, Domine:* omnes mss. ut in contextu.

[5] Ita mss.; edit. autem Gill. pro *afficere* in margine posuit *affligere*, quod Rom. in textum admisit, ac præterea totum, qui sequitur, Scripturæ versiculum exsecavit.

essent, apertis vocibus prædixerunt. Nam sicut quilibet servus accipit a Domino suo gladium, non unde ipse juguletur, sed unde reum jugulet; ita et Romani effusionem phialæ, in qua ira Dei continebatur, non ad hoc susceperunt, ut ipsi in ea perirent, sed ad vindicandum Christi sanguinem in Judæos effunderent; unde et sequitur: *Quia datum est illi æstu afficere homines et igni.* Possumus per æstum obsidionem, per ignem autem famem et gladium, quibus Judæi pene omnes consumpti sunt, intelligere. Datum est ergo soli afficere homines æstu et igni, quia Romanis datum est a Deo, ut impios Judæos diversis calamitatibus afflictos, quosdam occiderent, quosdam a sua terra evellerent. *Et æstuaverunt homines æstu magno.* Quam magnus fuerit ille æstus, quo Romani Judæos afflixerunt, qui vult scire, Josephum legat, et inveniet nullam gentem in omnibus regnis terrarum atrocius periisse. *Et blasphemaverunt nomen Dei habentis potestatem super has plagas.* Tam impia fuit gens Judæorum, ut cum scirent se pro sceleribus suis inaudita mala perpeti, non solum a blasphemiis Christi non cessaverint, sed etiam multo deteriores blasphemias in suis afflictionibus contra Deum evomuerint. Unde et sequitur: *Neque egerunt pœnitentiam, ut darent illi gloriam;* darent namque Deo gloriam, si ex suis iniquitatibus pœnitentiam agentes in Christum credidissent, ejusque mandata custodissent.

De bello Judaico.

(Vers. 10, 11). *Et quintus effudit phialam suam super sedem bestiæ, et factum est regnum ejus tenebrosum: et commanducaverunt linguas suas præ dolore, et blasphemaverunt Deum cœli præ doloribus et vulneribus suis; et non egerunt pœnitentiam ex operibus suis.* Quintus angelus orthodoxos patres qui contra hæreticos dimicaverunt, significat, quemadmodum et illud diximus significasse, qui in superiori visione quintus tuba cecinit. Et sicut illic per locustas hæretici designati sunt, ita et hic per sedem bestiæ hæretici designantur: bestia autem diabolum significat. Jure igitur hæretici sedes bestiæ dicuntur, quia in eorum cordibus diabolus inhabitat. Quintus igitur angelus phialam suam super sedem bestiæ effudit, quia sancti viri errores hæreticorum detegentes, quæ pœna illis instaret, manifestare studuerunt. Factum est vero regnum ejus tenebrosum, quia illis quibus doctrina hæreticorum fulgida videbatur, per doctrinam sanctorum Patrum, quod misera et tenebrosa esset, demonstratum est. *Commanducaverunt linguas suas præ dolore*, quia singuli singulorum errores reprehendebant; nam neque Arius[1] Eunomium secutus, vel Sabellium, vel quemquam illorum, neque illi illum; sed unusquisque hæresim suam stabilire volens, cæterorum errores reprehendebat. Qui etiam Deum præ doloribus et vulneribus suis blasphemasse dicuntur; dolebant quippe hæretici, eo quod a catholicis viris semper convincerentur: vulnera vero eorum erant errores singulorum. Blasphemabant vero hæretici Deum præ doloribus suis; quia quanto amplius a catholicis viris superabantur, tanto ampliores blasphemias ad eos revincendos inveniebant: impellebant nihilominus eos ad Deum blasphemandum proprii errores, quos profitebantur. Qui etiam sine pœnitentia fuisse dicuntur; vix enim aliquem ex inventoribus hæresum invenies, qui pœnitentiam egerit ex suis erroribus.

Sup. cap. 9.

(Vers. 12). *Et sextus effudit phialam suam super flumen magnum Euphraten, et siccavit aquam ejus; ut præpararetur via regibus ab ortu solis.* Sextus iste angelus eamdem significationem habet, quam et ille qui sexta tuba cecinisse visus est; significat enim martyres sanctos: et qui designantur illic per equites, a quibus tertia pars hominum occisa fuisse describitur, ipsi et in hoc loco per flumen magnum Euphraten, persecutores videlicet Ecclesiæ Dei. Effudit ergo angelus phialam suam super flumen Euphraten, quia quæ damnatio persecutoribus Ecclesiæ instaret, ipsis persecutoribus sine aliqua trepidatione prædixerunt. Per aquam vero ipsa persecutio designatur: siccavit autem aquam ejus, quia tamdiu in prædicatione verbi Dei sancti martyres perstiterunt, usquedum omnis persecutio finem acciperet, quibusdam ex persecutoribus in infernum demersis, quibusdam fidei christianæ semetipsos subjicientibus. Per reges multitudinem gentium, quæ ad fidem Christi confluxit, possumus intelligere. Via itaque regibus siccata aqua præparata est, quia finitis persecutionibus, libera facultas data est omnibus gentibus ad fidem Christi veniendi. Sed quomodo ab ortu solis venisse dicuntur, id est, a Christo, qui per solem designatur; cum non a Christo, sed ad Christum, diabolum relinquentes, venerint? Nisi forte per solem diabolum intelligamus, ut ab ipso ad Christum venerint: sed melius est ut per solem Christum intelligamus, propter illud propheticum: *Vobis autem timentibus nomen meum orietur sol justitiæ,*[2] *et sanitas in pennis ejus.* Ab ortu ergo solis, id est, a Christo veniunt, quia ipso inspirante et impellente ad eum veniunt; ipsius est donum et velle et perficere quæ bona sunt, sicut ipse dixit: *Sine me nihil potestis facere.* A Christo itaque veniunt quicumque ad Christum veniunt, quia ipse dat ut veniant, et ipse suscepit venientes.

Malach. IV, 2

Joan. XV, 5.

(Vers. 13, 14). *Et vidi de ore draconis et de ore bestiæ, et de ore pseudoprophetæ exire tres spiritus immundos in modum ranarum; sunt enim spiritus dæmoniorum facientes signa.*[3] Vocatione gentium descripta, qualiter ad fidem Christi venerint, mentionem facit Antichristi, qui prope finem mundi venturus est. Spiritus vero tres immundi discipulos designant Antichristi, qui eum per universum orbem prædicaturi sunt: qui quamvis homines sint futuri, spiritus immundi, et spiritus dæmoniorum vocantur, quia dæmones in ipsis habitabunt, et per ora eorum loquentur: qui de ore Antichristi, et de ore pseudoprophetæ ejus exiisse visi sunt, quia per eorum doctrinam filii diaboli efficientur: qui etiam de ore draconis exiisse visi sunt, quia per os Antichristi diabolus loquetur. Ranis nihilominus, quæ sunt reptilia immunda, et in luto viventia, recte assimilantur, quia sicut ranæ in sordidis aquis immorantur, ita et discipuli Antichristi eos facile decipient, qui diversis vitiis

3

[1] *Nam neque Arius... errores reprehendat,* ex mss. omnibus restitutum est.

[2] Aberat ex editt., *et sanitas in pennis ejus,* sed habetur in cunctis mss.

[3] Mss. etiam omnibus debetur, quidquid ab his verbis, *vocatione gentium* usque ad *venturus est,* legitur.

et sceleribus non timuerant sordidari. Nam et ranarum vox rauca et turpis impiissimam eorum prædicationem blasphemiis plenam designat. *Et procedent ad reges totius terræ congregare illos in prælium ad diem magnum omnipotentis Dei.* Per reges terræ non solum reges, sed et populi designantur: congregabunt autem illos discipuli Antichristi in prælium ad diem magnum omnipo-
1 tentis Dei, non quod[1] contra Deum pugnare audeant in die judicii, a quo tam terribiliter judicabuntur: sed congregabunt eos in prælium ad persequendam Ecclesiam, ut in die magno Dei omnipotentis perpetua pœna damnentur. Et quia finita persecutione Antichristi, Dominus ad judicium in proximo veniet, subdit:

(Vers. 15). *Et ecce venio sicut fur.* Dies Domini, sicut dicit Apostolus, sicut fur, ita in nocte veniet; cum enim dixerint: Pax et securitas, tunc repentinus eis superveniet interitus. *Beatus qui vigilat, et custodit vestimenta sua; ne nudus*
I Thess. v, 2, 3. *ambulet, et videant turpitudinem ejus.* Impii qui in voluptatibus suæ carnis veluti in quadam mollitie lectuli requiescunt, et qui nolunt prævidere mala quæ sequuntur, non inconvenienter dormire dicuntur. Quos Apostolus admonet dicens: *Surge, qui dormis, et exsurge a mortuis, et illuminabit*
Ephes. v, 4. *te Christus.* Justi vero qui mala quæ sequuntur, prævidere student, qui voluptates carnales in se exstinguunt, qui armis virtutum se muniunt, ut contra visibiles et invisibiles hostes indesinenter dimicare valeant, non incongrue vigilare dicuntur, ideoque beati sunt. Vestimenta autem nostrarum animarum sunt opera bona: custodia vestium custodia est mandatorum Dei. Vestimenta ergo nostra custodimus, si ea quæ præcepit Deus, operando implemus: nudus vero est, qui a bonis operibus alienus existit. Nudi impii ambulabunt, cum ad diem judicii a bonis operibus vacui deducentur; et ideo turpitudo illorum videbitur, quia et angelis et hominibus eorum scelera manifestabuntur.

(Vers. 16). *Et congregabit eos in locum, qui vocatur hebraice Armageddon.* Armageddon mons globosus, sive consurrectio in priora interpretatur: quæ utraque interpretatio diei judicii coaptari potest. Mons quippe globosus recte vocatur, eo quod globis flammarum universus mundus tunc deleatur: similiter et consurrectio in priora recte dicitur, eo quod omnes homines in priorem statum resurgendo reparentur.

(Vers. 17). *Et septimus effudit phialam suam in aerem.* Per septimum istum angelum prædicatores sancti, qui temporibus Antichristi futuri sunt, designantur; sicut et illum significasse dixi-
Ad cap. 9. mus, qui superius septimus tuba cecinisse legitur: per aerem vero vani homines designantur. Angelus igitur phialam suam in aerem effudit, quia prædicatores sancti vanis et impiis hominibus quod perpetua pœna sint damnandi, denuntiabunt. *Et exivit vox magna de templo a throno, dicens.* Vox magna vox est prædicatorum sanctorum: per templum Ecclesia intelligitur. A templo ergo vox exiit, quia ab Ecclesia vox sanctæ prædicationis procedit: quæ etiam et a throno exiisse dicitur, quia Ecclesia Dei thronus est Dei, et in illa sedens requiescit. Quid autem hæc vox dicat, subdendo ma-

A nifestat: *Factum est;* id est, finis mundi instat, in quo omnia quæ prædicta sunt a Domino et a sanctis, complebuntur.

(Vers. 18). *Et facta sunt fulgura et voces et tonitrua, et terræ motus factus est magnus, qualis numquam fuit, ex quo homines fuerunt super terram, talis terræ motus,*[2] *sic magnus.* Per ful- 2
gura miracula quæ per sanctos suos facturus est Deus, designantur; legimus namque in superioribus, Eliam et Enoch plurima signa esse facturos: per
B voces prædicatio sanctorum: per tonitrua autem terror ignis æterni exprimitur: terræ motus vero motionem cordium sæpe designat. Movebuntur enim quidam de malo ab bonum, sicut Judæi qui in Christum credituri sunt: movebuntur alii de bono ad malum, qui fidem Christi relicturi sunt, et errores Antichristi secuturi.

(Vers. 19). *Et facta est civitas magna in tres partes, et civitates gentium ceciderunt.* Civitas magna civitas est diaboli, id est, omnis multitudo
C reproborum: per tres partes in quibus divisa est, Judæi qui in Christum credere noluerunt, et pagani atque falsi christiani designantur. Quod autem dicit: *Et civitates gentium ceciderunt;* videtur mihi ad diem judicii pertinere. Civitates gentium tunc cadent, cum eo igne qui faciem Domini ad judicium venientes præcedet, omnes gentes delebuntur, sicut dicit Psalmista: *Ignis ante ipsum præcedet, et inflammabit in circuitu inimicos ejus.* Ps. xcvi, 3

Et Babylon magna venit in memoriam ante
D *Deum dare ei calicem vini indignationis iræ ejus.* Quomodo Babylon in memoriam ante Deum venisse dicitur, ad cujus memoriam nihil accedere, nihil recedere potest; in cujus conspectu sicut præsentia, ita præterita, et futura consistunt? Sed memoriam pro tempore posuit: Babylon igitur in memoriam ante Deum venient, quando illud tempus veniet, in quo statuit judicare mundum, et reddere unicuique secundum opus ejus. Vinum vero indignationis iræ Dei, pœna perpetua est; quia peracto
E judicio, omnes impii cum auctore iniquitatis diabolo damnabuntur.

(Vers. 20). *Et omnis insula fugit, et montes non sunt inventi.* Eamdem significationem habent montes et insulæ, quam civitates gentium, quæ paulo superius dicuntur cecidisse; per insulas namque gentes, per montes vero earum principes designantur: fugere autem dicuntur, cum ab igne in die judicii delebuntur.

(Vers. 21). *Et grando magna sicut talentum*
F *descendit de cœlo in homines.* In Evangelio scriptum est quod quidam paterfamilias peregre proficiscens, dedit uni servorum suorum quinque talenta, alii duo, alii vero unum. Sed primus et secundus negotiando talenta, quæ a Domino acceperant, duplicarunt; tertius fodit in terram, et abscondit pecuniam domini sui. Quicumque ergo bona tem- Matth. xxv, 15.
poralia aut quascumque artes a Domino accepimus, pro talentorum acceptione nobis reputabuntur: justi igitur qui per primum et secundum servum desi-
G gnantur, talenta sua duplicant; cum bona temporalia quæ a Domino accipiunt, in bonis operibus expendunt, atque ad bona agenda quoscumque possunt, provocant: impii vero qui per servum tertium designantur, talenta sua in terra abscondunt;

[1] Editt., *contra Deum audeant:* mss., *contra Deum pugnare audeant.*

[2] *Talis terræ motus, sic magnus,* in solis edit. omittebatur.

quia ex bonis temporalibus quæ a Domino acceperunt, vitia potius quam virtutes enutriunt. Per grandinem, quæ ea quæ ex terra nascuntur, conterit et delet, vindicta omnipotentis Dei designatur, qua impios conteret, et in infernum demerget; quæ sicut talentum esse dicitur, quia unumquemque secundum talenti sui qualitatem puniet; et quanto amplius quis deliquit, tanto ampliora tormenta sustinere cogetur. Sed obscurum est valde quod sequitur: *Et blasphemaverunt homines Deum propter plagam grandinis; quoniam magnam facta*
2 *est vehementer.* Quis enim in illo tam districto[1] justoque judicio blasphemare Deum audebit? Sed blasphemare dicuntur, quia blasphemiæ reproborum, quas modo in corde tegunt, cunctis manifestabuntur.

CAPUT XVII.

(Vers. 1). *Et venit unus de septem angelis, qui habebant septem phialas, et locutus est mecum, dicens.* Sicut superius sub cantu tubæ septimi angeli diem judicii breviter comprehendens, ad ea
2 quæ prætermiserat, rediit; atque sanctam[2] Ecclesiam sub specie mulieris, quæ amicta erat sole, et luna sub pedibus ejus, describens, passiones quas a diabolo pertulit, et quas ab Antichristo in fine mundi passura est, annectit; ita et hic sub effusione phialæ septimi angeli diem judicii summatim perstringens, ad ea quæ prætermisit revertitur, atque sub specie mulieris meretricis civitatem diaboli describens, quas pœnas pro sceleribus suis passura sit, in sequentibus manifestat. Angelus vero phialam habens, prædicatores sanctos designat: Joannes autem typum tenet omnium fidelium; unde et subditur:

(Vers. 2). *Veni, ostendam tibi damnationem meretricis magnæ, quæ sedet super aquas multas, cum qua fornicati sunt reges terræ: et inebriati sunt omnes, qui habitant terram de vino prostitutionis ejus.* Meretrix ista in aliquibus locis Romam specialiter, quæ tunc Ecclesiam Dei persequebatur; in quibusdam vero generaliter civitatem diaboli, id est, omne reproborum corpus demonstrat. Angelus igitur Joanni ostendit damnationem meretricis magnæ, quia prædicatores sancti et verbis et scriptis fidelibus ostendunt, quas pœnas impii pro sceleribus suis patiantur, ut eorum pœnis territi a peccatis abstineant. Quæ super aquas multas sedere dicitur, quia ex multitudine gentium, quæ per aquas designantur, civitas diaboli construitur: cum qua reges terræ fornicati esse dicuntur, quia scelera Babylonis auxerunt potius, quam destruxerunt. *Et inebriati sunt omnes, qui inhabitant terram, de vino prostitutionis ejus.* Vinum prostitutionis diversi errores, diversa sunt scelera impiæ civitatis; nam sicut meretrix prostituitur omnibus secum fornicari volentibus, ut eorum immunditiis polluatur; ita et omnes impii subjiciuntur
3 dæmonibus, cum eorum[3] pravis suggestionibus obtemperantes, in omnibus sceleribus se dejiciunt, sicut propheta ad Hierusalem loquitur dicens: *Et*

A *posuisti ut terram corpus tuum, et quasi viam transeuntibus.* Terræ autem habitatores omnes reprobos vocat: ebrietas vero malitia est Babylonis, quia sicut ebriosus tamdiu impletur vino, usque dum a mente sua alienus efficiatur; ita et reprobi tamdiu omni malitia semetipsos replent, usque dum a mente sua alieni effecti, timorem Dei, omnemque bonitatem a semetipsis abjiciant, sicut dicit beatus Job, quia bibunt sicut aquam iniquitatem. Isai. LI, 23. Job XV, 16

(Vers. 3). *Et abstulit me in desertum in spiritu: et vidi mulierem sedentem super bestiam*
B *coccineam, plenam nominibus blasphemiæ, habentem capita septem, et cornua decem.* Per desertum omnis impiorum multitudo designatur, eo quod ipsi deseruerint Deum, et ideo derelicti sunt a Deo. In deserto igitur mulier meretrix inventa est, quia ex multitudine iniquorum civitas diaboli constat. Bestia vero, sicut ipse in sequentibus exponit, diabolum significat: coccus autem colorem sanguinis habet, et per sanguinem sæpe mors de-
C signatur. Diabolus itaque sanguineus est, quia auctor est mortis et omnis perditionis. Quæ bestia plena nominibus blasphemiæ esse dicitur, eo quod ipse diabolus auctor sit omnium blasphemiarum. Quid sint autem capita septem et cornua decem, angelus in sequentibus exponit.

(Vers. 4). *Et mulier erat circumdata purpura et coccino, et inaurata auro, et lapide pretioso, et margaritis, habens poculum aureum in manu sua, plenum abominationum, et immunditiæ for-*
D *nicationis ejus.* Purpura sanguine tingitur, coccus vero sanguinis habet colorem, suntque vestimenta regalia, per quæ potestas sæcularis designatur: per sanguinem autem sæpe mors designatur.[4] Purpura igitur et coccus sanguinis speciem habent, quia potestas sæcularis mortifera est, et periculum sempiternum affert iis, qui eam amplius quam cœlestem gloriam amplectuntur. Possumus etiam per vestimenta sanguinea opera impiorum intelligere, pro quibus morte perpetua damnabuntur. Quodque
E sequitur: *Et inaurata auro,* per aurum sæpe sapientia designatur. Mulier igitur inaurata erat auro, quia sapientiam hujus sæculi possidebat, quæ stultitia est apud Deum. Per gemmas vero et margaritas eloquentia sæcularis designatur: per poculum aureum, quod manu tenuisse dicitur, philosophorum et poetarum doctrina designatur: quod plenum abominationum et immunditiæ fornicationis ejus dicitur, quia doctrina philosophorum et poetarum plena erat mendaciis, omnibusque er-
F roribus ad decipiendum genus humanum compositis.

(Vers. 5). *Et in fronte ejus nomen scriptum, Mysterium, Babylon magna, mater fornicationum et abominationum terræ.*[5] Per frontem atque fa- 5
ciem homo dignoscitur; similiter et impii ex operibus suis intelliguntur, sicut Salomon dicit: *Ex studiis suis intelligitur puer.* Per frontem itaque Prov. XX, 11.
atque faciem opera impiorum designantur, quia ex operibus suis intelliguntur quod sint filii diaboli,
G civesque impiæ civitatis.

(Vers. 6). *Et mulierem vidi ebriam de san-*

[1] Omnes edit., *districto justorum judicio;* omnes mss., *districto justoque judicio.*

[2] Ita mss.; editt. vero, *Ecclesiam describens,* cæteris prætermissis.

[3] Editt., *pravis suggestionibus sceleribus se dejiciunt;* Rom., *devinciunt:* mss. vero, ut in contextu.

[4] *Per sanguinem autem sæpe mors designatur,* e mss. in locum suum repositum est.

[5] Aberat etiam ab editt., *Per frontem atque faciem.... intelligitur puer:* sed in nullis scriptis cod. desideratur.

guine sanctorum, et de sanguine martyrum Jesu. Numquid Babylon sanguinem sanctorum biberat? Sed ebria erat, id est, ab omni spirituali ratione aliena: ebria erat, quia ultio sanguinis sanctorum ita eam damnabilem fecerat, et a misericordia Dei alienam, ut non esset digna quatenus aliquo modo suæ saluti posset consulere. *Et miratus sum cum vidissem illam, admiratione magna.* Mirantur fideles, cum vident reprobos tantum a timore Dei alienos, ut sine aliqua trepidatione et innocentibus plurima mala ingerant, et in omnibus flagitiis semetipsos demergant, scientes Deum nullum scelus impunitum relinquere, nisi prius pœnitentia cæterisque medicaminibus, quibus peccata sanantur, fuerit deletum.

(Vers. 7). *Et dixit mihi angelus: Quare miraris? Ego dicam tibi sacramentum mulieris, et bestiæ, quæ portat eam, quæ habet capita septem, et cornua decem.* Eamdem significationem habet bestia in hoc loco, quam et superius diximus draconem habuisse: significat namque diabolum. Quid sint autem capita septem, et cornua decem, ipse, ut diximus, in sequentibus exponit. *Bestia quam vidisti, fuit, et non est, et ascensura est de abysso, et in interitum ibit.* Bestia, id est diabolus fuit ante adventum Christi, possidens genus humanum; non est modo, id est, non possidet genus humanum sicut antea, quia per Christum ab electorum cordibus expulsus est: ascensura vero est de abysso, quia temporibus Antichristi solvetur satanas de carcere suo, et exibit, et seducet omnes gentes, sicut sequentia plenius manifestant: et in interitum ibit, quia cum omnibus reprobis quos deceperit, et cum omnibus satellitibus suis æterna pœna damnabitur.

(Vers. 8). *Et mirabuntur inhabitantes terram, quorum non sunt scripta nomina in libro vitæ a constitutione mundi, videntes bestiam quæ fuerat, et non est.* Inhabitantes terram eos debemus intelligere, qui amatores terræ erunt magis quam Dei, quos Antichristus facile decipiet. Mirabuntur ergo reprobi, quorum non sunt scripta nomina in libro vitæ, id est, qui non sunt prædestinati ad vitam æternam: videntes bestiam, id est, diabolum per Antichristum signa facientem, et in Antichristo diabolum adorantes.

(Vers. 9). *Et hic est sensus, qui habet sapientiam:* id est, in hoc quod sequitur, magna obscuritas est, et sensus ad ea intelligenda valde acuendus est. Et nos rogemus Dominum, ut hanc obscuritatem nobis aperiat.

(Vers. 10). *Septem capita septem montes sunt, super quos mulier sedet; et reges septem sunt. Quinque ceciderunt, unus est, alius nondum venit; et cum venerit, oportet illum breve tempus manere.* Diximus superius per septem capita draconis illos reprobos esse designatos per quos diabolus genus humanum decepit, quos etiam in partes septem divisimus, sicut et cæteram multitudinem reproborum. Et quia eamdem significationem habet hæc bestia de qua loquimur, quam et draconem diximus habuisse, designant namque diabolum; eamdem significationem habent etiam septem capita bestiæ, quam et septem capita draconis diximus habuisse. Quæ et montes dicuntur, quia altiores fuerunt illi in sceleribus, qui cæteros deceperunt, quam illi qui ab eis decepti sunt, sicut in sequentibus de Babylone dicit: *Quia venerunt peccata ejus usque ad cœlum.* Vocantur nihilominus et septem reges, eo quod cæteris ad perditionem euntibus ducatum præbuerint. Super hos ergo montes meretrix sedere dicta est, quia ab iis civitas diaboli in omnibus erroribus atque sceleribus informata est. Nam sicut apostoli fundamenta dicuntur Ecclesiæ, ita e diverso inventores errorum fundamenta sunt civitatis diaboli. Ex iis igitur capitibus, sive montibus, vel regibus, quinque ceciderunt, unus erat, alius nondum venerat. Primum caput diaboli ceciderat, quia illi qui ante diluvium fuerunt, per quos ii qui filii Dei vocabantur, decepti sunt, in cloacam inferni descenderant. Similiter et secundi qui post diluvium usque ad Legem fuerunt, in eadem perditionis fovea demersi tenebantur. Ceciderant et tertii, qui populo Dei, quibus Lex data est, idola colere suadebant. Similiter et falsi prophetæ, qui in quarto loco ponuntur, jam ceciderant in interitum suæ perditionis, eo quod deceptores fuerint populo Dei. Iniqui vero Judæi, qui Dominum interfecerunt, et apostolos ejus persecuti sunt, qui in quinto ponuntur loco; eo tempore quo hæc visio Joanni demonstrata est, jam a Romanis devastati fuerant. Quinque ergo capita bestiæ jam ceciderant, quæ montes regesque nominantur; quia omnes præcedentes, et impii Judæi qui in quinto loco ponuntur, jam perditionis suæ pœnas luebant. Unus erat, quia pagani, illi videlicet qui Ecclesiam Dei persecuti sunt, qui et in sexto loco ponuntur, tunc Ecclesiam Dei persequebantur; ob quam causam et iste Joannes in Pathmos insula relegatus tenebatur. Alius nondum venerat, quia Antichristus qui in septimo loco ponitur, nondum venit: et cum venerit, oportet illum breve tempus manere, quia Dominus Jesus interficiet eum spiritu oris sui, et destruet illustratione adventus, sicut ipse dicit in Evangelio: *Et nisi Dominus breviasset dies illos,* id est, dies persecutionis Antichristi, *non fieret salva omnis caro,* per omnem carnem solos electos designans.

(Vers. 11). *Et bestia quæ erat, et non est, et ipsa octava est, et de septem est; et in interitum vadit.* Et bestia, id est, diabolus, qui ante adventum Christi dominabatur humano generi, et modo non tenet illud ita obnoxium, quemadmodum tunc faciebat, ipsa scilicet bestia octava est. Septem namque partes sunt omnium reproborum, octava vero pars eorum est diabolus cum cæteris dæmonibus. De septem est, quia de societate reproborum dæmones existunt; et sicut fuerunt auctores perditionis eorum, ita erunt et socii tormentorum. Unde et sequitur: *Et in interitum vadit.* Hæc quæ sequuntur, usque ad eum locum ubi Angelus de cœlo descendisse visus est, ad destructionem Romani imperii proprie pertinent.

(Vers. 12). *Et decem cornua quæ vidisti, decem reges sunt, qui regnum nondum acceperunt; sed potestatem tamquam reges una hora accipient post bestiam.* Quatuor bestiæ Danieli in visione demonstratæ sunt, per quas quatuor regna figurabantur: quarta autem bestia, quæ erat fortis atque terribilis, per quam Romani designati sunt, decem cornua habuisse describitur, per quæ ea regna quæ Romanum imperium destruxerunt, designata sunt, sicut sanctus Hieronymus quorumdam assertiones sequens exponit. Eamdem itaque significationem habent decem cornua in hoc loco, quam

Inf. cap 18

Gen. vi, 2.

Marc. xiii, 20

Dan. vii, 3

Comment in c 7 *Daniel*

et illa habuisse dicuntur; significant quippe ea regna, per quæ Romanum imperium destructum est. Partem namque Asiæ per se primitus abstulerunt: postea vero Saraceni totam subegerunt: Vandali Africam sibi vindicaverunt, Gothi Hispaniam, Longobardi Italiam, Burgundiones Galliam, Franci Germaniam, Hunni Pannoniam: Alani autem et Suevi multa loca depopulati sunt, quæ eorum subjacebant ditioni. Hæc ergo regna eo tempore, quo visio ista Joanni demonstrata est, potestatem nondum acceperant: sed una hora tamquam reges potestatem acceperunt, quia singularum istarum gentium potestas pauco tempore permansit. Post bestiam regnum acceperunt, quia destructo regno
1 diaboli per Christum,[1] hæ gentes impiam potestatem acceperunt.

(Vers. 13, 14). *Ii unum consilium habebunt, virtutem suam et potestatem bestiæ tradiderunt.* Unum consilium habuerunt, id est, unam voluntatem in malo. Virtutem suam et potestatem bestiæ tradiderunt, quia eorum virtus atque potestas diabolica fuit. *Ii cum agno pugnabunt, et agnus vincet illos.* Cum agno pugnaverunt, qui Ecclesiam Dei persecuti sunt, populumque Dei interfecerunt: Agnus autem vincet illos, quia scimus has gentes præter paucas jugum fidei Christi jam suscepisse. *Quoniam Rex regum est, et Dominum dominantium, et qui cum illo sunt vocati, electi et fideles.* Qui sunt reges et dominantes, ipsi sunt electi et fideles. Christus igitur Rex regum est, et Dominus dominantium, quia ipse est Rex et Dominus omnium sanctorum; et qui cum illo sunt vocati, electi et fideles sunt, id est sancti, qui ad hoc vocati sunt, ut cum illo in æternum permaneant, electi et fideles jure vocantur. Vocantur enim et reprobi, sicut
Matth. xx, 16. Dominus dicit: *Multi sunt vocati, pauci vero electi.* Sed reprobi ad hoc vocantur, ut inexcusabiles sint:
2 electi vero, ut cum ipso in æternum perseverent.[2]

(Vers. 16). *Et decem cornua, quæ vidisti in bestia: hi odient fornicariam.* Fornicariam Romam vocat, quæ pro defensione falsorum deorum Deum creatorem suum persequebatur. Decem itaque cornua odio habuerunt fornicariam, quando gentes quæ per decem cornua designatæ sunt, ad destruen-
3 dum Romanum imperium arma sumpserunt.[3] *Et desolatam illam facient et nudam.* Desolatam illam fecerunt et nudam, quando omnes gentes potestati ejus ademerunt. *Et carnes ejus manducaverunt.* Quia deliciæ carnem nutriunt, possumus per carnes divitias omnium gentium intelligere. Carnes ejus manducaverunt, quando opes omnium gentium, quæ Romam deferebantur, acceperunt, et in suos usus redegerunt. *Et ipsam igni concremabunt.* Scimus plurimas civitates, vicos, et castella, quæ Romano imperio subjacebant, ab his gentibus fuisse concremata.

(Vers. 17). *Deus enim dedit in corda eorum, ut faciant quod illi beneplacitum est; ut dent regnum suum bestiæ, donec consummentur verba Dei.* Deus dedit in corda eorum, id est, permisit ut faciant quod illi beneplacitum est, et quod prædictum est a prophetis ejus et apostolis, qui prædixerunt quod potestas Romani imperii ab eis gen-
A tibus esset destruenda. Regnum autem suum bestiæ dederunt, donec consummarentur verba Dei, quia secundum justissimi Dei permissionem tamdiu suggestiones diaboli in sceleribus perpetrandis sæcuti sunt, quamdiu consummarentur verba Dei, id est, implerentur ea, quæ a Deo et sanctis ejus prædicta sunt.

(Vers. 15). *Aquæ quas vidisti, ubi meretrix sedet, populi sunt et tribus et linguæ.* Per aquas omnes gentes, quas sibi Romani subjecerant, desi-
B gnantur.

(Vers. 18). *Et mulier quam vidisti est civitas magna, quæ habet potestatem super cunctos reges terræ.* Hoc manifestum est; scimus enim Romanos eo tempore cunctis regibus terræ dominatos esse. Sed dicit aliquis: Quomodo per mulierem meretricem Romani designantur, cum illis temporibus, quando hæ gentes diversas clades generi humano intulerunt, Romani christiani exstiterint? Ad quod nos respondemus, quia per mulierem meretricem
C non electi, qui ex eadem gente fuerunt, intelliguntur, quique mundi gloriam pro amore gloriæ cœlestis contempserunt; sed reprobi, sive pagani, sive christiani fuerint. Illorum ergo potestas ab iis gentibus destructa est, qui impia dominatione genus humanum premebant.

CAPUT XVIII.

(Vers. 1). *Post hæc vidi alium angelum de-*
D *scendentem de cœlo, habentem potestatem magnam: et terra illuminata est a gloria ejus.* Hæc quæ sequuntur, generaliter ad impiam civitatem, id est, ad omnes reprobos pertinent. Et ut plenius eversionem Babylonis demonstret, ad primam ejus ruinam, qua per Christum eversa est, revertitur. Angelus namque iste Christum significat, qui de cœlo ad terram descendere dignatus est, ut homines ad cœlestia sublevaret. Qui potestatem magnam habere dicitur, quia eamdem po-
E testatem habet quam et Pater, eo quod æqualis sit per omnia Patri. *Terra illuminata est a gloria ejus,* quia per doctrinam fidei ejus genus humanum a tenebris ignorantiæ atque incredulitatis est ereptum.

(Vers. 2). *Et clamavit in forti voce, dicens.* Vox Christi doctrina est Evangelii. Quid autem hæc vox clamaverit, subdendo manifestat: *Cecidit, cecidit Babylon magna.* Dixisse Dei fecisse est; dixit enim cecidisse Babylonem, quia ipse fecit ut
F caderet: quæ bis cecidisse dicitur, quia cecidit primo, cum per doctrinam Evangelii maximam multitudinem electorum amisit, qui ab ea per fidem Christi præcisi, cives sanctæ civitatis, id est, Ecclesiæ facti sunt: cadet secundo, cum in ultimo die morte perpetua, quæ in hoc libro mors secunda vocatur, punietur. *Et facta est habitatio dæmonum.* Numquid ante adventum Christi dæmones in Babylone non habitabant? Habitabant quidem, sed eorum habitatio ignorabatur: quando autem
G multitudo electorum ad fidem conversa est, Babylon habitatio dæmoniorum facta est, quia illi qui fidem Christi susceperunt, quod habitatio dæ-

[1] Editt., *hæ gentes propriam potestatem acceperunt. Ii unum consilium habebunt, id est, unam voluntatem in malo. Et virtutem suam, et potestatem bestiæ tradiderunt. Quia eorum virtus,* etc.; mss. vero nobiscum faciunt.

[2] Rom. edit. hic posuerat: *Et dixit mihi: Aquæ quas vidisti, ubi meretrix sedet,* et alia quæ in mss. et Gill. edit. habentur proxime ante vers. 18.

[3] Ita mss.; editt. autem: *arma sumpserunt. Et desolatam illam fecerunt, et nudam. Quando omnes gentes,* etc.

moniorum in Babylone semper fuerit, veraciter cognoverunt. *Et custodia omnis spiritus immundi, et custodia omnis volucris immundæ et odibilis.* Qui sunt dæmones, ipsi sunt spiritus immundi, et volucres immundæ. Volucres quippe nominantur, eo quod per aerem istum more ventorum indesinenter discurrant: custodes vero Babyloniæ ideo vocantur, quia sicut angeli electos Dei custodiunt, ne tam pessime peccent, ut pereant; ita et dæmones impios observant, ne aliquando ab iniquitatibus suis resipiscant, et salventur.

(Vers. 3). *Quia de vino iræ ejus biberunt omnes gentes, et reges terræ cum illa fornicati sunt, et mercatores terræ de virtute deliciarum ejus divites facti sunt.* Quid sit vinum iræ, et quid fornicatio regum cum Babylone superius breviter diximus. Per mercatores autem terræ amatores sæculi possumus intelligere, qui animas suas pro acquisitione pecuniarum perditioni tradunt. De hujusmodi mercatoribus Jesus filius Sirach loquitur, dicens: *Hic enim animam suam venalem habuit;*
Eccl. xx, 10. *quoniam in vita sua projecit intima sua.* Animam suam venalem habuit, qui eam pro acquisitione pecuniarum dæmonibus tradere non timuit: delicias vero virtutem Babylonis vocat, quia sicut electi tota virtute laborant, ut divitias cœlestes acquirant; ita et reprobi totis nisibus insistunt, ut divitias perituras sibi accumulent. De talibus dicit
Jerem. ix, 5. propheta: Ut inique agerent, laboraverunt.

(Vers. 4). *Et audivi aliam vocem de cœlo dicentem.* Per cœlum in hoc loco Ecclesia designatur: vox de cœlo vox est prædicatorum de Ecclesia procedens. Sed quid dicit vox ista? *Exite de illa, populo meus.* Dominus per prædicatores suos suadet electis, ut exeant a Babylone, non corpore, sed mente. Quemadmodum autem a Babylone exire debeant, in sequentibus docet, dicens: *Et ne participes sitis delictorum ejus;* illi enim a Babylone convenienter exeunt, qui a malis operibus ejus se alienos reddunt, sicut Psalmista de semetipso loquitur dicens: *Non sedi in concilio vanitatis,*
Ps. xxv, 4. *et cum iniqua gerentibus non introivi.*

Et de plagis ejus non accipiatis. Quid sunt plagæ Babylonis, nisi vitia quæ animas interficiunt? Possumus etiam per plagas Babylonis pœnas, quæ impiis præparatæ sunt intelligere, ut sit sensus: Si a sceleribus Babylonis abstinueritis, a pœnis quas in æternum patietur, alieni eritis.

(Vers. 5). *Quoniam pervenerunt peccata ejus usque ad cœlum, et recordatus est Deus iniquitatum ejus.* Iniquitates Babylonis omnipotens Deus
[1] semper intuetur: sed cum vindictam[1] non exigit, videtur non videre quod videt. Per hoc ergo quod dicit, illud designat tempus, in quo omnes impii perpetua pœna plectentur.

(Vers. 6). *Reddite illi, sicut ipsa reddidit vobis.* Præcipitur electis, ut reddant Babyloni, sicut illa ipsis reddidit, sive pro eo quod sancti Dei impios judicabunt, sicut dicit Dominus in Evangelio: *In regeneratione cum sederit Filius hominis in sede majestatis suæ, sedebitis et vos super sedes duodecim, judicantes duodecim tribus*
Matth. xix, 28. *Israel:* sive pro eo quod ipsi membra sunt ejus, cui judicandi potestas a Patre tradita est. Reddent

A itaque justi impiis mala, quæ ab eis passi sunt, cum Christus qui caput illorum est, et cujus membra ipsi sunt, eos perpetua pœna damnabit. *Et duplicate duplicia secundum opera ejus.* Dupliciter Babylon electos Dei persecuta est, quando corporibus et animabus eorum multa mala ingessit. Dupliciter pœnas ipsa recipiet, quia cum animabus corpora cruciabantur: ipsaque duplicia duplicabuntur, quia pro pœnis temporalibus atque brevibus, quibus justos afflixit, pœnas æternas exci-
B piet. *In poculo quod miscuit vobis, miscete ei duplum.* Per poculum tribulationes quas ab iniquis sancti passi sunt, possumus intelligere.

(Vers. 7). *Quantum glorificavit se, et in deliciis fuit, tantum date illi tormentum et luctum.* Quantum glorificavit se, id est, in superbiam erexit, et omnibus vitiis se implicavit, tanto et ampliora tormenta excipiet. *Quia in corde suo dicit: Sedeo regina, et vidua non sum, et luctum non videbo.* Reginam se Babylon quodammodo vocat, cum se
C in posteris hujus mundi extollit. Viduam non se esse dicit, quia a bonis temporalibus, quibus conjuncta est, et ex quibus luxuriam suam enutrit, non se posse disjungi confidit. Luctum non esse visuram dicit, quia impii, quamvis sciant se pro sceleribus suis esse puniendos, fingunt se non videre quod vident, memoriamque mortis a mente sua rejiciunt, ne tristis cogitatio lætitiam cordis eorum perturbet.

(Vers. 8). *Ideo in una die venient plagæ ejus,*
D *mors, et luctus, et fames.* In die judicii mors perpetua illi veniet, quæ in hoc libro mors secunda vocatur. Luctus illi veniet, sicut Dominus dicit in Evangelio: *Ibi erit fletus, et stridor dentium.* Fames illi veniet, id est, fames requiei; de- Matth. viii, 12
siderabunt enim a pœnis requiescere, quas patientur, ad quam requiem nullo modo pervenient.

(Vers. 9, 10). *Et igni comburetur;* id est, igne æterno. *Quoniam fortis est Dominus, qui judicabit illam. Et flebunt, et plangent se super*
E *illam reges terræ, qui cum illa fornicati sunt, et in deliciis vixerunt, cum viderint fumum incendii ejus, longe stantes propter timorem tormentorum ejus, dicentes: Væ, væ, civitas illa Babylon, civitas illa fortis; quia in una hora venit judicium tuum!* Quid sit fornicatio regum cum Babylone superius diximus: sed mirum valde est quod longe stare dicantur, cum in eisdem pœnis et ipsi sint demergendi, in quibus et cæteri reprobi, qui per Babylonem designantur. Stabunt
F igitur longe mente et voluntate, non corpore; horrentes scelera sua, pro quibus æternaliter cruciabuntur. Stabunt longe per desiderium, aliud desiderantes, id est, requiem; et aliud patientes, id est, tormenta æterna.

(Vers. 11). *Et negotiatores terræ flebunt et lugebunt super illam;*[2] *quoniam mercedes eorum* [2]
nemo emet amplius. Quia superius per mercatores terræ amatores sæculi diximus esse designatos, possumus in hoc loco per negotiatores eos accipere,
G qui bonum quod facere videntur, vendunt. Sunt namque multi, quibus legum sæcularium scientia data est, qui causas pauperum in judiciis portant: sed quia non pro amore Dei, sed pro præmiorum

[1] Editt. et mss. Reg., *non exerit;* et edit. solæ, *Per hoc quod dicit aliam vocem, illud designat,* etc.; mss. vero nobis consentiunt.

[2] Rom. edit., *quoniam merces eorum;* sed mss. ac Gill. hic et alibi constanter legunt, *mercedes, mercedem,* et similia.

acceptionibus hoc faciunt, mercedem a Deo non recipiunt. In tantum vero hæc miseria convaluit, ut vix invenias aliquem ex iis, qui locum habent apud principes, qui aliquod verbum ad proximi pauperis necessitatem sustentandam proferat sine præmii acceptione. Possumus et per negotiatores terræ eos intelligere, qui ex bono quod faciunt, laudes ab hominibus requirunt. Possumus etiam et per eosdem, illos qui gradus ecclesiasticos vendunt intelligere; quod divina Scriptura valde condemnat. Et quamvis multi ex episcopis ab hoc scelere videantur immunes; ministri tamen eorum in hoc sæpe polluuntur: sed ad magistros respicit quidquid a discipulis delinquitur. Est et aliud scelus valde pessimum, quod ab iis qui archidiaconi appellantur, committitur; nam ab adulteris presbyteris pretium accipiunt, et tacendo in malum consentiunt, quod per auctoritatem quam ab episcopis acceperunt, emendare possent. Sunt etiam alii ex hujusmodi presbyteris, qui timentes se damnari pro sceleribus suis, in servitiis archidiaconorum plus sunt assidui, quam cæteri: contra quos si quis aliquod verbum contrarium proferre voluerit, defenduntur ab eis; et fingunt se nescire quod sciunt, condemnanturque illa prophetica sententia, quæ dicit: *Væ qui dicitis malum bonum, et bonum malum; ponentes*
Isai. v, 20. *tenebras lucem, et lucem tenebras!* Ad te ergo loquor, qui talis es: ecce animam sacerdotis diabolo vendidisti. Quis enim suasit presbytero ut fornicaretur, nisi diabolus? Qui ergo suasit ut fornicaretur, ipse suasit ut pretium tibi daret, quatenus hoc scelus sine timore perpetrare posset. Per manum ergo presbyteri pretium perditionis animæ ipsius tibi diabolus dedit. Ecce pretium accepisti, et animam fratris, Christi sanguine redemptam, eidem diabolo a quo redempta est, tradidisti. In Lege scriptum est quod si quis hominem qui frater
Exod. xxi, 16 ejus esset, vendidisset, morte moreretur: si igitur reus est ille, qui hominem homini vendit; quanto magis tu reus existis qui hominem Christi sanguine redemptum non homini, sed quod perniciosius est, diabolo vendidisti! Tales ergo negotiatores flebunt et lugebunt in inferno, quoniam mercedes eorum nemo emet amplius; amittent enim quod tenere videbantur, et incident in malum, quod prævidere neglexerunt.

(Vers. 12, 13, 14). *Mercedem auri, et argenti, et lapidis pretiosi, et margaritæ, et byssi, et purpuræ, et serici, et cocci, et omne lignum thynum, et omnia vasa eboris, et omnia vasa de lapide pretioso, et æramento, et ferro, et marmore, et cinnamomo, et odoramentorum, et unguenti, et thuris, et vini, et olei, et similæ, et tritici, et jumentorum, et ovium, et equorum, et rhedarum, et mancipiorum, et animarum hominum: et poma tua desideria animæ tuæ discesserunt a te, et omnia pinguia et præclara perierunt a te, et amplius illa non invenient mercatores horum.* In omnibus quæ enumerata sunt, avaritia Babylonis atque luxuria condemnatur. Nam et in judicio Dominus non dicet reprobis: Ite maledicti in ignem æternum, quia homicidæ fuistis, superbi, fornicatores, adulteri; sed dicet: *Esurivi, et non dedistis mihi manducare: sitivi, et non dedistis mihi bibere;* et cætera misericordiæ opera, a quibus avaritia retrahit re-

A probos, ne misericordes sint erga pauperes. Avaritia quippe nutrix est luxuriæ: nutrimenta autem luxuriæ in hoc loco descripta sunt, quibus ab avaritia nutritur. Et si diligenter inspicere voluerimus, inveniemus omnia quæ in hoc loco ad avaritiam, sive luxuriam Babylonis demonstrandam enumerata sunt, ad quinque corporis sensus pertinere. Quinque enim sunt corporis sensus, id est, visus, auditus, gustus, odoratus, et tactus, quos Deus hominibus et animalibus dedit; animalibus
B ad vitam suam tantummodo tuendam; hominibus autem et ad vitam tuendam, et ut per eos ratio animam quæ illi commissa est, per viam rectitudinis posset ducere. Justi itaque qui per hos quinque corporis sensus secundum rationis rectitudinem incedere studuerunt, amicitiam sibi Dei omnipotentis acquisierunt: impii vero qui rationis bonum in malum pervertentes, hos corporis sensus luxuriæ, et cæteris vitiis servire coegerunt, iram nihilominus justi judicis incurrerunt. Igitur si ea quæ
C in sequentibus scripta sunt, vocem scilicet citharœdorum et musicorum, et tibia canentium et tuba, cum iis conjungere volueris; invenies omnes divitias Babylonis, quæ hic descriptæ sunt, ad quinque corporis sensus, ut supra diximus, pertinere. Aurum namque, et argentum, et lapides pretiosi, et margaritæ, ad visum: byssus, et purpura, et coccus, et cætera, ad tactum: cinnamomum, et odoramenta, et unguenta, et thus, ad odoratum: vinum, oleum, similæ, triticum, et cæ-
D tera, ad gustum: vox citharœdorum, et musicorum, et tibia canentium, ad auditum pertinent. Damnatio ergo Babylonis, sicut hæc Scriptura demonstrat, maxime in divitiis consistit, eo quod divitiæ nutrimenta sint vitiorum, et ex quibus avaritia, quæ modo regina mundi dici potest, luxuriam filiam suam alit.

(Vers. 15, 16, 17). *Qui divites facti sunt, ab ea longe stabunt propter timorem tormentorum ejus, flentes et lugentes, et dicentes: Væ, væ,*
E *civitas illa magna, quæ amicta erat bysso et purpura, et cocco, et inaurata auro, et lapide pretioso, et margaritis; quoniam una hora destitutæ sunt tantæ divitiæ!* Quod divites Babylonis longe stare dicantur, secundum sensum superiorem, quem de regibus diximus, intelligendum est.

(Vers. 18, 19). *Et omnis gubernator, et omnes qui in lacum navigant,*[1] *et nautæ qui in mari* 1
operantur, longe steterunt, et clamaverunt, vi-
F *dentes locum incendii ejus, dicentes: Quæ similis civitatis huic magnæ? Et miserunt pulverem super capita sua, flentes et lugentes, et dicentes: Væ, væ, civitas illa magna, in qua divites facti sunt omnes, qui habent naves in mari de pretiis ejus; quoniam una hora desolata est!* Possumus per mare hoc sæculum: per gubernatores vero principes iniquos intelligere: per eos autem qui de loco ad locum navigant, et per nautas qui in mari operantur, eos qui diversa
G officia ad deprædationes pauperum, et ad peccata sua quotidie augenda in mundo exercent. Isti ergo flebunt et lugebunt, videntes locum incendii Babylonis; ipsi namque erunt Babylon, et ipsi lugebunt et flebunt. Videbunt autem incendia Babylonis, quia sua incendia perferendo videbunt, quæ

[1] Omnes edit., *qui a longe navigant;* codex Gem., *qui in locum navigant;* Sag. et Reg., *qui in lacum,* etc.

mente in sæculo positi, conspicere neglexerunt, ut se corrigerent. Qui etiam cinerem super capita sua misisse dicuntur; nam sæpe per caput mens, per cineres peccata designantur. Cinerem itaque super capita sua ponent, quia memoria peccatorum a mentibus eorum numquam recedet.

(Vers. 20). *Exsulta super eam, cœlum, et sancti apostoli et prophetæ; quia judicavit Deus judicium vestrum de illa.* Possumus per cœlum angelos, per apostolos novi Testamenti patres, per prophetas autem patres veteris Testamenti intelligere. Exsultabunt igitur, cum destructa fuerit omnis caterva impiorum cum ipsis dæmonibus auctoribus iniquitatum. Exsultabunt etiam, eo quod tunc finem acceptura sit omnis malitia, et adducetur justitia sempiterna.[1]

(Vers. 21). *Et sustulit unus angelus fortis lapidem quasi molarem magnum, et misit in mare dicens: Hoc impetu mittetur Babylon magna, et ultra non invenietur.* Iste angelus Christum significat, qui fortis esse dicitur, quia fortitudinem Christi quanta sit, humana mens comprehendere non potest: per lapidem vero molarem magnum omnis multitudo impiorum designatur: mare autem infernum designat, in quo omnes impii demergentur. Angelus igitur lapidem molarem in mare misit, quia Dominus noster Jesus Christus in die judicii omnem impiorum multitudinem suo justo judicio in infernum demerget.

(Vers. 22, 23). *Et vox citharœdorum, et musicorum, et tibia canentium et tuba, non audietur in te amplius.* Hoc superius commemoratum est. *Et omnis artifex, et omnis ars non invenietur in te amplius, et vox molæ non audietur in te amplius, et lux lucernæ non lucebit in te amplius, et vox sponsi et sponsæ non audietur in te adhuc.* Quærendum nobis est cur artes, et vocem molæ, et lumen lucernæ, et vocem sponsi et sponsæ inter scelera Babylonis computet; cum ista omnia sine culpa exerceri possint, et sine istis vita humana subsistere non possint. Spiritaliter itaque ista omnia intelligenda sunt. Possumus ergo per artes sapientiam hujus sæculi, quæ stultitia est apud Deum, intelligere, quas artifices maligni et filii Babylonis ad hoc discunt, ut in malitia Babylonis possint proficere; sapientes enim sunt ut faciant mala, bene autem facere nescierunt. Mola vero quidquid sub se acceperit, conterit et comminuit: possumus igitur per molam judices impios accipere. Vocem ergo mola mittit, cum judices impii judicia injusta ad conterendos innocentes proferunt. Per lumen vero lucernæ, hujus sæculi gloria designatur: de hac lucerna dicit Scriptura: *Lucerna impiorum exstinguetur.* Lucerna quippe impiorum exstinguitur, cum ab hac vita subtracti, gaudium temporale amittunt, et æternam tristitiam incurrunt. Possumus nihilominus per sponsum amatores sæculi, per sponsam vero terram intelligere; quia sicut amor sponsum et sponsam ligat, ut una caro efficiantur; ita et amor sæculi amatores suos sic terræ conjungit, ut unum cum ea efficiantur, a qua, si fieri posset, in perpetuum segregari nollent. Tales ergo artifices in Babylone non audientur amplius, quia cum ea in perpetuum damnabuntur.

1 Cor. III, 19.

Jerem. IV, 22.

Prov. XXIV, 23.

Quia mercatores tui erant principes terræ. Habet Ecclesia mercatores suos, habet et Babylon: mercatores Ecclesiæ thesauros suos in cœlo recondunt, ubi fures non effodiunt, nec furantur; mercatores vero Babylonis thesauros suos in terra recundunt, ubi fures effodiunt et furantur. *Et in veneficiis tuis erraverunt* omnes gentes. Veneficia Babylonis sunt diversi errores, per quos genus humanum deceptum est.

Matth. VI, 19

(Vers. 24). *Et in ea sanguis prophetarum et sanctorum inventus est, et omnium qui interfecti sunt in terra.* Sanguis sanctorum in ea inventus est, id est, scelus interfectionis sanctorum, sicut Dominus dicit impiis Judæis sub intellectu omnium reproborum. *Veniet,* inquit, *super vos omnis sanguis justus, qui effusus est super terram.*

Matth. XXIII, 35.

CAPUT XIX.

(Vers. 1-8). *Et audivi quasi vocem magnam tubarum multarum in cœlo dicentium: Alleluia, salus, et gloria, et virtus Deo nostro est, quia vera et justa judicia ejus sunt; quia judicavit de meretrice magna, quæ corrupit terram in prostitutione sua et vindicavit sanguinem sanctorum suorum de manu ejus. Et iterum dixerunt: Alleluia; et fumus ejus ascendit in sæcula sæculorum. Et viginti quatuor seniores ceciderunt in facies suas, et quatuor animalia, et adoraverunt Deum sedentem super thronum dicentes: Amen, alleluia. Et vox magna exiit de throno, dicens: Laudem dicite Deo nostro, omnes sancti ejus, et qui timetis eum, pusilli et magni. Et audivi quasi vocem tubæ magnæ, et quasi vocem aquarum multarum, et quasi vocem tonitruorum magnorum, dicentium: Alleluia, quoniam regnavit Dominus Deus noster omnipotens: gaudeamus, et exultemus, et demus gloriam ei; quia venerunt nuptiæ Agni, et uxor ejus præparavit se. Et datum est ei ut operiat se byssino splendente candido: byssinum enim justificationes sunt sanctorum.*

Totam sententiam posui, ut undique circumspecta ejus subtilitas facilius indagari possit. A septem namque vocibus quinquies alleluja decantata esse legitur: primo et secundo a voce tubarum multarum: tertio a viginti quatuor senioribus, et quatuor animalibus: quarto a voce de throno exiit non jam alleluja, sed ejus interpretatio decantata est, id est: *Laudem dicite Deo nostro omnes sancti ejus;* alleluja quippe laudate Dominum sonat. Quinto vero a tribus vocibus semel decantata est, id est, a voce tubæ magnæ, et a voce aquarum multarum, et a voce tonitruorum magnorum. Scriptura libri hujus sæpe demonstrat omnem electorum multitudinem in septem partes[2] esse dividendam, si ejus intelligentia subtilius perscrutetur. Justi itaque qui ante diluvium fuerunt, ad primam partem: illi qui post diluvium usquequo Lex data est, ad secundam pertinent, sicut sæpe jam demonstravimus; nullamque aliam legem habuerunt, nisi naturalem, id est, dilectionem Dei et proximi. Scit enim unusquisque se debere timere, et super

[1] Ita mss.; editt. e contrario, *et adducentur justi ad gaudia sempiterna.*

[2] Editt. et ms. Reg., *esse divisam:* editt. addunt: *si ejus subtilitas vel intelligentia perscrutetur;* alii mss. melius, ut nos in textu.

omnia diligere eum, a quo creatus est, et a quo ei vita et vitæ subsidia ministrantur; et nulli se debere facere, quod non vult ab alio pati. Hanc legem nullus qui sanæ mentis est, ignorare permittitur. Per tubas igitur multas electi qui ante diluvium fuerunt, et qui post diluvium usque ad illud tempus quo Lex data est, designantur. Vocem emiserunt, quia per prædicationis suæ doctrinam, quoscumque potuerunt, a suis erroribus revocaverunt: alleluja decantaverunt, quia secundum naturalis legis notitiam per bona opera Deo placere studuerunt: secundo alleluja dixerunt, quia hi qui post diluvium fuerunt, secundum eamdem legem viventes, creatori suo juste viventes adhæserunt. Sed quærendum nobis est, cur in pronuntiatione secunda alleluja fumus Babylonis in sæcula sæculorum ascendisse dicatur. Potest per fumum fama designari. Scimus quia in secunda parte Noe et filii ejus primi ponuntur, quorum temporibus aquis diluvii humanum genus deletum est. Postea vero Sodoma et Gomorrha, et cæteræ civitates quæ eis adhærebant, cœlesti igne consumptæ sunt. Fumus ergo Babylonis in sæcula sæculorum ascendit, quia hæc fama ab ore fidelium numquam recedet.

At vero per viginti quatuor seniores, patres qui sub Lege fuerunt designantur. Quibus conjunguntur quatuor animalia, per quæ novum Testamentum figuratur, quia in veteri Testamento si spiritaliter intelligatur, novum continetur. Alleluja decantaverunt, quia mandata legalia observantes, per bona opera Deo placere studuerunt. Per thronum autem prophetæ designantur, eo quod sedes Dei fuerint, et per eos sua judicia disposuerit. A throno vox exiit, quia a prophetis prædicatio sancta processit. Laudem Deo decantaverunt, quia ei tota virtute servire studuerunt. Tuba vero magna Christum significat: vox tubæ prædicatio est Evangelii: per vocem autem aquarum multarum multitudo gentium Christum confitentium designatur: per vocem vero tonitruorum magnorum electi qui in fine mundi nascituri sunt, intelliguntur; et jure per tonitrua, quia terrorem diei judicii annuntiabunt. Tres ergo voces semel alleluja decantaverunt, quia fidem sanctæ Trinitatis doctrinamque Evangelii, quæ a magna tuba, id est, a Christo processit, servaverunt, et servabunt usque in finem. Duæ igitur partes, id est, prima et secunda, ad legem quam naturalem esse diximus, pertinent: duæ quæ sequuntur, id est, tertia et quarta, ad legem quæ per Moysen data est: tres autem quæ restant, id est, quinta et sexta, et septima, ad legem Evangelii; ut indicent eos in fide sanctæ Trinitatis usque ad finem mundi permanere debere.

Quid autem istæ tres partes decantent, audiamus: *Alleluia, quoniam regnavit Dominus Deus noster omnipotens;* id est, laudemus Dominum, eo quod destructo regno diaboli perditoris nostri, ipse in nobis regnare dignatur, qui est Dominus et Salvator noster. *Gaudeamus et exsultemus, et demus gloriam ei; quia venerunt nuptiæ Agni, et uxor ejus præparavit se.* Ideo gaudeamus, ideo exsultemus, eo quod misericordia conditoris nostri Ecclesiam suam, quæ sumus nos, ita sibi conjungere sit dignatus, ut sponsa conjungitur sponso suo; quatenus simus cum ipso una caro, sicut dicit

A Scriptura: *Erunt duo in carne una:* quod apostolus de Christo et Ecclesia intelligendum esse docuit. Uxor ejus præparavit se, id est, Ecclesia quæ uxor Agni dicitur, variis virtutibus semetipsam ornavit. *Et datum est illi ut operiat se byssino splendenti candido.* Quid byssus significet, ipse exponit: *Byssinum* enim *justificationes sunt sanctorum.* Gen. II, 24. Ephes. V, 32.

(Vers. 9). *Et dixit mihi: Scribe, beati qui ad cœnam nuptiarum Agni vocati sunt.* Prandium B electorum nunc est, quando in Ecclesia dapibus evangelicis pascuntur: cœna vero tunc erit, quando post resurrectionem in cœlesti beatitudine æterna gloria perfruentur. Et quia prandium quod nunc agitur, et bonos et malos recipit, non omnes beati sunt, qui in eo videntur recumbere: illi autem soli beati sunt, qui in illa cœna, quæ post finem mundi futura est, recipientur.

(Vers. 10). *Et dixit mihi: Hæc verba Dei vera sunt. Et cecidi ante pedes ejus, ut adorarem* C *eum. Et dixit mihi: Vide ne feceris: conservus tuus sum, et fratrum tuorum habentium testimonium Jesu: Deum adora.* Redemptio sanguinis Christi hoc fidelibus contulit, ut filii Dei, sociique angelorum efficerentur; ideoque pertimescit angelus adorari ab homine, qui super se adorabat hominem Deum: quapropter conservum se Joannis, cæterorumque fidelium vocat. Testimonium Jesu est spiritus prophetiæ; patres autem veteris Testamenti, qui adventum Christi, passionem et re- D surrectionem ejus prædixerunt, spiritum prophetiæ habuisse certissimum est, unde et prophetæ vocantur. Quicumque ergo testimonium Christo perhibet, spiritum prophetiæ habet.

(Vers. 11). *Et vidi cœlum apertum, et ecce equus albus, et qui sedebat super eum vocabatur fidelis et verax.* Nullo modo æstimare debemus quod hoc capitulum ad adventum Christi pertineat, in quo ad judicium venturus est; sed potius ad electos, qui in fine mundi nascituri sunt: fine ete- E nim mundi instante, veniet Dominus in sanctis suis, ut pugnet per ipsos contra Antichristum, et ministros ejus. Et qualis a sanctis illis prædicabitur, talis et forma ejus in hoc loco describitur; nam per cœlum Ecclesia designatur: per equum album homo, quem Filius Dei assumpsit, super quem et sedisse visus est. Qui etiam fidelis et verax vocari dicitur. Hæc duo nomina, id est fidelis et verax, unum sensum habent in hoc loco.[1] Recte [1] Filius Dei fidelis vocatur, de quo dicit Psalmista: F *Fidelis Dominus in omnibus verbis suis, et sanctus in omnibus operibus suis.* Veracem vero Ps. CXLIV, 13. seipsum in Evangelio vocat dicens: *Ego sum via, et veritas, et vita.* Sequitur: *Et cum justitia ju-* Joan. XIV, 6. *dicat et pugnat.* Non armis Deus in die judicii contra impios dimicaturus est, sed ejus justitia expugnabuntur et conterentur; omnia enim peccata impiorum atque scelera in conspectu eorum adducet Dominus, ut sciant se justissimo Dei judicio esse damnatos.

G (Vers. 12). *Oculi ejus sicut flamma ignis, et in capite suo diademata multa.* Per oculos Domini[2] Spiritus Dei designatur, sicut in tertia vi- [2] sione auctor hujus libri exponit: *Habebat,* inquit, *Agnus oculos septem, qui sunt septem spiritus*

[1] *Filius Dei* in editt. desideratur.

[2] Editt. et ms. Reg., *Spiritus sanctus;* cæteri mss., *Spiritus Dei.*

Dei, missi in omnem terram. Et quia flamma urit et illuminat, non inconvenienter Spiritus sanctus flammeus esse dicitur, eo quod corda fidelium et illuminet et incendat in amorem Dei. *Et in capite ejus diademata multa.* Per diademata multa multitudo sanctorum exprimitur. *Habens nomen scriptum, quod nemo novit, nisi ipse.* Cum superius dicat quia vocabatur fidelis et verax, et paulo post quia vocabatur nomen ejus Verbum Dei; quid est quod dicit quod nemo scit nomen ejus, nisi ipse? Sciunt quidem sancti Dei nomen Christi, quod est Filius Dei, et nesciunt. Ex parte quippe sciunt, et ex parte nesciunt; in omnibus enim creaturis quæ gignunt et gignuntur, nullus filius coævus potest esse patri, quia necesse est ut antecedat qui generat, et subsequatur qui generatur: sed non talis est natura Filii Dei; nam et quemadmodum Pater est sine initio, sic et Filius. Et quamvis hoc quomodo fieri possit, considerare non possimus; in veritate tamen credimus et confitemur Filium per omnia æqualem et coævum esse Patri. De hac ejus generatione propheta loquitur dicens: *Generationem ejus quis enarrabit?* Isai. LIII, 8.

(VERS. 13). *Et vestitus erat veste aspersa sanguine: et vocabatur nomine ejus Verbum Dei.* Possumus per vestem corpus Christi: per sanguinem vero peccata nostra, pro quibus mortuus est ipse, sive ipsam mortem quam pertulit pro nobis, intelligere. Sed quia peccata electorum suorum moriendo delevit, et ipsam mortem resurgendo calcavit, sicut dicit apostolus Paulus: *Christus resurgens a mortuis jam non moritur, mors illi ultra non dominabitur;* melius mihi videtur ut per vestem Christi multitudinem sanctorum intelligamus, qui sunt membra ejus: per guttas autem sanguinis, quibus vestis aspersa esse legitur, martyres designantur, qui pro amore Christi sanguinem fundere non dubitaverunt; ideoque vestem Christi, quæ ex angelis et sanctis hominibus constat, in illa cœlesti beatitudine suo splendore exornant. Rom. VI, 9.

(VERS. 14). *Et exercitus qui sunt in cœlo, sequebantur eum in equis albis, vestiti byssino albo mundo.* Diximus superius quia qualis Christus a sanctis in fine mundi prædicabitur, talis et figura ejus hoc in loco describitur. Per cœlum ergo in hoc loco Ecclesia: per exercitus qui de cœlo processisse Christum sequentes visi sunt, sancti qui in fine mundi nascituri, et contra Antichristum pugnaturi sunt, intelliguntur: per equos autem corpora: per sessores vero equorum animæ designantur. Albos igitur equos habuisse visi sunt, quia se mundos et nitidos, in quantum humana fragilitas permittit, exhibebunt in conspectu Dei. Quid sit vero byssinum,[1] superius exponit: *Byssinum,* inquit, *justificationes sunt sanctorum.*

(VERS. 16). *Et habebat in vestimento et in femore suo scriptum: Rex regum, et Dominus dominantium.* Per vestimentum, sicut superius diximus, sancti: per femur autem ex quo humana origo procedere dicitur, homo quem Christus assumpsit, designatur. In vestimento itaque suo quod ipse sit Rex regum, scriptum habebat, quia in operibus sanctorum agnoscitur hunc esse verum Deum, qui tales servos possidet. Habet et in femore suo scriptum quod ipse sit Rex regum et Dominus dominantium, quia in operibus quæ in carne positus gessit, cognitum est hunc esse verum Dei Filium. Possumus etiam per femur patres veteris Testamenti, ex quorum stirpe Christus originem duxit, intelligere; qui et ipsum præfiguraverunt, et quod ipse futurus esset Rex regum et Dominus dominantium, apertis vocibus prædixerunt.

(VERS. 15). *Et de ore ejus gladius acutus exibat.* Possumus per os Domini eosdem prædicatores, de quibus diximus, qui in fine mundi nascituri sunt, accipere, per quorum os loquetur Deus, sicut ipse dixit in Evangelio: *Non enim vos estis qui loquimini, sed Spiritus Patris vestri, qui loquitur in vobis.* Et ipse dicit per prophetam: *Si separaveris pretiosum a vili, quasi os meum eris.* Per gladium vero divinam Scripturam, sicut superius diximus, intelligere debemus, sicut dicit apostolus Paulus: *Et gladium spiritus, quod est verbum Dei.* Qui acutus esse dicitur, quia ad resecanda vitia, divina Scriptura acutissima est. *Ut in ipso percutiat gentes.* Percutiet Christus gladio suo gentes, quando per doctrinam sanctorum suorum hominum stultorum[2] errores destruet. *Et ipse reget eas in virga ferrea: et tamquam vas figuli confringentur.* Per virgam ferream Evangelium diximus fuisse designatum; reget ergo Christus gentes in virga ferrea, quando per doctrinam sanctorum et Judæos ad fidem suam convertet, et electos ab erroribus Antichristi defendet. *Et tamquam vas fictile confringentur.* Quamdiu quilibet in peccatis jacet, recte vas fictile vocatur: cum autem per pœnitentiam et lacrymas ad bona opera agenda conversus fuerit, confringitur vas fictile, et ex vase fictili efficitur vas solidum et firmum, et ad ictus tentationum dæmonum fortissimum. *Et ipse calcabit torcular vini furoris iræ Dei omnipotentis.* Esaias cum de passione Domini loqueretur interposuit Dominum dicentem: *Torcular calcavi solus; et de gentibus non est vir mecum.* Sed ibi per torcular crux Domini intelligitur; hic vero non crux, sed locus pœnarum, in quem impii retrudendi sunt, designatur. Eamdem quippe significationem habet torcular in hoc loco, quam et lacum superius diximus habuisse, in quem botri vineæ terræ, per quos impii designantur, demersi fuisse leguntur. Sed et ipsa calcatio torcularis eamdem significationem habet, quam et illic calcationem lacus habuisse diximus; significat namque ultimam demersionem impiorum in infernum. Quid vero sit vinum furoris iræ Dei omnipotentis, superius diximus. Matth. X, 20 Jerem. XV, 19 Ephes. VI, 17 Isai. LXIII, 3. Ad cap. 14.

(VERS. 17). *Et vidi alium angelum stantem in sole, et clamavit voce magna omnibus avibus, quæ volabant per medium cœlum.* Iste angelus prædicatores qui in fine mundi futuri sunt, significat: qui etiam et per equites paulo superius designati sunt: per solem vero Christum intelligere debemus. Angelus igitur in sole stetit, quia prædicatores sancti in Christo ita solidabuntur, ut ab ejus fide nulla vi persecutionum avelli possint. Per aves autem fideles omnes, qui eo tempore futuri sunt, designantur: per cœlum volabunt, quia in terris positi, mente in cœlestibus habitabunt. Possumus nihilominus per cœlum Ecclesiam intel-

[1] Ita mss.; editt. vero, *superius expositum est. Byssinum igitur justificationes,* etc.

[2] Omnes edit., *hominum infidelium;* omnes mss., *hominum stultorum.*

ligere. Per cœlum sancti volant, quia duas alas habentes, id est, duo præcepta caritatis, circumquaque volant, quibusdam misericordiam impendendo, quosdam ab iniquitatibus revocando.

(Vers. 18). *Venite, congregamini ad cœnam magnam Dei omnipotentis, ut manducetis carnes regum, et carnes tribunorum, et carnes fortium, et carnes equorum, et sedentium in ipsis, et carnes liberorum et servorum, et pusillorum et magnorum.* Qui designantur per reges et principes, liberos et servos, cæterosque, ipsi per equos, eorumque ascensores, principes scilicet terræ, ac populi qui eis subjicientur. Cœna vero Dei quid aliud est, nisi exterminatio impiorum? Carnes autem impiorum justi manducabunt, cum vindictam ex malis quæ eis intulerunt, excipient. Et quia justi videntes pœnam impiorum, in bonis operibus proficiunt, sicut dicit Psalmista: *Lætabitur justus, cum viderit vindictam, manus suas lavabit in sanguine*
Ps. LVII, 11. *peccatoris.*

(Vers. 19). *Et vidi bestiam, et reges terræ, et exercitus eorum congregatos ad faciendum prælium cum illo, qui sedebat in equo, et cum exercitu ejus.* Hic demonstrat non ad adventum Domini secundum ea, quæ superius dicta sunt, pertinere: sed potius ad illud tempus, in quo per sanctos suos contra Antichristum præliaturus est, sicut jam diximus. Congregabuntur namque bestiæ, et reges terræ, et exercitus eorum, ut pugnent contra Christum et sanctos ejus; quando Antichristus et innumerabilis multitudo gentium quæ ab eo decipientur, ad persequendam Ecclesiam Dei exsurgent, ut nomen Christi de mundo funditus exstinguant.

(Vers. 20, 21). *Et apprehensa est bestia, et pseudopropheta, qui fecit signa coram ipsa, quibus seduxit eos, qui acceperunt characterem bestiæ, et qui adoraverunt imaginem ejus; vivi missi sunt ii duo in stagnum ignis ardentis sulphure, et cæteri occisi sunt in gladio sedentis super equum, qui procedebat de ore ipsius, et omnes oves saturatæ sunt de carnibus eorum.* Apprehendentur bestia et pseudo-propheta ejus, quando illud implebitur, quod apostolus Paulus ait: *Quem Dominus Jesus interficiet spiritu oris sui, et de-*
II Thess. II, 8 *struet illustratione adventus sui.* Si Antichristus spiritu oris Domini interficiendus est, quomodo ipse et pseudopropheta ejus in stagnum ignis vivi mittendi sunt? Est vita justorum, est et impiorum. De vita justorum[1] dicit propheta, quia *justus in*
Habac. II, 4. *fide sua vivet;* de vidua vero mala dicit Paulus,
II Tim. V, 6. quia *vivens mortua est.* Vitam namque impiorum justi non incongrue mortem vocant: similiter et impii vitam justorum mortem æstimant, sicut in judicio dicturi sunt: *Hi sunt quos aliquando habuimus in derisum, et in similitudinem improperii: nos insensati vitam illorum æstimabamus*
Sap. V, 4 *insaniam, et finem illorum sine honore.* Antichristus ergo et pseudopropheta ejus vivi missi sunt in stagnum ignis, id est, in malitia sua vivi, in ea videlicet usque in finem vitæ suæ perseverantes. Quod autem dicit quia cæteri occisi sunt in gladio sedentis super equum, interfectionem istam pro confusione posuit; nam sancti, quorum

A doctrina per gladium oris Domini designatur, interfecto Antichristo, insultabunt infidelibus, eo quod hominem impiissimum, atque omnibus hominibus deteriorem Antichristum, immortalem deumque existimaverint, quem constabit pessima morte peremptum: at illi confundentur et tabescent in iniquitatibus suis. Omnes ergo aves saturatæ sunt de carnibus eorum, quia subverso Antichristo, omnes electi inenarrabiliter gaudebunt et exultabunt, eo quod a tam pessimo hoste misericordia
B divina eos liberaverit, omnesque qui eos persequebantur, velut fumus evanuerint.

CAPUT XX.

(Vers. 1). *Et vidi angelum descendentem de cœlo, habentem clavem abyssi, et catenam magnam in manu sua.* Damnationem diaboli narrare volens, ad adventum Christi revertitur. Tres namque sunt damnationes diaboli: damnatus est primo,
C quando de cœlesti beatitudine propter iniquitatem suam est dejectus: secunda damnatio ejus fuit, de qua auctor libri hujus loqui modo incipit; quando per mortem Christi genus humanum de potestate ejus ereptum est, et ipse, sicut præsens Scriptura demonstrat, in abyssum est religatus:[2] tertia 2
damnatio ejus erit, quando in infernum cum omnibus impiis in æternum cruciandus demergetur. Angelus itaque iste Christum significat: descensio ejus de cœlo est incarnatio ejus. Clavem abyssi, id est, in-
D ferni, ipse possidet; quia ab ingressu ejus quos vult, retrahit; et quos vult, in ejus damnationem cadere juste permittit. Per catenam vero magnam ejus potestas designatur.

(Vers. 2). *Et apprehendit draconem, serpentem antiquum, qui vocatur diabolus et satanas, et religavit eum per annos mille.* Apprehendit Christus serpentem antiquum, id est, diabolum, quando per mortem suam ejus destruxit imperium: per annos autem mille omne tempus ab adventu
E Christi usque ad finem mundi debemus accipere. Religavit ergo Christus diabolum non vinculis corporeis, sed vinculis potestatis suæ immensæ; quia eum a cordibus electorum suorum expellens, ab eorum deceptione divina sua virtute exclusum tenet.

(Vers. 3). *Et misit eum in abyssum, et clausit, et signavit super eum; ut non seducat amplius gentes, donec consummentur mille anni: post hæc oportet illum solvi modico tempore.* Alliga-
F tionem diaboli tribus modis possumus intelligere; possumus namque hoc simpliciter intelligere, ut virtute Dei omnipotentis in abysso religatus teneatur usque ad tempus præfinitum: possumus etiam per abyssum corda impiorum intelligere, ut a cordibus electorum exclusus, intra angustias cordium reproborum constrictus et alligatus teneatur: possumus et hoc tertio modo intelligere. Diabolus nihil aliud desiderat, quam deceptionem hominum; et dum per custodiam Dei omnipotentis, qui electos
G suos custodire et defendere non desistit, ab eorum deceptione arcetur, quasi quibusdam vinculis ejus impiissima voluntas religata tenetur. Per gentes vero quas seducere non permittitur, solos electos

[1] Sic omnes mss.; at editt. e contrario, *dicit propheta, quia justus in fide vivit; de vita vero mala dicit Paulus, quia vidua male vivens mortua est.*

[2] Pro *religatus* quidam codices scribunt *relegatus;* sed hæ duæ voces facile in mss. commutantur.

debemus intelligere: tempus modicum, quo post mille annos solvendus esse dicitur, tempus Antichristi est; tunc enim peccatis hominum facientibus, dabitur potestas diabolo tota virtute contra genus humanum dimicandi.

(Vers. 4). *Et vidi sedes: et sederunt super eas, et judicium datum est illis.* Quia superius narravit, quo ordine misericordia divina quotidie electos suos ab immanissimo hoste diabolo liberet, consequens est ut gloria ad quam eorum animæ quotidie perducuntur, describatur; per sedes namque cœlestis patria, per sedentes vero super eas sanctorum animæ designantur: quod autem judicium datum sit sanctis, quorum animæ in cœlesti beatitudine requiescunt, in hoc advertere possumus, cum ad eorum sepulcra dæmonia ab obsessis corporibus expelli, perjuria sæpe detegi, atque multa miracula fieri videmus. *Et animas interfectorum propter verbum Dei, et testimonium Jesu: et qui non adoraverunt bestiam et imaginem ejus, nec acceperunt characterem ejus in frontibus aut in manibus suis, vixerunt et regnaverunt cum Christo mille annis.* Per animas interfectorum propter verbum Dei et testimonium Jesu, martyres, qui diversis temporibus interfecti sunt, possumus accipere: per eas vero quæ non adoraverunt bestiam et imaginem ejus, eos qui ab Antichristo interficiendi sunt, puto esse intelligendos. Isti ergo *vixerunt et regnaverunt cum Christo mille annis,* quia quamvis corpore sint interfecti, secundum animam tamen vivunt cum Christo in cœlesti beatitudine. Sed quærendum nobis est quomodo electi qui instante fine mundi nascituri sunt, cum Christo mille annis regnare dicantur, cum tempus mille annorum non ad futurum tempus, quod sine fine est, sed ad præsens potius pertineat, quod in fine mundi consummabitur, et in quo fides Evangelii per universum orbem florens, electos quotidie ad vitam æternam percipiendam dirigit. Quod ita solvendum puto. Tempus ab ascensione Christi usque ad finem mundi, quod per mille annos designatur, omnibus electis deputatum est, ut in eo sine corporibus gloria cœlesti cum Domino perfruantur: et scimus quia omnes electi membra Christi sunt, et ex multis membris unum corpus efficitur; et si gloriatur unum membrum, congaudent omnia membra. Gaudium igitur præcedentium sanctorum, illorum nihilominus erit, qui in fine mundi nascituri sunt, quia unum corpus efficientur cum eis, et in aliis possidebunt, quod ipsis deerit.

(Vers. 5). *Cæteri vero non vixerunt, donec consummentur mille anni.* Cæteri autem, id est, reprobi, non vixerunt, quia post mortem non ad vitam ducuntur, quæ in cœlestibus sanctorum animabus datur; sed in infernum demerguntur, quæ in hoc libro mors prima vocatur.[1]

(Vers. 6). *Hæc est resurrectio prima. Beatus qui habet partem in resurrectione prima: in iis secunda mors non habet potestatem.* Quærendum nobis est, quæ sit resurrectio prima: nam primam resurrectionem non diceret, nisi esset et secunda; nec secundam mortem, nisi esset et prima. Resurgimus itaque primo per baptismum a morte animæ: sed quia dicit beatos esse eos, qui habent partem in resurrectione prima, non mihi de baptismo hoc dictum videtur, eo quod non omnes beati sint, qui per baptismum a morte animæ resurgere videntur; eo quod nonnulli post baptismum ipsi sibi peccando mortem attrahunt, mentiendo quæ in eo promiserunt, atque in suis malis perseverando. Sunt etiam nonnulli qui post perpetrationem scelerum, quibus sibi mortem intulerunt, ad vitam per pœnitentiam et lacrymas, cæteraque bona opera redeunt, de quibus Apostolus loquitur dicens: *Surge, qui dormis, et exsurge a mortuis, et illuminabit te Christus.* Sed nec istam primam resurrectionem dicere possumus, eo quod primo per baptismum, secundo per pœnitentiam et lacrymas animæ nostræ ad vitam revocentur. Necesse est ergo ut investigemus, quam vocet resurrectionem primam. Ephes v, 14

Quatuor sunt vitæ fidelium: prima mala, secunda bona et mala, tertiæ vero et quartæ nullum malum adhærere potest. Prima est ante baptismum, quæ tota mala est: secunda post baptismum, quæ et bona et mala dici potest; nullus enim fidelium tempus vitæ præsentis sine aliquibus peccatis transire potest, sicut iste Joannes loquitur dicens: *Si dixerimus quia peccatum non habemus, nosmetipsos seducimus, et veritas in nobis non est.* I Joan i, 8 Tertia est, quæ tota bona est, et ad quam series hujus lectionis pertinet, quæ a passione Christi usque ad finem mundi extenditur, in qua sancti sine corporibus cum Domino vita æterna perfruuntur: quam etiam primam resurrectionem vocat cum dicit: *Hæc est resurrectio prima.* Tempus itaque a passione Christi usque ad finem mundi resurrectio prima vocatur. Quarta vita sanctorum erit post receptionem corporum, quæ nullo fine terminabitur. Igitur quia vita præsens in comparatione vitæ cœlesti mors recte dici potest, sancti prima resurrectione tunc resurgunt, cum ab hac misera vita subtracti, in cœlesti beatitudine cum Domino collocantur.

Et sicut est hæc prima resurrectio sanctorum, ita est et prima mors impiorum, quando præsentem vitam deserunt, et in pœnis demerguntur: secunda vero mors ultima damnatio erit, sicut in sequentibus exponit. Beati ergo erunt, qui habent partem in resurrectione prima, et in iis secunda mors non habet potestatem, quia illi tantummodo beati sunt et erunt, qui ante finem mundi in consortio sanctorum ascribi merebuntur. Multos enim, fine mundi instante, ignis purgatorius purgando cremabit, sed ante judicium absoluti in sanctorum collegio recipientur: atque in iis secunda mors, id est, damnatio ultima non habebit potestatem, quia jam non cum hædis in sinistris, sed cum ovibus in dextris ponentur. *Sederunt sacerdotes Domini et Christi, et regnaverunt cum Christo mille annis.* Matth. xxv, 33 Nomine sacerdotum omnes electos comprehendit; omnes namque electi sacerdotes vocantur, sive quod sint membra summi sacerdotis, sive quod ipsi semetipsos offerre Deo per bona opera non desistant.

(Vers. 7). *Et cum consummati fuerint mille anni, solvetur satanas de carcere suo, et exibit, et seducet gentes, quæ sunt super quatuor angulos terræ Gog et Magog.* Quod hic carcer, superius abyssus vocatur. Sed interim quæstio oritur; superius quippe quorumdam opinionem sequens, dixi per abyssum corda impiorum posse designari,

[1] Rom. edit. et Reg. ms., *mors secundas vocatur.... Beatu et sanctus, qui habet,* etc.

in quibus diabolus a cordibus fidelium expulsus, religatus teneatur: si ergo per abyssum corda reproborum designantur, quomodo de abysso, id est, de cordibus reproborum exire dicitur, quos numquam derelinquet? Numquid reprobos derelicturus est, et invasurus electos? Nullo modo. Alligationem ergo diaboli secundum litteram intelligendam puto, ut in aliquo abyssi loco virtute divina religatus teneatur, vel certe in inferno usque ad diem absolutionis suæ. *Seducet* autem *gentes, quæ sunt super quatuor angulos terræ;* quia universas gentes quæ infra quatuor plagas mundi continentur, Antichristi impiissima doctrina perlustrabit: nullasque alias gentes seducet, nisi quæ spiritaliter Gog et Magog vocantur; Gog namque interpretatur tectum, Magog de tecto.[1] Per Gog igitur, qui interpretatur tectum, ii designantur, qui malitiam suam in corde tegentes, justi ab hominibus videbuntur, cum futuri sint mente reprobi: Magog vero, qui interpretatur de tecto, eos designet, qui de tecto cordis sui[2] in apertas miserias prorumpentes, omnibus se impios esse demonstrabunt. Tales itaque diabolus per Antichristum facile decipiet.

(Vers. 8). *Et congregabit eos in prælium, quorum numerus est sicut arena maris.* In prælium eos congregabit, quia ad Ecclesiam Dei persequendam eos armabit. *Et ascenderunt super latitudinem terræ, et circumdederunt castra sanctorum, et civitatem dilectam.* Diximus superius discipulos Antichristi laudatores fore vitiorum, et omnia quæ ad delectationes carnales pertinent, docere. Super latitudinem ergo terræ ascenderunt, quia vastas hujus sæculi vias ingredientur, quæ ducunt ad mortem. Castra vero sanctorum et civitas dilecta, unam significationem habent: significant quippe Ecclesiam. Castra igitur sanctorum circumdabunt, quia Ecclesiam Dei tota virtute persequentur, ut nomen Christi de mundo funditus exstinguant.

(Vers. 9). *Et exivit ignis de cœlo a Deo, et devoravit eos.* Ignis de cœlo exiet, quia veniente Domino ad judicium, ignis ante ipsum præcedet, qui non solum omnem catervam impiorum, sed et ipsum mundum consumet, sicut in nonagesimo sexto psalmo David loquitur dicens: *Ignis ante ipsum præcedet, et inflammabit in circuitu inimicos ejus.* Reprobi namque quamvis cum electis conversentur, in circuitu sunt, quia sicut hostes civitatem aliquam impugnant, ut capiant eam; ita et Ecclesia a reprobis impugnatur. Sed et in psalmo quadragesimo nono idem David loquitur dicens: *Ignis in conspectu ejus exardescet, et in circuitu ejus tempestas valida.* Quidam hunc versum ita exponunt, quod post succensionem elementorum pluvia descendet, quæ combustionis cineres abluat: sed talis expositio absurdissima mihi videtur; scimus enim pluviam a mari atque a terra sive per nebulam, sive per exsiccationem solis exsurgere. Et sicut aqua levia quæque a fundo ad superiora elevat; ita et aer aquam aut in nebulam conversam, aut per ardorem solis in tenuissimum fumum, et pene invisibilem redactam, usque ad ea loca ubi consummatio ejus est, elevat: ibique conglobata, primo in densam nebulam, quam nubes vocamus, convertitur; deinde, vento agitante, minutissimæ guttæ simul mixtæ, atque sua permixtione graves effectæ, ad terras decidunt, pluviamque faciunt. Ecce terra, ecce aer, ecce mare, cæteraque elementa igne consumentur: unde ergo pluvia exsurget, maxime cum, secundum Apostolum, tunc creatura liberetur a servitute corruptionis in libertatem gloriæ filiorum Dei? Numquid Deus qui omnia ex nihilo creavit, non poterit mundare creaturam suam sine adjutorio pluviæ; præsertim cum ipse mundus in meliorem statum, atque multo pulchriorem reparetur post ignem? Aut quid sunt aliud cineres, nisi terra munda? Nam quascumque sordes ignis absumpserit, in cineres mundos convertit. Numquid non poterit Deus mundus cineres in meliorem statum cum altera terra reparare, ut necessaria non sit ei ablutionis pluvia?

Dicamus aliter: Omnium sordium ablutiones aut terra ebibit, aut in flumina decurrunt, et cum fluminibus in mare. Et quomodo terra, postquam ab igne examinata fuerit, sordes suas ebibet, ut iterum sordescat? Aut quomodo in flumina decurret, et cum fluminibus in mare; cum mare jam non sit, sicut sequentia hujus libri videntur fateri? Quod si mare in meliorem statum reparabitur, sicut cœlum terraque, a terræ sordibus quomodo inquinabitur? Quod si quis dixerit ante innovationem hanc[3] passurum esse inquinationem, atque in permutatione ejus ad nihilum esse redigendas; non poterit Deus sicut in aqua, ita et in terram easdem sordes ad nihilum redigere, ut non sit necesse ut in mare defluant? Per tempestatem igitur validam ultimum interitum impiorum possumus intelligere, quem Sapientia per Salomonem in ultimo examine impiis se illaturam esse testatur dicens: *Ego quoque in interitu vestro ridebo, et subsannabo, cum vobis quod timebatis, advenerit; cum irruerit repentina calamitas, et interitus quasi tempestas ingruerit.*

Et diabolus qui seducebat eos, missus est in stagnum ignis et sulphuris, ubi est bestia et pseudopropheta. Hoc tunc implebitur, quando Dominus dicet: *Ite, maledicti, in ignem æternum, qui præparatus est diabolo et angelis ejus.*[4]

(Vers. 10). *Et cruciabantur die ac nocte in sæcula sæculorum.* A quo cruciatu misericordia Redemptoris nostri nos liberare dignetur, qui cum Patre et Spiritu sancto vivit et regnat in sæcula sæculorum, amen.

DE VISIONE SEXTA.

Domini nostri Jesu Christi misericordia largiente, ad sextam visionem pervenimus, quæ brevior est cæteris, eo quod in ea generalis resurrectio, damnatio impiorum, glorificatio justorum tantummodo breviter describatur. Et recte in sexto loco resurrectio ultima ponitur, quia senarius numerus perfectus est, et quidquid sanctis promissum est, in resurrectione perficietur.

(Vers. 11). *Et vidi thronum magnum et candidum, et sedentem super eum.* Thronus iste Dei non auro et gemmis ornabitur, sed hominibus justis; iste est namque thronus, de quo Psalmista

Ps. xcvi, 3

Ps. xlix, 3

Rom. viii, 21.

Prov. i, 26.

Matth. xxv, 41.

[1] *Magog de tecto,* in editt. omissum erat.

[2] Ita mss. ac Gill. in corpore: idem vero Gill. in margine, et Rom. edit. in corpore, *in apertas malitias.*

[3] Nonnulli mss., *ante invocationem hanc,* minus commode.

[4] Editt. prætermiserant, *qui præparatus est diabolo et angelis ejus.*

dicit: *Thronus tuus, Deus, in sæculum sæculi;* Ps. XLIV, 7. *virga æquitatis virga regni tui.* Thronus igitur Dei est omnis multitudo angelorum atque sanctorum. *A cujus conspectu fugit terra et cœlum, et locus non est inventus eis.* Quemadmodum a conspectu sedentis super thronum cœlum et terra fugiat, Psalmista ostendit, sicut superius jam diximus, qui dicit: *Ignis in conspectu ejus exar-* Ps. XLIX, 3. *descet;* et iterum: *Ignis ante ipsum præcedet.* Ps. XCVI, 2. Fugiet autem terra et cœlum, id est, species terræ et cœli, quia per ignem a sua specie commutabuntur, ut possint in aliam reformari multo meliorem et pulchriorem. Quod vero dicit: *Locus non est inventus eis*, non ideo dicit, ut locum pristinum amittant, sed speciem.

(VERS. 13). *Et vidi mortuos magnos et pusillos, stantes in conspectu throni.* Per mortuos magnos et pusillos soli reprobi designantur, qui in die resurrectionis mortui astabunt in conspectu Dei, ea videlicet morte quam primam esse diximus, post paululum in mortem secundam dejiciendi: per mortuos vero magnos eos designari puto, qui aut majores fuerunt in sceleribus, aut altiores in sæculi dignitatibus: per pusillos autem ii designantur, qui eis subjecti fuerunt, vel certe ii qui minus peccaverunt. *Et libri aperti sunt: et alius liber apertus est, qui est vitæ.* Libri multi ad reprobos: unus qui est vitæ, ad electos pertinet. Reprobi multos libros habent, quia in multis erroribus sunt devoluti; nam pagani multos deos coluerunt et in multis erroribus semetipsos dejecerunt: similiter et hæretici multa dogmata prava, et Deo odibilia invenerunt: falsi etiam christiani in multis sceleribus quotidie involvuntur. Multos ergo libros reprobi possident, quia multis modis Deum offendunt: electi vero unum librum habent, quia unum Deum colunt, unam fidem catholicam confitentur, uno vinculo caritatis connectuntur. Sed quærendum nobis est, qui sint libri isti: numquid ex aliqua materia visibili, aut invisibili, fient libri, in quibus singulorum facta describantur? Libri igitur multi sunt facta reproborum: libri multi aperiuntur, cum scelera reproborum omnibus manifestabuntur. Per librum autem vitæ prædestinationem Dei omnipotentis possumus intelligere. In hoc libro nomina discipulorum esse conscripta Dominus in Evangelio manifestat, cum dicit: *Gaudete, quia nomina ve-* Luc. X, 20. *stra scripta sunt in cœlis.* De hoc libro apostolus Paulus loquitur dicens: *Quos autem præscivit, hos et prædestinavit: et quos prædestinavit, hos* Rom. VIII, 30. *et vocavit: et quos vocavit, illos et glorificavit.*

(VERS. 13). *Et judicati sunt mortui secundum ea, quæ scripta erant in libris, secundum opera* 1 *ipsorum. Judicati sunt secundum ea,*[1] *quæ scripta erant in libris*, quia secundum errores proprios, et juxta qualitatem scelerum suorum singuli judicabuntur; aliter enim judicabuntur hæretici, aliter pagani, aliter falsi christiani: sed unusquisque ipsorum quanto deterior fuerit in proprio errore, tanto et acrius judicabitur.

Et dedit mare mortuos suos, et mors et infernus dederunt mortuos, qui in ipsis erant: et judicatum est de singulis secundum opera eorum. Nunc ad ea quæ prætermiserat, revertitur; prius

A quippe resurrectio generalis fiet, et postea judicium exercebitur. Quod ita esse Dominus in Evangelio manifestat, dicens discipulis: *In regeneratione cum sederit Filius hominis in sede majestatis suæ, sedebitis et vos super sedes duodecim, judicantes duodecim tribus Israel.* Primo regene- Matth. XIX, 28. rationem posuit, id est, resurrectionem;[2] postea ad judicandos populos eos sessuros esse dixit. Et in Evangelio hujus Joannis Dominus loquitur dicens: *Venit hora quando omnes, qui in monu-*
B *mentis sunt, audient vocem Filii Dei: et procedent qui bona fecerunt, in resurrectionem vitæ; qui vero mala egerunt, in resurrectionem judicii.* Joan. V, 29. Ad imperium igitur Domini de monumentis suis procedent mortui, quia corpora omnium mortuorum per receptionem animarum vivificata, de sepulcris suis exient. Qui vero mala fecerunt, in resurrectionem judicii procedent, quia ad hoc resurgent, ut in corporibus in quibus animæ peccaverunt, in ipsis et judicentur: ut quos habuerunt socios in
C iniquitatibus, habeant participes in tormentis. Præsens quoque lectio quod ante judicium futura sit resurrectio, ostendit; cum post redditionem mortuorum, quos mare, mortem et infernum reddidisse dicit, impios esse judicandos narrat. Sed et fides catholica quam frequenter decantamus, hoc demonstrat, cum dicit de Domino: Ad cujus adventum omnes homines resurgere habent cum corporibus suis, et reddituri sunt de factis propriis rationem. Athan. Symbol.

D Verum quærendum nobis est, quid significent mors, mare et infernus. Scimus quippe aquas ad ablutionem peccatorum nostrorum esse consecratas, sicut dicit Dominus in Evangelio: *Nisi quis renatus fuerit ex aqua et Spiritu sancto, non potest introire in regnum Dei.* Mare itaque ad re- Joan. III, 5. surrectionem electorum: mors vero atque infernus ad reproborum pertinent.[3] Mare ergo in hoc loco 3 baptismum designat. Quasi igitur mare mortuos suos reddet, cum electi qui in ea munditia quam
E in baptismate perceperunt, in ea etiam et resurgent, nullam maculam peccati habentes. Mare mortuos suos reddet, quia sacri baptismatis ablutio, et sancti Spiritus gratia, electos omnes tempore resurrectionis in conspectu Creatoris sui mundos et immaculatos exhibebit. Per mortem autem corpora impiorum, quæ in terræ sinibus mortua detinentur: per infernum vero eorum animas, eo quod in inferni claustris detineantur, intelligere possumus. Infernus itaque mortuos suos dabit, quia
F animas prima morte devoratas, quas detinet, ad recipienda propria corpora remittet. Mors etiam mortuos suos dabit, quia corpora quæ in pulverem redegerat, ut virtute divina per animarum susceptionem vivificentur, exhibebit.

(VERS. 14, 15). *Et mors et infernus missi sunt in stagnum ignis.... et omnis qui non est in libro vitæ scriptus, missus est in caminum ignis.* Mors et infernus missi sunt in stagnum ignis, id est, animæ cum corporibus. Possumus et per mortem
G dæmones, eo quod ipsi auctores fuerint mortis, intelligere. Mors et infernus in stagnum mittentur, quia dæmones cum cæteris impiis in infernum demergentur.

[1] *Judicati sunt secundum ea, quæ scripta erant in libris,* in editt. non iterabatur, sed sic iteratur in mss.

[2] Omiserant editt., *id est, resurrectionem.*

[3] Eædem edit., *ad reproborum dejectionem;* mss. vero, si Reg. excipias, *dejectionem* non agnoscunt: sed vocem *mortuorum* referre licet ad *resurrectionem.*

CAPUT XXI.

(Vers. 1). *Et vidi cœlum novum, et terram novam; primum enim cœlum, et prima terra abiit, et mare jam non est.* Cœlum et terra, et cætera elementa, quæ modo videmus, ab igne consumentur, non ut penitus deleantur, sed ut in meliorem statum, sicut superius jam diximus, per ignem reparentur, sicut Psalmista indicat dicens: *Ipsi peribunt, tu autem permanebis: et omnes ut vestimentum veterascent, et velut amictum*
Ps. ci, 27. *mutabis eos, et mutabuntur.* Quod dicit: *Primum cœlum, et prima terra abiit*, speciem ejusdem cœli ac terræ transituram esse demonstrat; species enim eorum, non essentia transibit, cum in meliorem statum commutabuntur. Quod vere infert: *Et mare jam non est*, possumus secundum litteram intelligere, ut mare penitus deleatur. Aliter: mare jam non erit, quia propriam figuram amittet, sicut cœlum et terra, ut in pulchriorem formam reparetur. Sed spiritaliter hoc intelligendum puto; quidquid enim de innovatione cœli et terræ dictum est, et historialiter intelligendum est, sicut superius diximus, et spiritaliter. Possumus itaque per cœlum animas sanctorum, per terram corpora intelligere. Cœlum novum fiet, cum animæ sanctorum per receptionem corporum in hominis naturam atque formam restituentur. Terra nova efficietur, cum corpora sanctorum quæ antea erant mortalia atque corruptibilia, immortalia et incorruptibilia reddentur. Sæpe vero per mare impii designantur, dicente Esaia propheta: *Impii quasi mare fervens, quod quiescere non potest, et redundant*
Isai. lvii, 20. *fluctus ejus in conculcationem et lutum.* Mare igitur jam non erit, quia omnis multitudo impiorum cum deceptoribus suis dæmonibus in infernum detrusa, præsentem mundi faciem a sua inquinata habitatione mundam præstabunt.

(Vers. 2). *Et civitatem sanctam Hierusalem vidi descendentem de cœlo a Deo, paratam sicut sponsam ornatam viro suo.* Civitas Hierusalem Ecclesia est ex omnibus justis constructa; de cœlo descendet, quia Domino ad judicium veniente, cum illo omnis multitudo sanctorum veniet, sicut dicit Esaias propheta: *Dominus ad judicium veniet cum*
Isai. iii, 14. *senibus populi sui, et principibus ejus.* Et sapientissimus Salomon in Proverbiis: *Nobilis in portis vir ejus, quando sederit cum senatoribus*
Prov. xxxi, 23. *terræ.* Quæ sicut sponsa parata et ornata esse dicitur, quia sicut sponsa diversis monilibus et ornamentis semetipsam exornat, ut sponso suo placeat; ita et Ecclesia diversis virtutibus decoratur, ut Creatori suo, qui est sponsus ejus, placere valeat.

(Vers. 3). *Et audivi vocem magnam de throno dicentem: Ecce tabernaculum Dei cum hominibus, et habitabit cum eis; et ipsi populus ejus erunt, et ipse Dominus cum eis erit eorum Deus.* Scimus per civitatem Hierusalem et tabernaculum Domini Ecclesiam sæpe esse designatam. Civitas ergo in hoc loco et tabernaculum Ecclesia vocatur, eo quod in illa habitet Deus, sicut ipse dicit per prophetam: *Inhabitabo in illis, et inambulabo, et*
Levit. xxvi, 12. *ero illorum Deus, et ipsi erunt mihi populus.*

(Vers. 4). *Et absterget Deus omnem lacrymam ab oculis eorum.* Animæ omnium hominum immor-

A tales creatæ sunt, sicut Dominus dicit in Evangelio: *Nolite timere eos, qui occidunt corpus, animam autem non possunt occidere.* Quamvis Matth. x, 28.
enim moriantur peccato, aut ea morte quam primam et secundam diximus; tamen non ita moriuntur, ut penitus non sint: sed earum male esse mors vocatur. Duo quoque tempora iis constituit Deus, presentis vitæ, quod cito finitur, et futuræ, quod finiri non potest; unumque fletui et mœrori, alterum gaudio atque lætitiæ deputavit. Verbi gratia,
B si quis vellet in hoc tempore, quod brevissimum est, pro peccatis suis flere et lugere, et affligendo semetipsum carnalia desideria exstinguere; in alio tempore quod istud sequitur, quodque infinitum est, gauderet et exultaret in æternum: si quis autem hoc elegerit, ut in præsenti tempore gaudeat, et desideria carnis suæ perficiat; in futuro lugebit, et tristabitur in sempiternum. De iis duobus temporibus videtur mihi Salomonem dixisse: *Tempus flendi, et tempus ridendi.* Tempus flendi electo- Eccli. iii, 2.
C rum nunc est: tempus ridendi tunc erit, quando illud implebitur, quod Dominus dicit in Evangelio: *Beati qui lugent nunc, quoniam ipsi consolabuntur.* Peccatoribus vero dicit: *Væ vobis qui ri-* Matth. v, 5
detis nunc, quia plorabitis et flebitis! Absterget Luc. vi, 25.
ergo Deus omnem lacrymam ab oculis sanctorum, quia post resurrectionem nihil triste sanctis accidere poterit, unde lacrymæ oriri possint.

Et mors ultra non erit. Primus homo immortalis factus est: peccando autem et immortalitatem
D amisit, et mortem mundo intulit. Post resurrectionem autem mors non erit, quia et ipse princeps mortis diabolus cum omnibus satellitibus suis in infernum perpetuo reclusus tenebitur, et immortalitas quam primus homo peccando amisit, justis reddetur; et possibilitas peccandi, quæ mortem mundo intulit, ab eis auferetur. *Neque luctus.* Cum superius dicat quod absterget Deus omnem lacrymam ab oculis sanctorum, quid necesse fuit in hoc loco luctum ponere? Sed inter effusionem
E lacrymarum et luctum aliqua distantia est; nam tristitia sæpe lacrymas educit, sæpe gaudium, sæpe desiderium, sæpe lætitia;[1] luctus vero semper ex [1]
magno mœrore nascitur; luctus namque est fletus dierum multorum. Lugebat Paulus eos, qui peccaverunt, et non egerunt pœnitentiam. Et Salomon loquitur dicens: *Luctus mortui septem diebus, luctus autem fatui omnibus diebus vitæ ejus.* Eccl. xxii, 13.
Ecclesia nunc in luctu est, eo quod per deceptiones dæmonum quotidie maximam partem ex suis amittat:
F in illa autem vita luctus non erit, quia per deceptiones dæmonum nullum ex suis amittere poterit. *Neque clamor.* In Genesi scriptum est quod dixerit Deus ad Abraham: *Clamor Sodomorum et Gomorrhæ venit ad me.* Esaias vero propheta Gen. xviii, 20.
quid sit clamor Sodomorum, exponit, cum loquitur de Israel: *Peccatum suum quasi Sodoma prædicaverunt, nec absconderunt.* Prædicatio igitur Isai. iii, 9.
peccati clamor vocatur. Possumus etiam clamorem aliter intelligere; Psalmista namque dicit: *Ad Do-*
G *minum cum tribularer, clamavi, et exaudivit me.* Et Moyses in angustia positus clamabat ad Ps. cxix, 1.
Dominum. Ubi ergo neque peccatum, quod prædicetur, neque tribulatio erit ulla, clamor ullus necessarius non erit. *Neque dolor erit.* Est dolor corporis, est et mentis. Istique dolores ita sunt con-

[1] Ita mss.: editt. autem, *sæpe gaudium, sæpe lætitiam.* Non bene.

nexi, ut unus sine altero esse non possit: dolor quippe corporis affligit mentem; similiter et dolor mentis corpus excruciat. In illa igitur vita dolor non erit, ubi neque corpori, neque animæ ulla adversitas accidere poterit. *Quæ prima abierunt.* Prima ista abierunt, quia cum sæculo transierunt; electi enim qui præsentem vitam, sicut superius jam diximus, in doloribus et afflictionibus deputaverunt, post finem præsentis vitæ gaudium sempiternum invenerunt.

(Vers. 5, 6). *Et dixit qui sedebat in throno: Ecce nova facio omnia.* De innovatione creaturarum superius aliqua diximus. *Et dixit mihi: Scribe quia hæc verba fidelissima sunt, et vera.* Sed et hoc superius dictum est. *Et dixit mihi: Ego sum Alpha et Omega.* Quid sit *Alpha et Omega* subdendo manifestat, cum dicit: *Initium et finis. Ego sitienti dabo de fonte aquæ vivæ gratis.* Per fontem aquæ vivæ sæpe Scriptura sancta designatur, sicut Dominus dicit in Evangelio: *Qui credit in me, sicut Scriptura dicit, flumina de ventre ejus*
Joan. vii, 38. *fluent aquæ vivæ.* Sed ut ordinem servemus, per fontem aquæ vivæ gloriam cœlestis patriæ debemus intelligere: qui fons ab ipso Domino procedens, mentes omnium justorum sua inenarrabili dulcedine satiare non desistit. Verum quomodo gloria ista gratis justis datur, pro cujus acceptione multa adversa perferunt, multas lacrymas fundunt, innumeras preces offerunt, multas eleemosynas largiuntur, et cœteris bonis operibus semetipsos exercent? Sed gratis vitam æternam percipiunt, quia pretium vitæ æternæ, quod sunt bona opera, ab ipso accipiunt, qui dixit: *Sine me nihil potestis facere.* Ipse quippe dat pretium, ipse et pro pretio[1]
Joan xv, 5. vitam æternam largitur.

(Vers. 7, 8). *Qui vicerit, possidebit hæc, et ero illi Deus, et ipse erit mihi filius.* Qui vicerit diabolum, omniaque vitia superans, in bonis operibus perseveraverit, possidebit hæc, id est, ea quæ superius dicta sunt; videlicet ut bibat ipse de fonte vitæ æternæ, quod est gloria perpetua.

Timidis autem, et incredulis, et exsecratis, et homicidis, et fornicatoribus, et veneficis, et idololatris, et omnibus mendacibus: pars illorum erit in stagnum ignis ardentis sulphure, quod est
[2] *mors secunda.*[2] Cum timor valde necessarius sit hominibus, cur timorem inter octo vitia valde pessima primum posuit? Sed sunt timores boni, sunt et mali. Est timor valde optimus, de quo dicit Psalmista: *Timor Domini sanctus, permanens in*
Ps. xviii, 10. *sæculum sæculi;* est et timor mortis valde necessarius, timorque ignis æterni: timor etiam bonorum hominum, quando amantur ab iis, a quibus timentur; sunt et alii timores, qui aliquando juvant, aliquando nocent; sicut est timor malorum hominum, timor judicum, timor dominorum: sunt alii timores valde pessimi, de quibus hic dictum esse reor; sunt namque nonnulli, qui timore pœnarum sæpe in fletibus compunguntur: sed quia timent asperitatem viæ illius, quæ ducit ad vitam, vitia deserere, rigoremque vitæ bonæ apprehendere trepidant: sunt etiam multi, quibus dedit Deus scientiam legum temporalium, qui in judiciis positi, dum vident quosdam a potentioribus injuste op-

A primi, plus timentes iras hominum, quam iram Dei, eos quos per doctrinam quam acceperunt, juvare poterant, et a periculo liberare, tacendo in damnum magnum sinunt devenire: sunt alii qui non solum non eos juvant, sed propter timorem hominum sententiam damnationis in eos proferunt: est et timor quem avaritia parit, aliique timores valde inutiles, de quibus longum est dicere.

Incredulos autem non eos tantummodo vocat, qui non credunt, sicut sunt Judæi atque pagani;
B sed et eos, qui non credunt resurrectionem. Sunt etiam alii multi qui christiani vocantur, qui non credunt Dei justitiæ; pro eo enim quod vitia diligunt, et desideria carnis suæ perficere volunt, non credunt comminationes divinarum Scripturarum, ut putent se pro iis esse damnandos; nam libidinosi dicunt nullo modo pro usu concumbendi quemquam esse periturum: sed et ebriosi dicunt nullo modo se pro nimia vini potatione esse puniendos: similiter et avari, luxuriosi, atque superbi
C defendunt vitia sua.

Exsecratos autem eos esse puto, qui exsecrantur mandata divinarum Scripturarum, correctionesque hominum bonorum. Possumus et per exsecratos eos intelligere, qui in tantum sunt inverecundi, ut non pudeat eos quædam exsecrabilia in conspectu omnium perpetrare: qui non solum a justis, verum etiam a quibusdam injustis sæpe exsecrantur.

Homicidas autem vocat non solum interfectores quorumdam hominum, sed et eos qui odium por-
D tant in cordibus suis, sicut iste Joannes loquitur dicens: *Omnis qui odit fratrem suum, homicida est.* I Joan. iii, 15.

Sequitur fornicatio. Fornicationum genera multa sunt; quibuscumque enim modis, excepta legitima uxore, desiderium libidinis expletur, fornicatio vocatur. De fornicationis malo Paulus apostolus loquitur dicens: *Qui autem fornicatur, in corpus suum peccat.* In corpus suum peccat qui integri- I Cor. vi, 18
tatem ejus violat atque corrumpit; cum humores ejus innoxios vi extrahit, atque effundit. Est et
E fornicatio cogitationis, de qua Dominus loquitur dicens: *Qui viderit mulierem ad concupiscendum eam, jam mœchatus est eam in corde suo.* Pro- Matth. v, 28.
pheta quoque Hierusalem fornicatricem vocavit, eo quod Deum derelinquens, idola coluerit. Similiter Ezech. xvi, 15 et seq
et nos suggestionibus dæmonum obtemperando, cum nosmetipsos eis subjicimus, fornicatores non inconvenienter vocamur.

Venefici autem sunt, qui corpora hominum veneno inficiunt, ut eos exstinguant. Sunt et alii
F multo deteriores venefici, ii videlicet, qui seminant inter fratres discordias: illi enim corpora interficiunt, isti animas: et multo deterior est mors animæ, quam corporis.

Idololatræ vero sunt non solum ii, qui idola colunt; sed et omnes avari, hoc demonstrante apostolo Paulo, qui avaritiam idolorum servitutem vocat. Coloss. iii, 5

Sed valde terribile est quod sequitur: *Et omnibus mendacibus;* deinde subjungit: *Pars illorum erit in stagno ignis ardentis sulphure, quod est mors*
G *secunda;* et Psalmista dicit ad Dominum: *Perdes omnes qui loquuntur mendacium;* et in alio loco: Ps. v, 7
Omnis homo mendax. Si igitur omnis homo mendax, Ps. cxv, 11
et si perdet Deus omnes qui loquuntur mendacium,

[1] Edit. Gill. in contextu, *dat pretium, et sine pretio;* in marg. autem, et Rom. in contextu, *dat pretium et suo pretio;* mss. vero nobis suffragantur.

[2] Rom. edit. loco moverat, *et omnibus mendacibus.... quod est mors secunda.*

et si omnes mendaces partem habebunt in perditione cum cæteris impiis, de quibus hactenus locuti sumus; quis salvus esse poterit? Scimus namque nullum hominem hanc vitam posse transire, ut aliquando non mentiatur; nisi fuerit infans, qui fari non potest. Sed non de omnibus mendaciis hoc dictum esse intelligere debemus, sicut nec illud de omnibus peccatoribus, quod in psalmo trigesimo sexto canitur: *Quia peccatores peribunt:* et in psalmo centesimo quadragesimo quarto: *Custodit Dominus omnes diligentes se, et omnes peccatores disperdet.* Si peccatores peribunt, et omnes peccatores disperdet, et omnes sumus peccatores secundum dictum istius Joannis: *Si dixerimus quia peccatum non habemus, nos ipsos seducimus, et veritas in nobis non est:* ergo omnes peribimus. Sed non hoc de omnibus peccatoribus dictum esse intelligere debemus, sed de illis tantummodo qui in gravibus peccatis semetipsos præcipitantes, nolunt agere pœnitentiam de iniquitatibus suis. Similiter et hic non de omnibus mendacibus dictum esse intelligere debemus; sunt enim mendacia quæ inter levia peccata deputantur, a quibus nullum puto hominem ex toto posse abstinere: sunt et gravia, quæ mergunt hominem in damnationem mortis.

Ps. XXXVI, 20. Ps. CXLIV, 20. I Joan. I, 8.

Sed quia his temporibus multi sunt qui sine aliqua reverentia Dei omnipotentis pene assidue mentiuntur, placuit nobis ut de hoc vitio aliqua dicamus. Verum prius de levibus mendaciis dicamus, postea de gravioribus. Sæpe æstimatione mentimur, æstimantes nos videre quod non videmus: aut audire quod non audimus: aut scire quod non scimus. Sæpe namque cum a longe quosdam prospicimus, fallit nos aspectus noster, et dicimus esse qui non sunt. Sæpe etiam et obscuris temporibus cum procul lapides aut arbusta conspicimus, ipsa obscuritate fallimur, et dicimus homines esse aut bestias. Sæpe oblivione fallimur, cum obliviscimur quæ fecimus et vidimus, aut locuti fuimus, et dicimus nos fecisse quod non fecimus, aut non fecisse quod fecimus; aut audisse quod non audivimus, aut non audisse quod audivimus; aut vidisse quod non vidimus, aut non vidisse quod vidimus; aut dixisse quod non diximus, aut non dixisse quod diximus. Sæpe et cum audimus quod desideramus, dicimus verum esse quod audimus; et sæpe contingit quod falsum sit: et cum audivimus quod nolumus, dicimus falsum esse; quamvis verum sit. Sæpe etiam joco mentimur, ut risum audientibus excitemus. Sæpe vero ex nimia credulitate mentimur; nam cum audivimus quosdam homines, quos veraces existimamus, aliqua narrantes verisimilia, credentes quod audimus, cum ea aliis referimus, dicimus vera esse, quamvis sint falsa; et frequenter cum juramento affirmamus.

Sunt et multi, qui gesta Patrum quæ in divinis Scripturis aut legerunt, aut audierunt, ex parte obliviscentes, cum ea aliis narrare cœperint, aut quædam mendacia intermiscent, aut ex multis narrationibus unam facere conantur: et sicut qui stannum auro vel argento admiscet, inutilem materiam facit; ita et isti cum ex multis narrationibus unam facere satagunt, mentiendo inutilem reddunt; melius est enim silere, quam gesta sanctorum mendaciter proferre. Sunt etiam multi divinis litteris eruditi, qui Judæis ultra quam oportet credentes, quasdam eorum fabulas vanissimas suscipiunt, et suis traditionibus interserunt. Scimus enim quoniam Judæi omnia quæ de Christo in veteri Testamento inveniuntur, in pravos sensus pervertere nituntur, ut gloriam nominis Christi apud quoscumque possunt, exstinguant; et non solum prophetias de Christo evertunt, sed et in cæteris locis multas vanissima et absurdissimas fabulas[1] interponunt. Miror ergo cur inimicis Christi, omnisque religionis nostræ creditur; aut ab eis aliqua suscipiuntur, nisi tantummodo ea quæ ab antiquis Patribus probata esse dignoscuntur. Ipsi quippe patrem habent diabolum, qui in veritate non stetit, quia mendax est ipse, et pater ejus; et quoscumque diabolus possidet, mendaces facit.

1

Joan. VIII, 44.

Sæpe et timore mentimur; nam cum timemus, ne a potentioribus aliquæ molestiæ nobis ingerantur, aliquando mendacia excogitamus, per quæ liberemur. Sed et viatores quædam mendacia invenire solent, ut a latronibus liberentur. Similiter et servi et pueri aliqua mendacia interpolare solent, ne vapulent. Sunt etiam multi, qui in extraneis locis positi, egestatis aut alicujus necessitatis causa mentiuntur, ut victum, aut aliqua corporis necessaria sibi acquirant. Sæpe et nos amore atque ira mentimur, laudantes eos quos diligimus ultra modum, et vituperantes eos quibus irati sumus, plus quam oportet: sed ista graviora mihi videntur, quam superiora. Sunt alia mendacia superioribus similia, quæ longum est prosequi; in talia namque mendacia non solum injusti, sed et justi sæpe dilabuntur. Et propter hoc videtur mihi Psalmistam dixisse: *Omnis homo mendax.*

Ps. CXV, 11

Est et aliud genus mendacii, quod absque culpa videretur, nisi Scriptura diceret, quia omne mendacium a malo est: ex quo aliqua in divinis Scripturis invenientur. In Genesi[2] namque scriptum est quod præceperit Pharao obstetricibus Hebræorum, ut masculos interficerent, et feminas reservarent: sed illæ timentes Deum conservabant mares. Pro qua re, cum a Pharaone increparentur, dixerunt quod omnes Hebrææ mulieres obstetricandi haberent scientiam, illisque nescientibus, parerent. Nonne melius fuit mentiendo pueros reservare, quam vera dicendo tot homicidia perpetrare? In Josue quoque scriptum est quod miserit duos exploratores ad explorandam Jericho. At illi ingressi sunt domum cujusdam meretricis nomine Rahab, quæ abscondit eos in interioribus domus suæ, venientibusque persecutoribus eorum dixit quod cum porta clauderetur, in tenebris aufugissent. Atque pro hoc mendacio a persecutoribus eos liberans, ipsa cum tota cognatione sua a mortis periculo liberata est. Et pro hoc facto a beato Paulo apostolo in epistola ad Hebræos laudatur; ait enim: *Fide Rahab meretrix non periit cum cæteris incredulis, excipiens exploratores cum pace.* In Regum etiam volumine scriptum est quod David fugiens Absalon filium suum, miserit Hierusalem duos exploratores ad explorandos actus ejusdem filii sui. Quod cum audisset Absalon, misit qui eos caperet: at illi fugientes, ingressi sunt domum cujusdam viri, cujus uxor abscondit eos in puteo,

2 I Joan. II, 21. Exod. I, 16. Josue II, 2 et seq. Hebr. XI, 31. II Reg XV, 32 et seq.

[1] Editt., *et obscurissimas fabulas;* mss., *et absurdissimas fabulas.*

[2] Edit. Gill. in marg. ac Rom. in corp., *In Exodo:* Gill. vero in corp. cum mss., *In Genesi.*

quem habebat in vestibulo, posito desuper operimento. Venientibus vero persecutoribus eorum, eosque requirentibus, illa respondit: *Transierunt*
II Reg. XVII, 20. *gustata paululum aqua.* Verum igitur dicendo eos potuisset perdere, quos mentiendo servavit. Talium itaque mendaciorum maculæ a caritate ex qua procedunt, delentur; quia *caritas operit multitu-*
I Petr. IV, 8. *dinem peccatorum.*

Nunc de gravioribus mendaciis dicamus; sunt namque infidelitatis mendacia, sunt et blasphemiæ, sunt et alia quæ ex odio procedunt, alia quæ invidia generat, alia quæ avaritia, alia quæ vana gloria; habent nihilominus cætera vitia mendacia sibi convenientia. Infideles quippe Judæi atque ethnici habent plurima mendacia; nam excepto quod Christum negant venisse in carne, habent multos errores, quibus decepti pereunt. Sunt et mendacia blasphemiarum, quibus iidem Judæi atque pagani, nec non et hæretici Deum et Ecclesiam ejus, omniaque divina mysteria multis modis blasphemant. Sunt etiam mendacia, quæ ex odio procedunt; nam nonnulli pro eo quod odium in cordibus contra proximos gestant, falsa crimina eis innectunt; et quos non possunt gladio interficere, falsis criminationibus in damnum magnum, sæpe etiam et in mortem præcipitant. Sunt et alia mendacia, quæ parit invidia; invidiosi quippe cum vident aliquos aut dignitatibus sæculi, aut sapientia, aut aliquibus artibus præpollere, eos despicere et subsannare non cessant, seque ipsos illis præferre; ut ipsi clariores apud eos qui eorum mendaciis credunt, videantur, quam illi quos despiciunt. Sunt et derisionis mendacia, quæ proprie ad invidos pertinent; derident namque semper invidi facta meliorum, et quibus coæquari non possunt, eorum actus suis mendaciis obnubilare quærunt. Sunt enim multi, qui eos quos odio habent, aut quibus invident, fingentes se esse amicos, suis callidis suasionibus ad quædam flagitia perpetranda pertrahunt: quos cum in aliquod scelus veluti in foveam præcipitaverint, contra eos versi atrocius quam cæteri persequuntur; et qui videbantur amici, quod fuerint pessimi inimici comprobantur. Habet et avaritia mendacia sua. Quam multi quippe sunt, qui propter aliorum substantiam tollendam multas fallacias et diversas machinationes componunt; ut aliis auferant unde avaritiæ suæ baratro, quod insatiabile est, aliquantulum satisfaciant! Sunt etiam multi, qui pro præmiorum acceptionibus falsi testes contra proximos suos efficiuntur, et eos mentiendo, aut in servitium præcipitant, aut hæreditatem sive substantiam aufe-
[1] runt, sæpe vero et mortem inferunt.[1]

Sunt alia mendacia, quæ gignunt vanam gloriam; sunt enim multi vanæ gloriæ amatores, qui ut magni et egregii ab hominibus habeantur, dicunt se magna quædam fecisse, quæ non fecerunt, aut posse quod non possunt, aut possidere quod non possident, aut sapere quod non sapiunt; ut ad celtitudinem, ad quam conscendere nequeunt, sua mendacia eos elevent. Et quia hoc vitium apud quosdam pro nihilo habetur, etiam in monasteriis scimus quosdam hoc vitio esse maculatos. Multi quippe sunt, qui postquam sæculum reliquisse videntur, ut magnos et inclytos se apud simplices quosque, et eos qui in monasteriis educati fuerunt,

A constituant; dicunt se possessores fuisse magnarum divitiarum, jactant se fuisse præliatores, venatores, et multa alia de se mentiuntur, ut magni apud eos, quos suis mendaciis decipere possunt, habeantur. Ad te ergo loquor, qui talis es: Ecce qui in sæculo positus vix simplicem cibum, qui tibi tuisque omnibus sufficeret, per totum annum elaborare poteras, in monasterio positus, possessor thesaurorum, prædiorum magnarumque divitiarum efficeris; et qui vix unam vulpeculam capere poteras, mona-
B chus effectus, venator potentissimus factus es; et qui quosdam ex infimis vicinis tuis formidabas, in monasterio positus, præliatorem fortissimum te fecisti. Ecce hoc non fuit sæculum reliquisse, sed acquisisse. Dicis te hominem interfecisse, et homicidii reatum super te imposuisti. Lingua mendax fecit, quod manus non prævaluit. Et vis ut probem quod te mentiendo reum homicidii feceris? Saul, sicut in libro Regum legimus, timorem Philistino- II Reg. XXXI, 4.
rum manu propria semetipsum interfecit; venit
C quidam homo ad sanctum David, et dixit quod ipse Saulem, qui eum persequebatur, interfecisset: sed ille spiritu prophetiæ mentitum esse eum intelligens, veluti homicidam punire jussit, reatumque homicidii super illum imponens, dixit: *Sanguis tuus super caput tuum; os enim tuum locutum est adversum te, dicens: Ego interfeci Christum Domini.* Scimus autem divites sæculi ad conver- II Reg. I, 16
sionem venientes, graviter peccare, si se de divitiis ac potentia sua jactare cœperint; et si ille reus
D est, qui verum dicit, quanto magis tu, qui pene per omnia mentiris!

Sunt etiam alii, qui prope indesinenter mentiuntur, et vix aliquid loqui possunt sine mendacii admixtione. Qui ad omnia semper quæ audiunt, quædam mendacia confingunt: et dicunt se vidisse quæ non viderunt; et audisse quæ non audierunt; et fecisse quæ non fecerunt. Cumque a veracibus deprehensi fuerint, dicunt non posse quemquam bene vera loqui, qui non possit bene mentiri. O
E stulte, quam vana est assertio tua! Ecce Christus multa bene et veraciter locutus est, qui numquam potuit mentiri, cujus vestigia te sequi magis oportuisset, in quantum virtus suppeteret. Similiter apostoli, et cæteri prædicatores multa docuerunt et scripserunt sine permixtione mendacii. Et Scriptura dicit quia omne mendacium a malo est: si I Joan. II, 22.
mendacium malum est, quomodo malum bene potest proferri? O infelix, quam vicina est[2] tibi ira [2]
Dei omnipotentis, quem assidue sine causa offen-
F dere non trepidas! Nam cætera vitia quamquam Domino contraria sint, videntur tamen aliquid corpori conferre. Avaritia quippe quamvis sit per omnia Deo odibilis, videtur tamen aliquid corpori conferre, quia divitias congregat, ex quibus desideria ejus expleat. Similiter et libido videtur aliquid corpori conferre, quia in perfectione ejus voluptas carnis exstinguitur. Et ebrietas quamvis Deum offendat, gulæ desideria perficit. Similiter et cætera vitia ad carnis desideria perficienda assumuntur.
G Sunt etiam quædam mendacia, quæ corpori aliquid videntur adjicere, sicut sunt avaritiæ, de quibus superius diximus. Tu autem nihil corpori acquiris, et Deum sine intermissione offendere non metuis. Ecce mendacium tuum leve esset, si tarde acci-

[1] *Sæpe vero et mortem inferunt,* e mss. restituitur.

[2] Editt. et quidam mss., *quam vana est;* melius Gem., *quam vicina est.*

disset: verum ex jugi continuatione gravissimum atque importabile efficitur. Nam sicut lutum levius est, quam plumbum; sed ex multiplicatione sua gravius et periculosius fit, ita ut in eo sæpe pecora demergantur: sic et quædam levia peccata ex congerie sua graviora quibusdam, quæ gravia existimantur, efficiuntur. Et scito quia sicut ipse
I Joan. v, 6. dixit: *Deus veritas est;* nihil plus contrarium potest esse veritati, quam mendacium.

Horum ergo pars erit in stagno ignis ardentis sulphure, quod est mors secunda. Quid sit mors secunda, in hoc loco manifeste demonstrat. A supradictis igitur vitiis ne in mortem secundam incidamus, misericordia Redemptoris nostri nos liberare dignetur, qui cum Patre et Spiritu sancto vivit et regnat in sæcula sæculorum, amen.

DE VISIONE SEPTIMA.

Septima visio ad quam, Domino donante, pervenimus, tota ad illud tempus quod post resurre-
Sup. cap. 15 ctionem futurum est, pertinet. Et ordo poscebat, ut generali resurrectione descripta, gloriam sanctorum, quam post resurrectionem sine fine possidebunt, describeret; quæ sub figura civitatis Hierusalem in hac visione describitur.

(Vers. 9). *Et venit unus de septem angelis, qui habebant phialas, et locutus est mecum dicens: Veni, et ostendam tibi sponsam uxorem Agni.* Superius in quinta visione Joannes dicit septem angelos habentes septem phialas sibi fuisse demonstratos, et in sequentibus unum ex illis civitatem diaboli damnationemque ejus sub specie mulieris meretricis sibi ostendisse: similiter et hic unum ex iisdem septem angelis dicit sibi civitatem Dei sub figura Hierusalem demonstrasse. Eamdem ergo significationem habent singuli isti, quam illi septem; significant namque prædicatores, qui fuerunt, et erunt usque in finem: Joannes vero typum tenet cæterorum fidelium. Angelus igitur Joanni se demonstraturum civitatem Dei repromittit, quia prædicatores sancti cæteris fidelibus quanta sit beatitudo justorum, in quantum possunt, student demonstrare, ut eos ad vitam æternam percipiendam accendant. Quam etiam sponsam uxorem Agni vocat. Quod sponsa Agni Ecclesia jure vocetur, Joannes Baptista demonstrat dicens: *Qui habet*
Joan. III, 29 *sponsam, sponsus est.* Quod autem et uxor dicatur, Scriptura demonstrat dicens: *Propter hoc relinquet homo patrem et matrem suam, et adhæ-*
Gen. II, 24. *rebit uxori suæ, et erunt duo in carne una.* Quasi ergo Patrem suum Filius Dei dereliquit, cum de illa cœlesti beatitudine ad terras descendens, hominem assumpsit, quem pro sponsa sua, quæ est Ecclesia, daret: matrem dereliquit, quia affectum matris abjiciens, corpus quod ex ea assumpsit, pro Ecclesia sua tradidit; quam sibi ita univit, ut ipse sit caput, et ipsa corpus.

(Vers. 10). *Et sustulit me in montem magnum et altum.* Mons iste Christus est. De hoc monte Propheta loquitur dicens: *Et erit in novissimis diebus præparatus mons domus Domini super*
Isai. II, 2. *verticem montium.* Montes super quorum verticem mons domus Domini præparatus esse dicitur, Patres veteris Testamenti designant. Super horum

A ergo[1] verticem mons domus Domini præparatus 1
esse dicitur, quia et ab ipsis prædictus est, et in carne veniens, eos mira altitudine est transgressus. Super hunc igitur montem domus Domini, id est Ecclesia, ædificata est, quia super Christum fundata est, sicut Paulus apostolus loquitur dicens: *Fundamentum enim aliud nemo potest ponere, præter id quod positum est, quod est Christus Jesus.* I Cor. III, 11.

(Vers. 11). *Et ostendit mihi civitatem sanctam*
B *Hierusalem descendentem de cœlo a Deo, habentem claritatem Dei.* Notandum quia Ezechielis ultima visio cum hac Joannis visione concordat in aliquibus locis; ideo placuit ut de illa huic operi pauca inseramus. Dicit namque montem sibi fuisse Ezech. XL, 2 et seq
demonstratum, super quem erat civitas, et in ea templum: verum civitatem tantummodo commemorans, de templi structura multa est locutus. Eamdem ergo significationem habet illic templum, quam et hic civitas; significant enim Ecclesiam:
C sed per templum illud præsentis temporis Ecclesia, per civitatem autem Hierusalem Ecclesia quidem, sed qualis post finem mundi futura est, designatur. Sed dicit aliquis: Quomodo descriptio ista Hierusalem, id est, Ecclesiæ ad futurum tempus pertinet, cum præsentis temporis ejus forma in hac videatur visione describi? Ad quod nos respondemus quia Ecclesia, quamdiu in hac vita consistit, agnosci perfecte non potest, sed quasi sub quodam velamine absconsa tenetur; cum ignoretur quis sit re-
D probus, aut quis electus, aut ad quem finem actus suos unusquisque perducat: in illa autem vita ejus forma omnibus patebit; tunc enim liquido omnibus apparebit, quis fuerit murus, qui portæ, qui fundamenta, qui lapides structuræ, qui lapides pretiosi. Sed quærendum nobis est quomodo de cœlo descendere dicatur, cum ad cœlestem habitationem quotidie conscendat, in qua sine fine permansura creditur. Sanctorum actus atque merita quamdiu mente pertractamus, semper augentur in cordibus
E nostris; et quanto plus ea consideramus, tanto amplius eorum magnificentia nobis elevatur: at cum oculos mentis nostræ ad magnitudinem Dei omnipotentis considerandam attollimus, magnitudo sanctorum magnitudini Dei comparata, valde nobis humiliatur. Ascendunt igitur nobis sancti, cum eorum actus et merita consideramus: descendunt vero, cum ad considerandam Dei omnipotentiam oculos mentis nostræ attollimus. Dicitur quoque claritatem Dei habuisse. Habebat profecto clari-
F tatem Dei, non suam. Sæpe etenim sol in aqua fulgens, suam claritatem aquæ largitur; ita ut aqua oculos intuentium reverberet, sicuti et sol: quemadmodum igitur aqua claritatem solis habet, sed non a se ipsa, sed a sole; ita et sancti habent claritatem Dei, sed non a se ipsis, sed a Deo, a quo illuminantur.

Lumen ejus simile lapidi pretioso, tamquam lapidis jaspidis, simile crystallo.[2] Ecce tres la- 2
pides posuit, quorum lumini lumen Ecclesiæ assi-
G milavit: unum sine nomine, duos vero nominatim exprimens. Possumus itaque per lapidem pretiosum Patrem, per jaspidem Filium, per crystallum Spiritum sanctum intelligere. Primus sine nomine est, quia Pater a se ipso est: secundus et tertius

[1] *Super horum ergo.... est transgressus,* e cod. Gem. restituitur, cum in aliis et cunctis edit. non habeatur.

[2] Ita mss.; editt. vero, *et tamquam lapidi jaspidis, atque crystalli.... quorum lumen Ecclesiæ assimilavit.*

nominatim exprimuntur; quia Filius a Patre est, Spiritus vero sanctus ab utroque procedit. Possumus etiam per lapidem pretiosum spem, per jaspidem fidem, per crystallum vero caritatem intelligere. Sed potest aliquis dicere quia in illa vita necessariæ non erunt fides et spes. *Quod enim*
Rom. VIII, 24. *videt quis, quid sperat?* Ad quod respondemus quia sicut vestis, quæ ex aliqua materia tingitur, post tinctionem materia abjecta colorem pulcherrimum in se retinet; ita et in illa vita fide, spe, humilitate, abstinentia, cæterisque virtutibus absque caritate finem accipientibus, splendor quem ex operatione illarum sancti acquisierunt, in eis sine fine permanebit.

(VERS. 12). *Et habebat murum magnum et altum.* Iste est murus, de quo dicit propheta: *Urbs fortitudinis nostræ Sion, Salvator ponetur*
Isai. XXVI, 1. *in ea murus, et antemurale.* Per hunc igitur murum Christus cum omnibus membris suis designatur; ita ut per illum fondamentum, per reliquam vero structuram ejus membra figurentur.
Ezech. XLVI, 1 et seq. *Habentem portas duodecim.* In Ezechiele scriptum est quod templum, quod ei demonstratum est, tres portas habuerit, orientalem videlicet, australem, et aquilonarem. Præcipitque Deus ut porta orientalis clausa semper maneret, Principe tantummodo per eam intrante et exeunte. Per portam orientalem beata et gloriosa virgo Maria figuratur, quæ clausa ante ingressum Principis, id est, Christi, semper exstitit: et post egressum ejus clausa in ævum permansit. Porta autem australis vetus Testamentum, porta vero aquilonaris novum designat. Hi vero qui ab australi parte venire dicuntur, Judæos: qui autem ab aquilonari, gentes designant. Judæi itaque qui cognitionem Dei habebant, et quibus Lex data fuerat a parte solis, id est, ab australi parte, in qua sol amplius fervet; non inconvenienter ad Ecclesiam venire dicuntur. Per portam australem ingrediebantur, qui cognoscentes in veteri Testamento multipliciter Christum esse prophetatum, diversisque modis prefiguratum, eos ad fidem Christi suscipiendam suæ scripturæ pertrahebant. Gentiles vero idololatriam deserentes, illique abrenuntiantes, qui dixit: *Sedebo in monte Testamenti in lateribus aquilonis: ascendam super altitudinem nu-*
Isai. XIV, 13. *bium, similis ero Altissimo;* non incongrue ab aquilonari parte venire dicuntur. Per portam aquilonarem ingrediebantur; quia doctrinam Evangelii audientes, virtutes etiam quæ per Christum et ministros ejus factæ sunt admirantes, ad fidem Christi suscipiendam currebant. Præceptum est etiam, ut per iter quo quisque intraverat, non regrederetur, sed e regione ejus egrederetur; videlicet ut qui ingrediebatur per portam meridianam, egrederetur per portam septentrionalem; et qui ingrediebatur per portam septentrionalem, egrederetur per portam meridianam. Judæi quos intelligentia veteris Testamenti ad fidem Christi suscipiendam perducebat, non debebant reverti ea parte, qua venerant, scilicet et observationes legales carnaliter implerent: sed egredi potius per portam aquilonarem, ad Evangelii videlicet doctrinam meditandam ad perscrutandam se transferre: ut discerent spiritaliter implere, quod antea carnaliter facere

A satagebant. Gentiles vero qui per portam aquilonarem ingrediebantur, id est, qui per doctrinam Evangelii filii Ecclesiæ efficiebantur, non debebant reverti ea parte, qua venerant; videlicet ut ad errores philosophorum perscrutandos regrederentur: sed potius post susceptionem fidei atque doctrinæ evangelicæ ad portam meridianam, id est, ad doctrinam veteris Testamenti perscrutandam se transferre; ut cum invenirent in eo Christum multis modis esse prædictum, roboraretur in eis fides
B Christi. Per portas autem duodecim, quas Hierusalem habere dicitur, duodecim apostoli, eorumque doctrina designatur.

Et in portis angelos vidi duodecim.[1] *Angeli* 1
duodecim cæteros prædicatores, videlicet apostolorum sequaces, designant. Qui in portis fuisse dicuntur, quia fidem apostolorum inconcussam tenentes, eorumque doctrinam sequentes, quoscumque potuerunt, ad fidem Christi trahere studuerunt. *Et nomina scripta duodecim tribuum filiorum*
C *Israel.* Per nomina duodecim tribuum patres veteris Testamenti possumus accipere, qui a fide sanctæ Trinitatis non deviaverunt: possumus etiam et per eadem nomina vetus Testamentum intelligere. Nomina duodecim tribuum in portis scripta erant, quia doctrina apostolorum cæterorumque prædicatorum plena est exemplis veteris Testamenti.

(VERS. 13). *Ab oriente portæ tres, et ab aquilone portæ tres, et ab austro portæ tres, et ab*
D *occasu portæ tres.* Quatuor plagas mundi posuit, ut indicet pene omnes gentes, quæ inter quatuor plagas mundi continentur, ad Ecclesiam convenisse. Contra unamquamque vero plagam ternas portas se vidisse dixit, id est, simul duodecim, ut indicet nullum intra Ecclesiam ingredi posse, nisi per confessionem sanctæ Trinitatis. Et quia doctrina apostolorum nihil est aliud nisi Evangelium, et ipsum Evangelium in quatuor libros dividitur, et uniuscujusque libri doctrina in fide sanctæ Trinitatis
E consistit; recte hæc civitas quatuor latera habere dicitur, et per singula, ternas portas; quæ simul junctæ fiunt duodecim.

(VERS. 14). *Et murus civitatis habens fundamenta duodecim, et in ipsis scripta duodecim nomina apostolorum et Agni.* Quid significent duodecim fundamenta, ipse exposuit, cum subjunxit quod in eis scripta essent nomina duodecim apostolorum et Agni. Reprehensus sum a quodam, cur Petrum fundamentum Ecclesiæ dixerim, in eo loco
F ubi Dominus dicit: *Tu es Petrus, et super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam.* Si Petrus fun- Matth. XVI, 18.
damentum est Ecclesiæ, sicut et cæteri apostoli, quemadmodum præsens lectio aperte demonstrat; ergo super ipsum ædificata est, sicut et super cæteros: si vero super Petrum Ecclesia ædificata non est, ergo nec super cæteros; falsa est ergo hujus Joannis præsens assertio,[2] quia dicit duodecim apo- 2
stolos duodecim fundamenta esse Ecclesiæ. Nec repellit nos a nostro intellectu illud, quod Apo-
G stolus dicit: *Fundamentum enim aliud nemo potest ponere præter id, quod positum est, quod est Christus Jesus.* Non enim aliud fundamentum I Cor. III, 11.
est Petrus, et aliud Christus Jesus, quia Petrus

[1] Mss., *angulos vidi duodecim, anguli duodecim*, etc.; sed melius editt., *angelos vidi*, etc.

[2] Editt., *Vera est ergo hujus Joannis præsens assertio, quia duodecim fundamenta Ecclesiæ esse dixit:* optime vero mss. ut in textu.

membrum est Christi Jesu, sicut ipse dixit discipulis suis: *Vos in me, et ego in vobis.* Christus namque fundamentum est omnium apostolorum suorum: similiter et ipsi fundamenta sunt eorum, qui per eos crediderunt. Unum est igitur fundamentum, id est Christus, a quo continentur omnia fundamenta, super quem etiam tota compages Ecclesiæ constructa est. De hoc fundamento Paulus loquitur dicens: *Si quis autem ædificat supra fundamentum hoc, aurum, argentum, lapides pretiosos, ligna, fenum, stipulam, uniuscujusque opus quale sit, ignis probabit.* Sex hic posuit species, tres speciosas, et tres viles. Sæpe per aurum sapientia designatur. Aurum supra fundamentum Christi ædificat, qui sapientiam qua vitia conterat, et virtutes nutriat, in corde sua recondit, imitans Psalmistam, qui dixit: *In corde meo abscondi eloquia tua, ut non peccem tibi.* Per argentum vero sermo prædicationis exprimitur, de quo idem Psalmista dicit: *Eloquia Domini eloquia casta, argentum igne examinatum.* Argentum supra fundamentum Christi ædificat, qui bonum quod didicit, alios docet, ut eos ad bona opera agenda pertrahat: per lapides autem pretiosos bona opera designantur. Lapides pretiosos supra fundamentum Christi ædificat, qui bonum quod docet, operibus implet. Sunt quidam qui verba exortationis, quibus cæteros perfecte instruant, non habent; sed cum se per bona opera exercent, lapides pretiosos super fundamentum Christi ædificant. Similiter et qui parva sciunt, et ea alios docent, argentum utique super Christum ædificant, si tamen operibus implent ea, quæ docent. Multi enim intellectum quem acceperunt, alios docendo, super Christum ædificant; sed per mala opera destruunt in se, quod ædificaverunt. Per ligna vero, fenum, atque stipulam, peccata minima designantur. Sed alius intellectus est, qui nos ab hoc sensu excludit; non enim super Christum peccata, sed virtutum opera ædificantur. Et quando peccamus, ab ædificatione quæ fit super Christum, recedimus: et quanto gravius peccamus, tanto longius separamur. Sed cum per pœnitentiam ad bona opera agenda recurrimus, ad ædificationem, quæ fit super Christum, revertimur. Possumus ergo per ligna terrena opera intelligere, dum quis terreno operi insistit, ut habeat unde vivat; ne forte necessitate compulsus, furari cogatur. Nam Apostolus præcipit, ut cum silentio operantes, unusquisque suum panem manducet; et iterum: *Qui non vult operari*, inquit, *non manducet.*[1] Per fenum vero amorem terrenum possumus accipere, cum quis pro affectu carnis uxorem, filios, fratresque diligit. Sed et hoc ipsum Apostolus præcipit, ut viri uxores, uxores viros, filii parentes, parentes filios suos diligant. Per stipulam autem, eos ipsos possumus intelligere, qui pro eo quod eos libido exagitat, et se continere non possunt, uxores accipiunt. Sed et hoc Apostolus præcipit dicens: *Propter fornicationem autem unusquisque suam uxorem habeat, et unaquæque suum virum habeat.* Et quia tales conversationes sine crebris offensionibus esse non possunt, dicit per ignem tales esse salvandos, id est, per ignem purgatorium. Et hoc fiet, si a gravibus peccatis se abstinuerint, et

Joan. xiv, 20. — I Cor. iii, 12. — Ps. cxviii, 11. — Ps. xi, 7. — I Thess. iii, 12. — Ephes. v, 25, 28. — Tit. ii, 4.

A per eleemosynarum largitionem hoc promeruerint ut post mortem per ignem purgatorium salvari possint. Sicut enim aurum quod ex aliis permixtionibus sordidum efficitur, per ignem purgatur; ita et isti a sordibus quas ex mundanis actibus contraxerunt, per ignem mundantur, ut digni fiant electorum numero sociari.

(Vers. 15). *Et qui loquebatur mecum, habebat arundinem auream, ut metiretur civitatem, et portas ejus, et murum.* Angelus qui loquebatur B cum Joanne, in hoc loco Christum significat, qui modo regit omnes gentes in virga ferrea, sicut superius jam dictum est: in futuro autem civitatem Dei, quæ ex omnibus gentibus constabit, arundine aurea metietur. Diximus superius per virgam ferream disciplinam Evangelii esse designatam: ferrum vero grave est et durissimum. De duritia autem virgæ ferreæ dicit Dominus in Evangelio: *Arcta et angusta via est, quæ ducit ad vitam.* Sed hanc duritiam amor Dei, et spes cœlestis pa- C triæ suavem et levem facit, sicut ipse iterum dicit: *Jugum enim meum suave est, et onus meum leve.* Virga itaque ferrea in arundinem levem, suavem, atque auream commutabitur, quia sancti pro angustiis, quas pro Christo pertulerunt, suavitatem et gloriam perpetuam recipient. Metietur vero civitatem et portas ejus, et murum, quando secundum qualitatem operum unicuique mercedem restituet. Sed quærendum nobis est, cum civitatem mensus fuisse dicatur, cur portas et murum adjunxerit, cum civitatis nomine hæc omnia comprehendantur. Verum, sicut præterita et futura docent, per portas apostoli, per civitatem apostolici viri, per muros vero cætera multitudo fidelium designatur. Sed hæc sequentia plenius manifestant.

(Vers. 16). Sequitur: *Et civitas in quadro posita est, et longitudo ejus tanta est, quanta et latitudo.* Per quadraturam civitatis perfectio sanctorum designatur;[2] quadratum quippe lapidem in quamcumque partem verteris, rectus stabit. Et si E quadratum lapidem, aut aliud quid quod quadrari potest, diligenter inspexeris, perfectionem Ecclesiæ in eo esse depictam deprehendere poteris; habet namque sex facies, octo cornua, crepidines duodecim. Sex facies perfectionem demonstrant bonorum operum, quia senarius numerus perfectus est. Habet octo cornua, ex quibus quatuor cœlum, quatuor terram respiciunt. Quatuor igitur cornua designant Evangelia, quæ duplicantur, quia dilectionem Dei et proximi specialiter commendant. Quatuor cœlum F respiciunt, ut indicent Deum super omnia esse diligendum: quatuor terram respiciunt, ut indicent proximos tamquam nosmetipsos esse diligendos. Duodecim vero crepidines fidem demonstrant duodecim apostolorum. A singulis autem cornibus tres crepidines prodeunt, ut indicent a doctrina Christi, quæ est Evangelium, quæ etiam in quatuor libros dividitur, fidem sanctæ Trinitatis in apostolos transisse, ut per illos ad omnes gentes migraret. Hoc totum de quadrato lapide ideo diximus, ut demon- G straremus per quadraturam civitatis perfectionem Ecclesiæ esse designatam. Et quia hæc civitas quadraturam æqualem habet, longitudo ejus tanta esse dicitur, quanta et latitudo; per longitudinem

Matth. vii, 14. — Matth. xi, 30.

[1] *Et iterum: Qui non vult operari, inquit, non manducet,* ex mss. in textum restituitur; non secus ac quod habetur infra, *et unaquæque virum suum habeat.*

[2] Omnes edit., *perfectio designatur...., aut aliud quidquid quadrari potest.... Habet namque sex latera.... sed latera perfectionem,* etc.; mss. autem nobis congruunt.

namque æterna gloria, per latitudinem autem caritas designatur. Longitudo igitur hujus civitatis tanta est, quanta et latitudo, quia quantum unusquisque fidelis in hac vita positus major fuerit in caritate, tanto majorem gloriam in cœlesti beatitudine possidebit; et quanto minor fuerit caritas, tanto minor erit et gloria.

Et mensus est civitatem per stadia duodecim millia: longitudo et latitudo et altitudo ejus æqualia sunt. Eamdem significationem habent stadia duodecim, quam et portæ duodecim habent; significant namque apostolos. Sed superius longitudinem et latitudinem hanc civitatem æqualem habere dicitur: hic vero dicitur quod longitudo, latitudo et altitudo ejus æqualia sunt. Possumus ergo in hoc loco per tria hæc quæ posuit, fidem, spem et caritatem intelligere; ita ut per longitudinem fidem, per latitudinem caritatem, per altitudinem vero spem intelligamus. Sed quomodo æqualia esse possunt, cum Apostolus dicat: *Nunc autem manent fides, spes, caritas, tria hæc: major autem horum est caritas?* Nam quamvis caritas major sit omnibus virtutibus, eo quod ipsa manet in æternum; secundum tamen quemdam modum iis tribus virtutibus æqualitas ascribi potest. Dicit quippe Apostolus quia fides per caritatem operatur, et fides sine operibus mortua est. Si mortua est, ille cui mortua est, nihil est: et si fides per caritatem operatur, et illi mortua est, qui caritatis opera non habet, ergo fides tanta est, quanta sunt et opera caritatis. Similiter spes tanta est, quanta fides et caritas; quia quanta sunt opera fidei, quæ est caritas, tanta est et spes gloriæ: in quantum namque unusquisque fidelis per caritatis opera se dilatare prævaluerit, in tantum sibi gloriam patriæ cœlestis accrescere non dubitet.

I Cor. XIII, 13.

Jacob. II, 2.

(Vers. 17). *Et mensus est muros ejus per circuitum centum quadraginta quatuor cubitorum mensura hominis, quæ est angeli.* Hoc si superiora attendamus, secundum litteram stare non potest; superius namque dicit quia mensus est civitatem per stadia duodecim; hic autem muros civitatis centum quadraginta quatuor cubitorum dicit esse mensuratos: multo enim majus est spatium[1] stadiorum duodecim, quam spatium centum quadraginta quatuor cubitorum; ideoque per majus spatium eos, qui majoris meriti sunt, intelligere possumus. Diximus superius per duodecim stadia duodecim apostolos esse designatos: martyres ergo et confessores, et cæteri perfecti viri, qui apostolorum doctrinam per omnia sunt secuti, et eorum actus imitati, in eorum ambitu mentientur; quia eamdem gloriam possidebunt, quam et illi. Per muros vero, qui ex minoribus lapidibus fiunt, cætera multitudo fidelium designatur: qui minorem ambitum tenebunt, quam illi de quibus superius diximus; quia qui minoris erunt meriti, minora percipient et præmia. Quorum mensura in duodenario numero consistit, quia fidem apostolicam intemeratam servaverunt; duodecies namque duodecim fiunt centum quadraginta quatuor. Quod autem dicit civitatem et muros mensura hominis,[2] quæ est angeli, fuisse mensuratos, demonstrat angelum in similitudinem hominis sibi apparuisse. Possumus hoc aliter intelligere. Mensuram hominis dicit esse mensuram angeli, et ea mensura civitatem et muros dicit esse mensuratos, quia sancti viri æqualitatem habebunt cum angelis, et eorum mensura mensurabuntur; quia eamdem gloriam possidebunt, quam et illi, sicut Dominus dicit in Evangelio: *In resurrectione neque nubent, neque uxores ducent; sed erunt sicut angeli Dei in cœlo.*

1

2

Matth. XXII, 30

(Vers. 18). *Et erat structura muri ejus ex lapide jaspide; ipsa vero civitas auro mundo similis vitro mundo.* Sed et hic aliquam distantiam inter muros et civitatem fecit. Muros dixit ex lapide jaspide esse constructos, ipsam vero civitatem auro mundo et vitro mundo dixit esse similem; per viriditatem namque jaspidis fides designatur: per jaspidem ergo simplices quique et imperfecti viri non inconvenienter designantur; qui fide salvantur, sicut dicit propheta: *Justus autem in fide sua vivet.* Sancti autem et perfecti viri, qui per civitatem designantur, auro mundo non inconvenienter assimilantur, eo quod et sapientia fuerint repleti, quæ per aurum sæpe figuratur, et diversis tribulationibus probati, sicut aurum quod per ignem purgatur. Per vitrum vero mundum, quod clarius est omnibus metallis, angeli designantur, quos nulla macula peccati umquam sordidare potuit.

Habac. II, 4

(Vers. 19). *Fundamenta muri civitatis omni lapide pretioso ornata.* Superius diximus per duodecim fundamenta duodecim apostolos esse designatos: per lapides autem pretiosos omnes justi designantur. Duodecim ergo fundamenta duodecim lapidibus ornabuntur, quia in illa beatitudine apostoli et cæteri prædicatores pro ornamento habebunt eos, qui per eos crediderunt, quoniam pro illis omnibus mercedem recipient.

Fundamentum primum jaspis.[3] Jaspis viridis ac pressi coloris est: significat autem fideles sæculares, qui a vitiis abstinentes, quamvis eorum viriditas, id est fides, ex mundi actibus aliquantulum obfuscetur; eleemosynis tamen et cæteris misericordiæ operibus peccata sua redimere non cessant. Nec abs re est quod tales in primo loco ponantur: apostoli namque, sicut sæpe jam inculcatum est, timentes iis qui ex gentibus primo crediderant, austeriora Domini præcepta committere, ne forte duritia præceptorum territi, non auderent ad suscipiendam Christi fidem accedere, scripserunt eis: *Placuit Spiritui sancto et nobis nihil imponere vobis oneris, nisi ut abstineatis vos tantummodo a fornicatione, et ab escis quæ idolis immolantur, et a suffocato, et sanguine.* Et in alio loco Petrus conversationem gentium narrans, dicit Judæis: *Et qui novit corda Deus, testimonium perhibuit, dans illis Spiritum sanctum sicut et nobis, fide purificans corda eorum.* Quicumque ergo istos imitantur,[4] in figura lapidis jaspidis continentur.

Act. XV, 28.

Ibid., 8 et seq.

Secundus sapphirus. Sapphirus cærulei coloris est, sicut hyacinthus: sed guttas habet intermixtas

[1] Eædem edit., *majus est spatium per quod eos, qui majoris meriti sunt,* etc.; mss. autem, ut in contextu.

[2] Gill., *et muros mensura hominis est, vel mensuram hominis dicit angelos fuisse mensuratos.* Romani correxerunt, *et muros mensura hominis esse, vel mensura hominis,* etc.; sed mss. melius locum restituunt.

[3] Ita mss.; editt. autem, *Jaspis vero viridis, ac spissi coloris est.*

[4] Omnes edit., *Deum imitantur;* omnes mss., *istos imitantur.*

ejusdem coloris, sed nigrioris. Videntur etiam mihi per hunc lapidem sæculares quidam viri designari, cœlestia quidem desiderantes, sed in sæculi actibus adhuc occupati, ex qua occupatione quasdam maculas contrahere videntur. Qui pro eo quod omnibus curis cœlestia anteponunt, cœli habere colorem dicuntur: qui in secundo numero ideo ponuntur, quia Deum super omnia, et proximos sicut seipsos student diligere.

Tertius chalcedonius. Chalcedonius rubeum habet colorem, sed tamen obscurum, nisi cavando attenuetur: ipsa vero concavitas pulcherrimum colorem et gratissimum ei confert. Significat autem et iste sæculares quosdam viros, qui quantæ sanctitatis ante persecutionis tempus fuerint, homines latuit: sed a persecutoribus suis diversis tribulationibus attenuati, quantus splendor sanctitatis in eis latuerit, cunctis patuit: qui non inconvenienter in tertio loco ponuntur, eo quod in confessione sanctæ Trinitatis perdurantes, ad martyrii palmam pervenire meruerint.

Quartus smaragdus. Eximiæ pulchritudinis atque viriditatis est, in tantum ut ea quæ circa se sunt, sua viriditate inficiat. Significat autem prædicatores sanctos, qui et fide virides, et virtutibus præclari, splendorem suæ fidei prædicando circumquaque sparserunt: qui ideo in quarto loco ponuntur, eo quod doctrinam Evangelii, quæ in quatuor libros dividitur, per multa loca disseminaverunt.

(Vers. 20). *Quintus sardonix.* Sardonix candidus est, in rubeum colorem parumper declinans: significat autem simplices quosque et innocentes viros, qui propter vitæ puritatem per lapidem candidum designantur. Qui pro eo quod vigilando, jejunando, abstinendo, ac diversis modis corpora sua affligendo, martyria sibi imponunt, quasi colorem rubeum habere videntur: qui non inconvenienter in quinto loco ponuntur; per quinarium enim numerum sæpe quinque sensus corporis designantur.[1] Beatus quoque Gregorius dicit, quia per quinque corporis sensus exteriorum scientia designatur; et quia isti exteriorum scientiam quam perceperunt, aliis impertire studuerunt, recte in ædificio civitatis sanctæ quintum locum obtinent.

Sextus sardius. Sardius fulvi coloris est, qui pro eo quod in rubicundum colorem aliquantulum declinare videtur, parumper obscuratur. Per fulvum itaque colorem, qui aureo colori appropinquat, tribulationes quas sancti ab hostibus pertulerunt, designantur: rubeus vero color martyrium designat. Per sardium igitur sancti et perfecti viri designantur, qui post experientiam omnium virtutum, post diversas persecutiones, post immania tormenta quæ ab inimicis pertulerunt, ad martyrii palmam pervenire meruerunt: qui non incongrue in senario numero, qui perfectus est, ponuntur, quia et virtutibus perfecti exstiterunt, et ipsam perfectionem martyrio ornaverunt.

Septimus chrysolithus. Chrysolithus totus aureus est, et sæpe per aurum sapientia designatur. Per chrysolithum ergo sapientes in Ecclesia viri designantur, qui propter fulgorem sapientiæ aurei apud homines recte dici possunt: qui congruenter in

A septimo loco ponuntur, eo quod septem donis Spiritus sancti repleti, multos verbis et exemplis ab iniquitate averterint.

Octavus beryllus. Beryllus eximiæ claritatis est, cæruleum colorem habens admixtum; significat autem puræ vitæ homines, et a sæculi actibus per omnia alienos: qui ne claritatem vitæ suæ aliquo modo macularent, etiam a consortio cæterorum hominum sequestrari voluerunt: quorum claritas in cæruleum colorem vertebatur, quia cœlo semper
B intenti, angelicam vitam inter homines duxisse comprobantur: qui non inconvenienter in octavo loco ponuntur; bis namque quaterni fiunt octo.[2] Quaternarium itaque numerum isti impleverunt, quia Evangelii præceptum secuti sunt, quod dicit: *Vade, vende omnia quæ habes, et da pauperibus, et habebis thesaurum in cœlo, et veni, sequere me.* Quaternarium numerum duplicaverunt, quia ad idem perfectionis culmen multos alios secum conscendere suaserunt.

C *Nonus topazius.* Topazius aerei aureique coloris esse dicitur, jubar suum circumquaque spargens. Sæpe per aurum probati viri, qui igne tribulationis probantur, designantur: ipsæque tribulationes diversæ sunt; aliquando namque sancti viri diversis tentationibus quas a dæmonibus patiuntur, probantur: aliquando per tribulationes, quæ eis a malis hominibus ingeruntur; aliquando per afflictiones, quas ipsi sibi ingerunt: aliquando flagellis Dei etiam probantur, et per activæ vitæ exercitia. Videntur
D itaque mihi per lapidem topazium ii designari, qui prius per activæ vitæ opera probantur, et postea transeunt ad contemplativam.[3] Ille enim competenti gradu ad contemplativam vitam conscendit, qui prius per activæ vitæ exercitia probatus fuerit; nam qui subito ad contemplativæ vitæ celsitudinem sine exercitiis activæ vitæ transit, facile labitur. Quod autem hic lapis radios suos circumquaque spargere dicitur, significat illos viros, qui per eum designantur, et ad activæ vitæ opera prædicando
E multos pertraxisse, et ad contemplativæ vitæ celsitudinem multos etiam secum duxisse: qui non incongrue in nono loco ponuntur; ter enim terni fiunt novem. Sancti ergo viri qui propter amorem sanctæ Trinitatis in activæ vitæ bonis operibus prius affligentes semetipsos, suis exhortationibus quoscumque potuerunt, ad suam imitationem pertraxerunt; et iterum ad contemplandam ejusdem sanctæ Trinitatis divinitatem conscendentes, multos secum perduxerunt, non inconvenienter in nono
F loco ponuntur, eo quod talentum quod a Domino perceperunt, non solum duplicaverunt, sed et triplicaverunt.

Decimus chrysoprasus. Chrysoprasus lapis viridis aureique coloris esse perhibetur: qui pro eo quod in decimo loco ponitur, possumus per eum quosdam doctores Ecclesiæ intelligere, qui et verbis in corporibus positi multos docuerunt, et multo plures suis scriptis erudierunt et erudiunt[4] quotidie, ut fuerunt Hieronymus, Augustinus, Gregorius
G et multi alii; qui etiam et lumina Ecclesiæ recte dici possunt: qui per viridem et aureum colorem designantur, eo quod viriditate fidei fuerint firmi,

[1] Fædem edit., *designantur. Quia igitur per quinque sensus corporis;* contra vero cuncti mss. in nostram restitutionem consentiunt.

[2] *Bis namque quaterni fiunt octo,* ex mss. restituitur.

[3] Mss. etiam omnibus debetur hæc restitutio: in editt. enim legebatur, *qui per activæ vitæ opera ad contemplativam vitam conscendunt, qui prius per activæ,* etc.

[4] Ita mss.; editt. vero, *et erudiunt. Qui etiam et lumina Ecclesiæ.... eo quod viriditate fidei, firmitate et sapientia, ut aurum fulgidi fuerunt.*

Matth. XIX, 21.

et sapientia, ut aurum fulgidi. Per denarium vero numerum vetus Testamentum, propter decem videlicet præcepta Legis, possumus intelligere. Et quia vetus Testamentum sine doctrina novi Testamenti nullus intelligere potest, eo quod spiritalis intelligentia in veteri Testamento nihil sit aliud, quam novum Testamentum, non inconvenienter in decimo loco ponuntur, eo quod scientiam veteris Testamenti ac novi plenissimam habuerint. Possumus et denarium numerum aliter intelligere; denarius quippe numerus dividit et ordinat, et perficit omnes numeros; ita et isti diviserunt quodammodo Scripturas, cum ea exponendo per sententias et libros partiti sunt: ordinaverunt eas, cum earum obscuritates aperuerunt; et quæ inordinata videbantur, quam rectum ordinem habuerint, manifestaverunt: perfecerunt autem, cum ea quæ deesse videbantur, suppleverunt.

Undecimus hyacinthus. Hyacinthus, cujus species hyacinthino colori nomen imposuit, pretiosissimus est, cœli sereni colorem habens, sicut sapphirus: sed ille maculas habet, istius pulchritudo nullis maculis deturpatur. Significat autem sanctos viros ab omnibus sordibus peccatorum alienos, terram corporibus, cœlum mentibus semper inhabitantes; de qualibus fuit Apostolus, qui dicebat: *Nostra*
Philip III, 20. *autem conversatio in cœlis est.* Qui non inconvenienter in undecimo loco ponuntur; per decem namque scientia divinarum Scripturarum, sicut superius diximus, jam designatur: unus vero qui decem sequitur, ut undecim fiant, ad unius Dei contemplationem pertinet. Isti ergo sancti decimum numerum[1] compleverunt, quia scientia divinarum Scripturarum repleti, multos suis prædicationibus ad vitam æternam perduxerunt: unum numerum compleverunt, quia in contemplatione Dei omnipotentis assidui fuerunt; nec instantia prædicationis a contemplatione, nec assidua contemplatio a prædicatione eos retraxit; similitudinem gestantes angelorum, qui et angelicum officium semper implent, et a contemplatione Dei omnipotentis numquam alieni existunt. De talibus videtur mihi propheta dixisse: *Labia sacerdotis custodiunt scientiam, et legem requirunt ex ore ejus; quia angelus*
Malach. II, 7. *Domini exercituum est.* De talibus fuit Joannes Baptista, de quo Dominus dicebat: *Hic est de quo scriptum est: Ecce ego mitto angelum meum ante faciem tuam qui præparabit viam tuam*
Luc. VII, 27. *ante te.*

Duodecimus amethystus. Sæpe per duodenarium numerum apostoli designantur: amethystus vero purpureus est; et scimus quia purpura ornamentum est regale. Per amethystum igitur apostoli, eorumque similes designantur, qui ornamentum fuerunt Dei, quia eum per universum mundum prædicaverunt. Ornamentum Dei fuit Petrus, de quo scriptum est quod clarificaverit Deum morte
Joan. XXI, 19. sua; similiter et cæteri apostoli ornamentum Dei fuerunt, quia eum prædicando, miracula faciendo, pro nomine ejus moriendo, clarificaverunt.

(Vers. 21). *Et duodecim portæ duodecim margaritæ per singulas: et singulæ portæ erant ex singulis margaritis.* Hoc secundum litteram stare non potest. Si singulæ portæ erant ex singulis margaritis, quomodo per unamquamque duodecim margaritæ fuisse dicuntur? Sed spiritaliter intelligendum est: duodecim namque margaritæ sunt, ex quibus singulæ portæ esse dicuntur, id est, centum quadraginta quatuor, per quas apostolorum successores doctores Ecclesiæ designantur, qui fidem doctrinamque apostolorum sunt secuti, et actus imitati: qui propter vitæ munditiam et sanctitatem præcipuam per candorem margaritarum significantur. *Et plateæ civitatis aurum mundum, tamquam vitrum perlucidum.* Superius per aurum mundum et vitrum mundum perfectos viros et sanctos angelos diximus significatos: sed hic per plateam civitatis mentes fidelium; per aurum vero mundum, et vitrum perlucidum munditia mentium hominum designatur atque angelorum, quia sicut ad mentes angelorum nulla umquam vana cogitatio accedere potuit, quæ eos macularet; ita et sanctis post resurrectionem nulla umquam inutilis cogitatio adveniet, quæ eorum mentes commaculet.

(Vers. 22). *Et templum non vidi in ea: Dominus enim omnipotens templum illius est, et Agnus.* Per templum, in quo hostiæ et sacrificia offerebantur, præsens Ecclesia designatur, in qua non carnalia, sed spiritalia sacrificia quotidie Deo offeruntur. Nam sicut illic secundum qualitatem peccatorum exercebatur ritus sacrificiorum; ita et in Ecclesia secundum modum culparum debent esse sacrificia pœnitentiæ, sacrificia orationum, fletuum, cordis compunctionum. De talibus sacrificiis Propheta loquitur dicens: *Sacrificium Deo spiritus contribulatus;* et iterum: *Tunc acceptabis sacri-* Ps. L, 19.
ficium justitiæ. Si est sacrificium justitiæ, est et *Ibid.*, 21.
patientiæ,[2] est et abstinentiæ, est et humilitatis cæterarumquæ virtutum. Hæc sunt sacrificia, quæ odorem suavissimum præbent Domino, non carnes pecudum, quæ in altari cremabantur. Joannes ergo templum in sancta civitate se non vidisse dixit, quia hæc omnia quæ diximus, in illa beatitudine necessaria non erunt: *Absterget* enim *Deus omnem lacrymam ab oculis sanctorum, et mors ultra non erit, neque luctus, neque clamor, neque dolor erit ultra, quæ prima abierunt.* Dominus vero Sup. V, 4
templum illius erit et Agnus, quia in illo erunt sancti, et in illo habitabunt, sicut ipse dixit discipulis suis: *Sicut ego in Patre, et vos in me, et ego in vobis.* Joan. XI, 20.

(Vers. 23). *Et civitas non eget sole, neque luna, ut luceant in ea; nam claritas Dei illuminabit eam, et lucerna ejus est Agnus.* Per solem novum Testamentum, per lunam vetus designatur. Absque istis duobus luminaribus Ecclesia per viam rectitudinis in tenebris hujus sæculi sine crebris offensionibus incedere non potest: in illa autem beatitudine, ubi nullæ tenebræ erunt, nulla offensio, nihil incorrectum quod corrigi possit, lux novi ac veteris Testamenti necessaria non erit; illius enim lumine sancti sine fine perfruentur, qui auctor est lucis, qui *illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum.* Joan. I, 9

(Vers. 24). *Et ambulabunt gentes per lumen ejus, et reges terræ afferent gloriam suam et honorem in illam.* Per gentes omnes electi designantur. Sed quomodo ambulabunt? Ambulabunt mente, non corpore: non mutando locum, sed considerando omnipotentiam, divinitatem atque maje-

[1] Omnes edit., *undenarium numerum;* omnes mss., *decimum numerum.* Melius, cum de unitate infra dicatur.

[2] Eædem edit., *est et sapientiæ;* mss. e contrario, *est et patientiæ.*

statem. Per lumen Ecclesiæ ambulabunt, quia ut hoc iter perficere possint, illo lumine illuminabuntur, quod cunctæ Ecclesiæ omnipotens Deus daturus est: per reges autem terræ apostoli et cæteri prædicatores designantur: gloriam vero et honorem prædicatorum eos vocat, qui per eos crediderunt, sicut apostolus Paulus dicit discipulis suis: II Cor. II, 14 Nam gloria nostra vos estis in Domino. Afferent ergo gloriam suam et honorem in illam, cum eos qui per eos crediderunt, Domino repræsentabunt.

(Vers. 25). *Et portæ ejus non claudentur per diem; nox enim non erit illic.* Superius per duodecim portas, quæ ex duodecim margaritis fuisse dicuntur, apostolos fuisse diximus designatos: sed hic ubi sine numero ponuntur, aliam significationem habent; significant namque corda fidelium: fideles namque in hac vita positi noctem patiuntur, id est, dæmones et impios homines. Portas autem in nocte claudunt, cum contra omnia tentamenta dæmonum aditus mentium suarum obstruunt, eaque a se repellunt. Claudunt etiam portas in nocte, cum contra malitiam pravorum hominum corda sua muniunt, ut non audiant linguam detrahentem, non reddant malum pro malo, vel maledictum pro maledicto, ut secundum prophetam: *Excutiant manus suas ab omni munere, et obturent aures suas, ne audiant sanguinem; et claudant oculos* Eccli. XXXIII, 16 *suos, ne videant malum.* Porro in illa beatitudine, ubi nullus dæmon, nullus reprobus esse poterit, qui mala suadeat, qui per noctem designantur, portarum, id est, mensium observatio necessaria non erit; nam et secundum litteram erit ibi dies perpetuus, nulla nocte succedente.

(Vers. 26). *Et afferent gloriam gentium, et honorem in illam.* Superius reges terræ, id est, prædicatores sanctos, gloriam suam in civitatem sanctam detulisse dicit: per quam gloriam gentes, quæ per eos crediderunt, diximus fuisse designatas. Si ergo gloria prædicatorum gentes sunt, gloria gentium quæ est? Nisi forte secundum Salomonem hoc dictum intelligamus, qui dicit: *Gloria senum filii filiorum: et gloria filiorum patres eorum.*[1] Prov. XVII, 6. Gloria namque senum, id est, apostolorum, filii sunt filiorum, id est, gentes quæ per ipsos, et per filios, id est, discipulos eorum crediderunt: gloria vero filiorum erunt patres eorum, quia gaudebunt gentes, eo quod tanti meriti tantæque excellentiæ patres habeant, cum eorum gloriæ participes esse meruerint. Quod autem dicit *afferent,* possumus ad angelos referre; qui in die judicii sanctos Dei ad percipienda præmia repromissa deducent, sicut Dominus dicit in Evangelio: *Mittet Filius hominis angelos suos, et congregabunt electos ejus a quatuor ventis cœli, et a summitate cœlorum.* Matth. XXIV, 31

(Vers. 27). *Nec intrabit in eam aliquid coinquinatum, et faciens abominationem et mendacium, nisi qui scripti sunt in libro Vitæ Agni.* Inquinatos vocat eos, qui se diversis sceleribus inquinaverunt: abominationem autem faciunt, qui malum operantur; nihil enim abominatur Deus, nisi malitiam, sicut in libro Sapientiæ scriptum est: *Misereris omnium, Domine, et nihil eorum odisti, quæ fecisti.* Sap. XI, 25. Quæri autem potest cur mendacium

A fieri dicatur. Quod autem facimus, jam non est mendacium, quia quod factum est, non potest non esse factum, ut sit mendacium. Sed factum pro locutione posuit; peccatum quippe mendacii loquendo facimus, non operando. Possumus etiam per mendacium omne peccatum intelligere; scimus enim quia Deus veritas est, peccatum vero deceptio est animarum. Quidquid ergo contrarium est veritati, atque ad deceptionem animarum pertinet, quamvis videatur verum, mendacium recte dici potest. In B illa itaque sancta civitate non intrabit aliquid coinquinatum, et faciens abominationem et mendacium, quia in die judicii *exibunt angeli, et separabunt malos de medio justorum, et mittent eos in caminum ignis ardentis.* Nam et illis qui Matth. XIII, 49. oleum caritatis in vasis suis non habuerint, claudetur janua regni cœlestis; diceturque illis a Domino: *Amen dico vobis, nescio vos.* Matth. XXV, 12.

CAPUT XXII.

C (Vers. 1). *Et ostendit mihi fluvium aquæ vitæ, splendidum tamquam crystallum, procedentem de sede Dei et Agni, in medio plateæ ejus.* Ezechieli in ultima visione torrens demonstratus est, qui de templo exibat, et decurrebat in mare, de quo ita loquitur: *Et duxit me,* inquit, *angelus mille cubitos, et transduxit me per aquam usque ad talos. Et duxit me mille cubitos, et transduxit me per aquam usque ad genua. Et duxit me* D *mille cubitos, et transduxit me per aquam usque ad renes. Et duxit me mille cubitos, torrentemque non potui transvadere; quia intumuerant aquæ torrentis, qui transvadari non potest.* Per torrentem Scripturam divinam intelligere debemus, quæ de templo, id est, de Ecclesia egreditur, ab ore scilicet prædicatorum: angelus vero Dominum significat: propheta autem typum tenet eorum qui divinas Scripturas ad hoc discere volunt, ut ipsi in eis proficiant, et alios per earum scientiam in- Ezech. XLVII, 3 et seq. E struant: millenarius vero numerus perfectionem alicujus rei sæpe demonstrat. Et prima transductio ad historiæ intelligentiam, secunda ad moralem, tertia pertinet ad spiritalem.

Angelus igitur prophetam mille cubitos ducit, cum Dominus alicui fideli suo desiderium largitur intelligendi Scripturas:[2] transducit eum usque ad 2 talos, cum et historiæ intellectum tribuit; quisquis enim moralem et spiritalem intelligentiam in divinis Scripturis investigare desiderat, necesse est F ut historiæ intelligentiam prius possideat: secundo angelus prophetam mille cubitos ducit, cum Dominus fidelem suum ad moralem intelligentiam percipiendam accendit: per aquam usque ad genua eum transducit, cum moralis scientiæ sensus ei manifestat. Tertio angelus prophetam[3] mille cu- 3 bitos ducit, cum Dominus post moralem intelligentiam fidelem suum ad spiritualis intelligentiæ sensus enucleandos per desiderium evehit. Per aquam usque ad renes eum transducit, cum spiritualis G scientiæ sensus ei aperit. Quarto prophetam angelus mille cubitos ducit, cum post intelligentiam Scripturarum fidelem suum Dominus ad contem-

[1] Omnes edit., *patres eorum. Gloria vero filiorum;* sed lacunam egregie supplent omnes mss.

[2] In e litt. hæc verba, *angelus igitur transducit.... intelligendi Scripturas,* supra ponebantur post voces *Dominum significat;* sed in mss. hoc loco aptius collocantur.

[3] Quidquid a vocibus, *Tertio angelus prophetam* usque ad *sacramenta elevat* intercedit, e mss. omnibus restituitur.

planda divina et cœlestia sacramenta elevat. Torrentemque non potuit transvadare, quia profunditatem divinorum cœlestiumque mysteriorum nullus, sicut est, perscrutari potest: *Ex parte enim cognoscimus, et ex parte prophetamus,* sicut dicit Apostolus: *Cum autem venerit quod perfectum*
I Cor. III, 9. *est, evacuabitur quod ex parte est;* et iterum: *Videmus nunc per speculum in ænigmate, tunc*
Ibid., 10. *autem facie ad faciem.* Hunc torrentem idem Paulus transmeare se non posse considerans dicebat: *O altitudo divitiarum sapientiæ et scientiæ Dei, quam incomprehensibilia sunt judicia ejus, et investigabiles viæ ejus! Quis enim cognovit sensum Domini, aut quis consiliarius ejus fuit, aut quis prior dedit illi, et retribuetur ei? Quoniam ex ipso, et per ipsum, et in ipso sunt*
Rom. XI, 33 et seq. *omnia: ipsi gloria in sæcula sæculorum, amen.* Et propheta Esaias: *Oculus non vidit, Deus,*
Isai. LXIV, 4. *absque te, quæ præparasti exspectantibus te.* Ecce angelus prophetam usque ad locum præfinitum duxit, et non eum transduxit, quia omnipotens Deus suos sanctos usque ad contemplanda secreta et arcana mysteria suæ divinitatis perducit: sed nequaquam eos transducit, quia fragilitas humana perfecte non potest comprehendere illa inscrutabilia et divina mysteria. Et sicut qui regios cibos odoratus est, et eorum dulcedinem prægustavit, amplius eos desiderat, quam ille qui nec eos vidit, nec odoratus est, nec qualis esset eorum dulcedo gustando sensit; ita et sancti, qui per contemplationis gratiam dulcedinem patriæ cœlestis sæpe degustant, multo amplius in ejus amore quotidie exardescunt, quam illi qui propter dulcedinem sæculi dulcedinem non sentiunt vitæ æternæ.

Dicit idem propheta in sequentibus vidisse se ligna in utraque ripa torrentis, quorum fructus erant in cibum, et folia ad medicinam. Duæ ripæ duo Testamenta significant: inter has duas ripas magnus torrens Scripturarum, qui a sanctis Patribus editus est, decurrit: per ligna vero doctores Ecclesiæ designantur, qui in utrisque ripis, id est, in doctrina veteris ac novi Testamenti plantati esse dicuntur; unde aquas veræ scientiæ trahentes, et fructus gignunt, et folia: per fructus namque opera bona, per folia autem verba prædicationis designantur. Fructus in cibum, et folia ad medicinam proficiunt, quia unusquisque doctor languenti animæ medicinam verborum salutiferam tunc ministrat, cum eam prius exemplis bonorum operum paverit.

Ecce Ezechiel torrentem de templo exiisse se vidisse dixit: Joannes autem non torrentem, sed fluvium a sede Dei et Agni procedentem sibi ostensum fuisse dicit. Torrens ex nimio ardore solis
Ezech. XLVII, 5. solet siccari, fluvius vero nullo ardore exsiccatur: non inconvenienter ergo per torrentem divina Scriptura exprimitur, quæ veniente sole, id est, Domino ad judicium, siccabitur, quia post resurrectionem divina Scriptura necessaria non erit. Porro per fluvium, qui nullo ardore solis exsiccatur, gloria sanctorum perpetua intelligitur: qui a sede Dei et Agni procedere dicitur, quia ab illo fluvius gloriæ sanctorum procedet, a quo, illis in carne positis, processit rivus omnium bonorum.

Qui fluvius splendidus tamquam crystallus esse dicitur: verum quia hujus lapidis in hoc libro sæpe fit mentio, placuit ut de natura et significatione ejus pauca dicamus. Hic lapis clarior est omnibus lapidibus: nascitur autem in frigidissimis locis, a quibus frigus numquam recedit. Quia ex inferiori parte saxo aliquantulum molliori inhæret, radicem in eo parumper defigens, sursumque crescens erigitur, sex angulos habens, in summitate vero acuitur; eumdem tamen ordinem sex angulorum usque ad summitatem servans. Significat autem unumquemque perfectum virum: lapis vero, cui inhæret, Christum designat: claritas crystalli puritatem mentium sanctorum: sex anguli perfectionem demonstrant operum bonorum. Ordinem sex angulorum ad summitatem ducit, quia sancti hoc student, ut perfectionem bonorum operum usque ad finem vitæ perducant: in superioribus vero summitate acuitur, quia omnis intentio sanctorum ad illum tendit, qui unus est, et in quo etiam ipsi unum fiunt.

Fluvius ergo iste, qui gloriam sanctorum designat, splendorem crystalli habere dicitur, quia unicuique fidelium secundum qualitatem operum suorum refulget, sicut dicit Apostolus: *Stella enim ab stella differt in claritate, sic et resurrectio mortuorum.* Qui de sede Dei et Agni procedere I Cor. XV, 41. dicitur, quia ab ipso procedet omnis gloria sanctorum, qui auctor est omnium bonorum: qui etiam in medio plateæ civitatis decurrere dicitur, quia corda sanctorum perpetua suavitatis dulcedine lætificabit.

Et ex utraque parte fluminis lignum vitæ. Exech XLVII, 7. Ezechieli in utraque ripa torrentis plurima ligna demonstrata sunt, de quibus superius locuti sumus: hic autem vitæ lignum utramque partem fluminis occupasse dicit. Sed illic per multa ligna multi prædicatores: hic autem per unum vitæ lignum unus Christus designatur, qui est vita cunctorum fidelium: per utramque vero partem fluminis possumus angelos et homines intelligere. Utramque igitur partem fluminis lignum vitæ obtinebit, quia et angelos et homines sanctos Christus æqualiter possidebit. *Afferens fructus duodecim.* Fructus duodecim apostoli sunt, omnesque qui eorum doctrinam sunt secuti: fructus duodecim lignum vitæ afferet, quia in illa beatitudine Christus omnem multitudinem fidelium collocabit. *Per menses singulos reddens fructum suum.* Menses singuli tempora sunt ab initio mundi usque ad finem ejus, de quibus frequenter diximus. Per menses ergo singulos reddet fructum suum, quia omnes electos qui singulis temporibus fuerunt, et erunt usque ad finem, in illa beatitudine Patri repræsentabit. *Et folia ligni ad sanitatem gentium.* Folia ligni verba sunt Evangelii, quæ sanitatem multis gentibus præstiterunt. Et est sensus: Omnes gentes quæ per doctrinam Evangelii a languoribus animarum salvæ factæ sunt, in cœlesti beatitudine constituet.

(VERS. 3). *Et omne maledictum non erit amplius.* Cum dicit, *omne maledictum* demonstrat plurimas esse maledictiones. Maledictionem mortis primus homo incurrit, quando peccavit, et ab illo in omnes homines pertransivit. Et de Christo Paulus Gen. III, 17 dicit quod factus sit maledictum pro nobis, quia Rom V, 11. mortem, quæ est maledictio primi hominis, pro nostra salute suscepit. Sed et Cain pro reatu homicidii maledictus est a Deo. Et contemptoribus Galat. III, 13 Gen. IV, 11. Legis dicit Moyses: *Maledictus qui non permanserit in sermonibus libri hujus.*[1] Similiter et nos Deut. XXVII, 26.

[1] Omnes edit., *in omnibus iis;* omnes mss., *in sermonibus libri hujus.*

cum graviter peccamus, ipsi nosmetipsos pessima maledictione damnamus. Omne igitur maledictum non erit amplius, quia peccatum non erit, nec aliquid quod occasionem præbeat peccandi. Maledictio quoque primi hominis in resurrectione delebitur, cum immortalitas omnibus electis fuerit attributa.
I Cor. xv, 53. *Et sedes Dei, et Agni in illa erunt.* Si modo sunt sancti Dei in hac vita positi sedes Dei, quanto magis tunc, cum corruptibile hoc induerit incorruptionem, et mortale hoc induerit immortalitatem? *Et servi ejus servient illi.* Quæ est ista servitus, qua servi Dei servient Deo? Amando videlicet eum, et sine fine eum laudando.

(Vers. 4). *Et videbunt faciem ejus, et nomen ejus in frontibus eorum.* Quanta sit gloria et suavitas quæ sanctis ministrabitur, mens humana comprehendere non potest, sicut dicit apostolus Paulus: *Quod oculus non vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit, quæ præpa-*
I Cor. ii, 9. *ravit Deus diligentibus se.* Sed omnem dulcedinem atque suavitatem illud transcendet, quod videbunt Deum facie ad faciem. Nomen vero Dei est Filius Dei: nomen itaque erit in frontibus sanctorum, quia ipsa claritas atque species demonstrabit eos esse filios Dei.

(Vers. 5). *Et nox ultra non erit.* Dicit in alio loco Joannes: *Deus lux est, et tenebræ in eo*
I Isai i, 5. *non sunt ullæ.* Quas ergo tenebras pati poterunt, a quibus Deus assidue videbitur? Quod si de dæmonibus et impiis intelligere voluerimus hoc dictum, nox non erit, quia dæmones cum omnibus impiis in cloaca inferni in perpetuum tenebuntur reclusi. *Et non egebunt lumine lucernæ, neque lumine solis.* Diximus superius per lumen lunæ ac lumen solis vetus ac novum Testamentum esse designatum: eamdem itaque significationem habet lucerna in hoc loco, quam superius diximus lunam habuisse. De lumine autem solis ac lunæ, id est, veteris ac novi Testamenti, superius aliqua diximus. Hoc igitur lumine non egebunt sancti. *Quoniam Dominus Deus illuminabit illos, et regnabunt in sæcula sæculorum.* Hucusque visio septima. Quæ sequuntur, ad admonitionem pertinent ipsius Joannis cæterorumque fidelium.

(Vers. 6). *Et dixit mihi: Hæc verba fidelissima et vera sunt.* Hoc bis ideo repetit ut nullus considerans obscuritates dictionum, et ea quæ secundum litteram irrationabilia videntur, incredulus existat; fuerunt enim quidam, qui non intelligentes divina mysteria, quæ in hoc libro continentur, a catalogo divinarum Scripturarum eum amputare voluerunt. *Et Dominus Deus spirituum prophetarum misit angelum suum ostendere servis suis, quæ oportet fieri cito;* id est, Dominus Deus qui spiritum prophetiæ dedit omnibus sanctis prophetis, ipse misit angelum suum, id est, ipsum qui hoc loquebatur, qui et Joanni ostendit omnia mysteria, quæ in hoc libro continentur, *ostendere servis suis quæ oportet fieri cito.* Cum hæc Scriptura non tantum ad futurum tempus, sed etiam ad præteritum pertineat, cur ad demonstranda ea tantummodo, quæ oportebat fieri cito, a Deo se dicit esse missum? Quia nimirum præterita facile dignoscuntur: futura autem et incognita hominibus nonnisi per revelationem Spiritus sancti, aut per angelorum ministerium intelligere possumus. Aliter quidquid ignoramus, futurum nobis est, quia futurum est ut ad cor nostrum veniat, quod nescimus; illud videlicet, quod Deus prædestinavit ut sciremus; non enim scientia mali nobis prædestinata est, sed ex originali peccato descendit.

(Vers. 7). *Et ecce venio velociter.* Hoc in persona loquitur Christi, significans eum ad judicium cito esse venturum. *Beatus qui custodit verba prophetiæ libri hujus.* Ille servat verba prophetiæ, id est, mandata Dei, qui ea operando implet, et in meditatione eorum assiduus est, implens illud Psalmographi dictum: *Sed in lege Domini voluntas ejus, et in lege ejus meditabitur die ac nocte.* Ps. i, 2

(Vers. 8, 9). *Et ego Joannes qui audivi et vidi hæc, et postquam audissem et vidissem, cecidi ut adorarem ante pedes angeli, qui mihi hæc ostendebat, et dixit mihi: Vide ne feceris, conservus tuus sum et fratrum tuorum prophetarum, et eorum qui servant verba libri hujus. Deum adora.* Cur angelus a Joanne adorari noluerit, beatus Gregorius sufficienter exposuit:[1] quærendum vero nobis est, cur repetiit quod antea ei prohibitum fuerat. Sed si diligenter Scripturam libri hujus inspexerimus, non in vanum esse factum intuebimur; nam cum ei demonstrasset angelus Christum in sua sede sedentem, quatuorque animalia, et viginti quatuor seniores, nequaquam dicitur angelum adorare voluisse. Similiter cum ei demonstrasset qualiter ab Agno septem sigilla reserata sunt, et ea quæ sub cantu tubarum septem angelorum gesta sunt, nec non et ea quæ sub effusione phialarum septem angelorum gesta fuisse leguntur, nequaquam dicitur quod angelum adorare voluerit. Ubi vero ventum est ad eum locum, in quo ei ab angelo demonstratum est, qualiter sponsa Christi, id est Ecclesia, Christo conjuncta est, in eo videlicet loco, ubi scriptum est: *Gaudeamus et exultemus, et demus gloriam ei;*[2] *quia venerunt nuptiæ Agni, et uxor ejus præparavit se: et datum est ei, ut operiat se byssino splendente candido. Byssinum enim,* inquit, *justificationes sunt sanctorum;* continuo angelum adorare voluit. Simili modo et in sequentibus, cum ei demonstrata esset dejectio Antichristi, alligatio diaboli in abyssum, gloria resurrectionis, nullo modo angelum adorare voluit: cum autem in fine hujus visionis demonstratum esset ei qualiter Ecclesia post resurrectionis gloriam Christo in æternum cum illo regnatura sociabitur, continuo angelum adorare voluit; conjungitur namque Ecclesia quotidie Christo per fidem, cæteraque bona opera, quæ per byssum designantur. Conjungetur vero ei post resurrectionem multo excelsius atque nobilius, non jam per partes, sicut modo; sed tota simul in æternum cum illo mansura, et sine fine regnatura. Igitur Joannes bis angelum adorare voluit, quia binas conjunctiones Ecclesiæ cum Christo ei demonstravit.

(Vers. 10). *Et dixit mihi: Ne signaveris verba prophetiæ libri hujus; tempus enim prope est.* Signata est Scriptura illis, a quibus non intelligitur.

[1] Ita mss.; editt. vero: *Cur angelus Domini a Joanne adorari noluerit, superius in expositione quintæ Visionis sufficienter exposuimus.* Mera impostura.

[2] Editt., *et demus gloriam ei, et cætera; continuo angelum;* mss. autem, ut nos in textu.

Præcipitur igitur Joanni ne signet verba prophetiæ libri hujus, id est, ne tacendo obscuritates ejus abscondat, sed exponendo potius omnibus eam scire volentibus manifestet; eo quod dies judicii, qui in hoc libro diversis modis describitur, prope sit, et necesse habeamus ut periculum, quod imminet, corde videamus, ne sicut fur incautos occupet et perdat. Sed cur Joannes secundum præceptum angelicum obscuritates libri hujus exponendo et describendo manifestare noluit; præsertim cum propter easdem obscuritates quidam in errorem et hæresim deciderint, dicentes Christum post resurrectionem per mille annorum spatium cum omnibus sanctis in mundo carnaliter esse regnaturum? Verum quod non fecit scribendo, credimus eum fecisse prædicando.

(Vers. 11). *Qui nocet, noceat adhuc: et qui*
1 *in sordibus est, sordescat adhuc:*[1] *et sanctus sanctificetur adhuc.* Qui dicit: *Qui nocet, noceat adhuc: et qui in sordibus est, sordescat adhuc;* non præcipiendo, sed comminando dixit. Solent quippe homines hoc genere locutionis terrere quosdam sibi subjectos, sicut magistri qui solent dicere pueris vacantibus: *Nolite legere, nolite legere:* illi vero intelligentes comminationem esse hoc, non prohibitionem, statim incipiunt legere. Hoc etiam modo domini servos otio torpentes terrere solent,
2 ut opus sibi injuctum citius expleant.[2]

(Vers. 12). *Ecce venio cito, et merces mea mecum est reddere unicuique secundum opera sua.* Sæculi homines mercedes, quas sibi servientibus debent reddere aut in sacculis, aut in horreis, aut in quibusdam terræ locis habent: Christus autem præmia servorum suorum secum semper habet; ab ipso enim procedit modo omnis bonitas sanctorum, ab ipso et in futurum procedet omnis gloria eorum.

(Vers. 13, 14). *Ego sum* A *et* Ω, *primus et novissimus, principium et finis. Beati qui lavant stolas suas, ut sit potestas illis in ligno vitæ, et per portas intrent in civitatem.* Possumus per stolas in hoc loco animas nostras intelligere, et quia assidue peccamus, necesse est ut stolas, id est, animas nostras, orando, vigilando, jejunando, eleemosynas largiendo assidue lavemus. Per lignum vitæ possumus sapientiam intelligere, dicente Salomone: *Lignum vitæ est iis, qui apprehenderint*
Prov. III, 18. *eam, et qui tenuerit eam, beatus.* Potestatem in ligno vitæ, id est, in sapientia habent sancti, quia quicumque sapientiam possidet, potens est ad omnia vitia exstirpanda, ad tentationes dæmonum devincendas, et ad omnia bona opera peragenda, sicut dicit Salomon: *Melior est patiens viro forti, et*
Prov. XVI, 32. *qui dominatur animo suo expugnatore urbium.* Tales ergo per portas intrant in civitatem, per illam videlicet portam, quæ dicit in Evangelio: *Ego sum ostium; per me si quis introierit, salvabitur; et ingredietur, et egredietur, et pascua*
Joan. X, 9. *inveniet.* Possumus hoc et ad futurum tempus referre; per lignum namque vitæ Christus designatur, ut sæpe jam diximus. Sicut enim ex uno stipite ligni multi rami prodeunt; ita et ex uno Christo multitudo sanctorum. Quicumque ergo lavacris spiritalibus, id est, bonis operibus animas suas abluere non cessant,[3] potestatem habebunt in ligno vitæ, 3
quia ejus membra effecti per illum magna poterunt: nam sicut ex uno stipite arboris omnis virtus ramorum procedit; ita et ex uno Christo omnis potestas sanctorum. Per portam autem civitatis possumus accipere misericordiam et clementiam Dei. Hæc est porta, quæ justis aperietur, et injustis claudetur, quia justos intra aulam paradisi misericordia divina recipiet:[4] a qua misericordia impii alieni existent. 4
Ab hac porta fatuæ virgines repellentur, quæ oleum caritatis in vasis suis non habebunt. Matth. XXV, 12.

(Vers. 15). Unde et sequitur: *Foris canes, et venefici, et impudici, et homicidæ et idolis servientes, et omnis qui amat et facit mendacium.* Per canes falsos prædicatores possumus intelligere, de quibus dicit apostolus Paulus: *Videte canes, videte malos operarios, videte concisionem:* et Phil. III, 2.
propheta: *Canes muti non valentes latrare;* et Isai. LVI, 10
iterum: *Canes impudentissimi nescierunt saturitatem, ipsi pastores ignoraverunt intelligentiam.* Ibid., 11
De cæteris vitiis, quæ hic continentur, superius diximus. Omnes ergo qui his vitiis fuerint sordidati, ab illa beatitudine repellentur, et æterna pœna damnabuntur.

(Vers. 16). *Ego Jesus misi angelum meum testificari vobis hæc in Ecclesiis. Ego sum radix et genus David, stella splendida, et matutina.* David radix est universæ stirpis suæ, quia sicut ex una radice multi rami oriuntur, ita et ex uno David magna progenies est exorta. Cum ergo David fuerit radix Christi, eo quod de stirpe ejus Christus fuerit exortus, quomodo Christus radicem se dicit esse David? Christus igitur et radix et filius est David. Radix est David, quia ab ipso David est creatus, sicut et cæteri homines: filius est David, quia ex ejus progenie processit secundum carnem. Qui etiam stellam matutinam se vocat. Stella matutina, quam Luciferum vocamus, recte Christus dicitur, quia sicut illa mane oriens splendorem suum per universum mundum spargit, ita et Christus veniens in mundum, universam mundi faciem illuminavit: qui non incongruenter lucifer vocatur, quia veniens in mundum, lucem secum detulit, qua tenebras hujus mundi exstinxit. De hoc lucifero Job loquitur dicens: *Qui producit luciferum in tempore suo.* Job XXXVIII, 32.
Luciferum in tempore suo Deus Pater produxit, quando Filium suum tempore constituto ad redimendum genus humanum direxit.

(Vers. 17). *Et sponsus et sponsa dicunt:*[5] *Veni.* 5
Sponsus et sponsa, id est, Christus et Ecclesia omnes homines per Scripturas et per prædicatores ad percipienda præmia sempiterna quotidie invitant: *Et qui audit, dicat: Veni.* Audiunt autem non solum illi qui divinas Scripturas intelligunt, sed et illi qui ea bona sciunt, per quæ salvari possunt. Multi sunt vero qui audiunt, id est, qui divina mandata didicerunt: sed non veniunt, quia

[1] Eædem edit., *sordescat adhuc. Non præcipiendo;* cætera ex mss. restituta sunt.

[2] Rom. edit. sola, *citius expleant. Et qui justus est, justificetur adhuc: et sanctus sanctificetur adhuc. Ecce venio,* etc.

[3] Edit. Gill, *bonis operibus abluere;* Rom.,.... *se abluere;* mss.,.... *animas suas abluere.* Infra vero utraque edit., *aperietur, quia justos;* mss. e contrario, *aperietur, et injustis claudetur,* etc.

[4] Edit. Gill., *recipiet. Sequitur: Ego Jesus;* edit. Rom., *recipiet. Sequitur: Foris canes.... et facit mendacium. Ego Jesus.* Verum tantam lacunam omnium mss. reparat auctoritas.

[5] Gill. in textu: *Et sponsus et sponsa, id est, Christus;* in margine, *vel spiritus,* Rom. vero, *Et spiritus et sponsa dicunt: Veni, id est, Christus,* etc. Sed omnes mss. nobiscum faciunt.

ea opere implere negligunt. Qui igitur audit, necesse est ut veniat: et quia jam cœpit venire ad Deum per viam operum bonorum, necesse habet ut et alios secum admonendo pertrahat. *Et qui sitit, veniat;* id est, qui sitit vitam æternam, ad eam per viam bonorum operum venire se debere cognoscat: *Qui vult, accipiat aquam vitæ gratis.*
Ad cap. 12. Hoc superius expositum est.

(Vers. 18, 19). *Contestor omni audienti verba prophetiæ libri hujus: si quis apposuerit ad hæc, apponat Deus super illum plagas scriptas in libro isto; et si quis diminuerit de verbis libri prophetiæ hujus, auferat Deus partem ejus de libro vitæ, et de civitate sancta, et de his quæ scripta sunt in libro isto.* Cum superius præcipiat angelus Joanni, dicens: *Ne signaveris verba prophetiæ libri hujus*, quid est quod idem Joannes in hoc loco maledictione terribili damnat eos, qui ad scripturam libri hujus aliqua addiderint; maxime cum in hoc libro multa inveniantur, quæ secundum litteram inutilia et vana esse videbuntur, nisi eis spiritalis intelligentia adhibeatur, per quæ intelligantur? Verum non de expositoribus, sed de hæreticis hoc dictum esse intelligere debemus: expositor namque nihil addit aut minuit, sed aut obscuritates historiæ exponendo manifestat, aut moralem, aut spiritalem intelligentiam demonstrat. Hæreticos ergo maledicit, qui in Scripturis divinis ad confirmandam hæresim suam quædam falsa apponebant, et quædam detrahebant, quæ eorum hæresi videbantur esse contraria.

(Vers. 20). *Dicit qui testimonium perhibet istorum: Etiam venio cito, amen. Veni, Domine*[1] *Jesu.* Christus dicit: *Venio cito*, Joannes petit: *Veni, Domine Jesu;* et nos adventum Christi multis modis postulare debemus. Postulamus namque adventum ejus in oratione Dominica, quotidie dicentes: *Adveniat regnum tuum*, id est, tempus quod post resurrectionem futurum est, in quo omnes sancti cum Christo sine fine regnabunt. In peccatis jacemus; necesse habemus ut pœnitendo, plorando, orando, abstinendo, eleemosynas largiendo, adventum ejus deprecemur; ut ad nos misericordiam suam impendendo redeat, a quibus malis nostris irritatus discesserat. In tenebris ignorantiæ positi sumus; deprecandus est Dominus, ut veniat, et lumine sapientiæ suæ corda nostra illuminet. Ab invisibilibus hostibus impugnamur; rogandus est Dominus, ut veniat, et ab eis invisibili potentia nos defendat. Visibiles hostes patimur; implorandus est Dominus, ut veniens, patientiam et tolerantiam nobis in adversis tribuat; ut non vincamur a malo, sed vincamus in bono malum. Sunt alii hostes interiores, et multo deteriores, a quibus indesinenter debellamur, avaritia videlicet, gula, libido, invidia, ira, odium, superbia, vana gloria, tumor mentis, despectio proximorum, blasphemiæ, et alii multi, quos longum est ponere. Isti sunt itaque hostes pessimi, qui ex nobis prodeunt, et nobiscum morantur, et jugiter nos debellant. Habent autem et
Matth. vi, 10.

A innumerabilia jacula malarum cogitationum, quibus assidue nos vulnerant. Si ergo interiores hostes deessent, exteriores hostes[2] nihil nobis nocere possent; isti sunt enim proditores civitatis nostræ, et exteriores hostes nullo modo, nisi per istos, civitatem cordis nostri possunt capere. Rogemus igitur Dominum ut veniat, et istos immanissimos hostes in nobis funditus exstinguat,[3] quia nisi exstinguantur, nos salvi esse non possumus.

(Vers. 21). *Gratia Domini nostri Jesu Christi*
B *sit cum omnibus vobis. Amen.* Sit et nobiscum gratia Domini Jesu Christi, et det nobis arma virtutum, quibus muniti, ipso duce atque signifero, et ab interioribus hostibus, et ab exterioribus defendamur, ut vitæ æternæ participes esse mereamur: qui cum Patre et Spiritu sancto vivit et regnat in sæcula sæculorum. Amen.

AUCTORIS ADMONITIO.

C Quisquis[4] nomen auctoris scire desideras, litteras expositionum in capitibus septem Visionum primas attende. Numerus quatuor vocalium quæ desunt, si græcas posueris, est LXXXI. Ecce quanta potui brevitate hunc librum conscripsi. Obsecro autem te, cui dedit Deus scientiam litterarum, et in cujus manibus hic liber ad legendum devenerit, ut non propter fœtidam ac rusticissimam elocutionem sermones hujus libri abjicias: sed imitare potius illum, qui gemmam in sterquilinio repertam
D tamdiu aqua nitida abluit, usque dum ad splendorem pristinum perveniret; ita et tu aqua sapientiæ tuæ ablue imperitiæ meæ sordes, tuisque pulchris et compositis verbis et sermones hujus libri necessarios adorna, quatenus non jam a superbis lectoribus utilitas libri causa rusticitatis abjiciatur. Scio enim quod hæc mea impolita dictatio a multis scientia litterarum tumidis despuetur atque subsannabitur. Indignabuntur etiam contra me, cur ego idiota, et nihil sciens, præsumpserim
E super tantæ obscuritatis librum volumen Expositionis cudere. Quibus respondeo quia sicut terræ sterili amplius proficit aspersio stercoris, quam alicujus metalli pretiosi; ita et indoctis hominibus plus proficit divina Scriptura mediocriter prolata, quam si philosophico aut poetico sermone proferatur: sciantque Dominum nostrum Jesum Christum sacramenta doctrinæ suæ non primo philosophis, sed piscatoribus tradidisse, ut per piscatores venirent ad philosophos. Etenim ille qui dedit asinæ
F sensatos sermones ad corrigendam prophetæ insipientiam, ipse mihi indigno et omnium hominum vilissimo intelligentiam libri hujus ex parte donare dignatus est. Ego autem tractans apud me illud Salomonis: *Sapientia abscondita, et thesaurus invisus, quæ utilitas in utrisque?* simulque considerans grave mihi periculum imminere, si parvissimum thesaurum, quem mihi omnipotens Deus largiri dignatus est, tacendo absconderem; considerans etiam non me esse idoneum ad docenda ea
Num. xxii, 30. Eccl. xx, 32.

[1] Editt., *Jesu Christe. Dicit: Venio cito;* melius mss. ut in contextu.

[2] Eædem edit., *exteriores hostes nullo modo, nisi per istos civitatem*, etc.; mss. vero, *exteriores hostes nihil nobis nocere*, etc.

[3] Ita mss. Editt. autem, *exstinguat, et illis exstinctis, perducere dignetur ad gaudia vitæ perpetuæ. Sequitur: Gratia Domini*, etc.

[4] Isthæc auctoris admonitio prætermissa est in superioribus editionibus: at eam e cunctis manuscriptis, excepto Gemeticensi, cui folium unum avulsum fuit, repræsentamus. Videsis quæ de eadem præmisimus in Admonitionem nostra ad istum librum. — Ita Maurini, quorum sunt etiam omnes præcedentes notæ.

quæ intelligebam, eo quod nullus inveniretur, qui more discipuli, dignaretur verba insipientiæ meæ audire; definivi apud me, ut hanc parvam scientiam, quam mihi divina misericordia contulit, qualicumque stylo prosequerer; ne talentum Domini mei abscondens, cum illo servo damnarer, qui *abiens fodit in terram, et abscondit pecuniam domini sui.* Et quia idoneus non sum ad duplicandam pecuniam Domini mei, trado eam nummulariis, ut ipse veniens, recipiat quod suum est cum usura. Te autem, cui loqui cœpi, nummularium voco, quia sicut nummularius pecuniam incompositam suis superscriptionibus adornat, ut apta sit ad lucra peragenda: ita et tu hanc pecuniam Domini, quam tibi committo, potens es tua sapientia, tuisque compositis verbis adornare; ut apta fiat ad lucra Domini nostri Jesu Christi perficienda; scitoque te mercedem optimam ab ipso esse recepturum, si hic liber, ut puto, Ecclesiæ Dei necessarius, per industriam tuam atque doctrinam sordes dictionum amiserit, tuisque verbis decentibus exornatus, utilior ad ædificationem legentium, sive audientium fuerit effectus. Hoc tamen non permitto, ut sensus hujus libri in alios sensus permutentur; nisi forte, quod absit, aliquid in eo quod contrarium sit veritati, inveniatur: quod funditus esse delendum decerno, vel certe in melius commutandum.

Matth. XXV, 18.

PRÆFATIO
IN LIBRUM DE PŒNITENTIA.

« Hunc librum *de Pœnitentia* e codice Sorbonicæ bibliothecæ in quo nomen Ambrosii tamquam auctoris falso inscribitur, Gillotius primus edidit; sed ita tamen ut ei locum non tribueret, nisi post Opera omnia sancti Doctoris, et eumdem suppositititium esse validis admodum rationibus demonstraret. Ejus autem sunt hæc firmamenta, nimirum quod elocutio sit affectata, et Ambrosianæ prorsus dissimilis; quod eadem illa asperior sit, et quibusdam verbis, quæ africanum scriptorem referant, passim aspersa; quod Ambrosius nonnisi duorum librorum *de Pœnitentia* abs se editorum mentionem faciat; quod hujus Auctor nullam fecerit Novatianorum, denique quod idem Auctor sibi Victoris nomen fuisse in calce libri aperte prodat. Satis quidem erat ultimum hoc momentum, ut hic tractatus ab Ambrosio alienus esse declararetur, sed ut cognoscatur quis ille Victor, solum non sufficit. Memoratus Gillotius cum ex Gennadio ac Trithemio compertum haberet a Victore Cartennæ in Africa episcopo librum *de Pœnitentia* fuisse compositum, non alii Victori hunc tribuendum existimavit: quam sententiam, utpote veritatis colore haud destitutam, postmodum amplexi sunt non pauci. Verumtamen opinio ista demum evanuit, postquam sagacissimus ille veterum codicum indagator Sirmondus hancce opellam Victori Tunonensi etiam in Africa pontifici in manuscripto B. Mariæ Remensis, et in alio abbatiæ Herivallensis ascriptam legit, quemadmodum Labbeus testificatur. De codice quidem Herivallensi, quem non licuit nobis videre, nihil dicimus: at de Remensi, ad quem hunc librum emendavimus, lubentissime Sirmondi testimonium nostro prosequimur. Hæc enim ibi exstat inscriptio: *Incipit liber sancti Victoris de Lapsis Tonensis episcopi historiographi;* nam quod *Tonensis* non *Tunonensis* ibidem scribitur, notario sine dubio imputandum est: quod vero etiam additur *historiographi,* illud inde est, quod chronicon ab eodem elucubratum ad posteros transmissum fuit ». Hæc libro præmonuerunt Maurini Editores, quibus et notæ omnes in acceptis habendæ sunt, quæ ipsum comitantur.

DE PŒNITENTIA
LIBER UNUS.

CAPUT I.

Pœnitentiæ officia et merita narraturus mihi, frater carissime, puto non verbis esse, sed factis opus. Res enim salubris ac necessaria non tam dicenda est, quam docenda: quæ totum habeat insitum amaritudinis actum, fructum perfert in effectu dulcedinis; et hæret faucibus, cum cordi impertit salutare remedium. Pœnitentia, inquam, est prioris ævi damnatio, et in futuro promissa correctio: et velut in aliam vitam ducitur usus vivendi, dum pia mens, ea quæ sunt a tergo, non respicit. Hanc non ita dictis doceo, sicut gestis exerceo: et quamvis justi persona non competat, me tamen in initio mei sermonis accuso. Habet enim justitiæ partem errati cauta confessio, quia licet, ut tu doces, Dei sit punire commissa, sententiam tamen cognitoris prævenit in humilitate exercita pœnitentia; scriptum est enim: *Pœnitentibus dedit partem justitiæ, et corroravit deficientes sustinere, et destinavit illos in sortem veritatis.* Age igitur, pœnitens, propria scelera confitere, pande Deo tuæ iniquitatis arcana, denuda secreta pectoris tui, et amove internæ prævaricationis operculum. Nota sunt Deo cuncta, quæ in occulto fecisti: quæ si non dixerit lingua, non potest celare conscientia. Frustra te latenti consolatione deludis, et absconsum putas esse posse, quod sine teste commiseris. Patet Deo omne quod clausum est, et in aperto lucet quidquid nox abstrusæ cogitationis intenebrat. Reum te tibi officio confessionis institue, causam tuam in conspectu

Eccl. XVII, 20.

tuo, temetipso accusante, compone: dicta in te sub severitate sententiam, antequam judicis sentias iracundiam: et ut mulgeas misericordiam, exerce prior in teipso censuram. Crede mihi, totum quo suspectus es, fit illico veniabile, cum inventa fuerit in te hujusmodi pœnitudo justitiæ, Scriptura dicente: *Pœnitentibus autem dedit partem justitiæ, et corrogavit deficientes sustinere, et destinavit illos in sortem veritatis.* Exspectat ecce Dominus confessionis munus, si confitentem non involvit reatus; et cum sit nota divinis sensibus hominum conscientia, mavult lingua prodere, quod non possunt occulta cordis celare. Pœnitentia itaque est, quæ uno actu diversa officia congeminat; hinc enim publicat confitentem; inde confessum revocat innocentem: hinc reatum nundinat; inde crimen excusat: hinc objicit propius peccata peccanti; inde indulgentiam exigit pœnitenti; nec permittit Dominus puniri confessum, qui pœnitentem noscit revocare damnatum. O magnificum bonitatis divinæ thesaurum! o singulare clementissimi judicis institutum! Ad hoc de reis vult confessionis exsculpere vocem, ut non inveniat, quod ultum iri debeat: et cum apud sæculi judices confessus mox dirigatur ad pœnam, apud Dominum confitens statim pergit ad veniam: nec hoc ullis elicit de confitente tormentis, cum patiens in semetipso officium videatur exercere terroris. Lucra sunt enim pii judicii gemitus confitentis, et gaudium cognitoris est sine quæstione confessio: acquiritur Domino, quod non punitur in servo;[1] et multum confertur auctori, si deputatus pœnæ, veniæ condonetur. Cupit enim damnum esse vindictæ, quod non vult perire clementiæ; nec optat ulcisci, qui paratus est misereri, ipso de se per prophetam dicente: *Nolo mortem morientis, quam ut revertatur, et vivit.* Ezech. XVIII, 22. Quibus Sapientia concinens Salomonis, *Deus,* inquit, *mortem non fecit, nec lætatur, in perditione vivorum.* Sap. I, 16. Judicis ergo nostri clementia non optat reos perire vitæ, sed perire sententiæ: nec desiderat morientis exitium, sed festinat magis servare confessum: *Nolo,* inquit, *mortem morientis, sed ut revertatur, et vivat.* Ecce verus vitæ auctor, qui non vult morientis mortem, sed lamenta conversi; et vult se semper in miseratione esse beneficum, ne justitia teneat judicatum.

CAPUT II.

Damnum ergo in moriente experitur qui in
2 uno perdito[2] non lætatur, quia in donatore vitæ necesse est ut ex morte veniat causa tristitiæ, non quasi ex corporalium sensuum lege descendat, quod eum in perdito ac moriente contristat; cum in auctore incorporeo non cadat omne, quod venit e corpore: sed cum nullam capiat ex pereuntis morte lætitiam, tristitiæ actus in promptu est; ut sit miserantis affectio, non dolentis anxietas; et
3 decurrens ex pietate tristitia,[3] non de passione ulla externa perpessio. Consequens ergo est ut doleat perditum, qui gaudet inventum; et non lætetur ex mortuo, qui gratulatur ex vivo. Hoc per parabolam Dominus in Evangelio manifestat dicens:

A *Gratulari autem et gaudere te oportet; quoniam frater tuus mortuus fuerat, et revixit: perierat, et inventus est,* et iterum: *Sic erit,* inquit, *gaudium in cœlo coram Patre vestro et Angelis ejus super uno peccatore pœnitentiam agente.* Luc. XV, 32. Ibid. 7. Unde per Esaiam prophetam Dominus provocat pœnitentem, dicens: *Ego sum qui deleo iniquitates tuas, et non rememorabor: tu autem noli oblivisci, et judicemur. Dic tu prior iniquitates tuas, ut justificeris.* Isai. XLIII, 25. Quid, oro, hac sponsione ju-
B cundius? quid potest hoc invitamento dulcius inveniri? provocare judicem, dicere adversum se reum pro se, non ut puniat, sed tu absolvat: non ut animadvertat in confessum, sed ut justificet a se ipso convictum? Ego autem non memorabor, tu autem noli oblivisci; hoc est dicere: Non remanebit penes me memoria facti tui, si tu proprii non obliviscaris errati: et delebitur infamia criminis tui, si ejus recordatione compulsus, non cesses meis auribus confiteri. Vides ergo Deum in flagitia
C peccatoris intentum, si nullum pœnitentiæ existat officium: et imminentem cervicibus rei iram justi judicis, cui non placuerit gemitus confitentis: illa autem in oblivionem ducere, quæ tu non quiveris publicare: et aboleri criminis notam, si non vulneres silentio conscientiam. *Ego sum,* inquit, *qui deleo iniquitates tuas, et non rememorabor: tu autem noli oblivisci.* Nullum voluit esse temporis punctum, nullum momenti momentum, quo in pectus tuum irrepat oblivio peccatorum: sed ut ex-
D secretis quæ ante commiseras, non ut pristinorum oblectatione capiaris; et sit in te non ex desiderio præteritorum, sed ex doloris recordatione suspirium. Casum tuum semper ante oculos proponas et lugeas, et funera tua momentis omnibus plangas, mortuum te jugiter sentias, moriturumque sine dubitatione cognoscas. Hæc Dominus non imputabit ad pœnam, sed detorquebit ad gloriam: et ita memorabitur tui, ut obliviscatur eorum, quæ ante in peccatis egisti, præbiturus tibi pro temporali
E luctu æterna atque infinita solatia; cum peccata tua evaserint impunita, ipso dicente: *Beati qui nunc lugent, quoniam ipsi consolabuntur. Tu autem noli oblivisci, et judicemur.* Matth. V, 5. Interea judicemur, ait. An numquid Dominus judicabitur, qui dicit, ut cum peccatore judicetur? Absit. Judicemur, inquit, tu confitens, ego dimittens: tu offerens debita, ego donando peccata: tu dicens iniquitates tuas, ego te absoluta pietate justificans. Denique vide quod sequitur: *Dic tu prior,* inquit,
F *iniquitates tuas; ut justificeris,* non ut condemneris; Isai. XLIII, 26 ut maneat in te præmium conversi, non confessi supplicium; ut judicium tecum comitetur justi, non nota damnati. Et tunc carebis cunctis iniquitatibus tuis, cum adversum te testis et accusator exstiteris. *Dic tu,* inquit, *prior iniquitates tuas, ut justificeris.* Sed numquid tamquam ignorans provocat te, frater, ut confitearis iniquitates tuas, qui scit antequam fiant? et tamquam nescius ex te optat audire, qui necdum natos solet ex præ-
G scientia judicare? Aut nescis in utero sanctæ Rebeccæ geminum partum uno tempore conceptum, eodemque progenitum, præscientiæ notione retulisse judicium disparium meritorum?

[1] Editt., *quod non punitur inferno;* ms. Rom.,... *in servo.*
[2] Codex Rem., *qui in vivo perdito.*
[3] Sic editt. et Sorb. mss.; Rem. vero, *et decurrens expiata tristitia.*

CAPUT III.

Vult ergo te magis nosse quid agatur in te, ut cum exponis medico vitium tuum, necessarium tibi propinet antidotum; tunc enim poteris perfectum consequi beneficium medicinæ, si non celes medico tuæ vulnera conscientiæ. Cæterum qualiter curandus eris, qui ea quæ sunt in te absconsa non pandis? Opinor enim, nisi interpelletur medicus, non curatur ægrotus. Expectat ergo diu sibi ostendi doloris tui causas, ut medicinæ remedium jam curatus intelligas; quid enim medico debeatur, justa æstimatione pensabis,[1] si morbum tuum in te ante cognoveris. Et ut pluribus te non teneam, confessio tua pœnitens medicina est, ipsa te curat, ipsa te vivificat; nec patitur vulnus tuum tenere putredinem, sed mox ut ingemueris, superinducit inde nodabilem cicatricem.[2] Hodie si quisquam te morbus corporalis afficiat, et sentias artus tuos intestino gravari languore, aut vulnus tuum intelligas tabo et sorde putredinis cancerare, statim curris ad medicum, quæris de arte remedium, excubas ante januam dormientis, et ante fores ejus matutinus salutator assistis; precibus orare, dona promittere, munera offerre, et totum patrimonium pro tua cupis sanitate prodere: et cum plerumque imperitia ejus aut gravetur languor, aut certe in longa tempora differatur; nihilominus tamen in observatione assidua perseveras: et homo ab homine speras tarda remedia, nec desperas adjutorium profuturum, cum adhuc non sentias corroborationis effectum; et non curris ad Deum tuum gratuitum medicum, ad ultroneum pigmentarium, qui in curandis animæ tuæ valetudinibus nullum novit pati fastidium, nec exspectat ex sanitate tua præmium, sed magis desiderat præmio munerare curatum. Et utique temporalis medicus hoc solum curat, quod ad corpus attinet; cæterum Deus animam sanat, quam peccata convulnerant: et ille profert ad præsens profutura remedia, hic autem adhibet perpetuam medicinam. Et tamen homo nec se ipsum potest juvare medicus, nisi subvenerit Deus; nam incassum laborat plerumque astutia medicinæ, si Deus ægroto vivendi tempus noluerit prolongare. Quos nec sibi videbimus nonnumquam posse succurrere, cum præventi corporalibus vitiis fraudantur beneficio sospitatis. Nullum ergo beneficium medicinæ erit, quando medico ipsi medicina non subvenit. Nemo te, crede mihi, melius reficit, quam qui fecit: nec alius justificat, nisi qui flagellat, et curat. Solus novit operis sui sarcire rupturas, et limi nostri quassatam speciem in status pristini substantiam reformare, ipso per prophetam dicente: *Sicut lutum figuli, sic vos estis in manu mea.* Neque hoc ipsum aliquo intervallo temporis operatur: mox ut dixeris vitium tuum, illico impertit et adjutorium: imploranda subsidia et conferenda remedia nullum propemodum tempus intervenit: hoc tantum exspectat, ut fatearis; mora non erit, ut saneris. *Dic tu,* inquit, *prior iniquitates tuas, ut justificeris.* Hoc per Ezechielem prophetam idem Spiritus repromittit injustis: *Impius quacumque die conversus fuerit ab injustitia, et justitiam fecerit; ipsa die peribunt omnes injustitiæ ejus: in sua injustitia quam fecit, non morietur:* et alibi: *Cum conversus fueris, et ingemueris, tunc salvaberis.*

Jerem. XVIII, 6.

Ezech. XVIII, 27

Isai. XXX, 15

CAPUT IV.

Sed forsitan dicas: Non habeo conscium, et nulli omnino manifesta sunt quæ commisi. Quid ergo, si non habes conscium, saltem nescis præscium Deum conscientiæ tuæ inevitabilem conscium? Et si facta tua nemo hominum novit, nempe Deus facta tua et adhuc futura prænoscit. Quid enim non videt, qui ubique et totum videt, ipso ad Job dicente: Quis putet aliquid me latere? Da mihi locum, in quo non sit Deus,[3] qui totus est occultus; et eris in factis tuis et tu, sicut arbitraris, occultus. Sed Deus ubique est, et totus in toto est, ipso dicente: *Cœlum mihi sedes est, terra vero scabellum pedum meorum;* et: *Cœlum et terram ego impleo.* Unde et beatissimus propheta David, *Quo ibo,* inquit, *a Spiritu tuo, et a facie tua quo fugiam? Si ascendero in cœlum, tu ibi es: si descendero in inferos, tu ibi venies. Si recepero pennas meas directas, ut inhabitem in novissimo maris; etenim illuc manus tua, Domine, deducet me, et continebit me dextera tua.* Frustra ergo dicis non habere te conscium, cum audias Deum totum ubique, et per omnia majestatis suæ ambitione diffusum, cui sit notum quidquid putatur absconsum. Sed non habeo, inquies, conscium. Hoc recte dixisses, si exemplum Cain parricidarum principis non haberes. Persuaserat ire secum in campum pio fratri parricidalis impietas, et nihil de fratre se custodire æstimans rudis adhuc et nova germanitas, præceptis ejus bono simplicitatis obtemperat. Gradiuntur uno pariter comitatu ambo germani, et parricida infaustus ad perficiendum nefarii sceleris cogitatum quasi locum elegit sine teste. Quasi vero si sibi hominem conscium non haberet, latere aliquid Dei oculos potuisset: aut celare posset studio solitudinis, cum nihil obtutibus celetur Auctoris. At ubi infandi facinoris artifex primitivus aptum judicavit locum perpetrando flagitio, insiliit in furorem, et patientissimum fratrem ac minime repugnantem, diabolo instigante, interfecit. Res quidem in effectu evidens erat, sed quantum Cain ratus fuerat,[4] sine conscio admissa latebat. Et credebat crudelissimus hominum sine teste aditum crimini non fateri, cum ob hoc ipsum crimen agnosceret, quod occultare cupiebat. Sed ecce rerum Dominus, cui quidquid absconsum putatur, in promptu est, et quem non potest latere quod in cogitationum occultis agitur, Scriptura dicente: *Cogitatio hominis confitebitur tibi;* et iterum: *Imperfectum meum viderunt oculi tui, et in libro tuo omnes scribentur;* et iterum: *Scrutans corda et renes Deus.* Unde idem propheta David, *Cogitationes,* inquit, *meas a longe vidisti,* parricidam voce indignantis appellat. Et sciens ferocis facti atrocem spiritum quem gesserat, ne-

3

Ps. CXXXVIII, 7 et seq

3

Ps. LXXV, 11

Ps. CXXXVIII, 16

Ps. VII, 10

Ps. CXXXVIII, 2.

[1] Rem. codex et Sorb., *juxta æstimationem pensabis.*

[2] Editt. et cod. Sorb., *inde notabilem cicatricem;* melius cod. Rem., *inde nodabilem cicatricem.*

[3] Gill. et cod. Sorb., *qui totus est occultus, et erit in factis tuis, ut tu arbitraris, occultus;* in margine autem e regione prioris *occultus* ponit, *fortasse oculus,* quam conjecturam in textum admisit Rom. edit. Nobis vero potior visa est lectio Rem. ms.

[4] Editt., *enim ratus fuerat;* Rem. codex, *Cain ratus fuerat?* Infra vero ubi Gill. cum Rem. cod. et Sorb., *aditum crimini non fateri;* edit. Rom. ex Gill. margine, *aditum crimini non patere.*

gaturum; ut reatum cumularet impii parricidæ, simulat se veluti quod admissum fuerat, ignorare. *Et dixit,* inquit, *Dominus ad Cain: Ubi est Abel frater tuus? Et dixit Cain: Nescio, numquid*
Gen. IV, 9 *custos fratris mei sum ego?* O insaniam detestabilem! o audaciam singularem! Fidus negat, quod sine teste commiserat: et credidit sine conscio
1 crimen publicari non posse, cum ipso negotio[1] reatum magis proderet conscientiæ. Quid agis, Cain infelix? Non habes ullum hominem testem: ecce habes effusum sanguinem proditorem: ipse te publicat et accusat. Vox ejus adversum te interpellat Auctorem, et facit cruor diffusus invidiam, ne latentem prætereat ultio parricidam. *Quid,* inquit, *fecisti? Ecce vox sanguinis fratris tui clamat ad*
Ibid., 10. *me de terra.* Verum ubi parricida sensit proditum quod putabat occultum, et sanguine teste convictus, frustra finxisse contumaces insidias, facinus confitetur: exoptat in se acrius dictari judicium, cum excusare non posset conscientia parricidium perpetratum. Sed differtur interim severior pœna, ut tanti facinoris auctorem diutius trucidaret lenta sententia, nec celeritas irrogati supplicii compendium magis videretur addicti; et fieret pœnali
2 diuturnitate longævum,[2] quod latrocinii moriendi extenuaret facinus parricidii. Quid ergo tibi super eo blandiris, quod non habeas conscium; cum videas testimonio sanguinis innocentis Cain fuisse convictum pariter, et punitum?

CAPUT V.

Sed conscium, inquies, non habeo, qui mea facta divulget. Rogo, dicas mihi, si non habes conscium, non habes conscientiæ testimonium? aut te ipsum potes effugere, et conscientiam declinare? Conscientiam, inquam, apud quam non moritur omne quod gerimus, quæ nos in factis nostris accusat et judicat: quæ cum non habeat loquendi usum, nescit tamen tenere silentium. Potest conscius morte subduci, potest tibi ad tempus prodesse te-
3 stis absentia:[3] hæc tecum semper est, et sine te non est: hæret pectori, nec umquam te deserit; et velut quædam pedissequa nullo abs te temporis intervallo discedit: tenet te reum, et in sua semper ditione captivum. Si quando mentem tuam lætior secundarum rerum actus avocarit, et sensus tuos cœperit facti delectatione jucunditas; subito te illa stimulat, illa medullitus pulsat et interpellat sensum, interrumpit gaudium, et totam pectoris regionem mœstis suspiriis inquietat: et quasi vulnerata opprobrio teneatur, non invenitur homini remedium, quo curetur; semper enim offenditur, cum alius castigatur, et in alieno vulnere primo ipsa percutitur. Deinde vis nosse quanta sit severitas conscientiæ? Potest tibi conscius auro corrumpi, potest pecunia comparari: conscientia nihil corruptionis admittit; manet integrum ejus testimonium tota fidei firmitate vallatum. Quin etiam adversus conscium conducitur patrocinium, et de-
A fensionis ingenio argumenta versutiæ conquiruntur, et testimonii veritas loquelæ impudentis calliditate pervertitur: judex quoque redimitur, ut facti qualitas excusetur. Vacant hæc omnia, ubi interest conscientia:[4] et cum homo moriatur, conscientia 4
certe non moritur, quæ post mortem corporis in anima judicatur. Et putas prodesse tibi te non habere conscium cum conscientiæ quotidianum sentias perpetuumque judicium? Sed plane eum non comitabitur ultio divina, quem propria judi-
B caverit conscientia; vacet enim ibi necesse est potestas judicis, ubi conscius sibi reus adversum se testis et accusator exstiterit. Nam proculdubio geminabitur causa peccati, si contumax conscientia facta sua noluerit confiteri; tunc enim ex peccatore fit impius, qui in peccatis suis fatendis exstiterit induratus; ut et flagitia perstringat digna sententia, et contumaciæ pœnas luat pervicax conscientia. Frangitur enim commotio judicis, ubi pœnitudinis et severitatis enixa districtio confes-
C sionis oppugnatione lenitur: depromptum indignatione judicium satisfactione percellitur, et comminantis intentio orationis humillimæ verecundia temperatur. Hoc ex Ninivitis addisce, quorum confessione deleta est jam dicta sententia, et aversa imminens ira, ne inanis fieret confitens pœnitentia. Pendebat super miseram civitatem cœlitus jam vibrata sententia, et animadversionis divinæ securis cervicibus infelicium perurgebat. Jam productus fuerat cœlestis gladius e vagina, et in ultione
D perpetratorum criminum vehemens ira fervebat. Vox præconis interitum populis minitabatur, et denuntiabat cunctis proximum perituris prophetæ clamor exitium: *Post triduum;* inquit, *et Ninive civitas subvertetur.* Heu quid de Deo exigitis scelera, quid peccata mercamini? Ipsam Dei nostri clementissimam prævenistis pietatem, de quo tam propinquam et ante tempus exegistis ultionem. Videre itaque videor quanta miseros arctabat angustia, et qualis perstrinxerit in tremore neces-
E sitas. Consilium metus amiserat, remedium desperatio non habebat; ita enim fuerat temporis præcipitata celeritas, ut ne spatiis quidem attributa diram suspicionem criminis relaxaret. *Post triduum,* inquit, *Ninive civitas subvertetur.* Et quæ- Jonæ III, 4.
nam futura erat illa subversio, quæ indicitur perituris? Non utique hostilem significabat incursum, non armorum strepitum nec clangorem terribilem buccinarum; quibus forsitan poterant resistentium obviare tutamina,[5] aut præliis promulgatis partium 5
F conferri certamen, aut fugæ præsidiis sortem projicere captivorum: sed divinæ indignationis et vindictæ cœlestis interitus prædicatur, cui puniendus nec fuga subducitur, nec bellicis artibus defendendi cura datur. Quis enim posset irrogatum exitium declinare, quod ætherius fragor incipiebat effundere?

CAPUT VI.

At ecce miseros non deserit in pavore consilium, et invenit remedium ex periculo desperatio.

[1] Rom. edit. ex margine Gill., *cum ipsa negatio.*

[2] Ita Rem. codex ac Gill. in corpore, nisi quod scribit longævior: idem vero in marg., *pœna diuturnitate longævior, quod lentitudine moriendi æstimaret facinus parricidii:* quam lectionem Rom. edit. amplexa, *extenuaret* tamen retinuit.

[3] Mss. Sorb. et Gill., *prodesse testis conscientia. Nec rectum superest;* in marg. autem, *prodesse. Testis conscientia et tecum semper est;* Rom. edit., *prodesse testis. Conscientia vero tecum semper est.* Sed locum optime restituit Rem. codex.

[4] Edit. Gill., *ubi conscientia: et cum homo,* etc.; in margine autem idem admonet videri deesse verbum *condemnat;* cujus tamen loco Rom. edit. posuit *vulnerat.* Nos porro cod. Rem. secuti sumus.

[5] Edit. Gill. ac Rom., *obviare agmina:* Gill. autem in marg. ac mss. Rem. et Sorb. in corp., *obviare tutamina.*

Ad se ipsos redeuntes conscientias suas vice judicantis interrogant, currunt ad propugnaculum pœnitentiæ, et confessionis scuto opposito declinant sagittam. Itur ab omnibus in curationem criminum fatendorum, et in satisfactionis officium exposita morti turba conspirat. Indicunt sibi necessarium perituri jejunium, in ipsis corporibus animas humilitatis flagello castigant: induunt pro veste cilicium, et pro unguentis cinere se aspergunt, ac prostrati humo pulverem lambunt. Mortem suam lacrymis funerant, et vitam plangimoniis prosequuntur: reatum suum gemitibus publicant, et actuum suorum pandunt arcana facinora. Omnis ætas et sexus indiscrete lugubribus se aptat officiis: depositus omnis cultus, dejectus ornatus; sed plane illæ sordes corporis ornamenta fuerunt pœnitentiæ, et virtus habitudinis summum fuit decus confessionis. Negata quoque sunt ipsis alimenta lactentibus, et ætas necdum propriis peccatis infecta, onera sustinuit aliena. Cibum suum mutum pecus esurivit, et naturalia pabula brutum animal non accepit. Unus audiebatur per mœnia civitatis ejulatus disparium naturarum, et per omnia tecta urbis flebilia resonabant lamenta plangentium; et ut semel dixerim, terra mugitus confitentium sustinebat, sed et astra ipsa voce pœnitentiæ personabant. Impletum est quod scriptum est: *Oratio humiliantis se nubes penetravit.* Denique sic placavit offensum Deum, sic mitem fecit rigidum, sic demulsit iratum, et mucronem ultionis in techa recondidit, quia conscientia de se judicium judicavit. Eripuit reos pœnæ confessio, et vindictæ jam deditos pœnitentia sibimet vindicavit. Deletum est statim condemnationis elogium lacrymis confitentium, et absolvit obnoxios pœnæ astipulatio confessa de crimine. Vidit pius Deus tulisse in se judicium pœnitentes, et errata suæ conscientiæ ea astipulatione damnantes continuo donavit veniæ, quos destinaverat pœnæ, et illico pepercit afflictis, ut exempti supplicio lucra fierent pietatis. Probatum est testimonium prophetiæ, quod in superioribus paulo ante disposuimus: *Ego sum qui deleo iniquitates tuas, et non rememorabor: tu autem noli oblivisci, et judicemur. Dic tu,* inquit, *prior iniquitates tuas, ut justificeris;* et iterum: *Cum conversus fueris, et ingemueris, tunc salvaberis;* et iterum: *Convertimini ad Dominum Deum vestrum; quia misericors et pius est, patiens et multæ misericordiæ, et qui sententias flectat adversum malitias irrogatas.* Unde et beatissimus David, *Peccatum,* inquit, *meum ego scivi, et iniquitatem meam non cooperui. Dixi, confitebor adversum me injustitiam meam Domino, et tu remisisti iniquitatem peccati mei;* et iterum: *Quia iniquitatem meam ego scio, et peccatum meum coram me est semper.* Vides ergo quotidiano in se peccanti opus esse judicio, quo cum nudatur conscientia,[1] operitur; et cum publicatur, operitur. Et licet notum sit Deo omne quod gerimus, nec occultetur sensibus ejus, antequam fiat; mavult tamen cordis tui nudare secretum, et facinora prodere conscientiæ, ut indulgentiæ suæ dono operiat turpitudinis nuditatem. Quomodo vult spoliatum venia dimittere confitentem? De talibus Propheta beatissimus cecinit dicens: *Beati quorum remissæ sunt iniquitates, et quorum tecta sunt peccata.* Quamquam hoc evidentius pertinet ad renatos, quorum et iniquitates et crimina baptismo operiuntur et teguntur; fidelem enim veniæ locum tenet non infida confessio, et in tuto est pœnitens conscientia, si indulgentiæ remissionem non dubitet.

Eccl. xxv, 31. Isai. xlii, 25. Isai. xxx, 15. Joel. ii, 12. Ps. xxxi, 6. Ps. l, 5. Ps. xxxi, 1

CAPUT VII.

At e contrario peccati cumulus erigitur, si quod admittitur, id negatur: quod in facto Cain supra memoravimus, qui dum putavit Auctori suo facinus abnegare, se ipsum pœnæ non est remissus eximere; ut conscientia in facti sui atrocitate publicum frustraret ei ex negatione fructum pœnitentiæ. Negans enim est convictus, non ex voluntate confessus, et punita est in scelere contumacia, quia interrogationem non subsecuta est confitens pœnitentia. Libet igitur pedetentim hic illius vindictæ septemplicem aperire rationem, et quænam causa coegerit tam duram coacervari sententiam, evidentis rei probatione monstrare; ne enormitate vindictæ pateat ad suspicionem injustitiæ via calumniæ: quamquam novi sceleris inventum vehemens debeat comitari supplicium, quod longioribus esset posteris in exemplum. Errat enim, qui putat uno teneri crimine parricidam, cum ejusmodi sceleris testimonio constipata sint omnia facinora; audio enim Dominum dixisse: *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, et ex tota virtute tua: et diliges proximum tuum tamquam te ipsum;* unde in his duobus mandatis tota Lex pendet et prophetæ. Cum ergo duobus his præceptis pendeat omne quod Legis est, videamque Cain nec Deum dilexisse, cujus primum fabricam violavit; et germanum vehementer odisse, quem instinctu impietatis occidit: apparet illum adhuc munus solvisse vindictæ, in cujus facto cuncta inveniuntur crimina convenire. Et jure in illo exertum septiforme supplicium, in quo universa tenebant scelera principatum. Et tamen specialiter septem in illo deprehendo flagitia, quibus singulis singula sunt deputata tormenta; primum enim crimen est, quia non recte divisit: hoc est, de primitivis terræ fructibus primo comedit, antequam obtulit; secundum est, quia cum muneris sui dignum videretur accepisse repudium, contumacem concepit spiritum; et cum nulla rejectæ oblationis culpa pii fratris existeret, quasi vindicandum se infaustus credidit de Auctore, si pro hoc fratrem Deo probatum videretur occidere: tertium crimen est, quod invidiæ felle suffectus, et livoris amaritudine venenatus, innocentissimum zelavit truculenta animositate germanum: quartum est, quod dolo fefellit obsecundantem sibi, ut pariter comitarentur in campum, quo justus initiaret sub ovis simplicitate martyrium, parricidio terram macularet injustus: quintum est, quod fratrem nefarius crudelitatis auctor occidit: sextum, quod cum scelus perficeret, insuper et negavit, et putavit Deum alicujus facti ignarum, quem conscientiæ suæ secretum multasse persenserat; cum competens retulisset in oblationis suæ reprobatione repudium: septimum crimen est, quod post mortem se non credidit proditus, parricidio puniri, cum ob infamiam criminis publicati

Matth. xxii, 37 et seq.

[1] Ita codex Rem.; edit. vero Gill., *quo cum conscientia operitur;* in marg., *forte operitur;* quæ conjectura in Rom. edit. textum admissa fuit: abest autem etiam ab illa τὸ *nudatur.*

ad præsens tempus sese postulavit occidi. Merito ergo in Cain septuplum vindicatum est, in quo totidem prærogata sunt tormenta, quot crimina. Cui tantæ inflictæ sunt plagæ, quantæ numerantur et causæ; ut nec justitia modum ultionis excederet, nec numerum criminum vindicta competens præteriret. Quod idcirco iterum posui, ne insinuatæ expositionis præteriret occasio.

CAPUT VIII.

Jamdiu me a proposito inchoati operis sentio deviasse, et in aliam detorsisse partem cursum celerem dictionis: sed facilis est ad omissa recursio, et cito repetitur trames declinatæ materiæ, cum a finibus ejus interjectæ probationis non exorbitat argumentum. *Peccatum ergo,* inquit, *meum scivi, et iniquitatem meam non cooperui. Dixi, confitebor adversum me injustitiam meam Domino, et*
Ps. xxxi, 6. *tu remisisti iniquitatem peccati mei;* et iterum:
Quia iniquitatem meam ego scio, et peccatum
Ps. l, 5. *meum coram me est semper.* Hoc non solum verbis docuit, sed et factis implevit; quia non sufficit ad consummationem sapientiæ spiritalis verbis præferre virtutem, nisi doctrina ornetur ex rebus; tunc enim demum tribuitur competens auctoritas magisterio, si proprio innititur exemplo. Denique Dominus in Evangelio, *Qui fecerit,* inquit, *et sic docuerit, maximus vocabitur in regno cœ-*
Matth. v, 19. *lorum;* ut et facto doctrina firmetur, et factorum fides ex doctrina accipiat testimonium. Alioquin non erit nixis viribus fundata doctrina, quæ verborum phaleris gloria virtutis abutitur; erit enim facundiæ locuples lingua, non erit plena operum divitiis conscientia, et privabitur merito suo, qui privilegio fruitur alieno. Videamus ergo qui gesserit, qui ista cantavit. Uno igitur tempore duo regi peccata subrepserant, et pellexerat principem in facinoris perpetrationem regni licentia; cum enim vult adulterium cooperire crimen incidit homicidii. Perfecit tamen utrumque non violentia regii stemmatis, nec ambitione potestatis, quia licet de incesti licentia descenderet adulterium, tamen non ex odio fuerat homicidium perpetratum. Mittitur ergo a Domino propheta, qui apud eum causas adulterii et cædem peroraret occisi, et sub quodam colore compositæ fabulæ eliceret de nesciente judicium. Sed ubi propheta quod proposuerat, explicuit, fert ille commotus indesignatam in se sub veritate sententiam, et disceptator ignarus in se ipsum exerit ultionem. Porro ubi præventus cognitor, proprio se vidit perstringi judicio, et reum se sibi examinator justissimus approbavit, nec pœnam sensit vitare posse judicii, in quo judex ipse detinebatur conditione damnati; arripit saluberrimum in tanta rerum necessitate consilium: et cum non posset ad justitiam judicii provocare, confugit ad secretarium pœnitentiæ. Peccatum suum proditum scivit, et iniquitatem suam nulla negationis nube contexit: dixit adversum se protinus testimonium, et voce confessionis emissa, statim adeptus est veniam peccatorum: *Peccavi* enim, inquit hic, *Domino.* At ille propheta non interposuit absolutionis moras, non effectuum distulit remittendi: repente ut manifestatus reus confessionem dedit, indulgentiam criminum ex Dei voluntate deprompsit dicens: *Dominus abstulit peccatum tuum.* Impletum est illud, quod in psalmo II Reg. xii, 13
cantavit dicens: *Peccatum meum scivi, et iniquitatem meam non cooperui. Dixi, confitebor adversum me injustitiam meam Domino, et tu remisisti iniquitatem peccati mei.* Ps. xxxi, 5.

CAPUT IX.

Aliud quoque in sancto David pœnitentiæ aperiamus exemplum; ita enim rex hic egregius vitæ imitabilis instituto,[1] divinis se cultibus fideli servitio mancipaverat, ut relinqueret nobis suorum morum non exempla, sed monumenta. Contra interdictum namque populum numerari mandaverat, et voluerat nosse cuncti exercitus quantitatem. Obsecundatum est voluntati regali, et renuntiata est totius agminis dinumerata collectio, atque inclyte cœpit scire, quod nocuit: felicitatem suam popularibus extulit incrementis, et lucra multiplicati exercitus inter principalia gaudia numeravit. Mox ad eum alius propheta dirigitur, et non ei, ut primo actum est, subtiliter peccati causa prætenditur: sed jam pro facto proponitur pœnalis electio:[2] *Et factum est verbum Domini ad Gad prophetam, dicens: Vade ad David, et loquere: Hæc dicit Dominus, tria ego tollo in te, elige tibi unum ex ipsis, et faciam tibi. Et venit Gad ad David, et nuntiavit ei, dicens: Elige tibi quid fieri velis e tribus, sive famem triennio super terram, aut tribus mensibus fugere te a facie inimicorum tuorum, ut ipsi persequantur te, aut tribus diebus fieri mortem in terra; et nunc scito, et vide quid respondeam ei qui misit ad te verbum.* Quænam ergo est nunc in animo ejus II Reg. xxiv, 11 et seq.
versata pugna consilii? Quæ cogitationis fuit in electione turbatio? Hinc inimicorum metus, hinc famis vastitas, inde divinæ animadversionis plaga terrebat. Nihil horum vellet incidere, sed offensa non poterat inulta remanere. Inter ipsas tantum electionis angustias, cum utriusque periculi vallaretur articulo, præcedentis veniæ doctus exemplo, acrius eligit in ipsa volutatione supplicium,[3] et contulit se ad majorem pœnam, ut posset provocare clementiam. Lenitur enim rigor justitiæ, cum de miseratione præsumitur, et apud clementissimum judicem prima pietatis causa tractatur; qui enim errata confitentibus donat, pervicaces non de voluntate condemnat. Et ideo rex iste devotus cum deliberationis fluctuat tempestate, non dimisit anchoram pœnitentiæ; et fidus de pietate terrentis, magnitudinem non contemplatus est ultionis: *Et dixit,* inquit, *David ad Gad: Angustiæ mihi valde in iis tribus, sed melius mihi incidere in manus Domini; quia magna est misericordia ejus valde, quam in manus hominum incidam.* Ibid., 14.
Sequitur illico vindicta consensum,[4] et electionem placabilem placabilis pœna comitatur: fit strages innumera peremptorum, et multitudo populi angelica percussione mactatur. Percutiuntur septuaginta

[1] Editt. et Sorb. ms., *vitæ imitabilis institutor:* melius Rem. cod., ut in textu.

[2] Codex Rem. et Sorb., *punitur pœnalis electio;* melius editt., *proponitur,* etc.

[3] Ita codex Rem.; editt. vero, *in ipsa voluntate supplicium.* Minus concinne.

[4] Editt. et ms. Sorb., *vindicta confessum;* codex Rem., *vindicta consensum.*

millia de exercitu, et acerbius perurgebat dulcem animum miserabilis ruina castrorum: objicit se auctorem facti telo supplicii, et induit contra sævientem justitiæ machæram confessionis loricam, puniendum se magis instans inter punitos exclamat, et optat in se derivari sententiam, ut possit a populo revocare fracturam. *Ecce sum ego*, inquit, *ego pastor peccavi, et ego male feci: grex autem hic quid fecit? In me manum tuam converte, et domum patris mei.* Ecce satisfactionis officio pœna percellitur, et in armis confessionis indignatio propugnatur; ut nec in eum ulterius vindicta procederet, et erga populum quassatio cœlitus effusa quiesceret. Uno actu pœnitentiæ et sibi mercatus est pietatem, et a populo suspendit protinus ultionem, ut merito veniæ condonatus cantaverit dicens: *Dixi, confitebor adversum me iniquitatem meam Domino, et tu remisisti impietatem peccati mei;* quia cum assisteret sub desperatione convicti, dignus reputari meruit expiari. Sed premit te tuorum enormitas peccatorum; et eorum ditione captivus, in cœlum oculos non audes attollere. Probo quidem conscientiæ metum, non laudo consilium: sed malo te super indulgentiæ consecutione suspectum, non de salutis reparatione penitus desperatum.

II Reg. XXIV, 17.

Ps. XXXI, 5.

CAPUT X.

Tenet enim quamdam confessionis partem supplicandi confusio, quæ suorum conscia peccatorum non de Auctoris remissione dubitat, sed de magnitudine sui sceleris erubescit: reatum enim agnovisse confessionis initium est, et proximum fit veniæ, quod stimulat pœnitudo. Sed retro agit me meorum, inquies, abundantia peccatorum. Quin immo tanto magis insistendum est confessionis officio, quanto peccatorum sarcinis es oneratus; ut quod per amicitiam non es dignus exigere, per impudentiam valeas obtinere. Audis enim in Evangelio Dominum dixisse quia, *cui pusillum dimittitur, minus diligit.* Deinde impium facis Deum, si putas eum repudiare conversum, et affectum negare redeunti,[1] a quo scias perditos affectu commiserationis inquiri. Hoc Apostolus probat dicens: *Et si nos infideles exstiterimus, ipse fidelis perseverabit, negare se ipsum non potest.* An nescis novies tentatum in eremo Dominum distulisse vindictam, nec ipsa decima tentationis vice damnare potuisse duritiam,[2] si præteritis novem culpis, egisset populus pœnitentiam, ipso dicente: *Ecce jam decies exacerbant me in deserto hoc?* Lege librum Judicum et, invenies innumeris vicibus filios Israel coram Domino fecisse maligna, et traditos incursibus nationum: sed iterum conversum populum per electos duces de captivitatibus variis liberatum, nec vindicari potuisse commissa, si toties factum sequeretur competens pœnitentia; quia licet pœnalis correctio non deesset, non erat tamen perditionis abscissio,[3] sed conversionis oratio. Cum enim castigatus filius recipitur in affectum, admonitum eum constat ad satisfactionis officium, non punitum: nec odii videtur esse correctio, sed amoris; cum reverso identidem post flagellum non negantur

Luc. VII, 47.

1

I Tim. II, 12.

2

Num. XIV, 27.

3

A ura pietatis. Denique audi Dominum per prophetam increpantem hujusmodi verbere fornicariam, et probrosis deditam, inquinatamque contagiis voluisse sibi jure conversionis adsciscere: *Et dixi*, inquit, *postquam fornicata es hæc omnia, ad me revertere; et non es reversa incomposita Juda.* Quod idem Dominus in Evangelio manifestat, cum induratos increpat dicens: *Hierusalem, Hierusalem, quæ interficis prophetas, et lapidas missos ad te; quoties volui congregare filios tuos, sicut* B *gallina congregat pullos suos sub alas suas, et noluisti?* Ultimum, crede, vitæ nostræ actum Dominus exspectat, et in quo nos exitus finalis invenerit, in eo judicabit; si scilicet multiplicibus septus erratis, circumvolvent supra caput tuum umbræ facinorum, oculos tuos scelerum caligo pernubilet, et peccati jugum tuam cervicem incurvet, atque intra conscientiæ penetrale flagitiorum probrum subinde vulnus exulceret; si animam tuam non in desperationis projeceris vilitatem, cum unum C circumcordialis secreti effuderis in confessione sermonem, non negabit remedium veniæ, qui venit animas salvare, non perdere; quia non vult mortem morientis, conversum procul dubio suadet ad vitam, ipso Domino dicente: *Filius hominis non venit animas hominum perdere, sed salvare;* et iterum: *Venit enim Filius hominis quærere, et salvare quod perierat.* Nisi quia præpotentem facis diabolum, si putas quia de faucibus ejus Dominus non potest eruere captivatum: aut quemadmodum D ille vigilat semper ut perdat, non ita satagit Dominus ut acquirat.

Jerem. III, 7

Matth. XXIII, 37.

Luc. IX, 56

Luc. XIX, 10.

CAPUT XI.

In hac igitur te veluti præsentis loci fiducia ultima confessio latronis inducat, et spem maximam tribuat novissima desperatis non desperantis in cruce confessio. Omne igitur vitæ suæ actum ille latrociniis cruentaverat, et egerat semper in E sæculo diabolicæ feritatis armigerum, numquam Dei meminerat, nulla Legis audierat mandata, aut certe si audierat, proclivior ad facinora non curabat, totam spem in desperatione versabat, et exercebat crudelitatem more sceleratorum satellitum; ob hoc namque damnatus in cruce, et cum ipsis criminibus suis affixus ligno pendebat. Tandem perditus resipuit, et in ipso supplicio constitutus, magnum sibi mercatus est ex morte compendium; Deum enim cum quo pendebat, agnovit: F judicem futurum cui adhærebat, intremuit: conscientiæ suæ crimina publicavit: baptismum sanguinis perfusione protinus acquisivit, et cum Domino in paradisum purpuratus confessor intravit. Hæc vera consultatio pœnitentiæ, hoc præcipuum pragmaticum confitendi, si Filium Dei quem non ignoras auctorem, credas et judicem, ipso dicente: *Pater neminem judicat, sed omne judicium dedit Filio;* et ad spem salutis perpetuæ capessendam non præsenti vitæ consulere, sed de futuro judicio G cogitare. Primo enim in conspectu judicis se se damnatus exposuit, et confessus de criminibus suis, implevit officium pœnitentis: deinde cum crucis cerneret pœnam, intellexit judicium affixo commune

Joan. V, 22.

[1] Rom. edit. sola, *et effectum negare redeunti.*

[2] Editt. et cod. Sorb., *damnare potuisse, si de præteritis;* codex Rem. ut in contextu.

[3] Ita codex Rem.; editt. vero, *proditionis abscissio.* Non satis recte.

esse, non causam; Deum tamen tunc credidit, quando eum Judæa pertinaciter abnegavit: et futuri non immemor in cruce judicii, memoriam sui commendabat judicio regnaturi. Hoc Evangelium manifestat. *Respondens autem*, inquit, *alius latro, corripiebat illum, dicens: Non times Deum, qui in eadem damnatione es? Nos quidem juste quemadmodum egimus, et percipimus: hic autem nihil mali admisit. Et dicebat ad Jesum: Domine,* Luc. xxiii, 39 et seq. *memor esto mei, cum veneris in regnum tuum.* Sed vide repente quid meruit, quid ex ore Veritatis audivit, quid gratia judicantis accepit: *Amen* Ibid., 42 *dico tibi, hodie mecum eris in paradiso.*

CAPUT XII.

Sed ais mihi: Peccata peccatis adjeci, et qui jam cadens erectus fueram, iterum cecidi, et conscientiæ meæ vulnus jam pene curatum peccati exulceratione recruduit. Quid trepidas? quid vereris? Idem semper est, qui ante curavit, medicum non mutabis. Non laborabit explorare valetudinis tuæ causam, nec tentabit erga te noviter medicaminis virtutem examinare, noto te sanabit antidoto. Experimentum adjutorii non exspectat qui languoris tui novit originem. Unde dudum curatus fueras, inde iterum curaberis: nec tu eris de remedio medelæ suspectus, et medicus de reparatione tua securus. Castigabit plane intemperantiam tuam, et dura objurgatione impatientiam verberabit: sed non negabit auxilium qui non contemnit ægrotum. Audi Prophetam dicentem: *Numquid qui dormit,* Ps. xl, 9. *non adjiciet ut resurgat.* Aut qui naufragavit, non itidem navigat? aut qui messem perdidit, numquid semel desperatus, non iterum aut arat aut seminat? Cursus hic noster in quodam salo mundi jactatur: navigandum nobis est, et malorum tendiculis vela insinuanda sunt. Procella sævit, ventus consurgit, tempestas insanit: si ita clavum tenueris, ut navis tuæ retinacula[1] non amittas, ad portum, illibatis mercibus, tendes: sin vero fluctibus adversis illisus scopulis implicantibus, ac flatibus præpeditus, inter freta rixantia tumidi gurgitis naufragaveris, redeundum est saburram, reficiendum primo navigium, merces emenda, rursus pericula subeunda, et præteriti causa referendi per causas; et ut liceat perdita reparare, non dubitabis te prisco discrimini sub spe incerta committere. Nam proculdubio mendicabis, si post naufragium ad negotiandi usum reverti nolueris: nec de egestate atque ærumnis tuis queri postmodum poteris, si captus sorte naufragii sub ignaviæ stupore efficiaris calamitate mendici. Et si mundani negotiatoris hæc cura est, ut plerumque post naufragii jacturam non desperet præterita sua damna industriæ emolumento sarciri: nec expoliatus incursibus detegi suam patitur nuditatem, sed studet magis e parvo concrescere, et spebus dubiis[2] aucupatur potiora lucra, peccato lenocinante, conquirere; quanto magis tibi animæ tuæ damna cogitanda sunt, et in vestigio reparanda perditio, in qua futuræ spei damna numerantur,[3] et vitæ perpetuæ infeliciter quæstus amittitur!

CAPUT XIII.

Eundum tibi est ad armarium idonei largitoris; et fœnore pœnitentiæ ac satisfactionis oblatis usuris conscribe syngrapha, mitte chirographa, eme tibi ab illo aurum ignitum Dei dono; qualibuscumque si non pretiosis, mercibus imple navigium, censum tuum in comparando illam pretiosam margaritam depende, ex qua animæ tuæ turpitudinem possis ornare; ut cum ad civitatem magnam, delatis mercibus, veneris, lucris dignioribus et mercibus beatissimis amplior sis. Nam si te segnitiæ stupor invaserit, et dominari sensibus cœperit corporis ignavia, nec ulla animæ tuæ reficiendæ argumenta quæsieris, subjicieris cruciatibus creditoris, obnoxius fenori detineberis. Dicetur liberalis illa sententia, quam non valebis tui conscius evadere, aut appellationis interjecta voce suspendere: *Omni habenti dabitur, et abundabit; ab eo autem qui non habet, et quod habet auferetur ab eo;* et: *Servum* Matth. xxv, 29. *supervacuum expelle foras in tenebras exteriores: ibi erit fletus et stridor dentium.* Tunicam Ibid., 30. tuam vilissimi operis lanificio confectam non pateris induere: horret tibi vestis tua, quæ sit deformis ex macula; et non tibi horret anima tua, quæ fit peccati sorde et sceleris inquinatione polluta? Nisi quia eodem momento tunicam festinas eluere, ut possis eam mundam et sine ullo nævo fœditatis induere: animæ vero tuæ infectum squalore criminum non desideras recuperare candorem; nec optas dilui conscientiam tuam, quam scias flagitiorum illuvie et contaminatione scelerum cœnulentam. Quis, rogo, cadit, et non quærit surgere? quis infirmatur, et non desiderat convalescere? quis periclitatur, et non optat evadere? quis pauper effectus, patrimonium non cupit reparare? Hæc si rerum patitur natura, ut istiusmodi emergentibus casibus, quispiam redire nequeat ad status pristini qualitatem, æmulare priora, ut deteriora percipias, dimitte manus, et semivigiles oculos stoliditate involve, obdormisce numquam evigilaturus, jace numquam surrecturus, et hebetem mentem stupore soporis elide. Pœnitebit te postmodum tarditatis, cum nihil quod utilitati animæ tuæ proficiat, cogitaveris. Eris semper jacens infirmus, nudus, paupertate confectus, et, ut ita dixerim, somni ebrietate temulentus, elogium illud quo numquam careas, auditurus: *Dormierunt somnum suum, et nihil invenerunt.* Exsurge, frater, exsurge; et malesani Ps. lxxv, 6. consilii pelle torporem: vigila, semper vigila, et esto pro tua salute sollicitus, non ut dormias desperatus. Cave nocturnum furem, ne domus tuæ perfodiat parietem, et meridianum jaculatorem sagittæ volantis evita; patet enim incursibus incauta securitas, et facile dormienti subrepitur, ut lethaliter feriatur. In vigilante fiducia est, in dormiente nihil tutum: convenit sobriæ menti somnum servum habere, non dominum. Refugit hostis, quem non invenerit dormientem: *Et beatus servus erit, quem adveniens Dominus invenerit vigilantem;* Ephes. v, 14 quia dicit: *Surge qui dormis, exsurge a mortuis;* et attinge Christum.[4] Matth. xxiv, 46.

[1] Editt. et mss. Sorb., *ut manus tuæ retinacula;* cod. Rom., *ut navis tuæ retinacula.*

[2] Codex Rem. et Sorb., *et speciebus dubiis.*

[3] Editt., *damna munerent;* melius mss., *damna numerentur.*

[4] Edit. Gill., *et accinge Christum:* Rom., *et attinges Christum:* ms. Rem. et Sorb., *et attinge Christum.*

CAPUT XIV.

Sed non audeo, inquies, orare, quia me revocat conscientia; non enim semel, sed sæpius et frequenter erravi. At ego dicam: Si te orandi revocat verecundia, peccandi desinat pertinacia, et fiet beneficium timoris, non desperationis causa, quod metuis. Revereri enim potestatem judicis non erit verecundiæ, sed pudoris; quia licet frequens sit peccandi licentia, excusabilis tamen efficitur conscientia, quam pertulit in peccati recordatione timiditas. Exemplum Achab illius impiissimi regis te doceat; hic namque Naboth Jezraelitæ vineam concupiverat, quod suæ esset possessioni confinis. Offert pretium, aut certe vicariam vineæ quantitatem: ille neglexit, asserens hæreditariam se rem nulla in alterum posse ratione transcribere. Hac repulsa compunctus, tristis domum revertitur, quod appetitus sui libido recidisset incassum. Tum ejus mulier sacrilega Jezabel tristitiæ mariti causas requirit, quibus compertis, veluti saucio cordi ejus fomitem consolationis injecit: qua arte, compluribus concinnatis falsitate calumniis consilio impuræ mulieris, Naboth innocens lapidatus occiditur. Funesti voti sui mulier impleto flagitio, velut victrix ad maritum ingreditur, interempti exitio narratura lætitiam: quæ ne sola teneretur in crimine, egit astutia mulieris primitivæ, ut maritum ad conscientiam sceleris obligaret, et utrosque jugales conscios una facinoris catena vinciret. *Surge,* inquit, *posside vineam Naboth Jezraelitæ, qui no-*
III Reg. XXI, 15. *luit tibi eam dare pretio; quia ecce mortuus est.* At ille dolens materiam se præbuisse mortis occisi, facinoris nuntia perhorrescit, et mortis ejus causam flebili dolore lucrificat; discissis enim regalibus indumentis accingit se vestitu funereo, non tam conscientiæ reatui, quam pœnitentiæ primæ cogitationis attestans. *Et factum est quomodo audivit,* inquit, *Achab quia mortuus est Naboth Jezrae-*
Ibid., 16. *lites, disrupit vestimenta sua, et accinxit se sacco.* Vacare ergo potuit Achab effusi sanguinis culpa;
1 quia de concepto,[1] non de parricidio egerat pœnitentiam, et remanserat in profana muliere impietas homicidii, quæ pretio quodam cruoris effusi putavit se vineam debuisse mercari. Sed ecce sicut canis reversus ad vomitum suum, odibilis fit: oblitus Achab pœnitudinis suæ, statim deposito luctu, pergit perempti vineam possidere. Et perdit innocentiæ meritum, qui vineæ cupiditate pellectus, innexuit interfecti occisioni consensum. Mox ad eum venerandus Elias propheta mandatur, et sententia in eum cum indignatione depromitur, ut acta dudum pœnitentia frustraretur, et vindictæ occasionem tribueret sceleris geminata præsumptio. *Et ait Elias ad Achab: Hæc dicit Dominus: Ecce ego superinduco super te mala, et incidam post te, et exterminabo de Achab mingentem ad parietem, et contemptum et derelictum in Israel: et dabo domum Achab sicut domum Jeroboam filii Nabat, et quomodo domum Baasa filii Ahiæ, pro omnibus quibus irritasti Deum, et fecisti*
Ibid., 21 et seq. *declinare Israel.* Verum ille cum sententiæ ictum non valeret effugere, ad priorem pœnitentiam convertit repente consilium, reatum fletibus confitetur,

A cilicio dejecit regium potentatum, saccum induit pœnitentiæ, et reveritus faciem comminantis, tacito gemitu publicabat offensam, non excusabat conscientiam. *Factum est,* inquit, *quomodo audivit Achab sermones hos, reveritus est a facie Domini, et ibat flens, et scidit vestimenta sua, et accinxit se sacco. Tunc dixit Dominus ad Eliam: Vidisti quemadmodum reveritus est Achab a facie mea? Non adjiciam adducere mala in diebus ejus, sed in diebus filii ejus adducam.* En quo- III Reg. XXI, 27 et seq.
B nam perduxit timidum reverentia, et quantum severitatis motum fregit metus! Non orationis pompa, non sermonis ornatu, nec eloquii copia placuit Deo: sed multis precibus lacrymarum. Os tacuit, sed cor ingemuit: oculis flevit, sed conscientia planxit, et verecundiam pœnitudinis pietas laudavit Auctoris. Parum fuit reum debitum evasisse supplicium, nisi accepisset reverentia probabilis testimonium. Et probatus est in timore, qui damnabatur in crimine: nec prius quod mortem luxit occisi,
C inane fuit; sed repetitam identidem culpam iterata lamentatione purgavit.

CAPUT XV.

Nec Manasses quoque rex filius Ezechiæ tacendus est, qui cunctorum prætergressus audaciam profanorum, manus tetendit impias contra Deum, et paternis moribus degenerans, ex toto præ divinis cultibus idolorum caput erexit insanum. Hic
D sacrilego furore possessus, in domo Dei exsecrandæ superstitionis aras instituit, simulacris dæmonum funestavit, templi sacra altaria lapideis figmentis implevit,[2] lucos excoluit, igni profano filios suos 2
dicavit, captavit auguria, vitam suam maleficiis inquinavit, populum ad idolorum observationes induxit, ceremoniis polluit, diabolo mancipavit, et omnia quæ divinis legibus prohibentur, ultra omnem insolentiam desperatæ mentis exercuit. Pro his tot tantisque flagitiis ductus in prædam, et vinculis
E innexus, gravatusque compedibus, pertulit captivi supplicium, atque in Babyloniam transportatus, impietatis suæ pœnas luit; ut divinam ultionem sentiret addictus, cujus numquam antea meminerat induratus. Denique congruo correptus flagello convertitur, et Deum in pœna constitutus agnovit, quem in regno positus antea non quæsivit. Profuit afflictio desperato, et correcta est in agnitione de stimulo correctionis improbitas. Fuit vindicta illa mentis perditæ medicina, et multum saluti contulit
F castigatio, quæ ideo verberavit impium, ut Deo faceret acceptum, quem diabolus per impotentiam fecerat alienum: et animæ sanitati profuit, quod inflictum fuerat vanitati. Hoc scripturæ dominicæ fides admittit: Et locutus est, inquit, Dominus adversum Manassen et adversum populum, et non audierunt: et induxit super illos Dominus principes virtutum Assyriorum, et comprehenderunt Manassen, et alligaverunt eum vinculis et compedibus, et adduxerunt eum in Babyloniam. Et mox afflictus
G quæsivit Dominum Deum suum, et humiliatus est nimis ante faciem Dei patrum suorum, et oravit ad Deum, et exaudivit illum Dominus, et revocavit illum in Hierusalem, in regnum ejus. Et cognovit Manasses quia Dominus ipse est Deus. Ecce quan-

[1] Codex Rem. et Sorb., *quia de comperto.*

[2] Editt. et cod. Sorb., *implevit, captavit anguria:* quæ vero his inseruimus, ex codice Rem. mutuati sumus.

tum repentinæ lamentationis ex corde converso peccatum suum flevit et diluit, et lacrymis tersit, quod nefas infecerat. Oravit tamen conscius reatus sui; et veniam meruit satisfactione mercari: usque adeo ut illa sacra quæ dudum profani actus contaminatione polluerat, in pristinum restitueret veneramen, et in cultum timoris Dei cuncta reponeret. Consummatione conversi impletum est propheticum illud divini oris oraculum: *Cum conversus*
Isai. xxx, 25. *fueris et ingemueris, tunc salvaberis.*

CAPUT XVI.

Sed quid ego eorum regum faciam mentionem, quos electi generis origo laudabilis non sinebat ab urbe sacræ religionis pessima persuasione discedere, cum Nabuchodonosor ille feralis et alienigena
1 principalis[1] divina animadversione multatus sit; ut per emendationem vindictæ cogeretur agnoscere quem sacrilegiis ausus fuerat abnegasse, et virtutibus eum crederet, quem per ferociam spiritus ante nescisset: usque adeo ut qui elatus spiritu pervicaci Deum se non timuerat antea prædicari, non auderet postmodum super ejus incomparabili majestate mentiri; cum ingenti in se facti admiratione correctus, non desiit solum Deum verum ex toto corde, decretisque præconantibus confiteri? Sed si male tibi conscius revereris orare, habes magisterium publicani; etsi suspectum geris, ne cum pro peccatis tuis oraveris, non merearis audiri. Ingressus ille templum fuerat peccatorum mole decurvata cervice, et oculorum palpebris gravi morbo iniquitatis compressis, cœlum non audebat aspicere: retro gradum timidus revocat, et extremum se non tam loco, quam judicio conscientiæ sistit: nec ad supplicandum irreverenter pedem incitat promptus audacia, sed vestigiis modum subtrahit; publicans verecundiam reum pectus percussum crebro commemorat,[2] et cor conscium pugni
2 admonitione contundit. Audiebantur oris ejus non verba, sed gemitus; et quinque tantum sermonibus celebrata est tota confessio. Hoc Dominus in Evangelio manifestat, homines duos ascendisse in templum adorare: unus erat pharisæus, et alter publicanus: pharisæus autem cum stetisset, talia apud se precabatur dicens: *Deus, gratias ago tibi: quia non sum sicut cæteri homines injusti, raptores, adulteri: quomodo et publicanus iste. Jejuno bis in sabbato, decimas do omnium, quæ possideo. Publicanus autem de longe stabat, et neque oculos in cœlum volebat levare; sed percutiebat pectus suum, dicens: Deus propitius esto mihi pecca-*
Luc. xviii, 11 et seq. *tori.* Sed adverte quid de inspectore cordis exegerit reverens supplicatio: verecundia mercede munifica sensit Deum, quem cupiebat habere propitium. Et statim meruit justificari verecundia, quæ probata est in humilitate confessa, Domino dicente: *Dico vobis, descendit hic justificatus in domum suam, magis quam ille pharisæus; quia omnis qui se exaltaverit, humiliabitur, et qui*
Ibid., 14. *se humiliaverit, exaltabitur.*

[1] Rom. edit. e marg. Gill., *et alienigena princeps.* Infra vero utraque in corp., *quem sacrilegium fuerat;* ubi Rem. codex, *quem sacrilegis,* etc.

[2] Ita codex Rem.; editt. vero, *publicat se verecundia reum, peccatum pectoris percussione crebro commemorat.*

A

CAPUT XVII.

Ubi deinde ponis exemplum mulieris illius peccatricis, quæ crimina sua non verbis visa est exposuisse, sed lacrymis, cujus cum orando tacuerit lingua, pœnitentiæ officio confessa est conscientia? In domo namque pharisæi cujusdam Dominus recumbebat, et præparaverat velut homini temporaneum invitato[3] ille convivium. Hoc reperiens 3
mulier prostituta, pharisæi domum audacter in-
B greditur, atque ad pedes Domini recumbentis assistit, lavat lacrymis sancta vestigia, capillis extergit, osculatur incessabiliter plantas, et pretioso pedes madefacit unguento, atque omnibus pene membris quibus ante peccaverat, scelerum suorum maculas expiabat. Tunc Dominus apud quem ossa nostra discreta sunt, propheta dicente: *Omnia ossa mea dicent, Domine, quis similis tibi?* obre- Ps. xxxiv, 10
ctantis pharisæi murmur obverberat, occultam mulieris cogitationem, sed manifestam fidem admirabili
C probatione collaudat, et præfert apparatibus invitantis confitentis obsequium, magis delectatus mulieris facto, quam prandio, cui plus fuit conversione delectari, quam pasci; ut qui cibi desiderio minime ducebatur, confessionis epulis pasceretur: *Vides,* inquit, *hanc mulierem? Intravi in domum tuam, osculum mihi, et aquam pedibus meis non dedisti: hæc autem ex quo intravit, non cessavit osculari pedes meos. Oleo caput meum non unxisti, hæc autem unguento unxit pedes meos.*
D *Propter quod dico tibi, remittuntur ei peccata multa, quia dilexit multum. Et conversus ad mulierem dixit: Dimissa sunt tibi peccata tua.* Luc. vii, 45 et seq
Parvum est hoc? Postmodum autem vide quid audiat: *Filia, fides tua te salvam fecit, vade in pace.* Dudum peccatrix, absoluta mox filia, et in Domini pace confestim absoluta dimittitur, quæ suorum bello criminum vastabatur. Hoc est illud propheticum oraculum: *Cum conversus fueris et ingemueris, tunc salvaberis;* et: *Dic tu prior*
E *iniquitates tuas, ut justificeris.* Cum ergo tot ac Isai. xlii, 26
talibus documentis agnoscas delectari pœnitentiæ sacrificio, nec contriti cordis et humiliati spiritus apud pium judicem verearis perire mercedem, Scriptura dicente: *Sacrificium Deo spiritus contribulatus, cor contritum et humiliatum Deus non spernit;* cur non de profundo[4] luxuriæ, et de mun- 4 Ps. l, 19.
danæ voluptatis gurgite festinas emergere, atque ad pœnitentiæ officia capessenda ex temulentis actibus respirare? Nec putes quod te ab ipso elon-
F gaveris, ideo aurem tibi ejus occludi: mox ut pulsaveris, fores aperiet, et in septa cortis suæ miserandum miseratus includet: tantum est ut doloris tui querela flectatur! Quanto tu procul abscesseras, tanto celerius proximabit, propheta dicente: *Proximus est Deus tribulatis corde, et humiles spiritu salvos faciet.* De quibus Dominus in Evangelio, Ps. xxxiii, 19.
Beati, inquit, *plangentes, quia ipsi consolabuntur.* Matth. v, 4

CAPUT XVIII.

G Sed aspera tibi fortassis videtur post voluptates sæculi pœnitentia. Verum est, sentio valetudinis

[3] Editt., *invitator:* codex Rem. ac Sorb., *invitato.*

[4] Edit. Gill., *nec de profundo;* Rom., *si de profundo;* codex Rem., *cur non de profundo.*

tuæ vitium, video animi tui morbum; sed si curari desideras, medelæ impetum non attendas, nec expavescas remedium; cum admoverit tuo vulneri ferramentum, celerior cura sectionis efficitur. Nam pessime sedulitas medendi palpatur, cum non continuo suppurata labes abscinditur. Amarus est gustus antidoti, sed vitale ac salutare est, quod est faucibus insuave. Curat nos Dominus non ut exteros: extraneos sibi servat quoscumque sanaverit delinquentes. Omni hora, omni die in curandis intentus, nec retardatur tempore, nec ullis morarum obstaculis impeditur.[1] Plane tunc ejus virtus impeditur, cum non inventus fuerit qui curetur; vacet enim necesse est beneficium Domini, cum non exstat, cui debeat misereri. Aspera est castigatio pœnitentiæ, sed lenior efficitur, si modus culpæ tractetur. Jampridem te mundialis pompæ oblectabat ambitio, et in servum te sibi dominatus sæculi vindicabat, nunc in luxuria remissum, nunc in vinolentia demersum. Hi te modo exercitio aleonis intentum viderunt, alii ad ganeandum, alii in scortum projectum, isti lupanaribus mancipatum, unguentis oblitum, aromatibus delibutum, et peregrinis cernebant oculis infectum. Splendebas vestibus, auro fulgebas, gemmis et pretiosissimis margaritis ornabaris. Vicem ergo vici restitue, et sero saltem compensationem temporum temporibus redde: reciprocam vitam tuam in utroque actu æquali moderatione partire. Fuisti tunc diaboli: esto nunc Dei; immo vero esto jam tuus, qui dudum fueras alienus. Et forsitan si consideres, multum temporis decoxisti, ut id quod residuum est, breve tempus angustet. Vaca jam tibi, non tempori: vaca, dixi, non ut torpeas, sed ut negotio confessionis insistas. Revertere in viam a cujus semitis aberraveras, damna quæ gesseras, quære quod fueras. Primo te ipsum inveni, ut quod quæris, invenias; et si te inveneris, abs te ipso nihil quæras. Saccum indue, cinerem asperge, in jejunio semper ora, in oratione jejuna. Pretiosa magis hæc sunt, quibus corpus afficitur, ut pulchritudo animi reparetur. Horret humilis vestis, sed hoc valde decet, quod Deo non displicet: vilis est corporis cultus, sed ipse præcipuus sanctitatis ornatus. Et adhuc de indignitate forsitan quæreris indumenti, qui nuptialem tunicam perdidisti? Et cum appareas fœditatis tuæ nuditate deformis, non cogitas qualiter identidem vestiaris? Non metuas, quæso, ne cum illo qui ad regiam cœnam vocatus intravit, a convivio recumbentium simili exprobratus damnatione pellaris, et audias dici tibi: *Amice, quomodo huc venisti, non habens vestem nuptialem?* Et cum argumentum non repereris excusandi, dicat: *Tollite eum ligatis manibus et pedibus, et mittite in tenebras exteriores; illic erit ploratio et stridor dentium.* Et utique ille, quia non quæsierat, aut acceperat, dicitur abjectus; vocatus enim intravit, sed non vestitus accubuit. Si ergo is qui numquam habuit, taliter, quia non quæsivit, exivit; qualiter jam puniendus erit qui tunicam accepit, et perdidit, et vestiri iterum non potuit?

Matth. XXII, 12.

Ibid., 13.

CAPUT XIX.

Sed, credo, dubitas amissum non posse repeti vestimentum, aut ab eo qui nuper dederat, cum petieris, posse negari. Intuere in Evangelio filium juniorem perdito patrimonio mendicantem usque eo fuisse perductum, ut egestatis impulsu pastor vellet esse porcorum. Is summa inopia et egestate confectus, cum nec porcorum vesci pastibus sineretur, reversus ad pristinam mentis propriæ sanitatem, prioris ævi cœpit desiderio conflagrare, et paternæ domus abundantiam cogitans, reatum suum conversionis animadversione damnare. Habito igitur tandem pœnitenti tractatu, et secum in corde satisfactionis arcano locutus, velut postliminio ad lares patrios nudus exsulque revertitur. Tum ille pater, qui cogitantis viderat in corde consilium, antequam verba perditus filius in confessione profunderet, affectus dolentis anticipat, et misericorditer suscipit redeuntem. In collum ejus irruit, osculis reconciliat, et adhuc trepidum, nihilque loquentem pater mire confirmat.[2] Sed ille consultissimus pœnitens, et confessor egregius de voto patris securus, atque adhuc de sua satisfactione suspectus, meditatum confessionis ordinem pandit, et verbis explicat, quod corde ruminaverat: *Pater,* inquit, *peccavi in cœlum et coram te, jam non sum dignus vocari filius tuus, fac me sicut unum de mercenariis tuis.* Placatus itaque pater precibus confitentis, stolam primam mandat afferri, et statim nudum præcipit amisso nuper indumento vestiri. Dare jubet et annulum, symboli reparat sigillum, pedes includit munimine præceptorum, et in reparatione ejus mactari jubet vitulum saginatum, hoc est, pro reconciliato offerri imperat gratissimum sacrificium, quod esset acceptum et cœlo et exercitibus angelorum. Erexerat in germani odium fratris severior pertinacia; exprobrans crimina recepti major filius contradicit. Mandatum non revocatur, pietas patris non mutatur, frater ejus asseritur, filius nuncupatur: et plenum patris in se provocavit affectum, qui perfectum habuit in pœnitendo consilium. Jucundatus, inquit, sum et gavisus, *quia hic frater tuus mortuus fuerat, et revixit; perierat, et inventus est.* Vides ergo converso filio stolam pristinam pœnitentiæ mercimonio restitutam, et votis omnibus celebrasse patrem reditum confitentis. Patrimonium enim perditum baptismi insinuat sacramentum, in quo sunt cuncta ædificia cœlestium constituta regnorum. Hoc ille filius, hoc est, fidelis christianus libertatem patris indeptus, libidinis ac luxuriæ contagione perdiderat, et longe a Deo suo positus, probrosis se actibus tota fœditate polluerat, ac diabolo mancipatus, cui se perditissima conversatione dediderat, porcorum, hoc est, immundorum spirituum cœpit exercere pasturam, quorum cum non permitteretur cibo depasci, quia per carnis obtentum dæmoniacis non poterat siliquis ingurgitari, utrobique desertus, et undique destitutus, bonæ frugis inopia defessus desudabat. Sed reversus, omne illico quo fuerat privatus, accepit, et in concordiam patris reputata substantia prioris possessionis remansit. Revertere ergo et tu, frater, revertere, et ex mortuo revivisce, et ex perdito reparare.

Luc. XV, 15 et s.

Luc. XV, 21

Ibid., 24

CAPUT XX.

Quærit ovem suam bonus pastor errantem, et amplius de inventa, quam de non perdita gratu-

[1] Ita cod. Rem.; editt. vero, et ms. Sorb., *impeditur, cum inventus fuerit,* etc.

[2] Codex Rem., *pater jure confirmat.*

latur. Humeris revehit ipsam, in gregis sui consortio reponit, ipsam diversorio priscæ securitatis includit: nec attendit relictarum numerum, qui quærebat ex reparatione unius perditæ complesse integrum centenarium. Drachmam perditam mulier vehementer inquirit, lucernam accendit, domum scopis emundat, et charas pariter ac vicinas invitat ad gaudium inventæ drachmæ. Et putat aliquis Deum non lætari de reparatione conversi, cum parabolam videat specialiter in personam pœnitentis aptari, ipso dicente: *Dico vobis, sic erit gaudium coram angelis Dei super uno peccatore pœnitentiam agente?* Animadverte tandem sententiam illam Domini singularem, qua dixit: *Non est opus sanis medicus, sed male habentibus;* non *enim veni vocare justos, sed peccatores ad pœnitentiam.* Vocat ergo Dominus ad pœnitentiam peccatores, et optat medicus noster languidis magis prodesse, quam sanis. Sed non ideo justos præterit, quia peccatores adsciscit: nam justorum vita divina vocatio est, sicut nonaginta et novem oves in montibus dereliquit qui unam erraticam requisivit; illis debitum reddens justitiæ præmium, istis beneficium misericordiæ collaturus. Hoc Apostolus probat dicens: *Ei autem qui non operatur, et credit in eum, qui justificat impium, accepta est fides ejus in justitia secundum propositum gratiæ Dei.* Denique Dominum audi quibus jaculis in Evangelio feriat corda peccantium, et intelliges quanti fecerit pœnitentiæ sacramentum. *Aderant autem*, inquit, *qui ei nuntiarent de Galilæis, quorum Pilatus sanguinem miscuit cum sacrificiis eorum. Tunc dicit illis Jesus: Putatis quia isti Galilæi præ omnibus Galilæis fuerint peccatores, quia talia passi sunt? Dico vobis, nisi pœnitentiam egeritis, omnes similiter peribitis.* Aut illi decem et octo super quos cecidit turris in Siloe, et occidit eos, putatis quia præ cæteris peccatores fuerint, qui habitabant Hierusalem? *Dico vobis, nisi pœnitentiam egeritis, omnes similiter peribitis.* Et subjecit ad probationem rei comparationis exemplum, ficulneæ arboris faciens mentionem, quæ fructu sterilis et infrugifera jubetur abscindi; sed interventu coloni interitum differri permittitur, donec congruis circumfossa culturis, adhibito cophino stercoris, ad proferendos fructus pœnitentiæ differatur. Porro si arbor quæ generis sui fructum nullum edidit, ante tempus præcepta est amputari, quali jam ferramento truncanda, vel securi cædenda est, quæ vepribus obsita, et spinis alienigenis constipata, nullam habuit in sui restauratione culturam? Nam exemplum arboris similitudo est hominis fidelis, qui fidei suæ fructu jejunus, nihil quod ad futuræ spei lucrum proficeret, cogitavit; plantata enim in vinea fuerat, quæ vinea specialiter designat Ecclesiam, in qua arbor fuerat illa plantata: sed cultor hujus vineæ illius sacerdotis persona videtur exprimi, qui scrobem infructuosi plantarii cultura dominicorum exerceat præceptorum; et stercoris cophino pœnitentiæ designatur officium. Quod si inveniri in ea fructus post dilationem temporis omnino non posset, convulsa in futuro radicitus exaresceret, hoc est, futuro abscissa judicio tamquam ligni inutilis abjecta materies, pabulum effecta æterni

Luc. xv, 10. Matth. ix, 12. Rom. iv, 5 Luc. xiii, 3 et ss.

A ignis arderet; quamquam hoc et de Christo possit et de plebe[1] Judaica subaudiri.

CAPUT XXI.

Credo tuis sensibus his probationibus, quæ studio de infirmis ingenti ad erigendum animum tuum suscitandumque protulimus, satis abundeque claruisse, ita Deum misericordiæ fontem nolle interitum peccantium, sed flagitiosum magis habere B correctum, ut quantæ numerantur offensæ, tanta sit actio pœnitentiæ. Non desperet reditus sui reformationem celerem, qui audiat ipsum Dominum peccatori pœnitentiam suadentem. Hoc expressius Apocalypsis beatissimi Joannis exponit, in qua Ecclesiarum angelos increpat, ut pristinis fraudati erroribus ad pœnitentiæ lamenta curventur; nam probatur sic Dominus nullius desiderare ruinam, qui cadenti ingerit pœnitentiam. Angelo denique Ecclesiæ Ephesi, *Memento*, inquit, *unde cecideris,* C *et age pœnitentiam, et fac prima opera: sin autem, venio tibi, et movebo candelabrum tuum de loco suo, nisi pœnitentiam egeris.* Et ecce tamen angelus dicitur, cui pœnitentiæ cura conversioque mandatur, et ad priora opera perficienda suadetur, ut nihil amisisse ex totis suis meritis intimetur. Gravius tamen minatur admonitio pœnitentiam non agenti, si contumaciam pertulerit indurati: erit enim inexcusabilis severitas ultionis, si cervicem indomitam non flexerit prima correctio: D et malo suo peribit, qui comminantis auctoritate præmonitus, satisfactionis jugo pervicacia colla non subjicit. Rediturum eum sane ad statum præteritum profitetur, qui ad veræ vitæ stadium decurrendum digna confessionis humilitate corrigitur. Hoc uberius paulo posterius declaratur, cum angelus Ecclesiæ Thyatiræ objurgationis verbere castigatur. *Habeo*, inquit, *adversum te multa, quia dimittis mulierem Jezabel, quæ se dicit prophetissam, et docet, et seducit servos meos fornicari* E *et manducare de immolatis. Et dedi illi tempus ut pœnitentiam ageret, et noluit pœnitere a fornicationibus suis: et mittam illam in lectum; et qui mœchantur cum ea, in tribulatione magna erunt, nisi pœnitentiam egerint ab omnibus operibus suis: et filios ejus interficiam gladio; et scient omnes Ecclesiæ, quia ego sum scrutator cordis et renum, qui reddo unicuique secundum facta sua.* Quid vero potest humanius, quid clementius dici? *Et dedi*, inquit, *illi tempus ut pœ-* F *nitentiam ageret, et noluit pœnitere.* Non habes, peccator, non habes quod excuses: non est quod cum causa dubites, non est quod sine causa desperes: his te ad confitendum exemplis accingere, his ad pœnitentiam documentis armare.

Apoc. ii, 5. Ibid., 20.

CAPUT XXII.

Differt enim Dominus pœnam, ut inveniat pœnitentiam; et moraturis utens spatiis, protelat patientiam, ne amittat clementia, quod debuit fieri G censura. Non præterita mala spectat, nec errata computat, sed correcta collaudat. Habes promissum ad pœnitentiam suadentis tibi; si non pœnitueris, imputabit: *Et dedi illi*, inquit, *tempus ut pœni-*

[1] Editt. et ms. Sorb., *hoc de Christo possit in plebe.* Et infra, *his probationibus paluisse, quæ studio de infirmis unguentis.... protulimus, abundeque claruisse;* Rem. ms. utroque loco, ut in contextu

tentiam ageret, et noluit pœnitere. Huic simile propheticum illud: *Et dixi, postquam fornicata est omnia hæc: Ad me revertere, et noluit ad me reverti.* Jerem. III, 1. Cæterum si te in desperationis gurgitem enormitate tuorum scelerum circumactus abjeceris, aut itineris tui dubitaveris represso gradu exstirpare congeriem, vel sinistræ mentis prolapsu declivior in pronum vergentia adducas lubrica exercitatione vestigia, illico tibi spes amissa reparationis adimitur; rapiet te sorbens in abruptum vorago facinorum; claudentur oculi tui nocte peccati, ne veri luminis videant radium permicantem; mortis se cæcitas opponet, et per ludum quemdam huc atque illuc te circumducent angeli deceptores. Fient tibi grata cuncta flagitia, et peccandi licentia tibi penitus allubescet: tenebit te diabolus sub spe libertatis addictum,[1] ut sit tibi liberum peccare, non vivere. Nec sinet te respicere ante qui fueras, cum blandimento peccandi, dulcedine te criminum pellacissimus avocaverit: et ut semel dixerim, in te pereundi suavitate decipiet, ut delectabilius tibimet videatur perire, potius quam redire. Omne namque peccatum absque sui delectatione non geritur,[2] nec alias inviscare animum poterit, nisi suavitate desiderii illiciat, quem deceperit; dulcis enim mixtura, et suavis sit necesse est faucibus lethalis poculi funesta confectio, ne amaritudinis prima libatio revocet haurientem. Sic denique visum est mulieri primitivæ bonum esse ad aspectum et dulce ad cibum arboris illius venenum, cujus postquam mentita est suavitas labris comedentis, infecit morientis haustus violenta subtilitas, quod vigens ac vividum manebat, exstinxit; et in contrarium per intemperantiam recidentibus votis, ad exsilium mundi et spectaculum sæculi de paradiso beatitudinis et prædio securitatis ejecit.

CAPUT XXIII.

Oro te, frater, hæc metuas, fugias et expavescas; nec patiaris inimicum de tua perditione gaudere, et in conspectu Dei supercilium efferre victoris. Cave reditum septem spirituum immundorum, quibus se ducem malorum omnium sociavit octavus. Et cum unum nemo patiatur diabolum, quis octo sustinere valeat dominatum? Domino dicente: *Cum immundus spiritus exierit ab homine, pertransit loca inaquosa, quærens requiem, et non inveniens, dicit: Revertar in domum meam, a qua exieram: et reversus invenit eam vacantem, mundatam scopis, et compositam. Tunc vadit et adducit secum alios septem spiritus nequiores se, et ingressi habitabunt illic: et fient novissima illius hominis pejora prioribus.* Matth. XII, 43. Si te obsidione bellica septum manus accepisset hostilis, et sub incursione barbarica tenuisset prædonis urna captivum, quos fletus ederes, quos ejulatus dares, quæ lamenta jactares? Ageres omni die nocteque suspirium, non cibum quæreres, potum non desiderares, siti exhaustus et fame enectus, sola in te asperæ cutis ariditas et rugosa macies appareret, rigeret concreta sordibus coma, et hirsuta cæsaries squallentis verticis, promissæque barbæ impressi artus horrerent, patrimonium redderes redemptoris sub gladio, districtus ambulares nudus, pauper atque omni sensu evolutus: quæsisses evadere, aut si fugæ aditus præberetur, sub maximo incertus discrimine meditareris periculum superare. Captivum te tenet auctor scelerum, vinculis non ferreis, sed catenis habet criminum te ligatum: compedes tibi libidinis imposuit, et undique te sepsit arctiori custodia: legem tibi dedit ut licitum putes omne, quod non licet: vivum te æternæ mortis fovea demersit; et non ingemiscis salutis tuæ damnum, spei æternæ dispendium, et vitæ perpetuæ detrimentum? Incedis comptus ornatu vestium, celebras opulentis cibis refectiones, vino mades, pinguificas epulis quotidianis animam, et torosi corporis excolere non quiescis ingluviem, ut interim de cæteris criminibus taceam. Putas etiam, putas et hoc non esse animadversionis divinæ, ut nescias quemadmodum debeas de tuis sceleribus pœnitere, Apostolo probante, qui ait: *Propter quod non habuerunt Deum in notitia, tradidit eos in reprobum sensum, facere inconvenientia;* et iterum: *Pro eo quod dilectum veritatis non receperunt, ut salvarentur, misit Deus illis operationem erroris, ut judicentur qui non crediderunt veritati.* Rom. I, 28. De talibus denique metuit, II Thess. II, 10. ne veniens Corinthum lugeret multos ex his, qui non egerunt pœnitentiam ex immunditiis, quas fecerunt, et fornicationibus, et libidine. II Cor. XII, 21.

CAPUT XXIV.

Cogita divitis illius opiparas cœnas, et copiosarum dapum uberem affluentiam, purpura, murice pinguiori, et textilibus inclusi serici nitoribus, totum de spe præsentis temporis, nihil tamen de futuro tractantis. Quid illi post ista omnia reponatur, ausculta. Post purpuram flamma, post epulas egestas, ut aquæ guttulam quæreret, qui guttam antea pretiosi nectaris ebibisset, et ab eo peteret, nec tamen acciperet, summitatis digiti humentis solatium, cui in sæculo micas suarum negaverat epularum. Confitere, quæso, cuncta quibus reum te memineris; confitere, et faciem Dei præveni satisfactionis officio; humilia ante eum cor tuum, et in conspectu ejus curva cervicem: flecte genua, et eliso vultu terræ prosternere. Suscipiet gemitum tuum cœlestis ille protinus Advocatus, et non prætermittet pro te interpellare Patrem suum, qui fidum præbere consuevit pœnitentibus patrocinium. Causam suam non argumentis ad præscriptum genus eloquentiæ perorabit,[3] illico impetraturus veniæ beneficium, qui de superato non exspectat aliquod honorarium. Hoc Apostolus probat, dicens: *Quis accusabit adversus electos Dei? Deus qui justificat. Quis est qui condemnet? Christus qui mortuus est, verum etiam et resurrexit, qui est in dextera Dei, qui et interpellat pro nobis.* Rom. VIII, 3. Concinens Joannes apostolus beatissimus in epistola sua ponit et dicit: *Si dixerimus quia peccatum non habemus, nos ipsos decipimus, et veritas in nobis non est: si autem confessi fuerimus peccata nostra, et fidelis, et justus est Deus, qui nobis peccata dimittat, et mundet nos ab omni iniquitate. Si dixe-*

[1] Ita codex Rem.; editt. vero, *diabolus suæ libertati addictum.*

[2] Editt., *nec alias inescare;* cod. Rem., *nec alias inviscare.*

[3] Codex Rem. et Sorb., *non argumentis, et præscriptum genuinæ patientiæ perorabit.... qui de suspecto non exspectat aliquod honorarium.*

rimus quia non peccamus, mendacem facimus eum, et verbum ejus non est in nobis. Filioli mei, hæc scribo vobis, ut non peccetis: et si quis peccaverit, habemus advocatum apud Patrem
I Joan. II, 8 et seq. *Jesum, et ipse exorat pro peccatis nostris.* Omne quod Dei Filius Dominus Jesus Christus, qui est via, veritas et vita, locutus est, lex est: et sub exemplo sui fieri docuit, quod nobis in scripto mandavit; neque enim a nobis fieri aliquid vellet, quod aut ipse non fecerit, aut quod ei in nobis facientibus non placeret. Sed nec displicere posset quod ipse mandasset, quia qui mandasset, ipse antea fecisset. Inanis enim fieret doctrina mandati, si in facto doctoris non præiret auctoritas: sed quidquid Dominus præcepit, et fecit, inane non erit quod sub imitatione sui faciendum esse mandavit. Idem ergo Dominus discipulis hæc custodienda proposuit: *Attendite vobis: Si peccaverit in te frater tuus, dimitte illi: et si septies in die peccaverit in te, et septies revertatur ad te di-*
XVII, 4. *cens: Pœnitet me; dimitte illi, et dimittetur tibi.* Atque cum a sancto apostolo Petro fuisset in causa consultus, et diceret: *Domine, si peccaverit in me frater meus, quoties dimittam illi? usque septies? Dixit illi Jesus: Non dico tibi usque*
Matth. XVIII, 21. *septies, sed usque septuagies septies.* Qui ergo dimittenda septies fratri in nos peccanti debita nobis donare imperat, erga nos formam præcepti sui non servat? Aut qui dixit: *Misericordiam plus volo,*
Osee VI, 6. *quam sacrificium,* misericordiæ nobis potest negare thesaurum? Hoc est, quod exorata prius venia dixerim, credere Dominum Jesum cuncta quæ docuit, fuisse mentitum, si circa nos formam custodire suorum noluerit præceptorum.

CAPUT XXV.

Et bene quod repente aptat huic sententiæ de comparatione parabolam duorum scilicet servulorum, de quibus unus cum ob debitum numerosum, ære decocto, una cum uxore et filiis distrahi juberetur, et patientiam Domini prostratus ejus pedibus exoraret, ut tributo sibi spatio, omne debitum reddidisset, meruissetque misericordia Domini cuncta sibi donari: qui sub conditione tali ad cruciatus detinebatur addictus, ipse conservo suo debitori noluit misereri, quia oblitus est collocati sibi nuperrime beneficii, statim tortoribus traditur, et de ejus cruciatibus idem, quod dudum fuerat donatum, exigitur. Inde est quod Dominus hujusmodi orandi ordinem posuit dicens: *Et dimitte nobis debita nostra, sicut et nos dimittimus*
Matth. VI, 12. *debitoribus nostris;* ut tanta scias posse tibi dimitti, quantum tu proprio dimiseris debitori: immo vero ut tibi parcere videaris, cum alii obsecratus ignoveris. Nam judicio tuo proculdubio judicaberis, si dimitti tibi ipse cupiens, alii dimittere nolueris, Domino dicente: *In quo judicio judicaveritis, in eodem judicabitur de vobis: et in qua mensura*
Matth. VII, 2. *mensi fueritis, in eadem remetietur vobis.* Legas volo intentius prophetæ Zachariæ principium, et illic quo robustius animeris, invenies. *Iratus est,*
Zach. I, 2. inquit, *Dominus ad patres nostros ira magna.* Quis non hoc audiens contremiscat? quis non hujus vocis tonitru perterritus arefieret? aut quem sensum non hæc indignatio intimata turbaret? Quis

A enim status teneri poterat sanitatis, ubi tam vehemens ira denuntiabatur Auctoris? Et parum fuit dixisse iram, nisi denuntiaretur et magna, quasi si non esset magna, sustineri ejus posset vel lentior iracundia. Sed videamus quem exitum pronuntiet tanta commotio. Credo, dixit, bellicis vos inquietabo tumultibus, et captivitatis vos sæva ditione mulctabo, fame vos afficiam, morbo quatiam, morte consumam, ferarum atque bestiarum rapiet inopinata vastatio, profugos et ubique di-
B spersos agitabit exsilium. Hoc enim intellectui relinquitur, ut iram magnam vehementior vindicta sequatur. *Iratus est,* inquit, *Dominus ad patres nostros ira magna, dicens ad eos.* Quid dixerit Zach. I, 2
audiamus: *Convertimini ad me, et convertar ad vos.* O indignationem de pietate manantem! o magnam iram, quæ infert misericordiam! Rogo, qui sic irascitur, quemadmodum miseretur? Aut si ita
miseretur, quemadmodum indignatus irascitur?[1] 1
Hoc alius propheta perloquitur: *Revertere, Israel,*
C *ad Dominum tuum, propter quod infirmatus es in iniquitatibus tuis. Dicite ei: Potens es remittere peccata nostra, non ut accipiatis iniquitatem, sed ut accipiatis bona; et reddite ei fructus labiorum vestrorum, et epulabitur in bonis cor vestrum;* et alibi: *Redite,* inquit, *filii desertores,* Osee XIV, 2.
dicit Dominus; et iterum: *Revertimini, filii re-* Isai. XLVI, 8.
vertentes, et sanabo tribulationem vestram. His Jerem. XIV, 22
consona David beatus peccatorum solatia decantavit dicens: *Confitemini Domino, quoniam bonus,*
D *quoniam in æternum misericordia ejus.* Ps. CV, 1.

CAPUT XXVI.

Nec hoc dixerim, ut latiores admodum videar habenas dedisse licentiæ,[2] et sub veniæ divinitus 2
tribuendæ prætextu peccandi magis fomitem Auctoris pœnitentiam præbuisse: hoc enim sermone meo cadentem erigo, stantem non impello; nec præjudico innocentiæ, qui exhortor ad pœnitentiam peccatorem. Siquidem, ut supra jam diximus, in-
E nocentia exigit de Deo debitum vitæ suæ præmium: pœnitentia vero exspectat misericordiæ beneficium; non peccare enim timere est, pœnitere vero plusquam timere. Nam plerumque offensionibus subjacet secura felicitas: cautior autem ad evitanda præterita efficitur, quem metus emendat, quia sollicitior semper erit qui cavet ne identidem ibi incidat, ubi jam antea cecidit. Sic gubernatorem faciunt pericula experta sollicitum, et inoffensos portus nonnumquam veretur intrare qui vel semel
F incurrerit ex securitate naufragium. Denique Scriptura divina, *Qui non tentatus est,* inquit, *qualia scit?* ut ostenderet per tentationis causam tenta- Ezech. 33
tum semper effici cautiorem, et per timorem magis corrigi, qui incautus antea fuerit tentationis scientia. Usque adeo autem peccantibus Dominus optat ignoscere, qui non vult mortem morientis, quantum ut revertatur et vivat; ut quos pro facinoribus suis aliquoties destinat pœnæ, interpellatus pœnitentia, illico festinet absolvere: et ut recondat in
G vagina machæram, commutat animadversionis satisfactione sententiam.

CAPUT XXVII.

Et quamquam hoc ex Ninivitarum facto superius sit probatum, tamen etiam Hieremiæ pro-

[1] Codex Rem., *indignatis irascitur.*

[2] Idem codex., *videatur habenas dedisse licentia.*

phetæ super eo accipe testimonium, ut ex testimoniis plenius tibi probetur exemplum. *Sermo*, inquit, *qui factus est a Domino ad Hieremiam, dicens: Exsurge, et descende in domum figuli, et ibi audies verba mea. Et descendi in domum figuli, et ecce ipse opus faciebat super lapides, et cecidit vas quod ipse faciebat in manibus suis; et iterum fecit illud vas aliud, sicut placuit coram ipso facere. Et factus est sermo Domini ad me, dicens: Sicut figulus iste non potero vos facere, domus Israel? Ecce sicut lutum figuli vos estis in manibus meis: et tantum si loquar super gentem aut super regnum; ut tollam eos, et ut perdam eos. Et si conversa fuerit gens illa a malis suis cogitationibus, pœnitentiam agam pro malis, quæ cogitabam ut facerem eis, et non faciam. Et tamen si locutus fuero super regnum aut gentem, ut reædificetur et circumplantetur; et fecerit iniqua in conspectu meo, ut non exaudiat vocem meam: pœnitentiam agam pro bonis, quæ locutus sum ut facerem eis, et non faciam. Et nunc dic ad viros Juda, et inhabitantes Hierusalem: Ecce ego fingo mala super vos, et cogito super vos cogitationem. Convertatur unusquisque a via sua maligna, meliores facite cogitationes vestras.* Suadet ergo figulus noster a viis pessimis et cogitationibus nos malignis averti, ut conversio pœnitentiæ in aliud vas possit fracturas nostras vitiaque plasmare. Et vult operis sui substantiam non perire in pœnitentiam; ne sententia reum teneat, quem confessio excusat. Huic consonat Sapientia Salomonis: *Sed misereris*, inquit, *Domine, omnium, quia omnia potes, et negligis peccata hominum, propter pœnitentiam; subest enim tibi cum voles posse, et cum sis omnium Dominus, omnibus te parcere facis.* Convertamur ergo et confiteamur Domino, cum in hoc sæculi degimus commeatu, et judici nostro pœnitentiæ viaticum præparemus. Non sint temporis nostri otiosa curricula, nec nos nati ad peccandum, sed ad bene agendum convivamus. Aut si peccato fuerimus obnoxii, quoniam deesse non potest in hoc mundi theatro quin peccemus, reminiscamur nostri, ut evadere gehennæ præcipitium cupiamus. Pœniteamus ergo ex fide, oremus ex corde, ploremus ex viscere. Et sicut Propheta dicit: *Adoremus et procidamus et ploremus ante Dominum, qui fecit nos,* quia *qui serunt in lacrymis, in gaudio metent.* Felix, heu nimium felix officium lacrymarum, quo futuro tempore colliguntur præmia! Et beatum seminis incrementum, quod in fletu profunditur, ut in lætitia metatur! Scriptum est enim: *Felix homo, qui agnoscit ululatum suum.* Levemus oculos nostros ad montes, unde veniet auxilium nobis, quia *sicut oculi servorum in manibus dominorum suorum, et sicut oculi ancillæ ad manus dominæ suæ: sic et oculi nostri ad Dominum Deum nostrum, usque dum misereatur nobis.*

Jerem. XVIII, 1 et seq.

Sap. XI, 24.

Ps. XCIV, 6.

Ps. CXXII, 3.

CAPUT XXVIII.

Neque ita conversionis nostræ consilium temporis delectationibus prolongemus, ut sub scientia peccandi et delectatione pereundi usque ad extremam ætatem nos in voraginem criminum demergamus; cum vivendi nobis usum a divina dignatione collatum qui terminus claudat, habeatur incertum. Et forsitan hoc quod aut primum putatur, aut medium, imminentis occidui meta jam limitet, sitque debitus finis indignantis Domini ex conversionis tarditate vocatio; quando quidem ex admonitione rumpendarum in conversione morarum propositum videatur oraculum: *Non tardes converti ad Dominum, et ne differas de die in diem; subito enim venit ira ejus, et in tempore vindictæ disperdet te;* et iterum: *Fili, peccasti? ne adjicias iterum, sed et de pristinis deprecare, ut tibi dimittantur; et ne adjicias peccatum super peccatum, et dicas: Miseratio Dei magna est; misericordia enim et ira ab illo.* Nec nos usque ad mortem fieri mancipia patiamur, et demus corpora nostra scelerum ditioni, sed obediamus Apostolo dicenti: *Non regnet peccatum in vestro mortali corpore, ut obediatis ei;* ut quia peccata deesse non possunt, certe non regnent, hoc est, ne sine respectu evadendi fiat abrupta licentia peccandi. Aut certe si putat aliquis restare sibi tempus ut peccet, et satiata libidine cum jam imperassent animo corporis vires, tunc ad pœnitendi redire judicium, ultimum vitæ suæ mihi tempus edicat, quo calculante, didicerit, quo insinuante, cognoverit; ut jure sibi, ut ita dicam, de temporis spatio blandiatur. At cum nobis inopinatus sit exitus terminalis, et vitæ nostræ dubia sint ex mortis ignorantia curricula; quomodo sibi quisque superesse ad confitendum tempus existimat, qui temporis sui tempus ignorat, cum utique audiat dicentem Scripturam: *Vivens et sanus fateberis, et laudabis Deum, et in partem vades sæculi sancti cum vivis et dantibus confessionem?* Dilatio enim temporis confessionem creet, et non desperationem generet, quia exaggeratur in dilato damnatio, qui divinam patientiam pertinaci animositate cogitat. Quod sancti Noe temporibus docetur effectum, cum per centum annos pertracta patientia implacabilem per mundi ambitum fudit cataclysmum, inundante censura. Unde beatus Apostolus ait: *An numquid opulentiam bonitatis ejus, et longam patientiam contemnis, ignorans quod Dei bonitas ad pœnitentiam te adducit? Tu autem secundum duritiam tuam et cor impœnitens thesaurizas tibi iram in die iræ et revelationis justi judicii Dei, qui reddet unicuique secundum facta sua.*

Eccli. V, 8

Eccl. XXI, 1

Rom. VI, 12.

Eccl. XVII, 27

Rom. II, 4

CAPUT XXIX.

Volo dicas mihi, quæ rerum præsentium gloria, qui sint hujus temporis fructus, quæ utilitas caducorum. Regni potentia, ut dixi, morte finitur, potestatis ambitio successione dirimitur, divitiarum copia vivis nobis plerumque subtrahitur, voluptatis effectio tristitia interveniente corrumpitur, jucunditas gaudiorum metus formidine violatur, et omne quod capitur desiderio, corpus aut anima corporis desiderat, finis falce succiditur.[1] Nec potest perfectum privilegium beatitudinis obtinere, quod æternitatis non circumvallat infinitas: caducum enim sit necesse est, quod inevitabili necessitate metitur; obnoxium et inconstans atque infirmum proculdubio remanebit, cujus vitam nonnumquam fortuitus

[1]

[1] Edit. Rom., *aut corpus aut anima finis calce succiditur;* codex autem Rom. ac Gill. lectionem nostram constituunt.

eventus intercipit. His ergo cunctis morte finitis, nostrum in ipsa morte quid proprium? Si nihil quod boni operis incremento conscientia subsarcinetur, habebimus; et si nihil boni ex nobis habere potuimus, quid nobiscum remeantes ad patriam deferemus? Quam nuda atque deformis anima nostra remanebit, si nos eam saltem pœnitentiæ velaminibus et confessionis amictibus non obtegamus! nisi quia turpitudinem festinamus abscondere, et animæ operire non contendimus nuditatem, cujus cum sit naturaliter invisibilis pulchritudo, visibilis fiet peccatorum sorde deformitas.

CAPUT XXX.

Illa sunt occupanda commercia, illæ complectendæ divitiæ, illa captanda potentia, quam non tempus eripit, non locus subtrahit, non persona subducit, quæ manet statu perpetuo, quæ privilegio servatur æterno, quæ fini non subducitur, quæ mortis jugo nec premitur nec urgetur. Ibi enim bona tuta sunt conscientiæ, ubi jam non licebit post præsentia sæculi mala peccare, ubi diabolo nullus accessus, ubi tenebrarum non est locus; sed neque qui decipit, neque qui decipi possit, penitus invenitur. Illic bona omnia, illic cuncta felicia, illic prospera universa: non dies lucis incremento mutabilis, non sol lentior in ortu, in fulgendo clarior, in occasu fuscior apparebit: nox omnino vacabit, luna non erit, nec siderum micatus ardentior rutilabit: famem nemo sentiet, lacrymæ detergentur, timor nullus, metus ex nihilo, jucunditas omnia, pax totum, gaudium quidquid obnoxium tristitiæ fuerat, possidebunt. Omnia propheta Esaias evidenter exponit. Quæ tunc ibi gloria felicium, quæ supplicia miserorum, qui gemitus, quæ suspiria peccantium, quæ beatitudo sanctorum? His cum Deo consortium, illos donari gehennalium cruciamento flammarum: hos incomparabili perfrui refrigerio, illos incendio indomitabili trucidari: hos paradisi fontibus, nemorumque verticibus a rivulis indefessos amœnari; illos stagno ignis, et fluento incendii, atque atræ noctis tenebris obsessos, pœnis inextricabilibus perurgeri: ad postremum hos bonis cœlestibus uti, illos totius gehennæ et æternæ mortis edacitate consumi.

Isai. LX, 2 et ss.

CAPUT XXXI.

Si nunc quantum ad sæculum quispiam paupertatis labe defectus, in promptu non habeat unde qualicumque victu famelicam sustentare possit esuriem, videatque alios opimis dapibus mensas onerare, ac refertos epulis bibere gemma, et protrahere longe apparatus ambitione peregrinis saporibus pigmentata convivia, quæ putas eum ducere ab ultima viscerum parte suspiria, quas edere intestino dolore querelas; interdum etiam lacrymas fundere, cum paulo amplius capi incipiat desiderio visorum, et inardescere magis ac magis sentiat ex desiderio inefficax desiderium? Quinam ergo tunc erunt gemitus infelicium, quod inconsolabili luctu in illa comparatione tormentum, cum cœlestibus copiis, perennibus divitiis perfrui felicium viderint agmen animarum, et se stillicidio rorantis digiti defraudari, et perferre insuper inexstinguibilem flammam, cum nulla spe reserventur ad veniam? Solis ardorem ferre non possumus, balneares æstus minime toleramus, sentimus incendia fornacum, et longe secedimus: quis ferat fluctuantem gehennam, et caminis tartareis æstuantem pati strepitum fumantis baratri poterit, et sustinere infernarum globos tenebrarum; ubi solus auditur ululatus ardentium, et ejulatus resonat crudeliter punitorum? Hæc, oro, quam fugienda sunt, quam cavenda ac totis viribus, et omni animo ac mente declinanda!

CAPUT XXXII.

Cum patent igitur januæ veniales, cum fluctuantibus et criminum tempestate jactatis pœnitentiæ portus offertur, cum mentibus promittitur cura languentibus, et sauciatis vitalem pollicetur ultroneus artifex medicinam: cum misericordia habetur in promptu, antequam justitia capulo tenus extrahat pugionem, sumamus arma pœnitentiæ, et judicis rigorem satisfactionis officio mulceamus. Certum enim habet donum veniæ, cui permittitur pœnitere; nam proculdubio confiteri non sinitur, cui pietas nulla servatur. Hoc probat inveterati serpentis in ipsa origine mundi damnatio, quem inauditum sententiæ fulmen excussit; et non peroptatum absoluta severitas status sui possessione dejecit. Hoc Sodomæ et Gomorræ cœlesti incendio concrematæ perhibent regiones, erga quas ob excessum facinorum nihil reservatum est pœnitentiæ, ne fortassis admoniti possent ultionis justitiam declinare. Hic Pharaonis in Exodo clamat interitus, hoc Core, Dathan et Abiron inexspectatum testatur exitium, hoc Antiochi et Herodis supplicia proloquuntur, hoc Ananiæ et Sapphiræ indicat repentina animadversione naufragium: quos ad præsens tempus vindicta non distulit, et negata venia; severitas comitata truncavit. Non nos imparatos dies abcessionis inveniat, nec intra castra diabolica hyemis illius aut sabbati tempus includat. Vigilemus contra hostis antiqui fraudulentas insidias et apertas minas; erga conversos enim acrius excitatur, et refugos suos severior tamquam irrisus insequitur. Tunc cum deciperet, blandimentis illexerat; nunc tentationibus et crudelitatibus inquietat: tunc fuerat ut amicus, nunc ut inimicus irascitur; et per casum elisum effecit cautiorem, sed elidentem aliquoties solet elisus elidere. Fugiamus pomposas illecebras mundi, et ambitionibus ejus demus ex toto repudium. Hoc Joannes apostolus persuadet dicens: *Nolite diligere mundum, neque ea quæ sunt in mundo. Si quis diligit mundum, non est caritas Patris in eo, quia omne quod in mundo est, concupiscentia carnis est, et concupiscentia oculorum, et ambitio sæculi, quæ non est a Patre, sed ex concupiscentia mundi est: et mundus transibit, et concupiscentia ejus. Qui vero facit voluntatem Dei, manet in æternum; quomodo et Deus manet in æternum.* Lavemur baptismo pœnitentiæ, ut possimus Dominum mundo corde videre: auferamus nequitias ab animis nostris a conspectu oculorum Dei, discamus justitiam facere; inquiramus judicium, eripiamus injuriam accipientem, judicemus pupillo, justificemus viduam, et cum Domino disputabimus. Et si fuerint peccata nostra, ut phœnicium, ut nivem dealbabit: si autem ut coccinum, ut lanam candidam efficiet. Et quia asperget hyssopo, et mundabimur, lavabit nos, et super nivem candidiores erimus.

I Joan. II, 15.

Ps. L, 9.

CAPUT XXXIII.

Tria sunt quæ erga nos Dominus arbitrio suo constituta conservat: bonitatem dico, misericordiam atque justitiam. Bonitas est, qua esse jam cœpimus: misericordia, qua ad pœnitentiam provocamur: justitia, qua futuro tempore judicabimur. Hæc interim ordinem temporum in sese custodiunt, præteritum, præsens et futurum: præteritum, quo Domino auctore creamur et nascimur: præsens, quo conversi misericordiam promeremur: futurum, quo juxta opera nostra, justitia distribuente, munerabimur. Itaque cum misericordiæ regnum habemus in manibus, et in arbitrio nostro sunt posita dona pietatis; hic purgemus conscientias nostras ab omni inquinatione, et spiritalibus nos deinceps per bonam conversationem instrumentis aptemus. Evitemus desideria quæ militant contra animas nostras, et profanam conscientiam nullatenus patiamur. Consequemur omnia, quæ ex fide credimus, si justis nos actibus vita invituperabili A componamus. Merebimur remissam omnium peccatorum, resurgemus in vitam æternam in resurrectione credentium; et ut amplius loquendi præsumat audacia, in regna cœlorum cum justis intrabimus, cum quibus partem per pœnitentiam habere meruimus, Scriptura dicente: *Pœnitentibus autem dedit partem justitiæ, et corrogavit deficientes sustinere, et destinavit illos in sortem veritatis.* Eccl. xvii.

Hæc, amantissime frater, quibus tecum pariter ad exercendam pœnitentiam cohortarer, quantum B ex Dominicis lectionibus colligere mediocritas ingenii mei potuit, exaravi. Quæ si jam, ut arbitror, animi studio e proprio instituto sectaris, et curribus confessionis insidens, tendis ad veniam; accipe me tecum in hac cogitatione consortem, ut adjuncto communi comitatu, ad metas indulgentiæ properemus: aut si pigritiæ inertia præpeditus, pernicitatem tuam sequi non potero, memento mei: et cum præmium de Dei largitione merueris, quæso ut in orationibus tuis nulla capiaris oblivione Victoris. C

PRÆFATIO
AD SEQUENS LIBELLUM DE SPIRITU SANCTO.

« Prodiit hic libellus aut potius fragmentum e bibliotheca sancti Dionysii in Francia, unde illum eruit Gillotius ex antiquo codice, ubi tribus libris Ambrosianis *de Spiritu sancto* additus, *liber quartus sancti Ambrosii de Spiritu sancto* inscribebatur. Non tamen viro docto imposuit hæc epigraphe, quippe qui Scripturæ locos in hoc tractatu subinde allegatos non ejus, quam Ambrosius adhibebat, versionis esse, totumque opellæ stylum ab Ambrosiano discrepare animadvertit: quibus adjicit Auctorem in fine profiteri strictim se de Spiritu sancto disseruisse, cum e contrario quam fusissime de eodem egerit Ambrosius. Quapropter non alia re hoc idem fragmentum edendum judicavit, nisi quod et antiqui Auctoris, et lectione dignissimum esse arbitratus est, quo nomine cum illud Romani in appendice etiam retinuerint, nos similiter non putavimus rejiciendum ». Ita Maurini Editores. Desunt variæ lectiones, cum ex uno tantum scripto exemplari erutus fuerit.

DE SPIRITU SANCTO
LIBELLUS UNUS.

os autem in carne non estis, sed in spiritu, si tamen Spiritus Dei habitat in vobis: si quis autem Spiritum Christi non habet, hic non est ejus. Si autem Christus in vobis est, corpus quidem mortuum est propter peccatum: spiritus vero vivit propter justitiam. Quod si Spiritus ejus qui suscitavit Jesum a mortuis, habitat in vobis: qui suscitavit Christum ex mortuis, vivificabit et mortalia corpora vestra propter inhabitantem Spiritum ejus in vobis. Divino Apostolus modo et divino eloquio sacramentum Dominicæ Trinitatis et fidei nostræ mentibus intimavit. Nam cum dixisset: *Vos autem in carne non estis, sed in spiritu; si tamen Spiritus Dei habitat in vobis;* adjecit: *Si quis autem Spiritum Christi non habet, hic non est ejus.* Quid ergo Apostolus aliud quam unionem Trinitatis edocuit? Nam Spiritus Dei Spiritus Christi est: spiritus autem Christi et Dei A neque a Christo divisus aut separatus est; quoniam neque Deus ab Spiritu suo, neque Christus idem ab Spiritu suo potest separabilis indicari. Si autem inseparabilis Deus ab Spiritu suo est, inseparabilis utique et Christus ab Spiritu suo est: ergo Spiritus Dei et Spiritus Christi inseparabilis a Deo et Christo; ac per hoc Deus et Christus et Spiritus sanctus indivisi manifestantur, quia semper Spiritus in Deo et Christo perennis est. Nam quid aliud concatenatione hac et connexione significari B contendit, quam intelligentiam unitatis; dum per Spiritum Deus et Christus, qui inseparabiles a sese sunt, uniti, et ut ulterius dicam, unum intelligunt?

Rom. viii, 9 et seq.

Hoc divinum sacramentum est, hoc in se creatura naturaliter aut inseparabiliter non habet, ut unus Spiritus Patris et Filii, aut tres unus, et unum indivisibiliter esse noscantur. Et ideo securus Apostolus, qui hoc fundamentum fidei de sancta Scriptura didicit, et de divina revelatione cognovit, de cætero non timet alibi unum Deum, alibi cum C Domino, alibi cum Deo et Domino sanctum Spiritum prædicare; quia sive unus Deus dixerit, scit se nomen Trinitatis implesse: sive autem Dei et

Domini solummodo memor sit, scit dicere: *Ipse autem Deus, et Pater, et Dominus noster Jesus*
[illegible] III, 11 *Christus dirigat viam nostram ad vos,* et cavere ne dicat: Ipsi dirigant; sive Dei et sancti Spiritus faciat mentionem, scit se Christo injuriam non fecisse; sive Dei, et Domini, et Spiritus sancti causis competentibus personas aptet, scit dicere: *Et omnia hæc operatur unus atque idem Spiritus, dividens*
[illegible] XII, 11 *singulis prout vult;* quoniam et tres deos dicere impium est, et unum non in Trinitatis nomine confiteri admodum irreligiosum.

Denique sequentia consideremus, quibus hunc sensum confirmat et solidat; nam cum dixisset: *Si quis autem Spiritum Christi non habet, hic non est ejus,* adjecit: *Si autem Christus in vobis*
Rom. VIII, 9. *est.* Ergo manifestum est quia per inhabitantem Spiritum Christi Christus habitat: si autem per inhabitantem Spiritum Christi Christus habitat, utique et per inhabitantem Spiritum Dei Deus habitat. Denique subjunxit: *Quod si Spiritus ejus, qui suscitavit Christum ex mortuis, habitat in*
Ibid., 11. *vobis,* hoc est, Dei; ac per hoc non aliud esse Spiritus sanctus, quam Deus et Christus probatur, per quem Deus et Christus habitat: quem qui in se non habet habitantem, nec Deum potest habere, nec Christum.

Sed dicit aliquis: Si per Spiritum suum Deus habitat in nobis, et Spiritus cum Deo et Christo unum atque idem est; quomodo rursum dicitur: *Qui suscitavit Christum ex mortuis, vivificabit et mortalia corpora vestra?* Quomodo Deus et Christus unum sunt, cum Christus per Spiritum Dei suscitetur ex mortuis? *O altitudo divitiarum*
Rom. XI, 33. *sapientiæ et scientiæ Dei:* Vere, *ubi sapiens? ubi scriba?* Vere hoc est, *quod oculus non vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit,*
I Cor. XI, 2 *quæ præparavit Deus diligentibus se.* Præparavit autem Deus diligentibus se, ut Christus Dominus cum in forma Dei esset, formam servi acciperet, ut solus inveniretur utrumque. Cum ergo Christus utrumque sit, Deus scilicet et homo, suscitatio hæc non ideo divinitati ejus ascribitur, quia divinitas ejus aut pati aut mori posset; sed quia Verbum Deus caro factus est, et habitavit in nobis. Cæterum si divinitas ejus pati potuisset, non utique opus fuisset, ut formam servi acciperet: accepit autem formam servi non aliam ob causam, quam ut per eam pro salute diligentium et pati et mori posset. Et ideo recte dicitur Dominus majestatis crucifixus, et Dominus Jesus Christus ex mortuis excitatus, quia spontanea benignitate et divina sua ratione per templi sui passionem cuncta ipse suscepit et pertulit. Ac per hoc, id quod Christus excitatur ex mortuis, proficit ad gloriam Dei, et comprobat omnipotentiam Christi.

Sed et sequentia loci hujus non minus diligenter inspicere debemus; quoniam alta et profunda doctrina apostolus ita locutus est dicens: *Quod si Spiritus ejus qui suscitavit Jesum ex mortuis, habitat in vobis; qui suscitavit Christum ex mortuis, vivificabit et mortalia corpora ve-*
Rom. VIII, 11. *stra per inhabitantem Spiritum ejus in vobis.* Primum ergo manifestum est quia omnia Deus et Christus per inhabitantem Spiritum suum in nobis operatur; ac per hoc constat quoniam sanctus Spiritus omnia operatur, quia et mortalia corpora nostra vivificabit is, qui suscitavit Jesum ex mortuis, per inhabitantem Spiritum Christi in nobis.

A Et non dixit quia per se suscitat is, qui suscitavit Jesum ex mortuis, neque Christum per se suscitare: sed per inhabitantem in nobis Spiritum Christi Spiritus ejus, qui suscitavit Jesum ex mortuis, vivificabit et mortalia corpora nostra. Et utique in Evangelio legimus, dicente Domino: *Sicut Pater suscitat mortuos, et vivificat; ita et Filius quos vult, vivificat.* Et non est dictum ibi quia per Joan. V, 21. Spiritum suum suscitat Deus et Christus. Quid ergo? Contrarium hoc erit illi sententiæ? Absit: sed in-
B tellectus illorum nobis redditur, et docemur per Evangelium beatissimi Pauli qua ratione Deus suscitet, per inhabitantem scilicet Spiritum Christi in nobis; ac per hoc apertissime traditur, quia omnia opera divina Spiritus sanctus operatur. Et ideo alio in loco idem Apostolus docet dicens: *Divisiones gratiarum sunt, idem autem Spiritus: et divisiones ministeriorum sunt, idem autem Dominus: et divisiones operationum sunt, idem vero Deus, qui operatur omnia in omnibus.* Quo- I Cor. XII, 4.
C modo est illud idem Spiritus, si aliud est Spiritus, quam Deus et Dominus? aut quid est illud: *Idem Dominus,* si aliud est Dominus, quam Deus et Spiritus? aut qua ratione accipies: *Idem Deus,* si aliud est Deus, quam Dominus Spiritus? et si essentia vel οὐσία et divinitate et auctoritate aliud et aliud, et non unum sunt? Nullo modo possent dici idem, qui longe aliud et aliud reperirentur: inveniretur autem et Apostolus falsus testis et contumax in Deum, qui idem ascriberet, ubi idem
D non est. Sed absit hoc. Non sensu Apostolus laboravit: novit autem Deum et Dominum et Spiritum sanctum, unum Spiritum omnia in omnibus operantem.

Et ne quid forte scrupuli mens audientium sustineret; quia cum Trinitatis personam ostendisset, Deum cuncta in omnibus dixerat operantem, dum scit et Trinitatem vere probare, sicut vere et unionem; quamquam error nullus poterat videri, ubi idem sæpe jam dixerat: solito tamen suo more
E Apostolus, et prudentiæ suæ cautela, immo ut verius dicam, Spiritus sancti gubernatione, quem se revelatorem et doctorem habere sæpe profitetur, sicut dixit: *Sed docti Spiritu spiritalibus spiritalia comparantes:* et alio in loco: *Nobis autem* I Cor. II, 13.
revelavit Deus per Spiritum sanctum, reddidit Ibid., 10
omnia unioni, dicens: *Alii enim datur per Spiritum sermo sapientiæ, alii sermo scientiæ secundum eumdem Spiritum, alii fides in eodem Spiritu, alii gratia curationum in uno Spiritu,* etc. I Cor. XII, 8
F Et in novissima parte concludens ait: *Omnia autem hæc operatur unus atque idem Spiritus,* Ibid., 11.
qui supra scilicet Deus. Ergo quia omnia operatur Deus atque idem Spiritus, Patrem et Filium et Spiritum sanctum, in quorum nomine per regenerationis baptisma recreamur, unum Deum, quod est nomen unum, accipere debemus et credere; quia uno atque eodem modo, iisdemque virtutibus, nec non et prophetationibus, quibus Patrem Deum discimus, de Spiritu quoque sancto et de Filio
G edocemur.

Sed forte quis dicat: Omnia dixit, quæ ad ordinationem Ecclesiæ pertinent: non autem omnia, quæ Deus operatur, et Dominus operatur et Spiritus. Ergo de omnibus vel pauca ponenda sunt, quibus probetur Spiritum sanctum omnibus omnino divinis operibus adesse, et ipsum omnia implere. Moyses Spiritu sancto impletur, et per Spiritum

prophetiæ præscientia docetur, et futura prædicit.
1 Quid prophetæ omnes deinceps? Num[1] Spiritu sancto pleni prophetaverunt, et plagas populo imminentes annuntiaverunt, et adventum Domini et passionem prædicaverunt, probante Domino et dicente per os Zachariæ prophetæ: *Verumtamen verba mea et legitima mea accipite, quæ ego mando in Spi-*
Zach. I, 6. *ritu meo servis meis prophetis;* ac per hoc manifestum est omnes prophetas in Spiritu sancto prophetasse.

Legem quoque ipsam per Spiritum sanctum datam accepimus et scriptam; dicit enim Moyses: *Et dedit Dominus duas tabulas lapideas digito*
Exod. XXXI, 18. *Dei scriptas.* Digitum autem Dei Spiritum sanctum dici Evangelia manifestant; cum enim Dominus dæmonem ejecisset, et accusaretur a Judæis quod in Beelzebub principe dæmoniorum dæmonia expelleret, secundum Lucam quidem respondisse perhi-
Luc. XI, 20. betur: *Quod si ego in digito Dei expello dæmonia;* secundum Matthæum vero: *Si autem ego in Spi-*
Matth. XII, 28. *ritu Dei ejicio dæmones,* unde manifestum est Spiritum digitum Dei dici. Cum ergo constet Spiritum sanctum digitum Dei dici, manifestum est quia tabulas lapideas Spiritus sanctus scripsit, quas Moyses digito Dei scriptas accepit, et Spiritus sanctus dedit, quia digitus Dei non aliud quam Deus est; quoniam in omnibus operatur.

Virtutes quoque ipsas, quas divina potentia in Ægypto in doctrinam et in experimentum sui peccatoribus operata est, num manifestum est in digito Dei esse perfectas, probante Domino, qui se in digito Dei, id est, in Spiritu sancto ejicere dæmonia profitetur, quia idem ipse in Ægypto, et Spiritus sanctus eadem consummavit et gessit. Quod quidem sensibus nostris intimans Dominus, in digito Dei se profitetur expellere dæmonia, docens scilicet opera sua opera esse sancti Spiritus; cum opera sancti Spiritus opera Christi sint: opera autem Christi opera Patris sunt, sicut in Evangelio secundum Joannem legimus, ipso Domino dicente: *Amen, amen dico vobis, non potest Filius facere a se quidquam, nisi quod viderit Patrem facientem; quæcumque autem ille facit, eadem*
Joan. V, 19. *et Filius facit similiter;* et: *Sicut Pater mortuos*
Ibid., 2. *suscitat, et Filius quos vult, vivificat.* Ergo hoc gradu et hac ratione agnoscimus opera sancti Spiritus esse opera paterna, quia quæ Pater operatur, eadem et Filius operatur similiter; quæ autem Filius operatur, eadem et sanctus Spiritus operatur. Ac sic semper Trinitas unus Deus et unus Spiritus per se, sed ex sese eadem et omnia in omnibus operatur. Quem quidem sanctum Spiritum quia in virtutibus suis et potentia divina agnoscere Egyptii noluerunt, plagis compulsi sunt confiteri, in quas ne nunc audientes incidant, a Domino admonentur,
Exod. VIII, 19. ut sero incipiant dicere: *Digitus Dei est;* ac per hoc manifestum est, quia unus atque idem Spiritus
I Cor. XII, 8. omnia in omnibus operatur.

Nativitas quoque ipsius Domini Jesu secundum carnem nonne per Spiritum sanctum facta prædicatur, evangelizante Gabriele angelo Mariæ, et dicente: *Spiritus sanctus superveniet in te, et*
Luc. II, 35. *virtus Altissimi obumbrabit tibi?* et iterum Joseph angelus in somnis apparet, dicens: *Joseph fili David, ne timueris accipere Mariam conjugem tuam; quod enim in ea generatum est, de*

A *Spiritu sancto est?* et inde perspicuum est quia omnia et in omnibus ipse operatur et perficit. Matth. I, 20.

Sed ajunt quidam: Omnia quidem divina operatur, et de operibus Deus intelligitur: sed nihil tamen sua auctoritate probatur operari, quia omnia per eum Deus operatur et Dominus. Jam quidem de auctoritate ejus satis constat, cum Deus probatur, Deus agnoscitur, cum inseparabilis a Deo invenitur, cum unionem habere cum Deo et Domino manifestetur: sed quoniam de auctoritate ejus quæritur,
B quam Scriptura non tacuit, edoceri nos oportet, primum quidem cum dicitur: *Hæc autem omnia operatur unus atque idem Spiritus, dividens singulis prout vult.* Dividit, manifestum est quia non I Cor. XII, 8.
ex imperio operatur alieno; et attendendum quia quæ prout vult, dividit, non est scriptum quæ aliena sunt. Et rursum in Actibus apostolorum legimus: *Deservientibus autem illis et jejunantibus Domino, dixit Spiritus sanctus: Segregate mihi Barnabam et Paulum, in opus ad quod*
C *vocavi eos.* Quid ergo clarius, quid lucidius ad Act. XIII, 2
manifestandam divinitatem et auctoritatem Spiritus sancti dici potest: *Segregate mihi?* Non enim dixit: Segregate Deo, sed mihi; neque in opus, ad quod vocavimus eos, sed in opus ad quod vocavi. Satis utique probavit nobis auctoritatem et divinitatem suam, qui segregationem apostolorum non alii quam sibi ascripsit: quos et in opus non alienum, sed suum advocasse se dixit; quod utique alienus a Deo et Domino et ab auctoritate divina
D facere numquam potuisset.

Atque ut clarius luceat Trinitatis sanctæ auctoritas una et divinitas excolenda, Esaiæ prophetæ nobis contemplanda prophetatio est, quam per apostolos ipse Spiritus sanctus nobis interpretatus est, quam ita legimus: *Et audivi vocem Domini dicentis: Quem mittam, et quis ibit ad populum istum? Et dixi: Ego, ego sum, mitte me. Et dixit: Vade, et dic populo huic: Aure audietis, et non intelligetis: et videntes videbitis, et non*
E *aspicietis,* etc. Et utique modo dicens supra in Isai. VI, 8.
eadem visione, Dominum sabaoth vidisse se dixit sedentem in throno gloriæ suæ, et Seraphim audivisse dicentes: *Sanctus, sanctus, sanctus Dominus Deus sabaoth; plena est omnis terra majestate ejus.* Et certe Dominus sabaoth, cui laus hæc et Ibid., 3.
gloria redditur, unus atque idem in prophetis ostenditur, et ipse est qui Esaiæ locutus est dicens: *Quem mittam, et quis ibit ad populum istum?* Et cum unus atque idem in prophetis significetur,
F ab apostolis tamen et ab Ecclesia Trinitas intelligitur. Unde etiam tractum est per omnes fere orientales Ecclesias et nonnullas occidentales, ut in oblationibus sacrificiorum, quæ Deo Patri offeruntur, una cum sacerdote voce populus utatur, id est, *Sanctus, sanctus, sanctus, Dominus Deus sabaoth: plena est omnis terra majestate ejus.* Ergo secundum prophetam constat hoc ad personam Dei Patris referri oportere.

Joannes autem Evangelista informat nos, et docet
G de Filio intelligi debere; nam cum supradictum testimonium Evangelio inscripsisset, et interpretatus esset, postea subjunxit: Hæc dixit Esaias, quando vidit gloriam ejus, et locutus est de eo, id est, Domino Christo. Paulus autem apostolus Romæ Judæis contradicentibus doctrinæ suæ, et blasphemam-

[1] Hic et subsequenter *num* pro *certe*. *Edit. Mediol.*

tibus viam Domini Christi, exaltans vocem suam, ait: *Bene prophetavit Spiritus sanctus per Esaiam, dicens: Vade, et dic populo huic: Aure audietis, et non intelligetis; et videntes videbitis, et non aspicietis*, etc. Cum ergo in prophetia divinitas una doceatur ab apostolis, et tamen ab Ecclesia Trinitas intelligatur, certissime utique docemur quia Trinitas idem Pater et Filius et Spiritus sanctus unum et unus Deus sunt: et cum unus Deus intelligantur et agnoscantur, unius etiam et auctoritatis intelligantur necesse est. Et rursum Dominus in Evangelio hujus unionis Trinitatem docet dicens: *Euntes ergo docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti*, etc. Et cum Patris, et Filii, et Spiritus sancti significantiam edidisset, Trinitatis tamen ipsius nomen unum observare nos docuit, quod est, *Sanctus, sanctus, sanctus, Dominus Deus sabaoth: plena est omnis terra majestate ejus*; ac per hoc consuetudo Scripturæ manifesta est, quæ et cum unum Deum nuncupat, intellectum tamen Trinitatis non amputat; et cum Patris et Filii et Spiritus sancti meminit, nomen non interimit majestatis unius.

Act. xxviii, 26. Matth. xxviii, 19. Isai. vi, 3.

A Et quid plura? Deficiet mihi pagina, deficiet tempus, si cuncta quæ ad probandam divinitatem Spiritus sancti scripta sunt, revolvere aut enumerare voluero. Hæc autem breviter dicta sunt ad retundendam impudentiam eorum, qui divinitatem Spiritus sancti, immo ut verius dicam, ipsam Trinitatem abnegare conantur: ipsam autem negant, quando non ita ut est, Deum fatentur: quando non ita credunt, ut Scriptura divina nos docuit, et ut credere oportet; sed prout illos traxerit sensus B sui libido: et ut intelligant quam longe a fide Dei sint, aut quam alieni a salute quæ est in Christo Jesu, qui Spiritum sanctum, quo credentes signamur in die redemptionis nostræ, contristare et abnegare nituntur: et ut sciant qui talia sentiunt, quia hujusmodi machinantur, quæ neque ad veniam, neque ad remissionem peccatorum suorum poterunt pertinere; quia scriptum est: *Qui autem blasphemaverit in Spiritum sanctum, non remittetur ei neque in hoc sæculo, neque in futuro*: C sed illi se potius sententiæ subjicere non nesciant, quam divina mensura idem per os Esaiæ protulit dicens: *Vermis eorum non morietur, et ignis eorum non exstinguetur*.

Matth. xii, 31. Isai. lxvi, 24.

PRÆFATIO
AD SEQUENTEM OPELLAM DE CONCORDIA MATTHÆI ET LUCÆ.

« Hanc quoque scriptiunculam debemus Gillotio, qui eam e codicibus duobus manu exaratis, altero Dionysiano, altero Victorino, in quibus ascribitur sancto Ambrosio, in lucem emisit. Quod vero eam *nec materia nec stylo* abhorrere a Doctore nostro profitetur, non possumus profecto subscribere illius opinioni, sed ad simplicem scedulæ ipsius lectionem, et maxime horum verborum, *sed hujus quæstionis talis a Patribus solutio datur*, considerationem fidenter provocamus ». Ita jure merito Maurini Editores, cum e verbis superioribus satis superque constet recentius vixisse opellæ auctorem.

DE CONCORDIA MATTHÆI ET LUCÆ
IN GENEALOGIA CHRISTI.

In Christi generatione Matthæus et Lucas dissentire videntur, propterea quod cum alter, id est, Matthæus descendendo; alter, id est, Lucas ascendendo, ejusdem generationis seriem texat. Matthæus quidem ab Abraham exordium narrationis sumens, et ad David usque descendens, deinde per Salomonem usque ad Joseph lineam deducit: Lucas vero a Joseph incipiens, per Nathan ad David, et a David usque ad Abraham, postremo ab Abraham usque ad Adam generationis ordinem revolvendo ascendit. Unde contingit ut a David deorsum, cum ille per Nathan, iste per Salomonem generationis tramitem deducat, totus pene computationis ordo dissideat. Sed quia Scriptura sacra diversa quandoque recipit, adversa autem omnino non admittit; dum non permittimur credere contrarietatem, latentem cogimur quærere veritatem. Matthæus igitur generationem Christi descendendo computat, osten- A dens Filium Dei per carnis susceptionem factum esse Filium hominis: Lucas eamdem ascendendo texit, demonstrans filios hominum effici filios Dei per gratiam adoptionis.

Propterea etiam Matthæus generationis seriem usque ad Christum natum ducere volens, non a primo parente Adam, sed ab Abraham exorsus est; ut ostenderet quod susceptio carnis in Filio Dei non fuit primæ conditionis institutio, sed promissionis postmodum factæ impletio. Lucas vero a Christo B baptizato incipiens, non in David vel in Abraham, sed nec in Adam finem fecit: sed per David et Abraham atque Adam transiens, ad Deum ascendit; ut aperte daret intelligi, quod ii qui per generationem carnis filii sunt hominum, per regenerationem baptismatis in adoptionem transeunt deitatis. Ideo Matthæus in genealogia nonnisi naturales filios computare voluit: Lucas vero inter naturales etiam adoptivos ascribit; ut ostendatur et in Christo nascente vera fuisse carnis susceptio, et in nobis C renascentibus non per naturam, sed per gratiam provenire adoptio. Hæc ergo fuit causa quare in generationis serie alios Matthæus, et alios Lucas

patres posuit; quia ille, sicut diximus, solos naturales; iste vero naturalibus etiam adoptivos connumeravit. Quod ut melius patere possit, utrorumque narrationem conferamus.

Ordo generationis Christi secundum Matthæum talis est: *Abraham genuit Isaac, Isaac genuit Jacob. Jacob genuit Judam, Judas genuit Phares, Phares genuit Esron, Esron genuit Aram, Aram genuit Aminadab, Aminadab genuit Naasson, Naasson genuit Salmon, Salmon genuit Booz, Booz genuit Obed, Obed genuit Isai, vel Jesse, Jesse genuit David, David genuit Salomonem, Salomon genuit Roboam, Roboam genuit Abiam, Abia genuit Asa, Asa genuit Josaphat, Josaphat genuit Joram, Joram genuit Oziam.* Tres hic intermisit Evangelista, id est, Oziam sive Ochoziam, et Joas, et Amasiam; Joram enim primo loco genuit Ochoziam, et Ochozias genuit Joas, et Joas genuit Amasiam, et Amasias demum genuit Oziam, de quo nunc dicitur: *Joram genuit Oziam.* Quod ita intelligendum est, genuit videlicet mediantibus supradictis; quia per illos de semine ejus processit. Hos autem Evangelista vel ideo prætermisit, ut numerus tesseræ decadis æquaretur: vel ideo, quia Joram generi se miscuit Jezabel; et dictum erat per prophetam de domo Achab non esse quemquam regnaturum, nisi in quarta generatione: et ideo memoria ejus tollitur, eo usque a sancta generatione. *Ozias* ergo, qui et Azarias, *genuit Joatham, Joatham genuit Achaz, Achaz genuit Ezechiam, Ezechias genuit Manassen, Manasses genuit Amon, Amon genuit Josiam, Josias genuit Jechoniam, Jechonias genuit Salathiel.* Veritas historiæ habet quod Josias genuerit Eleachim, qui et Joachim, sive Jechonias dictus est: Eleachim autem genuit Joachim, qui et ipse sicut pater, Jechonias appellatus est: hic demum genuit Salathiel. Dicemus ergo aut unum propter supradictam rationem, sive aliam quamcumque ob causam prætermissum; aut non esse eumdem Jechoniam illum, de quo dicitur: *Josias genuit Jechoniam;* et illum de quo dicitur: *Post transmigrationem Babylonis Jechonias genuit Salathiel:* sed priorem esse patrem, secundum esse filium: propter separationem autem et disjunctionem transmigrationis non esse repetitam inter eos generationis connexionem, ut diceretur: *Jechonias genuit Jechoniam, Jechonias* ergo *genuit Salathiel, Salathiel genuit Zorobabel, Zorobabel genuit Abiud.* Huc usque ex libris veteribus generationis ordo texitur: quæ sequuntur auctoritas evangelistæ confirmat. *Abiud genuit Eliachim, Eliachim genuit Azor, Azor genuit Sadoc, Sadoc genuit Achim, Achim genuit Eliud, Eliud genuit Eleazar, Eleazar genuit Mathan, Mathan genuit Jacob, Jacob genuit Joseph.* Hoc modo generationem naturaliter descendisse credimus; nunc secundum Lucam seriem generationis revolvamus.

Matth. I, 2 et ss.

Lucas sic ait: *Ipse Jesus erat incipiens quasi annorum triginta, ut putabatur, filius Joseph, qui fuit Heli, qui fuit Matthat.* Prima fronte contrarietas occurrere videtur. Matthæus dicit Joseph filium fuisse Jacob, et Jacob filium Mathan: Lucas dicit Joseph filium fuisse Heli, et Heli filium non Mathan, sed Matthat. Sed hujus quæstionis talis a Patribus solutio datur: Mathan qui per Salomonem descendit, uxorem habuisse Esthan nomine; de qua genuit filium Jacob, quo mortuo, Matthat qui per Nathan descendit, eamdem uxorem duxit, et genuit ex ea filium Heli. Sic ergo Heli et Jacob uterini fratres fuerunt, una matre, non uno patre editi. Prior Heli duxit uxorem, et mortuus est sine liberis: postea Jacob accepit uxorem fratris, ut suscitaret semen fratri suo, ex qua genuit Joseph. Joseph ergo filius est Jacob secundum generationem, filius Heli secundum Legem. Deinde generationis ordo texitur. *Joseph qui fuit Heli, qui fuit Matthat, qui fuit Levi, qui fuit Melchi, qui fuit Janne, qui fuit Joseph, qui fuit Matthathiæ, qui fuit Amos, qui fuit Nahum, qui fuit Hesli, qui fuit Nangæ, qui fuit Matth, qui fuit Mathatthiæ, qui fuit Semei, qui fuit Joseph, qui fuit Juda, qui fuit Johanna, qui fuit Resa, qui fuit Zorobabel, qui fuit Salathiel.* Non puto eumdem hunc esse Zorobabel aut Salathiel, qui superius in serie generationis secundum Matthæum numerati sunt; cum et ille Salathiel non filius Neri, sed filius Jechoniæ fuerit; et Zorobabel non Resa, sed Abiu, et cæteros, inter quos Resa non numeratur, genuerit: vel si iidem sunt, dicendum est quod hic primum utriusque computationis linea in unum concurrat, deinde mox secundum modum quem in capite generationis hujus signavimus, ab invicem deducantur. *Qui fuit Neri, qui fuit Melchi, qui fuit Addi, qui fuit Cosam, qui fuit Elmodan, qui fuit Her, qui fuit Jesu, qui fuit Eliezer, qui fuit Jorim, qui fuit Matthat, qui fuit Levi, qui fuit Symeon, qui fuit Juda, qui fuit Joseph, qui fuit Jona, qui fuit Eliachin, qui fuit Melcha, qui fuit Menan, qui fuit Matthata, qui fuit Nathan, qui fuit David.* Quæ deinceps sequuntur usque ad Abraham, in utroque eadem sunt. Sane quod in ipsa generationis linea plures secundum Lucam a Joseph usque ad David, quam secundum Matthæum a David usque ad Joseph numerentur, contrarium videri non debet, cum ipsæ successiones generationum in ea parte multiplicius excreverint, ubi citius decedentibus patribus, filii numerosius successerunt.

Luc. III, 23.

Ibid., 23 et seq.

Ibid., 27 et seq.

PRÆFATIO
AD LIBELLUM DE DIGNITATE CONDITIONIS HUMANÆ.

« Libellus a nobis infra positus, in omnibus Operum Ambrosianorum editionibus libros Hexaemeron proxime sequitur; sed veteres editiones prudentem ac necessariam cautionem adhibuerant hisce verbis, *qui sancto Ambrosio auctori a quibusdam ascribitur:* at Romana, iisdem verbis e medio sublatis, eumdem tractatum sine ulla restrictione sancto Doctori adjudicavit. Verumtamen nihil videat oportet in Ambrosianis lucubrationibus, qui hanc illius esse sibi persuadeat. Nam præter quam quod nihil usquam Ambrosiani spirat, certissimum est centonem esse, cujus prima ac postrema pars invenitur apud Alcuinum sub hoc lemmate: *Dicta beati Albini levitæ super illud Geneseos, Faciamus hominem*, etc. item in libro *de Spiritu et Anima* ad calcem tomi sexti Augustiniani edito: nec non sententiæ aliquot in tractatu Paulini Aquilejensis *de salutaribus Documentis,* qui etiam in eadem Appendice Augustiniana continetur. Quod vero ad partem intermediam, ab illis nimirum verbis, *et ideo, dilectissime fili*, usque ad alia illa, *o dilectissime fili, habeto*, quam suspicamur auctoris esse ipsomet Alcuino ut obscurioris, ita et posterioris; cum prope major sit aliis duabus, nec ipsam alibi reperire nobis licuerit, ut totam opellam retineremus, in causa fuit ». *(Editores Maurini, quorum et notæ).*

DE DIGNITATE CONDITIONIS HUMANÆ
LIBELLUS.

CAPUT I.

Gen. xi, 26. *aciamus hominem ad imaginem et similitudinem nostram.* Tanta itaque dignitas humanæ conditionis esse cognoscitur, ut non solo jubentis sermone, sicut alia sex dierum opera, sed consilio sanctæ Trinitatis, et opere majestatis divinæ creatus sit homo; ut ex primæ conditionis honore intelligeret, quantum deberet suo conditori, dum tantum in conditione mox dignitatis privilegium præstitit ei conditor; ut tanto ardentius amaret conditorem, quanto mirabilius se ab eo esse conditum intelligeret: nec ob hoc solum quod consilio sanctæ Trinitatis sic excellenter a conditore conditus est; sed etiam quod ad imaginem et similitudinem suam ipse creator omnium eum creavit, quod nulli alii ex creaturis donavit.

CAPUT II.

Quæ imago diligentius ex interioris hominis nobilitate est consideranda. Primo quidem quod sicuti Deus unus semper ubique totus est, omnia vivificans, movens et gubernans, sicut Apostolus confirmat quod *In eo vivimus, movemur et sumus;* Act. xvii, 28. sic anima in suo corpore ubique tota viget, vivificans illud, movens, et gubernans. Nec enim in majoribus corporis sui membris major, et in minoribus minor: sed in minimis tota, et in maximis tota. Et hæc est imago unitatis omnipotentis Dei, quam anima habet in se.

Quæ quoque quamdam sanctæ Trinitatis habet imaginem. Primo in eo quia sicut Deus est, vivit, et sapit; ita anima secundum suum modum est, vivit et sapit. Est quoque et alia trinitas in ea, A qua ad imaginem sui conditoris perfectæ quidem et summæ Trinitatis, quæ ex Patre et Filio et Spiritu sancto condita est: et licet unius illa naturæ, tres tamen in se dignitates habet, id est, intellectum, voluntatem et memoriam. Quod idem, licet aliis verbis, in Evangelio designatur, cum dicitur: *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, et ex tota anima tua, et ex tota mente tua*, id est, ex toto intellectu, et ex tota voluntate, et ex tota memoria. Matth. xxii, 37. Nam sicut ex Patre B generatur Filius, et ex Patre Filioque procedit Spiritus sanctus; ita ex intellectu generatur voluntas, et ex his item ambobus procedit memoria, sicut facile a sapiente quolibet intelligi potest; nec enim anima perfecta esse sine his tribus, nec horum trium unum aliquod, quantum ad suam pertinet beatitudinem, sine aliis duobus integrum constat: et sicut Deus Pater, Deus Filius, Deus Spiritus sanctus est, non tamen tres dii sunt, sed unus Deus tres habens personas; ita et anima intellectus, C anima voluntas, anima memoria, non tamen tres animæ in uno corpore, sed una anima tres habens dignitates. Atque in his tribus ejus imaginem mirabiliter gerit in sua natura noster interior homo, ex quibus quasi excellentioribus animæ dignitatibus jubemur diligere conditorem; ut in quantum intelligitur, diligatur; et quantum diligitur, semper in memoria habeatur. Nec solus sufficit de eo intellectus, nisi fiat in amore ejus voluntas: immo nec D hæc duo sufficiunt, nisi memoria addatur, qua semper in mente intelligentis et diligentis maneat Deus; ut sicut non potest esse momentum, quo homo non utatur vel fruatur Dei bonitate et misericordia; ita nullum debeat esse momentum, quo præsentem eum non habeat memoria.

Et ideo, dilectissime fili,[1] juste mihi videtur dictum interiorem hominem imaginem esse Dei; anima enim nominatur totus interior homo, qua vivificatur, regitur, continetur lutea illa massa humectata succis, ne arefacta dissolvatur. Deus dicitur E

[1] *Dilectissime fili*, hanc apostrophen hic et infra iterum ac tertio Rom. editio jugularat.

vis illa ineffabiliter magna, et innumerabiliter sapiens, ut scriptum est: *Magnus Dominus noster, et magna virtus ejus, et sapientiæ ejus non est*
Ps. CXLVI, 5. *numerus;* et incomparabiliter suavis, ut alibi dicit: *Suavis Dominus universis, et miserationes ejus*
Ps. CXLIV, 5. *super omnia opera ejus.* Ex qua, et per quam, et in qua sunt omnia, quæ sunt; reguntur omnia, quæ sunt; continentur omnia, quæ sunt: omnia dico ipsam universitatem, quæ est totum, quod aliud est, quam ipse qui fecit, et non est factus:
1 sed ipse est ex quo,[1] et qui ex eo, et quo; quod Deus ex quo est, Pater dicitur a nobis pauperibus sensu, pauperioribus verbis; quod qui ex eo, Filius dicitur: quod quo Spiritus sanctus. Ideo autem dicitur Deus Pater, quia ipse est ex quo et sapientia est, qua ordinantur omnia, et dilectio, qua se volunt omnia ita manere, ut ordinata sunt. Ex quo ergo, et qui ex eo, et quo se diligunt ipsa duo, tria sunt, et illa tria ideo unum, quia sic sunt ex uno illa duo, ut tamen ab ipso non sint separata: sed ex ipso sunt, quia non a se: et in ipso, quia non separata: et ipsum ipsa quod ipse, et ipsum ipse quod ipsa; et non ipsum ipsa qui ipse,
2 et non ipsa ipse quæ ipsa.[2] Vis ista Deus est, et ipse Deus tria est, et unumquodque horum trium Deus est, et omnia tria illa non dii, sed Deus est.

Ad imaginem ergo suam conditor, ut dictum est, fecit animam hominis, quæ tota dicitur anima. Non autem aliud hominis quam animam significo, cum mentem dico: sed propter aliud animam, et propter aliud mentem. Nam totum quod vivit, hominis anima est: cum autem anima in se agit se, et ex se, et per se, sola mens dici solet: sensus vero ad sua ministeria implens, consuetius anima dicitur. Mens ergo scire gignit, et amat scire, quod scit. Non illud scire dico, quo repente scitur res aliqua, quæ ante nesciri putabatur: sed illud, unde et aliquod et omne quidquid scitur vel nescitur, sciri potest. Illud ergo scire mens gignit, et cum genitum est, scientia potest dici. Sunt ergo jam duo, mens, et quod ipsa mens scit: restat tertium utriusque commune. Omnis mens quidquid scit, amat scire. Amor non minus quam inter duos est, amantem, et quod amatur. Unus est ergo amborum amor, qui et tertius est. Non autem potest negari hoc totum unam esse animam, et unam animam hæc tria esse; sicut enim hæc tria vere una anima sunt, sic non minus vere una anima est hoc unum et hoc alterum et hoc tertium.

Comparet igitur se hæc creatura tam eminens Creatori suo supereminenti sibi excepto hoc et multum supra se amoto, quod omnis bonitas, et omne bonum, et omnis bonitatis et boni dulcedo creatoris
A a se ipso est: creatura vero non solum quod est, sed etiam quod talis est, ab alio est, non a se; et ipse quod est, semper est. Licet et ipsa anima modo quodam suo incommutabilis est; nam semper anima est, postquam esse cœperit, et scit, et scire vult. Comparet ergo, ut dixi, se anima eo modo, quo potest, creatori suo; ut dicatur mens Pater; quia gignit scire: dicatur scire Filius; quia ex alio est, et non est aliud, quam ipsum quod ipse est, ex quo est: dicatur amor Spiritus sanctus;
B quia amborum est eorum, qui se amant. Unde in nostris Scripturis sæpius amor, id est, caritas, quæ in Deo est erga nos, et quæ a nobis in Deum, Spiritus ipse appellatur: et hæc de imagine, o dilectissime fili, habeto.

CAPUT III.

Nunc vero de similitudine aliqua intellige, quæ minoribus cernenda est; ut sicut Deus Creator,
C qui hominem ad similitudinem suam creavit, est caritas, est bonus et justus, patiens atque mitis, mundus et misericors, et cætera virtutum sanctarum insignia, quæ de eo leguntur: ita homo creatus est, ut caritatem haberet, ut bonus esset et justus, ut patiens atque mitis, mundus et misericors foret. Quas virtutes quanto plus quisque in seipso habet, tanto propius est Deo, et majorem sui conditoris gerit similitudinem. Si vero, quod absit, aliquis per devia vitiorum, et divortia criminum ab hac no-
D bilissima sui conditoris similitudine degener oberrat, tunc fiet de eo quod scriptum est: *Et homo cum in honore esset, non intellexit; comparatus est jumentis insipientibus, et similis factus est illis.* Ps. XLVIII, 13.

Qui major honor potuit homini esse, quam ut ad similitudinem sui factoris conderetur, et eisdem virtutum vestimentis ornaretur, quibus et conditor, de quo legitur: *Dominus regnavit, decorem indutus est;* id est, omnium virtutum splendore, et Ps. XXIX, 1
totius bonitatis decore ornatus? Vel quod majus
E homini potest esse dedecus, aut infelicior miseria, quam ut hac similitudinis gloria sui conditoris amissa, ad informem et irrationabilem brutorum jumentorum delabatur similitudinem?

Quapropter, o dilectissime, quisque diligentius attendat prime conditionis suæ excellentiam, et venerandam in seipso sanctæ Trinitatis imaginem agnoscat, honoremque similitudinis divinæ ad quem creatus est, nobilitate morum, exercitio virtutum, dignitate meritorum habere contendat; ut quando
F appareat qualis sit, tunc similis ei appareat, qui se mirabiliter ad similitudinem suam in primo Adamo condidit, mirabiliusque in secundo reformavit. I Joan. III, 2

[1] Rom. edit., *ex quo, per quem, et in quo.*

[2] Eadem edit., *et non ipsa quæ ipsa. Ista duo Deus est.*

PRÆFATIO
AD ACTA S. SEBASTIANI.

Damus hæc ex *Actis Sanctorum* a Bollando et sociis editis cum sequenti *Admonitione* propria, prout eam editor Migne exhibuit in Appendice ad S. Ambrosii Opera, et notis in Bollandi editione adjectis.

1. *Illius* (Sebastiani) *ac sociorum Acta censet Baronius an. 286, num. 2,* esse legitima, ac digna quæ Annalibus attexantur. *Joannes Hessels a Lovanio, Molani magister, in censura de quibusdam sanctorum historiis, satis alioquin, ut alibi à nobis indicatum est, severa, ista scribit:* S. Sebastiani tota passio omnibus modis placet, in qua multorum aliorum passio continetur.

2. Ea Acta, *inquit Galesinius,* a sanctæ Romanæ Ecclesiæ notariis conscripta putantur. *Id quidem nobis minime dubium est; at non fortassis, ut nunc in manibus sunt. Nam horum auctor S. Ambrosius ante annos 800 habitus. Ita monachus anonymus, non ineruditus, qui translationem reliquiarum S. Sebastiani in Galliam, de qua mox, descripsit, cap. 6, num. 22:* Alarces simul vadunt ad locum non jam ignotum; si quidem ex serie passionis ejus a S. Ambrosio luculenter editæ didicerant, miliario tertio ab urbe, loco qui ob stationem navium Catacumbas dicebatur, præcepisse per visum eumdem beatissimum martyrem Lucinæ cuidam matronæ, sepeliri se ad vestigia apostolorum Petri et Pauli. *Et in Epilogo, num. 100:* Quisquis sane fastidiosius, lautiori edulio appetis satiari, hunc nostrum furfurem postponens, sanctissimi Patris Ambrosii opus, quod de hujus triumpho cœlitis edidit, inquirens, in eo reperies ferculum ditissime refertum; cujus delicioso admodum siligine palato mentis degustato, delectabiliter poteris saginari.

3. *Neque mirum, ut aliorum sanctorum, ita Sebastiani, Mediolano oriundi, ad Mediolanensium inflammandos pari virtutis ardore animos, præclara certamina, aut tradidisse ipsum litteris primum, ex majorum vel sermone, vel commentariis, aut ab aliis tradita interpolasse. Neque stylus ab Ambrosii elegantia et gravitate multum recedit.*

4. *Ea Acta Rosweido nostro ex mss. Rebdorffensi prope Eystadium, Eystadiano PP. Prædicatorum, M. Velseri, S. Martini Treviris descripta, contulimus cum mss. S. Gislemi, S. Audomari, S. Maximini, Ripatorii, aliisque, et Bonini Monbritii editione. Quæ Livinus Brechtus Antverpiensis, minorita, ex ms. Mechliniensi* (mutato tamen nonnihil stylo, *ut testatur Molanus, et patet legenti) Lovanii edidit, dicavitque Viglio Zuichemo concilii Cæsarei præsidi, hoc præfixo titulo:* Memorabilis historia complectens conversionem et agones illustrium aliquot martyrum, una cum aurea exhortatione ad vitæ præsentis contemptum, et æternæ desiderium, opusculum incerti quidem auctoris; sed a F. Livino Brechto recens recognitum et expurgatum. *In epistola nuncupatoria ista habet:* Nos illustres martyrum agones, ante mille (ni fallor) et ducentos annos diligentissime conscriptos, Christiano lectori communicandos duximus.

5. *Eadem Acta e Græco Simeonis Metaphrastæ Latine vertit Gentianus Hervetus, edidit Aloysius Lipomanus, atque ex eo Surius. Ea conscripsere quoque Jacobus de Voragine, Franciscus Haræus, Zacharias Lippelous, Ferrarius in Catal. SS. Italiæ, Baronius tom. II Annal., M. Antonius Georgius, Joannes Basilius Sanctorius, Ribadeneira et Rosweidus nostri, Petrus de Natal. lib. II, cap. 106, Gabriel Flamma, et alii innumeri. Sermo S. Augustini de diversis centesimus, in ejus sanctique Fabiani natali habitus est; S. Gregorii homilia 37, in basilica S. Sebastiani. Aliorum multorum exstant de eo sermones. Legimus idem illius martyrium in ms. Nicolaii Belfortii, canonici regularis Suessionensis, carmine descriptum ab Oliverio Conrado minorita.*

ACTA S. SEBASTIANI MARTYRIS.

CAPUT I.

S. Sebastianus martyres animat.

Sebastianus vir christianissimus Mediolanensium partibus eruditus civis[1] vero Narbonensis, Diocletiano et Maximiano imperatoribus ita carus erat, ut principatum ei primæ cohortis traderent, et suo eum conspectui juberent semper astare. Erat enim vir totius prudentiæ, in sermone verax, in judicio justus, in consilio providus, in commisso fidelis, in A interventu strenuus, in bonitate conspicuus, in universa morum honestate præclarus. Hunc milites ac si patrem venerabantur; hunc universi, qui præerant palatio, carissimo venerabantur affectu: erat enim verus Dei cultor, et necesse erat ut, quem Dei perfuderat gratia, ab omnibus amaretur.

2. Christo igitur quotidie sedulum exhibebat officium; sed agebat quatenus hoc sacrilegis regibus esset occultum, non passionis timore perterritus, nec patrimonii sui amore constrictus, sed ad hoc B tantum sub clamyde terreni imperii Christi militem agebat absconditum,[2] ut Christianorum animos, quos inter tormenta videbat deficere, confortaret, et Deo redderet animas quas diabolus conabatur auferre.

[1] Ita plerique codices; quidam, *partium civis.* S. Ambrosius in Psal. CXVIII, octonar. 20: *Utamur exemplo Sebastiani martyris, cujus hodie natalis est. Hic Mediolanensis oriundus est. Fortassis aut jam discesserat persecutor, aut adhuc non venerat in hæc partium, aut mitior erat. Advertit hic aut nullum esse, aut tepere certamen. Romam profectus est, ubi propter fidei studium persecutiones acerbæ fervebant. Ibi passus est, hoc est, ibi coronatus. Itaque illic quo hospes advertit, domicilium immortalitatis perpetuæ collocavit.* At Baronius tom. II, ann. 284, num. 12, scribit: *S. Ambrosium et alios tradere patre Narbonensi, matre Mediolanensi, natum Mediolani.* Tradit Metaphrastes *ortum Mediolani;* quibus parentibus silet. Sauffaius *patre Gallo, matre Mediolanensi, Narbone in Viennensi Gallia natum.* Nec refragantur Tristanus Calchus, aut Josephus Ripamontius; hic addit matrem *propera mariti morte viduam relictam,* Mediolanum cum filio unico revertisse. Rabanus, variaque mss.: *Eodem die S. Sebastiani de Mediolano, qui intantum,* etc. Mataphrastes *genere clarum* ait fuisse. Menæa: Εἷς τῆς συγκλήτου βουλῆς ὑπῆρχεν, *unus e senatorio ordine fuit.* Guillelmus Catellius histor. Occitan. lib. II testatur commonstrari etiamnum Narbonæ domum S. Sebastiani, ubi ecclesia post erecta quæ *S. Sebastiani nati* dicitur.

[2] Quidam codices, *militiam absconditam.*

3. Denique postquam multas martyrum mentes a timore passionis eripuit, et ad coronam perpetuæ gloriæ incitavit, ipse qui esset, apparuit, quia lumen in tenebris latere non potuit. Clarissimis igitur viris Marcelliano et Marco duobus geminis fratribus pro Christi nomine in vinculis constitutis, quotidie solatium exhibebat; et tam ipsis quam etiam servis eorum, cum quibus tenti fuerant, salutaria fidei consilia ministrabat, quibus fugitiva sæculi blandimenta respuerent, et momentanea tormentorum genera non timerent.

CAPUT II.

Marcelliani et Marci graviter oppugnata constantia.

4. Qui cum beatissimis consolationibus acquiescerent, et verbera carnificum animo perseveranti transirent, capitalem jussi sunt subire sententiam: ea videlicet ratione, ut si eodem momento quo decollandi erant sacrificiis consensissent, et parentibus suis et conjugibus et filiis et facultatibus redderentur. Erant enim non solum, ut diximus, genere clarissimi viri, sed et facultatibus dilatati;[1] quorum erat pater Tranquillinus nomine, et mater Marcia vocabatur; qui illos sequebantur cum uxoribus eorum et filiis; nimio enim in suis nepotibus ducebantur affectu. Unde factum est, ub ab Agrestio[2] Chromatio urbis Romæ præfecto triginta dierum inducias impetrarent, in quorum spatio ageretur cum eis, quatenus ad thurificandum idolis consentirent.

5. Accedentes itaque amici eorum ad eos, cœperunt dicere: Unde vobis tam dura mens, tamque ferreum pectus, quod canitiem patimini[3] patris abjicere, et matri jam decrepitæ novos dolores partus afferre? Nam illa partus sui dolores consolationibus superabat, dum in uno dolore duos filios pareret, et geminum patri funderet filiorum affectum: nunc vero insanabilis dolor, inconsolabilis pœna, irremediabilis cruciatus, incomparabilis partus[4] est, quo spes et gaudium tollitur, vita contemnitur, respuitur gloria, et, contemptis omnibus pietatis affectibus, mortis atrocitas appetitur[5] potius quam timetur. Obsecramos vos, o amici carissimi, tandem his date cladibus finem, et vos patres esse dulcium filiorum vel admoniti mementote.

6. Hæc et his similia amicis dicentibus, miseram se clamitans mater advenit, et soluto capite canos suæ senectutis ostentans, in conspectu eorum vestem qua pectus tegebatur, scidit: et cunctis flentibus ostendebat eis laxis pellibus quas suxerant mammas, et blandimenta, quæ infantiæ eorum exhibuerat, ejulando lacrymans memorabat. Ajebat ergo ad ambos: Tu mihi semper plus blanditus es, fili; et tu amplius verecundatus es: in isto imaginem meam peperi, in te paternos vultus effudi; tu patri utilior, iste similior. Heu me miseram! circumvallant me ex omni parte incomparabiles luctus, inaudita miseria et gemina orbitas, nullis penitus tribulationibus comparanda. Amitto filios ad mortem ultro properantes, quos si mihi hostes auferrent, per medias sequerer acies bellatorum;[6] si judicia violenta concluderent, carcerem simul irrumperem moritura. Novum hoc genus est pereundi, in quo carnifex rogatur ut feriat, vita optatur ut pereat, mors invitatur ut veniat. Novus hic luctus est; nova miseria, in qua natorum juventus sponte amittitur, et parentum miseranda cogitur senectus ut vivat.

7. Ista et his similia matre prosequente, infirmus pater, et gravis jam senio, manibus adducitur servulorum, et cygneo capiti terræ pulverem spargens, hujusmodi dabat voces ad cœlum: Ad mortem ultro proficiscentibus filiis valedicturus adveni, ut universa, quæ a filiis sepulturæ meæ exhibenda paraveram, ego infelix filios sepulturus expendam. O filii, meæ baculus senectutis, et geminum meorum viscerum lumen, nati feliciter, et prospere educati, excellentissimæ memoriæ, et ingenii singularis, omnium liberalium peritia litterarum imbuti, quæ ista repente insania vestra voluntate progenita mortis vos fecit esse amatores? Numquam ista viventibus placuit: numquam morituris suum amorem induxit: ad quoscumque autem pervenire potuit, violenter admissa est, et non est voluntate ab ullo vivente suscepta. Si hanc nudus debitor sub avaro feneratore patitur, nulla potest ratione diligere; nec solum non diligere cognoscitur, sed timere. Qua ratione eam appetit, qui et bonis exuberat omnibus, et penitus ulli nihil debet? Venite huc, senes, et mecum super filios plangite, qui vos viscera paterna habere sentitis. Venite huc, juvenes, et flete super juvenes sponte pereuntes. Huc accedite, patres, et prohibete talia, ne talia patiamini. Deficite plorando, oculi mei, et caliginem obducite fundentes flumina lacrymarum; ne videam cædi gladio, quos dum virga levis tangeret, tremui; dum tristantes leviter viderem, expavi.

8. Igitur dum hæc et alia senior prosequeretur, ecce amborum conjuges cum natis propriis veniunt, et aspectibus eorum proprios infantulos offerentes, has ejulando voces effundunt: Quibus nos servituras relinquitis? quibus conjugii nostri traditis caritatem? qui putatis erunt horum infantium domini, et domorum vestrarum avidissimi pervasores? Qui verum vestræ occupatores familiæ? vel qui sibi divisuri sunt vernaculos, quos nutristis? Heu quam ferreo, heu quam impiæ crudelitatis genere parentes despicitis, amicos respuitis, uxores abjicitis, filios abdicatis, et vos ipsos carnifici ultroneos exhibetis!

CAPUT III.

S. Sebastianus nutantes confirmat.

9. Interea dum illa dicuntur, et ista referuntur, inter uxorum lacrymas, et suspiria filiorum, cœperunt milites Christi mollescere, et animos suos flectere ad dolorem. Huic spectaculo, ut supra di-

[1] Alii codices, *dilati;* alii, *ornati.*

[2] Alii, *Agrestino.* In catalogo Præfectorum Urbis, legitur *Caro et Carino coss.*, præfectus fuisse *Titutius Roburrus; Carino et Numeriano, Cejonius Varus*, qui et sequenti anno *Diocletiano et Aristobulo coss.*, præfecturam gessit. Et videtur *Chromatii* expunctum e tabulis nomen, religionis odio. *Eumne* an *Roburrum*, an *Cejonium perstringat* Vopiscus ambiguum est, dum in Carino *scribit: Præfectum Urbi unum ex cancellariis suis fecit.* Erant *cancellarii* qui ad cancellos sive domus augustæ, sive tribunalium excubabant.

[3] Alii, *patitur.*

[4] Al. *luctus.*

[5] Tres sequentes voces desunt mss. Audomar.

[6] Alii, *per media sequerer bella raptores.*

ximus, intererat S. Sebastianus, vir per omnia christianissimus, quem occultabat militaris habitus, et chlamydis obumbrabat aspectus. At ubi vidit athletas Dei immenso certaminis pondere fatigari, in medio eorum se objiciens, dixit: O fortissimi milites Christi, o instructissimi divini prælii bellatores, per nimiam virtutem animi fortiter pervenistis ad palmam, et nunc per misera blandimenta coronam deponitis sempiternam? Discat nunc per vos Christi militum fortitudo fide potius armari quam ferro. Nolite victoriarum vestrarum insignia per mulierum blandimenta abjicere, et subjectas pedibus vestris hostis devicti cervices ad victricia et rediviva iterum bella laxare, cujus quamvis sæva contra vos extiterit et periniqua instantia,[1] sævior tamen efficitur ira repetita. Erigite igitur a terrenis affectibus[2] trophæum vestri certaminis gloriosum,[3] et nolite illud amittere fletibus parvulorum.

10. Isti, quos plorantes attenditis, gauderent hodie si possent scire quæ nostis; putant enim quod ista vita sit sola, quæ si finem acceperit, nulla vitalis animæ, corpore deficiente, valeat portio remanere. Si enim scirent esse alteram vitam ignaram mortis, tristitiæ nesciam, in qua immortalitas regnat, et perpetua gaudia commorantur; profecto vobiscum ad illam festinarent pertingere, et vitam istam pro nihilo computantes, illam appeterent, quæ et in exsultatione permanet et penitus finiri non novit. Ista enim vita fugitiva est et tam infidelis, ut nec amatoribus suis fidem potuerit custodire. Ab origine enim mundi in se credentes fefellit, omnes se exspectantes decepit, cunctos de se præsumentes irrisit, et ita nullum omnino certum reddidit, ut omnibus probetur fuisse mentita. Atque utinam solius mendacii culpæ esset obnoxia, et per omnia crimina currere suos non cogeret amatores. Ipsa dat edacitatem glutonibus,[4] ipsa ebrietatem ingerit temulentis, ipsa naufragium pudoris adulteris, ipsa exsecrabilem tradit perversitatem incestis; ipsa admonet furem, ut rapiat; iracundum, ut sæviat; mendacem, ut fallat. Ipsa inter conjuges divortia seminat, inter amicos discordias, inter pacificos lites, inter justos injustitiam, inter fratres scandala. Ipsa tollit judicibus justitiam, castis pudicitiam, artificibus[5] peritiam, ipsa aufert moribus disciplinam. Et ut altiora quæ amatoribus suis ingerit crimina memoremus; si fratrem aliquando frater germanus occidit, si filius necavit patrem, si interemptus est ab amico amicus; cujus hæc instinctu facta sunt scelera, cujus intuitu, cujus spe, cujus fiducia ista sunt nefanda commissa? Numquid non præsentis vitæ amore seducti ista committunt, et dum illam plusquam justum est diligunt, iniquo odio homines prosequuntur? Ut quid enim pirata navigantem jugulat, ut quid latro perimit viatorem, dives opprimit pauperem, superbus humilem, et omnis nocens quemcumque potuerit aggravat innocentem? Hæc autem faciunt mala, quia isti vitæ servire desiderant, et se existimant in amore ejus per tempora prolixiora durare. Non ergo alterius causa fiunt scelera nisi ut infelicissimæ isti carnali vitæ a carnalibus serviatur.

11. Ipsa est denique quæ eis crimina imperat, jubet facinora, suadet injusta; et posteaquam omni crudelitate, omnique fuerit spurcitia saginata, servientes sibi tradit filiæ suæ, id est morti perpetuæ. Ex ipsa enim, et ex ejus utero mors æterna est nata, tempore quo gulæ suæ et libidini et delectationibus oculorum primi homines servierunt; atque ideo qui ad æternam vitam facti fuerant, huc in istam sunt regionem mortis jactati: hinc iterum sunt ad inferos devoluti, nihil secum præter peccata portantes. Hæc ergo vita est quæ vos fallit, o amici carissimi, ut amicos vestros ad vitam euntes perpetuam injusto consilio revocetis.

CAPUT IV.

Inferni pœnæ, cœlique gaudia, martyrum animis inculcata.

12. Hæc vos instigat, o parentes sanctissimi, ut filios vestros proficiscentes ad comitatus cœli,[6] ad honorem incorruptibilem, ad amicitias imperatoris æterni, stultissimis lamentationibus revocetis. Ista est quæ vos, o castissimæ conjuges Beatorum, per pietatis colorem impietatem Martyrum mentibus fecit tradere, et necem pro liberatione afferre. Si enim consensissent revocationi vestræ, pauco quidem tempore vobiscum esse poterant; postea vero separari, et ita habuerant separari a vobis, ut numquam vos nisi inter tormenta perpetua videretis; ubi edax flamma incredulorum animas devorat, ubi dracones blasphemantium labia comedunt, ubi serpentes morsibus suis incredulorum pectora depascuntur. Illic ululatus et gemitus sonat, et clamor confusus, quem vis tormentorum exagitat, et incendii arsura extorquet. Hæc ipsa autem tribulatio, quæ illic excipiet infideles, nullo termino definitur, nullo fine concluditur, sed nec post flammarum atrocium adustionem consumitur, sed ad rediviva incendia iterum qui adustus fuerit reparatur.

13. Hanc ergo pœnam et istos permittite evadere, et vosmetipsos eripere cogitate. Permittite interim istos ad coronam pertingere destinatam. Nolite timere; non enim separabuntur a vobis, sed vadent præparare vobis in cœlo sidereas mansiones, in quibus una vobiscum et cum filiis vestris in perpetuo gaudio maneatis. Quod si vos domus vestræ ex lapidibus factæ delectant; quanto magis illarum vos debet pulchritudo invitare domorum ubi sunt triclinia auro puro radiantia, quæ ex gemmis et margaritis habent zetas instructas?[7] Illic flos purpureus rosarum numquam marcescit:

[1] Ms. Rip. *constantia.*

[2] Al. *plenis effectibus;* al. *terrenis aspectibus.*

[3] Al. *gloriosi.*

[4] Papias, *Gluto a gula dictus; ganeo, prodigus.* (*Ghiottoni* italice).

[5] Quidam codices, *artibus.*

[6] *Comitatus.* Sæpe *comites imperatoris;* alias *comitis officium;* vulgo nunc *locum,* sive *districtum ejus jurisdictioni subjectum;* hic *aulam* significat. Sic Possidius in Vita S. Augustini, *Ubi tunc temporis Valentiniani minoris comitatus fuerat constitutus;* et S. Ambros. de Obitu Valentiniani: *Jussit eam ad comitatum venire.*

[7] Papias: *Zetæ, domus quæ subtus pedes aquas habent.* Unde ea vis vocis. Turnebus Advers. lib. XXIV, c. 4, *zetam, diætam* interpretatur, et Casaubonus in Lamprid., qui ideo *zetam* vocat; at Salmasius *dietam zetamque* scribit. Sic *zabulon* pro *diabolum, zabolenum* pro *diabolenum, zarritum* pro *diarritum* dicta observant, cumque iis Martinius. At Passeratius a ζεῖν, *fervere,* deflectit, quod pluribus solem accipiat, vel a ζῆν, *vivere.* Cænaculi genus hic et alibi significat. Infra *zetarius,* zetarum sive *tricliniorum curator.*

illic florida nemora perpetua viriditate vernant: illic prata recentia[1] semper melleis fluunt rivis: illic croceis gramina floribus redolent, et halantes[2] campi jucundis admodum odoribus pollent. Auræ ibi vitam æternam habentes naribus nectareum odorem aspirant. Lumen ibi sine solis radio fulgens, serenitas absque nubilo, et absque tenebris nocturnis die oculi perfruuntur. Nulla illic impediuntur occupatione[3] deliciæ, nulla penitus sollicitudine ibi securitas conturbatur; mugitus, ululatus, gemitus, lamentum et luctus numquam illic audita nec nominata sunt: fœdum et deforme, tetrum, nigrum, horrendum aliquid aut sordidum numquam ibi penitus viderunt oculi habitantium: pulchritudine vero in amœnitate nemorum, splendore in aere jocundo et formositate atque omni elegantia sine intermissione oculi patentes perfruuntur; et nihil omnino quod conturbet mentem auribus datur. Sonant enim ibi jugiter organa hymnorum, quæ ad laudem regis ab angelis et archangelis decantantur. Amaritudo et fellis asperitas ibi locum non habent: tonitrua ibi numquam audita sunt; fulgura et coruscationes numquam paruerunt. Cinnamomum illic virgulta gignunt, et balsamum arbusta prorumpunt. Odor aeris delectationem per omnia membra diffundit, et esca ibi nulla stercora conficit. Sicut enim bono nuntio aures, et bono odore nares, et bono aspectu oculi saginantur, et ista refectio non potest in digestionem prorumpere; ita illic refectio, quam os susceperit, melliflua in gustu hoc unicuique sapit, quo fuerit delectatus. Statim denique quod concupierit anima, desiderio ejus universa famulantur, et omnibus delectationibus ejus paratissimus servit effectus.

14. Nam qui in ista mortali vita, contra concupiscentias suas et contra delectationes pugnaverit; quisquis eas hic non expenderit, illic eas integras a suo Creatore consequitur. Ipse enim ita creavit hominem ut viveret; et mortem juxta introitum delectationis posuit, ut hi queis libet a mortis timore evadere, vitam æternam querant; et dum præter istam vitam alteram esse didicerint, inquirant utrum et ipsa possit senectute intercidi aut morte concludi; quam dum immortalem agnoverint, inquirant utrum possit iterum ipsa æternitas vel honorem tradere justis, vel injustis pœnam inferre.

CAPUT V.

Opum deliciarumque usus.

15. Cumque specialiter ita esse probaverint, restat, ut interrogent, cur a Creatore divitiæ factæ sint, si ejus lege contemnendæ sunt, vel quare quadrupedum et volucrum atque repentium varietas a Creatore facta sit, si singulis[4] renuntiandum est: cur autem ab ipso Creatore medullitus genuina delectatio ad incitamentum[5] est libidinis fundata corporibus, si usus ejus auctori non solum eum faciat reum, sed etiam perpetuis tradat incendiis. Interrogatur ergo:[6] Cur a Creatore divitiæ datæ sunt, si contemnendæ sunt? Respondemus: Istæ divitiæ a Creatore factæ alloquuntur quodam-

A modo amatores suos, dicentes: Sic nos amate, ut a vobis numquam separemur. Sequi vos morientes non possumus; antecedere autem vos viventes possumus; sed si ipsi jubeatis. Cupidus fœnerator et avarus agricola, unus aurum tradit homini quod duplicatum recipiat; alius diversa semina terræ committit, ut si possit fieri, quod simplum tradit, centuplum quærat[7] recipere: et debitor aurum creditori reddit duplicatum, et terra semen reddit centuplicatum. Proh nefas! fenus debitor feneratori B reddere prævalet; et terra agricolæ suo restituere centuplicata semina potest; Deus divitias suas si a te acceperit, eas tibi amplificatas reddere non potest?

16. Inquiris nunc: Cur divitias mihi dedit, si a me ipsi reddendæ sunt? Tradidit eas tibi, ut scias quanta sit eis requies, quanta voluptas, quantus luxus, quantæque possunt esse deliciæ, ut per hæc habens caritatem cum divitiis tuis, ipse eas tradas custodiendas Domino nostro Jesu Christo. Quas si C ipsi nolueris credere, aut edacitas gulæ eas invadet, aut luxuria libidinum mater tibi eas eripiet, aut sine dubio, quod nosti optime, mors ex improviso aggrediens ita tibi illas extorquet, ut tu illas ulterius in toto nec habere prævideas, nec videre. Numquid si transires per medias acies barbarorum, et invenires fortem virum qui te semper dilexit, qui tibi etiam sacculum pecuniis donaverat plenum, dicentem tibi: Da mihi custodiendas pecunias quas dedi tibi, quia isti barbari insidiantur ut eas tibi D auferant, quas dum tibi abstulerint suis te gladiis laniabunt; numquid non pedibus ejus advolutus rogares eum, ut eas ipse susciperet, de quo certus esses quod et ampliora quam acceperat, redderet, et te ipsum ab hostibus liberaret? Restat nunc ut divitiis vestris tutorem possitis habere Christum.

17. Ad delicias veniamus. Qui habet aures audiendi, audiet eas dicentes sibi: Si vere amatores nostri estis, illi nos commendate, qui nos vobis integras illibatasque in illa regione restituat, in E qua vobiscum jugiter manere possimus: in ista enim vita si vobis nostrum voluerimus occupare servitium, quasi hic expertæ, ibi vobis omnino negabimus nostræ servitutis officium. Dimittite nos interim servire morituris, quia idcirco breviati sunt dies mortalibus, ut immortalibus jugiter famulemur. Sic enim scriptum est: Propter electos breviabuntur dies, ut servitus nostra non sit longa. Injustis quidem servimus festino cursu:[8] impiis, Matth. XXIV, 22 sceleratis et turpibus servimus, non sponte; sed F propter eum qui nos subdidit. Liberabimur tamen a servitute corruptionis, et revocabimur ad libertatem gloriæ filiorum Dei. Omnis itaque delectatio, futuræ vitæ servata, non perditur; neque enim repositi thesauri existimantur ab eo qui eos absconderat in terris, interesse; sed magis tanto securius se eos habere confidit, quanto eos occultius et tutius collocaverit.

18. Sint ergo repositæ omnium deliciarum affluentiæ, ut non contingantur in ista vita, quæ G præterit: quia si hic in usu fuerint, in illa vita, quæ numquam præterit, amittentur. Esto, quod ista vita centum tendatur annorum spatiis: numquid

[1] Ms. Audom., *virentia*.
[2] Al., *albescentes*.
[3] Al., *occasione*.
[4] Alii codices, *gulæ*.
[5] Al., *inquinamentum*.
[6] Al., *Interrogat ergo quis: Cur*, etc.
[7] Al., *queat*.
[8] Al., *incursu*.

exclusa die ultima non statim videbitur quasi non fuisse, et ac memoria hospitis uno die apud nos manentis vestigia reliquisse? Illa autem vita manet jugiter, et perseverat instanter, annis quoque labentibus juvenescit et pollet, et inde renovationis sumit initium unde finis accipitur. O vere illum degenerem et omnium bonorum expertem, qui hujus tam formosæ vitæ amore non capitur! qui timet istam vitam tradere perituram, et illam accipere quæ penitus perire non novit, in qua deliciæ et delectationes, et divitiæ, et gaudia sic inchoant, ut terminum nesciant; sic principium capiunt, ut penitus finire non possint!

19. Nam qui hujus tam præclaræ vitæ amator esse noluerit, non solum istam perdit, et ad illam non pervenit; verum etiam, ut jam dixi, a perpetua morte capitur et tenetur; in qua est jugis flamma, perseverans tribulatio, et pœna perpetua; in qua atroces angeli commorantur, quorum brachia capita draconum sunt, quorum oculi ex se igneas sagittas jaculantur; quorum dentes sicut elephantis prominent, et stimulant ad tormentum veluti caudæ scorpionum; quorum voces veluti leonum fremitus sonant; quorum aspectus tremorem incutit pariter et dolorem et mortem. Atque utinam mors posset in his angustiis constitutis occurrere! Sed quod est acerbius, ad hoc vivitur, ut cruciatibus gubernetur; ad hoc redintegrantur, ut exesa serpentium morsibus membra iteratis subinde et iterum repetitis morsibus attrectentur.

CAPUT VI.

Martyrum felicitas et gloria.

20. Hæc est omnis causa certaminis, quæ pœnas martyrii docet tolerabiler debere sufferri. Nolite ergo, o amici, nolite, o parentes, nolite, o conjuges venerandæ sanctorum, nolite a vita ad mortem, quos diligitis revocare, a gaudio ad luctum ducere, a lumine ad tenebras trahere, et ab æterna requie ad pœnas sempiternas accersire. Hoc est cum diabolo quasi piscibus hamum tendere, et invitare ad modicam suavitatem, in qua intus lateat cruciatus viscerum, et mors interiorum tormentis extorta. Numquid non hoc est ad compensationem æternarum deliciarum fugitiva gaudia anteponere; et ut perparum rideant, æternis fletibus mancipare? Hoc in gladiatoribus, qui ultro se offerunt, universi damnamus, qui considerant unius anni delicias, et non considerant, qui fructus ex ipsis deliciis oriatur. Et illi cruciantur ictibus gladiorum, vel alterna cæde interna viscerum, scisso ventris tegmine, in conspectu proferunt populorum, ut pinguedo, quam inconsulta sagina contulerat, offeratur diabolo devoranda. Isto consilio inimici, quo isti hæc faciunt, ipso consilio ad vitam æternam euntes Dei Martyres revocantur, qui ut vitam paucorum dierum
1 vivant exorantur[1] perpetuos cruciatus incurrere, et mortem perpetuam, quæ specialiter metuenda est, non timere.

21. Huic loco forte illud apponitis: Quare Christianus tormenta non metuit, et præsentis non ter-
2 retur pœna tortoris?[2] Ideo non frangitur metu, ideo dolore non ducitur, quia scit se unius doloris

A pretio perpetuæ sanitatis gaudium emere; et per momentaneam tribulationem ad perpetuam felicitatem et sempiternam lætitiam pervenire. Sed si iste timendus sit dolor, timendus sit carnifex, timenda quoque sit nova et exquisita tortoris crudelitas; quæ magis timenda, quæ horrenda, quæ magis fugienda est, et cavenda? ista quæ hodie effervescit, et cras evanescit; ista quæ hodie exardescit, et cras refrigescit; ista quæ sub hora inducitur, et sub hora excluditur; an illa quæ nullo
B fine concluditur, nullo tempore exstinguitur, nulla prorsus consumitur vetustate? Nam iste dolor aut levis est, et potest tolerabiliter sustineri; aut gravis est, et glorioso certamini citatum offert finem; ille autem pœnarum dolor et cruciatus incendii, qui hujus vitæ amatoribus datur, cum sit vehementior universo tormentorum genere, numquam finiendus aggreditur, et acrius subinde quam inchoaverit sævit, et nullus sæviendi terminus, nullus omnino finis occurrit, sed habens secum
C universa suppliciorum genera, subinde renovatur ut sæviat, augmentatur ut excruciet, inflammatur ut acrius urat.

22. Hinc ergo ab hoc interitu, quos amamus, hortemur evadere; et nos ipsos ad evadendum fortiter præparemus: nec timeamus una hora ferre dolorem in corpore, qui optamus perpetuo gaudere cum Christo; permittamus animam nostram cum palma martyrii ex hoc egredi corpore, ut possimus pœnas æternas evadere, et ad possessiones sidereas
D plenas delectationibus pervenire. Lacrymas nostras convertamus in gaudium, quia non debemus quasi morituros plangere, quos cum Christo credimus regnaturos. Congratulemur victoribus hostium, conculcata eorum cervice: congaudeamus martyrii prætexta indutis, et cœli factos consules gloriemur. En dies in quo vincere se tyrannus existimabat, qui dum capit, captus est; dum tenet, vinctus est; dum torquet, tortus est: dum insultat, irrisus est; dum jugulat, occisus est. Nunc ergo in amore
E martyrii etiam nostros suscitemus affectus, ut illum qui de nostra captivitate voluit victoriam capere, fortiter capiamus, et quasi a gravi somno expergefacti aperiamus oculos animorum, ut videntes foveas quas in nostri perniciem inimicus aptaverat, nos quidem auxiliante Deo evadamus, et ipso diabolo cum satellitibus suis in ipsam quam paraverat foveam incidente, nos cum propheta dicamus: Foderunt ante faciem meam foveam, et ipsi inciderunt in eam. Ps. LVI, 7.

F

CAPUT VII.

Sebastiani oratione et miraculis conversi Zoe et Nicostratus.

23. Igitur cum hæc beatissimus Sebastianus, indutus clamyde, succinctus baltheo, ex suo ore proferret, subito per unam fere horam splendore nimio de cœlo veniente illuminatus est, et sub ipso splendore, candidissimo pallio amictus est ab angelis
G septem clarissimis, et juvenis apparuit juxta eum dans ei pacem, et dicens: Tu semper mecum eris.

24. Hæc autem gerebantur[3] intra domum Pri- 3
miscrinii,[4] nomine Nicostrati, apud quem custodie- 4

[1] Al. *docentur*.
[2] Ms. Rip., *pœnæ tormentis*.
[3] Quidam codices, *juxta*: non probatur.

[4] Sub dispositione viri illustris præfecti Urbis inter alias administrationes est *primiscrinius*, sive *numerarius*, de cujus officio multa alii.

bantur Marcellianus et Marcus. Qui Nicostratus habebat uxorem, nomine Zoen: hæc ante sex annos ægritudinis nimietate facta est muta, prudentiam tamen audiendi et intelligendi non solum non amiserat, verum etiam melius quam prius habuerat, aurium officium obtinebat. Hæc itaque cum intellexisset omnia, quæ B. Sebastianus dixerat, et tantum lumen circa eum vidisset; cumque omnes tremefacti miraculi stupore tenerentur, innuebat manu omnibus, ut quasi exprobrandi essent, qui tam evidenti assertioni non crederent, et genibus ejus advoluta rogare eum manuum indiciis cœpit. Sed S. Sebastianus cum videret eam cordis secreta linguæ expressione declarare non posse, causas hujus silentii percunctatus, didicit sermonis illi copiam nimia vi infirmitatis ablatam. Tunc B. Sebastianus dixit: Si ego verus Christi servus sum, et si vera sunt omnia quæ ex ore meo hæc mulier audivit et credidit, jubeat Dominus meus Jesus Christus, ut redeat ad eam officium linguæ, et aperiat os ejus qui aperuit os Zachariæ prophetæ sui; et fecit crucem in os ejus. Atque ad hanc vocem S. Sebastiani, exclamavit mulier voce magna, dicens: Beatus es tu, et benedictus sermo oris tui: et beati qui credunt per te Christum Filium Dei vivi. Ego enim vidi oculis meis angelum ad te venientem de cœlo, et librum ante oculos tuos tenentem, ex cujus lectione universa sermonis tui oratio decurrebat. Benedicti qui in omnibus quæ locutus es credunt, et maledicti qui dubitaverint vel in uno verbo ex his omnibus quæ audierunt: quoniam sicut aurora superveniens universas tenebras noctis excludit, et omnium oculis lumen, quod nox cæca negaverat reddit; ita lux sermonum tuorum omnem caliginem, omnemque ignorantiæ cæcitatem extersit, et oculis recte credentium serenum post noctis tenebras diem reddidit: a me autem non solum incredulitatis tenebras exclusit, verum etiam sermonis mei ostium, quod per sex annos clausum erat, patefecit.

25. Videns autem Nicostratus, vir ejus, quod esset tanta virtus Christi in sua uxore celebrata, cœpit pedibus ejus advolvi, et indulgentiam petere, pro hoc quod imperiali et præfectorio jussu Sanctos Dei habuisset in vinculis: et auferens ex manibus eorum ferreos nexus genua eorum amplexus, cœpit rogare ut dignarentur abscedere, dicens: O quam beatus essem si pro vestra mereri possem salute constringi! Forsitan sanguinis mei effusione abluerer, ut mortem illam pœnarum æternarum evaderem, et ad illam vitam pertingerem, quam nobis Deus per os Domini mei Sebastiani manifestare dignatus est.

CAPUT VIII.

Marcelliani et Marci constantia, oratio ad neophytos.

26. Cumque rogaret Marcellianum et Marcum ut abscederent, dixerunt ei: Si tu fidei gloriam, quam numquam habueras accepisti; quomodo nos quam fidem semper ab infantia habuimus, relinquentes, tibi passionis nostræ calicem damus, quem nos tibi propinare possumus, non donare? Dives A est enim in omnibus Christus, et larga ubertatis suæ affluentia omnibus venientibus meliora exhibet quam rogatur. Si enim cum essetis increduli, donatum est vobis lumen veritatis agnoscere; quanto magis credentibus vobis omnia quæcumque jam poscitis donabuntur? Divina enim clementia semper parata est vobis omnibus gratis præstare: et eo unumquemque gratiæ suæ dono multiplicat, quo mens ejus altioris fidei susceperit normam. Fides igitur vestra a magisterio sumpsit exordium, et B omnia quæ eruditio annosa vix confert, spatio unius horæ cepistis. Nulla vos memoria parentum impedit credere. Nullus teneræ ætatis in filios et vestros revocat nutritus affectus. Contemnitis subito quod semper amastis, et quæritis quod numquam scistis. Per ignaras ingressi vias subito pervenistis ad Christum, et animo jam intrastis cœlum, quia in terra nullum solatium requisistis. O incomparabile facti præconium! o quam imitabile virtutis exemplum! Nondum vos ad Christum sacri C baptismatis unda perduxit; nondum per tirocinii initia militaria saltem signa sumpsistis; et jam pro vero Rege arma arripitis, et ejus milites a vinculo ferri solventes, vos ipsos intrepidos optatis pro occidendis occidi.

27. Cum hæc audientes omnes pariter fletibus pœnitentiam præteritæ persuasionis ostenderent, Marcus ait: Discite, parentes carissimi, et vester, o conjuges, discat jugalis affectus, adversus pugnam diaboli, et contra omnes sagittas affectuum carnalis D desiderii clypeum virtutum opponere, atque inter acies tyrannici exercitus hosti non cedere, dimicare acrius, gradum tenere,[1] et ad regem fortiter pervenire. Insurgant quantum volunt, et sæviant satellites dæmonum, et quibus volunt pœnis corpora dilanient nostra; corpus occidere possunt, sed animam vincere non possunt pro fidei pugnantem veritate. Gloriosiores faciunt milites vulnera pro imperatore suscepta: in hoc enim diabolus tyrannidis suæ furore nunc sævit, in quo prævidet per- E severantiæ vestræ tropæo se posse torqueri: et ideo tormenta infert, ne spes ejus pereat: mortem minatur, ut terreat; vitam promittit ut eripiat; securitatem pollicetur, ut tollat. Hæc tota belli calliditas, hoc fraudis consilium, a suppliciis eripere corpus et vitiis animam subjugare. Nos e contra contendamus hosti non cedere, corpus contemnere, animæ subvenire. Cur enim fortissimi duces militibus[2] miserrimis terga convertant, et in eo bello deficiant, in quo possunt esse victores? Vel qua ratione mori timeant, qui sciunt hanc hominis naturam F esse, non pœnam? Cur, inquam, mori timeant, qui credunt istam vitam falsam esse, et veram vitam invenire non posse, nisi qui ab animo suo falsam istam abjecerit, et caducam, quæ non aliud amatoribus suis, nisi peccata imperat, suadet facinora, ingerit criminosa; nihilque aliud a suis amatoribus exigit, nisi ut penitus de perenni vita non cogitent, et regnum Dei futurum esse desperent?

28. Nunc videamus quibus casibus subjacet, G quibusque periculis servit ancilla, ut cum eam probaverimus nec seipsam posse regere, servitia nostra ab ejus dominatione tollentes, alteram cui merito serviendum sit, requiramus. Quantos enim amatores ejus ruina subito gravis oppressit, fragor

[1] Alii, *ad gaudium tendere;* alii, *ad gladium tendere;* alii, *ad gradum tendere.*

[2] Al., *Duces milites.*

cœli percussit, fulmen incendit,[1] naufragia perdiderunt, texit chaos, Charybdis ebibit, gladius jugulavit! et istam miseris cum doloribus amittentes vitam, illam penitus invenire non possunt! Ad illam etenim vitam non ducit tortura, sed causa. Uno denique eodemque pœnarum genere et innocentibus salus æterna confertur, et pœna delinquentibus irrogatur.

CAPUT IX.

Cæteri a Sebastiano una cum captivis conversi.

29. Igitur cum hæc et his similia Marcus prosequeretur, cœperunt omnes qui aderant Deo gratias agere, atque universi flentes pœnitudinem gerebant, quod caritati Dei prætulerant amorem carnis; et quia ab agone martyrii ausi fuissent animos revocare sanctorum. Cumque omnes, qui ad decipiendos sanctos venerant, unanimiter crederent Christo, Nicostratus cum conjuge sua urgebat se dicens: Non cibum capiam, neque potum, nisi mysterium[2] mihi christianæ religionis fuerit traditum. Cui S. Sebastianus dixit: Muta dignitatem tuam, et esse magis incipe Christi primiscrinius, quam præfecti. Audi itaque consilium meum, et omnes quos carcer inclusit, quos vincula tenent, quos ergastula conficiunt, in unum redige. Quod cum feceris, antistitem sacrosanctæ legis adhibebo, ut cum omnibus qui credere voluerint mysterii suscipias sacramentum. Si enim diabolus Christo sanctos suos auferre conatus est, et conatur; quanto magis nos pietatis argumento hos, quos diabolus injuste lucratus est, curare debemus, et suo restituere Creatori? Et Nicostratus ad hæc respondit, dicens: Quomodo iniquis et criminosis possunt sancta committi? S. Sebastianus dixit: Salvator noster pro peccatoribus suam nobis exhibere dignatus est præsentiam, et ostendit mysterium, per quod omnia peccata et crimina homini auferantur, et omnes virtutes Domini conferantur. Inter initia igitur conversionis tuæ hoc munus primum si tu conferas Christo, præsto erit remunerationis ejus præmium super te, corona martyrii, habens secum virtutum omnium flores immarcescibiles, æternæ vitæ gaudiis profuturos.[3] Audiens hæc Nicostratus primiscrinius, abiit ad Claudium Commentariensem, et jussit universas personas ad domum ejus adducere, dicens: Quoniam proxima sessione omnes discutiendi sunt, volo ut cum illis Christianis, qui apud me sunt, præsto sint, ne aliqua præfectoriæ discussionis[4] deesse possit persona.

30. Igitur cum omnes ad domum primiscrinii perducti starent, catenarum nexibus vincti, hoc modo eos vir Dei Sebastianus alloquitur: Crimina diabolica si divinis virtutibus cedant, reatus vester a morte excluditur, et a gaudiis fugitivis[5] revocatur. Egerat enim per suos satellites hostis injustus, ut animos militum Christi ad virtutum culmen erectos[6] everteret, et in ipso perfectionis fastigio positos, ad cœnum conaretur mergere inferorum. Hac de causa incaluit animus hostium dimicatione provocatus, ut vos, quos jam lucratus fuerat inimicus, de ejus captivitate tollentes, vestro vos Creatori reddamus. Diabolus enim nec dominus vester, nec creator, nec pater esse dignoscitur: Deus autem et Pater et Dominus et Conditor comprobatur. Et si hunc derelinquentes, ad illum abistis, qui in tantum vestri exstitit inimicus, ut vos ad pœnas perpetuæ mortis adducere, et ad istum lethalem faceret exitum devenire; quanto magis ad eum redeundum est, qui unicum Filium suum passioni et morti tradidit, ut nos a passionibus æternis, et a morte perpetua liberaret? Cum hæc et his similia prosequeretur S. Sebastianus, prostraverunt se cum lacrymis universi, et flexis genibus cœperunt cordis gemitum reddere, et se peccasse et impie egisse pœnitentiæ vocibus exclamare. Fundebant ergo amaras lacrymas, et se velle Christo credere, unanimis vocibus resonabant. Tunc B. Sebastianus jubet eos omnes a vinculis catenarum exsolvi.

CAPUT X.

Omnes a Polycarpo ad baptismum præparati.

31. Post hæc S. Sebastianus abiit ad Polycarpum presbyterum,[7] ubi erat causa persecutionis occultus, et narravit ei omnia quæ gesta sunt. Quibus auditis S. Polycarpus gratias egit Deo, et una cum eo venit ad domum Nicostrati primiscrinii, et videns turbas credentium, salutans eos cum omni gaudio dixit: Beati omnes vos, qui audistis vocem Domini nostri Jesu Christi dicentis: *Venite ad me omnes qui laboratis et onerati estis, et ego vos requiescere faciam. Tollite jugum meum super vos, et discite a me quia mitis sum, et humilis corde; et invenietis requiem animabus vestris. Jugum enim meum suave est, et onus meum leve.* Vos itaque, fratres nostri, quos nondum[8] baptismatis unda diluit, et consecrando Deo omnipotenti carissimos filios fecit, pro hoc quod a proposito sancto revocare conati estis beatissimos milites Christi, opus vobis erat pœnitentia, ut per ipsam ad indulgentiam veniretis. Nunc autem quia ad tantam gloriam accessistis, ut etiam ad passionem a qua dolenter alios revocare voluistis, ad ipsam desideretis gratanter velle currere et libenter amplecti, sciatis vos et ad indulgentiam pervenisse, et ad palmam attingere. Vetus hoc est artificium Christi. Nam ipsum quem vas electionis suæ dignatus est et voluit magistrum gentibus dare, qui non solum fidelium animos a pietatis proposito revocabat, sed etiam nolentes a Christo discedere lapidibus obruebat; hunc nobis ipse Dominus apostolum condonavit, tribuitque nobis ex Saulo Paulum, ex apostata fecit apostolum, et dedit Ecclesiæ suæ ex persecutore doctorem. Amator passionis factus est is, qui persecutionis auctor exstiterat; et qui in alienis afflictionibus prius gratulabatur, in suis postmodum persecutionibus lætabatur. Ipse ergo qui tunc in apostolo suo virtutem istam exercuit, ipse et nunc de ipso inferorum conclavi, et ex ipsis draconum faucibus animarum vestrarum captivitatem eripuit, et vobis

Matth. XI, 28 et seq.

[1] Al., *flamma incendiis voravit.*
[2] Quidam codices, *martyrium.*
[3] Ms. Rip., *redolentes.*
[4] Al., *præfecto;* al., *prætori;* al., *præf. prætorii,* al., *prætorii discussioni.*
[5] Al., *ad gaudia votiva.*
[6] Al., *a virtutum culmine recto.*
[7] S. Polycarpi presbyteri natalis agitur 23 Februar.
[8] Multi codices *nondum* mittunt, quasi ad lapsos sit oratio.

nunc a tenebris ad lucem remeantibus æternæ vitæ januas patefecit. Quia ergo omnes dæmones, qui sunt tenebrarum filii, contristantur, unde et omnes sancti angeli, qui sunt filii lucis, gratulantur; accedat unusquisque vestrum, et det nomen suum, ut hodierno die usque ad vesperam percurrente jejunio, festivum baptismatis sacramentum opportunum tempus inveniat. Justum est enim, ut lux a mortali mundo abscedens ad nostras mentes immortales accedat, ut qui in isto sæculo volutati in luto tenebrarum sumus, aqua sanctificationis abluti ac mundati, et sinceritate induti, alacres pergamus ad Christum. Hæc et his similia prosequente S. Polycarpo universi gravisi sunt, et unusquisque nomen suum festinabat priusquam interrogaretur, offerre.

CAPUT XI.

Baptizati catechumeni, unaque Claudius cum filiis.

32. Cumque hæc agerentur, venit Claudius commentariensis ad primiscrinii Nicostrati domum, ubi ista agebantur, et dicit Nicostrato: « Vehementer præfectura commota est, quod personas reorum tuæ domus custodiæ tradi jussisti. Hac de causa suis te jussit præfectus aspectibus præsentari. Vide quasi debeas interrogatus dare responsum ». Ingressus itaque ad præfectum Nicostratus cum interrogatus fuisset, cur eas personas, quas carceris claustra retinebant, suæ voluerit domus mancipari custodiæ, respondit: « Amplitudinis vestræ jussu christianas intra domum meam custodiendas suscepi personas, quibus ut terrorem passionis incuterem, reorum illos feci sociari personis, ut jussioni vestræ et persuasioni nostræ si non consensu suo, saltem alieno experimento consentiant, et metuant ne similis eos pœna concludat ». Libentissime igitur hæc audiens præfectus dimisit eum dicens: « Magno te censu a parentibus eorum remunerari faciam, cum per te illis fuerint incolumes filii restituti ».

33. Revertens itaque ad domum suam Nicostratus primiscrinius cum Claudio commentariensi, cœpit universa referre, et qualiter S. Sebastianus, cum sit amicus imperatorum, christianissimus sit, et in eruditione divina perfectus, et qualiter animas christianorum sua exhortatione revocasset, et quod satis idonea ratione docuisset istam vitam fugitivam et imaginariam esse, et sic dum teneri putatur, auferri. Narrabat etiam, quomodo veniens repente lux de cœlo perlustrasset eum, et quomodo uxorem ejus, quæ per sex annos muta fuerat, fecit loqui.

34. Cum hæc narrasset Nicostratus Claudio, corruit ad pedes Nicostrati Claudius, dicens: « Ex amissa conjuge duos filius habeo, ex quibus unus hydropis morbo fatigatur, alius diversis vulneribus opprimitur; rogo ut jubeas eos visitari. Non enim dubito quod ille, qui potuit facere ut post sex annos loqueretur uxor tua, faciat, si voluerit, ut ad filios meos sanitas redeat ». Et hæc dicens proripuit se ad domum suam, et fecit inter manus adduci duos filios suos, et introducens eos intra domum, ubi erant sancti Dei, projecit eos ante pedes eorum dicens: « Nulla penitus dubietatis signa in corde meo remanserunt: sed ex toto corde credens quod Christus, quem colitis, ipse sit verus Deus, detuli huc vobis duo incrementa mea, credens quod possent per vos a mortis periculo liberari ». Dicunt ei omnes simul sancti Dei: « Omnes quos hic hodie infirmitas aliqua tenet, mox ut christiani facti fuerint, sanabuntur ».

35. Cumque clamaret Claudius credere se, et desiderare fieri Christianum, jussit S. Polycarpus ut darent singuli nomina sua. Primus itaque omnium dedit nomen suum Tranquillinus pater Marcelliani et Marci. Post hunc sex amici eorum, id est, Ariston, Crescentianus, Eutychianus, Urbanus, Vitalis et Justus; post hos Nicostratus primiscrinius et Castorius frater ejus, et Claudius Commentariensis. Post hos filii Claudii, Felicissimus et Felix. Post hos Marcia mater Marcelliani et Marci cum uxoribus eorum et filiis: simul autem et Symphorosa uxor Claudii, et Zoe uxor Nicostrati. Post hos omnis familia quæ erat in domo Nicostrati, animæ triginta et tres promiscui sexus et ætatis, dehinc omnes qui vincti fuerant, ac de carceris squalore adducti, animæ sedecim.

36. Igitur omnes isti LXVIII, a S. Polycarpo presbytero baptixati, et a S. Sebastiano suscepti sunt; feminarum autem matres factæ sunt Beatrix [1] et Lucina. [2] Primum itaque Claudii filios, hydropicum unum et alterum vulneribus plenum, mox ubi in nomine sanctæ Trinitatis intinxit, ita de fonte sani elevati sunt, ut nec signum in eis alicujus morbi præteriti remansisset. Post hos autem infantulos Tranquillinus pater SS. Marcelliani et Marci, qui ita podagrico et chiragrico fuerat dolore constrictus, [3] ut sicut supra dictum est, vix in manibus portaretur. Hunc dum exuerent indumentis, et ille intolerabili se diceret dolore torqueri, interrogat eum Polycarpus presbyter, dicens: « Tranquilline, si ex toto corde credis unigenitum Filium Dei Dominum Jesum Christum tibi salutem posse conferre, et omnibus peccatis tuis indulgentiam condonare, proprio ore edicito ». Tranquillinus respondit: « Ego indulgentiam solam peccatis meis dari et desidero et credo. Cæterum, etsi post baptismatis hujus sanctificationem in doloribus fuero, non potero de fide Christi ulterius dubitare: probavi enim et ex toto corde credens, in mea mente consensi, quod Filius Dei sit Dominus Jesus Christus, qui potest et animabus et corporibus salutem tribuere, et a morte æterna ad vitam perpetuam revocare ». Hæc cum dixisset voce magna, omnes sancti præ gaudio lacrymas effundebant, et rogabant Dominum ut fidei ejus fructus ostenderetur. Sanctus igitur Polycarpus confessor et presbyter mox ut eum chrismatis [4] linivit unguento, interrogavit eum iterum, si crederet in Patrem et Filium et Spiritum sanctum; statim ut respondit, Credo, resolutæ sunt manus ejus quæ erant nodosæ, et genua simul et plantæ pedum ejus ita sunt incolumes redditæ, ut ac si puerulus renovatis pedibus suis in fontem descenderet, clamans et dicens: « Tu es Deus unus et verus, quem miser iste mundus ignorat ».

37. Hoc itaque ordine suo baptizato, universi,

[1] Colitur S. Beatrix 29 Jul.

[2] De hac Lucina actum 16 Januar. in Vita S. Marcelli. Colitur 30 Junii.

[3] Al., *contractus*.

[4] Al., *olei*.

prout competebat, baptizati sunt, et per dies decem[1] qui supererant dilationi, quam meruerant, in Dei laudibus perdurantes ducebant dies et noctes in hymnis et canticis, et quasi fideles milites parabant animos suos ad dimicandum pro Christi nomine in martyrio bellaturi, ita ut et in mulieribus et infantulis amor ferveret martyrii, et invicem se ad confessionem sancti nominis contra diabolicas acies præpararent.

CAPUT XII.

Errores Gentilium coram Chromatio Urbis præfecto confutati a Tranquillino.

38. [2] Diebus igitur acceptæ dilationis expletis, Agrestius Chromatius urbis Romæ præfectus ad se Tranquillinum patrem Marcelliani et Marci venire jubet. Quem cum de suorum perquireret arbitrio filiorum, Tranquillinus respondit: « Ad referendas beneficiis vestris gratias nullus mihi oris sufficit sermo. Nisi enim currentes sententias vestri frena moderaminis tenuissent, et ego filios amisissem, et me patrem filii non haberent. Congratulantur mihi omnes, quos tenet paternus affectus, et pungit caritatis stimulus; etiam vestra, credo, quod mihi congaudeat celsitudo, quando morituris vita collata, et anxiis lætitia reddita, sollicitis securitas restituta ».[3]

39. Tunc præfectus æstimans filios ejus suas velle idolis inclinare cervices, ait: « Venienti ergo die debita[4] numinibus a filiis tuis thura reddantur: per quæ et tu filiis perseveres incolumis, et tibi filii condonentur ». Audiens hæc Tranquillinus dixit: « Illustrissime virorum, examinis vestri libram si velitis erga me et filios meos æqua lance pensare, agnoscere poteritis hoc Christianum vocabulum magnæ esse virtutis ». Præfectus dixit: « Insanis, Tranquilline ». Tranquillinus respondit: « Insaniam passus sum, et animæ et corporis: sed statim ut credidi Christo, et animæ meæ recepi et corporis sanitatem ».

40. Præfectus dixit: « Ego, ut video, ad hoc inducias sceleratis filiis tuis dedisse cognoscor, ut non solum tu illos ab errore non tolleres, sed illi te suis erroribus irretirent ». Tranquillinus dixit: « Per gloriam vestram, nomen ipsum erroris discutite, et videte quæ opera erroris nomine nuncupentur ». Præfectus dixit: « Tu dic quæ opera erroris nomen accipiant ». Tranquillinus dixit: « Primus error est viam vitæ relinquere, et per viam mortis gratanter incedere ». Præfectus dixit: « Et quæ est via mortis »? Tranquillinus dixit: « Non tibi videtur via mortis esse, mortuis hominibus Deitatis nomen imponere, et figuras eorum per ligna et lapides adorare »?

41. Præfectus dixit: « Ergo non sunt dii quos colimus »? Tranquillinus dixit: « In tantum non sunt dii ut legatur in codicibus publicis,[5] et quam male sint nati; et quam iniquos et crudeles et sceleratos parentes habuerint; et quam inique et dolose et fraudolenter vixerint; et quam miserabiliter mortui sint. Numquid antequam Saturnus Cretensibus imperaret, et filiorum suorum carnes comederet, Deus in cœlis non erat, aut Creta insula habebat regem, et cœli Deum non habebant? Valde errat qui putat Jovem filium ejus imperare fulminibus, homuncionem in quo malitia et libido regnabat. Quem non persecutus est, qui patri non pepercit? Aut quam sordem non exercuit, qui suam germanam accepit uxorem? In foro, in plateis, in domibus, atque in omni loco quotidie legimus, quia sordidissima Juno quod et soror et conjux fuerit gloriatur; et rapti Ganymedis honor turpissimus atque incestissimus ab ipsis, a quibus Jovis colitur, non negatur. Non ergo erras, vir sublimissime, qui tales colis, quales romanæ jubent leges pro sui facti qualitate damnari, et relicto Deo omnipotente qui in cœlis regnat, lapidi dicis: Deus meus ex tu; et ligno dicis: Adjuva me »?

42. Præfectus dixit: « Ex quo cœpistis blasphemare deos, et a cultura eorum recedere, ex eo diversis[6] cladibus romanus orbis opprimitur ». Tranquillinus respondit: « Non est verum. Nam si recenseas decadas stylo Livii digestas,[7] illic invenies Jovi thura ponentes, una die viginti tria millia romani exercitus juvenes cecidisse. Sed et illud non es immemor, quod Senonenses Galli etiam Capitolium occupaverunt[8] et omnem romanam manum suis ludibriis subjugarunt. Diversas fames, et inenarrabiles pestes, diversas captivitates, diversas effusiones sanguinis romanus orbis passus est, antequam unum colerent homines Deum. Nunc vero ex quo invisibilis et verus Deus cœpit a credentibus coli, aucta[9] pace exsultat romanum imperium. Sed quod pejus est, Deus, qui hoc præstat, non cognoscitur; sed creaturæ ejus ascribitur quidquid a Creatore præstatur ».

43. Præfectus dixit: « Si ille colendus est, qui humanis commodis aliquid præstat, nullus nisi sol habebitur deus, qui aspectu suo terræ viscera vegetat, ut semina suscepta parturiat, et genuinæ sobolis grana in culmo restituat, atque universis salutis nostræ utilitatibus et lumen et restaurationem pariter tribuat et vigorem ». Tranquillinus respondit: « Et in hoc error est infinitus. Nam si hodie per servum suum quispiam clientibus suis tribuat quod rogatur, infinita stultitia est, si neglectus ille *(sic)* qui præstitit, servus per quem præstiterit honoretur. Et ut aliquam hujus dicti comparationem exhibeam; numquid cum naves Romanis alimenta deferunt, navibus potiusquam regibus gratiæ referuntur? Si ergo non navigantibus, sed imperantibus, homines quod annonantur ascribunt; quanto magis soli Deo agendæ sunt gratiæ, cujus nutu et hæc omnibus usibus nostris elementa deserviunt, et sol ipse quotidie terræ marique pariter et clauditur in fine diei, et in diei iterum renovatione aperitur »?

CAPUT XIII.

Verbi incarnatio Gentili exposita.

44. Præfectus dixit: « Si ergo unus et invisibilis est quem colitis, Christum, quem Judæi crucifixe-

[1] Addunt quidam codices *et sex*.

[2] Scriptum erat in Rosweidi autographo, Liber II. Eam divisionem in nullo exemplari repertam omisimus.

[3] Al., *constructa*.

[4] Ms. S. Gist., *veni ergo hodie et debita*.

[5] Al., *vestris*.

[6] Usitata in Christianos calumnia a variis PP. confutata, præsertim Paulo Orosio et S. Augustino.

[7] Al. *libri*, mendose. Scriptum in quibusdam erat *Libii*.

[8] Ita mss. omnes. Legendum potius, *oppugnaverunt:* nam inde pretio deducti, mox et pulsi a Camillo.

[9] Al., *alta*.

runt, non colitis »? Tranquillinus dixit: « Recte hæc inquireres, si credere destinares. Incredulis enim omne quod nolunt vanum videtur. Semel enim in
1 præceps voluntas mortalium declinans,[1] omne quod vituperat, vituperari desiderat; et vult ut laudetur ab omnibus omne quod laudat. Sed sapiens pro merito suo cuicumque rei aut vituperationem suam
2 impendere[2] nititur, aut laudem. Præfectus dixit: « Ego te de Christo vestro interrogo. Si enim a vobis hoc colitur quod istis oculis non videtur, Christum non colitis qui et visus est, et auditus, et interrogatus, et omnia quæ humanæ fragilitati competunt in ejus leguntur passione completa ». Tranquillinus dixit: « Audi similitudinem et intellige veritatem: verbi gratia, si hodie annulum tuum habentem gemmam pretiosam videas in cloaca, aut in sterquilinio volutantem, et ad hunc eruendum mittas servos tuos; illi autem nec illum potuerint liberare, sed et seipsos in aliquo dum illum conantur eripere, polluerint; postea vero tu ipse, deponens has sericas quas indutus es vestes, induas te servilem tunicam et descendens in cloacam mittas manus tuas in stercoribus, et annulum aureum simul tuis manibus repræsentes et gemmam; præ gaudio omnes amicos tuos invitas ad epulas et lætaris super annulum et gemmam, quod sint de nimiis squaloribus liberata ». Præfectus dixit: « Hanc propositionem ad cujus similitudinem attulisti »? Tranquillinus respondit: « Ut ostenderem tibi unum invisibilem Deum nos colere ». Præfectus dixit: « Et quod est aurum? aut quæ est gemma, quæ in sterquilinio volutabatur »? Tranquillinus respondit: « Aurum, corpus humanum est, gemma vero anima est, quæ in ipso corpore inclusa est. Corpus vero et anima unum hominem faciunt, quomodo aurum et gemma unum annulum facere comprobantur. Sed quantumvis pretiosius tibi sit annulus, longe satis homo pretiosior est centuplum et carus Christo. Tu misisti servos tuos, ut annulum de sordibus eriperent, et nulla ratione eum eruere potuerunt. Misit et prophetas suos Deus de cœlo loquens ad eos, ut humanum genus a sordibus hujus mundi
3 eriperet:[3] et nulla ratione omnino hoc facere vel instantia potuerunt. Tu deposuisti aureas vestes, et servili indumento indutus descendisti in cloacam, et manus tuas misisti in sordibus, ut annulum de sordibus liberares. Exuit et se majestas Divinitatis suæ splendore, non tamen superna relinquens; et induit se servili nostri corporis indumento, et huc in cloacam hujus mundi cœlo descendens, misit manus suas in sordibus passionum nostrarum; et passionem, quæ meritis nostris debebatur, in semetipso suscipiens, gloriæ nos suorum reddidit digitorum. Nam qui per incredulitatem volutabamur in squaloribus mundi, per fidem abluti a sordibus, divinis sumus manibus, ut ille tuus annulus, restituti. Numquid servi tui, qui te negaverunt dominum suum, dum te in habitu servili respicerent, non potuerunt ut rebelles occidi? Ita et qui negant Christum Dominum suum pro hoc quod semetipsum a majestate exinanivit, et formam servi suscepit, nullatenus poterunt æterni ignis pœnas evadere. Ideo denique nobis qui in eum credimus, æterni fontis unda subvenit, ut æternus ignis ab æterno fonte vincatur, et infidelitas a fidelitate superetur ».

45. Præfectus dixit: « Ut video, non ut filios tuos ab hac intentione tolleres poposcisse probaris inducias, sed ut has aniles fabulas ad nostra tribunalia meditatus[4] afferres ». Tranquillinus dixit: « Non meditantur discipuli Christi quid in conspectu judicum prosequantur. Sic enim præmonuit dicens: Quando potestatibus hujus mundi vos causa mei nominis tradent, nolite cogitare quomodo aut quid loquamini: dabitur enim vobis divinitus in illa hora quid loquamini. Non enim vos estis qui loquimini, sed Spiritus Dei, qui loquitur in vobis. Non ergo Matth. x, 19 meditando ego, sed credendo inveni Creatorem meum, et qui eram podagrico et chiragrico dolore contractus et quassatus,[5] statim ut Christo credidi, ac si parvulus omnium membrorum meorum recepi sanitatem. Constat ergo apud animum meum, ipsum me creasse qui me renovare dignatus est, et sicut dedit restaurationem corpori, ita quoque animæ post istam vitam dare promisit, si tamen non dubius nec timidus hominum terroribus frangar; sed in ejus nominis confessione perdurans fidem integram, quam me Deus fecit invenire, conservem ».

46. Præfectus dixit: « Ignoras, Tranquilline, quanta invictissimorum principum erga Christianos ira desæviat, et ideo quasi securus quod tibi videtur sine timore prosequeris ». Tranquillinus dixit: « Stultus timor est, quo plus timetur humana indignatio, quam divina. Numquid si in medio canum latrantium venerimus, et vano furore nos cœperint suis morsibus attrectare, possunt nobis de animo tollere hoc quod nos homines sumus rationabiles,[6] cum sint illi canes, et irrationabiles, et insani? Ita qui nobis recte credentibus irascuntur, sævire quidem possunt, et inferre iniqua supplicia; numquam tamen de corde nostro hoc auferre poterunt, quod Dominum Jesum Christum et creatorem esse credimus, et redemptorem nostrum ac restauratorem esse gaudemus ». Tunc præfectus jussit eum recipi a Commentariis, dicens: Proxima te audiam sessione.

CAPUT XIV.

Chromatius Urbis præfectus catechizatur.

47. Post hæc mittit et adduci eum ad se præcepit per noctem occulte, et offerens ei infinitum pondus auri dicebat: « Ostende mihi medicamentum ex quo recuperasti salutem ». Cui Tranquillinus ait: « Scias grandem iram et furorem Dei passuros esse, qui gratiam ejus vel venundandam existimant vel emendam. Unde si vis a podagrico dolore liberari, crede Christum Filium Dei, et liberaberis, et sicut hodie me vides, ita salvus eris. Nempe vix manibus deferebar, et undecim annos per omnes juncturas nervorum in corpore meo dolorum nodis astrictus, vix ori meo panis alienis manibus tradebatur: illico ut Christum verum Deum esse credidi, salutis meæ gaudia recepi, et sum incolumis, quia verum Deum salvatorem meum agnovi ».

48. Tunc præfectus dimisit eum dicens: « Adduc ad me qui te Christianum fecit, ut si mihi promiserit sanitatem, possim et ego fieri Christianus ».

[1] Al., *lapsa.*
[2] Al., *expendere.*
[3] Al., *eriperent.*
[4] Al., *meditatas.*
[5] Al., *quassus.*
[6] Quidam, *rationales.*

Statim autem Tranquillinus veniens ad S. Polycarpum presbyterum narravit ei omnia quæ gesta vel dicta sunt; et ducens eum intra domum occulte, præfecti eum aspectibus præsentavit. Cui præfectus ait: « Licet gravis animadversio principum Christianis infesta sit, tamen spe recuperandæ salutis afferam vobis quidquid illud est usque ad dimidium bonorum patrimonii mei, si ab hac no-
1 dositate condylomatum[1] mei fuerint membra corporis resoluta ». Tunc S. Polycarpus subridens ait: « Potens est Dominus Jesus Christus ut ignorantiæ
2 tuæ januas[2] aperiat, et ostendat tibi quod ipse sit corporis tui restaurator. Nam pecuniam sive qui afferunt, sive qui oblatam accipiunt, non solum nullam dolentibus conferunt medicinam, sed etiam ipsi sibi insanabilem morbum assumunt ». Dicit ei præfectus: « Dic ergo mihi quid faciam, ut consequi valeam quod spero ». Dicit ei Polycarpus: « Si credideris ex toto corde tuo, sicut credidi Tranquillinus, salvus eris ». Dicit ei præfectus: « Quo ordine credere debeam intimato ». Tunc S. Polycarpus catechizavit eum, et indixit ei ut per triduum jejunaret. Et convocans ad se S. Sebastianum tribus diebus et tribus noctibus, jejunavit cum eo, et cum lacrymis pariter orabant, ut fidem nominis sui in salutem volentis credere Dominus declararet.

CAPUT XV.

Chromatii confracta Idola.

49. Igitur cum dies tertia, quæ constituta fuerat, advenisset, ad domum sustinentis præfecti veniunt pariter properantes. Qui ingressi dixerunt: « Pax fidei tuæ ». At ille resalutavit eos officiosissime; et hortatur eos sedere juxta se, et dixit: « Ex ore Tranquillini ratio egressa oculorum meorum assertione declaratur. Video enim hunc sanissimum quem podagrico et chiragrico videram dolore contractum. A quo genus medicamenti unde fuisset salvatus inquirens, tale ab eo recepi responsum: Dum fidem meam in idolis ponerem, debilis et nimia sum infirmitate contractus: at ubi unum Deum in cœlis didici ostensione Christianorum, abnegavi universa quæ sine causa colueram, et
3 tradidi fidem animi mei Christo.[3] Mox autem ut unum et verum Deum in cœlis regnare confessus sum, statim omnis, quam per undecim annos amiseram, ad me reversa est sanitas, et omnis a me est protinus infirmitas separata. Hæc audivi auribus, probavi oculis, corde credidi; superest ut quod fecistis Tranquillino et mihi faciatis, ut possim mei corporis recipere sanitatem ».

50. Polycarpus presbyter dixit: « Si transeuntes dolores anima hominis non suffert, quid de illis doloribus actura est, quibus nullus umquam evenit finis, nulla datur omnino successio? Nam isti dolores illorum dolorum imaginem portant, et quantum distat inter ignem vivum et picturam ejus, tantum distat inter dolores quos nunc patitur corpus, et illos quos anima passura est, si ignara
4 Creatoris sui præsentis vitæ impleverit munus.[4] Age ergo nobiscum prius de doloribus illis, et esto
A de illa pœna sollicitus, quæ habet ignem semper ardentem, et vermem semper edentem ».

51. Tunc Chromatius urbis Romæ præfectus, cum unico filio suo Tiburtio, dedit nomen suum dicens: « In hoc de fide mea certos vos esse convenit, in qua etiam filium meum Christianum fieri mecum exopto ». S. Sebastianus dixit: « Vide ne sola recuperatione tui corporis ductus te Christianum fieri speres; sed magis spe vitæ æternæ facias mentem tuam puram ad videndam rationem veritatis. Nisi
B enim agnoveris qui sit Creator tuus, non poteris invenire salutem quam quæris ». Chromatius dixit: « Ergo et rusticos et simplicissimos homines nos videmus esse Christianos, ita ut inter mille viros vix invenias unum qui possit vel sermonum disciplinam adipisci. Numquid hi omnes ad istam inquisitionem attingere potuerunt dum fierent Christiani »? S. Sebastianus ait: « Hoc responsum tuum nostræ partis firmat[5] assertionem. Nam ab origine mundi cum ruricolis et pastoribus ovium Deus ha-
C buit rationem, et juxta finem mundi veniens non elegit grammaticos et oratores, sed piscatores et simplices, et ipsis tradidit notitiam suam ».

52. Chromatius dixit: « Cur ergo me dicis prius debere agnoscere quis sit creator meus, quem nisi agnoverim salutem invenire non possim »? S. Sebastianus dixit: « Quia multos deos, et multas deas coluisti. Nisi ergo hos a corde tuo excluseris, et imagines eorum confregeris, et cognoveris unum et verum Deum, vitam et salutem invenire non po-
D teris ». Chromatius dixit: « Indica ergo mihi quis sit unus et verus Deus ». S. Sebastianus respondit: « Si servum tuum ad hauriendam aquam miseris, dum ad fontem venerit, aspicit prius ne sordes aliquæ intus lateant in lagena, et non est ausus aquam in vas mittere, nisi mundatum a sordibus viderit: nos tibi quomodo poterimus tradere fontem veritatis, nisi prius te ab omnibus idolorum sordibus et squaloribus feceris alienum »? Chromatius dixit: « Et quo ordine alienus effici potero ab his »? S. Se-
E bastianus dixit: « Da nobis potestatem ut omnia idola, quæ in domo tua invenerimus, lapidea confringamus, lignea incendamus, aurea et argentea vel ærea conflemus, et pretia eorum egentibus dividamus ». Chromatius dixit: « Et cum hæc feceritis, mihi quid fructus accedet »? S. Sebastianus dixit: « Omnium nervorum[6] tuorum, quorum nodositate constringeris, statim consequeris sanitatem; et quasi qui numquam dolueris, ita pedibus tuis currere incipies, et agnoscere quod inimicos tuæ sa-
F lutis deos dilexeris;[7] tuum vero parentem hunc esse, qui te statim ut ejus notitiam atque culturam inveneris, restaurat et salvat ».

53. Chromatius dixit: « Nolite vosmetipsos ad hanc injuriam deponere: sed servis meis præcipiam; et ipsi universa confringent ». S. Sebastianus dixit: « Dubii et timidi et infideles si ea confregerint, inveniet diabolus per quamcumque negligentiam eorum occasionem lædendi eos, et statim ut læsi fuerint, dicent infideles, propterea eos læsos esse quia idola
G confregerunt. Nisi enim loricam habens non eripitur ictibus sagittarum. Galea enim et scuto et hasta utitur docta manus in prælio, ut ex muni-

[1] Κονδύλωμα, est in condylis sive articulis digitorum tuber, sive inflammatio: Mss. habebant *condologmatum;* quidam *doloris.*

[2] Al., *Valvas.*

[3] Al., *Animam meam ex fide Christo.*

[4] Al., *Creatoris sui spreverit munus.*

[5] Al., *Affirmat.*

[6] Al., *membrorum.*

[7] Al., *colendos duxerit.*

mine armorum et impetu feriendi assumat audaciam, et terga non vertat. Similiter et milites Dei, qui scuto fidei muniuntur, et lorica tegminis Christi proteguntur, habentes galeam fidei et salutis, ipsis est tutum inire certamen. Pugnant enim acerrime et fortiter vincunt, quia contra invisibilem hostem die noctuque infatigabiliter præliantur; et sunt tecti in omnibus membris, fide potius armati quam ferro ». Chromatius dixit: « Fiat voluntas Dei et vestra ». Tunc S. Polycarpus presbyter, et B. Sebastianus præcingentes se oraverunt; et post ora- B tionem amplius quam ducenta idolorum signa confringentes cœperunt gratias agere Deo suo.

CAPUT XVI.

Instrumentis astrologiæ judiciariæ confractis sanatur Chromatius.

54. Post hæc accesserunt ad Chromatium dicentes ei: « Confringentibus nobis idola tu debuisti C sanitatem recipere, nisi forte aliqua tibi in animo signa infidelitatis derelinquuntur. Hoc enim apud nos certum gerimus, quod aut est aliquid, quod nondum est fractum; aut si omnia fracta sunt, quid in animo geras nobis evidentius manifesta ». Tunc ille: « Habeo, inquit, cubiculum holovitreum, in quo omnis disciplina stellarum ac mathesis me-
1 chanica[1] est arte constructa, in cujus fabrica pater
2 meus Tarquinius amplius quam ducenta pondo[2] auri dignoscitur expendisse ». Cui S. Sebastianus dixit: D « Si hoc tu integrum habere volueris, te ipsum frangis ». Chromatius dixit: « Quid enim? Ma-
3 thesis aut ephemeris[3] aliquo sacrificiorum usu co-
4 luntur, cum tantum eis mensium et annorum cursus certo numero[4] per horarum spatia distinguuntur? et lunaris globi plenitudo vel diminutio, digitorum motu, rationis magisterio, et calculi computatione prævidetur »? S. Polycarpus presbyter dixit: « Illic signa Leonis et Capricornii et Sagittarii, et Scorpionis, et Tauri sunt; illic in Ariete luna, in Cancro E hora; in Jove stella, in Mercurio tropica, in Venere Mars, et in omnibus istis monstruosis dæmonibus ars Deo inimica cognoscitur. Ista Christiani ita recusant, ut non solum ipsi non habeant, non colant, non credant, non teneant; verum etiam nec animos illos habeant, qui hujuscemodi nugis suum occupant pectus. Omnia enim ista falsa deceptionisque ministra sunt: similitudo in eis veritatis est, non ipsa veritas ».

A 55. Dicit ei Chromatius: « Quid? quod nonnumquam futura prænuntiant »? S. Sebastianus dixit: « Ista omnia vanissima esse et falsissima, Christo revelante, cognovimus; quæ tibi nunc manifestius aperiemus. Præcipe hodie ad te mathesis venire doctorem, cui dicas, illo tempore te asperis casibus laborasse, et inquire per quas stellas hoc tibi evenerit mali; responsa ejus erunt procul dubio talia, quod tempus tuum a malitioso Marte susceptum est, aut Saturnus apocatasticus fuit,[5] aut annus tuus 5
B ex diametro susceptus est, aut climacterica[6] tibi in 6
centro sunt nata, aut syndetus[7] fuit cum malo, 7
aut invisibilis, aut in schemate,[8] aut immobilis 8
circa te exstitit cursus in stellis. Hæc et his similia cum dixerit, rationis tibi verisimile assignare nititur aliquid et probare. Age nunc, interroga alterum mathematicum, cui ipsas horas ipsumque tempus in bonis tibi exuberasse casibus dicas: illico videbis eum tibi rationabilia schemata infinita afferre, quibus approbet, quia in ipsis tibi tempo- C ribus evenire debuerint bona. Circulum etenim tenet ex omni parte collectum, in quo diversas et varias causas accipit, et quibus occasionem capiat dicendi quod voluerit.

56. Nam futura dum penitus prævidere non possunt, climactericas dicunt, id est naturæ rei incerta profugia. Nam diversis temporibus nati uno naufragio perierunt, et una hora diei vel noctis exorti, alter ad mendicitatem deponitur, ascendit alter ad regnum: et in uno prælio innumerabilis D multitudo prosternitur, et uno die, imo uno puncto,[9] 9
in una domo, duæ feminæ, pudicissima altera, altera efficitur impudica: utriusque stellæ si meritum contulerint, nec meretrix vituperanda est, nec casta laudanda. Certe legum latores et principes sacra sua prævaricata puniunt, et ideo forum, ideo judex, ideo jura, ut justi laudentur recte, et injusti merito puniantur. Et hoc nolo ut otiosum existimes, quod te ipsum nondum salvatum attendis. Nam si ex integro a te inimici generis humani E cæremonias abjiceres, in temetipso quod verum est, didicisses ».

57. Audiens hæc Chromatius dixit: « Verus ille Deus est, qui vos tales probatur habere cultores. Nam omnis sermo vester ita rationibus affluit; ut et pecudum ad rationem veram mentes inclinet. Unde etiam hoc ipsum quod ad ornatum domus visus sum excepisse, ne impediat saluti meæ ejus incolumitas, dissipetur. Credo enim, et hæc fides mea est, quod his omnibus quæ Christianitatis lex

[1] Al., *mechanice stare videtur constructa.*

[2] Ms. Rip., *talenta.*

[3] Ἐφημερὶς proprie *diarium* est, sive res actionesque per dies descriptæ.

[4] Ms. Rebd., *pondere pensentur et tendantur.*

[5] Ita mss. plerique. *Tempus quo sol* (aliusve planeta) *in eamdem partem signiferi per eosdem numeros redit, per quos cursus sui principium cœperat,* ἀποκάτάστασιν *vocant studiosi rerum cœlestium.* Columella. Potest ergo et revolutio Saturni planetæ ad primum situm intelligi, aut turbatio rerum et κατάστασις maligno ejus sidere concitata. At mss. Rip. habet *apocasticus.* Brecthus, *apostaticus, id est, retrogradus:* aut potius, *contrarius, maleficus.*

[6] Κλιμακτῆρες dicuntur anni scansiles, a κλίμαξ, quod est *gradus.* Vanissimas istas observationes ipse Plinius ridet lib. VII, cap. 49: *Rursus Æsculapii secta,* inquit, *quæ stata vitæ spatia a stellis accipi dicit, sed quantum plurimum tribuat, incertum est. Rara autem esse dicunt longiora tempora, quandoquidem momentis horarum insignibus lunæ dierumve septem atque novem (quæ nocte ac die observantur) ingens turba nascatur, scansili annorum lege occidua, quam climacteras appellant, non fere ita genitis* LIV *annum excedentibus. Primum ergo artis ipsius inconstantia declarat, quam incerta res sit. Accedunt experimenta et exempla recentissimi census, quem intra quadriennium imperatores cæsares Vespasiani, pater filiusque, censores egerunt.* Et quibusdam interjectis exemplis, subdit: *Alia mortalitatis inconstantia: Homerus eadem nocte natos Hectorem et Polydamanta tradit, tam diversæ sortis viros. C. Mario, Cn. Carbone* III *Coss. ad quintum Kalend. Junias, M. Cæcilius Rufus et C. Licinius Calvus eadem die geniti sunt, oratores quidem ambo, sed tam dispari eventu. Hoc etiam iisdem horis nascentibus in toto mundo quotidie evenit, pariterque domini ac servi gignuntur, reges et inopes.*

[7] Brechtus et quidam codices, *reditus;* al., *synedethos;* al., *si inditus;* alii recte, *syndetos* et *syndetus,* id est colligatus, convinctus; forte *syndesmos,* conjunctio.

[8] Quidam codices, *stigmate.* Brechtus hoc omisit.

[9] Al., *puncti atomo.*

abominatur et prohibet, si a me ex integro separavero, et præsentem merear salutem consequi et futuram ».

58. Audiens hæc filius ejus Tiburtius dixit: « Nulla patiar ratione hoc opus pretiosum et præcipuum et incomparabile dejici. Sed ne paternæ saluti videar venire contrarius, deferantur duo clibani et accensi ante januam cubiculi præparentur, ut dum destructum ab eis fuerit, et pater meus non receperit sanitatem, ambo in singulis clibanis ardentibus demergantur ». Audies hæc pater ejus, prohibebat fieri. Sancti vero non solum non metuebant promissum exitium, verum etiam constanter præparari clibanos hortabantur.

59. Tunc accesserunt ad universa idola crystallina et holovitrea, et omne opus illud mechanicum: et subito, dum sanctorum manibus frangerentur, apparuit ante oculos Chromatii juvenis, cujus facies flammeo radiabat aspectu et dixit ei: « Misit me Dominus meus Jesus Christus, cui credidisti, ut omnium membrorum tuorum recipias sanitatem ». Ad hanc vocem sanissimus redditus cœpit currere post juvenem, ut pedes ejus oscularetur. At ille dixit ei: « Vide ne contingas me, quia nundum baptismatis sanctificatio te a squaloribus abluit idolorum ». Videns hæc Tiburtius filius ejus, advolvitur ad pedes S. Polycarpi. Ipse autem Chromatius præfectus astringebat plantas S. Sebastiani, et ambo una voce clamabant: « Verus Deus est Christus, verus et omnipotens unigenitus Filius Dei, quem prædicatis boni ministri ejus ».

CAPUT XVII.

Chromatii et Tiburtii baptismus.

60. Tunc B. Sebastianus dixit Chromatio: « Sicut ipse nosti, principatum primæ cohortis ago, sed utrum sit militia[1] hominis, nescire olim decrevi, nec vellem. Ad hoc tantum sub chlamyde latere volui, ut nutantium animos instruerem, et dubitantes constantes efficerem, ne passionum doloribus cederent, quos fides fecerat bellatores. Tu autem amplissimæ potestatis apicem gerens, non potes temetipsum nec a spectaculis tollere, neque judicandis negotiis absentare. Simulans igitur ægritudinem, tibi ipsi postula successorem, ut possis liber ab occupationibus mundi, futuræ vitæ rudimenta suscipere, ut secunda nativitate iterum natus æternis efficiaris parentibus proles ». Eodem itaque die mittit ad amicos suos in palatio positos, per quos testimonialia scripta suscipiens, tirocinium divinæ militiæ antequam baptizetur, accepit.

61. Quid memorem, quam plenissimæ fidei fuerit, quamque acris ingenii contra infidelium asserta constiterit? Sequens lectio manifestat. Nam in initio qualiter sit sacrosancti fontis unda perfusus, mentis ejus fides evidenter enituit. Interrogatus si crederet, dixit: Credo. Iterum interrogatus, utrum abrenuntiaret omnibus idolis, respondit: Abrenuntio. Prosecuta est interrogatio sacerdotis, utrum renuntiaret omnibus peccatis; at ille ait: « Ista prius debuisti inquirere antequam has aulas regis[2] cœlorum intrarem. Nunc autem reinduam me non baptizatus, ut omnibus prius, quibus sum iratus, indulgeam; omnibus debitoribus meis chirographa restituam; si cui aliquid violenter abstuli, integrum reddi præcipiam: duæ mihi post uxoris obitum concubinæ sunt, et istis dotem et maritos tradam, ab omni nexu servili, ingenuo, privato, vel publico actuum meorum exsolvam: et ita demum promittam renuntiaturum me omnibus peccatis diabolicis et voluptatibus mundi ». Dicit ei Polycarpus presbyter: « Beationem te cœlestis unda perfundet, cum ea quæ arbitrio tuo dicis te esse facturum, tota festinatione compleveris: nam et quadragesimæ tempus ideo baptizandis injungitur, ut tot diebus[3] ipsi discant renuntiaturos se esse omnibus artibus inimici et mundi commerciis, si qui verissime effici volunt Christiani ».

62. Tunc Tiburtius juvenis sapientissimus dixit: « Pater, si tibi pro renuntiandis negotiis tempus flagitas, ego qui adhuc suscepturus eram negotia fori, soli susceptionis voluntati renuntio: et qui futurus eram advocatus ad agendas causas mortalium, suscipiam Christianitatem ad agendas actiones angelicas, cum unus esse cœpero ex eorum numero, qui æternam vitam accipiunt, et efficiuntur causidici sanctitatis ». Tunc amplexatus est eum B. Sebastianus: quem cum baptizasset S. Polycarpus, ipse pater susceptionis ejus est factus.

63. Igitur dum pauci admodum transacti fuissent dies, omnibus rite abrenuntiatis a Chromatio mundi negotiis, suscepit Chromatius sacri baptismatis novitatem; et cum eodem ex familia ejus promiscui sexus mille quadringentæ animæ, quos omnes prius manumissionis gratia a servitutis nodo exsolvit, et donis optimis instruxit, dicens hoc: Illi qui Deum incipiunt habere patrem, servi hominis non debent esse.

CAPUT XVIII.

Chromatius, præfectura Urbis abdicata, persecutionis tempore Christianos alit.

64. Erat autem papa urbis Romæ nomine Cajus,[4] vir magnæ prudentiæ, magnæque virtutis, imperantibus Carino,[5] Diocletiano et Maximiano. Sed Diocletianus in Urbe erat cum Maximiano: Carinus autem erat cum omni exercitu in partibus Galliarum positus: et ejus intuitu lenta persecutio Diocletiani circa Christianos esse cœperat: quia Carinus[6] habebat aliquos amicos, quos hujus tituli professio decorabat.

[1] Mss. Rebdorf., *malitia.*

[2] Al., *regni.*

[3] Al., *totis diebus.*

[4] Colitur S. Cajus papa 22 April.; sedit a consulatu Cari II et Carini, an. chron. 283, usque ad consulatum Diocletiani VI, et Constantii II, an. Chron. 296.

[5] Carinus sub finem anni 282, cæsar creatus, Caro patre in expeditione Persica ictu fulminis, Numeriano fratre Apri soceri fraude exstinctis, ipse quoque anno 285, Diocletiani II, ab hoc victus interemptusque est.

[6] Huc fortasse respexit Vopiscus de eo scribens, odio nostræ religionis: *Amicos optimos quosque relegavit; pessimum quemque elegit aut tenuit;* et infra: *hominibus improbis plurimum detulit.* Tales etiam Christiani habiti quamquam alioquin *flagitiose vixisse Carinum* Orosius quoque testatur. Sed aucta invidia, quod in comitatu Christianos haberet, etiam sanguine junctos, ut ex vita S. Juliani 9 Januar., cap. 18, num. 35, patet.

65. Igitur occiso Carino in civitate Maguntiaco[1] Maximiano[2] et Aquilino consulibus, facta est persecutio talis, ut nullus emeret vel venundaret aliquid nisi qui, statunculis[3] positis in eo loco, ubi emendi gratia ventum fuisset, thuris exhibuisset incensum. Circa insulas,[4] circa vicos, circa nymphea[5] quoque erant positi compulsores, qui neque emendi copiam darent, aut hauriendi aquam ipsam facultatem tribuerent, nisi qui idolis delibassent.

66. Tunc S. Caji episcopi consilio habito, Chromatius illustris vir omnes Christianos in domo sua suscepit, et universos ita fovebat, ut nullus omnino sacrificandi necessitati succumberet. Verum quia tanta vis persecutionis exstiterat, ut opinio ipsa Christianitatis ejus celari non posset, meruit ex sacro rescripto Chromatius ut medendi gratia in Campano littore moraretur, in quo erat lati[6] cespitis dominus, tribuitque copiam omni Christiano ire volenti cum eodem ad persecutoris rabiem declinandam. Tunc orta est contentio inter S. Polycarpum, et B. Sebastianum; quis horum duorum in Urbe remaneret, et quis iret cum Chromatio, qui tantum populum susceperat Christianum. Quibus altercantibus venerabilis papa Cajus dixit: « Dum ambo passionis coronam quæritis, acquisitum Domino populum desolatis. Unde mihi videtur, ut tu, frater Polycarpe, quia et sacerdotii rectum tramitem tenes, et scientia Dei repletus es, pergas simul ad confortandas credentium mentes et animos dubios ædificandos ».[7] At ille his auditis quievit et blandum papæ imperium æquanimiter tulit. Venit itaque dies Dominica, in qua Cajus episcopus agens quæ Dei sunt intra domum Chromatii, hac omnes alloquitur voce: « Dominus noster Jesus Christus præscius fragilitatis humanæ duos in se credentibus constituit gradus, confessionis scilicet et martyrii, ut hi qui martyrii pondus se posse perferre desperant, confessionis gratiam teneant, et dantes latus[8] bellantibus, Christi militum, qui pro ejus sunt nomine pugnaturi, sollicitudinem gerant. Pergant itaque qui volunt una cum filiis nostris Chromatio et Tiburtio, et mecum in hac urbe qui voluerint maneant. Non enim nos terrarum spatia divident, quos Christi caritas nectit, nec absentiam vestram sentiunt oculi nostri, quia de interioris hominis vos intuemur aspectu ».

67. Hæc et his similia dicente papa Cajo, exclamavit Tiburtius, vir clarissimus dicens: « Obsecro te, pater et episcoporum episcope, ne me patiaris terga persequentibus dare. Mihi enim valde jucundum est et optabile, si possem millies pro vero Deo occidi, tantum et illius vitæ dignitatem inveniam, quam nullus mihi successor eripiat, cui nulla tempora finem imponant ». Tunc S. Cajus, congaudens fidei ejus, lacrymas effundebat, orans ut omnes qui remanserant, certamine victores existerent, triumphum martyrii capientes.

CAPUT XIX.

SS. Sebastiani, Tiburtii, et aliorum præclara facta in Urbe.

68. Remanserant autem cum venerabili Cajo papa hi, Marcellianus et Marcus, simul quoque et pater eorum vir clarissimus Tranquillinus, item B. Sebastianus, et pulcherrimus juvenis, sed et mente pulchrior, S. Tiburtius, et Nicostratus ex primiscrinio cum fratre suo Castorio, et cum conjuge sua, Zoe nomine; item Claudius cum Victorino fratre suo et cum filio suo Symphoriano,[9] qui fuerat a morbo hydrophis liberatus. Hi tantum, universis cum Chromatio proficiscentibus, cum Cajo episcopo remanserunt; Marcum et Marcellianum diaconii honore sanctificavit, Tranquillinum vero patrem eorum, fecit presbyterum. S. Sebastianum autem, qui ad multorum profectum sub specie militiæ latebat, defensorem Ecclesiæ instituit, cæteros vero subdiaconos fecit.

69. Sed quia tutus nullus inveniri poterat locus ad latebram confovendam,[10] morabantur omnes apud Castulum quemdam Christianum, zetarium[11] palatii: qui Castulus ibidem in palatio, in superiori loco et valde altissimo commanebat. Ideo autem hæc apta mansio probabatur, quia et ipse Castulus cum suis omnibus christianissimus erat; et lex data de sacrificiis cum ubique sui fervore desæviret, in illis qui palatio adhærebant, quia nec suspicio de eis esse poterat, celabatur. Erant ergo, ut diximus, omnes hi morantes cum sancto papa Cajo apud Castulum zetarium, in ipsis superioribus palatii, et die noctuque gemitibus ac fletibus, et jejuniis atque orationibus occupati, exorabant Dominum, ut digni haberentur tolerantia confessionis ejus, in numero sanctorum martyrum sociari.

[1] Ita plerique codices; quidam, *Maguntiaca;* unus, *Moguntiaco:* Mombricius, *Montiacho;* Brechtus, *ad Margum:* recte. Ita Vopiscus: *Nam contra Diocletianum multis prœliis conflixit. Sed ultima pugna apud Margum commissa occubuit.* Alia exemplaria habent *apud Martium.* Eutropius lib. IX: *Postea Carinum omni odio et detestatione viventem, apud Margum ingenti prœlio vicit, proditum ab exercitu suo, quem fortiorem habebat, certe desertum, inter Viminatium atque Aureum montem.* Aurelius Victor de Cæsaribus: *At Carinus ubi Mœsiam contigit, illico Margum juxta Diocletiano congressus, dum victos avide premeret, suorum ictu interiit.* Margus urbs erat Mœsiæ, et flumen, ut in tabula itineraria videre est.

[2] Ita plerique codices omnes. Legendum forte, *Maximo et Aquilino,* nisi *Maximianus Herculeus* illi subrogatus, qui anno sequenti, Christi 287, secundum consulatum gessisse legitur. His ergo coss. cum superiore anno occisus esset *Carinus,* vehemens commota persecutio in Occidente.

[3] Ita S. Gregorius Turonens. lib. I Hist. Franc. cap. 5: *Hic* (Chus) *primus statunculam adorandam diaboli instigatione constituit.* Alii *statunculum* legunt, et *staticulum,* uti et hic, estque *staticuli* nomen etiam Tertulliano usurpatum. Brechtus: *statiunculis, hoc est, parvis idolorum statuis.*

[4] Insulæ in urbibus sunt domus undique vicis claussæ, atque ab aliis separatæ, uti marinæ insulæ undique aquis ambiuntur. Suetonius in Nerone, cap. 16: *et ut ante insulas ac domos porticus essent, de quarum solariis incendia arcerentur;* et in Julio, cap. 41: *Recensum populi nec more nec loco solito, sed vicatim per dominos insularum egit.* In veteri descriptione Urbis ad singulas regiones numerus exprimitur insularum.

[5] Al., *nymphas.* In eadem descriptione Urbis præter *balnea lacusque* aliquot recensentur *nymphæa.*

[6] Al., *quod latex subterfluit, in quo eras latice piscis,* etc., inepte corrupta lectio.

[7] Ms. Rip., *recreandos;* al., *confirmandos.*

[8] Al., *locum.*

[9] Is, supra, *Felicissimus* appellari videtur. At mss. omnes præterquam Ripatorii, *Symphorianum* hic habent, quem alii *Symphronianum,* alii *Sympronianum* vocant. Inscriptus est Martyrologiis 7 Julii, at *Felicissimus* et *Felix 2 ejusdem.*

[10] Ms. Rip., *contuendam.*

[11] Quid *zetæ* sint aut *zætæ,* quibus *zetarius* præerat, supra dictum est ad cap. 3.

70. Ascendebant autem ad eos occulte religiosi viri, religiosæ feminæ, et a Sanctis diversas sibi sanitatum gratias impetrabant. Corroboratos namque veræ fidei firmitate et solidato fundamento virtutum, sanitatum gratia prosequebatur. Nam et cæcorum oculi illuminabantur eorum precibus, et sanabantur infirmi, et ex obsessis corporibus dæmones pellebantur.

71. Interea dum hæc aguntur, transiens B. Tiburtius occurrit homini qui de alto lapsus, et caput et omnia membra quassaverat, ita ut de sola sepultura ejus agerent hi, quorum filius esse dignoscebatur. Tunc dicit eis flentibus: « Permittite me
2 præcantare[1] ei; forsitan recuperabit sanitatem ». Cumque omnes dedissent spatium, accessit juxta eum, et dicens supra vulnera ejus lente orationem Dominicam et symbolum, ita solidata sunt ossa ejus, et caput et omnia viscera, ut quasi nihil ei evenisset, ita factus sit incolumis.

72. Hæc itaque cum fecisset, cœpit ire. Tenebant autem illum parentes ejus dicentes: « Veni et habe eum servum, et omnia bona nostra tibi tradimus cum eo, quia ipsum unicum, quem habebamus, nobis jam mortuum reddidisti vivum ». Dicit eis: « Si ea quæ vobis dixero feceritis, magni pendam mercedem sanitatis hujus ». Dicunt ei parentes ejus: « Nosmetipsos si servos habere digneris, contraire non possumus: quin immo et optamus, si ipse judicaveris dignum ». Tunc apprehendens manus eorum, segregavit eos a turbis, et indicavit eis virtutem nominis Christi. Et videns animum eorum fixum fortiter in timore Domini, perduxit eos ad papam Cajum et dixit: « Venerabilis papa ac divinæ legis antistes, ecce quos per me hodie lucratus est Christus, in quibus fides mea velut arbuscula novella, primum prorupit in fructum ». Tunc S. Cajus episcopus baptizavit eos, hoc est, juvenem cum parentibus suis, Deo gratias referentes.

CAPUT XX.

SS. Zoe, Tranquillini et aliorum cædes.

73. Verum quia multum est si velimus et prosequi quæ et quanta per eos fecerit Christus, qualiter unusquisque ad palmam martyrii venerit tantummodo explicemus. Beatissima Zoe in Apo-
2 stolorum natale dum ad Confessionem[2] Petri apostoli oraret, ab insidiantibus paganis arctatur,
3 duciturque ad patronum regionis Naumachiæ,[3] et
4 compellitur Martis statunculo,[4] quod illic stabat, thuris guttas incendere. Tum illa respondit: « Mulierem Marti sacrificare compellitis, ut ostendatis Martem vestrum mulieribus delectari. Sed ille impudicissimæ Veneri potuit pudorem eripere, mihi vero tropæum fidei in fronte portanti non poterit prævalere. Non enim ego meis contra eum viribus luctor; sed in Domini mei Jesu Christi virtute confidens, et vos et illum pariter ridendo contemno ». Tunc patronus regionis misit eam in custodiam

A obscurissimam, et per quinque dies fecit eam nec lumen videre, nec cibum nec potum accipere. Solum vox ejus qui eam illic incluserat, audiebatur dicentis: Ibi morieris fame, et siti, et cæcitate, nisi te libaturam repromiseris diis.

74. Sed cum pertransissent sex dies, suggesserunt de ea præfecto sævienti: qui jussit eam a collo et capillis in arborem excelsam suspendi et subter fumum ex sterquilinio adhiberi. Statim autem ut suspensa est, in confessione Domini emisit[5] spiri- 5
B tum. Illi autem auferentes corpus ejus saxo ligaverunt et Tiberis alveo immerserunt, dicentes: Ne Christiani corpus ejus tollant, et faciant sibi illam deam.

75. Igitur celebrato martyrio ejus, venit in somnis B. Sebastiano, et narravit ei qualiter martyrium Domini suscepisset. Quod cum narrasset S. Sebastianus, proripuit se S. Tranquillinus, dicens: « Feminæ ad coronam præcedunt, ut quid vivimus »? Ipse quoque descendens Apostolorum natalitii octavo
C die, ad B. Pauli Confessionem accessit: nihilominus et ipse perpessus insidias tentus est, et a populo lapidatus[6] mortuus est, et corpus ejus Tiberino 6
gurgiti mancipatum est.

76. Item Nicostratus et Claudius una cum Castorio et Victorino et Symphoriano, dum corpora Sanctorum per ora Tiberina requirerent, a persecutoribus tenti sunt, et ad Urbis præfectum perducti. Erat judex Fabianus, qui eos hortabatur ad sacrificandum, et per decem dies minis eos et
D blanditiis agens, in nullo penitus potuit commovere. Tunc fecit de iis suggestionem imperatoribus, qui jusserunt eos usque tertio torqueri. Cumque nulla ratione tormentis compulsi cederent, jussit eos in medio mari præcipites dari. Immensis igitur arctati ponderibus, pelagi fluctibus dati sunt, et in loco mundo inter[7] aquas coronam martyrii celebrarunt. 7
Insidiabantur itaque infideles fidelibus, et iniquo furore vexati christianum non poterant nec nomen audire.

E

CAPUT XXI.

S. Tiburtii martyrium.

77. Interea dum S. Cajo episcopo quidam se simulata fide sociasset, dicens se esse Christianum, porro hic apostata exstiterat et erat fraudulentus in omni sermone, et callidus in omni commisso. Quid multa? dum a B. Tiburtio viro scholasticissimo et nobili et sancto frequenter argueretur,
F quod capillos super apicem frontis tonsoris arte componeret, et quod assidue pasceretur et ludendo pranderet;[8] et quod licentius feminarum se aspe- 8
ctibus daret, et quod a jejuniis se et orationibus tolleret, quod somno deditus non interesset pervigil[9] in hymnis Dei ducentibus noctes; dum pro 9
his, ut diximus, a B. Tiburtio acrius argueretur, simulat se æquanimiter monentem accipere: et egit arte quatenus orantem S. Tiburtium comprehenderent infideles. In quo comprehensione seipsum

[1] Al., *incantare;* al., *decantare.*

[2] Confessio est pars ecclesiæ ubi sanctorum corpora quiescunt, ac fere sub majori altari.

[3] Plures fuerunt in Urbe *Naumachiæ,* Diocletiani regione nona; aliæ tertia decima; duæ decima quarta trans Tiberim. Et Baronius an. 286, n. 13, hoc trans Tiberim gestum censet, et *nova munera tunc certis locis, certis hominibus ad inquirendos Christianos distincta; sicque ut uni Urbis regioni plures essent præfecti patroni, qui singuli in parte sibi concredita Christianos inquirerent.*

[4] Al., *staticulo,* ut supra.

[5] Colitur 5 Jul.

[6] 6 Jul.

[7] 7 Jul.

[8] Ms. Rip., *potaret.*

[9] Al., *pervigiles.*

teneri fecit, et simul ad secretarium perduci judicis sævientis. At ubi introducti sunt, Fabianus præfectus dixit ad eum, qui se arte tradiderat:
1 « Quis diceris »? At ille respondit: « Torquatus[1] ». Fabianus dixit: « Quid profiteris »? Torquatus dixit: « Christianus sum ». Fabianus dixit: « Ignoras quod jusserunt invictissimi principes, ut qui sacrificare diis noluerint, diversis suppliciis macerentur »? Torquatus dixit: « Hic magister meus est, et ipse me semper docuit: quod hunc videro facere, necesse est ut faciam ».

78. Fabianus conversus ad S. Tiburtium dixit: « Audisti quid Torquatus asserat? quid ad ista respondes »? S. Tiburtius dixit: « Torquatus diu est quod se Christianum esse mentitur; virtus enim nominis ipsius sancti graviter fert et moleste,
2 suum nomen non a suis amatoribus[2] usurpari. Revera enim, vir illustrissime, hoc Christianum vocabulum, divinæ virtutis est, sectatorum videlicet Christi, qui vere philosophati sunt, qui vere Christiani dicti sunt, qui ad obterendas libidines fortiter dimicarunt. Credisne, vir illustrissime, hunc
3 esse Christianum, qui in lenocinio sui moliendo[3]
4 capitis fimbrias committit,[4] qui tonsorem diligit,
5 qui scapulas molliter gestit, qui fluxum[5] gressum improbo nisu distendit, qui viros negligenter agit, feminas diligentius intuetur? Numquam tales Christus habere dignatus est servos. Verum quoniam me hic se imitaturum asseruit, hic in tuo conspectu probabis eum esse mentitum. Hic enim qualis semper fuerit, nunc evidenter ostendet ».

79. Fabianus dixit: « Consultius facies, si saluti tuæ consulas, et principum decreta non contemnas ». S. Tiburtius dixit: « Ego saluti meæ melius non consulo, quam ut deos deasque contemnens, unum Dominum Jesum Christum Deum meum esse confitear ». Torquatus dixit: « Non solum ipse Christianus crudelis est, verum etiam multos persuadet, et decipit, ac docet omnes deos dæmones esse; ipse
6 autem cum sociis suis, cum quibus magicas artes[6] exercet, die noctuque incantationibus occupatur ». S. Tiburtius dixit: « Falsus testis non erit impunitus. Et ait judici: « Iste, quem vides, illustrissime vir, malitiæ suæ curis exæstuans, ad nihil aliud Christianis est junctus, nisi ut cogitaret quomodo se nobis quasi Christianum ostenderet; quomodo
7 aliis se fidelissimum mentiretur. Reprehendebam[7] tamen in eo Cyclopeam edacitatem, et mersum
8 vino pudorem,[8] et sepultam divini nominis sanctitatem. Ebrius patiebatur sitim, et esuriem vomens: nec ut Christianus, sed ut Antonianus quoddam ille conviva manducabat, bibebat, vomebat, et nunc Christianos arguit, Christianos accusat, in nos mitem judicem incitat, gladium nolenti judici porrigit, et ut dæmoniis cervices nostras inclinemus hortatur. Videmus votum tuum, videmus cruenta consilia; et scelerata arte verborum venena tui pe-
9 ctoris intuemur. Accingere nunc crudelissime:[9] utere carnificis officio: vendica tibi et ipsius judicis vocem; applica aculeos, suspende Christianos, damna,

A percute, incende, universa tormenta adhibe, bene nos accepisti. Si exsilium minaris, hoc philosophantibus totus est mundus; si supplicium, evadimus mundi carcerem; si ignes, majora horum in cupiditatibus vincimus. Decerne quidquid libet, omnis nobis vilis est pœna ubi pura comes est conscientia.

80. Fabianus præfectus dixit: « Restitue te generi tuo, et hoc esto quod te natura dictavit. Nobilis enim natus ad tantam devolutus es fæcem, ut velis[10] et supplicium simul et infamiam subire 10
B et mortem. S. Tiburtius dixit: « O prudentissimum virorum, et Romanis judicem constitutum! quia meretricem Venerem, et incestum Jovem, et Mercurium fallacem, et Saturnum filiorum occisorem colere nolo, infamiam generositatis[11] incurro: et 11
quia unum et verum Deum, qui in cœlis regnat, adoro et veneror, suppliciis me macerandum esse minaris. Non annuimus[12] tuæ persuasioni: non 12
negamus Christum Filium Dei ad hoc de cœlo descendisse ad terras, ut a terris homo ad cœlum
C posset ascendere; ideo istas omnes vanas effigies, quas colitis sine causa, proculcans pedibus meis, Deo me omnipotenti subjeci ».

81. Tunc Fabianus jussit ante pedes ejus carbones ardentes effundi; et ait ad eum: « Elige tibi unum e duobus, aut thura in istis carbonibus adjice, aut pedibus super eos nudis incede. » Tunc B. Tiburtius faciens signum crucis, constanter nuda super eos ingressus est planta, et cœpit præfecto dicere: « Depone infidelitatem et disce quia hic solus
D est Deus, quem confitemur creaturis omnibus dominari. Mitte tu, si potes, in nomine Jovis dei tui manus in calidam aquam; et si potest Jovis tuus, faciat te non sentire fervorem ardoris. Nam mihi in nomine Domini mei Jesu Christi videtur, quod super roseos flores gradior, quia creatura Creatoris sui famulatur imperio ».

82. Fabianus dixit: « Quis ignorat magicam vos docuisse Christum vestrum »? S. Tiburtius dixit: « Obmutesce, infelix, et noli auribus meis hanc
E injuriam facere, ut audiam te rabido ore latrantem, mellifluum nomen ejus sanctum nominare ». Tunc iratus Fabianus dictavit sententiam dicens: « Blasphemator deorum, et reus atrocium injuriarum, gladio animadvertatur ». Ductus est autem via Lavicana tertio milliario ab Urbe, et effundens ora-
tionem ad Dominum uno ictu gladii verberatus[13] 13
abscessit. Et in eodem loco a parente quodam Christiano sepultus est: in quo loco multa beneficia semper præstitit Christus ad laudem nominis sui
F usque in præsentem diem.

CAPUT XXII.

SS. Castuli, Marcelliani, Marci cædes.

83. Post hæc autem Torquatus egit ut Castulus zetarius palatii, hospes Sanctorum, comprehenderetur: qui cum fuisset actatus, et hic tertio appensus, tertio auditus, in confessione Domini perseverans, missus est in foveam, et dimissa est super

[1] Metaphrast., *Curtuatus*, ne forte legendum *Turcuatus*.
[2] Al., *moribus*.
[3] Al., *molliendo*.
[4] Al., *fibras omittit*; al., *fibras amittit*.
[5] Al., *flexum*.
[6] Al., *clades*.
Al., *reprehendebant*.

[8] Al., *immensum vini pudorem*; Brechtus, *emersum vino putorem*.
[9] Al., *christianissime*.
[10] Al., *possis*.
[11] Al., *ingenerositatem*.
[12] Al., *non abnuimus, non renitimur, non negamus*.
[13] Colitur S. Tiburtius 11 Aug., quo die et S. Chromatii parentis ejus memoria agitur.

eum massa arenaria, et ipse cum palma martyrii[1] migravit ad Dominum.

84. Tenentur post hæc Marcellianus et Marcus; et ambo ligati ad stipitem clavos in pedibus acutos acceperunt; quibus dicebat insanissimus Fabianus: « Tamdiu fixis stabitis plantis, quousque diis debitum redhibeatis officium ». Tunc ambo fratres in uno ligno confixi psallebant dicentes: « Ecce quam bonum et quam jucundum habitare fratres in unum ». Dicit eis Fabianus: « Infelices et miseri, deponite amentiam vestram, et liberate vosmetipsos a cruciatibus imminentibus super vos ». Cui respondentes ambo dixerunt: « Numquam tam bene epulati sumus: modo cœpimus esse fixi in amore Christi. Utinam nos sic esse sicut sumus tamdiu permittas, quamdiu hujus tegimur corporis indumento ». Cumque transisset una dies et una nox, et illi in psalmis et hymnis perseverarent, jussit eos ambos ubi stabant, lanceis per latera verberari: et ita per martyrii gloriam[2] ad siderea regna migraverunt. Item sepulti sunt et ipsi in via Appia, milliario secundo ab Urbe, in loco qui vocatur Ad Arenas, quia cryptæ arenarum illic erant, ex quibus Urbis mœnia struebantur.[3]

CAPUT XXIII.

S. Sebastiani gloriosum certamen.

85. His ita gestis B. Sebastianus ab insidiantibus conventus est; et quia, ut diximus, videbatur sub chlamyde latere, cum miles esset dignissimus Christi, suggessit de eo præfectus Diocletiano imperatori. Quem Diocletianus ad se convocans, ait: « Ego te inter primos palatii mei semper habui. Et tu contra salutem meam in injuriam deorum hactenus latuisti ». S. Sebastianus dixit: « Pro salute tua semper Christum colui, et pro statu Romani orbis illum, qui in cœlis est, semper adoravi, considerans a lapidibus auxilium petere insani capitis esse et vani. Tunc iratus Diocletianus jussit eum duci in medium campum, et ligari quasi signum ad sagittam, et jussit ut sagittarii eum figerent.[4] Tunc posuerunt eum milites in medio campo et hinc inde eum ita sagittis repleverunt, ut quasi hericius ita esset hirsutus[5] ictibus sagittarum.

86. Æstimantes autem illum esse mortuum abierunt. Tunc relicta martyris Castuli zetarii, nomine Irene,[6] abiit nocte, ut corpus ejus tolleret et sepeliret. Et inveniens eum viventem, adduxit ad domum suam in scala excelsa[7] ubi manebat ad palatium, et ibi intra paucos dies salutem integerrimam recuperavit in omnibus membris.

87. Cumque omnes Christiani ad eum convenirent, hortabantur eum abscedere. Ille autem oratione facta descendit, et stans super gradus Heliogabali,[8] venientibus imperatoribus dixit: « Iniquis subreptionibus animos imperii vestri templorum pontifices obsident, suggerentes de Christianis falsa commenta, dicentes eos Reipublicæ esse adversarios; quorum orationibus ipsa Respublica melioratur, et crescit; qui pro imperio vestro et pro salute Romani exercitus orare non cessant ». Cum hæc et talia diceret, Diocletianus ait: « Tune es Sebastianus, quem nos dudum sagittis jusseramus interfici »? S. Sebastianus dixit: « Ad hoc me Dominus meus Jesus Christus resuscitare dignatus est, ut conveniam et contester vos coram omni populo, injusto judicio persecutionem vestram in Christi famulos ebullisse ».

88. Tunc jussit eum in hippodromo[9] palatii duci, et tamdiu fustigari,[10] quamdiu spiritum exhalaret. Tunc tulerunt corpus ejus nocte, et in cloacam[11] Maximam miserunt dicentes, ne forte Christiani eum sibi martyrem faciant. Tunc B. Sebastianus apparuit in somnis S. Lucinæ, cuidam matronæ religiosissimæ, dicens: « In cloaca illa, quæ est juxta circum, invenies corpus meum pendens in gompho.[12] Hoc tu dum levaveris, perduces ad catacumbas[13] et sepelies in initio cryptæ juxta vestigia Apostolorum ».

89. Tunc B. Lucina ipsa per se cum servis suis medio noctis abiit, et levans eum posuit in pavone[14] suo, et perduxit ab locum, ubi ipse imperaverat, et cum omni diligentia sepelivit. Ipsa autem sancta Lucina per xxx dies a loco sancto ipso non discessit.

90. Post aliquantos autem annos pax Ecclesiæ est reddita: quæ statim ut Ecclesia gloriam pacis accepit, domum suam[15] fecit ecclesiam. Cui omnes suas opes ad Christianorum requiem relinquens, fecit ipsam ecclesiam hæredem in Christo, qui cum Deo Patre et Spiritu sancto æqualis vivit et regnat in unitate virtutis in sæcula sæculorum. Amen.

[1] 26 Martii.

[2] 18 Junii.

[3] Al., *instruebantur*.

[4] Al., *sumerent;* al., *suerent;* al., *exsuerent;* al., *in eum jacerent*.

[5] Al., *insutus;* al., *insitus*.

[6] Plurimi codices *Hirene;* Raban., *Herene;* al., *Herena;* al., *Ærena*.

[7] Al., *insulam excelsam*.

[8] Ubi hi fuerint gradus *Heliogabali*, sive *Elagabali;* colligi ex Lampridio potest, qui in Antonino Heliogabalo ita scribit: *Heliogabalum in Palatino monte, juxta ædes imperatorias consecravit, eique templum fecit...., id agens ne quis Romæ deus nisi Heliogabalus coleretur*. Hujus nimirum dei sacerdos fuerat Antoninus ille.

[9] Aliqui codices, *epidromio;* quidam, *hypodromio;* alii, recte, *hippodromio*.

[10] Rabanus et alii, *fatigari;* al., *fustibus cædi*.

[11] De cloacis Urbis plane admirandis consule Baronium in Notat. ad Martyrol., 26 Aug.; Andream Fulvium Antiquitat. Roman. lib. III, cap. 30; Plinium lib. XXXVI, cap. 15.

[12] Brechtus et plerique codices, *in unco*. Uncum hunc esse vult Baronius quo ad cloacam pertractum erat martyris corpus, ut fieri solitum pluribus veterum testimoniis probat. Lampridius in Commodo: *Carnifex unco trahatur, carnifex senatus more majorum unco trahatur*. Et in Heliogabalo: *Per plateas tractus est sordidissimè, per cloacas ductus, et in Tiberim submissus est*. At cum impactus esset corpori uncus, qui ex unco pendebat, an uncus multiplex in uno, veluti quo e puteis profundioribus quæ inciderent extrahere mos est; sicque muro fortassis dens unus infixus? Veriorem, ni fallimur, lectionem quidam codices commonstrant, in quibus *gumpho* et *gonpho* scriptum. Legendum *in gompho*. Est γόμφος, *clavus*. vel *junctura*. Ita Statius, IV Silv. de via Domitiana:

Tunc umbonibus hinc et hinc coactis,
Et crebris iter alligare gomphis;

connexis nimirum, ne distorqueantur et ab invicem divellantur, lapidibus. Tertullianus in Apolog.: *Cervices ponimus ante plumbum, et glutinum, et gomphos*. Franciscus Zephyrus Paraphrastes *majores clavos* reddit. Eadem vox infra in S. Thyrsi martyrio. Hic ergo eminens uspiam e muro clavus, aliudve ferramentum firmandis lapidibus adhibitum videtur debere intelligi.

[13] De catacumbis vel catatumbis legi potest Baronius in notis ad Martyrol. 3 Jan. et 20 Jan.

[14] Al., *papilione;* al., *pagone;* Sur., *pilento;* sicque legendum contendit Monachus. De *pavone*, sive *pabone*, egimus 16 Jan. ad vitam S. Marcelli cap. 5.

[15] De hac re agitur in eadem S. Marcelli Vita.

PRÆFATIO AD OPELLAM SEQUENTEM
DE MORIBUS BRACHMANORUM.

Fidem liberamus in præfatione generali ad hunc tomum datam sequens quoque opusculum exhibendo, quod nos pariter ac Maurini operum Ambrosii Editores nullatenus sancto Doctori convenire autumamus, non tamen omnino, propter antiquitati debitam reverentiam, negligendum putamus. Huic in Mignii editione ista præficiuntur: « Habetur hic tractatus ms. in tribus celeberrimis Italiæ bibliothecis, Vaticana, Mediolanensi, et Medicæa, sub nomine B. Ambrosii Mediolanensis episcopi: cujus tamen non esse, tum ex aliis dubitari potest, tum ex differentia styli, qui a gravitate Ambrosii, ab elegantia et acumine verborum cum venustate conjuncto longe distare videtur. Sed cum in vetustis libris nomen ipsius, nescio qua occasione, sortitus jam sit, a nobis in hac editione additus est inter alia opuscula incerta, quæ huic sancto doctori tribuenda sint, necne, sinceri lectoris judicio relinquimus. Opus certe ipsum non admodum expolitum fatemur. Vel fortasse Ambrosius (si illius dicendus est auctor) Palladio Græco homini scribens, linguæ Latinæ parum erudito, et adhuc juveni (is enim est, ut conjicitur, qui postea Hibernorum episcopus fuit ordinatus), ut ejus capacitati se accommodaret, magis aperto et communiore sermone usus est. » Librum vero *de legatione ad Brachmanos,* de quo in nota supra memoratæ nostræ præfationis ad pag. x, non alium esse ac ipsam hanc opellam, facile suademur.

Notatur ad calcem opusculi in Mignii editione: *Aliqua deesse videntur;* nobis tamen id absolutum esse apparet. Nam ex toto ejusdem substrato inferre licet, ejus scriptorem id in animo non habuisse ut aliquam historicam relationem, utut inverisimilem, exhiberet, sed ut potius communium morum censuram seu satyram conficta enarratione proponeret; atque in hunc finem optime quadrant postrema scriptionis verba, quæ auctoris intentionem aperiunt, et aptam libelli conclusionem efficiunt.

DE MORIBUS BRACHMANORUM.

Desiderium mentis tuæ, Palladi, quæ, immenso sapientiæ amore incensa, nova semper discere optat, novum etiam arduumque opus efficere nos compellit, id vero est Brachmanorum patriam consuetudinem, vitamque recensere. Ego quippe cum neque ipsos, neque ipsorum viderim loca (longo enim terrarum spatio a nostra Europa sunt sejuncti), ea tibi dumtaxat quæ ab aliis audivi, et quæ a scriptoribus desumpsi, enarrare tentabo. Brachmani a nonnullis gymnosophistæ, a quibusdam philosophi seu sapientes Indorum appellantur. Habitant autem juxta Gangem, fluvium totius Indiæ maximum. Hic vero Ganges ille est quem Scripturæ sanctæ Phison appellant, et unus de quatuor qui e paradiso exire perhibentur. Primum igitur Musæus frater noster Dolenorum episcopus, mihi retulit, quod ipse aliquot ante annos ad Indias, Brachmanos visendi studio profecturus, Sericam fere universam regionem peragravit: in qua refert arbores esse quæ non solum folia, sed lanam quoque proferunt tenuissimam, ex qua vestimenta conficiuntur, quæ serica nuncupantur, et ibi insignem quamdam conspici lapideam columnam Alexandri nomine hoc titulo sculptam: Ego Alexander huc perveni; et quod plurimis populorum nationibus regionibusque perlustratis, in Arianam tandem devenit provinciam prope Indum amnem: quam desertis circumdatam cernens, fervoribusque ambustam, eo quod sol omnia incenderet (unde maxima aquæ laborabatur penuria, et si illa aliunde advehebatur, quod confestim in suis etiam vasis fervere cerneretur), et cum solis æstum, locorumque incendium sufferre nequiret, protinus inchoatum iter deserere, pedem efferre, et in Europam remeare coactus est. Quædam ergo nova, non autem Brachmanos se vidisse affirmat. Refert nihilominus de Brachmanis aliqua se audisse a scholastico quodam Thebæo, qui, ut ait, ob id ipsum, nempe ut ipsos Brachmanos et videret et alloqueretur, in Indias peregrinari proposuit, et quod tandem miser in captivitatem incurrit. Hic ergo, ut mihi episcopus retulit, cum lenioris esset ingenii, in forensis advocationis officio incongruæ sibi artis tædio fatigatus, Indiam videre, et Brachmanorum patriam ac mores cognoscere deliberavit. Quocirca cum quibusdam mercatoribus in Erythræo, sive Rubro mari, navim conscendens, navigavit primo sinum Adulicum, et Adulitarum oppidum vidit, mox Aromata promontorium, et Troglodytarum emporium penetravit, hinc et Assumitarum loca attigit, unde solvens prosperis flantibus ventis, licet plurimum navigatione dierum, Muzirim totius Indiæ citra Gangem emporium tandem pervenit: ubi quemdam Indorum regulum dominari asserebat. Immoratus igitur ibi aliquamdiu, observataque diligenter aeris et loci qualitate, ac hominum consuetudine, per plures dies, venit ei in mentem ad insulam, quæ Taprobane vocatur, transfretare; in qua illi, quibus beatorum nomen est, longissimam ætatem vivere asseruntur (nam vitam hominum centum annis modicam putant) propter miram aeris temperiem, et incomprehensibilem divini dispositionem judicii. Huic quatuor moderantur reges seu satrapæ, inter quos unus est maximus, cui cæteri subjacent, obediuntque, ut ille scholasticus referebat. Narrabat quoque, si credere facile est, mille insulas Arabici et Persici maris, et quas Mammolas vocant, illi obtemperare. Hic ille, quem magnetem appellant, reperitur lapis, qui ferri naturam ad se vi sua

Strabo, lib. xv *Geographiæ.*

Q.Curtius, l. viii.

Genes. ii.

Plinius, lib. vi *Nat. Hist.* c. 23

Q.Curtius, l viii

Ptolemæus, l. vii *Geographiæ*, cap. 4.

trahere dicitur. Cum ergo navis aliqua clavos habens ferreos illic applicuerit, illico retinetur, nec quoquam ire permittitur, vi nescio quadam lapidis occulta impediente: ob id naves ibi ligneis clavis construi dicebat. Quod insula quinque habet flumina, et quidem maxima, quibus tota irrigatur, fertiliorque redditur. Unde et ob maximam cœli clementiam poma nullo umquam tempore arboribus desunt: immo eodem tempore ejusdem arboris dum ramus alter florescit, alter fructus gignit, cæteri maturos ostendunt fructus. Insuper habet insula hæc dactylos, nuces quas Indicas dicimus, grandes et minutas, odoriferas tamen, item et nuces quas corylos dicimus. Homines illius terræ aluntur pomorum, oryzæ, et lactis cibo; nobiles vescuntur certis quibusdam diebus, etiam solemnibus, ovium, caprarumque carnibus. Sues a Thebaide usque ad Indiæ Æthiopiæque fines ajunt non inveniri ob maximos æstus. Induunt gentes insulæ ovium pelles, non spernenda laboratas arte; oves item non lanæ, sed setarum teguntur vellere, nec lanæ, nec lini habetur ibi usus, ut narrabat scholasticus, et quod de Æthiopiæ et Persiæ finibus, et Assumitarum locis ibi mercatores emendi, vendendi, permutandique rei gratia conveniunt: quod piper ibi nascitur, in magnaque colligitur copia. Ipsa autem admodum parva atque inutilis gens est, quæ intra speluncas saxeas vivit, et per præcipitia magna discurrere natura patriæ edocta consuevit. Piper autem cum ramusculis suis colligitur: ipsas autem arbores quasi quasdam humiles ac parvulas stirpes esse dicebat. Nam et ipsos exiguos homunculos esse, et grandia quædam capita asserit habere cum levibus et detonsis capillis. Reliquum vero Æthiopum atque Indorum genus comis naturaliter crispatis horret. In quo loco (adjecit) ab eo qui illic plurimum poterat, ego illico abreptus atque detentus sum, qui statim cœperat mihi etiam acerbe conviciari, eo quod eorum patriam solumque contingere ausus fuerim. Et illi neque excusationem, nec defensionem meam æquis animis audiebant: non enim poterant linguæ meæ intelligere sermonem, nec ego criminis causam, quod mihi objiciebatur, sciebam, quia illorum verba non noveram: ex solis tantum nutibus nos mutuo intelligere videbamur. Ego quidem ex aspectu torvo luminum, et ex sævo dentium stridore poteram verborum significata noscere: illi vero ex pallore meo atque pavore sensus meos misericordia magis dignos suspicabantur. Sic itaque ab eis detentum, per sexennium me in pistrinum opus facere jusserunt, expensa autem ex palatio regis ipsorum unius tantum modii frumenti quolibet anno. Post sex vero annos, dum paulatim ediscerem eorumdem loquelam, potui multa de vicinis nationibus, locisque cognoscere. Tandem Deo propitio de captivitate hoc modo ereptus sum: Rex alius supradicto huic regi inimicatus, eum apud majorem illius regionis imperatorem accusavit, quod nobilem virum, civemque Romanum in teterrimam captivitatem atque extremum servitium redegisset. Quo imperator audito, confestim illuc cognitorem causæ transmisit, ac deinceps, rei veritate perspecta, protinus eum qui convictus in memorato crimine videbatur, exui tota sui corporis pelle præcepit, eo quod civi Romano fecisset injuriam. Dicuntur autem non solum impensius honorare Romanorum imperatorem, sed incredibiliter timere, tamquam qui præclaro polleat

Plinius, lib. vi cap. 22.

A ingenio, ac virtute magnifica, et Romanos eo quod armis atque viribus adeo potentes sint, ut (si velint) ad regionis ipsorum excidium valeant pervenire. Ipse ergo ille qui ista dicebat, adjiciebat quod genus Brachmanorum non ex propria tantum voluntate sæcularibus rebus renuntiat, sed potius ut ex judicio Dei pendens, ac Divinitatis ope suffultum. Naturaliter enim nudi in finitimis fluvii regionibus vivunt. Nulli apud eos quadrupedes, nullus terræ cultus, nullus ferri usus, nullum instrumenti genus,
B quo fieri aliquod opus possit. Habent autem illic deliciosas atque optimas auras, et saluberrime temperatas. Colunt semper Deum, cujus veram quidem ac distinctam notitiam se habere profitentur, omnemque providentiæ ejus ac divinitatis rationem discernere. Jugiter orant, orantes vero non orientalem partem unde oritur sol, aspiciunt, sed cœlum potius intuentur. Edunt autem ea quæ super terram pecudum more potuerint invenire, hoc est, arborum folia, et olera silvestria. Abundat enim
C apud illos plurimum herba, quam inulam nomine vocamus, sicut et apud Persas. Item est ibi arbor quæ acanthus nominatur. Habent et patrias arbores quasdam, nescio quos fructus ferentes, quibus vesci semper solent. Viri trans ripam fluminis Gangis in partibus Oceani, in quem fluvius memoratus ingreditur, degunt: feminæ vero citra Gangem juxta mediterraneas partes morantur, ad quas earumdem mariti Julio et Augusto mense transvadere consuescunt. Isti enim menses apud
D eos frigidiores videntur, eo quod tunc ad nos sol convertitur, et supra Aquilonem quem Boream vocamus vis solis erigitur, quo tempore temperati aeres magis, et ad concubitum magis apti esse dicuntur. Ubi ergo quadraginta cum feminis suis fecerint dies, mox ad propria revertuntur. At cum enixa fuerit uxor alicujus, edideritque unum vel alterum partum, non transit ulterius ad eam ejus maritus, nec ulterius cum propria concumbit uxore. Singulis enim filiis in locum patrum substitutis,
E per totam de reliquo vitam a propriis se uxoribus abstinent. Si autem acciderit ut quispiam sterilem sortiatur uxorem, usque ad quinque annos maritus ipsius ad eam transit, et ei maritale præstat obsequium. Quæ si gravida per tempus illud reddita non fuerit, mox ab eadem penitus separatur: ob quod non in multos populos eorum diffunditur genus, tum propter locorum difficultatem, tum propter consuetudinem continendi. Hæc est ergo vita et conversatio Brachmanorum. Fluvium autem
F ipsum cum maxima dicunt difficultate vadari, tum propter Ondoniton tyrannum loca illa infestantem, tum etiam timore cujusdam animalis in supradicto fluvio morantis, quod tantæ magnitudinis esse dicunt, ut integrum possit elephantem devorare. Eo vero tempore quo Brachmani flumen transire consueverunt, divino asserunt judicio dictum animal non videri in fluvio. Maximi etiam dracones illic esse dicuntur, habentes septuaginta per longitudinem cubitos, unde ego unius pellem vidisse me
G memini quadraginta duos in latitudine habentem pedes. Formicas etiam illic esse ad modum palmæ hominis, scorpiones vero ad cubiti humani mensuram adesse loquuntur: propter quæ monstra periculosus est ipsorum transitus locorum. Non tamen ubique animalia ista nascuntur, sed in illis partibus tantum quæ ab hominibus non inhabitantur. Plurimique illic elephantum greges esse

Q. Curtius, l. VIII.

Ibid.

dicuntur. Hæc sunt quæ a Thebæo scholastico de Brachmanis audivisse se affirmat Musæus: quæ vero ex historiis de Alexandri Vita legi, et quæ ex plerisque auctoribus ad hoc facientia de illis desumpsi, nunc subnectam.

Alexander imperator, cum ei Macedoniæ solius imperium non sufficeret, neque Philippo patre tantum posset esse contentus, Jovis Hammonis filium semet esse dicebat. Et quamvis originem ipsius facile ipsa rei veritas comprobaret, falsis quibusdam tamen, et, ut ei videbatur, invictis modis aliam sui esse naturam generis astruebat. Itaque solemni bellorum apparatu, ac instructis equitum peditumque militum copiis, e Macedoniæ regione consurgens, totum pene peragravit mundum: et antequam in provinciam Babilonis accederet, Europam quidem et Asiam veluti quædam parva loca transcurrit: venit tandem in partes nostri quoque orbis, ut eas inspiceret, quasque cum reperisset suis conformes sensibus, ipse dicebat: Sapientia, providentiæ mater, habens cum virtute ipsa, quæ omnium virtutum caput est, quamdam communionem, in sola veritate consistens, alens omnem faciensque naturam, cujus donum est nostrorum sermo verborum, notitiam scientiamque communem scrutans et perspiciens, injustis quidem tribuens quæ merentur, justis autem parcens: da mihi, quæso, te placidam ut possim ad illa quæ cupio, his precibus pervenire, Brachmanos vero bonitate ac sapientia præditos viros hic presentes cernere. Veni enim ut aliqua cognoscerem a Calano, incola horum locorum, qui ad me festinus accessit, quo nunc persuadente desidero ediscere cuncta plenius et videre. Brachmani vero econtra Alexandro ista dicebant: Venisti ad nos, inquiunt, cognoscere sapientiam cupiens: nos autem Brachmani libenter statim talem suscepimus voluntatem. Hujusmodi enim desiderium in vita ac moribus nostris regnum judicatur, quod nunc discere imperator ipse voluisti. Philosophus enim non dominio alterius obtemperat, sed ipse dominatur: homo enim in eum non habet potestatem. Sed quoniam nihil nobis hactenus credens (eo quod usque ad præsens tempus male de nobis apud te quidam locuti sunt), nunc ad nos vera degustans venisti. Calanus enim vir apud nos pessimus fuit, per quem vos Græci homines Brachmanos agnovistis quidem, bene tamen non potuistis agnoscere. Ille enim non fuit noster, qui ad divitias sine aliqua sui excusatione transfugit, cui non suffecit de Taberunco fluvio aquam castitatis haurire, neque pressi lactis cibum sumere, quibus Deo digna mens crescit, quam ille Deo semper habuit inimicam, qua male succensus in iram exarsit, quamque de sapientiæ bonis transtulit ad vitia voluptatis. Ex nobis autem nullus in prunis ardentibus volutatur, neque ulli dolores corpora nostra consumunt, sed vita nostra medicamentum aliquod sanitatis est. Naturali autem beneficio alieni a divitiis omnibus sumus: æquo etiam vitam nostram mors fine comitatur. Et si interdum nonnulli forte mortalium, ad quos falsorum venit doctrina verborum, percutere nos vanis tentant sagittis, ingenuitatem tamen nostram lædere ac vitiare non possunt. Unum atque idem est mentiri et credere mentienti. Nocet enim quis et cui falsa persuadet, nocet et sibi, quia dum mendacio credit, non facile ad ipsam veritatem pervenire valet. Insimulatio autem mala inimicitiarum quædam et

A certaminum mater est, quæ ex se iracundiam parit, ex quibus rursus jurgia et bella nascuntur. Nulla tamen virtus est occidere hominem: latronum enim iste, ut novimus, mos est. Sed nos virtutem veram vocamus contra aurarum mutationes nudo corpore dimicare, desideria ventris abscindere, et varias ipsius pugnas abstinentia patientiaque superare. Igitur prius vince hos inimicos ante omnia tuos, si fortis videris tibi, et exinde opus tibi non erit adversum quempiam certamina

B externa committere. Idcirco enim contra eos qui foris sunt, commoves bella, ut istis quos intrinsecus habes, alimenta et fomenta suppedites: sed tu vides quod eos quidem, cum quibus foris dimicas, vincis, ab iis autem quos nosti, qui intra te sunt, superaris. Considera igitur quanti tyranni in stultorum cordibus degunt: oculi, aures, nares, venter, virilia, totumque corpus humanum; quam multa etiam desideria nascuntur intrinsecus, quibus omnibus genus mortale succumbit et servit, propter

C quæ cuncta et jugulantur et jugulant. Nos autem Brachmani, quia omnia quæ intrinsecus habemus bella superamus, jam de reliquo incolumes atque securi in summa pace requiescimus, silvas videmus, cœlumque suspicimus, aquilarum diversarumque avium gratissimas voces semper audimus, nudo sub aere arborum foliis nostra corpora contegimus, eorumque fructibus vescimur, aquam bibimus, hymnos Deo canimus, et futuri sæculi vitam desideramus, nullumque quod prodesse nobis non

D possit, audimus. His ergo nos Brachmani moribus contenti vivimus, paucisque sermonibus agitatis mox tacemus. Vos autem dicitis quidem quæ debeant fieri, nec tamen facitis; philosophum vos nullum putatis, nisi eum qui noverit loqui: vester enim est omnis sensus in lingua, vobisque in oris vestri labiis tota sapientia est. Aurum argentumque colligitis, plurimis servis et magnis domibus indigetis: affectatis honores, et sectamini dignitates, editis tantum atque potatis quantum juvat expleri;

E utimini æque et vestibus delicatis semper ac mollibus, eaque facitis quorum pœnitentiam mox geratis: contra vos ipsos veluti contra inimicos vestros soletis loqui, cum tamen habere vos linguæ propriæ potestatem sciatis. Longe profecto meliores sunt illi qui tacere consueverunt; non enim se ipsos loquendo revincunt. Mutuam mercedem ab omnibus accipitis, gloriosum, ut putatis, ornamentum digitis vestris imponitis aurum: vos quoque reminas videmus ornatos, cum sciatis quod idipsum, in quo

F magnopere creditis, quantum ad rem pertinet veram, vobis prodesse nihil possit. Auro enim non extolluntur animæ, neque corpora nutriuntur, sed econtra per illud utraque ista vitiantur. Nos autem qui cognoscimus veritatem, ipsamque naturam, si cœperimus sitire, ibimus ad fluvium, aurumque calcantes, aquam bibemus. Auro enim nequit sedari fames, ac sitis nescit exstingui. Non ex auro venit vulnerum cura, non ægrotorum medicina membrorum, non ulla refrenatio cupiditatis immensæ, sed

G hortatus magis ac provocatio major ad novam nescio quam concupiscendi libidinem. Et sitis quidem illa naturalis cum fuerit, cum aquam, quam desideravit, acceperit, sitire mox cessat; similiter etiam naturalis fames quando escam quam quærit, acceperit, conquiescit. Si igitur eodem modo, eademque natura aurum quoque humanus animus desideraret, ubi primum accepisset quod optabat

accipere, sine dubio cupiditas et ipsa cessaret: sed nedum ista non cessat, immo semper nova, et sine aliqua intermissione desiderat, quia non ex commonitione naturæ desiderium tale procedit. Postremo in quo apud vos homines et ornantur et gloriantur, in eodem apud nos spernuntur. Calanus amicus est vester, sed spernitur et calcatur a vobis. Qui ergo multorum malorum auctor apud vos fuerit, a vobis honoratur et colitur: qui vero est inutilis, projicitur a nobis; et illa quæ nos omnino non quærimus, Calano, pro ea quam habuit erga pecuniam cupiditate, placuerunt. Sed non erat noster hic talis, qui animam suam miserabiliter læsit, ac perdidit, ob quod neque Dei neque nostri amicus esse visus est dignus, neque in hoc sæculo inter silvas habere meruit securitatem, neque illam sperare gloriam potuit, quæ promittitur in futuro.

Alexander imperator ubi venit ad silvas, Dandamim quidem ipsum in transitu videre non potuit: in silva enim jacebat, recumbens super arborum folia in securitate et pace, proximus fonti, quem quasi uber terræ matris incorruptum atque integrum in os suum emulgere consueverat. Misit autem ei Alexander amicum quemdam nomine Onesicritum, dicens ei: Onesicrite, memoratum virum Dandamim ad me venire festina, aut causam propter quam venire noluerit, nuntia, ut ego ipse ad videndum eum pergam. Cui ille respondit: Faciam cum celeritate quod præcipis. Nam sicut jubere tuum est, ita meum esse cognosco tuis jussis obtemperare. Ubi igitur supradictus ad Dandamim nuntius venit, his eum allocutus est verbis: Dixit filius dei Jovis magni, Alexander imperator, qui est dominus generis humani, ut properes ad illum venire, quia tibi, si veneris, plurima dabit munera: si vero venire nolueris, veluti contemptorem te capite puniet. Quæ cum ad Dandamis aures dicta venissent, non surrexit ex foliis, quibus fultus jacebat, sed tale responsum ridens reddidit, ac recumbens: Deus, inquit, maximus parare cuiquam nescit injuriam, sed lumen vitæ rursus iis præstat animis, quas suo solverit fato. Meus ergo ille solus est dominus, qui homicidia vetat, et qui bella non concitat. Alexander vero non est deus, quia et ipse moriturus est. Quemadmodum igitur potest esse omnium dominus, qui nondum Tyberoboam fluvium transfretavit, neque per totum mundum sedem suam locavit, non zonæ Gadem transiit, non in medio orbis cursum solis aspexit? Quare gentes plurimæ nec ejus quidem nomen adhuc nosse potuerunt. Si autem non capit eum illa quam possidet terra, fluvium transeat nostrum, et inveniet solum tale, quod norit homines sustinere. Quæcumque mihi Alexander pollicetur, si ea præstiterit, cuncta inutilia mihi erunt. Ego enim habeo domum folia, herbis quoque quæ adjacent mihi, vescor, et aquam poto: posthabeo alia quæcumque cum sollicitudine colliguntur ac pereunt, nihilque aliud præter tristitiam quærentibus ea atque habentibus præbent. Nunc igitur securus quiesco, clausisque oculis nil omnino custodio. Si aurum voluero servare, somnum meum dissipo: terra mihi omnia, ut lac mater infanti, ministrat. Ad quemcumque accedere voluero locum, vado; quocumque autem ire noluero, nullius sollicitudinis necessitate compellor. Et si caput meum voluerit abscindere, animam auferre non poterit: sed caput tantum-

Plutar., *in Vita Alexandri.*

Q. Curtius, l. IX, *de Gestis Alexandri.*

A modo jacens tollet, anima vero discedens, caput suum veluti partem vestis alicujus relinquet, ac reddet ei, a quo id susceperat, nempe terræ. Cum autem factus spiritus fuero, ad Deum qui eum intra hanc carnem inclusit, ascendam. Qui cum hoc fecerit, tentare nos voluit, ut videret quemadmodum discedentes ab eo, in hoc sæculo viveremus. Et postmodum cum ad eum fuerimus reversi, rationem vitæ hujus a nobis exposcit. Cui assistens ego videbo injuriam meam, ejusque judicium in illos B qui injuriosi mihi fuerunt, intuebor; suspiria enim gemitusque læsorum incipient lædentium esse supplicia. Hoc Alexander illis minetur, qui opes desiderant, qui timent mortem, quia nos utrumque contemnimus. Nam Brachmani neque aurum diligunt, neque mortem verentur. Vade igitur, et hoc Alexandro referas: Nihil tuorum Dandamis quærit, verum si aliquid ex ipsius rebus tu necessarium tibi esse credis, ad eum venire non dedigneris.

Quæ ubi Alexander per internuntium audivit, C desiderare plus cœpit ut talem virum videret, utque se, qui multas vicerat gentes, unus et nudus vinceret senex. Pergit igitur cum quinque vel decem amicis ad eas, quas supra diximus, silvas, et cum venisset ad proximum, atque ex equo, quo vehebatur, exsiliisset, coronam de capite deposuit, omnemque qui circa ipsum erat, superbiæ tumorem relinquens, ad memoratum senem ingressus est solus, et ad pedes ipsius se dedit, hoc dicens: Salve, Dandami, ego ad te veni, quia tu ad me noluisti D venire. Cui ille respondit: Ad quid ad nos venisti? aut quid de nostris sollicitudinibus auferre desideras? Quod cupis ipse, nos habere non possumus: quod iterum nos habemus, necessarium tibi non est. Nos honoramus Deum, et amamus hominem; negligimus aurum, contemnimus mortem: vos autem mortem timetis, honoratis aurum, oditis hominem, Deum contemnitis. Ad quem Alexander, Doce, inquit, nos aliquid sapientiæ: plenum ajunt te divinitate, et cum ipso colloqui sæpius Deo; ego vero E scire desidero in qua re præstantiores Græcis vos ipsos esse dicatis, et in quo aut melius videas quam alii homines, aut amplius sapias. At ille respondit: Ego, inquit, vellem deferre ad te acceptum a Deo sensum, sed ipse locum non habes ubi donum tale suscipias. Impleverunt enim animam tuam avidæ atque immodicæ cupiditates, quas nunc mecum certare considero, quia te ab ipsis conor avellere, quamquam hodie plurimum mœrent, eo quod morte nullius gentis vel sanguine polluaris, et quia vi- F dent adhuc homines in civitatibus commorantes. Tu ad Oceanum usque vis accedere, post quem aliam iterum partem orbis cupis occupare: et tunc tristitia afficeris, cum non potueris habere quod vincas. Quomodo ergo satisfacere desiderio tuo poteris, cum totus tibi serviens mundus animum tuum explere ac satiare non possit? Minor mundo longe tu factus es, et si omnia simul velis vincere, atque universa quæcumque tenent homines possidere, tandem necesse est ut solum habeas quan- G tum aut tu jacentem tenere me cernis, aut ego occupare video te sedentem. Ex quo iterum si ad alia transeamus, et in aliis quoque tibi similes invenimur. Eodem enim modo quo ipse, omnibus utor elementis, aere, aqua, et terra, nec quidquam ultra habere desidero, et omnia juste habeo quæcumque possideo, et si solus omnes fluvios obtineas, plus tamen aquæ quam ego, ex ipsis haurire non

poteris. Hanc ergo si a me sapientiam discas, nihil tibi deerit; totumque habebis, si nihil desideraveris. Cupiditas enim paupertatis est mater, quæ medicamento malo, hoc est, sollicitudine nequit curari: quæ ita semper omnia quærit, quasi invenire nil possit: quia non in iis, ad quæ jam potuit pervenire, requiescit, sed ex illis quæ necdum tenere se cernit, magis magisque cruciatur. Habebis autem maximas cum voluptate opes, si ita mecum vivere voles; et si meis acquieveris verbis, meas divitias possidebis. Amicus mihi est omnium Deus, et de ipsis cum eodem rebus loquor; malorum hominum verba non audio. Cœlum habeo pro tecto, terra mihi tota pro lecto est. Fluvii mihi potum ministrant, mensam silva suppeditat. Non vescor animalium visceribus, ut leones, neque intra pectora mea inclusæ quadrupedum aut volatilium carnes putrescunt, nec sum mortuorum sepulcrum; sed providentia naturalis omnes mihi fructus ut lac mater infundit. Intelligo ipse quid quæras. Sapientem me vides, talis et factus sum, itaque vivo ut procreatus sum, et quæ Deus faciat agnosco, et quid fieri debeat scio. Vos autem vanitate magna repleti, præsagire vos creditis, cum tamen hæc ipsa quæ per singulos videtis dies, Dei opera intelligere nesciatis. Ego cuncta cognosco, et unde, et quando, et quomodo fiant. Pluvias, siccitates, fulmina, tempestatesque præsagio; et hoc est quod me delectat ac reficit, quia Deus habere me communionem quamdam atque consilium cum operibus suis fecit. Ad me quemadmodum angelus venit, et si quando aliquid timuerit imperator, tunc ego deprecor Deum ut boni aliquid ei, cum ad me venerit, præstet, ut eum metu quo laborat, absolvat, utque ei fiduciam quamdam mentis inspiret. Quid esse rectius dicis, lædere homines, an tueri atque servare, et quid magis convenit facere filiis Dei, aut evertere cuncta pugnando, an expugnata, et diruta instaurare pacando? Non tibi proderit, imperator, enorme pondus auri, neque elephantorum, quos sustulisti aliis, multitudo: sed hæc vox mea, et is meus sermo. Tu vero etiamsi me interficere volueris, non timebo: ibo enim ad Deum citius, qui et causam et vitam meam novit. Nihil est quod Deum latere possit, cujus oculi sunt omnes stellæ, sol, et luna, quæ omnia tu effugere non potes, neque in te judicium ejus evadere. Noli igitur tu destruere quæ ille construxit: noli tu cupere dissipare ea quæ ille, qui ea fecit, ornare desiderat: noli immolare sanguinem civitatum, neque transire supra gentium mortuarum cadavera. Longe enim rectius feceris si tuam curaveris vitam, quam si alienam desideraveris mortem; et si contemptis iis quæ prosequeris damnis, vera elegeris lucra. Cur cum unam persequeris animam, tot simul vis exstinguere nationes? Quid delectaris totius sæculi malis? quid, aliis flentibus, rides? Hoc ipso tamen, quod memor mei, qui in solitudinibus his vivo, esse voluisti, temetipsum lucratus es. Neque nunc aut certamina pertimescis, aut lædere quemquam cupis, aut virtutem tuam in aliorum malis, quod fecisti semper, exerces. Projice igitur a corpore tuo vellera ovium mortuarum, neque defunctis volueris te operire tegminibus: magis enim ipse cum talem te feceris, honorabis, quia temperatur anima in desertis vivens locis. Hoc igitur vitæ nostræ propositum magis elige, cujus beatitudine plus quam apud Macedones frui poteris. Qui quidem te per

A singulos expectant dies, ut reliquas tecum diruant civitates, et quæcumque in ipsis valuerint invenire diripiant; quosque in præsenti die tristari arbitror ac dolere, quod incolumes adhuc quasdam videant nationes, occasionem nanciscentes cupiditatum ac rapinarum suarum auctoritatem nominis tui. Quam ergo securam in Deo vitam poteris obtinere, et ut tibi ipse jam vivas, qui nunc adhuc multa cogitas rapere, multos trucidare desideras, ex quibus jam aliqua fecisti, alia in præsenti facis, alia fa-
B cturum te esse promittis? Ego vero cum ex hoc mundo recessero, in aere positum te videbo; et tunc quidem sermonem prædicabis meum, quia te multitudo equitum vel peditum nulla comitabitur, et cum maximo mentis tuæ dolore deflebis, hoc dicens: Sine causa perdidi totius retroacti temporis vitam, quam in honoribus istius mundi, bellisque consumpsi. Ex quibus intelliges nihil tibi aliud te reliquisse, nisi memoriam solam malorum. Novi enim ego quæ Divinitas intra se habeat, cum
C tamen ipse sim apud homines constitutus, mihique tunc ista dices: Bona consilia, Dandamis, mihi aliquando præbebas. Tunc enim ante conspectum tuum venient omnes quas sine causa expugnaveris animas, apud quas quomodo excusare te poteris?

Libenter hæc et sine ulla iracundia Alexander audiebat: erat enim in Dandami spiritus Dei: sed, instigante dæmone malo, inter ipsa principia mutabatur Alexander. Unde his alloquebatur Dandamim verbis: Scio vera te dicere: de divino enim
D genere descendens, in his constitutus es locis, ubi nunc tibi sine ulla molestia, sed cum maxima voluptate vivere licet, et ubi naturalibus divitiis frueris et quiete secura. Ego vero inter tumultus varios ac formidines vivo, plurimosque ex ipsis qui me custodiunt timeo, et major mihi plerumque ab amicis metus quam ab hostibus venit, quorumque amplius quotidie quam inimicorum meorum insidias pertimesco: et neque sine ipsis degere queo, neque illis me possum credere: vivo igitur in afflictione; quos
E enim vereor, eorum constipatione custodior. Diebus quidem totis varias gentes prosequor ac fatigo; noctibus vero me somnus turbat ac vexat, ne quis in me inopinatus hostis impetum faciat: et si occidero quos formido, tristis efficior; si rursum lenis ac mitis voluero esse, contemnor. Et quemadmodum a tantis rerum periculis me eripiam ignoro. Nam et si voluero in his desertis, in quibus vos degitis, vivere, id mihi penitus non licebit ob quod apud Deum nunc excusare me possum, quia ipse
F me in hujusmodi vitæ statu, et in tali ordine hominum collocavit. Tu vero pro istis quas ego fudi querelis, quia me per omnia recreasti, ac sensus paulisper meos a conflictationibus et præliis liberasti, dona mea suscipe, neque ea quæ tibi offero, in contumeliam mei volueris recusare. Mihi enim, quando sapientiam honorare fecisti, non modicum profuisti. Hisque finitis, innuit servis Alexander ut munera quæ spoponderat, exhiberent. Qui mox auri argentique optimas species, diversasque vestes
G cum oleo ac panibus obtulerunt. Quibus visis Dandamis risit, hoc dicens: Numquid suadere avibus istis potes, qui in locis silvestribus vivunt, ut aurum argentumque suscipiant, et melius quam consuerunt, canant? Quod cum fieri omnino non possit, me illis vis esse pejorem? Cur illud accipiam quod neque edi a me, neque potari potest? Cur accipiam quod mihi nullatenus prosit? Aut quam ob

rem id custodiam, quo uti nequeam, nisi forte ut animam meam per omnia liberam hujusmodi nexibus ligem? Cur ingenuitatem ipsius frustra jugo turpissimæ servitutis addicam? Quod ego numquam prorsus efficiam. Sed neque emere quidquam volo, qui in solitudinibus ubi nihil venditur, vivo. Munera mihi Deus, hoc est, fructus istorum locorum, præbet. Nihil enim auro homini vendit Deus, sed sapientiam bonam ei qui noverit eam accipere, largitur. Veste velatus sum cum qua me matris meæ edidit partus. Aere hoc ut cibo vescor; libenter video me talem, dum nullis corpus meum nexibus gravo; omnique mihi melle dulcior est, ubi naturalis venerit sitis, aquæ potus ex fluvio. Si autem et panes istos dices habere aliquam voluptatem, cur eos incendisti flammis? Reliquias ego ignis escam facere meam nolo; neque in cibos convertere meos cupio quod de alieno ore sustulerim. Hos ergo panes ipse qui coxit ignis absumat. Sed ne aliquam tibi, qui sapientiam honoras, injuriam a me æstimes irrogari, oleum tantummodo istud accipio. Quæ ubi Dandamis dixit, continuo surrexit, ac silvam peragrans, et colligens ligna, molem ex iis maximam fecit, quam igne succendens, his locutus est verbis: Brachmanus, inquit, omnia habet, et abunde ex omnibus, ut cupit, pascitur. Infusoque oleo mox, pyraque vehementer incensa, talem cecinit hymnum Deo: Immortalis, inquit, Deus, tibi ego in omnibus gratias ago. Quæ ubi Alexander vidit, abscessit, cuncta secum, præter oleum, quæ exhibuerat, reportans, summopere stupens. Dandamis vero hoc etiam sermonibus suis addidit, dicens: Tales universi nos sumus. Calanus vero pessimus vir judicatus est a nobis, eo quod vestræ se exhibuit præsentiæ, et nostram non imitatus est vitam; et quia cum amator Dei esse non posset, fugit a nobis, et migravit ad Græcos, contemptisque moribus nostris, se ipsum damnavit immortalibus flammis. Tu vero Macedonum malæ gentis dominum esse te dicis, Brachmanos vituperas, et interfici omnes jubes, credens eorum mendacibus verbis, quod bonum virum facere non oportet. Nos vero rationem vitæ propriæ Deo novimus reddituros tunc, cum ad eum fuerimus profecti. Omnes enim ipsius sumus, gloriam vanam contemnimus, quod stulti facere non possunt. Quemadmodum vos transire ad consuetudinem nostram valetis, qui tam male vivitis, et qui semper illa quæ bona sunt, datis oblivioni? Nos vero Brachmani, memores quemadmodum procreati aliquando fuerimus, et videntes propter quæ vivere debeamus, irreprehensibilem vivendi cursum tenemus: unumquemque enim Deus certo propositi ejus, cui deputatus est, fine formavit. Lætamur in desertis locis, et in mediis silvis sedentes, et in his tantum sensibus nostris occupati sumus, ne umquam sermones hominum animas nostras ab institutis talibus valeant separare. Beatus est ille qui nullius indiget, et qui non alienam gloriam cupit; et qui placere vult omnibus, necesse est ut sit omnium servus. Nobis necessariæ non sunt civitates, in quibus latronum multitudo colligitur: magnas vero domos nobis exstruxit Deus, ac præstitit, montes pariter, ac silvas, ex quibus simplices sumimus fructus, et puræ dona naturæ aquas bibimus; libenterque nosmetipsos reficientes post laborem, iis foliis incubamus. Quomodo potestis ingenuis hominibus imperare, cum sciatis vos in potestate multorum esse? Vos enim

A vestris in omnibus quæ concupiscunt, servitis animabus. Nam si multas habere vestes desideratis, non ut paucos greges ovium pascatis, non ut paucos qui ipsas tondeant oves, et a quibus ipsæ lanæ intexantur, necesse habetis artifices. Quid excusaris quod mollia vestimenta non habeas? Æqualis enim servitus esse probatur in minoribus et majoribus rebus. Nam qui exiguum miratur aurum, et multum desiderabit; et qui parvæ civitatis fuerit imperator, et majori cupiet imperare. Præterea etiam

B ex modica perpetuæ portione, quæ in vestris splendet vestibus, superbitis; et cum vestris famulis fuerint indumenta purpurea, vos pulchrius esse aliquid existimantes, vestra colore altero splendere curatis. Si autem hoc apud vos bonum non videtur, pauperes judicamini, dum parva miramini. Animalia libenter occiditis quæ terra progenuit: quæ tamen ipsi plurimum vobis prodesse cognoscitis; quædam enim ex ipsis tondentur, alia mulgentur: cum quibusdam agrum colitis, cum aliis dimicatis: quorum

C postea eo quod funditis cruorem, gaudetis, talemque mercedem ipsis, quæ perutilia vobis fuerint, redditis vicem; et quorum vellera vos extrinsecus velant, eorumdem vos carnes intrinsecus onerant, et incipitis esse corporum mortuorum sepulcra viventia. Tantis ergo tamque inconvenientibus rebus, tamque contrariis mens gravata, potest in se recipere Dei sensum? Dimitte paulisper memoratorum animalium carnes, quæ occidis, sic jacere, et quid ex ipsis fiat intellige. Numquid poteris fetorem

D ipsarum ferre non fugiens? Quantæ sordes, quantæ impuritates animabus atque corporibus inferuntur humanis, quas cum ipse tolerare non possis, includuntur intra illos, atque ab illis inferuntur, a quibus cibi tales desiderantur! Anima iracundiam parit, ista concreant vomitum: terra vero fructus et flores, qui foras emissis bonis odoribus placent. Tales epulas nobis plantavit Deus, ac præstitit: humanos sensus vos penitus perdidistis. Corpora vestra feras male olent: receptacula enim estis pe-

E cudum mortuarum: leonibus lupisque pejores esse cœpistis. Lupi enim, si uti terrenis pabulis possent, numquam profecto carnibus vescerentur. Tauri, equi, cervi justis herbarum pastibus vivunt, unde et validioribus membris, et nervis fortioribus roborantur. Cur hæc animalia magis non vultis imitari? Cur non editis silvestria, et aquam bibitis? Sed causa ignis hujusmodi epulas vobis præparatis, quas cum non esse cernitis bestias fortiores, ideo vestris non urgentur insidiis; vos enim quæritis

F cives plures, expensas plurimas facitis, et in parvis rebus plurimum laboratis propter exiguam voluptatem: ubi nihil est nisi eorum aperta perditio, in quibus fuerit labor vanus. Ergo nihil est vestra infelicius vita. Nos numquam bibimus inviti, sed necessarium siti ex fontibus naturæ implemus officium, qui etiam non bibentibus nobis defluunt semper: vos vero propter ventris voluptatem, et non esurientes quæritis juges cibos, et quibusdam artibus vobis multas atque diversas epulas præ-

G paratis: excurritis omne retibus mare, in aere volitantium, in montibus bestiarum venatione gaudetis, canumque vestrorum velocitatem mirantes, ferarum reprehenditis tarditatem, atque habitatrices eas malarum solitudinum nominatis. Istis igitur rebus insistitis hæc animantia investigare, hæc investigata festinatis occidere, aut viventia caveis clausa defertis ad spectacula civitatum: non

ut fruges seratis, ex quibus famem, neque ut exinde necessarium aliquod officium hominibus præbeatis, sed ut proximum ac sanguinis vestri, et opus (quod est majus) Dei, cum summo dedecore trucidetis, vel ut violenter vinculis illigatum ferarum morsibus ingeratis. Et hoc ipsum libenter aspicitis, quod cum hominibus feræ pugnent, et quod illæ partem naturæ vestræ ac similitudinis devorent: postea vero illas prorsus feras occiditis, ut crudeles easdem, eo quod occiderint hominem, esse dicatis; et, quod adhuc scelestius videtur ac pejus, humano sanguine saturati, necdum tot tantisque malis expleti, vestrorum cupitis civium ventres replere. Ad hæc, tam dedecorosis, tamque pravis moribus vivitis, ut et vobis calidas superædificetis domos, quibus ad vestram explendam voracitatem comesta digeri citius compellantur. Insuper et ut proprii corporis intestina nimia ciborum repletione distendantur, lautiores eligitis epulas, unde peritos quosque procuratis artifices condiendis atque ordinandis epulis. Nos autem precamur Deum, ne aliquando sitiamus: nam hoc interdum modo a regula veritatis abstrahimur, hoc est, tunc cum necessarium potum nostro corpori damus, ob quod postea oculos et manus nostras, veluti sacrificium aliquod, ad radios solis agentes extollimus. At vos etiam læti estis quoties supra modum convivia vestra celebratis, nec ante vestris comessationibus finem imponitis, quam nimia ebrietate furere incipiatis, et donec ipsum quod sapere videbamini, bibendo perdatis; et nimio vini pondere sensus vestri cordis oneratis. Feliciores profecto apud vos esse crediderim eos qui insanire dicuntur. Illi enim semper ebrii sunt, cum tamen vinum non emerint: vos autem pro pretio vini nimiam sollicitudinem geritis: quo empto vosmetipsos ebrietate polluitis, vosque invicem verberatis, ac tandem ad sobrietatem reversi, vis potestis agnoscere quemadmodum ebrietatem vestram custodire valeatis. Audio etiam quod plurima comedentes, ea digerere non potestis; et cum tandem a convivii voracitate vix recesseritis, omnia quæ vos explere solent evomitis; ipsamque mutantes perverso more naturam, ex eadem parte qua escas capitis, egeratis, capite, non pedibus ambulantes. O stultissimi homines, impletis ingluvie viscera vestra atque distenditis, ut postea iterum arte medicorum corpora vestra vacuetis, turpitudinem per hæc vobis maximamque ægritudinem quærentes; adeoque estis insani, ut ipsam cupiatis evertere tali curatione naturam, quæ nullam penitus sentiat voluptatem: finem habentes voracitatis immodicæ supplicium, non salutem: insatiabilia enim membra fieri ex morbis continuo solent, tormenta comitantur, ita ut postremum quod honestæ ac probæ vitæ ex tantis deliciis conferatur nihil habeatis. Sed jactare vos audio quia plurima possidetis; qui tamen cum aliis multa donetis, vestris admodum pauca præstatis. Unde vos magis pauperes judicamus, quia ne panem quidem ipsum parentibus datis, innumeras autem habere opes desideratis. Servi ventris vos estis: propterea maxima apud vos turba medicorum est, qui assidua vos purgatione evacuant: faciunt autem id aut

A jejunio vel inedia, aut arte medicaminum, ut qui plurima vina solebatis haurire, subito ne aquæ quidem modicam quantitatem possitis accipere, quoties ægritudinum necessitate vexamini. Et sicut tunc ultra naturam multum meri bibitis, ita nunc parum quoque aquæ, quod exposcit ipsa natura, desideratis. Nos vero vinum quidem omnino non quærimus, aquam autem habemus quam solam volumus, et qua maxime delectamur, et sapienter curamus sitim. Non furere et insanire properamus,

B magisque nobis mortem, quam ebrietatem precamur, per quam necesse est homines totis et corporibus et sensibus interire. Ebrius enim videtur quidem vivere, sed quantum ad sapientiam pertinet, mortuus judicatur; perdidit enim sublimem ipsam quam homini dedit Deus mentem. Ecquid ii qui se magnos et gloriosos putant, quam falsa spe et vanis decipiuntur illecebris, qui alternis se invicem manibus lædunt, spoliant, jugulant, cum tandem et ipsi mortem, quæ necessario eis debetur, expectent?

C Quid denique de illis viris, quasi de magnis quibusdam et aliorum provisoribus loquar, qui more turpium feminarum variis pigmentorum odoribus oleo membra perfusi foris prodire consueverunt, aeris ipsius puritatem dissolutione propria polluentes? Quid de Stoicis philosophis vestris loquar qui cum omnes auri amore teneantur, vobis tamen admiratione vel laude digni videntur? Audimus etiam quod a masculis vestris partem quamdam corporis amputatis, in muliebremque sexum illos

D convertere gestiatis; et quod sit apud vos talis homo, qui neque generare ut vir, neque parere possit ut mulier, et qui in suum tantum dedecus et in suam tantum vivat injuriam. Quis talem humani generis prævaricationem, et tam miserabilem casum etiam cogitando non doleat? Quorum nos miseratione ducti vobis prodesse quantum possumus affectamus: quia et superbiam exsecramur, et universam humani generis naturam diligimus, ac fovemus: et quasi in alto magnificæ cujusdam

E domus sedentes loco, nudi tam mente quam corpore, quoscumque spectatores novimus veritatis, et docemus. Et hoc est in quo cæteris hominibus ditiores nos esse putamus. Macedonia vim omnibus facit, quam tamen prius ab aliis ipsa sustinuit. Omnes autem ad deteriora conversi, turpes famuli judicantur. Sed horum omnium malorum quæ nominamus, Brachmani videntur expertes. A nullo enim debellari atque expugnari queunt, quia nullius rei desiderio vel amore tenentur. Tu vero si

F vera vis sapere, ad Indiam veni, habita in solitudinibus nudus, omnes quas diligis, et quibus ornari videris, projiciens dignitates: nam aliter non suscipieris a nobis. Et tunc amabis ea, quæcumque paulo ante vidisti, quæque miratus es: neque ullus contra te ulterius dimicabit, aut quidquam tuorum tibi auferre quis poterit; neque aliena collatione, neque aliorum sudore pasceris: eris enim in omnibus dives. Et quoniam desiderare te scribis, ut in aliquo tibi prosim, non invidemus illis qui vere pium

G imitantur Deum. Universam enim humanam ubique naturam volumus, quantum per nos fieri potest, meliorem evadere.

PRÆFATIO
AD
LIBELLUM FIDEI S. AMBROSII
NOMINE INSCRIPTUM.

Hoc de fide opusculum quod hucusque ineditum censemus, D. Ambrosio tribuitur auctoritate duorum codicum bobiensium, quorum unus e sæc. VIII in Bibliotheca Ambrosiana servatur sub sigla D. 268 *Inf.*, continens tres *Libros D. Ambrosii de Spiritu Sancto* quos jam in illo opere edendo contulimus, alter vero in Vaticana Bibliotheca n. 5760, continens eosdem libros una cum libro *de Incarnatione*, qui ut *liber quartus* illis adnectitur. Certe venerandæ antiquitatis indicia præsefert ipsa latina versio biblica, quæ frequenter occurrit a D. Hieronymi versione diversa, et haud multum discrepans a biblicis locis juxta veterem italam ab Ambrosio prolatis, uti videre est apud Sabaterium. Quoad doctrinam catholicam quæ in eo compendifit, nihil adesse videtur quod ad seriorem ejusdem explicationem innuat, immo de divinarum personarum natura optime quadrat cum expositione S. Doctoris in lib. I *De Fide*, cap. 2. Item *De animæ origine* concordat cum expositione in Ps. CXVIII, Serm. X, n. 8 et seq. Utriusque vero memorati scripti codicis interpretationem adm. R. Guarino Amelli in acceptis habemus.

Novimus autem a Paulino in *Vita Ambrosii* duplex eum doctrinæ catholicæ compendium scripsisse, alterum quidem ad pueri Pansophii, alterum ad Fritigil Marcomannorum reginæ usum, cujus utriusque maturum dolemus interitum. Annon forte aliquam unius alteriusve adesse reliquiam in subsequenti libello possumus suspicari? Opinamur vero, quidquid sit, aliquod excerptum, nec ab ipso operis auctore confectum, potius quam integrum aliquod opusculum nobis in eo adesse, cum nonnulla ibi desint quæ, etiam ætate Ambrosii, ad plenam exhibendam catholicæ fidei expositionem necessaria extitissent. Monemus demum, ideo libellum hunc præcedentibus affinibus nos adnectere non potuisse, quia modo tantum e peculiaribus causis eum, ut prælo subjiceretur, habere licuit, et esse illum eumdem *Libellum fidei* pag. XIII Præfationis ad hunc tomum verbis Maurinorum Editorum memoratum.

LIBELLUS FIDEI S. AMBROSIO
ADSCRIPTUS.

Incipit libellus fidei Sancti Ambrosii Episcopi.

Unus Deus, sicut scriptum
est: *Audi Israel, Dominus Deus tuus Deus unus*
1 *est*[1] atque ipse unus quod
est unum, sicut scriptum
est: *ego et Pater unum*
2 3 *sumus;*[2] itaque[3] Patrem,
Filium et Spiritum Sanctum unum Deum esse
confiteor. Patrem Deum
credo, et Filium Deum credo, et Spiritum Sanctum Deum credo. Unum Deum, unam virtutem,
unam substantiam, trinam nuncupationem nominis
4 quod est unitas indivisa.[4] Credo Patrem esse quod
5 6 Deus est sicut symbolum[5] fidei[6] tenet; Filium
Dei virtutem, ut scriptum est: *Christum Dei vir-*
7 *tutem atque sapientiam;*[7] Spiritum Sanctum operantem opus semper sanctitatis æqualiter, sicut
scriptum est: *omnia hæc operatur unus atque*
I Cor. XII, 11. *idem Spiritus.* Credo Patrem invisibilem; Filium
A visibilem, sed in carnis adsumptionem; invisibilem
Verbum quod substantia Patris est Verbum; Spiritum Sanctum consummatam operis plenitudinem;
atque hoc omne quod credo, Deus unus quia unum;
non divisus a se, sed solus, semper ipse quod Deus
est. Credo Filium apud Patrem semper fuisse, sicut
scriptum est: *Christum Dei virtutem et Dei sa-* I Cor. I, 24.
pientiam, et alibi: *sempiterna ejus virtus et di-*
vinitas.[8] Itaque semper fuit quia Deus cum sem- 8
piterna virtute semper regnavit et regnat, qui ideo
B apparuit ut probaretur quod erat antea et manifestaretur id esse quod fuerat. Sic enim scriptum
est: *Verbum erat apud Deum et Deus erat*
Verbum.[9] 9

Itaque credo eum semper fuisse, et ita ratione divina omnipotentiam in se fuisse connexam, ut quod erat in principio Verbum esset Deus, et Deus esset ipse quod Verbum.

Credo in eum (*sic*) vitam fuisse et esse perpetuam sicut scriptum est: *quod factum est in illo*

[1] Deut. VI, 4 cum Ambr. in Ps. I, 1 recedente Vulgata.

[2] Joan. X, 30 sæpissime ab Ambr. citatum.

[3] Cod. Vat., *Ita ego.*

[4] Ita Ambrosius lib. I *de Fide*, cap. II, n. 18 unam substantiam appellat Patris et Filii, non quidem in significatione *personæ*, sed *naturæ*. Quod autem hic dicitur, *trinam nuncupationem nominis*, ex antecedentibus et subsequentibus eruitur non in sensu sabelliano intelligendum esse, sed in eo quo tribus nuncupationibus tres respondeant in Deo personæ.

[5] Vox Symbolum familiaris D. Ambr. Cf. *De Virginibus*, lib. II, n. 20.

[6] Cod. Vat., *Fides.*

[7] I ad Corint. I, 24, cum Ambr. et Vulg., recedente græco, qui addit *Jesum.*

[8] Ad Rom. I, 20. Ambrosius cum Vulg. addit *quoque*, quod vetus versio omittit.

[9] Jo. I, 1, cum Ambr. et Vulg.

1 *vita est.*[1] Credo hanc vitam lucem fuisse et esse hominum, per quam lucem demonstratus est invisibilis Pater sicut dixit: *qui me videt, videt et*
2 *Patrem.*[2]

Et inluminatæ sunt vel inluminantur hominum animæ quas ignorantia et tenebræ comprimebant, sicut scriptum est: *erat lux vera quæ illuminat*
3 *omnem hominem venientem in hunc mundum.*[3] Credo Deum nostrum Christum Jesum Dominum Filium natum de Spiritu Sancto ex Virgine Maria, incorrupta matre incorruptibilem prolem. Credo Jesum Christum, et hunc crucifixum, passum, sepultum, resurrexisse, ascendisse in cœlis (*sic*). Credo passum fuisse quod visum est: quod assumpsit Deus pœnam pertulit passionis.

Non tamen Deus ipse passibilis est; et quod dixit: *Qui me misit major me est*, ob hoc eum credo
4 dixisse ne[4] in passione aliquis Filii passum Patrem
5 in Filio crederet passionem.[5]

Credo, omne quod cernitur in cœlis, quod videtur in terris, quod mare habet, hominemque, qui
6 Deus est,[6] factum esse per Deum. Verbo Dei factum itaque per Dominum sicut scriptum est: *et insufflavit Deus in faciem Adæ et factus est*
Gen. II, 7. *homo in animam vivam.* Itaque animam hominis
7 credo factam fuisse de Deo,[7] Dei voluntate factam et in suo arbitrio positam sicut scriptum est: *fecit Deus hominem ad imaginem et similitudi-*
8 *nem suam, et posuit eum in manus consilii sui,*[8] et ut dixit: *positus est in paradiso voluptatis.* Nam credo nec partis (*forte* partem) Dei esse nec substantiam nec naturam, quoniam diversitate peccat, aliquando corrumpitur et verborum varietatibus sordidatur. Nam divina semper incorrupta natura est, nec enim pars Dei dici potest quoniam impartibilis Deus est.

Nec substantiam Dei credo animam quoniam
9 omnium rerum quæ verbo[9] facta per Deum sunt. Deus ipse substantia est, nec naturæ Dei credo esse animam, quoniam immortalis et immutabilis est divina natura, et sicut scriptum est: *anima*
Ezech. XVIII, 4. *quæ peccat ipsa punietur;* sed potius credo esse facturam sicut Tobia dixit: *benedicant te cœli et omnis creatura totius terræ quia dixisti et facta sunt omnia et confirmans universa, verbo tuo*
Job. VIII, 7. *fecisti....* sicut Job locutus est: *memento Domine quoniam manus tuæ finxerunt me et fecerunt*

A *me,*[10] sicut iterum Job locutus est: *propter quod* 10
et ego sustinebo quousque iterum fiat;[11] sicut Sa- 11
lomon dixit: *audi, fili, Patrem tuum qui te genuit:* genus enim (*Dei*) post baptismum dici possumus Prov. XXXIII, 22.
non natura, sicut scriptum est: *ipsius enim et genus* 12
sumus, et alibi scriptum est: *vos genus regale,*[12] Act. XVII, 28.
sacerdotalis gens sancta, populus adoptionis,[13] 13
et sicut scriptum est: *ipse enim suo cogitatu ge-* I Pet. II, 7
neravit nos Verbo veritatis ut simus et[14] *initium* 14
magnum creaturæ ipsius.[15] Credo itaque animam 15
B Verbi divini esse facturam, non tamen Dei esse Verbum, aut ipsum Verbum esse quod Deus est.[16] 16

Credo animam de Deo esse et per Deum esse quod facta sit, non tamen Deum esse quod anima sit. Omnia credo facta fuisse per Dominum; Deum non fecisse quod malum est ut scriptum est: *qui facit angelos suos spiritus et ministros suos ignem urentem.*[17] 17

Deus malum itaque non fecit, sed fecit angelos spiritus et ministros suos, qui peccantes perdide-
C runt sua transgressione mandatum,[18] et sicut Apo- 18
stolus dixit: *per bonum operatum est mihi ma-*
lam omnem concupiscentiam; et alibi scriptum Rom. VIII, 8.
est: *propter quod Deus angelis peccantibus non*
pepercit. II Pet. I, 4.

Credo itaque diabolum præmium suum nullam habuisse facturam,[19] nullam habuisse naturam, nec 19
originariam venenosi generis prosapiam fuisse, ut
natus dicatur aut ex eo malum esse quod est;[20] 20
qui si[21] præcepta servasset, malus esse non poterat, 21
D qui non fuerat malus factus ex Deo. Sic enim
scriptum est: *unde bella,*[22] *unde rixæ in vobis?* 22
nonne de voluptatibus vestris est?[23] Et sicut Apo- 23
stolus dixit: *nullus qui temptatur dicat quia a*
Deo temptatur, unusquisque temptatur de sua
concupiscentia. Jacob. I, 18.

Credo omnem creaturam Dei bonam esse, quoniam sic scriptum est: *vidit Deus quoniam bona*
sunt valde, et Apostolus: *creatura Dei bona est* Gen. I.
valde. Credo omnia facta per Deum, et intelligo
E ut scriptum est: *feci militiam cœli et non dixi*
ut adoretis ea, fili....[24] servitio divini operis hoc 24
est homini deputata sunt, non adoranda. Amen.

Explicit libellus fidei Sancti Ambrosii Episcopi.

[1] Jo. I, 4, cum Aug. et Ambr. excepto *ipso* pro *illo,* recedente Vulg. Cf. amborum lectionem apud Sabat. ad h. l.

[2] Jo. XIV, 9 cum Ambr. et Vulg.

[3] Jo. I, 9 cum Ambr. et Vulg.

[4] Cod. Ambr., *non.*

[5] Nempe, *ne aliquis crederet in passione Filii Patrem passum passionem in Filio.*

[6] Hæc verba *qui Deus est* videntur irrepsisse in textum ex amanuensium inscitia, cum essent aliqua nota marginalis ab aliquo lectore apposita ad indicandum hominem esse in mundo ut Deum rerum creatarum; vel hanc ipsam ideam exprimere voluit iis verbis qui hoc doctrinæ compendium concinnavit.

[7] In Cod. Vat. ead. m. corr. *a Deo.*

[8] Eccli. XV, 14. Cf. Gaudentium Brixiensem in Sermone XIII, p. 964, qui hanc refert lectionem: *figuravit enim Deus hominem, ad imaginem similitudinis suæ fecit illum et dimisit eum in manu consilii suo.*

[9] Hic adest aliqua corruptio, nempe deest aliquod saltem vocabulum.

[10] Jo. X, 8 cum Cod. Alex. et Cod. Mm. Mas. qui post ponit *finxerunt.* Ambr. in Ps. CXVIII, Sermo X, n. 12 ait: « In aliquibus codicibus invenimus: *Manus tuæ fecerunt me et plasmaverunt me* ».

[11] Hoc non adest in Job.

[12] Cod. Vat., *vos estis genus electum, regale sacerdotium.*

[13] Aug. et Ambr. habent *in adoptionem.*

[14] Cod. Vat., *ei.*

[15] Cod. Vat., *illius,* Jac. I, 18.

[16] Id opponitur errori apollinaristarum, Ambrosii tempore jam evulgato.

[17] Ps. CIII, 4 cum Amb. et vot. Vulgata. Nova vero Vulg. *facis.... tuos....*

[18] Videtur et hic aliqua irrepsisse corruptio.

[19] Neque hic perspicitur quid dicatur per voces *præmium suum.*

[20] Etiam hic aliquod irrepsit mendum.

[21] Cod. Amb., *quasi.*

[22] Cod. Amb., *bellum.*

[23] Cod. Amb., *vere.* Jac. IV, 1 cum Vet. Vulg.

[24] In divinis Scripturis hæc ad litteram nullibi leguntur.

DE EPISTOLA

CUI TITULUS

De Pudicitia et Castitate.

Epistolam quamdam de Pudicitia et Castitate *Ambrosii nomine inscriptam habemus in codice Ambrosianæ mediolanensis bibliothecæ* D, *284* infer., *e sæculo VIII, olim Bobiensis monasterii, non tamen integram, et ita temporis injuria labefactatam, ut pauca solummodo sequentia fragmenta inde exhibere liceat. Quidquid autem sit de hujus epistolæ authenticitate, abs re non erit animadvertere voces* pu licitia *et* castitas *frequentissime occurrere apud Ambrosium, ac præterea Hieronymum in epistola XLVIII* ad Pammachium, *n. 17, dum præconium pudicitiæ texeret, eum ad opera Ambrosii legenda invitasse. En interea quæ hujus epistolæ edere licuit, amanuensis erroribus emendatis.*[1]

..... audi castitas Domino placuit ut de intacta virgine.... concupiscent.... carnis nasceretur Christus. Quid loqua (*r*)..... (*v*) ides, feræ et cetera animalia.... tempore veris calore accensa pudorem suum de religioso amore moderantis..... sese, non tam pro libidine miscentur, quam pro sui propagandi generis necessitate. Adductam se..... ser..... li.....co et importuno..... ardores a se repellant, et cum summa cons..... in..... dicen..... castitatem felices etiam quas putamus barbaras amazonum leges.... et inter viros flumen est, quod certo tem-

A pore ad virorum permixtionem transeunt, paceque facta[2] post permixtionem revertuntur recusatis affectibus ex maritis, a quibus forsitan ista turpis et carnalis libido recusaverunt.[3] O fortunatos etiam illos viros quos pura liquoris separat (*unda*); quibus ita nascuntur liberi! Uxorum querimonias et domesticarum litium non patiuntur insaniam, quibus est gemina conjunctio liber recursus, nec noverunt ad ducendas uxores offerre..... aut conquisitorum insaniam lapidum, aut distinctorum monilium cen-

B sus, aut pretiosis coloribus decoratas aut aureas vestes, quibus rebus corruptus animus et venalis.... est pudorem suum sæpius vendere.[4] Illæ sunt veræ uxores quas amor jungit (*Omittimus plura nimis fragmentaria, e quibus nullus sensus educi potest*).

..... Mihi illa mulier placet..... tia et hone..... meritis non monilibus plena est, quæ castita..... de..... religionem marito, affectum liberis..... serva qua..... placat, tristem consolatur, fessum reficit, iracundum mitigat, paupertate contenta, fragili-

C tate docta, verecundia plena, hnmilitatis magistra, provisionis domina, servorum mater, ab iracundia et levitate, furore et temeritate remota, gravis, sancta, sobria, cujus talis ornatus et pompa pretiosiorum vestium superet et insaniam capillorum. Quasdam tamen sæculi hujus ambitus tenuit et invasit, quæ, neglecta gravitate, contempta ecclesiastica disciplina, ita processionis suæ ornatus extendunt, ita conspectibus publicis placere desiderant, ut spectaculum tam (*sic*) pudoris vilitate

D proponant. Procedunt enim barbararum gentium pueri pretiosis capillis et vestibus decorati basternarum lateribus adhærentes.....

[1] Scripti codicis lectio ab adm. Rev. D. Amellio facta est.

[2] Ad sensum obtinendum quasdam manuscripti voces aliquantisper transponere necesse fuit.

[3] Ita ms., sed absque recto sensu. Ceterum cf. Clementis *Recognitiones* lib. IX, n. 24.

[4] Ambrosius *de Virginibus*, lib. I, n. 27: « Pretiosa collo dependent monilia; inde per humum vestis trahitur aurata.... gemmis onerantur aures ». Cf. III fragmentum Nicetæ apud Mai: « Ut de auribus pondera capillorum auro ligata dependeant, ut brachia onerentur auro, ut cervicem premant catenæ vel lapides ». Contra eumdem usum clamat quoque S. Gaudentius Brixiæ episcopus ac Ambrosii discipulus, Serm. XIII.

PRÆFATIO AD OPUSCULUM

ALTERCATIO S. AMBROSII *ETC.*

Hæc opella continet diversas citationes italæ versionis, in nonnullis tamen ab ea discrepantes; item bis citat librum IV Esdræ.

D. Ambrosio eam jam sæc. IX tribuit Johannes a Sivilia his verbis: *Beati Ambrosii dogma adversum eos qui animam non confitentur Dei esse facturam, aut ex traduce dicunt esse exortam, aut portionem Dei dicunt esse prædicatam.* Quamvis non liquido eidem tribui possit, tamen saltem non post annum 600 fuisse scriptam, ipsa vetus itala versio suadet.

D. Ambrosio ipsam adjudicant Codd. Parisienses lat. 2025 sæc. XIII — 1710 sæc. XIV — 1920 sæc. XIV, qui hunc ipsum titulum referunt: *Altercatio S. Ambrosii contra eos*, etc.

Cod. Monac. lat. 6311 sæc. X hunc titulum præsefert: *Incipit Humilia S. Ambrosii contra eos qui animam non confitentur Dei esse facturam aut ex traduce dicunt per correctionem divinitatis esse exortam.*

In Opp. S. Alvari Cordub. Tom. XI, p. 143 legitur: *B. Ambrosii dogma adversum eos qui animam non confitentur esse facturam aut ex traduce dicunt exortam aut portionem Dei asserunt esse prædicatam* (Cf. Tom. II, Migne col. 13).

Quæstionem de animarum origine tempore Hieronymi et Augustini æstuasse cuique notum est. (Cf. D. Aug. Epist. XXIV). Opusculum vero hoc extraximus ex opere doctoris Caspar, cujus titulus germanicus sonat *Historiæ ecclesiasticæ* (Kirchenhistorische) *Anecdota*. Christianiæ, 1883. Notas tamen omnes omisimus, quæ variantes codicum exhibent lectiones. Constat demum ex ipso initio hoc esse aliquod excerptum e quodam ampliori scripto.

ALTERCATIO SANCTI AMBROSII CONTRA EOS
QUI ANIMAM NON CONFITENTUR ESSE FACTURAM,
AUT EX TRADUCE ESSE DICUNT.

Sic enim dicit Deus: *A me exiet spi-*
1 *ritus, et omnem datum ego creo.*[1] Nonne
hic est Deus, qui vocat puerum suum
Jacob atque Israel servum suum, qui
finxit eum in utero? Nonne hic est factor ani-
marum, de quo dictum est: *Qui fingit singilla-*
2 *tim corda eorum?*[2] Et apostolus ait: *Qui me*
3 *segregavit*, inquit, *de utero matris meæ.*[3] Qui
habet potestatem segregandi, potestatem habet in
utero fingendi. Et ad Hieremiam sic dicit: *Prius-*
quam te formarem in utero, novi te, et prius-
4 *quam exires de vulva sanctificavi te.*[4]

Vides ergo Deum et formatorem esse in utero
et factorem animarum, quia ipse Dominus sic lo-
quitur in evangelio suo: *Qui fecit quod intus est,*
5 *fecit et quod foris est;*[5] et iterum: *Pater meus*
6 *usque modo operatur, et ego operor.*[6] Non se-
paravit se a Patris operatione, cum per Filium
Deum Deus semper operatur. Et occurrit mihi
dictum Sedechiæ, regis filiorum Judæ, et meam
in omnibus confirmat adsertionem; qui ait ad
Hieremiam: *Vivit Dominus, qui fecit hanc ani-*
7 *mam nobis, quia non morieris.*[7] Et Moyses, lator
legis: *Qui percusserit mulierum calce et necdum*
projecerit figuratum, dabit omnia muliebria se-
cundum voluntatem viri sui; si projecerit jam
figuratum, dabit oculum pro oculo, livorem
8 *pro livore, animam pro anima.*[8] Vides ergo figu-
ratum in utero animam accipere. Et Jacob ad
Rachelem sic respondit: *Numquid ego pro Deo*
9 *sum, ut dem tibi filium?*[9] Nam et mater septem
filiorum sic ait: *Nec ego*, inquit, *vobis in utero*
membra compegi, sed Deus. Et iterum ipsa lo-
10 quitur: *Nec ego animam vobis dedi, sed Deus.*[10]
Compactor corporis et liniator omnis carnis et
figurator animam nobis dedit.

Et apud Ezechiel Deus sic dicit: *Omnes animæ*
11 *meæ sunt.*[11] Et apud Esaiam: *Sic dicit Dominus*
Deus, qui firmavit cœlum et solidavit terram et
quæ in ea sunt, dat flatum hominibus, qui
12 *super eam sunt, et spiritum calcantibus eam.*[12]
Job item: *Quem docere voluisti? Nonne eum, qui*
13 *fecit spiramentum tuum?*[13] Et iterum sic dicit
Esaias: *Dominus Deus, qui fecit te, Jacob, et*
14 *formavit te, Israel. Ne timeas, quia redemi te.*[14]
Et in Psalmis: *Scitote, quod Dominus ipse est*
15 *Deus; ipse fecit nos, et non ipsi nos.*[15] Item
apud Sapientiam Salomonis: *Cinis est cor illius*
et terra supervacua spes ejus et luto vilior vita
ejus; quoniam ignoravit, qui se finxit et qui in-
spiravit illi animam, et emisit spiritum vita-
A *lem.*[16] Et in cantico Deuteronomii: *Nonne hic est* 16
pater tuus, qui eduxit te, qui fecit te et creavit
te?[17] Et Esaias: *Ab oriente adducam semem* 17
tuum, et ab occasu vocabo te; dicam aquiloni:
Adduc, et africo: Ne prohibeas venire filios
meos de terra longinqua et filias meas ab ex-
tremo terræ! Omnes hi, qui cognominati sunt,
quia in gloriam meam constituam illos, quia
finxi et feci eos, dicit Dominus.[18] Item Esaias: 18
Sic dicit Dominus Deus, qui finxit te et fecit
B *te servum sibi in utero.*[19] Et Esaias similiter te- 19
statur: *Nunc de morte sermo est. Quando pro-*
fectus fuerit terminus sententiæ altissimi ut homo
moriatur, recedente spiratione de corpore, ut
revertatur ad eum, qui dedit ei adorare gloriam
Altissimi.[20] Item Esaias: *Solus enim tu es, Deus* 20
et una plasmatio nos sumus manuum tuarum,
sicut locutus es. Quoniam visitas nunc in ma-
trice plasmatum corpus et præstas membra,
conservatur in igne et aqua tua creatio. Novem
C *mensibus patitur plasmatio creaturæ tuæ, ea*
quæ in ipso creata est, ut servetur. Et quando
iterum reddit matrix quæ in ea creata fuerint,
imperasti, ut ei his membris, hoc est mammillis,
præbeatur lac, fructum mammillarum, ut nu-
triatur, quod psalmatum est in utero.[21] Item in 21
primo capite libri regnorum scriptum est de Hel-
cana et Anna: *Et Dominus concluserat ea, quæ*
circa vulvam ejus erant, et non dabat ei Dominus
filium, et plorabat secundum tribulationem suam
D *et secundum tristitiam suam propter hoc, quo-*
niam concludens concluserat Dominus ea, quæ
circa vulvam ejus erant, ne daret ei filium.[22] 22
Item intra se Anna orans dixit: *Domine, si memor*
fueris ancillæ tuæ et dederis ancillæ tuæ semem
virorum, dabo tibi eum ante conspectum tuum.[23] 23

Cesset adsertio pravissima nullis auctoritatibus
munita. Cesset Plato, qui dicit, fontem esse ani-
marum. Cesset Ermogenes, qui dicit, nihil post
mortem hominem futurum. Cesset Epicurus, qui
E testatur ad vicem eorum. Cesset nefandissima secta
Sadducæorum, quæ resurrectionem negat. Cesset
Aristoteles pariter et Manes, similis eorum, qui dicit
corpus esse phantasma. Cesset Priscillianus, qui,
non facturam, sed portionem Dei esse animam ho-
minis confitetur. Nostra igitur assertio talis est,
quam, non propria voluntate, sed divinis scripturis
credentes, loquimur: Deum humani corporis esse
finctorem in utero mulierum. Utique qui fingit
corpora, necesse est, ut et animas faciat corpo-
F ribus a se figuratis.

[1] Isaiæ LVII, 16.
[2] Ps. XXX, 15.
[3] Galat. I, 15.
[4] Jerem. I, 5.
[5] Luc. XI, 40.
[6] Joan. V, 17.
[7] Jerem. XXXVIII, 16.
[8] Exod. XXI, 22.
[9] Gen. XXX, 2.
[10] II Machab. VII, 22.
[11] Ezech. XVIII, 4.
[12] Isaiæ XLII, 5.
[13] Job. XXVI, 4.
[14] Isaiæ XLIII, 1.
[15] Ps. C, 3.
[16] Sap. XV, 10, 11.
[17] Deut. XXXII, 6.
[18] Isaiæ XLIII, 5-7.
[19] Isaiæ XLIV, 2.
[20] IV Esdræ.
[21] IV Esdræ.
[22] I Reg. I, 5.
[23] I Reg. I, 11.

PRÆFATIO
AD
HYMNOS S. AMBROSIO
VULGO ADSCRIPTOS.

Monuimus jam in Præfatione ad s. Patris et Doctoris Ambrosii Hymnos genuínos, valde plures alios ejus nomen referre, qui ex liquidis argumentis illi attribui non possunt. Amplissima horum collectio, præter quam apud alios, conspici potest in *Hymnario* perillustris cardinalis b. Josephi Mariæ Tommasi, sive apud Mone, *Hymni latini medii ævi,* sive apud Clément, *Carmina e poetis christianis excerpta,* sive etiam apud Venturi in opere multa commendatione digno, *Gli Inni della Chiesa tradotti e comentati* (Florentiæ, 1879, edit. 2ª). Attamen ut pro modulo nostro conferamus ad servanda hæc venerandæ antiquitatis monimenta, hic recudimus eos omnes hymnos, e promissione jam data in supramemorata præfatione (nota pag. 657, Tomi V), quos ut Ambrosio adscriptos collegit Adalbertus Daniel in suo *Thesauro Hymnologico,* Halis, 1841, iis omissis quos jam ut genuinos, sive nostro, sive Maurinorum Editorum judicio protulimus; et insuper iis omnibus sequentem præponimus.

HYMNI S. AMBROSIO VULGO ADSCRIPTI.

I.
Hymnus de Beata Virgine.[1]

Quis possit amplo famine præpotens
Digne fateri prœmia Virginis
Per quam veternæ sub laqueo necis
Orbi retento reddita vita est?

Hæc virga Jesse, Virgo Puerpera,
Hortus superno germine consitus,
Signatus alto munere fons sacer,
Mundum beavit viscere cœlibi.

Hausto maligni primus ut occidit
Virus[2] chelydri terrigerum parens,
Hinc lapsa pestis per genus irrepens
Cunctum profundo vulnere perculit.

Rerum misertus sed sator, inscia
Cernens piacli viscera Virginis,
His ferre mortis crimine languido
Mandat salutis gaudia sæculo.

Emissus astris Gabriel innubæ
Æterna portat nuntia Virgini:
Verbo tumescit latior æthere
Alvus replentem sæcula continens.

Intacta Mater, virgoque fit parens,
Orbis creator ortus in orbe est,
Hostis pavendi sceptra remota sunt,
Tota refulsit lux nova sæculo.

Sic virginalis vincula permanent
Prodit pudoris dum thalamo potens:
Mansere clausæ arctius ut fores,
Intrante demum quas sera vinxerat.

Hoc signat ædis janua non patens,
Quam celsa vatis[3] visio prodidit,
Soli tremendo[4] pervia Principi,
Mansura nempe clausa perenniter.

Sit Trinitati gloria unicæ,
Virtus, potestas, summa potentia,
Regnum retentans[5] quæ Deus unus est,
Per cuncta semper sæcula sæculi. Am.

II.
Hymnus de Nativitate Domini.

A solis ortus cardine
Et usque terræ limitem
Christum canamus principem,
Natum Mariæ virginis.[6]

Gaudete quidquid gentium,
Judæa, Roma et Græcia,
Ægypte, Thrax, Persa, Scytha,
Rex unus omnes possidet.

Laudate vestrum principem
Omnes beati ac perditi,
Vivi, imbecilli ac mortui;
Jam nemo post hæc mortuus.

Fit porta Christi pervia,
Referta plena gratia,
Transitque rex et permanet
Clausa, ut fuit, per sæcula.

Genus superni numinis
Processit aula virginis,
Sponsus, redemptor, conditor,
Suæ gigas Ecclesiæ.

Honor matris et gaudium,
Immensa spes credentium,
Per atra mortis pocula
Resolvit nostra crimina.[7]

Lapis de monte veniens
Mundumque replens gratia,
Quem non præcisum manibus
Vates vetusti nuntiant.

Qui verbum caro factus est
Præconio angelico,
De claustris virginalibus
Virginis virgo natus est.

Rorem dederunt æthera,
Nubesque justum fuderunt,
Patens excepit Dominum
Terra salutem generans.

Mirabilis conceptio:
Christum protulit sobolem
Ut virgo partum funderet,
Post partum virgo sisteret.

Exultet omnis anima,
Nunc redemptorem gentium
Mundi venisse Dominum
Redimere quos condidit.

Creator cuncti generis
Orbis quem totus non capit
In tua, sancta genitrix,
Sese reclusit viscera.

Quem Pater ante tempora
Deus Deumque genuit,
Matris almæ virginitas
Cum tempore partum edidit.

Tollens cuncta facinora
Et donans sancta munera,
Augmentum lucis afferens,
Tenebris damnum inferens.

[1] Hunc hymnum proferimus ex opere Antonii Ballerini S. J. *Sylloge Monumentorum ad mysterium Conceptionis Immaculatæ Virginis Deiparæ illustrandum,* Romæ, 1854. Primus eum edidit monachus Sangermanensis Jo. Bapt. Federici, Neapoli, 1792 in opere: *La Immacolata Concezione della B. V. Maria comprovata*, etc., e diversis mss. etiam sæc. IX. Attributus fuit illustri Paulo diacono, qui sæc. VIII labente in Sangermanensi monasterio supremum obiit diem. Sed ipse Federici pro auctore Ambrosio nostro opinatus est, et hanc opinionem supralaudatus Ballerini valde probabilibus argumentis fulcivit. Quod tamen eidem magis obest est metri divergentia ab eo quod indesinenter Ambrosius adhibuit.

[2] *Virus* indeclinabile habetur, licet apud Lucretium habeatur *viri* et *viro*. Hic esset igitur in casu sexto.

[3] Nempe Ezechielis XLIV, 3.

[4] Legitur quidem *tremenda;* sed metrus et contextus postulant *tremendo.*

[5] Id est *retinens*. Retentare pro retinere habent Claudianus et Prudentius, eodem circiter tempore ac Ambrosius, vel alius si est qui hymni auctor extiterit.

[6] Hæc strophe e Sedulii (sæc. V) quodam hymno alphabetico dempta est, nempe totidem strophis constante, quot sunt latini alphabeti litteræ, et ita ut eadem progressione, ut in alphabeto, primus versiculus cujusque strophæ primam suam litteram exhibeat.

[7] Tres præcedentes strophæ a Maurinis Ambrosii habitæ sunt, et jam a nobis prolatæ inter hymnos qui ut tales ab illis editoribus, non autem a Biraghio recepti fuerunt.

III.

Ad Sextam.

Bis ternas horas explicans
Diei sol ingreditur,
Ut sex idemque transigat
1 Et noctis claudat[1] aditum.

Nos ergo nunc confamuli,
Prophetæ dicti memores,
Solvamus ora in canticis
Prece mixta Davidicis.

Ut septies diem vere
2 Orantes cum psalterio,[2]
Laudesque cantantes Deo,
Læti solvamus debitum.

Sic enim Christi gratia
Peccantibus dat veniam,
Sæpeque confitentibus
Non aderit mors impia.

Memento non desit tamen
Orantibus servis Dei,
Quod Pauli vox apostoli
Servandum prædixit nobis.

Cujus vox hoc promeruit
Ut diceret idem Deo:
Orabo mente Dominum,
3 Orabo simul spiritu.[3]

Ne vox sola Deo canat,
Sensusque noster alibi
Ductus aberret fluctuans
Vanis præventus casibus.

Tunc enim Deo accepta est
Oratio canentium,
Si pura mens idem gerat
Quod explicat vox cantici.

IV.

Hymnus
ad serenitatem poscendam,
4 *al. in postulatione serenitatis.*[4]

Obduxere polum nubila cœli,
Absconduntque diem sole fugato,
Noctes continuas sidere nudas
Et lunæ viduas carpimus olim.

Æther dira micat igne corusco,
Concussoque tremit cardine mundus,
Cœli porta tonat, ruptaque credas
Axis ætherei vincla resolvi.

Excrescunt pluviis æquora ponti
Nec fines proprios jam freta norunt,
Terrarum medio fluctuat unda,
Errabunda secat arva carina.

Portus nauta suos, littora nauta,
Secessusque suos nauta requirit,
Hospes nauta satis, vitibus hospes,
Messes nauta super navigat hospes.

Flentes agricolæ culta relinquunt,
Spectant naufragium triste laboris,
Messis læta natat, semina, census:
Nati, tecta, pecus arvaque migrant.

Cernas alta domus culmina ferri,
Mutatisque locis culmina poni,
Mœstas inter aves ludere pisces,
Pisces in tremulis ludere tectis.

Eversa videas arbore nidos
Pullis cum tenebris per freta duci,
Nec matrem exsilio ponere curas,
Majoresque metu cogere fetus.

Spectat turba virum, turba fenestris
Spectat feminei turba pudoris,
Deploratque famem turba precantum;
Victum navigiis nanta ministrat.

Jesu, parce tua morte redemptis.
Prior diluvium pertulit ætas,
Ut mundaret aqua crimina terræ;
Sed mundata tuo sanguine terra est.

Jam nunc missa ferens ore columba
Ramum paciferæ munus olivæ,
Exutas liquido flumine terras
Læto significet lapsa volatu.

Æterne genitor, gloria Christo
Semper cum genito sit tibi, sancte, etc.

V.

Hymnus in postulatione pluviæ.[5]

Squalent arva soli pulvere multo;
Pallet siccus ager, terra fatiscit;
Nullus ruris honos, nulla venustas
Quando nulla viret gratia florum.

Tellus dura sitit, nescia roris;
Fons jam nescit aquas, flumina cursus;
Herbam nescit humus, nescit aratrum,
Magno rupta patet turpis hiatu.

Fervens sole dies, igneus ardor
Ipsas urit aves, frondea rami
Fessis tecta negant, pulvis arenæ
Sicco dispuitur ore viantis.

Ventis ore feræ, bestia ventis,
Captantesque viri flamina ventis;
Ventis et volucres ora recludunt,
Hac mulcere sitim fraude volentes.

Fœtus cerva suos, pignora cerva,
Fœtus cerva siti fessa recusat;
Fœtus cerva pios mœsta relinquit
Quæsitam quoniam non vehit herbam

Venerunt juvenes, pocula noti
Quærentes putei, lymphaque fugit;
Et vasis vacuis tecta revisunt,
Fletus, heu! proprios ore bibentes.

Bos præsepe suum linquit inane;
Pratorumque volens carpere gramen,
Nudam versat humum; sic pecus omne
Fraudatum moriens, labitur herbis.

Radices nemorum rustica plebes
Explorat misero curva labore,
Solarique famem cortice quærit,
Nec succos teneros arida præstat.

Hanc peccata famem nostra merentur;
Sed merce propria, Christe, faveto:
Quo culpa gravior, gratia major
Justi supplicii vincla resolvat.

Jam cœlos reseres, arvaque laxes
Fecundo placidus imbre rogamus.
Heliæ meritis impia sæcla
Donasti pluvia: nos quoque dones.

Æterne genitor, gloria Christo
Semper cum genito sit tibi sancto;
Compar Spiritui, qui Deus unus
Pollens perpetuis, inclyte, sæclis.

VI.

Hymnus ad Completorium.[6]

Christe, qui lux es et dies,
Noctis tenebras detegis,
Lucisque lumen crederis
Lumen beatum prædicans;

Precamur, sancte Domine,
Defende nos in hac nocte.
Sit nobis in te requies,
Quietam noctem tribue.

Ne gravis somnus irruat,
Nec hostis nos surripiat,
Nec caro illi consentiens
Nos tibi reos statuat.

Oculi somnum capiant,
Cor ad te semper vigilet,
Dextera tua protegat
Famulos qui te diligunt.

Defensor noster aspice,
Insidiantes reprime,
Guberna tuos famulos
Quos sanguine mercatus es.

Memento nostri, Domine,
In gravi isto corpore,
Qui es defensor animæ,
Adesto nobis, Domine.

VII.

Hymnus ad Matutinum.
(Ex Libr. vet.).

Summæ Deus clementiæ,
Mundique factor machinæ,
Unus potentialiter
Trinusque personaliter.

[1] Codex Vatic. 82, unde card. Thomasius totum hymnum eruit, habet: *In noctis claudat auditum*, quæ lectio cum jure non satisfaceret eruditissimo viro, ei substituit: *Innocens claudat auditum*. Sed quia nec ista probabilem reddit sensum, illam aliam conjecturam Daniel substituit, quæ supra in textu, quæque vere contextui convenit.

[2] Ita in Psal. CXVIII, 164.

[3] Ita I Cor. XIV, 15. Postremos hos duos versiculos cum sequenti strophe Maurini editores, non contemnenda sane Cassiodori auctoritate, uti vidimus, ut genuinum Ambrosii hymnum admiserunt. Sed cur Ambrosii haberi non possit, satis lucide demonstravit Biraghius. Insuper Ambrosius duas saltem strophas explesset, ut ex aliis ejus carminibus evincitur.

[4] Pulchra poësis et latinitas in hoc hymno, licet lusu peccet verborum: magna tamen imitatio Virgilii, Ovidii et Horatii.

[5] Iste hymnus cum præcedenti e veteri ms. a Cassandro erutus est. Utriusque ætas illam præcedit venerabilis Bedæ. Ex stylo idem videtur utriusque auctor.

[6] Iste hymnus recitabatur antiquitus in quibusdam Ecclesiis et apud aliquas monasticas congregationes, vel toto anno, vel in aliqua ejus portione, ac præsertim in quadragesima. Eo utuntur adhuc religiosi ordinis Prædicatorum. Jam reperitur in mss. sæculi VIII. Propter testimonium Hincmari remensis, qui eum Ambrosio attribuit, ut Ambrosii reapse a nonnullis admittitur, ut a B. card. Tommasi et Venturi; sed ejus deficientia in romana et ambrosiana liturgia, nimis humilis stylus et metrica errata tali obstant authenticitati.

Nostros pius cum canticis
Fletus benigne suscipe,
Quo corde puro sordibus
Te perfruamur largius.

Lumbos jecurque morbidum
Adure igne congruo
Accincti ut sint perpetim
Luxu remoto pessimo.

Ut quique horas noctium
Nunc concinendo rumpimus,
Donis beatæ patriæ
Ditemur omnes affatim.

Ejusdem hymni lectio

Breviarii rom. ex emendatione Urbani VIII.[1]

Summæ parens clementiæ,
Mundi regis qui machinam,
Unius et substantiæ
Trinusque personis Deus.

Nostros pius cum canticis
Fletus benigne suscipe,
Ut corde puro sordium
Te perfruamur largius.

Lumbos, jecurque morbidum
Flammis adure congruis,
Accincti ut artus excubent
Luxu remoto pessimo.

Quicumque ut horas noctium,
Nunc concinendo rumpimus,
Ditemur omnes affatim
Donis beatæ patriæ.

Da dexteram surgentibus,
Exsurgat ut mens sobria,
Flagrans et in laudem Dei
Grates rependat debitas.

Præsta Pater piissime, etc.

VIII.

Hymnus matutinus.[2]

(Ex Libr. vet.).

Tu Trinitatis unitas,
Orbem potenter qui regis,
Attende laudum cantica,
Quæ excubantes psallimus.

Nam lectulo consurgimus,
Noctis quieto tempore,
Ut flagitemus vulnerum
A te medelam omnium.

Quo fraude quicquid dæmonum
In noctibus deliquimus,
Abstergat illud cœlitus
Tuæ potestas gloriæ.

Ne corpus adsit sordidum,
Nec torpor instet cordium,
Ne criminis contagio
Tepescat ardor spiritus.

Ob hoc, Redemptor, quæsumus
Reple tuo nos lumine.
Per quod dierum circulis
Nullis ruamus actibus.

Ejusdem hymni lectio reformata.

Tu Trinitatis unitas,
Orbem potenter quæ regis.
Attende laudis canticum,
Quod excubantes psallimus.

Nam lectulo consurgimus
Noctis quieto tempore,
Ut flagitemus omnium
A te medelam vulnerum.

Quo fraude quicquid dæmonum
In noctibus deliquimus,
Abstergat illud cœlitus
Tuæ potestas gloriæ.

Ne corpus adstet sordidum,
Nec torpor instet cordium,
Nec criminis contagio
Tepescat ardor spiritus.

Ob hoc, Redemptor, quæsumus
Reple tuo nos lumine,
Per quod dierum circulis
Nullis ruamus actibus.

Ortus refulget Lucifer
Præitque solem nuntius,
Cadunt tenebræ noctium,
Lux sancta nos illuminet.

Præsta Pater piissime, etc.

IX.

Hymnus matutinus.[3]

Æterne lucis conditor,
Lux ipse totus et dies,
Noctem nec ullam sentiens,
Natura lucis perpeti.

Jam cedit pallens proximo
Diei nox adventui,
Obtundens lumen siderum
Adest et clarus Lucifer.

Jam strato lecti surgimus,
Grates canentes et tuas,
Quod cæcam noctem vicerit,
Revectans rursus sol diem.

Te nunc nec carnis gaudia,
Blandis subrepant æstibus;
Dolis nec cedat sæculi
Mens nostra, sancte, quæsumus.

Ira nec rixas provocet,
Gula nec ventrem incitet,
Opum pervertat nec fames,
Turpis nec luxus occupet.

Sed firma mente sobrii,
Casto manentes corpore,
Toto fideli spiritu,
Christe, ducamus hunc diem.

X.

Hymnus ad Sextam.[4]

Jam sexta sensim solvitur
Ter binis hora cursibus,
Diesque puncto æquabili
Utramque noctem respicit.

Venite, servi supplices,
Mente et ore extollite
Dignis beatum laudibus
Nomen Dei cum cantico.

Hoc namque tempus illud est,
Quod sæculorum judicem
Injustæ morti tradidit
Mortalium sententia.

Cum sol repente territus,
Horrore tanti criminis,
Mortem minatur sæculo,
Diem refugit impium.

Hoc et beatus tempore
Abrahamus fideliter
Peritus in mysterio
Tres vidit, unum credidit.

Hanc ad precandum congruam
Salvator horam tradidit,
Cum diceret fidelibus
Patrem rogandum servulis.

Nec non et ille pertinax
Hostis fidei gratiam,
Quam prædicavit gentibus,
Hoc est adeptus tempore.

At nos amore debito,
Timore justo subditi,
Adversus omnes impetus
Quos sævus hostis incutit,

Unum rogemus et Patrem,
Deum regemque Filium,
Simulque sanctum Spiritum
In Trinitate Dominum,

Ut quos redemit passio
Isto peracta tempore,
Posset sub ipso tempore
Servare deprecatio.

XI.

Hymnus ad Nonam.[5]

Ter hora trina volvitur,
Redire qua Christus solet,
Mercede largus vineæ
Locare mercenarios.

Decet paratos sistere
Ne transeat merces Dei,
Plantare quæ vitem solet
Christumque cordi affigere.

[1] In liturgia romana canitur die sabbati ad Matutinum. Iterum cō testimonium Hincmari remensis (*de non trina Deitate*, 1) eum habent Ambrosii nonnulli; alii tamen non ita; nobis autem, præter alia, magnum pondus habet quod in liturgiam ambrosianam numquam fuerit admissus.

[2] Auctoritate Hincmari, ut præcedentes, et iste hymnus a B. Thomasio aliisque Ambrosio vindicatur. Liturgia ambrosiana eum non agnoscit, et satis id est ut Ambrosio abjudicetur. Canitur juxta breviarum rom. feria sexta, sed ut sequitur inferius.

[3] E breviario mozarabico, et quibusdam mss. In cod. Christinæ reginæ Sueciæ cum Ambrosii nomen gerat, B. cardinal. Thomasius ambrosianis accensuit.

[4] Hunc quoque Thomasius eruit e pervetusto cod. reginæ Sueciæ; sed commemoratur etiam in Regula Aureliani episcopi. In Ellingeri libro III, 21 notatur ut *Hymnus ad Sextam in Quadragesima*. Modo tamen non occurrit in liturgiis.

[5] Iterum e vetustissimo mss. Christinæ Sueciæ aliisque.

Hæc hora, quæ resplenduit
Crucisque solvit nubila,
Mundum tenebris exuens,
Reddens serena lumina.

Hæc hora, qua resuscitat
Jesus sepulcris corpora
Prodire mortis libera,
Jussit refuso spiritu.

Redit favilla in sanguinem
Cinisque carnem reddidit,
Mixtique vivis mortui
Videre Christi gloriam.

Novata sæcla crederes
Mortis solutis legibus,
Vitæ beatæ munere
Cursu perenni currere.

Dicamus ergo proximi
Laudes Deo cum cantico:
Confessus est latro fidem,
In quo est redemptus tempore.

Qua gratia jejunia
Læti solemus solvere
Instar futuri ut muneris
Famem probati nesciant.

XII.

Hymnus ad Nocturnum.[1]

Deus qui certis legibus
Noctem discernis ac diem,
Ut fessa curis corpora
Somnus relaxet otio.

Te noctis inter horridæ
Tempus precamur, ut, sopor
Mentem dum fessam detinet,
Fidei lux illuminet.

Hostis ne fallax incitet
Lascivis curis, gaudiis,
Secreta noctis advocans
Blandos in æstus corporis.

Subrepat nullus sensui
Horror timoris anxii,
Illudat mentem nec vagam
Fallax imago visuum.

Sed cum profundus vinxerit
Somnus curarum nescius,
Fides nequaquam dormiat,
Vigil te sensus somniet.

XIII.

Hymnus ad Nocturnum.[2]

Mediæ noctis tempus est,
Prophetica vox admonet:
Dicamus laudes Domino
Patri semper ac Filio.

Sancto quoque Spiritui:
Perfecta enim Trinitas,
Uniusque substantiæ
Laudanda nobis semper est.

Terrorem tempus hoc habet,
Quod cum vastator angelus
Ægypto mortes intulit,
Delevit primogenita.

Hæc hora justis salus est,
Quod ibidem tunc angelus
Ausus punire non erat
Signum formidans sanguinis.

Ægyptus flebat fortiter
Natorum dira funera,
Solus gaudebat Israel
Agni protectus sanguine.

Nos verus Israel sumus,
Lætemur in te, Domine,
Hostem spernentes et malum,
Christi redempti sanguine.

Ipsum profecto tempus est
Quo voce evangelica
Venturus sponsus creditur,
Regni cœlestis conditor.

Occurrunt sanctæ virgines
Obviam tunc adventui,
Gestantes claras lampadas,
Magno lætantes gaudio.

Stultæ vero remanent,
Quæ exstinctas habent lampadas,
Frustra pulsantes januam,
Clausa jam regni regia.

Pervigilemus sobrie,
Gestantes mentes splendidas,
Adveniente ut Jesu
Digni occurramus obviam.

Mediæ noctis tempore
Paulus quoque et Sileas
Christum vincti in carcere
Collaudantes soluti sunt.

Nobis hic mundus carcer est;
Te laudamus, Christe Deus,
Solve vincula peccatorum
In te, Christe, credentium.

Dignos nos fac, rex hagie,
Venturi regni gloria,
Æternis ut mereamur
Te laudibus concinere.

XIV.

Hymnus matutinus.[3]

Fulgentis auctor ætheris,
Qui lunam lumen noctibus,
Solem dierum cursibus
Certo fundasti tramite,

Nox atra jam depellitur,
Mundi nitor renascitur,
Novusque jam mentis vigor
Dulces in actus erigit.

Laudes sonare jam tuas
Dies relatus admonet,
Vultusque cœli blandior
Nostra serenat pectora.

Vitemus omne lubricum,
Declinet prava spiritus,
Vitam facta non inquinent,
Lingua in culpa non implicet.

Sed sol diem dum conficit,
Fides profunda ferveat,
Spes ad promissa provocet,
Christo conjungat charitas.

XV.

Hymnus ad Laudes.[4]

Post matutinas laudes,
Quas Trinitati psallimus,
Psallamus rursus admonet
Verus pater familias.

Simus semper solliciti
Ne prætereat opus Dei,
Sed oremus sedule
Sicut docet Apostolus.

Psallamus mente Domino,
Psallamus simul spiritu,
Ne vaga mens in turpibus
Inertes tegat animos.

Sed septies in hac die
Dicamus laudes Domino,
Divinitati perpetim
Debitam demus gloriam.

XVI.

Hymnus ad Tertiam.[5]

Certum tenentes ordinem,
Pio poscamus pectore
Hora diei tertia
Trinæ virtutis gloriam.

Ut simus habitaculum
Illi sancto Spiritui,
Qui quondam in apostolis
Hac hora distributus est.

Hoc gradientes ordine
Ornavit cunta (*sic*) splendide
Regni cœlestis conditor,
Æternæ vitæ præmiis.

XVII.

Hymnus ad Sextam.[6]

Dicamus laudes Domino
Ferventi rursus spiritu:
Hora voluta sexies
Nos ad orandum provocat.

Quia in hac fidelibus
Veræ salutis gratia,
Beati agni hostia,
Crucis virtute redditur.

Cujus luce clarissima
Tenebrescit meridies,
Sumamus toto pectore
Tanti splendoris gratiam.

XVIII.

Hymnus ad Nonam.

Perfectum trinum numerum
Ternis horarum terminis,
Laudes canentes debitas,
Nonam dicentes psallimus.

[1] Iterum e cod. reginæ Sueciæ aliisque et breviario mozarabico. Aurelianus episc. in sua Regula ponit eum ad Lucernarium.

[2] Pariter e cod. Christinæ et alio.

[3] Iterum ms. reginæ Sueciæ et breviarum mozarabicum fer. post Dominicam I Epiphaniæ. Episcopus Aurelianus in Regulam eum ponit ad Primam.

[4] B. Thomasius hunc quoque eduxit e celebrato cod. Christinæ alioque.

[5] E ms. reginæ Sueciæ. *Hymnus ad Tertiam quotidianus* inscribitur in breviario mozarabico.

[6] Hic pariter et sequens leguntur in pervetusto ms. reginæ Christinæ e Suecia, et in alio quoque. Card. Thomasius utrumque edidit.

Sacrum Dei mysterium
Puro tenentes pectore,
Petri magistri regulam
Signo salutis proditam.

Et nos psallamus spiritu
Adhærentes apostolis,
1 Qui plantas adhuc debiles[1]
Christi virtute dirigant.

XIX.

2 *Hymnus ad Christum.*[2]

Christe, rex cœli Domine,
3 Mundi Salvator maxime,
Qui nos hoc crucis munere
Mortis solvisti crimine,

4 Te nunc orantes poscimus:
5 Tua conserves munera;
Quæ per legem catholicam
Cunctis donasti gentibus.

Tu verbum Patris æterni
Ore divino editus,
Deus ex Deo subsistens
Unigenitus Filius.

Te universa creatura
6 Mundi fatetur Dominum,
Jussu Patris inchoata
Tuis perfecta viribus.

Tibi omnes et angeli
Cœlestem præstant gloriam,
Te chorus archangelorum
7 Divinis laudant vocibus.

Te seniorum multitudo,
Bis duodenus numerus,
Odoramentis plenas gestans
Supplex adorat pateras.

Tibi Cherubim et Seraphim
Throni paterni luminis,
8 Senis alarum plausibus,
Clamore jugi personant.

Sanctus, Sanctus, Sanctus,
Dominus Deus Sabaoth,
Omne cœlum atque terra
Tua sunt plena gloria.

Hosianna fili David,
9 Benedictus es a Patre
Qui in nomine Dei
Venisti de excelsis, Domine.

Tu agnus immaculatus
Es datus terræ victima
Qui sanctorum vestimenta
Tuo lavisti sanguine.

Te multitudo beatorum
Cœli locata martyrum,
Palmis insignis et coronis,
Ducem sectantur gloriæ.

Quorum nos addas numero
Te precamur, Domine,
Una voce te sonamus,
Uno laudamus carmine.

XX.

Hymnus ad Completorium.[3]

Te lucis ante terminum
Rerum creator, poscimus,
Ut solita[4] clementia
Sis præsul ad custodiam.[5]

Procul recedant somnia
Et noctium phantasmata,
Hostemque nostrum comprime
Ne polluantur corpora.

Præsta, Pater piissime, etc.

XXI.

Hymnus ad Matutinum.[6]

Rerum creator optime,
Rectorque noster, aspice,
Nos a quiete noxia
Mersos sopore libera.

Te, sancte Christe, poscimus,
Ignosce culpis omnibus;[7]
Ad confitendum surgimus
Morasque noctis rumpimus.

Mentes manusque tollimus,
Propheta sicut noctibus
Nobis gerendum præcipit
Paulusque gestis censuit.

Vides malum quod fecimus,[8]
Occulta nostra pandimus,
Preces gementes fundimus,
Dimitte quod peccavimus.

Præsta, Pater piissime, etc.

XXII.

Hymnus ad Matutinum.[9]

Nox atra rerum contegit
Terræ colores omnium;
Nos confitentes poscimus
Te, juste judex cordium,
Ut auferas piacula
Sordesque mentis abluas,
Donesque Christi gratiam
Ut arceantur crimina.

Mens ecce torpet impia
Quam culpa mordet noxia;
Obscura gestit tollere,
Et te, Redemptor, quærere.

Repelle tu caliginem
Intrinsecus quam maxime,
Ut in beato gaudeat
Se collocari lumine.

XXIII.

Hymnus ad Laudes.[10] 10

Æterna cœli gloria,
Beata spes mortalium,
Celsi[11] tonantis unice 11
Castæque proles Virginis,

Da dexteram surgentibus,
Exsurgat ut mens sobria
Flagransque[12] in laudem Dei 12
Grates rependat debitas.

Ortus refulget Lucifer
Sparsamque lucem nuntiat,[13] 13
Cadit caligo[14] noctium: 14
Lux sancta nos illuminet,

Manensque nostris sensibus
Noctem repellat sæculi,
Omnique fine diei[15] 15
Purgata servet pectora.

Quæsita jam primum fides
Radicet altis sensibus,[16] 16
Secunda spes congaudeat
Quo major exstat charitas.

Deo Patri sit gloria, etc.

XXIV.

Hymnus ad Laudes.[17] 17

Aurora jam spargit polum,
Terris dies illabitur,
Lucis resultat spiculum,
Discedat omne lubricum.

Phantasma noctis decidat,[18] 18
Mentis reatus subruat;[19] 19
Quicquid tenebris horridum
Nox attulit culpæ, cadat.

[1] Alluditur ad miraculum quod operati sunt Petrus et Joannes, Act. Apostol. III.

[2] A b. quoque card. Thomasio editus ex antiquissimo cod. reginæ Sauciæ. Extat et in alio hymnorum exemplari VIII sæculi. Ob neglectas tamen omnino carminis leges nemo ejus Ambrosium auctorem suspicari potest.

[3] Communius admittebatur hic hymnus ut Ambrosii; sed recentiores critici eum sancto Doctori merito abjudicare videntur, cum primum a s. Benedicto postrema diurni officii pars, unde dicta *Completorium*, inducta asseratur. Lectio textus est propria breviario ambrosiano.

[4] Alia lectio ex brev. rom.: *ut pro tua.*

[5] Rursus alia lectio ex eodem: *et custodia.*

[6] E breviario romano ad Matutinum feriæ IV. Quidam Magno Gregorio eum attribuunt. Soli Michael Timotheus et b. card. Tommasi eum asserunt Ambrosio.

[7] Antiquior lectio: *Ignosce tu criminibus.*

[8] Alia antiqua lectio, *quod gessimus.*

[9] Est in romano breviario pro feria V. Iterum Timotheus et Thomasius ejus Ambrosium auctorem faciunt; quidam veteres de hujus nomine silent; Mone (*Hymni latini medii ævi*) et Pimont (*Hymnes dominicales et feriales du Psautier*), ut præcedentem, hunc quoque asserunt probabiliter a Magno Gregorio dictatum.

[10] In romana liturgia canitur iste hymnus ad Laudes feriæ VI. Proponimus eum juxta veterem lectionem, in notis subjicientes correctiones factus in romano breviario. Nonnulli hymnorum collectores eum Ambrosio attribuerunt, quos inter etiam Clément (*Carmina e poetis christianis excerpta*); sed melius alii et antiquiores et recentiores sancto Doctori abjudicarunt. Præter alia, et nullus usus ambrosianæ Ecclesiæ, et metrica menda hanc alteram sententiam tuentur.

[11] Alia lectio ex breviario: *summi.*

[12] Ratione metri inducta est emendatio: *Flagrans et.*

[13] Alia correctio: *Præitque solem nuntius.*

[14] Aliter: *Cadunt tenebræ.*

[15] Alia lectio, ut supra, *fine temporis.*

[16] Emendatio: *In corde radices agat.*

[17] Pro sabbato hunc habet romana liturgia. Licet quidam eum pariter Ambrosio accensuerint, nunc nemo in hoc consentit. Pimontius ipsum Magno Gregorio attribuendum opinatus est. Correctiones sunt rursus pro breviario ab Urbano VIII probatæ.

[18] Correctio, *exsulet.*

[19] Item, *corruat.*

Ut mane illud[1] ultimum,
Quod præstolamur[2] cernui,
In lucem[3] nobis effluat
Dum hoc[4] canore concrepat.

Deo Patri sit gloria, etc.

XXV.

Hymnus ad Primam.[5]

Jam lucis orto sidere
Deum precemur supplices,
Ut in diurnis actibus
Nos servet a nocentibus.

Linguam refrenans temperet
Ne litis horror insonet,
Visum fovendo contegat
Ne vanitates hauriat.

Sint pura cordis intima,
Absistat et vecordia,
Carnis terat superbiam
Potus cibique parcitas.

Ut cum dies abscesserit
Noctemque sors reduxerit,
Mundi per abstinentiam
Ipsi canamus gloriam.

Deo Patri sit gloria, etc.

XXVI.

Hymnus de diei primæ opere.[6]

Lucis creator optime,
Lucem dierum proferens,
Primordiis lucis novæ
Mundi parans originem.

Qui mane junctum vesperi
Diem vocari præcipis,
Tetrum chaos illabitur:[7]
Audi preces cum fletibus.

Ne mens gravata crimine
Vitæ sit exsul munere,
Dum nil perenne cogitat
Seseque culpis illigat.

Cœlorum pulset intimum,[8]
Vitale tollat præmium,
Vitemus omne noxium,
Purgemus omne pessimum.

Præsta, Pater piissime, etc.

XXVII.

Hymnus de opere diei secundæ.[9]

Immense cœli conditor,
Qui mixta ne confunderent,
Aquæ fluenta dividens
Cœlum dedisti limitem,

Firmans locum cœlestibus,
Simulque terræ rivulis,
Ut unda flammas temperet,
Terræ solum ne dissipent,

Infunde nunc, piissime,
Donum perennis gratiæ,
Fraudis novæ ne casibus
Nos error atterat vetus.

Lucem fides inveniat,[10]
Sic luminis jubar ferat,
Hæc vana cuncta terreat,[11]
Hanc falsa nulla comprimant.

Præsta, Pater piissime, etc.

XXVIII.

Hymnus de opere diei tertiæ.[12]

Telluris ingens conditor,[13]
Mundi solum qui eruens,[14]
Pulsis aquæ molestiis
Terram dedisti immobilem:

Ut germen aptum proferens,
Fulvis decora floribus,
Fecunda fructu sisteret,
Pastumque gratum redderet.

Mentis perustæ vulnera
Munda viroris gratia,[15]
Ut facta fletu diluat
Motusque pravos atterat.

Jussis tuis obtemperet;
Nullis malis approximet;
Bonis repleri gaudeat
Et mortis ictum nesciat.

Præsta, Pater piissime, etc.

XXIX.

Hymnus de opere diei quartæ.[16]

Cœli Deus sanctissime,
Qui lucidum centrum poli[17]
Candore pingis igneo,
Augens decoro lumine,

Quarto die qui flammeam
Solis rotam constituens,[18]
Lunæ ministrans[19] ordinem,
Vagos recursus[20] siderum,

Ut noctibus vel lumini,
Diremptionis terminum,
Primordiis et mensium
Signum dares notissimum,

Illumina cor hominum;[21]
Absterge sordes mentium;
Resolve culpæ vinculum;
Everte moles criminum.

Præsta, Pater piissime, etc.

XXX.

Hymnus de opere diei quintæ.[22]

Magnæ Deus potentiæ,
Qui ex aquis ortum genus[23]
Partim remittis[24] gurgiti,
Partim levas in aera,

Demersa lymphis imprimens,
Subvecta cœlis irrogans[25]
Ut stirpe ab una prodita
Diversa rapiant, loca.[26]

Largire cunctis servulis,
Quos mundat unda sanguinis,
Nescire lapsus criminum
Nec ferre mortis tædium.

Ut culpa nullum deprimat,
Nullum levet[27] jactantia,
Elisa mens ne concidat,
Elata mens ne corruat.

Præsta, Pater piissime, etc.

XXXI.

Hymnus de opere diei sextæ.[28]

Plasmator hominis Deus,[29]
Qui cuncta solus ordinans,
Humum jubes producere
Reptantis et feræ genus,

Qui[30] magna rerum corpora,
Dictu jubentis vivida,

[1] Rursus, *quod nos.*

[2] Emendatio: *Hic deprecamur.*

[3] Pariter: *Cum luce.*

[4] Rursum: *Hoc dum.*

[5] Absque ullo discrimine habetur et in ambrosiano et in romano breviario, et a s. Benedicto jam in sua Regula memoratur. Nondum tamen Ambrosii ætate *hora prima* recitabatur, et ideo non videtur asseri posse Ambrosium hunc hymnum pro ea composuisse. Opinantur vero quidam ipsum pro peculiari sua pietate hunc conscribere potuisse; sed potuit etiam aliquis alius ad imitationem ambrosiani metri eum dictasse quando *horæ primæ* recitatio invalescere cœpit.

[6] In romana editione Operum S. Doctoris iste aliique quinque sequentes hymni inscribuntur *Hexaemeron, sive de opere creationis,* et simul ac plures alii hymni quos severior crisis Ambrosio adimit, ei ut certi asseruntur. Iste prior Magno Gregorio a Maurinis adscribitur; quidam alii etiam reliquos quinque ei adjudicant. Ac revera, cum ratione argumenti intime inter se connectantur, pronum inferre est eumdem auctorem omnes habuisse. Liturgia ambrosiana nullum novit horum; in romana prior canitur die dominica ad vesperas.

[7] Correctio romani breviarii: *Illabitur tetrum chaos.*

[8] Rursus eadem: *Cœleste pulset ostium.*

[9] In liturgia romana recitatur in vesperis feriæ II. Ceterum videas notam (1) ad numerum præcedentem.

[10] Emendatio in romano breviario, *fides adaugeat.*

[11] Item, *cuncta proterat.*

[12] In breviario romano ad Vesperas feriæ III. Recole dicta in priori nota ad n. XXVI.

[13] In breviario romano ex emendationibus Urbani VIII, *alme conditor.*

[14] Item, *qui separans.*

[15] Ex eadem correctione, *virore gratiæ.*

[16] Liturgia romani hunc habet in Vesperis feriæ IV. Cf. dicta ad n. XXVI in nota (1).

[17] Correctio in romano breviario, ut retro: *Qui lucidas poli plagas.*

[18] Eadem correctione: *Dum solis accendis rotam.*

[19] Item, *ministras.*

[20] Emendatio ut supra: *Vagosque cursus.*

[21] Correctio: *Expelle noctem cordium.*

[22] In romana liturgia ad Vesperas feriæ V. Vide dicta in prima nota ad n. XXVI.

[23] Breviarum rom. juxta emendationes Urbani VIII: *Qui fertili natos aqua.*

[24] Correctio, *relinquis.*

[25] Item, *erigens.*

[26] Rursus emendatio, *repleant.*

[27] Item e correctione, *efferat.*

[28] Ad Vesperas feriæ VI juxta romanam liturgiam. Videas iterum priorem notam ad n. XXVI.

[29] Lectio emendata in rom. breviario: *Hominis superne conditor.*

[30] In eodem *et* pro *qui.*

Ut serviant per ordinem
Subdens dedisti homini,[1]

Repelle a servis tuis
Quicquid per immunditiam[2]
Aut moribus se suggerit
Aut actibus se interserit.

Da gaudiorum præmia,
Da gratiarum munera;
Dissolve litis vincula,
Adstringe pacis fœdera.

Præsta, Pater piissime, etc.

XXXII.

Hymnus de Ascensione Domini.[3]

Optatus votis omnium
Sacratus illuxit dies
Quo Christus, mundi spes, Deus,
Conscendit cœlos arduos.

Ascendens in altum Dominus,
Propriam ad sedem remeans,
Gavisa sunt cœli regna
Reditu unigeniti.

Magni triumphum prælii:
Mundi perempto principe,
Patris præsentat vultibus
Victricis carnis gloriam.

Est elevatus nubibus
Et spem fecit credentibus,
Aperiens paradisum,
Quem protoplastus clauserat.

O grande cunctis gaudium!
Quod partus nostræ virginis,
Post sputa, flagra, post crucem,
Paternæ sedi jungitur.

Agamus ergo gratias
Nostræ salutis vindici,
Nostrum quod corpus vexerit
Sublimem ad cœli regiam.

Sit nobis cum cœlestibus
Commune manens gaudium,
Illis quod se præsentavit,
Nobis quod se non abstulit.

Nunc provocatis actibus
Christum exspectare nos decet;
Vitaque tali vivere,
Quæ possit cœlos scandere.

[Gloria tibi, Domine,
Qui scandis super sidera
Cum Patre et sancto Spiritu
In sempiterna sæcula. Amen.]

XXXIII.

Hymnus de Ascensione Domini

Ad vesperas et laudes in romana liturgia.[4]

Jesu, nostra redemptio,
Amor et desiderium,
Deus creator omnium,
Homo in fine temporum,

Quæ te vicit clementia
Ut ferres nostra crimina,
Crudelem mortem patiens
Ut nos a morte tolleres?

Inferni claustra penetrans,
Tuos captivos redimens,
Victor triumpho nobili
Ad dexteram Patris residens.

Ipsa te cogat pietas,
Ut mala nostra superes
Parcendo, et voti compotes
Nos tuo vultu saties.

Tu esto nostrum gaudium,
Qui es futurus præmium:
Sit nostra in te gloria
Per cuncta semper sæcula.

Ejusdem hymni lectio

innovata pro Romano Breviario.

Salutis humanæ sator,
Jesu, voluptas cordium,
Orbis redempti conditor
Et casta lux amantium,

Qua victus es clementia,
Ut nostras ferres crimina,
Mortem subires innocens
A morte nos ut tolleres?

Perrumpis infernum chaos,
Vinctis catenas detrahis:
Victor triumpho nobili
Ad dexteram Patris sedes.

Te cogat indulgentia
Ut damna nostra sarcias,
Tuique vultu compotes
Dites beato lumine.

Tu dux ad astra et semita,
Sis meta nostris cordibus,
Sis lacrymarum gaudium,
Sis dulce vitæ præmium.

XXXIV.

Hymnus de die Pentecostes.[5]

Jam Christus astra ascenderat,
Regressus[6] unde venerat,
Promissum Patris munere[7]
Sanctum daturus Spiritum.

Solemnis urgebat dies,
Quo mystico septemplici
Orbis volutus septies
Signat beata tempora.

Dum hora cunctis tertia[8]
Repente mundus intonat,
Orantibus apostolis[9]
Deum venisse[10] nuntiat.

De Patris ergo lumine
Decorus ignis advenit,[11]
Qui fida Christi pectora
Calore verbi compleat.

Impleta gaudent viscera,
Afflata sancto Spiritu,
Voces diversas intonant,[12]
Fantur Dei magnalia.

Ex omni gente cogniti,[13]
Græcis, Latinis, Barbaris,
Cunctisque admirantibus[14]
Linguis loquuntur omnium.

Judæa tunc incredula,
Vesana torvo[15] spiritu,
Ructare musti crapulam
Alumnos Christi concrepat.[16]

Sed signis et virtutibus[17]
Occurrit et docet Petrus,
Falsa profari perfidos
Joelis testimonio.[18]

[1] Duo postremi versiculi:
Per temporum certas vices
Obtemperare servulis.

[2] Pariter sic immutati duo præcedentes versiculi:
Repelle quod cupidinis
Ciente vi nos impetit.

[3] Legitur in breviario ambrosiano, pluribus immutatis; in romano deest. Habetur et in vetusto Carthusianorum breviario. Magna sphalmata in metro, irregularitas in syntaxi nullatenus sinunt hunc recipi ut Ambrosii.

[4] Ita legebatur in breviario romano ante correctiones institutas auctoritate Pontificis Urbani VIII. Cum vero per has fere totaliter iste hymnus fuerit immutatus, addimus, cujusdam complementi gratia, etiam integram ejus recentiorem lectionem. Ceterum nec vetustiorem lectionem Ambrosii esse, acrioris ingenii critici conveniunt.

[5] Liturgia romana hunc habet ad Matutinum. Ambrosio non esse asserendum, prorsus eliquatum est tam frequentioribus erratis in metro, quam nimia humilitate conceptuum ac etiam rudioribus loquendi formulis. Occurrit in codd. etiam IX sæculi, et ideo absque dubio majoris est antiquitatis, ac etiam in codice quem mediolanensis archiepiscopus Ubertus a Terzago transcribere fecit anno 1188, et metropolitano capitulo dono dedit. Notabimus iterum correctiones illatas breviario romano, quarum non absimiles et ambrosiano invectæ sunt.

[6] Correctio, *reversus.*

[7] In mediol. exemplari anni 1188, *promisso*, sed evidenti amanuensis illius vel antiquioris errore. Correctio in breviariis: *Patris fruendum munere.*

[8] Emendatio: *Cum lucis hora tertia.*

[9] Item: *Apostolis orantibus.*

[10] Æque, *venire.*

[11] Ita nunc in breviario ambrosiano, et in quibusdam mss. Sed in cod. mediol. anni 1188, et in breviario rom. etiam emendato pro *advenit* legitur *almus est.*

[12] Correctio: *Vocesque diversas sonant.*

[13] Correctio romana: *Notique cunctis gentibus.* Codex mediol. præcitatus: *Ex omni gente cogitur*, et versiculo seq., *Græcus, latinus, barbarus,* ut adhuc in ambrosiano breviario.

[14] Emendatio rom. et ambros.: *Simulque demirantibus.*

[15] Cod. med. a. 1188: *Vesano turba*, sed patentes librariorum errores.

[16] Emendatio communis utriusque versus:
Madere musto sobrios
Christi fideles increpat.

[17] Iterum: *Sed editis miraculis.*

[18] Communis pariter correctio:
Falsum proferi perfidos
Joele teste comprobans.

[Sic, Christe, nunc Paraclitus
Per te pius nos visitet,
Novansque terræ faciem
Culpis solutos recreet.][1]

XXXV.

Hymnus Matutinus.[2]

Deus, qui cœli lumen es
Satorque lucis, qui polum,
Paterno fultum brachio,
Præclara pandis dextera,

Aurora stellas jam tegit
Rubrum sustollens gurgitem;
Humectis namque flatibus
Terram baptizans roribus.

Currus jam poscit phosphorus
Radiis rotisque flammeis,
Quod cœli scandens verticem
Profectus moram nesciens.

Jam noctis umbra linquitur;
Polum caligo deserit,
Typusque Christi Lucifer
Diem sopitum suscitans.

Dies dierum agius es
Lucisque lumen ipse es,
Unum potens per omnia,
Potens in unum Trinitas.

Te nunc, Salvator, quæsumus
Tibique genu flectimus,
Patrem cum sancto Spiritu
Totis rogamus vocibus.

Pater, qui cœlos contines,
Cantemus nunc nomen tuum;
Adveniat regnum tuum
Fiatque voluntas tua.

Hæc, inquam, voluntas tua
Nobis agenda traditur:
Simus fideles spiritu,
Casto manente corpore.

Panem nostrum quotidie
De te edendum tribue;
Remitte nobis debita
Ut nos nostris remittimus.

Tentatione subdola
Induci nos ne siveris,
Sed puro corde supplices
Tu nos a malo libera.

XXXVI.

Hymnus Matutinus.[3]

Tempus noctis surgentibus,
Laudes Deo dicentibus
Christo Jesuque Domino
In Trinitatis gloria,

Choros sanctorum psallimus,
Cervices nostras flectimus,
Genua prosternimus,
Peccata confitentibus.

Oremus Deo jugiter,
Vincamus in bono malum,
Cum fructu pœnitentiæ
Votum perenne reddere.

Christum rogemus et Patrem,
Sanctum Patrisque Spiritum
Ut det nobis auxilium,
Vincamus hostem invidum.

XXXVII.

Hymnus Matutinus.[4]

Diei luce reddita,
Primis post somnum vocibus
Dei canamus gloriam,
Christi favente gratia.

Per quem Creator omnium
Diem noctemque condidit,
Æterna lege sanciens,
Ut semper succedant sibi.

Tu vera lux fidelium
Quem lex veterna non tenet,
Noctem nec ortu succedens
Æterno fulgens lumine.

Christe, precamur, annue
Orantibus servis tuis,
Iniquitas hæc sæculi
Ne nostram captivet fidem.

Non cogitemus impie,
Invideamus nemini,
Læsi ne reddamus vicem,
Vincamus in bono malum.

Absit nostris ex cordibus
Ira, dolus, superbia,
Absistat avaritia,
Malorum radix omnium.

Vinum mentem non occupet
Ebrietate perpeti,
Sed nostro sensui competens
Tuum bibamus poculum.

Conservet pacis fœdera
Non simulata charitas,
Sed illibata castitas
Credulitate perpeti.

Addendis non sit prædiis
Malesuada semper fames,
Si affluant divitiæ,
Prophetæ nos psalmus regat.

Præsta, Pater ingenite,
Totum ducamus jugiter
Christo placentes hunc diem
Sancto repleti Spiritu.

XXXVIII.

Hymnus Matutinus.[5]

Deus æterni luminis
Candor inenarrabilis,
Venturus diei judex
Qui mentis occulta vides;

Tu regnum cœlorum tenes,
Et totus in Verbo tu es,
Per Filium cuncta regis,
Sancto Spiritui fons es.

Trinum nomen alta vides
Unum per omnia potens,
Mirumque per signum crucis
Tu rector immensæ lucis.

Tu mundi constitutor es;
Tu in septimo throno sedes.
Judex ex alto humilis
Venisti pati pro nobis.

Tu Sabaoth omnipotens,
Osanna summi culminis,
Tibi laus est mirabilis,
Tu es prima anastasis.[6]

Tu fidei adjutor es
Et humiles tu respicis;
Tibi alta sedes thronus,
Tibi divinus est honor.

Christo æternoque Domino
Patri cum sancto Spiritu
Vitæ solvamus munera
A sæculis in sæcula.

XXXIX.

Hymnus Matutinus.[7]

Jam lucis splendor rutilat
Noctis fugatis tenebris:
Reddamus laudes Domino,
Qui manet ante sæcula.

Pellamus omne noxium,
Poscamus omne prosperum,
Defendat suos famulos
Virtus æterna jugiter,

Ut ore ei consono
Et corde devotissimo
Possimus omni tempore
Laudes referre debitas.

XL.

Hymnus ad Primam.[8]

Christe, cœlorum conditor,
Deus dominatur omnium,
Placabilis nos aspice
Precantes tuos famulos.

Hora prima psallimus,
Laudes Deo referimus,
Qui cæcam noctem vicimus
Christum regem requirimus.

[1] Hæc strophe non occurrit in breviariis, sed Trinitatis doxologia clauditur hymnus, uti de more.

[2] Item primo hymnum e cod. quodam Oxoniensi Grimm vulgasse videtur. Daniel animadvertit duos potius simul junctos quam unum tantum hymnum habendos esse, cum sexta strophe doxologiam exhibeat communi more hymnos claudentem; ac modulatio deinde sequatur dominicæ orationis, quæ per se consistere apparet. Sed attentius consideranti constat unum tantum esse carmen, in cujus priori parte generice Dei extollitur magnificentia, deinde vero aptissime pro diei initio dominicalis orationis postulationes ad Deum diriguntur.

[3] Non est inventus nisi in memorato cod. Oxoniensi Prima fronte quisque videt nullatenus Ambrosio attribui posse.

[4] In eodem cod. Oxon. et in Hymnario b. card. Thomasii pro diei sabbati. Humilitas dictionis et menda in metro neque hujus sinunt Ambrosium auctorem supponere.

[5] Ita in Thomasii Hymnario et cod. Oxon. In aliis habetur: *Hymnus quinta feria dicendus.*

[6] Cf. Apoc. xx, 5, 6.

[7] Iterum card. Thomasius e codd. depromsit.

[8] Inscribitur etiam *ad Tertiam.* Hunc quoque b. card. Tommasi publici juris fecit.

Deo Patri sit gloria,
Ejusque soli Filio,
Cum Spiritu Paraclito
Et nunc et in perpetuum.

[Gloria tibi, Pater,
Gloria Unigenito.
Una cum sancto Spiritu
In sempiterna sæcula. Amen.][1]

XLI.

Hymnus ad Tertiam.[2]

Jam surgit hora tertia
Et nos intenti currimus,
Psallendi opus implemus,
Christum laudemus Dominum.

Hora quoque jam tertia
Christus cruce suspensus est,
Voluntatem Patris implevit,
Mundi peccatum abstulit.

Conscendit sedem propriam,
Sedet ad Patris dexteram,
Collaudant throni Dominum
Quem perfidi negaverant.

Nos Christum Deum colimus,
Judicemque speramus,
Quem prophetæ cecinerunt,
Apostoli secuti sunt.

Egressus hora tertia
Sanctus pater familias
Per singulos denarios
Conduxit operarios.

In tua, Christe, vinea
Quam præmio jam cernimus,
Sequimur opus mysticum
Propter promissum optimum.

Ecce processit hora
In qua sanctus Spiritus
Apostolorum vascula
De verbo fecit ebria.

Infunde sensus, Domine,
Ut te canamus laudibus;
Christe, Redemptor omnium,
Sanctifica nostrum chorum.

XLII.

Hymnus ad Tertiam, de Passione Domini.[3]

Dei fide, qua vivimus,
Spe perenni, qua credimus,
Per charitatis gratiam
Christo canamus gloriam.

Qui ductus hora tertia.
Ad passionis hostiam
Crucis ferens suspendia
Ovem reduxit perditam.

Precemur ergo subditi,
Redemptione liberi,
Ut eruat a sæculo
Quos solvit a chirographo.

Gloria tibi, Trinitas,
Æqualis una Deitas,
Et ante omne sæculum
Et nunc et in perpetuum.

XLIII.

Hymnus ad Sextam.[4]

Jam cursus horæ sextæ
Rotat diei tempora:
Nos admonet per omnia
Laudes referre debitas.

Nunc Petrus orans genibus
Fidem futuram prospicit;
Nunc viva Christus semina
Instat fluenta tradere.

Hoc solis ævo mystice
Tres patriarcha hospitat,
Carnis figuræ nuntios
Sub Trinitatis numine.

Perfecta summi calculi,
Et prima constat partibus,
Quæ data sese perficit,
Tenetque mundi fabricam.

Hæc nempe, Christe, condita
Manent tua potentia,
Cujus potestas gloriæ
Per cuncta regnat sæcula. Amen.

XLIV.

Hymnus ad cœnam.[5]

Meridie orandum est,
Christus deprecandus est,
Ut jubeat nos edere
De suo sancto corpore.

Ut ille sit laudabilis
In universo populo.
Ipse cœlorum Dominus
Qui sedet in altissimis,

Det nobis auxilium
Per angelos mirabiles,
Qui semper nos custodiant
In omni vita sæculi.

XLV.

Hymnus post cibos resumptos.[6]

Cibis resumptis congruis,
Cœnæ peractis usibus,
Ad te, Redemptor inclyte,
Laudes venimus promere.

Occurre nobis ocius,
Tollens cibi gravedinem,
Corpus parandum ad precem,
Confessionis dans fidem.

Ut quidquid ore promimus
Tuis sacris in laudibus,
Nobis coronam conferens,
Soli Deo dans gloriam.

Præsta, Pater piissime, etc.

XLVI.

Hymnus ad Nonam.[7]

Convexa solis orbita,
Novem voluta circulis,
Horæ peracto tramite
Ter conficit ternario.

Hoc passionis tempore
Complevit auctor omnium;
Nunc ad laborem vineæ
Misit vocatos servulos.

Hac Petrus hora mystice
Claudi resolvit vincula;
Nunc visionem cogitat,
Terno recursu terminat.

Hymni canamus gloriam
Cum voce, puris mentibus,
Deo creanti prospera
Per acta justis sæcula.

XLVII.

Hymnus ad Nonam.[8]

Ternis ter horis numerus
Sacræ fidei panditur,
Nunc Trinitatis nomine
Munus precamur veniæ.

Latronis en confessio
Christi meretur gratiam;
Laus nostra vel devotio
Meretur indulgentiam.

Mors per crucem nunc interit,
Et post tenebras lux redit:
Horror dehiscat criminum,
Splendor nitescat mentium.

Gloria tibi, Trinitas,
Æqualis una Deitas,
Et ante omne sæculum,
Et nunc et in perpetuum.

XLVIII.

Hymnus ad Vesperas.[9]

Deus, qui claro lumine
Diem fecisti, Domine,
Tuam rogamus gloriam,
Dum pronus solvitur dies.

Jam sol, urgente vespere,
Occasum suum graditur,
Mundum concludens tenebris,
Suum observans limitem.

Sed tunc,[10] excelse Domine,
Precantes tuos famulos,
Labore fessos diei
Quietos nox suscipiat.

Ut non fuscatis mentibus
Dies abscedat sæculi,
Sed tua tecti gratia
Cernamus lucem prosperam.

[1] Hæc conclusio in aliis exemplaribus.

[2] Thomasius hunc eruit e breviario mozarabico. Quam mendosus sit, omnibus patet.

[3] Habetur in opere: *Hymni ecclesiastici præsertim qui Ambrosiani dicuntur* etc. *Georgii Cassandri.... Coloniæ anno 1556;* insuper apud Thomas. et in cod. Oxon.

[4] Ex collectione Thomasii.

[5] In uno cod. Oxon. repertus fuit.

[6] Card. Thomas. hunc æque decerpsit e brev. mozarab., ubi inscribitur *ante Completorium in Quadragesima.*

[7] Rursus e Thomasio.

[8] Ut supra.

[9] E cod. Oxon. recens editus.

[10] Vitiose codex, *sed tu.* Grimm suggessit: *Sed fac.* Daniel melius opinatus est pro *tu* legendum *tunc*, eo quod in scriptis exemplaribus facile occurreret hujus vocis in illam immutatio.

XLIX.

1 *Hymnus in Adventu Domini.*[1]

(Ex Libr. vet.).

Conditor alme siderum,
Æterna lux credentium,
Christe, redemptor omnium,
Exaudi preces supplicum.

Qui condolens interitu
Mortis perire sæculum,
Salvasti mundum languidum
Donans reis remedium;

Vergente mundi vespere,
Uti sponsus de thalamo,
Egressus honestissima
Virginis matris clausula.

Cujus forti potentiæ
Genu curvantur omnia,
Cœlestia, terrestria
2 Fatentur nutu[2] subdita.

[Occasum sol custodiens,
Luna pallorem retinens,
Candor in astris relucens
3 Certos observat limites.][3]

4 Te deprecamur, Hagie,[4]
Venture judex sæculi,
Conserva nos in tempore
Hostis a telo perfidi.

Laus, honor, virtus, gloria, etc.

Ejusdem hymni lectio ex correctione Urbani VIII.

Creator alme siderum,
Æterna lux credentium,
Jesu, Redemptor omnium,
Intende votis supplicum.

Qui, dæmonis ne fraudibus
Periret orbis, impetu
Amoris actus, languidi
Mundi medela factus es.

Commune qui mundi nefas
Ut expiares, ad crucem
E virginis sacrario
Intacta prodis victima.

Cujus potestas gloriæ
Nomenque cum primum sonat,
Et cœlites et inferi
Tremente curvantur genu.

Te deprecamur ultimæ
Magnum diei judicem,
Armis supernæ gratiæ
Defende nos ab hostibus.

Virtus, honor, laus, gloria, etc.

L.

Hymnus de Adventu Domini.[5]

Vox clara ecce intonat,
Obscura quæque increpat:
Pellantur eminus somnia:
Ab æthere Christus promicat.

Mens jam resurgat torpida
Quæ sorde exstat saucia:
Sidus refulget jam novum
Ut tollat omne noxium.

E sursum Agnus mittitur
Laxare gratis debitum.
Omnes pro indulgentia
Vocem demus cum lacrymis.

Secundo ut cum fulserit,
Mundumque horror cinxerit,
Non pro reatu puniat,
Sed pius nos tunc protegat.

Ejusdem hymni lectio in rom. breviario emendato.

En clara vox redarguit
Obscura quæque personans:
Procul fugentur somnia;
Ab alto Jesus promicat.

Mens jam resurgat torpida,
Non amplius jacens humi:
Sidus refulget jam novum
Ut tollat omne noxium.

En Agnus ad nos mittitur
Laxare gratis debitum:
Omnes simul cum lacrymis
Precemur indulgentiam;

Ut cum secundo fulserit,
Metuque mundum cinxerit,
Non pro reatu puniat,
Sed nos pius tunc protegat.

Virtus, honor, laus, gloria, etc.

LI.

Hymnus de Adventu Domini.[6]

Verbum supernum prodiens,
A Patre olim exiens,
Qui natus orbi subvenis
Cursu declivi temporis;

Illumina nunc pectora,
Tuoque amore concrema,
Audito ut præconio
Sint pulsa tandem lubrica.

Judexque cum post aderis
Rimari facta pectoris,
Reddens vicem pro abditis
Justisque regnum pro bonis,

Non demum arctemur malis
Pro qualitate criminis, 5
Sed cum beatis compotes
Simus perennes cœlibes.

Ejusdem hymni item lectio brev. romani ex emendatione Urbani VIII.

Verbum supernum prodiens,
E Patris æterno sinu,
Qui natus orbi subvenis
Labente cursu temporis;

Illumina nunc pectora
Tuoque amore concrema,
Ut cor caduca deserens
Cœli voluptas impleat:

Ut cum tribunal Judicis
Damnabit igni noxios
Et vox amica debitum
Vocabit ad cœlum pios,

Non esca flammarum nigros
Volvamur inter turbines,
Vultu Dei sed compotes,
Cœli fruamur gaudiis.

LII.

De Nativitate Domini.[7] 7

Christe, Redemptor gentium,
De Patre Patris unice,
Solus ante principium
Natus ineffabiliter,

Tu lumen, tu splendor Patris,
Tu spes perennis omnium,
Intende quas fundunt preces
Tui per orbem famuli.

Memento, salutis auctor,
Quod nostri quondam corporis
Ex illibata virgine
Nascendo formam sumpseris.[8] 6 8

Sic præsens testatur dies
Currens per anni circulum
Quod solus a sede Patris
Mundi salus adveneris.

Hunc cœlum, terra, hunc mare,
Hunc omne quod in eis est,
Auctorem adventus tui
Laudans exsultet cantico.

Nos quoque qui sancto tuo
Redempti sumus sanguine,
Ob diem natalis tui
Hymnum novum concinimus.

[1] Tempore Adventus revera habetur et in romano et in ambrosiano breviario. Ambrosio tamen nullatenus attribui potest, sive quod in liturgia ambrosiana numquam admissus fuit ante sæculum XVI, in qua nullus hymnus pro illo tempore aderat; sive propter metrica menda.

[2] In brev. ambros., *nutu fatentur.*

[3] Hæc strophe in breviariis non habetur.

[4] In brev. ambros., *agie.* Vox est græca pro *sancte.*

[5] Fere omnes antiquiores commentatores de hujus hymni auctore silent, nec auctoritate præstant paucissimi qui Ambrosio eum attribuunt. Liturgia ambrosiana numquam ipsum in usu habuit. Romana Ecclesia eum recitat ad Laudes tempore Adventus.

[6] Ad matutinum in romana liturgia. Unus Timotheus eum divo Thomæ aquinati accensuit, sed tantum propter identitatem primi versiculi cum primo hymni pro festo Corporis Christi. Sed reliqui omnes eruditi conveniunt valde hunc antiquiorem esse, incerti tamen auctoris. Videtur non esse quinto sæculo recentior.

[7] Licet vetustus appareat hic hymnus, qui in rom. breviario, nunc vero juxta recentiorem lectionem, extat pro Matutino et Vesperis, tamen nec Clictoveus nec b. card. Tommasi eum Ambrosio attribuunt, sed de auctoris nomine silent. Recentiores quidem aliqui s. Doctorem ipsius auctorem faciunt; verum, cum nullum pro se habeant exterius argumentum, habent contra interiora, ruditatem nempe dictionis et metricos defectus.

[8] Hæc strophe primam constituit brevioris illius hymni qui ad Horas et Completorium officii B. Virginis Mariæ recitatur in liturgia ambrosiana; cuique alius valde similis respondet in romana.

Ejusdem hymni lectio reformata etc.

Jesu, Redemptor omnium,
Quem lucis ante originem
Parem paternæ gloriæ
Pater supremus edidit.

Tu lumen et splendor Patris,
Tu spes perennis omnium,
Intende quas fundunt preces
Tui per orbem servuli.

Memento, reror conditor,
Nostri quod olim corporis,
Sacrata ab alvo virginis
Nascendo formam sumpseris.

Testatur hoc præsens dies
Currens per anni circulum
Quod solus e sinu Patris
Mundi salus adveneris.

Hunc astra, tellus, æquora,
Hoc omne quod cœlo subest,
Salutis auctorem novæ
Novo salutat cantico.

Et nos beata quos sacri
Rigavit unda sanguinis,
Natalis ob diem tui
Hymni tributum solvimus.

Jesu, tibi sit gloria
Qui natus es de Virgine, etc.

LIII.

De Nativitate Domini.[1]

Mysterium Ecclesiæ,
Hymnum Christo referimus,
Quem genuit puerpera,
Verbum Patris in Filio.

Sola in sexu femina,
Electa es in sæculo,
Et[2] meruisti Dominum
Sancto[3] portare in utero.

Vates antiqui temporis
Prædixerant quod factum est,
Quia virgo conciperet,
Et pareret Emmanuel.

Mysterium hoc magnum est,
Mariæ quod concessum est,
Ut Deum per quem omnia,
Ex se videret prodere.

Vere gratia plena es
Et gloriosa permanes,
Quia ex te nobis natus est
Christus per quem facta sunt omnia.[4]

Pastores qui audierunt,
Gloriam Domino cantarunt,[5]
Cucurrerunt in Bethleem
Natum videre Dominum.

Sic magi ab ortu solis
Per stellæ[6] indicium
Portantes typum gentium
Primi offerunt[7] munera.

Rogemus ergo populi
Dei matrem et virginem
Ut ipsa nobis impetret
Pacem et indulgentiam.

Gloria tibi, Domine,
Qui natus es de Virgine, etc.

LIV.

Hymnus Quadragesimalis.[8]

Jam ter quaternis trahitur
Horis dies ad vesperum,
Occasu sol prænuntiat
Noctis redire tempora.

Nos ergo signo Domini
Tutemus claustra pectorum,
Ne serpens ille callidus
Intrandi tentet aditum.

Sed armis pudicitiæ
Mens fulta vigil liberæ,
Sobrietate comite,
Hostem repellat improbum.

Sed nec ciborum crapula
Tandem distendat corpora,
Ne vi per somnum animam
Ludificatam polluat.

LV.

De Passione Domini.[9]

Hymnum dicamus Domino,
Laudes Deo cum cantico,
Qui nos crucis patibulo
Suo redemit sanguine.

Die decursa ad vesperum
Qua Christus morti traditur,[10]
Ad cœnam venit impius
Qui erat Christi proditor.

Jesus futura nuntiat
Cœnantibus discipulis:
Unus ex discumbentibus
Ipse me traditurus est.

Judas mercator pessimus
Osculo petit Dominum,
Ille, ut agnus innocens,
Non negat Judæ osculum.

Denariorum numero
Christus Judæis traditur
Innocens et innoxius,
Quem Judas tradit impius.

Præses Pilatus proclamat:
Nullam culpam invenio;
Ablutis aqua manibus,
Christum Judæis tradidit.

Fallaces Judæi impii
Latronem petunt vivere,
Christum accusant graviter:
Crucifigatur, reus est.

Tunc Barabbas dimittitur,
Qui reus mortis fuerat:
Vita mundi suspenditur,
Per quam resurgunt mortui.

[Gloria tibi, Domine.
Gloria Unigenito,
Una cum sancto Spiritu
In sempiterna sæcula. Amen.]

LVI.

Hymnus paschalis.[11]

Aurora lucis rutilat,
Cœlum laudibus intonat,
Mundus exsultans jubilat,
Gemens infernus ululat.

Cum rex ille fortissimus,
Mortis confractis viribus,
Pede conculcans tartara
Solvit a pœna miseros.

Ille qui clausus lapide
Custoditur sub milite,
Triumphans pompa nobili
Victor surgit de funere.

Solutis jam gemitibus
Et inferni doloribus,
Quia surrexit Dominus
Resplendens clamat angelus.

Tristes erant apostoli
De nece sui Domini,
Quem pœna mortis crudeli
Servi damnarant impii.

Sermone blando angelus
Prædixit mulieribus:
In Galilæa Dominus
Videndus est quantocius.

Illæ dum pergunt concite
Apostolis hoc dicere,
Videntes eum vivere
Osculantur pedes Domini.

[1] Caret in romana liturgia. Adhibetur in ambrosiana communius pro festis B. Virginis Mariæ. Revera et in cod. Vaticano 82 inscribitur: *Hymnus sanctæ Mariæ*, et habetur pariter in antiquioribus Carthusianorum ac Cistercensium breviariis pro festis B. Virginis Mariæ tam ad Vesperas quam ad Matutinum.

[2] In brev. ambrosiano *quæ*.

[3] In eodem brev. *sanctum*.

[4] Ita duo postremi versiculi in brev. ambrosiano:

Quia ex te natus est Christus
Per quem facta sunt omnia.

[5] In brev. ambrosiano:

Pastores qui audierant
Cantari Deo gloriam.

[6] Emendatum ut supra, pro metro in *sideris*.

[7] Pariter substituta vox aptior *obtulerunt*.

[8] In quibusdam antiquis breviariis monasticis occurrit, quadragesimali tempore canendus. Nullum usum umquam obtinuit in ambrosiana liturgia, vel in romana.

[9] Occurrit in antiquo brev. Cisterciensium et in cod. Vatic. 82 unde eum eruit card. Thomasius. Nonnulla cum hoc convenientia habentur in hymno quem canit ambrosiana Ecclesia in feriis V et VI hebdomadæ majoris.

[10] Ex his præcedentibus constat hymnum conscriptum fuisse revera pro feria V majoris hebdomadæ.

[11] Antiquus sane hymnus, non tamen Ambrosii, e communi omnium fere commentatorum consensione. Priores quatuor strophæ, addita doxologia, recitantur in brev. rom. ad Laudes paschali tempore. Reliquæ omnes eodem tempore paschali ad Matutinum et Laudes Apostolorum et Evangelistarum.

Quo agnito discipuli,
In Galilæam propere
Pergunt, videre faciem
Desideratam Domini.

Claro paschali gaudio
Sol mundo nitet radio,
Cum Christum jam apostoli
Visu cernunt corporeo.

Ostensa sibi vulnera
In Christi carne fulgida
Resurrexisse Dominum
Voce fatentur publica.

Rex, Christe, clementissime,
Tu corda nostra posside,
Ut tibi laudes debitas
Reddamus omni tempore.

Ejusdem hymni alia lectio
e correctione Urbani VIII.

Aurora cœlum purpurat,
Æther resultat laudibus,
Mundus triumphans jubilat,
Horrens avernus intremit,

Rex ille dum fortissimus
De mortis inferno specu
Patrum senatum liberum
Educit ad vitæ jubar.

Cujus sepulcrum plurimo
Custode signabat lapis,
Victor triumphat et suo
Mortem sepulcro funerat.

Sat funeri, sat lacrymæ,
Sat est datum doloribus:
Surrexit exstinctor necis,
Clamat coruscans angelus.

Tristes erant apostoli
De Christi acerbo funere,
Quem morte crudelissima
Servi necarant impii.

Sermone verax angelus
Mulieribus prædixerat:
Mox ore Christus gaudium
Gregi feret fidelium.

Ad anxios apostolos
Currunt statim dum nuntiæ,
Illæ micantis obvia
Christi tenent vestigia.

Galilææ ad alta montium
Se conferunt apostoli,
Jesuque voti compotes
Almo beantur lumine.

Paschale mundo gaudium
Sol nuntiat formosior,
Cum luce fulgentem nova
Jesum vident apostoli.

In carne Christi vulnera
Micare tamquam sidera
Mirantur et quidquid vident,
Testes fideles prædicant.

Rex Christe clementissime,
Tu corda nostra posside,
Ut lingua grates debitas
Vitæ renatos libera.

LVII.

Hymnus (paschalis) matutinus.[1]

O rex æterne, Domine,
Rerum creator omnium,
Qui eras ante sæcula
Semper cum Patre Filius;

Qui mundi in primordio
Adam plasmasti hominem,
Cui tuæ imagini
Vultum dedisti similem;

Quem diabolus deceperat
Hostis humani generis,
Cujus tu formam corporis
Assumere dignatus es;

Ut hominem redimeres
Quem ante jam plasmaveras,
Et nos Deo conjungeres
Per carnis contubernium;

Quem editum ex virgine
Pavescit omnis anima,
Per quem et nos resurgere
Devota mente credimus;

Qui nobis per baptismata
Donasti indulgentiam,
Qui tenebamur vinculis
Ligati conscientiæ;

Qui crucem propter hominem
Suscipere dignatus es,
Dedisti tuum sanguinem
Nostræ salutis pretium;

Nam velum templi scissum est
Et omnis terra tremuit;
Tunc multos dormientium
Resuscitasti, Domine;

Tu hostis antiqui vires
Per crucem mortis conteris,
Qua nos signati frontibus
Vexillum fidei ferimus.

Tu illum a nobis semper
Repellere dignaveris,
Ne umquam possit lædere
Redemptos tuo sanguine.

Qui propter nos ad inferos
Descendere dignatus es
Ut mortis debitoribus
Vitæ donares munera.

Tibi nocturno tempore
Hymnum deflentes canimus,
Ignosce nobis, Domine,
Ignosce confitentibus.

Quia tu ipse testis et judex,
Quem nemo potest fallere,
Secreta conscientiæ
Nostræ videns vestigia.

Tu nostrorum pectorum
Solus investigator es,
Tu vulnerum latentium
Bonus assistens medicus.

Tu es qui certo tempore
Daturus finem sæculi,
Tu cunctorum meritis
Justus remunerator es. 1

Te ergo, sancte, quæsumus
Ut nostra cures vulnera
Qui es cum Patre Filius
Semper cum sancto Spiritu.

Ejusdem hymni lectio
e correctione Urbani VIII.

Rex sempiterne cœlitum,
Rerum creator omnium,
Æqualis ante sæcula
Semper parenti Filius;

Nascente mundi qui faber
Imaginem vultus tui
Tradens Adamo nobilem
Limo jugasti spiritum;

Cum livor et fraus dæmonis
Fœdasset humanum genus,
Tu carne amictus perditam
Formam reformes artifex.

Qui natus olim ex virgine
Nunc e sepulcro nasceris,
Tecumque nos a mortuis
Jubes sepultos surgere.

Qui pastor æternus gregem
Aqua lavas baptismatis,
Hæc est lavacrum mentium,
Hæc est sepulcrum criminum.

Nobis diu qui debitæ
Redemptor affixus cruci,
Nostræ dedisti prodigus
Pretium salutis sanguinem.

LVIII.

Hymnus paschalis.[2] 2

Ad cœnam Agni providi
Et stolis albis candidi,
Post transitum maris Rubri
Christo canamus principi.

Cujus corpus sanctissimum
In ara crucis torridum,
Cruore ejus roseo
Gustando vivimus Deo.

Protecti paschæ vespere
A devastante angelo,
Erepti de durissimo
Pharaonis imperio.

Jam pascha nostrum Christus est,
Qui immolatus agnus est;
Sinceritatis azyma
Caro ejus oblata est.

[1] Nonnullæ strophæ hujus hymni canuntur in rom. liturgia ad Matutinum tempore paschali. Eum non habet ambrosiana, nisi quod strophas XII et XIII habet pro responsorio post lectionem II dominicæ III in quadragesima, paucis immutatis. E testimonio ven. Bedæ præsertim Venturi hunc vellet esse Ambrosii; sed nos illis accedimus qui eum Ambrosio tribuendum non censent, etiam eo quod in stylo nil referat Ambrosii, nec in metro sit castigatus.

[2] Canitur in liturgia romana ad Vesperas paschali tempore, sed nunc valde immutatus, ut sequitur. Vulgatissimus autem jam fuit in antiqua Ecclesia, licet auctoris nomen ad nos non pervenerit. Ex ejus stylo opinatur Mone ad VI sæculum referendum esse.

O vere digna hostia,
Per quam fracta sunt tartara,
Redempta plebs captivata,
Reddita vitæ præmia!

Cum surgit Christus tumulo,
Victor redit de barathro,
Tyrannum trudens vinculo
Et reserans paradisum.

Quæsumus, auctor omnium,
In hoc paschali gaudio:
Ab omni mortis impetu
Tuum defende populum.

Ejusdem hymni lectio juxta correctionem Urbani VIII.

Ad regias Agni dapes,
Stolis amicti candidis,
Post transitum maris Rubri,
Christo canamus principi.

Divina cujus charitas
Sacrum propinat sanguinem,
Almique membra corporis
Amor sacerdos immolat.

Sparsum cruorem postibus
Vastator horret angelus,
Fugitque divisum mare,
Merguntur hostes fluctibus.

Jam pascha nostrum Christus est,
Paschalis idem victima,
Et pura puris mentibus
Sinceritatis azyma.

O vera cœli victima,
Subjecta cui sunt tartara,
Soluta mortis vincula,
Recepta vitæ præmia.

Victor subactis inferis
Tropæa Christus explicat,
Cœloque aperte subditum
Regem tenebrarum trahit.

Ut sis perenne mentibus
Paschale, Jesu, gaudium,
A morte dira criminum
Vitæ renatos libera.

LIX.

De S. Stephano.[1]

(Cassander Bebelius, Clichtovæus).

Stephano primo martyri
Cantemus canticum novum,
Quod dulce sit psallentibus,
Opem ferat credentibus.

Hic primus almo sanguine
Christi secutus gloriam,
1 Viam salutis cæteris[2]
2 Amore[3] mortis præbuit.

Hic enim per apostolos
Probatus in laude Dei,
Vexilla mortis rapuit
Ut præferretur omnibus.

O præferenda gloria,
O beata victoria,
Hoc meruisse Stephanum
Ut sequeretur Dominum!

Ille, levatis oculis,
Vidit Patrem cum Filio,
Monstrans in cœlis vivere
Quem plebs quærebat perdere.

Judæi magis sæviunt
Saxaque prensant manibus:
Currebant ut occiderent
Verendum Christi militem.

At ille Christo protinus
Tradit beatum Spiritum,
Pro persequentium crimine
Precem secundam dirigit:

Deus, creator omnium,
Dimitte cæcis hoc malum,
Et hoc nefas, quod aspicis,
Indulge meis precibus.

Præsta, Pater, per Filium,
Præsta per almum Spiritum,
Cum his per ævum triplici
Unus Deus cognomine.

In libro S. Benedicti loco tertiæ hujus hymni quartæ, quintæ et sextæ strophes habentur sequentes:

Hic cum supremis vocibus
Verbum salutis ederet,
Judæa claram cæcitas
Viam veritatis repulit.

Sed ille cœlum intuens,
Vidit paratam gloriam,
Nostrisque præstans sæculis,
Sublimem usum prodidit.

Invadit ergo perfida
Plebes docentem martyrem,
Et nuper agni sanguine
Manus cruentas exerit [*Fort.* erigit.

Ultimæ tres ut in præcedenti.

LX.

De S. Agatha.[4]

Agathæ sacræ virginis
Diem festum colimus,
In quo, devicto tyranno,
Palmam subit martyrii.

Quintianus tyrannus,
Consulariis Siciliæ,
Audiens famam virginis
Fremere cœpit invidus.

Vitiorum affectibus
Mentem vexabat invidam,
Ut Deo dicatam virginem
Rabido ore perimeret.

Statim adsunt miseri
Ejus qui vellent pandere
Religionem sanctissimam,
Quam tenet ab infantia.

Sisti jubet martyrem
Suis tribunalibus
Et eam sic alloquitur,
Ut dis cervicem flecteret.

Sed dum nil valet insania
In mamma torquet virginem,
Et testas acutissimas
Igni succensas adhibet.

Cujus medendis artubus
Sanctus adest apostolus,
Qui verbo curat vulnera
Quæ tyrannus inflixerat.

Dehinc ad sepulcrum veniens
Juvenis splendidissimus,
Mentem sanctam prædicat
Patriæ salutem plurimam.

LXI.

Hymnus Quadragesimalis.[5] 5

Ex more docti mystico
Servemus hoc jejunium,
Deno dierum circulo
Ducto quater notissimo.

Lex et prophetæ primitus
Hoc protulerunt, postmodum
Christus sacravit, omnium
Rex atque factor temporum.

Utamur ergo parcius
Verbis, cibis et potibus,
Somno, jocis, et arctius
Perstemus in custodia.

Vitemus autem pessima,[6] 6
Quæ subruunt mentes vagas;
Nullumque demus callido
Hosti locum tyrannidis.[7] 7

Dicamus omnes cernui,
Clamemus atque singuli,
Ploremus ante judicem,
Flectamus iram vindicem.[8] 8

Nostris malis offendimus
Tuam, Deus, clementiam: 4
Effunde nobis desuper
Remissor indulgentiam.

Memento quod sumus tui
Licet caduci plasmatis,
Ne des honorem nominis
Tui, precamur, alteri.

Laxa malum quod gessimus,[9] 9
Auge bonum quod poscimus,

[1] In libro qui dicitur S. Benedicti præcedit hæc strophe:
Stephani corona martyris,
Quod nomen ejus indicat,
Christi decoram gloriam
Gratis canamus laudibus.
Card. Thomasius hunc hymnum refert cum aliis variantibus. Qui in breviario extat ambrosiano nonnulla habet cum hoc convenientia. Habetur vero in antiquis breviariis Cisterciensium.

[2] In lib. s. Benedicti, *salutis æternam.*

[3] In prædicto libro, *Contemptu.*

[4] E veteri brev. Cisterc. atque e cod. Vatic. 82, unde eum eduxit b. card. Thomasius. Nonnulla consonant cum hymno brev. ambrosiani. Ita incultus tamen est et deficiens in prosodia ut nullatenus Ambrosio eum tribuere liceat.

[5] B. Card. Tommasi hunc hymnum *Ambrosianum* tantum appellat, qua voce vidimus designari qui more Ambrosii, non tamen ab ipso Ambrosio concinnati sunt; et conveniunt critici Ambrosii culturam non exhibere. Liturgia romana eum habet ad Matutinum; ambrosiana ad Vesperas dominicales.

[6] Lectio correcta brev. romani, *noxia.*

[7] Eadem lectio, ... *callidi*
Hostis locum tyrannidi.

[8] Ita inversa hæc strophe: *Flectamus* etc. *Ploremus* etc. *Clamemus ore supplici; Dicamus* etc.

[9] Lectio emendata, *quod fecimus.*

Placere quo tandem tibi
Possimus hic et perpetim.

In recentiori lectione additur:

[Præsta, beata Trinitas,
Concede, simplex Unitas,
Ut fructuosa sint tuis
Jejuniorum munera.

LXII.

1 *In Natali S. Ambrosii.*[1]

Miraculum laudabile
Canite, omnes populi,
Quod datum est Ecclesiæ
Fluctuanti in sæculo.

Ambrosium vatem magnum,
Prædestinatum a Deo,
Tempore quo diabolus
Fœdaverat templa Dei.

Christus qui numquam deserit
Quos suo redemit sanguine,
Direxit virum inclytum
Ut Arium destrueret.

Infulas dum gerit sæculi
2 Acquisivit paradisi,[2]
Jus dum portat gladii
Suscepit Evangelii.

Mysterium incognitum,
Altissimus quod noverat,
Nondum ablutus lavacro
Pontifex eligitur.

Ingressus est ecclesiam
Plebem sedare turbidam,
Cunctorum ora conclamant
Ambrosium episcopum.

Arii tunc perfidia
Purgatur de ecclesia,
Cuncta concrepant agmina,
Nec desunt Christi munera.

Nox tetra cedat lumini,
Confundantur hæretici,
Adest piissimus,
Qui purget mentes infidas.

Virtus ex alto data est
Ambrosio in baptismate.
Nam statim ut renatus est
Cœpit fugare dæmones.

Suscepit is Ecclesiam,
Gubernavit intrepidus,
Confessor esse meruit,
Dum arianis non cedit.

Gloria tibi, Domine, etc.

LXIII.

3 *In Natali S. Georgii Martyris.*[3]

Gesta sanctorum martyrum
Meminisse jucundum est,
Et in eorum laudibus
Deo canere gloriam.

Georgius Christi miles
Ortus est Cappadociæ,
Qui vana mundi respuens
Mercatus est cœlestia.

Pecuniam quam tulerat
Propter honorem fragilem,
Fide repletus Domini
Stipem dedit pauperibus.

Tum compulsus a principe
Saxis vota persolvere,
Quos ille per fidem Christi
In profundum mersit abyssi.

Ira accensus Tyrannus
Pœnas invexit martyri,
Flagella sæva, carceres,
Seras sive sartagines.

Quas ille non tremuit,
Confortatus a Domino.
Sed et magis in populo
Fructus divinos intulit.

Reginam Alexandriam
Vocavit ad martyrium,
Contempsit mundi thesauros,
Dei coronam meruit.

Bis denis annis et uno
Triumphat mundi principem:
Cervice cæsa gladio,
Migravit ad cœlestia.

LXIV.

De S. Joanne Baptista.[4]

Almi prophetæ progenies pia,
Clarus parente et nobilior patre,
Quem matris alvus, claudere nescia,
Ortus herilis prodidit indicem.

Cum virginalis regia gloriam
Summi Tonantis nomine pignoris
Gestaret, aula nobilis intimo
Claustro pudoris fertilis integro,

Vox suscitavit missa puerperæ
Fovitque vatis gaudia parvuli:
Matres prophetant munere pignorum;
Mutus locutus nomine filii est.

Scribendus hic est vocis ut augeat
Nostræ canores, duraque vincula
Dissolvat oris, larga propheticis
Verborum habenis littera nominis.

Vox namque Verbi, vox sapientiæ est,
Major prophetis et minor angelis,
Qui præparavit corda fidelium,[5]
Stravitque rectas justitiæ vias.

Assertor æqui, non ope regia
Nec morte dura linquere tramitem
Veri coactus: Non licet, ait, tibi
Uxorem habere fratris adulteram.

Hinc ira regis sævaque funera
Saltationis munere vendita,
Mensas tyranni et virginis ebrius
Luxus replevit sanguine sobrio.

Hæc vitricus dat dona vesanior
Quam si veneni pocula traderet,
Negare præstat quam dare vitricum,
Odisse præstat, plus nocet horum amor.

Sit Trinitati maxima gloria,
Laus et potestas et sapientia;
Sit fortitudo ac magnificentia
Uni Deo per sæcla perennia.

LXV.

De S. Sixto.[6]

Magni palmam certaminis
Invicta fides contulit;
Pro Christo dimicantibus
De cœlo datur calculus.

Sic fortis Xystus athleta,
Petri sequens martyrium,
Ornavit mox Ecclesiam
Confessionis titulo.

Ortus Athenis et altus
Philosophorum studiis,
Mutavit artem artium
Præceptor apostolicus.

Nam carnifex tyrannidis,
Fremens ut leo rabiens,
Advectans secum martyres
Abdon et Sennen perimit.

Dein ad Xystum properans,
Vincla, catenas, carcerem 4
Minatur, interneciem
Gladioli sententia.

Tunc pius ille pontifex
Accersiens Laurentium,
Levitæ fidelissimo
Commendavit Ecclesiam.

Uterque consecuti sunt
Agonis sui bravium:
Ensis et craticulæ
Coronam dedit passio.

Jungamur ergo socii,
Hymnum gerentes Domino,
Ut horum interventibus
Nostra purgentur crimina.

Gloria tibi, Domine,
Gloria Unigenito, etc.

LXVI.

De S. Michaele archangelo.[7] 7

Mysteriorum signifer
Cœlestium, archangele,
Te supplicantes quæsumus,
Ut nos placatus visites.[8] 8

Ipse cum sanctis angelis,
Cum justis, cum apostolis,
Illustra locum jugiter,
Quo nunc orantes degimus.[9] 9

[1] Nemo sane dixerit ipsius hunc esse s. Doctoris. Doctissimus Thomasius eum e cod. Vatic. 82 eduxit. Sed neque in romana, neque in ambrosiana occurrit liturgia.

[2] Sunt duo præcedentis versiculi in responsorio post lectionem II Matutini ambrosiani breviarii.

[3] Unus b. Thomasius hunc vulgavit hymnum, qui tum simplicitate styli, tum ex eo vetustus videtur quod Georgii cum dracone certaminis nullam prorsus mentionem habet. Hinc autem rite arguitur valde antiquum in Occidente quoque esse cultum martyris hujus.

[4] Est breviarii Cisterciensis, atque in cod. Vatic. 82, unde eum exscripsit Thomasius. Notabilis elegantia, sed a stylo et metro Ambrosii alienus.

[5] Duo præcedentes versiculi habentur in ambrosiano hujus Sancti officio ad Vesperas ut *psallenda*, ut brevis nempe antiphona, quæ iteratur cum *Gloria* intermedio.

[6] Vulgatus est a b. card. Tommasi.

[7] Extat in brev. cisterc. et in cod. Vatic. 82, unde eum eruit b. Thomasius.

[8] Duo præcedentes versiculi communes sunt cum hymno Ecclesiæ ambrosianæ, excepto quod in hoc legitur *benignus* pro *placatus*.

[9] In brev. ambros.:

Verbi sequaces Angeli,
Apostolique et cœlites
Locum serenent jugiter
In quo precantes degimus.

Castissimorum omnium
Doctorum ac pontificum
Pro nobis preces profluas
Devotus offer Domino.[1]

Hostem repellat ut sævum
Opemque pacis dirigat
Et nostra simul pectora
Fides perfecta muniat.[2]

Ascendant nostræ protinus
Ad thronum voces gloriæ,
Mentesque nostras erigat
Qui sede splendet fulgida.

Hic virtus ejus maneat,
Hic firma flagret charitas,
Hic ad salutis commoda
Suis occurrat famulis,

Errores omnes auferat,
Vagosque sensus corrigat,
Et dirigat vestigia
Nostra pacis per semitam.

Lucis in arce fulgida
Hæc sacra scribat carmina,
Nostraque simul nomina
In libro vitæ conferat.

Gloria tibi, Domine, etc.

LXVII.

In Natali S. Martini episcopi.[3]

Bellator armis inclytus,
Martinus, actu nobilis,
Quæ gesserit miraculis
Hymnis canamus debitis.

Qui frigoris sub tempore
Dum chlamyde nudum tegit,
Mox Christus ipsa quam scidit,
Se veste tectum prodidit.

Tres arte sancta pallidos
Resuscitavit mortuos,
De febre catechumenum
Et alterum suspendio.

Orationis ambitu
Latro sepultus proditur;
Qua non cadebat impetu
Pinus reflexa ducitur.

Profana dum succenderet
In aera flamma repulit,
Quo exstincta sunt incendia
Imbris fuit præsentia.

Humore de paralysi
Curat puellam debilem,
Morbique rasit fomitem
Sancti liquoris unguine.

Pacem leproso dans viro
Sordes fugavit ulcerum,
Et quod lavaret morbidum
Jordanis est in osculo.

His et per orbem cognitis
Ingentibus miraculis,
Possessor alti Spiritus
Nunc regnat in cœlestibus.

Gloria tibi, Domine, etc.

LXVIII.

De Dedicatione ecclesiæ.[4]

Sacratum hoc templum Dei,
Altaris renovatio:
Nos recurrentes annuas
Laudes Deo referimus.

Altare magnum hoc Dei
Sacratum est hac die,
In cujus honore sedulo
Omnes curvamus genua.

Precantes autem Dominum,
Qui solus invisibilis,
Ut nos semper in hoc loco
Sanctificari jubeat.

Vota solventes hic Deo
[Et] Sanctis ejus omnibus,
Quorum sacræ reliquiæ
Templum ornare[5] hoc Dei.

Omnis qui hic ingreditur
Sanctificatus exeat,
Semper orando Domino
Purificatus maneat.

Cæremoniarum hostias
Ad hoc altare jugiter
Nos offerentes pariter
Devotis semper mentibus.[6]

Sanctificet nos Dominus
In hoc templo sancto,
In quo et nos solemniter
Sacrum munus offerimus.

Deum, fratres charissimi,
Et Christum ejus Filium
Simulque sanctum Spiritum
Hymnis laudemus jugiter.

LXIX.

De Dedicatione ecclesiæ.[7]

Christe, cunctorum dominator alme,
Patris æterni genitus ab ore,
Supplicum vota pariter ac hymnum
Cerne benignus.

Cerne quod puro Deus in honore
Plebs tua supplex resonat in aula,
Annua cujus revehunt colendum
Tempora festum.

Hæc domus rite tibi dedicata
Noscitur, in qua populus sacratum
Corpus assumit, bibit et beati
Sanguinis haustum.

Hic sacrosancti latices veternas
Diluunt culpas, perimuntque noxas;
Chrismate vero genus ut creetur
Christicolarum.

Hic salus ægris, medicina fessis,
Lumen orbatis veniaque nostris
Fertur offensis; timor atque mœror
Pellitur omnis.

Dæmonis sæva perit hic rapina:
Pervicax monstrum pavet, et retenta
Corpora linquens fugit in remotas
Ocius umbras.

Hic locus nempe vocitatur aula
Regis æterni, niveaque cœli
Porta, quæ sanctos patriam petentes
Accipit omnes.

Turbo quam nullus quatit, aut vagantes
Diruunt venti penetrantque nimbi,
Non tetris lædit piceus tenebris
Tartarus horrens.

Quæsumus ergo, Deus, ut sereno
Annuas vultu, famulos gubernans
Qui tuo summo celebrant amore
Gaudia templi.

Nulla nos vitæ crucient molesta;
Sint dies læti placidæque noctes;
Nullus ex nobis pereunte mundo
Sentiat ignes.

Hæc dies in qua tibi consecratam
Conspicis aram, tribuat perenne
Gaudium nobis vigeatque longo
Temporis usu.

Gloria summum resonet Parentem.
Gloria Natum pariterque sanctum
Spiritum dulci modulemur hymno
Omne per ævum.

LXX.

De communi unius martyris.[8]

Deus tuorum militum
Sors et corona, præmium:
Laudes canentes martyris
Absolve nexu criminis.

[Hic testis ore protulit
Quod cordis arca credidit,
Christum sequendo repperit
Effusione sanguinis.

Hic nempe mundi gaudia
Et blandimenta noxia
Caduca rite deputans
Pervenit ad cœlestia.

[Tempsit tyranni vincula,
Diras catenas, verbera,
Et voce clara nuntiat
Deum creasse omnia.]

[1] Ita hæc strophe in ambros. liturgia:
Quas concinendo virgines,
Et quas beati præsules
Fundunt rogantes, Numini
Preces rogatus offeras.

[2] In ambros. breviario rursus aliæ strophæ emendatiores sunt quoad formam; identicæ quoad sensum, interdam etiam in verbis, ut dicendum sit, hunc ipsum hymnum ambrosianæ Ecclesiæ proprium fuisse, ac serius correctioni subjectum fuisse; sed certe serius Ambrosii ætate conscriptus fuit, cum serius festivitas Michaelis archangeli inducta sit.

[3] Hunc quoque edidit card. Tommasi e Vatic. cod. 82; sed erat pariter in brev. cisterciensi. Quædam conveniunt quoad sensum ac prope etiam in verbis cum hymno ambrosianæ Ecclesiæ.

[4] Thomasius hunc hymnum pariter dedit e Vatic. cod. 82.

[5] Videtur legendum *ornant;* vel sumendum pro *ornavere.*

[6] Subintelligitur *maneamus.*

[7] Hymnus iste legitur in brev. cisterc.; nonnullis vero immutatis, etiam in ambrosiano; atque in quibusdam mss.

[8] Hymnus hic nunc in rom. breviario legitur juxta reformationem Urbani PP. VIII auctoritate perfectam. Legitur autem fere ut hic est etiam in brev. ambrosiano, omissis strophis quæ uncinis includuntur.

Pœnas cucurrit fortiter
Et sustulit viriliter,
Pro te effundens sanguinem
Æterna dona possidet.

[Ex hoc furor vesaniæ
Jussit perimi martyrem
Justumque terris obrui
Quem regna cœli continent.]

Ob hoc precatu supplici
Te poscimus piissime,
In hoc triumpho martyris
Dimitte noxam servulis.

[Ut partem hujus muneris
Hæreditemus congrui,
Lætemur in perpetuum
Juncti polorum atriis.]

Ejusdem hymni lectio reformata.

Deus tuorum militum
Sors et corona: præmium,
Laudes canentes martyris
Absolve nexu criminis.

Hic nempe mundi gaudia
Et blanda fraudum pabula
Imbuta felle deputans
Pervenit ad cœlestia.

Pœnas cucurrit fortiter
Et sustulit viriliter,
Fundensque pro te sanguinem
Æterna dona possidet.

Ob hoc precatu supplici
Te poscimus, piissime,
In hoc triumpho martyris
Dimitte noxam servulis.

Laus et perennis gloria, etc.

LXXI.

Hymnus de Confessoribus.[1]

Jesu, corona celsior
Et veritas sublimior,
Qui confitenti servulo
Reddis perenne præmium,

Da supplicanti cœtui
Obtentu hujus optimi,
Remissionem criminum
Rumpendo nexum vinculi.

Anni recurso tempore
Dies reluxit lumine,
Quo sanctus hic de corpore
Polum migravit præpotens.

Hic vana terræ gaudia
Et lutulenta prædia
Polluta cuncta deputans
Ovans tenet cœlestia.

Te, Christe, rex piissime,
Hic confitendo jugiter
Calcavit hostem fortiter
Superbum ac satellitem.

Virtutum actu et fide
Confessionis ordine,
Jejuna membra deferens,
Dapes supernas obtinet.

Plus currit in certamine
Confessor iste sustinens,
Quam martyr ictum sufferens,
Mucrone fundens sanguinem.

Proinde te, piissime,
Precamur omnes supplices:
Ut hujus almi gratia
Nobis remittas debita.

Ejusdem hymni lectio emendata.

Jesu corona celsior
Et veritas sublimior,
Qui confitenti servulo
Reddis perenne præmium,

Da supplicanti cœtui,
Hujus rogatu, noxii
Remissionem criminis
Rumpendo nexum vinculi.

Anni reverso tempore
Dies refulsit lumine,
Quo sanctus hic de corpore
Migravit inter sidera.

Hic vana terræ gaudia
Et luculenta prædia,
Polluta sorde deputans
Ovans tenet cœlestia.

Te, Christe, rex piissime,
Hic confitendo jugiter
Calcavit artes dæmonum
Sævumque averni principem.

Virtute clarus et fide,
Confessione sedulus,
Jejuna membra deferens,
Dapes supernas obtinet.

Proinde te, piissime,
Precamur omnes supplices
Nobis ut hujus gratia
Pœnas remittas debitas.

LXXII.

Tempore belli.[2]

Sævus bella serit barbarus horrens,
Frendens bella furor semper acervat,
Ac respergit ovans cæde recenti,
Multa strage super lætus anhelans.

Terret continuo fervida bella
Gens effrena suis vasta catervis
Sidens innumeris æquore ponti,
Perturbat rigidis arvaque telis.

Vertit terga suis hostibus ecce
Diris ipsa cohors Christicolarum,
Ac per prona tremens invia perque
Turpi pulsa fugit fessa pavore.

Gens impune ferox millia vexat
Et crude lacerans millia truncat:
Lymphis lota sacris corpora fœdis
Passim nuda jacent tradita corvis.

Ædes inde sacras, templa dicata,
Aras atque Deo sanctificatas,
Exsultans calido cuncta triumpho
Incedit spolians prædo superbus.

Urbes urit edax barbarus ignis,
Communesque domos urit et almas;
Vinctos prædo senes ducit, ephebos,
Nuptas et viduas atque puellas.

Casum virgo ferum virgo sacrata,
Casum virgo suum deflet amarum,
Amissumque dolet virgo pudorem,
Lethi ferre volens virgo laborem.

Hoc peccata malum grande merentur
Vere nostra, Deus, plurima, sancte;
Sed nunc suppliciter poscimus omnes,
Jam clemens famulos aspice tristes.

Immensus penetret fletus Olympum,
Ascendatque pius clamor ad auras;
Mosi nam meritis Amalecitas
Jesus stravit agens nomine clarus.

Jesu, nate Dei cunctipotentis,
Virtus vera, salus summa labore,
Pax et certa quies ac decus omne;
Tu nunc esto tuis fautor alumnis.

Emptis parce tua morte, rogamus,
Instaurans animos pelle timorem,
Hostes comminuens sparge fugatos,
Pacis perpetuæ munera confer.

Laus et perpes honor gloria Patri;
Laus æterna tibi gloria, Fili;
Una Spiritui gloria sancto
Sicut semper erat, nunc et in ævum.

LXXIII.

Tempore belli.

Tristes nunc populi, Christe redemptor,
Pacem suppliciter cerne rogantes,
Threnos et gemitus cerne dolorem,
Mœstis auxilium desuper affer.

Diræ namque fremens en furor atrox
Gentis finitimæ arva minatur,
Sæve barbarico murmure nostra
Vastari, perimens ut lupus agnos.

Defensor quis erit, ni pius ipse
Succurras miserans auctor Olympi;
Humano generi crimina parcas,
Affectis veniam dones amore?

Habram præsidio pertulit olim
Reges quinque tuo, conditor ævi,
Haud multis pueris nempe parentem
Prostratis reducens hostibus atris.

Moyses gelidi æquora ponti
Confidens populum torrida carpens
Deduxit, refluens undaque hostem
Extemplo rapiens occulit omnem.

Trecentisque viris Amalecitis
Dejecit Gedeon jussus adire;
Oppressum populum gentemque ferro
Liberavit ope fretus opima.

Hæc tu, Cunctipotens, omnia solus
In cujus manibus sunt universa,
In te nostra salus, gloria in te:
Occidis iterum vivificasque.

[1] Ipse card. b. Tommasi *ambrosianum* hunc dicit, sed non Ambrosii, et meliores critici conveniunt multo posterius conscriptum fuisse. In liturgia romana canitur ad Laudes in officio unius Confessoris, sed nunc juxta emendationem Urbani VIII. Fere identice habetur etiam in liturgia ambrosiana, omissa tamen penultima strophe.

[2] Iste et sequens hymnus a b. card. Tommasi editi sunt. Eos habet et vetus cod. Vatic. 82.

Major quippe tua gratia, Jesu,
Quam sit flagitii copia nostri,
Contritos nec enim mœstaque corda
Clemens vel humiles spernere nosti.

Salva ergo tua morte redemptos,
Salva suppliciter pacta petentes,
Disrumpe frameas, spicula frange,
Confringe clypeos bella volentum.

Jam cœlum gemitus scandat amarus,
Jam nubes penetret vox lacrymarum,
Votum contritio plebis anhela:
Salvator placidus jam miserere.

DE CANTICO
TE DEUM LAUDAMUS.

Quid demum de hoc usitatissimo in Ecclesia cantico, quod vulgo dicitur Ss. Ambrosii et Augustini, tenendum sit, paucis expedire necesse est. Falsa invaluit opinio, extemplo ab utroque sancto compositum esse cum ipse Augustinus ab Ambrosio baptismum suscepit, et id assertum fuisse in historia Datiana, ab ipso Datio episcopo conscripta. Sed cum historia quæ sub hujus nomine venit, non tamen ab eo dictata, ad annum tantummodo 304 pertingat, hinc evidens est nullam neque baptismatis Augustini, neque cantici *Te Deum* inibi adesse mentionem. Alii eruditi alios ejusdem auctorem faciunt. Verum neque Ambrosio, neque Augustino sejunctim istud esse tribuendum, ex eo admodum probabile est, quod in vetustioribus mss. Operum utriusque non deprehendatur, neque in ipsis horum Operibus aliquod ejusdem occurrat vestigium. Certum tamen est, vetustissimum ipsum esse, et etiam in publico Ecclesiæ usu, cum mentionem ejus faciant Terredius, s. Cæsarii arelatensis discipulus, ac s. Benedictus abbas, qui in cap. XI *Regulæ* suæ præcipit: *Post quartum responsorium incipit Abbas hymnum: Te Deum laudamus.*

VITA SANCTI AMBROSII
MEDIOLANENSIS EPISCOPI
A PAULINO EJUS NOTARIO AD BEATUM AUGUSTINUM CONSCRIPTA.
(De ipso Paulino videatur nota fere ad calcem apposita hujus Vitæ).



Hortaris, venerabilis pater Augustine, ut sicut beati viri Athanasius episcopus et Hieronymus presbyter stylo prosecuti sunt vitas sanctorum Pauli et Antonii in eremo positorum, sicut etiam Martini venerabilis episcopi Turonensis Ecclesiæ Severus servus Dei luculento sermone contexuit; sic etiam ego beatissimi Ambrosii episcopi Mediolanensis Ecclesiæ meo prosequar stylo. Sed ego ut meritis tantorum virorum, qui muri Ecclesiarum sunt, et eloquentiæ fontes, ita etiam sermone me imparem novi. Tamen quia absurdum esse opinor, quod præcipis, declinare, ea quæ a probatissimis viris, qui illi ante me adstiterunt, et maxime ab sorore ipsius venerabili Marcellina didici, vel quæ ipse vidi, cum illi adstarem, vel quæ ab iis cognovi, qui illum in diversis provinciis post obitum ipsius se vidisse narrarunt, vel quæ ad illum scripta sunt, cum adhuc obiisse nesciretur, adjutus orationibus tuis, et meritis tanti viri, licet inculto sermone, breviter strictimque describam; ut lectoris animum etsi sermo offenderit, brevitas tamen ad legendum provocet: nec verborum fucis veritatem obducam, ne dum scriptor elegantiæ pompam requirit, lector tan- A tarum virtutum amittat scientiam, quem non magis phaleras, pompasque verborum, quam virtutem rerum, gratiamque Spiritus sancti spectare conveniat. Siquidem noverimus viatores gratiorem habere aquam brevi vena stillantem, forte cum sitiunt, quam profluentis fontis rivos, quorum copiam sitis tempore reperire non possunt. Et hordeaceus panis dulcis solet esse etiam his qui centenis vicibus ferculorum quotidiani convivii copias ructare consuerunt. Sed B et hortorum amœna mirantibus herbæ agrestes placere consueverunt.

2. Quamobrem obsecro vos omnes, in quorum manibus liber iste versabitur, ut credatis vera esse, quæ scripsimus: nec putet me quisquam studio amoris aliquid quod fide careat, posuisse; quando quidem melius sit penitus nihil dicere, quam aliquid falsi proferre, cum sciamus nos omnium sermonum nostrorum reddituros esse rationem. Nec dubitem et si non Matth. XII, 16. C ab omnibus omnia, tamen a diversis diversa sciri, et ea cognita nonnullis esse, quæ etiam minus ipse aut audire aut videre potui. Unde a die nativitatis ejus narrandi initium sumam, ut gratia viri ab incunabulis quæ fuerit, agnoscatur.

3. Igitur posito in abministratione præfecturæ Galliarum patre ejus Ambrosio, natus est Ambrosius.[1] Qui infans in area prætorii in cuna [1]

[1] Codex Mich., *patre beati Ambrosii, nomine Ambrosio, natus ipse beatus Ambrosius est.* Ita Editores Maur. Horum vero sunt notæ omnes quæ ut nostræ non indigitantur. Cum autem sacri auctores qui historiam texunt Ambrosii, de ejus genere non edisserant, non abs re hic monendum ducimus, Ambrosium etiam prænomen *Aurelii* gessisse, unde constat eum e præclara gente Aurelia ortum habuisse, quæ, ut demonstrat prolatis exemplaribus Barthelemy in suo *Nouveau Manuel complet de Numismatique ancienne*, jus quoque habuit nummos cudendi. (Edit. mediol.).

positus, cum dormiret aperto ore, subito examen apum adveniens, faciem ejus atque ora complevit; ita ut ingrediendi in os egrediendique vices frequentarent. Quæ pater, qui propter cum matre vel filia deambulabat, ne abigerentur ab ancilla, quæ curam nutriendi infantis susceperat, prohibens (sollicita enim erat ne infanti nocerent), exspectabat patrio affectu, quo fine
1 illud miraculum clauderetur.[1] At illæ post aliquamdiu evolantes, in tantam aeris altitudinem sublevatæ sunt, ut humanis oculis minime viderentur. Quo facto territus pater ait: Si vixerit infantulus iste, aliquid magni erit. Operabatur enim jam tunc Dominus in servuli sui infantia, ut impleretur quod dictum est: *Favi mellis ser-*
Prov. XVI, 24. *mones boni;* illud enim examen apum scriptorum ipsius nobis generabat favos, qui cœlestia dona annuntiarent, et mentes hominum de terrenis ad cœlum erigerent.

4. Postea vero cum adolevisset, et esset in urbe Roma constitutus cum matre vidua et sorore, quæ virginitatem jam fuerat professa, comite alia virgine, cujus virginis soror Candida, et ipsa ejusdem professionis, quæ nunc Carthagine degit jam anus; cum videret sacerdo-
2 tibus a domestica,[2] sorore, vel matre manus
3 osculari,[3] ipse ludens offerebat dexteram, dicens et sibi id ab ea fieri oportere, siquidem episcopum se futurum esse memorabat; loquebatur enim in illo Spiritus Domini, qui illum ad sacerdotium nutriebat: illa vero ut adolescentem et nescientem quid diceret, respuebat.

5. Sed postquam edoctus liberalibus disciplinis, ex Urbe egressus est, professusque in
4 auditorio præfecturæ prætorii,[4] ita splendide causas peroravit, ut eligeretur a viro illustri Probo, tunc præfecto prætorii, ad consilium tri-
5 buendum.[5] Post hæc consularitatis suscepit insignia, ut regeret Liguriam, Æmiliamque provincias, venitque Mediolanum.

6. Per idem tempus, mortuo Auxentio arianæ perfidiæ episcopo (qui, Dionysio beatæ memoriæ confessore ad exsilium destinato, incubabat Ec-
6 clesiam),[6] cum populus ad seditionem surgeret in petendo episcopo, essetque illi cura sedandæ seditionis, ne populus civitatis in periculum sui verteretur, perrexit ad ecclesiam: ibique cum alloqueretur plebem, subito vox fertur infantis
7 in populo sonuisse Ambrosium episcopum.[7] Ad

A cujus vocis sonum totius populi ora conversa sunt, acclamantis Ambrosium episcopum: ita qui antea turbulentissime dissidebant, quia et Ariani sibi et Catholici sibi episcopum cupiebant, superatis alterutris, ordinari, repente in hunc unum mirabili et incredibili concordia consenserunt.[8] 8

7. Quo ille cognito, egressus ecclesiam, tribunal sibi parari fecit; quippe mox futurus episcopus, altiora conscendit: tunc contra con-
B suetudinem suam tormenta jussit personis adhiberi. Quod cum faceret, populus nihilominus acclamabat: Peccatum tuum super nos. Sed non similiter is populus tunc clamavit, sicut populus Judæorum; illi enim vocibus suis sanguinem Dominicum effuderunt, dicentes: *Sanguis hujus super nos:* isti vero catechumenum Mau
scientes, fideli voce remissionem illi peccatorum omnium per baptismatis gratiam promittebant. Tunc ille turbatus revertens domum, philoso-
C phiam profiteri voluit, futurus sed verus philosophus Christi, qui contemptis sæcularibus pompis, piscatorum secuturus esset vestigia, qui Christo populos congregarunt non fucis verborum, sed simplici sermone, et veræ fidei ratione, missi sine pera, sine virga, etiam ipsos philosophos converterunt. Quod ubi ne faceret, revocatus est, publicas mulieres publice ad se ingredi fecit, ad hoc tantum, ut visis his, populi intentio revocaretur. At vero populus magis
D magisque clamabat: Peccatum tuum super nos.

8. At ille cum videret nihil intentionem suam posse proficere, fugam paravit: egressusque noctis medio civitatem, cum Ticinum se pergere putaret, mane ad portam civitatis Mediolanensis, quæ Romana dicitur, invenitur: Deus enim qui Ecclesiæ suæ catholicæ murum parabat adversus inimicos suos, et turrem erigebat David contra faciem Damasci, hoc est, contra perfidam hæreticorum, fugam illius impedivit. Qui inventus,
E cum custodiretur a populo, missa relatio est ad clementissimum imperatorem tunc Valentinianum,[9] qui summo gaudio accepit quod judex 9
a se directus ad sacerdotium peteretur.[10] Lætabatur etiam Probus præfectus, quod verbum 10
ejus impleretur in Ambrosio; dixerat enim proficiscenti, cum mandata ab eodem darentur, ut moris est: Vade, age non ut judex, sed ut episcopus.

[1] Idem codex, *finem rei præstolabatur, quo scilicet ordine illud miraculum clauderetur.*

[2] Pro *domestica* non famula, sed illa virgo intelligenda quæ in domo illius familiæ commorabatur. (Edit. mediol.).

[3] Omnes edit. ac mss. nonnulli, *sacerdotis a domestica sorore vel matre manus osculari.... ab eis fieri oportere;* alii mss. plures ac potiores, ut nos in textu.

[4] Idest causis dicendis se dedit, ac videtur id Mediolani præstitisse, ubi de more erat auditorium præfecturæ Italiæ; non enim Romæ id munus gessit, cum *ex Urbe egressus* dicatur. (Edit. mediol.).

[5] Tunc igitur Romam reversus videtur ut ipsi Probo consiliarius adstaret. (Edit. mediol.).

[6] Nonnulli mss., *incursabat Ecclesiam;* cæteri, *incubabat Ecclesiam*, editt., *Ecclesiæ.*

[7] Cod. Fisc. atque Becc., *infantis ter in populo sonuisse.* At post paulo solus Fisc., *per ter acclamantis:* in Becc. autem et paucis aliis hic voces aliquot prætermittuntur.

[8] Fisc. cod. immani hiatu istic fatiscit; etenim post *consenserunt* statim subjungit: *Igitur Ambrosius populi in sua electione agnito assensu, cum videret contra votum suum rem ad profectum venire, fugam paravit.*

[9] Iste tunc temporis minime Mediolani; sed vel Treviris, vel in aliquo alio loco ad Rheni ripas morabatur. (Ed. mediol.).

[10] Rursus in eodem cod. Fisc. lacuna hic est ad eum modum, *contra faciem Damasci. Hoc igitur ad clementissimum imperatorem tunc Valentinianum relatum est, qui summo gaudio accepit quod judices a se directi ad sacerdotium peterentur.*

9. Pendente itaque relatione,[1] iterum fugam paravit, itaque in possessione cujusdam Leontii clarissimi viri aliquamdiu delituit. Sed ubi relationi responsum est, ab eodem Leontio proditur: præceptum enim erat vicario[2] ut insisteret rebus perficiendis: qui injuncta sibi cum vellet implere, proposito edicto, convenit omnes, ut si vellent sibi consulere, rebusque suis, prodderent virum. Proditur itaque et adductus Mediolanum, cum intelligeret circa se Dei voluntatem, nec se diutius posse resistere, postulavit non se nisi a catholico episcopo baptizari; sollicite enim cavebat perfidiam arianorum.[3] Baptizatus itaque fertur omnia ecclesiastica officia implesse, atque octava die episcopus ordinatus est summa cum gratia et lætitia cunctorum.[4] Igitur post annos aliquot ordinationis suæ ad urbem Romam, hoc est, ad proprium solum perrexit, ibique sanctam puellam, de qua supra memoravimus, cui manum offerre solitus erat, in domo propria cum germana, sicut reliquerat, invenit, jam matre defuncta. Atque cum illa dexteram illius oscularetur, subridens ait illi: Ecce ut dicebam tibi, sacerdotis manum oscularis.

10. Per idem tempus cum trans Tiberim apud quamdam clarissimam invitatus, sacrificium in domo offerret, quædam balneatrix quæ paralytica in lecto jacebat, cum cognovisset ibidem esse Domini Sacerdotem, in sellula se ad eamdem domum, ad quam ille invitatus venerat, portari fecit, atque orantis et imponentis manus vestimenta attigit. Quæ cum exoscularetur, statim sanitate recepta, ambulare cœpit; ut impleretur illud Dominicum dictum ad apostolos: *Etiam majora his facietis, credentes in nomine meo.* Joan. XIV, 12. Quod tamen signum sanitatis ut mirabile fuit, ita etiam nec occultum; nam ego hoc in eadem regione[5] post annos plurimos, sanctis viris referentibus, positus in Urbe cognovi.

11. Sirmium vero cum ad ordinandum episcopum Anemium perrexisset, ibique Justinæ tunc temporis reginæ potentia et multitudine coadunata de ecclesia pelleretur, ut non ab ipso, sed ab hæreticis arianus episcopus in eadem ecclesia ordinaretur; essetque constitutus in tribunali, nihil curans eorum, quæ a muliere excitabantur; una de virginibus arianorum impudentior cæteris, tribunal conscendens, apprehenso vestimento Sacerdotis, cum illum attrahere vellet ad partem mulierum, ut ab ipsis cæsus de ecclesia pelleretur; ait ei, ut ipse solitus erat referre: Etsi ego indignus tanto sacerdotio sum, tamen te non convenit vel professionem tuam in qualemcumque sacerdotem manus injicere; unde deberes vereri Dei judicium, ne tibi aliquid mali eveniret. Quod dictum exitus confirmavit; nam alio die mortuam ad sepulcrum usque deduxit, gratiam pro contumelia rependens. Et hoc factum non levem adversariis incussit metum, pacemque magnam Ecclesiæ catholicæ in ordinando episcopo tribuit.

12. Ordinato itaque catholico sacerdote, Mediolanum revertitur, ibique supradictæ Justinæ mulieris innumeras insidias sustinuit, quæ muneribus atque honoribus adversus sanctum virum oblatis, populum excitabat. Sed infirmorum animi talibus promissis decipiebantur: promittebat enim tribunatus, et diversas alias dignitates iis, qui illum de ecclesia raptum, ad exsilium perduxissent. Quod cum multi conarentur, sed Deo præsule, perficere non valerent, unus infelicior cæteris, nomine Euthymius, in tantum furorem excitatus est, ut juxta ecclesiam sibi domum pararet, atque in eadem carrum constitueret, quo facilius raptum, superpositum carpento[6] ad exsilium perduceret. *Sed iniquitas ejus in verticem ipsius descendit;* post annum Ps. VII, 17 etenim eodem die quo illum rapere se arbitrabatur, in eodem carpento impositus, de eadem domo ipse ad exsilium destinatus est, reputans sibi justo judicio Dei id in se esse conversum; ut in eo carpento dirigeretur ad exsilium, quod ipse paraverat Sacerdoti. Cui non minimum solatii Sacerdos præbuit, dando sumptus, vel alia quæ erant necessaria.

13. Sed hæc confessio hominis nec mulieris furorem, nec væsanorum arianorum dementiam repressit; majore etenim accensi amentia, basilicam Portianam invadere nitebantur: exercitus etiam armatus ad custodiendas fores ecclesiæ est directus, ut nemo auderet catholicam ecclesiam ingredi. Sed Dominus qui de adversariis suis Ecclesiæ suæ triumphos donare consuevit, ad Ecclesiæ suæ munimentum militum corda convertit; ut aversis scutis[7] ecclesiæ fores servarent, nec egredi dimitterent, sed ingredi ecclesiam plebem catholicam minime prohiberent. Sed nec hoc satis erat missis militibus, nisi etiam pro catholica fide cum plebe pariter acclamarent. Hoc in tempore primum antiphonæ, hymni, ac vigiliæ in ecclesia Mediolanensi celebrari cœperunt. Cujus celebritatis devotio usque in hodiernum diem non solum in eadem ecclesia, verum per omnes pene Occidentis provincias manet.

14. Per idem tempus sancti martyres Protasius et Gervasius se Sacerdoti revelaverunt. Erant enim in basilica positi, in qua sunt hodie corpora Naboris et Felicis martyrum: sed sancti

[1] Relatione nempe quæ de Ambrosii electione ad imperatorem per episcopos facta fuit. (Edit. mediol.).

[2] Ipse nemper imperator Vicario Italiæ rescripsit ut cito, negotium perficeretur. (Edit. mediol.).

[3] Mss. aliquot, *sollicitum enim habebat perfidiam Arianorum.*

[4] A Limenio, qui Eusebio, insigni Vercellarum episcopo, successit, admodum probabile est et baptismum et ecclesiasticos ordines suscepisse quia illa tunc post Mediolanum præcipua in Insubria sedes erat. (Edit. mediol.).

[5] Aberat ab edit. et mss. quibusdam, *in eadem regione:* sed in aliis mss. probatioribus reperitur.

[6] Restituitur etiam e mss. prope omnibus, *superpositum carpento.*

[7] Nonnulli mss., *ut adversis scutis..... nec ingrediendi licentiam dimitterent, sed egrediendi.*

martyres Nabor et Felix celeberrime frequentabantur, Protasii vero et Gervasii martyrum ut nomina, ita etiam sepulcra incognita erant, in tantum ut supra ipsorum sepulcra ambularent omnes, qui vellent ad cancellos pervenire, quibus sanctorum Naboris et Felicis martyrum ab injuria sepulcra defendebantur. Sed ubi sanctorum martyrum corpora sunt levata, et in lecticis posita, multorum ibi satanæ ægritudines
1 perdocentur.[1] Cæcus etiam Severus nomine, qui nunc usque in eadem basilica quæ dicitur Ambrosiana, in quam martyrum corpora sunt translata, religiose servit, ubi vestem martyrum attigit, statim lumen recepit. Obsessa etiam corpora a spiritibus immundis curata, summa cum gratia domum repetebant. Sed iis beneficiis martyrum in quantum crescebat fides Ecclesiæ catholicæ, in tantum arianorum perfidia minuebatur.

15. Denique ex hoc tempore sedari cœpit persecutio, quæ Justinæ furore accendebatur, ut Sacerdos de Ecclesia pelleretur. Tamen intra palatium multitudo arianorum cum Justina constituta deridebat tantam Dei gratiam, quam Ecclesiæ catholicæ Dominus Jesus meritis martyrum suorum conferre dignatus est; venerabilemque virum Ambrosium narrabat pecunia comparasse homines, qui se vexari ab immundis spiritibus mentirentur; atque ita ab illo, sicut et a martyribus, se torqueri dicerent. Sed hoc Judaico ore loquebantur ariani, suppares scilicet eorum; illi enim de Domino dicebant, quoniam *in Beelzebuth principe dæmoniorum ejicit dæ-*
Luc. xi, 15. *monia*: isti de martyribus, vel de Domini Sacerdote loquebantur, quod non Dei gratia, quæ per ipsos operabatur, immundi spiritus pellerentur; sed accepta pecunia se torqueri mentirentur. Clamabant enim dæmones: Scimus vos martyres: et ariani dicebant: Nescimus esse martyres. Jam hoc et in Evangelio legimus, ubi dixerunt dæmones ad Dominum Jesum: Scimus
Marc. i, 24. te, quia sis Dei Filius; et Judæi dicebant: *Hic*
Joan. ix, 29. *autem unde sit, nescimus.* Sed non hic testimonium accipitur dæmonum, sed confessio; unde miseriores ariani vel Judæi, ut quod confitentur dæmones, illi negent.

16. Deus tamen qui gratiam Ecclesiæ suæ augere consuevit, non passus est diu insultari a perfidis sanctis suis. Unus itaque ex ipsa multitudine subito arreptus a spiritu immundo,
2 clamare cœpit ita torqueri eos,[2] ut ipse torquebatur, qui negarent martyres, vel qui non crederent in Trinitatis unitatem, quam docet Ambrosius. At illi hac voce confusi, qui converti debuerant, et dignam tali confessione agere pœnitentiam, in piscinam demersum hominem necaverunt, perfidiæ homicidium adjungentes; deduxit enim illos ad hunc finem digna

A necessitas. Sanctus vero Ambrosius episcopus majoris humilitatis vir factus, donatam sibi a Domino gratiam reservabat, crescebatque quotidie fide et amore coram Deo et hominibus.

17. Per idem tempus erat quidam vir de hæresi arianorum, acerrimus nimium disputator, et durus atque inconvertibilis ad fidem catholicam. Is constitutus in Ecclesia, tractante Episcopo, vidit (ut ipse postmodum loquebatur) angelum ad aures Episcopi tractantis loquen-
B tem; ut verba angeli populo Episcopus renuntiare videretur. Quo viso conversus, fidem quam expugnabat, cœpit ipse defendere.

18. Fuerunt etiam duo cubicularii tunc temporis Gratiani imperatoris de hæresi arianorum, qui tractanti Episcopo[3] quæstionem proponerent, ad quam audiendam altero die ad basilicam Portianam se adfuturos promiserant; erat enim quæstio de incarnatione Domini. Sed alio die miserandi homines superbiæ tumore com-
C pleti, nec memores promissorum, contemnentes Deum in Sacerdote ipsius, nec plebis exspectantis considerantes injuriam, immemores etiam dictorum Dominicorum, quoniam *qui scandalizaverit unum ex minimis istis, oportet ut mola asinaria collo ejus alligetur, et demergatur in profundum maris,* ascendentes in rhedam, quasi Matth. xviii, 6
gratia gestandi, civitatem egressi sunt, exspectante Sacerdote et plebe in ecclesia constituta. Sed hujus contumaciæ quis finis fuerit,
D horresco referens; subito enim præcipitati de rheda, animas emiserunt, atque corpora illorum sepulturæ sunt tradita. Sanctus vero Ambrosius cum ignoraret quid factum esset, nec diutius posset plebem tenere, ascendens pro tribunali, de eadem quæstione quæ fuerat proposita, sermonem adorsus est, dicens: *Debitum, fratres, cupio solvendum, sed hesternos meos non invenio creditores,* et reliqua quæ scripta sunt in libro, qui *de Incarnatione Domini* intitulatur. Tom. IV, p. 875

E 19. Occiso itaque Gratiano imperatore, recipiendi corporis ejus causa secundam ad Maximum suscepit legationem.[4] Apud quem quam constanter egerit, qui voluerit cognoscere, ipsius legationis epistolam ad Valentinianum juniorem datam cum legerit, approbabit; nobis enim Epist. 24
alienum a promissione visum est illam inserere, ne adjunctæ epistolæ prolixitas fastidium legenti afferret. Ipsum vero Maximum a communionis consortio segregavit, admonens ut
F effusi sanguinis domini sui, et quod est gravius, innocentis, ageret pœnitentiam, si sibi apud Deum vellet esse consultum. Sed ille cum pœnitentiam declinet superbo spiritu, non solum futuram, sed etiam præsentem salutem amisit, regnumque quod male arripuerat, femineo quodam modo, timore deposuit, ut procuratorem

[1] Idest, multi sanati sunt ab apparentibus morbis, quæ satanæ erant infestationes. (Edit. mediol.).

[2] Omnes edit. cum codice uno vel altero, *ita optare se torqueri eos:* cæteri mss. summo consensu repudiant, *optare se.*

[3] Ita mss.; editt. e contrario, *qui tractandam episcopo*, etc.

[4] De prima legatione, quæ pariter post Gratiani occisionem habita est, nullam fecit mentionem Paulinus, qui non omnia Ambrosii facta persequi voluit, sed ea præcipua tantum exhibere, unde magis ejus sanctitas eluceret. (Ed. med.).

1 se reipublicæ, non imperatorem fuisse[1] confi-
teretur.

20. Mortua vero Justina, quidam haruspex
2 Innocentius nomine, non tamen opere,[2] cum in
causa maleficiorum a judice torqueretur, aliud
quam interrogabatur fateri cœpit; clamabat
enim ab angelo majora tormenta sibi adhiberi
eo qui custodiret Ambrosium; quoniam tempo-
ribus Justinæ ad excitanda odia populorum in
Episcopum cacumen tecti ecclesiæ conscendens,
medio noctis sacrificaverit. Sed quanto instantius
et sollicitius opera maligna exercebat, tanto
magis amor populi circa fidem catholicam et
Domini Sacerdotem convalescebat. Misisse se
etiam et dæmones, qui illum internecarent, fa-
tebatur: sed dæmones renuntiasse se non solum
ad ipsum appropinquare minime posse, verum
etiam nec ad fores domus, in qua manebat
Episcopus; quia ignis insuperabilis omne illud
ædificium communiret, ut etiam longe positi
urerentur: atque ita cessasse artes suas, quibus
adversus Domini Sacerdotem se aliquid posse
arbitrabatur. Alius etiam gladium ferens ad cu-
biculum usque pervenit, ut interficeret Sacerdo-
tem: sed cum elevasset manum, districto gladio,
dextera exerta in aera obrigente, remansit. Tunc
se missum a Justina postquam confessus est,
brachium quod inique cum extenderetur, obri-
guerat, sanatum est confessione.

21. Per idem tempus cum vir illustris Probus
puerum suum notarium, qui spiritu immundo
graviter vexabatur, direxisset ad Episcopum,
egressum ex Urbe dimisit diabolus, timens ad
virum sanctum perduci. Atque ita puer quamdiu
Mediolani apud Episcopum fuit, nulla in illo
diaboli dominatio apparuit: sed ubi egressus
Mediolano est, et prope Urbem pervenit, idem
spiritus qui illum antea habuerat, vexare eum
cœpit. Qui cum interrogaretur ab exorcistis,
cur quamdiu Mediolani fuisset, non in illo ap-
paruisset; confessus est diabolus timuisse se
Ambrosium, et ideo recessisse ad tempus, atque
exspectasse in illo loco, ubi ab illo recesserat,
donec reverteretur: quo revertente, vas quod
deseruerat, repetisset.

22. Exstincto Maximo, posito Theodosio im-
peratore Mediolani, Ambrosio vero episcopo
constituto Aquilejæ, in partibus Orientis in
quodam castello a christianis viris synagoga
Judæorum et lucus Valentinianorum incendio
concremata sunt, propterea quod Judæi vel Va-
lentiniani insultarent monachis christianis; Va-
lentinianorum enim hæresis triginta deos colit.
Sed de hujusmodi facto comes Orientis ad im-
peratorem relationem direxit: qua accepta,
imperator præceperat ut synagoga ab episcopo
loci reædificaretur, in monachos vero vindica-
retur. Sed hujus præcepti tenor cum ad aures
pervenisset venerabilis viri Ambrosii episcopi,
A direxit ad imperatorem epistolam, quia ipse in Epist. 40.
tempore excurrere non poterat, qua illum con-
venit, ut id quod ab eodem statutum fuerat,
revocaretur, servarique sibi debere ab eo au-
dientiam; quia si dignus non esset, qui ab illo
audiretur, dignus etiam non esset, qui pro illo a
Domino audiretur, vel cui suas preces, aut cui
sua vota committeret: paratum etiam se esse
pro tali negotio mortem subire, ne dissimula-
tione sui prævaricatorem faceret imperatorem,
B qui tam injusta contra Ecclesiam præcepisset.

23. Postea vero quam Mediolanum reversus
est, posito imperatore in ecclesia, de eadem
causa tractavit in populo. In quo tractatu in-
troduxit Domini personam loquentis imperatori:
Ego te ex ultimo imperatorem feci; ego tibi
exercitum inimici tui tradidi; ego tibi copias
quas ille adversum te exercitui suo præpara-
verat, dedi; ego inimicum tuum in potestatem
tuam redegi; ego de semine tuo supra solium
C regni constitui; ego te triumphare sine labore
feci: et tu de me inimicis meis donas trium-
phos! Cui descendenti de exhedra imperator
ait: Contra nos proposuisti hodie, Episcope.
At ille respondit non se contra ipsum, sed pro
ipso fuisse locutum. Tunc imperator: Re vera,
inquit, dure præceperam contra episcopum de
synagoga reparanda: in monachos vero vindi-
candum esse.[3] Ita et a comitibus qui in tem- 3
pore aderant, dicebatur. Quibus Episcopus: Ego
D quidem cum imperatore nunc ago; vobiscum
vero mihi aliter agendum est. Atque ita obti-
nuit ut illa quæ statuta fuerant, revocarentur:
nec prius ad altare accedere voluit, nisi fide sua
imperator illum agere debere testaretur. Cui
Episcopus: *Ergo ago fide tua.* Respondit im-
perator: *Age fide mea.* Qua sponsione iterata,
jam securus peregit Sacerdos divina mysteria.
Hæc autem scripta sunt in epistola, quam ad
germanam suam fecit: in qua tractatum inse- Ibid., 41.
E ruit, quem eodem die habuit de baculo nuceo,
qui a propheta Hieremia visus esse describitur.

24. Per idem tempus causa Thessalonicensis
civitatis non minima successit tribulatio Sacer-
doti, cum civitatem pene deletam comperisset:
promiserat enim illi imperator se veniam da-
turum civibus supradictæ civitatis; sed agen-
tibus comitibus occulte cum imperatore, igno-
rante Sacerdote, usque in horam tertiam gladio
civitas[4] est donata, atque plurimi interempti 4
F innocentes. Quod factum ubi cognovit Sacerdos,
copiam imperatori ingrediendi ecclesiam dene-
gavit; nec prius dignum judicavit cœtu ecclesiæ,
vel sacramentorum communione, quam publi-
cam ageret pœnitentiam. Cui imperator contra
asserebat David adulterium simul et homicidium
perpetrasse. Sed responsum illico est: *Qui se-
cutus es errantem, sequere corrigentem.* Quod
ubi audivit clementissimus imperator, ita su-

[1] Omnes edit., *se reipublicæ nomine præfuisse;* omnes mss. ut in contextu.

[2] Mss. nonnulli, *sed opere crudelissimus.*

[3] Ita mss.; editt. vero, *vindicandum esse a comitibus.* Minus concinne.

[4] Mss. aliquot, *in horam tertiam eis civitas,* etc.

scepit animo, ut publicam pœnitentiam non abhorreret: cujus correctionis profectus secundam illi paravit victoriam.

25. Per idem tempus duo potentissimi et sapientissimi viri Persarum ad famam Sacerdotis venere Mediolanum, deferentes secum plurimas quæstiones, ut ex his probarent sapientiam viri: cum quo ab hora diei prima usque in horam tertiam noctis per interpretem disputaverunt, admirantesque discesserunt ab eo. Et ut se probarent non ob aliam causam venisse, nisi ut certo certius nossent virum, quem fama compererant; alia die valefacientes imperatori, profecti sunt ad urbem Romam, illic volentes cognoscere potentiam illustris viri Probi, qua cognita, ad propria remearunt.

26. Sed egresso Theodosio de Italia et Constantinopoli constituto, Valentiniano Augusto
1 intra Gallias posito, directa legatio est[1] sub nomine senatus a Symmacho tunc præfecto Urbis de repetenda ara Victoriæ et sumptibus cæremoniarum. Sed ubi comperit Sacerdos, misso
Epist. 17 et 18. libello ad imperatorem, postulavit ut ad se relationis exemplaria dirigerentur, quibus ipse pro partibus suis responsurus esset. Qua relatione accepta, præclarissimum libellum conscripsit, ut contra nihil umquam auderet Symmachus vir eloquentissimus respondere: sed postquam augustæ memoriæ Valentinianus in Viennensi civitate (quæ est Galliarum civitas) vitam finivit; Eugenius suscepit imperium, qui ubi imperare cœpit, non multo post, petentibus Flaviano tunc præfecto et Arbogaste comite, aram Victoriæ et sumptus cæremoniarum, quod Valentinianus augustæ memoriæ adhuc in junioribus annis constitutus, petentibus denegaverat, oblitus fidei suæ concessit.

27. Hoc ubi cognovit Sacerdos, derelicta civitate Mediolanensi, ad quam ille festinato veniebat, ad Bononiensem civitatem emigravit, atque inde Faventiam usque perrexit. Ubi cum aliquantis degeret diebus, invitatus a Florentinis, ad Tusciam usque descendit, declinans magis sacrilegi viri aspectum, non formidans imperantis injuriam: nam et epistolam ad eum-
Ibid., 57. dem dedit, in qua convenit conscientiam illius, de qua pauca de multis ponenda duxi. *Et si imperatoria potestas magna sit, tamen considera, Imperator, quantus sit Deus. Corda hominum videt, conscientiam interiorem interrogat, novit omnia antequam fiant, novit interna pectoris tui. Ipsi falli vos non patimini, et Deum vultis celare? Non cecidit in animum tuum quidquam? Si illi agebant tam perseveranter, nonne tuum fuit, Imperator, pro Dei summi et veri et vivi veneratione perseverantius obsistere, et negare*
Num. 7. *quod erat in injuriam sacræ legis?* Et iterum: *Quoniam igitur meis vocibus et apud Deum et*

A *apud omnes homines teneor; aliud mihi non licere intellexi, aliud non oportere, nisi ut consulerem mihi, quia non potui tibi.*

28. In supradicta itaque civitate Florentinorum, cum in domo clarissimi quondam viri Decentis, et quod est amplius, christiani, maneret, filius ipsius, Pansophius nomine, admodum parvulus, cum spiritu immundo laboraret, frequenti oratione et impositione manus Sacerdotis ipsius est sanatus: sed post aliquantos dies subita
B infirmitate correptus infantulus exhalavit spiritum. Cujus mater valde religiosa, et plena fide ac timore Dei, ablato illo de superiore parte domus, ad inferiora descendit, ac in lecto Sacerdotis, ipso absente, composuit. Quem cum revertens Sacerdos in lectulo invenisset, erat enim illo in tempore extra domum positus, miseratus matrem et fidem ipsius contemplatus, Elisæo similis supra corpus infantis se ipse composuit, atque orando meruit ut vivum redderet
C matri, quem mortuum invenerat; ad quem etiam infantulum libellum conscripsit, ut quod per ætatis infantiam scire non poterat, legendo cognosceret. Verumtamen factum scriptis suis non commemoravit: sed quo affectu declinaverit commemorare non est nostrum judicare.

29. In eadem etiam civitate basilicam constituit, in qua deposuit reliquias martyrum Vitalis et Agricolæ, quorum corpora in Bononiensi civitate levaverat: posita enim erant corpora Exhort. Virgin. Opp. Tomo IV.
D Martyrum inter corpora Judæorum; nec erat cognitum populo christiano, nisi se sancti martyres sacerdoti ipsius Ecclesiæ revelassent.[2] Quæ 2
cum deponerentur sub altari, quod est in eadem basilica constitutum, magna illic totius plebis sanctæ lætitia atque exsultatio fuit, pœna dæmonum confitentium martyrum merita.

30. Per idem tempus Arbogastes comes adversum gentem suam, hoc est, Francorum, bellum paravit, atque pugnando non parvam
E multitudinem manu fudit, cum residuis vero pacem firmavit. Sed cum in convivio a regibus gentis suæ interrogaretur, utrum sciret Ambrosium; et respondisset nosse se virum, et diligi ab eo, atque frequenter cum illo convivari solitum, audivit: Ideo vincis, Comes, quia ab illo viro diligeris, qui dicit soli: Sta, et stat. Quod ego ideo posui, ut cujus famæ fuerit vir sanctus etiam apud barbaras gentes, legentes agnoscant. Nam et nos, referente juvene quodam Ar-
F bogastis admodum religioso, cognovimus, qui tunc interfuit; erat enim in tempore, quo hæc loquebantur,[3] vini minister. 3

31. Profectus itaque Sacerdos de Tusciæ partibus Mediolanum revertitur, jam inde egresso Eugenio contra Theodosium: ibi christiani imperatoris præstolabatur adventum, securus de Dei potentia quod non traderet credentem in

[1] Omnes edit., *directa relatio est;* omnes mss., *directa legatio est;* quæ relationem scilicet offerret Cæsari.

[2] Eædem edit. cum cod. uno Germ., *sacerdoti ipsi revelassent:* cæteri mss. ut in contextu.

[3] Ita mss. uno excepto: editt. autem Maurinæ anteriores cum eodem, *quo hæc loquebatur.* Sed melius *loquebantur* quia refertur ad reges, de quibus supra. (Editor mediol.).

se hominibus injustis, nec relinqueret virgam peccatorum super sortem justorum, ne extenderent justi ad iniquitates manus suas. Promiserat enim Arbogastes tunc comes, et Flavianus præfectus Mediolano egredientes, cum victores reversi essent, stabulum se esse facturos in basilica ecclesiæ Mediolanensis atque clericos sub armis probaturos: sed miserandi homines cum dæmonibus suis male creduli sunt, et aperiunt os suum in blasphemiam apud Deum,[1] spem sibi victoriæ ademerunt. Causa autem commotionis hæc fuit, quia munera imperatoris qui se sacrilegio miscuerat, ab Ecclesia respuebantur, nec orandi illi cum Ecclesia societas tribuebatur. Sed Dominus qui Ecclesiam suam tueri consuevit, de cœlo jaculatus est judicium, atque omnem victoriam ad religiosum imperatorem transtulit Theodosium. Exstincto itaque Eugenio satellitibusque ejus, cum scripta acciperet imperatoris, non illi alia cura major fuit quam ut pro iis interveniret, quos reatus invenerat. Obsecratus est primo scriptis imperatorem misso diacono: postea vero quam directus est Joannes tunc tribunus et notarius, qui nunc præfectus est, ad tuitionem eorum qui ad ecclesiam confugerant, etiam ipse Aquilejam perrexit precaturus pro eis, quibus facile venia impetrata est; quia ipse christianus imperator provolutus pedibus Sacerdotis testabatur meritis et orationibus ejus se esse servatum.

Ps. cxxiv, 3. Epist. 61 et 62

32. Revertens itaque de Urbe Aquilejensi, uno die præcessit imperatorem: nec diu clementissimæ memoriæ Theodosius imperator susceptis filiis in Ecclesia et traditis Sacerdoti, in hac luce fuit: post cujus obitum fere triennium supervixit. Quo in tempore sancti Nazarii martyris corpus, quod erat in horto positum extra civitatem, levatum ad basilicam Apostolorum quæ est in Romana,[2] transtulit. Vidimus autem in sepulcro, quo jacebat corpus martyris (qui quando sit passus, usque in hodiernum scire non possumus), sanguinem martyris ita recentem, quasi eodem die fuisset effusus. Caput etiam ipsius, quod ab impiis fuerat abscissum, ita integrum atque incorruptum cum capillis capitis atque barba, ut nobis videretur eodem tempore quo levabatur, lotum atque compositum in sepulcro. Et quid mirum, quandoquidem Dominus in Evangelio ante promisit, quod capillus de capite eorum non peribit? Etiam odore tanto repleti sumus, ut omnium aromatum vinceret suavitatem.

Luc. xxi, 18.

33. Quo levato corpore martyris, et in lectica composito, statim ad sanctum Celsum martyrem, qui in eodem horto positus est, cum sancto Sacerdote ad orationem perreximus. Numquam tamen illum antea orasse in eodem loco compertum habemus: sed hoc erat signum revelati corporis martyris, si sanctus Sacerdos ad locum, ad quem numquam antea fuerat, oratum isset. Cognovimus tamen a custodibus loci ipsius, quod a parentibus suis illis traditum sit, non discedere de loco illo per omnem generationem et progeniem suorum; eo quod thesauri magni in eodem loco positi essent. Et vere magni thesauri, quos non ærugo, neque tinea exterminat, neque fures effodiunt et furantur; quia custos eorum Christus est, et locus eorum aula cœlestis, quibus *Vivere Christus fuit, et mori lucrum.* Translato itaque corpore Martyris ad basilicam Apostolorum ubi pridem sanctorum Apostolorum[3] reliquiæ summa omnium devotione depositæ fuerant, cum tractaret Episcopus, quidam de populo repletus spiritu immundo, clamare cœpit se torqueri ab Ambrosio. At ille conversus ad eum ait: Obmutesce, diabole; quia non te torquet Ambrosius, sed fides sanctorum et invidia tua; quoniam illuc vides ascendere homines, unde tu dejectus es; nam Ambrosius nescit inflari. Quo dicto, ille qui clamabat, obmutuit, prostratusque in terram est, nec amplius vocem qua obstrepere posset, emisit.

Matth. vi, 19. Philip. 21

34. Per idem tempus cum consolatus sui tempore imperator Honorius in urbe Mediolanensium, Lybicarum ferarum exhiberet munus, populo illuc concurrente, data copia est missis militibus[4] tunc ab Stilicone comite hortatu Eusebii præfecti, ut Cresconius quidam de ecclesia raperetur; quem confugientem ad altare Domini sanctus Episcopus cum clericis, qui in tempore aderant, defendendum circumdedit. Sed multitudo militum, quæ duces suos habebat[5] de perfidia arianorum, prævaluit adversum paucos; atque, ablato Cresconio, exultantes ad amphitheatrum reverterunt, Ecclesiæ luctum non modicum relinquentes; nam Sacerdos prostratus ante altare Domini factum diu flevit. Sed in tempore cum revertissent, et renuntiassent iis, a quibus fuerant destinati milites, dimissi leopardi saltu celeri ad eumdem locum, in quo sederant qui de Ecclesia triumphabant, ascendentes graviter laniatos reliquerunt. Quod ubi vidit tunc Stilico comes, pœnitentia motus est, ita ut per multos dies satisfaceret Sacerdoti, et illæsum quidem illum qui ablatus fuerat, dimisit: sed quia gravissimorum criminum erat reus, et aliter emendari non poterat, ad exsilium destinavit, non multo post indulgentia prosequente.

35. Per idem tempus cum ad palatium pergeret eumque pro loco officii nostri sequeremur, Theodulo tunc notario,[6] qui postea summa cum gratia Mutinensem rexit ecclesiam, cum casu quidam pede esset lapsus, atque prostratus jaceret in terra, ridenti factum conversus Sacerdos

[1] Omnes edit., *contra Deum;* omnes mss., *apud Deum.*

[2] Omnes edit., *quæ est Romana;* mss. e contrario, *quæ est in Romana*, regione scilicet; id est, prope portam Romanam urbis Mediolani.

[3] Mss. aliquot, *ubi pridie sanctorum apostolorum.*

[4] In edit. Gill. ac plures mss. alii nonnulli, *data copia est injustis militibus;* Rom. edit., *data copia est militibus.*

[5] Mss. aliquot, *quæ duo duces habebat.*

[6] Quidam mss., *Theodoro tunc notario;* unus, *Theodorus tunc notariu*, non bene.

I Cor x, 12. ait: Et tu qui stas, vide ne cadas. Quo dicto, statim is qui alienum lapsum riserat, suum doluit.

36. Per idem tempus Frigitil quædam regina Marcomannorum, cum a quodam Christiano viro, qui ad illam forte de Italiæ partibus advenerat, referente sibi, audiret famam viri, Christo credidit, cujus illum servulum recognoverat, missisque Mediolanum muneribus ad Ecclesiam, per legatos postulavit, ut scriptis ipsius qualiter credere deberet, informaretur. Ad quam ille epistolam fecit præclaram in modum catechismi, in qua etiam admonuit ut suaderet viro Romanis pacem servare: qua accepta epistola, mulier suasit viro, ut cum populo suo se Romanis traderet. Quæ cum venisset Mediolanum, plurimum doluit quod sanctum Sacerdotem, ad quem festinarat, minime reperisset; jam enim de hac luce migraverat.

37. Temporibus vero Gratiani, ut retro redeam, cum ad prætorium Macedonii tunc magistri officiorum pro quodam intercedendum perrexisset, atque ex præcepto supradicti viri fores invenisset clausas, nec copiam ingrediendi adeptus esset, ait: Et tu quidem venies ad ecclesiam nec clausis januis invenies, quo ingre-
1 diaris.[1] Quod factum est; mortuo enim Gratiano, confugiens Macedonius ad ecclesiam, patentibus januis, aditum reperire non poterat.

38. Vir autem ipse venerabilis Episcopus multæ abstinentiæ, et vigiliarum multarum et laborum, quotidiano jejunio macerans corpus, cui prandendi numquam consuetudo fuit, nisi die sabbati, et Dominico, vel cum natalitia celeberrimo-
2 rum martyrum essent.[2] Orandi etiam assiduitas magna die ac nocte: nec operam declinabat scribendi propria manu libros, nisi cum aliqua
3 infirmitate corpus ejus attineretur.[3] Erat etiam in illo sollicitudo omnium Ecclesiarum, interveniendi etiam magna assiduitas et constantia. In rebus etiam divinis implendis fortissimus, in tantum ut quod solitus erat circa baptizandos solus implere, quinque postea episcopi tempore quo decessit, vix implerent. Sollicitus etiam nimium pro pauperibus et captivis: nam in tempore quo episcopus ordinatus est, aurum omne atque argentum quod habere poterat, Ecclesiæ vel pauperibus contulit. Prædia etiam quæ habebat, reservato usufructuario germanæ suæ, donavit Ecclesiæ, nihil sibi quod hic suum diceret, derelinquens; ut nudus atque expeditus miles Christum dominum sequeretur: *Qui cum dives esset, propter nos pauper factus est, ut*
II Cor. VIII, 9. *nos ejus inopia ditaremur.*

39. Erat etiam gaudens cum gaudentibus, et
Rom. XII, 15. flens cum flentibus; siquidem quotiescumque

A illis aliquis ob percipiendam pœnitentiam lapsus suos confessus esset, ita flebat, ut et illum flere compelleret: videbatur enim sibi cum jacente jacere. Causas autem criminum quæ illi confitebatur, nulli nisi Domino soli, apud quem intercedebat, loquebatur; bonum relinquens exemplum posteris sacerdotibus, ut intercessores apud Deum magis sint, quam accusatores apud homines. Nam et secundum Apostolum, circa hu- II Cor II, 8
jusmodi hominem confirmanda caritas est; quia
B ipse sui accusator est, nec exspectat accusatorem, sed prævenit; ut confitendo suum allevet[4] 4
ipse delictum, ne habeat quod adversarius criminetur. Ideoque Scriptura dicit: *Justus in principio sermonis accusator est sui.* Vocem enim Prov. XVIII, 17
eripit adversario, et quasi dentes quosdam paratos ad prædam criminationis infestæ peccatorum suorum confessione confringit, dans honorem Deo, cui nuda sunt omnia, et qui vult Hebr. IV, 13
vitam magis peccatoris quam mortem. Nam Ezech XVIII, 32.
C et ipsi pœnitenti non sufficit sola confessio, nisi subsequatur emendatio facti; ut pœnitens non faciat pœnitenda, humiliet etiam animam suam sicut David sanctus, qui postquam audivit a propheta: *Dimissum est peccatum tuum;* hu- II Reg. XII, 14.
milior factus est in emendatione peccati, ita ut cinerem sicut panem manducaret, et potum suum cum fletu misceret. Ps. CI, 10

40. Flebat etiam amarissime quotiescumque forte nuntiatum illi fuerat de cujuscumque sancti
D obitu sacerdotis, in tantum ut nos illum consolari niteremur,[5] ignorantes pium affectum viri, 5
nec qua ratione ita fleret intelligentes. Quibus ille hujusmodi responsum reddebat: Non se flere, quia recesserat qui fuerat mortuus nuntiatus; sed quia præcesserat, vel quia difficile esset invenire virum, qui summo sacerdotio dignus haberetur. Ipse autem de sua morte ante prædixit quod usque ad pascha nobiscum futurus esset: quod quidem meruit Do-
E minum obsecrando, quo maturius hinc liberaretur.

41. Ingemiscebat enim vehementer cum videret radicem omnium malorum avaritiam pullulare, quæ neque copia neque inopia minui potest, magis magisque increscere in hominibus, et maxime in iis qui in potestatibus erant constituti; ita ut interveniendi illi apud illos gravissimus labor esset, quia omnia pretio distrahebantur. Quæ res primo omne malum invexit
F Italiæ, et exinde omnia verguntur in pejus. Et quid dicam, si in hujusmodi personis ita rabiem suam exercet, qui solent aut filiorum aut propinquorum causas prætendere: *Ad excusandas excusationes in peccatis;* quandoquidem plerosque Ps. CXL, 4

[1] Omnes edit. cum uno cod. Colb., *quam nec tu ingrediere, januis licet non clausis;* cod. unus Germ., *apertisque januis, non invenies qua ingrediaris;* cæteri mss. ut in contextu.

[2] Prandium apud Romanos non erat præcipuus pastus, sed cœna; prandium in medio die sumebatur, serius vero cœna. Hinc sensus est, Ambrosium una tantum cœna contentum de more fuisse, nisi diebus sabbati, dominicæ alisque solemnioribus. (Edit. mediol.).

[3] Ita mss. septem; Germ. vero unus, ac editt., *corpus ejus attenuaretur.*

[4] Mss. quatuor, *ut absolvat;* unus, *ut abluat;* alius, *ut alliget;* duo reliqui, et editt., *ut allevet.*

[5] Omnes edit., *consolari niteremur;* omnes mss., *consolari videremur.*

ceperit etiam cœlibes sacerdotes vel levitas, quibus portio Deus est, ut etiam ipsi illam ap-
Deut. xviii, 2. petant? Et væ nobis miseris! quia nec fine mundi provocamur, ut tam gravi jugo servitutis liberari velimus, quod demergit ad profundum inferni; ut faciamus nobis *amicos de iniquo mammona, qui nos recipiant in æterna taberna-*
Luc. xvi, 9. *cula.* Attamen beatus ille qui quandoque conversus, diruptis vinculis, atque projecto jugo hujusmodi dominationis, *tenebit, et allidet par-*
Ps. cxxvi, 9. *vulos ejus ad petram,* hoc est, omnes intentiones ejus allidet ad Christum, qui secundum Apostolum petra est, quæ omnes ad se allisos interimit, ipsa inviolabilis manens, nec reum faciens eum, qui ad se alliserit nequissimi uteri deteriores partus, sed innocentem; ita ut securus possit dicere: *Portio mea Domi-*
Ps. cxviii, 57. *nus.* Quia cui nihil in sæculo est, illi vere portio est Christus; et qui contempserit parva, multa percipiet, insuper et vitam æternam pos-
Matth. xix, 19. sidebit.

42. Ante paucos vero dies quam lectulo detineretur, cum quadragesimum tertium psalmum dictaret, me et excipiente et vidente, subito in modum scuti brevis ignis caput ejus cooperuit, atque paulatim per os ipsius tamquam in domum habitator ingressus est: post quod facta est facies ejus velut nix, et postea reversus est vultus ejus ad speciem suam. Quod cum fieret, stupore perculsus obrigui, nec potui scribere quæ ab illo dicebantur, nisi posteaquam visio ipsa transivit: dicebat enim in eo tempore testimonium Scripturæ divinæ, quod ego optime retinebam. Nam scribendi vel dictandi ipso die finem fecit; siquidem ipsum psalmum explere non potuit. Ego vero id quod visum a me fuerat, honorabili viro Casto diacono, sub cujus cura degebam, statim retuli: at ille repletus gratia Dei, Spiritus sancti adventum me in illo vidisse edocuit lectione Actuum apostolorum.

43. Superioribus autem diebus cum Stiliconis tunc comitis servus, qui dæmonio laboraverat, in Ambrosiana basilica jam sanus maneret, commendatus a domino suo; ferebatur enim quod libenter ab eodem haberetur: faceretque falsas epistolas tribunatus,[1] in tantum ut tenerentur homines, qui ad ministrandum pergebant: sed ubi ad personam servi sui pervenit comes Stilico, noluit in eum vindicare. Homines etiam qui decepti fuerant, interventu Sacerdotis dimisit, de ipso vero servo Sacerdoti questus est. Quem vir sanctus cum de basilica Ambrosiana egrederetur, requiri fecit, atque ad se perduci. Quem cum interrogasset, et deprehendisset auctorem tanti flagitii, ait: Oportet illum tradi satanæ in interitum carnis, ne talia aliquis
I Cor. v, 5. in posterum audeat admittere. Quem eodem momento cum adhuc sermo esset in ore Sacerdotis, spiritus immundus arreptum discerpere

A cœpit: quo viso, non minimo timore repleti sumus et admiratione. Multos etiam diebus illis, imponente illo manus et imperante, ab spiritibus immundis vidimus esse purgatos.

44. Per idem tempus Nicentius quidam ex tribuno et notario,[2] qui ita pedum dolore tenebatur, ut raro in publico videretur; cum ad altare accessisset, ut sacramenta perciperet, calcatusque casu a Sacerdote exclamasset, audivit: Vade, et amodo salvus eris. Nec se am-
B plius doluisse pedes, tempore quo sanctus Sacerdos de hac luce migravit, lacrymis testabatur.

45. Sed post dies hos, ordinato sacerdote Ecclesiæ Ticinensi, incidit in infirmitatem, qua cum plurimis diebus detineretur in lectulo, comes Stilico dixisse fertur quod, tanto vir recedente de corpore, interitus imminerct Italiæ. Unde convocatis ad se nobilibus viris illius civitatis, quos diligi a sancto Sacerdote cognoverat, partim interminatus est illis, partim blando ser-
C mone persuasit, ut pergerent ab sanctum Sacerdotem, suaderentque illi, ut sibi vivendi peteret a Domino commeatum. Quod ille ubi ab illis audivit, respondit: Non ita inter vos vixi, ut pudeat me vivere; nec timeo mori, quia dominum bonum habemus.

46. Per idem tempus cum in extrema parte porticus in qua jacebat, in uno positi Castus, Polemius, Venerius et Felix tunc diaconi secum tractarent voce ita pressa, ut vix se invicem
D audirent, quis post obitum illius episcopus ordinandus esset, atque cum de nomine sancti loquerentur Simpliciani, tamquam interesset tractatui, cum longe positus ab ipsis jaceret, approbans exclamavit tertio: Senex, sed bonus. Erat enim Simplicianus ævi maturus. Qua voce audita, expavescentes fugerunt; defuncto tamen eo, non alius illi successit in sacerdotium, nisi is quem ille bonum senem trina voce signaverat. Cui Simpliciano Venerius, quem supra
E memoravimus, successor fuit: Felix vero nunc usque Bononiensem regit Ecclesiam: Castus autem et Polemius nutriti ab Ambrosio bonæ arboris boni fructus, in Ecclesia Mediolanensi diaconii funguntur officio.

47. In eodem tamen loco in quo jacebat (sicut referente sancto Bassiano episcopo Laudensis Ecclesiæ, qui ab eodem audierat, didicimus), cum oraret una cum supradicto sacerdote, viderat Dominum Jesum advenisse ad se, et
F arridentem sibi: nec multos post dies nobis ablatus est. Sed eodem tempore quo migravit ad Dominum, ab hora circiter undecima diei usque ad illam horam, in qua emisit spiritum, expansis manibus in modum crucis oravit: nos vero labia illius moveri videbamus, vocem autem non audiebamus. Honoratus etiam sacerdos Ecclesiæ Vercellis cum in superioribus domus se ad quiescendum composuisset, tertio vocem vo-

[1] Ita mss. Editt. vero, *facere epistolas tribunatus compertum est.*

[2] Eras. et Gill. cum parte mss. ita hoc nomen scribunt; edit. autem Rom. cum aliis mss., *Nicetius quidam:* Continuo vero post pro *ex tribuno et notario,* habet cod. Becc. *extribunus et notarius.* Unus Germ., *ex tribuno notarius.*

cantis se audivit, dicentisque sibi: Surge, festina, quia modo est recessurus. Qui descendens, obtulit sancto Domini corpus: quo accepto ubi glutivit, emisit spiritum,[1] bonum viaticum secum ferens; ut in virtute escæ anima refectior, angelorum nunc consortio, quorum vita vixit in terris, et Eliæ societate lætetur; quia ut Elias numquam regibus vel ullis potestatibus, ita nec iste pro Dei timore loqui veritus est.

48. Atque inde ad ecclesiam majorem antelucana hora qua defunctus est,[2] corpus ipsius portatum est; ibique eadem fuit nocte, qua vigilavimus in pascha: quem plurimi infantes baptizati cum a fonte venirent, viderunt, ita ut aliqui sedentem in cathedra in tribunali dicerent, alii vero ambulantem suis parentibus digito ostenderent: sed illi videntes videre non poterant, quia mundatos oculos[3] non habebant: plurimi autem stellam supra corpus ejus se vidisse narrabant. Sed lucescente die Dominico, cum corpus ipsius, peractis sacramentis divinis, de ecclesia levaretur, portandum ad basilicam Ambrosianam, in qua positus est, ita ibi dæmonum turba clamabat se ab illo torqueri, ut ejulatus eorum ferri non possent. Quæ gratia Sacerdotis non solum in illo loco, verum etiam in plurimis provinciis usque in hodiernum manet: jactabant etiam turbæ virorum ac mulierum oraria, vel semicinctia sua, ut corpus Sancti aliquatenus ab ipsis contingeretur. Erat enim exsequiarum turba innumerabilis totius dignitatis, totiusque sexus, omniumque pene ætatum non solum christianorum, sed etiam judæorum et paganorum; majore tamen gratia ordo præcedebat eorum, qui fuerant baptizati.

49. Eadem vero qua obiit die (sicut textus epistolæ loquitur, quæ a successore ejus venerabili viro Simpliciano suscepta est de partibus Orientis ad ipsum tamquam adhuc nobiscum viventem directa, quæ nunc usque Mediolani habetur in monasterio) quibusdam sanctis viris apparuit,[4] orans cum illis, et imponens illis manus; habet enim diem epistola quæ directa est, qua lecta, invenimus illum diem esse, quo ille defunctus est.

50. Intra Tusciam etiam in civitate Florentina, ubi nunc vir sanctus Zenobius episcopus est, quia promiserat petentibus illis eos se sæpius visitaturum,[5] frequenter ad altare quod est in basilica Ambrosiana, quæ ibidem ab ipso constituta est, visum orare, ipso sancto viro sacerdote Zenobio referente, didicimus. In eadem etiam domo, in qua declinans Eugenium mansit, tempore quo Radagaisus supradictam civitatem obsidebat, cum jam de se penitus desperassent viri civitatis ipsius, per visum cuidam apparuit, et promisit alio die salutem illis adfuturam. Quo referente, civium animi sunt erecti; nam altero die, adveniente Stilicone tunc comite cum exercitu, facta est de hostibus victoria. Hæc Pansophia religiosa femina, matre pueri Pansophii referente, cognovimus.

51. Mascezeli etiam desperanti de salute sua, vel exercitus quem ductabat contra Gildonem, baculum tenens manu in visu noctis apparuit, atque cum provolveretur ad pedes sancti viri Mascezel, percutiens terram senex baculo quo regebatur, tertio (hac enim illi specie apparuerat) ait: Hic, hic, hic, signans locum; deditque intellectum viro, quem visitatione dignum fuerat arbitratus, ut agnosceret se in ipso loco in quo sanctum Domini viderat Sacerdotem, die tertia victoriam adepturum: atque ita securus bellum inchoavit et consummavit. Nos tamen ea Mediolani[6] positi ipso Mascezele referente, cognovimus; nam et in hac provincia, in qua nunc positi hæc scribimus, plurimis hoc ipsum retulit sacerdotibus, quibus etiam referentibus, securius hæc nobis cognita huic libro adjungere arbitrati sumus.

52. Sisinnii etiam et Alexandri martyrum, qui nostris temporibus, hoc est, post obitum sancti Ambrosii in Anauniæ partibus, persequentibus gentilibus viris martyrii[7] coronam adepti sunt,[8] cum reliquias Mediolani summa cum devotione susciperemus, adveniente quodam cæco et referente cognovimus, qui eodem die tacto loculo, in quo sanctorum reliquiæ portabantur, lumen recepit, quod per visum noctis vidisset navem appropinquantem littori, in qua erat multitudo albatorum virorum; quibus descendentibus ad terram, cum unum de turba precaretur, ut sciret qui essent ii viri, audierit, Ambrosium ejusque consortes. Quo audito nomine, cum deprecaretur ut lumen reciperet, audivit ab eo: Perge Mediolanum, et occurre fratribus meis, qui illo venturi sunt, designans diem, et recipies lumen. Erat enim vir, ut ipse asserebat, de littore Dalmatino, nec se ante venisse in civitatem asserebat priusquam recto itinere reliquiis sanctorum occurrisset, nondum videns; sed tacto loculo, videre cœpisse.

53. His itaque decursis, non arbitror grave videri, si paululum promissi nostri metas excesserimus, ut Domini dictum quod per os sanctorum prophetarum locutus est, completum

[1] Omnes edit., *Quod ubi accepit, emisit spiritum;* omnes mss. ut nos in textu.

[2] Omnes edit., *ante lucana hora corpus ipsius;* plures mss., *ante lucanam horam;* omnes vero restituunt, *qua defunctus est.*

[3] Mss., aliquot, *alii vero ascendentem.... ostenderent: sed nulli præter noviter baptizatos videre poterant; quia tam mundos oculos,* etc.

[4] Ita editt. ac mss. non pauci: cæteri vero, *in monasterio cujusdam sancti viri apparuit.*

[5] Omnes edit., *quia promiserat illos se sæpius visitaturum.... visus est orare, sicut ipso,* etc.; omnes mss. ut in contextu.

[6] Cod. Germ., unus, *ea die Mediolani.*

[7] Editt., *persequentibus gentilibus, martyrii,* quædam Paris. cum uno mss., *veri martyrii:* cæteri mss. nobis suffragantur.

[8] Tertius quoque, nempe *Martyrius,* socius in eorum cruciatibus et morte fuit. A beato Simpliciano, Ambrosii in episcopatu successore, Mediolanum deductæ eorum reliquiæ, in ea ecclesia sub majori altari quiescunt, quæ in honorem ipsius extructa fuit. (Editor mediol.).

esse doceamus: *Sedentem adversus fratrem suum*
Ps. c, 5 *et detrahentem occulte, persequebar;* et alibi:
Prov. xx, 13. *Noli diligere detrahere, ne eradicemini;* ut quicumque forte hujusmodi captus est consuetudine, cum legerit qualiter in iis qui sancto viro detrahere ausi sunt, fuerit vindicatum, ipse etiam in aliis emendetur.

54. Igitur Donatus quidam natione Afer, presbyter tamen Ecclesiæ Mediolanensis, cum in convivio positus, in quo erant nonnulli mili-
1 tares viri religiosi,[1] detraheret memoriæ Sacerdotis, adspernantibus illis et deserentibus linguam nequam, subito vulnere percussus gravi, de eodem loco in quo jacebat, alienis manibus
2 sublatus,[2] in lectulum positus est, atque inde ad sepulcrum usque perductus. In urbe etiam Carthaginensi, cum apud Fortunatum diaconum fratrem venerabilis viri Aurelii episcopi, ad convivium convenissem una cum Vincentio Colos-
3 sitano[3] episcopo, Murano etiam episcopo Bolitano, sed et aliis episcopis et diaconibus; tunc Murano episcopo detrahenti Sancto viro retuli exitum presbyteri superius memorati: quod ille A de alio dictum, de se oraculum maturo sui exitu comprobavit. Nam de eodem loco in quo jacebat, cum subito vulnere ingenti esset percussus, alienis manibus ad lectum usque portatus est, atque inde ad domum in qua hospitabatur deductus, diem clausit extremum. Is finis virorum illi detrahentium fuit, quem videntes qui tunc aderant, admirati sunt.

55. Unde hortor et obsecro omnem hominem, qui hunc librum legerit, ut imitetur vitam sancti B viri, laudet Dei gratiam, et declinet detrahentium linguas; si vult magis consortium habere cum Ambrosio in resurrectione vitæ, quam cum detrahentibus illis subire supplicium, quod nullus sapiens non declinat.

56. Tuam etiam precor beatitudinem, pater Augustine, ut pro me humillimo peccatore Paulino[4] cum omnibus sanctis qui tecum invocant 4
nomen Domini nostri Jesu Christi in veritate, orare digneris; ut quia in adipiscenda gratia C cum tanto viro non sum dignus habere consortium, adeptus meorum veniam peccatorum, sit mihi præmium fugisse supplicium.

[1] Eædem edit., *nonnulli religiosi viri:* mss. vero, *nonnulli militares,* etc.

[2] Ita mss. plures, potioresque: at editt. cum aliis nonnullis, *manibus sublevatus.*

[3] Mss. aliquot, *Vincentio Culusitano:* unus, *Colitano.*

[4] Non defuerunt qui decepti Paulini vocabulo, hunc a Paulino Nolano episcopo minime distinguerent, nec dubitarent hanc vitam Ambrosii in mss. nonnullis ita prænotare: *Incipit Prologus Paulini episcopi;* quo etiam titulo in limine Erasmianæ edit. inscripta fuit. Verum præterquam quod in mss. multo pluribus nomen scriptoris aut Vitæ fronti non præfigitur, aut eidem non episcopi, sed notarii tantum Ambrosiani titulus adjungitur; extra controversiam est nostrum hunc Paulinum prorsus a Nolano diversum esse. Ex iis enim quæ supra num. 42, de se ipse dicit, eum paucis diebus ante felicem Ambrosii mortem adhuc inferioris ordinis clericum fuisse intelligimus, cum ante mortem Ambrosianam Paulinus Nolanus factum se episcopum testetur in epist. ad Alypium. Hunc tamen Paulinum postea pervenisse ad gradum presbyterii ex Isidoro *de Viris illustr.*, cap. 4, vulgo colligunt. Hæc si maturius Erasmus perpendisset, et qui eum secuti sunt, quidam heterodoxi, censuram tulissent de hoc auctore minus iniquam; sed illi displicuit miraculorum aliquot inserta narratio; hos vero loci nonnulli erroribus suis plane contrarii quin offenderent, non potuerunt. Huic notæ Maurinorum Editorum addimus tantum, constare e præcedenti n. 54, eum se in Africam contulisse, forte ut ipsius Augustini contubernio frueretur; unde probabile est in iis locis diem quoque supremum obiisse.

VITA ET INSTITUTUM

SANCTI PATRIS NOSTRI AMBROSII MEDIOLANENSIS EPISCOPI.[1]

Οὐαλεντινιανὸς μετὰ τελευτὴν Ἰοβιανοῦ τὰ σκῆπτρα τῆς βασιλείας διαδεξάμενος, τὸν ἴδιον ἀδελφὸν Οὐάλεντα ἐκ Παιονίας ἀγαγὼν κοινωνὸν ποιεῖται τῆς βασιλείας, καὶ τῆς Ἀσίας αὐτῷ παραδοὺς τὰ σκῆπτρα καὶ μέντοι καὶ τῆς Αἰγύπτου, ἑαυτῷ τὴν Εὐρώπην ἀπένειμε, καὶ τὴν Ῥώμην καταλαβὼν, τοὺς ἑσπερίους πάντας ἐπὶ τὴν ἀληθῆ θεογνωσίαν ἐνῆγεν, ἀπὸ τῶν τῆς εὐσεβείας κηρυγμάτων πρῶτον ἀρξάμενος.

A um Valentinianus post Jovianimortem sceptrum imperii suscepisset, fratrem suum Valentem ex Pannonia accersens, summæ potestatis consortem fecit; et sceptro Asiæ atque etiam Ægypti in eum transcripto, Europam sibi retinuit, et Romam petens, universos B Occidentis populos ad veram adduxit Dei cognitionem, a pietatis prædicatione ante omnia regnum auspicatus.

[1] Hæc Ambrosii Vita exstat in pluribus Colbertinæ bibliothecæ membranaceis codicibus eleganter exarata, ex quibus eam hic exhibemus. Non est accurata illa quidem, cum ea tantum Ambrosii facta commemoret quæ referuntur a Theodoreto, ex quo eadem auctor anonymus, nec alius forsan a Metaphraste, totidem fere verbis compilavit. Verumtamen cum eadem Vita nondum, quod sciamus, in lucem prodierit, publici juris non piguit illam facere, ut post Latinam Ambrosianæ Vitæ historiam a Paulino scriptam, quænam fuerit de antistite nostro Græcorum veterum opinio, velut uno intuitu lector cognoscat. (Editores Maurini).

2. Αὐξεντίου γάρ, ὃς τὴν Ἀρείου μὲν εἰσεδέξατο λώδην, Μεδιολάνων δὲ τὴν ἐκκλησίαν πεπιστευμένος ἐν πλείσταις ἀπεκηρύχθη συνόδοις, τὸν βίον ὑπεξελθόντος, μεταπεμψάμενος τοὺς τῆς ἐπισκοπῆς Οὐαλεντινιανός, τοιοῖσδε λόγοις πρὸς αὐτοὺς ἐχρήσατο· ἴστε σαφῶς ἅτε δεῖ τοῖς θείοις λόγοις ἐντετραμμένοι, ὁποῖον εἶναι προσήκει τὸν ἀρχιερωσύνης ἠξιωμένον· καὶ ὡς οὐ χρὴ λόγῳ μόνον, ἀλλὰ καὶ βίῳ τοὺς ἀρχομένους ῥυθμίζειν, καὶ πάσης ἀρετῆς ἀρχέτυπον ἑαυτὸν προτιθέναι, καὶ μαρτυρίαν ἔχειν τῆς διδασκαλίας, τὴν πολιτείαν· τοιοῦτον οὖν καὶ νῦν τοῖς ἀρχιερατικοῖς ἐγκαθιδρύσατε θρόνοις, ὅπως ἂν καὶ ἡμεῖς οἱ τὴν βασιλείαν ἰθύνοντες εἰλικρινῶς αὐτῷ τὰς ἡμετέρας ὑποκλίνωμην τὰς κεφαλὰς καὶ παρ' ἐκείνου γενομένους ἐλέγχους, ὡς ἰατρικὴν ἀσπαζώμεθα θεραπείαν. ἀνθρώπους γὰρ ἡμᾶς ὄντας καὶ προσπταίειν πάντως ἀνάγκη.

3. Ταῦτα τοῦ εὐσεβοῦς βασιλέως Οὐαλεντινιανοῦ εἰρηκότος, ἡ σύνοδος αὐτὸν ἠξίου ψηφίσασθαι, σεφόντε ὄντα καὶ εὐσεβείᾳ κοσμούμενον· ὁ δὲ, μεῖζον ἢ καθ' ἡμᾶς, ἔφησεν, τὸ ἔγχείρημα· ὑμεῖς γὰρ τῆς θείας ἠξιωμένοι χάριτος, καὶ τὴν αἴγλην ἐκείνην εἰσδεδεγμένοι, ἄμεινον ψηφιεῖσθε· οὗτοι μὲν οὖν ἐξελθόντες καθ' ἑαυτοὺς ἐβουλεύοντο· οἱ δὲ τὴν πόλιν ἐκείνην οἰκοῦντες κατεστασίαζον, οἱ μὲν τοῦτον, οἱ δὲ ἐκεῖνον προβληθῆναι φιλονεικοῦντες· οἱ μὲν γὰρ τὰ Αὐξεντίου νοσοῦντες τοὺς ὁμόφρονας ἐψηφίζοντο· οἱ δὲ ὑγιαινούσης μοίρας, ὁμογνώμονα πάλιν ἐζήτουν ἔχειν ἀρχιερέα.

Ὁ θεῖος τοίνυν Ἀμβρόσιος ἐν τῇ Ῥωμαίων διαπρέπων συγκλήτῳ, μετὰ πολλὰς καὶ ἄλλας ἀξιωμάτων ἀρχὰς, τὴν Ἰταλῶν κατ' ἐκεῖνο καιροῦ ἡγεμονίαν, παρὰ Κωνσταντίνου καὶ Κώνσταντος τῶν εὐσεβῶν βασιλέων πεπίστευτο, ἀνὴρ καθαρὸς μὲν τὸν βίον, καὶ ἀρετῆς ἐραστὴς, ἡδόκιμος δέ καὶ λόγοις καὶ ἔργῳ· σοφίας δὲ τῆς τῶν θείων γραφῶν τρόφιμος, εἰ καὶ ἀμύητος ἦν ἔτι, ἀλλὰ καὶ πειθοῖ τῇ ἑλληνικῇ καὶ μούσῃ γεγυμνασμένος, δικαίως τε κρίνων καὶ ὑγιῶς, καὶ πράξεως πονηρᾶς ἁπάσης ἀκριβὴς ἔλεγχος.

4. Οὗτος ταύτην μαθὼν τὴν στάσιν, καὶ δείσας μή τι νεώτερον γένηται, σὺν τάχει πολλῷ τὴν ἐκκλησίαν καταλαβὼν, ἀμφοτέροις τὰς ταραχὰς κομίζει τοῖς μέρεσιν· οἱ δὲ, τῆς φιλονεικίας ἐκείνης παυσάμενοι, κοινὴν ἀφῆκαν φωνὴν, αὐτὸν τὸν μακάριον Ἀμβρόσιον προχειρισθῆναι ποιμένα ἑαυτοῖς ἐξαιτοῦντες· ὧν ὁ βασιλεὺς ἀκούσας, προσέταξεν αὐτίκα καὶ χειροτονηθῆναι τοῦτον τὸν ἀξιέπαινον ἄνδρα· ᾤδει γὰρ αὐτοῦ πάσης μὲν στάθμης εὐθυτέραν τὴν γνώμην· παντὸς δὲ κανόνος ἀκριβεστέρας τὰς ψήφους· ὑπέλαβε δὲ καὶ θείαν εἶναι τὴν ψῆφον, ἐκ τῆς τῶν τἀναντία φρονούντων τοῦτο τεκμαιρόμενος συμφωνίας.

5. Ἐπεὶ δὲ καὶ τῆς τοῦ παναγίου βαπτίσματος ὁ Αμβρόσιος ἀπέλαυσε δωρεᾶς, καὶ τὴν ἀρχιερατικὴν ἐδέξατο χάριν, τοῦτον ὁ πάντα ἄριστος βασιλεὺς προσενηνοχέναι λέγεται τῷ σωτῆρι καὶ δεσπότῃ τὸν ὕμνον· καὶ γὰρ τοῖς γεγενημένοις παρῆν· χάρις σοι,

A 2. Etenim Auxentio, qui Arii schisma fuerat amplexus, et Ecclesiam Mediolanensem commissam habens, in multis synodis abdicatus est, vita defuncto, imperator Valentinianus cum episcopos ad se vocasset, apud eos usus est his sermonibus: Aperte nostis, quemadmodum homines decet innutritos divinis verbis, qualem esse hunc conveniat, qui ad honorem episcopatus promoveatur; et qua ratione subditos non verbo tantum, verum et vita regere debeat,
B et exemplar omnis virtutis seipsum proponere, ac demum doctrinæ suæ testem habere vitæ institutionem. Talem igitur et nunc in episcopali throno collocate, ut nos a quibus imperium gubernatur, sincere inclinemus ei capita nostra, et factas ab eo reprehensiones tamquam medicam curationem excipiamus; cum enim simus homines, etiam offendamus omnino necesse est.

3. Religiosum imperatorem Valentinianum ita locutum rogabat conventus, ut ipse suffragium
C ferret, quippe qui sapientia et pietate ornatus esset. Ille vero: Vires meas, inquit, longe superat talis conatus: at vos qui divina gratia decorati, et hoc eodem splendore donati estis, magis congrue feretis suffragium. Isti igitur hinc exeuntes apud se deliberaverunt. Cives porro illius urbis seditionem inter se commovebant, hi quidem illum, illi autem hunc præponi contendentes. Qui enim Auxentii lue erant infecti, secum sentientibus suffragabantur: illi
D ex adverso, qui saniori a parte stabant, expetebant fidei consortem habere antistitem.

Itaque divinus Ambrosius in Romanorum clarus senatu, post alia multa honorum fastigia, per id temporis præfecturam Italiæ a piis imperatoribus Constantino et Constante obtinuerat. Is erat sane vir vita purus, et virtutis amator, probatus autem et verbis et opere; sapientia vero, quæ hauritur e sacris litteris, enutritus, tametsi necdum initiatus esset. Quin etiam elo-
E quentia græcanica et poetica facultate exercitatus erat, æquus pariter et sanus rerum arbiter, nec non omnis actionis pravæ quæsitor accuratus.

4. Idem certior factus harum turbarum, et ne quid novi accideret veritus, multa cum celeritate ecclesiam petiit, ambarumque partium motus sopivit. Illi vero, deposita contentione, communem emiserunt vocem, ipsummet beatum Ambrosium ordinari sibi pastorem simul poscentes. Quæ imperator cum cognovisset, statim
F edixit laudabilem eumdem virum et initiari, et consecrari; noverat enim illius mentem magis rectam esse qualibet libra, ejusque suffragium omni regula accuratius. Suspicatus autem est non etiam sine Dei calculo id contigisse, rem conjiciens ex eorum consensione, qui sententiis ante dissidebant.

5. Postquam vero sacratissimi baptismi donum Ambrosius adeptus fuit, et gratiam accepit episcopalem, Salvatori atque Domino hujusmodi
G hymnum optimus imperator, his enim rebus aderat præsens, dicitur obtulisse: Gratia tibi,

δέσποτα παντοκράτορ καὶ σώτερ ἡμέτερε, ὅτι τῷδε τῷ ἀνδρὶ ἐγὼ μὲν ἐνεχείρησα σώματα, σὺ δὲ ψυχάς· καὶ τὰς ἐμὰς ψήφους δικαίας ἀπέφηνας·

A Domine omnipotens et Salvator noster, quod huic eidem viro ego quidem corpora commisi, tu vero animas; et judicium meum ostendisti justum fuisse.

6. Ἐπειδὴ δὲ ὀλίγων διελθουσῶν ἡμερῶν ὁ θεῖος τοῦτος Ἀμβρόσιος σὺν παρρησίᾳ μείζονι τῷ βασιλεῖ διαλεγόμενος, ἐμέμψατο τοῦτον, οἷα μὴ καλῶς ὑπὸ τῶν ἀρχόντων πραγμάτων τινῶν γεγενημένων· ὁ βασιλεύς· ἔγωγε, ἔφη, ταύτην σου καὶ πάλαι ᾔδειν τὴν παρρησίαν· καὶ σαφῶς ἐπιστάμενος, οὐ μόνον οὐκ ἀντεῖπον, ἀλλὰ καὶ σύμψηφος τῇ χειροτονίᾳ γεγένημαι· ἰάτρευε γοῦν, ὡς ὁ θεῖος ὑπαγορεύει νόμος, τὰ τῶν ἡμετέρων ψυχῶν πλημμελήματα.

6. Elapsis porro paucis diebus, cum majori usus libertate idem hic divus Ambrosius imperatorem alloqueretur, eum arguebat, ut puta, ob negotia quædam a præfectis ejus haud recte facta; imperator, Equidem, ait, hanc tuam libertatem pridem noveram, et sciens prudensque B non modo non sum refragatus, sed etiam calculum meum una contuli tuæ ordinationi. Medicare igitur, sicuti divina lex præcipit, vulnera animarum nostrarum.

7. Ταῦτα μὲν οὖν ἐν Μεδιολάνῳ Οὐαλεντινιανὸς ὁ μέγας καὶ εὐσεβὴς βασιλεὺς καὶ εἰπὼν καὶ δράσας, καλῶς τὲ διαθέμενος τὴν βασιλείαν, καὶ ὀρθοδοξίᾳ διαλάμψας, ἐπὶ ἕκτῳ καὶ δεκάτῳ ἐνιαυτῷ τῆς ἀρχῆς, καταλύει τὸν βίον· διαδόχους δὲ τοὺς παῖδας, Γρατιανὸν καὶ Οὐαλεντινιανὸν καταλείπει τὸν νέον· Οὐάλεντος ἤδη τῆς ἀνατολῆς τοῦ ἀδελφοῦ βασιλεύοντος· ὃς C δήπου καὶ τῆς αἱρέσεως Ἀρειανοῖς ἐκοινώνει· συμβαλὼν δὲ μετὰ τῶν Γότθων πόλεμον, καὶ ἡττηθείς, ὁ μέν, εἰς ἀχυρῶνα καταφυγὼν, ὑπὸ πυρὸς ἐν αὐτῷ ἀνηλώθη· εἰς Γρατιανὸν δὲ, Οὐαλεντινιανοῦ μὲν υἱόν, Οὐαλεντος δὲ ἀνεψιόν, πᾶσα ἡ Ῥωμαίων ἡγεμονία μετέπεσε· πρῶτα μὲν γὰρ τὰ τῆς Εὐρώπης, ἀλλὰ μὴν καὶ τὰ τῆς δύσεως ἁπάσης σκῆπτρα ὑπὸ τοῦ πατρὸς παρειλήφει· ἔπειτα καὶ τὴν Ἀσίαν καὶ τὰ λειπόμενα τῆς Διβύης, ἄπαιδος τοῦ Οὐάλεντος ἀναιρεθέντος· εὐσεβὴς δὲ ὢν κατὰ τὸν πατέρα, τοὺς ἐπισκόπους ἐκ τῆς D φυγῆς ἀνεκαλέσατο πάντας ὅσους Οὐάλης διὰ τὴν Ἀρειάνων αἵρεσιν ὑπερορίους ἐποιήσατο, καὶ τῆς πατρίδος ἀπεληλάκει· Γρατιανὸς δὲ τὴν Θράκην ληϊζομένην ὑπὸ τὸν Οὐάλεντα καταγωνισαμένων βαρβάρων μαθὼν, τὴν Ἰταλίαν ἀπολιπὼν, εἰς τὴν Παιονίαν ἀφίκετο.

7. Hæc itaque cum Valentinianus magnus et pius imperator Mediolani dixisset atque fecisset, et pulchre quidem constituisset imperium, rectæ vero fidei professione refulsisset; sexto decimo imperii anno vita decedit: successores autem relinquit filios suos Gratianum junioremque Valentinianum, Valente fratre in Orientis regionibus rerum potiente, eo scilicet qui arianis in perfidia sese conjunxit. Hic quidem cum Gothis pugna congressus atque devictus, in paleariam casam confugiens, igne ibidem interiit: in Gratianum autem Valentiniani quidem filium, Valentis vero ex fratre nepotem recidit universa Romanæ ditionis potentia: primum enim a patre non modo sceptrum Europæ, verum etiam totius Occidentis relictum cepit; deinde vero, cum D sine liberis Valens e medio sublatus esset, Asiam quoque, et quidquid in Africa reliqui erat, is obtinuit. Quoniam autem patris exemplo colebat pietatem, episcopos omnes, quos Valens in gratiam arianæ hæresis patria ejectos extorres fecerat, ab exsilio ipse revocavit. Idem etiam cum a barbaris, dum Valens imperaret, bello victoribus devastatam esse Thraciam comperisset, relicta Italia, in Pannoniam venit.

8. Ὑπὸ δὲ τὸν αὐτὸν χρόνον καὶ Θεοδόσιος ἀπό τε τῆς τῶν προγόνων περιφανείας, ἀπό τε τῆς αὐτοῦ γενναιότητος, ὀνομαστότατος ἦν, καὶ ὑπὸ τοῦ φθόνου τῶν ὁμοτίμων βαλλόμενος, ἐν ταῖς Ἱσπανίαις διέτριβεν· ἐν ἐκείναις γὰρ ἔφυ τε καὶ ἐτράφη· ἀπορῶν δὴ οὖν ὁ βασιλεὺς Γρατιανὸς ὅ τι χρῆ δράσαι· φυσηθέντες γὰρ ἐκ τῆς νίκης οἱ βάρβαροι δύσμαχοί τε ἦσαν καὶ ἐνομίζοντο· τὴν Θεοδοσίου στρατηγίαν λύσιν ὑπέλαβε τῶν κακῶν· καὶ παραυτίκα ἐκ τῆς Ἰβηρίας, ἣ καὶ Ἱσπανία καλεῖται, τὸν ἄνδρα μεταπεμψάμενος, στρατηγόν τε χειροτονήσας, μετὰ στρατιᾶς τῆς συνειλεγμένης ἐκπέμπει· ὁ δὲ ἀμάχῳ ὅπλῳ, τῇ ὀρθοδοξίᾳ πεφραγμένος, E τεθαρρηκότως ἐπὶ τοὺς ἀντιπάλους ἐχώρει· καὶ τῆς Θράκης ἐπιβὰς, καὶ πόλεμον ὁ μὲν ἀνακράτως ἐνίκα· οἱ βάρβαροι δὲ, οὐδὲ τὴν πρώτην εὐθὺς ἐνεγκόντες, ἐφυγόντο ὁμοῦ πάντες· καὶ πολὺς αὐτῶν ἐγένετο φόνος, οὐκ ὑπὸ Ῥωμαίων μόνον, ἀλλ' ἤδη καὶ ὑπὸ σφῶν αὐτῶν· ὅσῳ γὰρ πλείους ἦσαν, τοσούτῳ βλάπτοντες ἑαυτοὺς μᾶλλον ἢ τοὺς πολεμίους ἐφαίνοντο·

8. Sub idem tempus Theodosius quoque, cum E ob majorum nobilitatem, tum ob propriam generositatem celeberrimus erat: et æqualium suorum invidentia pulsus, in Hispaniis agebat, ubi et natus fuerat et educatus. Ignorans igitur imperator Gratianus quid facto opus esset; inflati enim ex victoria barbari propemodum invicti erant et habebantur; militarem Theodosii peritiam malorum fore depulsionem arbitratus est. Et confestim ex Iberia, quæ Hispania etiam nominatur, hominem accersens, ac bello præficiens, cum exercitu collecto misit. F Hic autem invictis armis, orthodoxa nimirum fide circummunitus, magna cum fiducia adversus hostilem aciem procedit. Et Thraciam ingressus, is quidem per vim prælio vicit; barbari vero ne vel primum sustinentes impetum, statim omnes simul terga dederunt; et multa eorum non solum a Romanis cædes facta est, verum etiam jam a se ipsis: quanto enim majores erant horum copiæ, tanto sibi potius quam hostibus damnum inferebant.

9. Οὕτω τοίνυν ἁπάντων τῶν σχεδὸν ἀνῃρημένων· ὀλίγοι λαθεῖν δυνηθέντες διαβαίνουσι τὸν Ἴστρον·

9. His itaque prope omnibus ita deletis, pauci G admodum, qui potuerunt se occultare, Danu-

ἡσθεὶς δὲ ὁ βασιλεὺς Γρατιανὸς ὡς ἄριστα Θεοδόσιον στρατηγὸν ψηφισάμενος, βασιλέα τε αὐτὸν εὐθὺς ἀποδείκνυσι, καὶ τὰ σκῆπτρα τῆς Οὐάλεντος ἀρχῆς ἐγχειρίζει· καὶ αὐτὸς μὲν ἐπὶ τὴν Ἰταλῶν διαβαίνει, ἐκεῖνον δὲ εἰς τὴν δοθεῖσαν ἡγεμονίαν ἐκπέμπει· τὴν βασιλείαν τοίνυν παραλαβὼν Θεοδόσιος, τῆς τῶν ἐκκλησιῶν ὡς ἔνι μάλιστα ἐπεμέλετο συμφωνίας, καὶ τοὺς τῆς οἰκείας ἡγεμονίας ἐπισκόπους, εἰς τὴν Κωνσταντίνου συνδραμεῖν παρηγγύησεν· αὕτη γὰρ μόνη τῆς ἀρειανικῆς ἐμπέπληστο λώβης. τὰ γὰρ πρὸς ἑσπέραν τῆς νόσου ἐλεύθερα ἦν· Κωνσταντίνου γὰρ καὶ Κώνσταντος τῶν Κωνσταντίνου τοῦ μεγάλου υἱῶν τὴν πατρῴαν πίστιν ἀκήρατον διασωσαμένων, καὶ Οὐαλεντινιανοῦ πάλιν τὴν οἰκείαν μὴ προδόντος εὐσεβείαν, τὸ ἑῷον τμῆμα παλλαχόθεν τὴν λώβην ταύτην ἐδέξατο ἀπὸ Ἀλεξανδρείας πρότερον ἀρξαμένην, καὶ ἐπὶ τὰ πρόσω χωρήσασαν.

10. Ταῦτα μὲν ἔτι Γρατιανοῦ περιόντος ἐγένετο· ἐπειδὴ δὲ ἐκεῖνος ἔν τε πολέμοις ἀριστεύων. καὶ τὰς πόλεις σωφρόνως τε καὶ δικαίως ἰθύνων, ἐξ ἐπιβουλῆς ἐτελεύτησε, παῖδας μὲν οὐ καταλιπὼν κληρονόμους τῆς βασιλείας, ἀδελφὸν δὲ κομιδῇ νέον ὁμόνυμον τοῦ πατρὸς διάδοχον τῆς ἀρχῆς ἀποφήνας· Μάξιμός τις τῆς Οὐαλεντινιανοῦ καταφρονήσας ἡλικίας, αὐτὴν ἁρπάζει τὴν τῆς ἑσπέρας ἡγεμονίαν.

11. Κατ' ἐκεῖνον δὲ τὸν χρόνον Ἰουστίνα, Οὐαλεντινιανοῦ μὲν σύζυγος τοῦ μεγάλου, τοῦ δὲ νέου μήτηρ, ἃ πάλαι τῆς ἀρειανικῆς διδασκαλίας ἐδέξατο σπέρματα, δῆλα τῷ παιδὶ πεποιήκει. τοῦ μὲν γὰρ ὁμοζύγου τὸ θερμὸν περὶ τὴν ὀρθόδοξον πίστιν ἐπισταμένη, λαθεῖν ἅπαντα τὸν χρόνον ἐσπούδασεν· τοῦ δὲ παιδὸς τὸ τῶν φρενῶν ἁπαλὸν εἰδυῖα καὶ εὐπαράγωγον, προσενεγκεῖν τὴν ἐξαπάτην ἐθάρρησεν· ὁ δὲ τῆς μητρὸς τὰς ὑποθήκας ὀνησιφόρους ὑπολαβὼν, καὶ πρὸς τὸ τῆς φύσεως ἀπιδὼν δέλεαρ, ἀθρόον ἐμπίπτει τῇ πάγῃ· ὁ μέγας τοίνυν Ἀμβρόσιος πᾶσαν μὲν καὶ πρώην ἀρειανικὴν πλάνην ἐκ μέσης Ἰταλίας ποιήσας, ἐπειδὴ καὶ τὸν νέον Οὐαλεντινιανὸν περιπεσεῖν αὐτῇ μάθοι, ἔσπευδεν, ὡς οἶόντε, τὴν τοῦ νέου ψυχὴν αὐτῆς ἀπαλλάξαι· καὶ ὃς τὸν ἄνδρα ὅσα καὶ ἀντίπαλον ὑπεβλέπετο, καὶ ὥσπερ ἂν εἰ πρὸς ὁμολογούμενον πολέμιον παρεσκεύαστο.

12. Ὁ δὲ, τῆς τοῦ πατρὸς αὐτὸν ἀνεμίμνησκεν εὐσεβείας, καὶ ὃν παρειλήφει κλῆρον, ἄσυλον φυλάττειν ἠξίου· ἐδίδασκε δὲ καὶ τὴν τῶν δογμάτων διαφορὰν, καὶ ὅπως πάντα μὲν τῇ τοῦ κυρίου διδασκαλίᾳ καὶ τοῖς τῶν ἀποστόλων συμβαίνει κηρύγμασι· τὰ δὲ ἄντικρύς ἐστι τῇ πνευματικῇ νομοθεσίᾳ μαχόμενα· ὁ δὲ νέος οἷα δὴ νέος, καὶ παρὰ μητρὸς ἠπατημένης θελγόμενος, οὐ μόνον οὐ προσίετο τὰ λεγόμενα παρὰ τοῦ ἀρχιερέως, ἀλλὰ καὶ θυμοῦ πλήρης ἐγίνετο, καὶ λόγοις ὡπλίζετο, καὶ πελτασταῖς τοὺς ἐκκλησιαστικοὺς περιβόλους ἐκύκλου.

13. Ἐπειδὴ δὲ τὸν μέγιστον ἐκεῖνον ἀριστέα τὸν θεῖον Ἀμβρόσιον οὐδὲν ἐφόβησε τῶν ὑπ' αὐτοῦ γενο-

A bium trajiciunt. Lætus igitur Gratianus quod belli summam credidisset Theodosio, imperatorem eum statim declarat, et ei ditionis, qua Valens ante potiebatur, sceptrum committit. Et ipse quidem ad Italiæ administrationem transivit, illum autem ad concessum dimittit imperium. Regalem igitur Theodosius capessens dignitatem, concordiæ Ecclesiarum, quam maxime poterat, curam gerebat, et episcopos propriæ ditionis, ut convenirent Constantinopolim, exhor-
B tatus est: hæc enim sola referta fuerat ariana peste, cum illæ partes quæ ad occasum erant positæ, ab isto morbo liberæ essent. Nam Constantino atque Constante Constantini Magni filiis paternam fidem intemeratam conservantibus, et rursus Valentiniano pietatem domesticam neutiquam prodente, Orientalis portio variis locis hanc luem admisit, quæ cum Alexandriæ prius cœpisset, in ulteriores plagas progrediebatur.

10. Hæc quidem Gratiano adhuc superstite
C agebantur. Postea vero cum ipse indolem suam in rebus bellicis jam ostenderet, ac civitates cum modestia atque justitia regeret, per insidias vita excessit, filios quidem qui regno succederent, nullos relinquens, fratrem vero admodum juvenem, et patri cognominem, successorem imperii faciens. Tum vero quidam Maximus, spreta Valentiniani pueritia, Occidentalis imperii thronum usurpavit.

11. Per id etiam temporis Justina, magni
D quidem Valentiniani conjux, mater autem junioris, quæ doctrinæ arianæ semen dudum exceperat, illud filio manifestavit. Zelum enim mariti sui erga fidem orthodoxam perspectum habens, quoad ille in vivis fuit, latere conata est: cum vero mentem filii teneram esse atque mobilem non ignoraret, fraudem suam in medium proferre non dubitavit. Hic vero suggestiones matris utiles putans; et propter ætatem escam illecebrosam naturæ intuitus, de repente
E incidit in laqueum. Quapropter magnus Ambrosius, qui omnem quidem arianam fallaciam ex Italia jam pridem expulerat, cum acciperet puerum quoque Valentinianum in ipsam incidere, juvenis animam ab ea liberare, quantum in ipso erat, satagebat. Hic autem virum illum suspectum habebat quasi adversarium, et adversus eum perinde ac professum hostem paratus erat.

12. Hic porro in memoriam ei revocabat pa-
F ternam pietatem, et ut quam acceperat hæreditatem, integram conservaret, obtestabatur: docebat autem quodnam dogmatum discrimen esset, et quemadmodum hæc quidem omnia Christi doctrinæ, apostolorumque prædicationi apte congruerent, illa e contrario spiritualem oppugnarent legislationem. At vero puer, utpote qui puer esset, et a matre decepta blanditiis illectus; et verbis armabatur, et militibus armatis Ecclesiæ ambitus circumcingebat.

G 13. Postea vero quam maximum illum præliatorem, divinum Ambrosium eorum quæ ab

μένων· μορμολύκια γὰρ αὐτὰ ἡγεῖτο παῖδων, χαλεπήνας ἀνέδην ἐκεῖνος τῶν ἱερῶν ἔξω προβῆναι θυρῶν τὸν ἄνδρα ἐκελευσεν. ὁ δὲ, Ἑκὼν μὲν, ἔφη, τοῦτο δρᾶσαι καὶ προδοῦναι τοῖς λύκοις τὴν τῶν προβάτων σηκὸν μέχρις αἵματος οὐκ ἄνεξομαι. ἀλλὰ εἴ σοι δοκεῖ ἀνελεῖν ἔνδον ἐπένεγκέ μοι· φησὶ, τὸ ξίφος ἢ τὴν αἰχμὴν, ὡς ἡδιστάτην τοιαύτην σφαγὴν ἐγὼ δέξομαι· καὶ ταῦτα μὲν ὁ θεῖος Ἀμβρόσιος.

A illo fiebant, nihil deterruit (is enim ista tamquam puerorum terriculamenta existimabat), ille impendio moleste ferens, ipsum extra templorum limina exire jussit. Hic autem, Sponte mea, inquit, illud facere, atque ovium caulas lupis prodere, etiamsi sanguis profundendus sit, minime feram. Verum si tuæ voluntatis est intus me interfici, gladium, inquit, vel securim mihi admove; hujusmodi necem ego amplectar quam libentissime. Et ista quidem divus Ambrosius.

14. Χρόνου δὲ συχνοῦ τριβομένου, ἐμεμάθηκε μὲν ὁ Μάξιμος τὰ κατὰ τοῦ μηγαλοφώνου κήρυκος τῆς ἀληθείας τολμώμενα· ἐπιστέλλει δὲ Οὐαλεντινιανῷ, τὸν κατὰ τῆς εὐσεβείας πόλεμον καταλῦσαι παρεγγυῶν, καὶ παραινῶν μὴ πρόεσθαι τὴν πατρῴαν εὐσέβειαν· εἰ δὲ μὴ πεῖθοιτο, βαρύτατον αὐτῷ πόλεμον ἠπείλει· καὶ μέντοι καὶ τὴν στρατίαν ἐγείρας, ἐπὶ τὴν Μεδιολάνων ἐχώρει· τῇδε γὰρ Οὐαλεντινιανὸς ἐλέγετο διατρίβειν· ὁ δὲ, τὴν ἐκείνου μαθὼν ἔξοδον, εἰς Ἰλλυρίους ᾤχετο φεύγων, αὐτῇ πείρᾳ μαθὼν ὁποῖον ἄρα τῆς μητρικῆς ἀπώνατο συμβουλίας.

B 14. Exacto autem spatio temporis non exiguo, certior factus est Maximus, eorum conatuum, quos contra clarissimum veritatis præconem attentarant. Mittit igitur Valentiniano, qui eum a bello adversus pietatem ipsam suscepto discedere moneret, hortareturque paternam ne abjiceret religionem. Nisi autem morem gereret, gravissimum eidem bellum minitabatur, et re quidem ipsa collecto exercitu, Mediolanum versus promovit; hanc enim sedem Valentinianus elegerat ad habitandum. Hic vero irruptionem ejus cum accepisset, in Illyriam fuga se contulit, hac ipsa experientia compertum habens, quantum materna consilia ipsi prodessent.

C

15. Ὁ βασιλεὺς δὲ Θεοδόσιος τά τε κατὰ τὸν νέον πυθόμενος Οὐαλεντινιανὸν, καὶ ὅσα πάλιν ὁ Μάξιμος πρὸς αὐτὸν ἐπέστειλε, γράφει τῷ πεφευγότι νέῳ, μὴ χρῆναι θαυμάζειν, εἰ τῷ μὲν βασιλεῖ τὸ δέος, τῷ δὲ τυράννῳ τὸ κράτος συνέζευκται· τῇ γὰρ εὐσεβείᾳ, φησὶ, πεπολέμηκε μὲν ὁ βασιλεύς, ὁ δὲ τύραννος ἐπεκούρησε· καὶ ὁ μὲν αὐτὴν προιέμενος ἀποδιδράσκει γυμνός· ὁ δὲ ταύτῃ καθωπλισμένος τοῦ γεγυμνωμένου κρατεῖ· τῇ γὰρ εὐσεβείᾳ καὶ ὁ ταύτης νομοθέτης συνέστηκε.

15. At imperator Theodosius ubi rescivit et quæ Maximus adversus juniorem Valentinianum moliebatur, et rursus quænam ad eum idem scripsisset, litteris significat juveni fugienti non esse quod quis admiraretur, si regi timor, tyranno robur conjunctus esset: Nam pietati, inquit, rex bellum intulit, tyrannus vero auxiliatus est; et ille quidem ipsam deserens, nudus aufugit: hic e contrario illa armatus, victoriam refert ex denudato: pietati enim ipsius legislator adjutor fuit.

D

16. Ταῦτα μὲν οὖν ὡς πορρωτάτω διάγων ἐπέστειλεν· ἐπειδὴ δὲ εἰς ἐπικουρίαν ἀφίκοιτο, καὶ τὴν μὲν οἰκείαν καταλελοιπότα βασιλείαν, εἰς δὲ τὴν αὐτοῦ παραγενόμενον ἴδοι· πρῶτα μὲν τῇ ψυχῇ τὴν θεραπείαν προσήνεγκε, καὶ τὴν ἐπιγενομένην τῆς ἀσεβείας ἐξείλετο νόσον, καὶ εἰς τὴν πατρῴαν εὐσεβείαν ἐπανήγαγεν· εἶτα θαρρεῖν παρεγγυήσας, καὶ τῷ μὲν τυράννῳ ἐπιστρατεύσας, τῷ μὲν ἀναιμωτὶ παραδίδωσι τὴν βασιλείαν, τὸν δὲ τύραννον ἀναιρεῖ, ἀδικεῖν γὰρ ὑπέλαβε τάς πρὸς Γρατιανὸν γενομένας συνθήκας. εἰ μὴ ποινήν τινα τῆς σφαγῆς τοὺς ἀνελόντας εἰσπράξοιτο· οὕτος δὴ οὖν ὁ πιστότατος βασιλεὺς καὶ κατὰ τῆς ἑλληνικῆς ἀπάτης σπουδὴν εἰσενέγκατο πᾶσαν, καὶ νόμους ἐξέθετο, τὰ τῶν εἰδώλων τεμένη καταλυθῆναι κελεύων.

16. Hæc igitur per epistolam, cum longo tractu esset dissitus, nuntiavit: postquam vero in auxilium venit, et illum, proprio quidem relicto imperio, in suo præsentem vidit; primum quidem medicinam adhibuit ejus animæ, et impietatis, qua laborabat, morbum expellens, in pietatem patriam ipsum reduxit. Deinde illum confidere jubens, et contra tyrannum inferens signa, illi quidem sine sanguine reddit imperium, tyrannum autem supplicio afficit. Enim vero violare se credidit inita pacta cum Gratiano, nisi ab illis, qui hunc principem trucidaverant, pœnas repeteret. Atque idem imperator fidelissimus, etiam adversus gentilium errores omnem contulit diligentiam, legesque promulgavit, quibus idolorum templa destrui præcipiebat.

E

F

17. Κωνσταντῖνος μὲν γὰρ ὁ μέγας, ὁ πάσην ἀξιώτατος εὐφημίας, πρῶτος εὐσεβείᾳ τὴν βασιλείαν κοσμήσας, καὶ τὴν οἰκουμένην ἔτι μεμηνυῖαν ὁρῶν. τὸ μὲν τοῖς δαίμοσι θύειν παντάπασιν ἀπηγόρευσε· τοὺς δὲ τούτων ἀφῆκε ναοὺς, ἀθάτους εἶναι τῷ παντὶ προστάξας· καὶ μέντοι καὶ οἱ τούτου παῖδες τοῖς πατρῴοις ἠκολούθησαν ἴχνεσιν· Ἰουλιανὸς δὲ ἀνενεώσατο τὴν ἀσεβείαν καὶ τῆς παλαιᾶς ἀπάτης σφοδρότερον ἀνῆψε τὴν φλόγα· τὴν βασιλείαν δὲ παραλαβὼν Ἰοβιανὸς, πάλιν τὴν τῶν εἰδώλων διεκώλυσε θεραπείαν· καὶ Οὐαλεντινιανὸς δὲ ὁ μέγας τοῖς αὐτοῖς κεχρημένος

17. Etenim Constantinus Magnus, omni laude ac prædicatione quam dignissimus, pietate ornavit imperium; ac totum orbem etiam tunc insanientem videns, dæmonibus quidem sacrificare omnino prohibuit, eorum autem fana stare permisit, ab eis arceri quemlibet jubens. Et quidem hujus filii paternis institere vestigiis: Julianus vero renovavit impietatem, nec non erroris jam exsoleti vehementiorem flammam accendit. At Jovianus adeptus imperium, rursus idolorum cultum proscripsit. Et magnus quoque

G

νόμοις, ἴθυνε τὴν Εὐρώπην· ὁ δὲ Οὐάλης πᾶσι μὲν τοῖς ἄλλοις ἐπέτρεψε θρησκεύειν ᾗ βούλοιντο, καὶ τὰ θρησκευόμενα θεραπεύειν· μόνοις δὲ πολεμῶν διετέλει τοῖς τῶν ἀποστολικῶν ὑπερμαχοῦσι δογμάτων· πάντα γοῦν τὸν τῆς ἐκείνου βασιλείας χρόνον, καὶ τὸ ἐπιβώμιον ἥπτετο πῦρ· καὶ σπονδὰς καὶ θυσίας τοῖς εἰδώλοις προσέφερον, καὶ τὰς δημοθοινίας κατὰ τὰς ἀγορὰς ἐπετέλουν· καὶ οἱ τὰ Διονύσου ὄργια τετελεσμένοι, μετὰ τῶν αἰγίδων ἔτρεχον τοὺς κύνας ἐπισπῶντες, καὶ μεμηνότες, καὶ βακχεύοντες, καὶ τἄλλα δρῶντες, ἃ τὴν τοῦ διδασκάλου πονηρίαν ἐδήλων.

A Valentinianus, iisdem plane legibus usus, Europam rexit. Quod vero ad Valentem, cunctis quidem aliis adorare permisit, quomodo vellent; et quæ adorabant, palam colere: in hos autem solos, a quibus dogmata apostolica propugnabantur, bellum gerere non intermisit. Omni ergo tempore quo is regnavit, ignis altari superpositus accendebatur, et libationes atque hostias idolis offerebant, et in plateis convivia publica celebrabant, et qui peragebant Bacchi B orgia, cum caprinis pellibus currebant, canes secum trahentes, et insanientes, et debacchantes, et committentes alia hujusmodi, quæ nequitiam magistri sui palam facerent.

18. Θεοδόσιος δὲ, ὁ πιστότατος βασιλεὺς, ταῦτα περιεῖλε πάντα ὥσπερ ἂν εἰ μηδὲ τὴν ἀρχὴν γεγενότα, καὶ πλείω χριστιανοῖς ἀντεισηνέγκατο ἕτερα· ἀλλὰ γὰρ τοῦ κοινοῦ τῶν ἀνθρώπων ἄνωθεν πολεμίου τὰς ἄρκυς διαφυγεῖν ἁπάσας οὐ ῥᾴδιον· πολλάκις γάρ τις διαδράσας τῆς ἀσελγείας τὸ πάθος, τῇ τῆς πλεονεξίας ἴσως ἁλίσκεται παγίδι· εἰ δὲ καὶ ταύτης κρείττων C φανείη, ἑτέρωθεν ὑποφύεται πάλιν τοῦ φθόνου τὸ βάραθρον. κἂν τοῦτο δὲ πάλιν ὑπερπηδήσει, τὸ τοῦ θυμοῦ δίκτυον εὑρήσει προκείμενον. καὶ ἄλλας δὲ μυρίας τοῖς ἀνθρώποις τίθησι παγίδας ὁ πονηρὸς, ἀγρεύων εἰς ὄλεθρον, καὶ τὰ μὲν πάθη τοῦ σώματος ὑπουργοῦντα ἔχει ταῖς κατὰ τῆς ψυχῆς τεκταινομέναις ὑπ' αὐτοῦ μηχαναῖς· μόνος δὲ ἐγρηγορὼς ὁ νοῦς περιγίνεται τῇ περὶ τὰ θεῖα τροπῇ τῶν μηχανημάτων διελέγχων τὴν κακουργίαν· τῆς ἀνθρωπείας δὴ οὖν φύσεως καὶ ὁ θαυμάσιος βασιλεὺς μετασχὼν οὗτος, D οὐδὲ τῶν ἐκείνης παθῶν ἄγευστος ἔμεινεν· ἀλλὰ τις ἀμετρία τῷ δικαίῳ θυμῷ προσγενομένη, ἀπηνές τι ὤδινε καὶ παράνομον, ὥσπερ δὴ οὖν αὐτίκα ῥηθήσεται· οὐ γὰρ κατηγορίαν ἔχει μόνον τοῦ θαυμάστου βασιλέως, ἀλλὰ καὶ εὐφημίαν μνήμης ἀξιωτάτην, καὶ μάλιστα τὴν τοῦ γενναίου τούτου Ἀμβροσίου διαδεκθεῖσαν ἐνταῦθα παῤῥησίαν, καὶ τὸν πολὺν ἐκεῖνον ᾧ περὶ τὴν εὐσεβείαν ἐκέχρητο ζῆλον· δηλώσει δ' οὖν ὅμως ὁ λόγος.

18. Fidelissimus autem imperator Theodosius isthæc omnia e medio ita sustulit, ac si ab initio non exstitissent: in quorum vicem Christianis instituit alia plura. Sed enim ejus qui a primis retro temporibus hostis hominum est, omnia retia non nisi ægre effugiuntur: sæpius enim aliquis cum luxuriæ morbum evaserit, avaritiæ laqueo forsan capitur: si autem illa fuerit major, aliunde rursus livoris vorago subnascitur: et licet hanc denuo transilierit, plagas iracundiæ offendet præparatas: et sexcentas alias hominibus tendiculas instruit malignus ille, qui in hominum venatur perniciem. Sane quidem corporeos motus machinis adversus animam ab eo fabricatis habet cooperantes: mens autem illa quæ vigilans fuerit, sola superat, propensione in res divinas machinationum illius malitiam reprimens. Quapropter cum humanæ naturæ particeps esset imperator ille admirabilis, perturbationum illius expers non semper fuit. Verum excessus nescio quis iræ legitimæ conjunctus, crudele quiddam parturiit, atque injustum; de quo videlicet statim dicetur. Neque enim tantum reprehensionem habet admirabilis imperatoris, sed etiam prædicationem memoria admodum dignam: maxime vero generosi illius Ambrosii libertatem huc succedentem, ac multum illum, quo utebatur in rebus ad pietatem pertinentibus, animi fervorem. Quidquid illud sit, tamen declarabit oratio.

19. Θεσσαλονίκη πόλις ἐστὶ μεγάλη καὶ πολυάνθρωπος τελοῦσα μὲν εἰς Μακεδόνας· ἡγουμένη δὲ καὶ Θετταλίας καὶ Ἀχαΐας καὶ ἄλλων πολλῶν ἐθνῶν, ὅσα ὑπὸ τῷ τῶν Ἰλλυριῶν ὑπάρχῳ κεῖται· στάσεως τοίνυν ἐν αὐτῇ γενομένης, κατελεύσθησάν τε καὶ κατεσύρησαν τῶν ἀρχόντων τινὲς, καὶ τὸν βίον αἴσχιστα οὕτω κατέστρεψαν· ὁ οὖν βασιλεὺς ταῖς τῶν συμβάντων F ἀγγελίαις ἀναφλεγεὶς, οὐκ ἤνεγκε πρᾴως· ἀλλὰ πάντα θυμὸν κατὰ πάντων ἀφεὶς, καὶ ἄδικα ξίφη γυμνώσας τοὺς ἀθώους μετὰ τῶν ὑπευθύνων ἀνεῖλεν, ἑπτὰ χιλιάδας, ὅ λέγεται, μὴ δὲ μιᾶς αὐτῷ κρίσεως ἡγησαμένης.

19. Thessalonica civitas magna est, ac populis frequens, attributa quidem Macedonibus, Thessaliæ autem, atque Achajæ caput, quemadmodum et aliarum multarum, quoquot subjiciuntur Illyriæ præfecto. Seditione igitur illic exorta, quidam magistratuum lapidati sunt, et per vias tracti, vitamque turpissimo exitu finierunt. Rex igitur eorum quæ acciderant, nuntiis excandescens, ea non moderate tulit: sed omnem stomachum contra omnes effundens, et injustos exerens gladios, insontes cum nocentibus interfecit, nimirum septem millia, ut memoratur; cum nullum prorsus ab eo judicium præmissum esset.

20. Ταύτην μαθὼν τὴν δακρύων γέμουσαν συμφορὰν ὁ μέγας Ἀμβρόσιος, ἀφικόμενον εἰς τὴν Μεδιολάνων τὸν βασιλέα, καὶ συνήθως εἴσω τοῦ θείου παρελθεῖν βουληθέντα ναοῦ, πόῤῥωθεν προϋπαντήσας, οὐδὲ τῶν G ἱερῶν εἴασε πυλῶν ἐπιβῆναι, Οὐκ οἶσθα, λέγων, ὡς

20. Calamitatem hanc adeo lugendam ubi rescivit magnus Ambrosius, venienti Mediolanum imperatori, et in templum Dei ex more ingredi cupienti, eminus obviam progrediens, ne portas quidem templi intrare permisit: *Ne-*

ἔοικεν, ὦ βασιλεῦ, τῆς εἰργασμένης μιαιφονίας τὸ μέγεθος· οὐδὲ μετὰ τὴν τοῦ θυμοῦ λῆξιν, ὁ λογισμὸς ἐπέγνω τὸ τολμηθέν· οὐκ ἐᾷ γὰρ ἴσως τῆς βασιλείας ἡ δυναστεία ἐπιγνῶναι τὴν ἁμαρτίαν, ἀλλ' ἐπιπροσθεῖ ἡ ἐξουσία τῷ λογισμῷ· χρὴ μέντοι τὴν φύσιν εἰδέναι, καὶ τὸ ταύτης θνητόν τε καὶ διαῤῥέον, καὶ τὸν πρόγονον χοῦν ἐξ οὗ γεγόναμεν, καὶ εἰς ὃν ἀπορρέομεν, καὶ μὴ τῷ ἄνθει τῆς ἀλουγρίδος ἀποδουκολουμένην, ἀγνοεῖν τοῦ καλυπτομένου σώματος τὴν ἀσθένειαν· ὁμοφυῶν ἄρχεις, ὦ βασιλεῦ, καὶ μὲν δὴ καὶ ὁμοδούλων· εἷς γὰρ πάντων δεσπότης καὶ βασιλεὺς ὁ τῶν ὅλων δημιουργός· ποίοις τοίνυν ὀφθαλμοῖς ὄψεις τὸν τοῦ κοινοῦ δεσπότου νεών; ποιοῖς δὲ ποσὶ τὸ ἔδαφος ἐκεῖνο πατήσεις τὸ ἅγιον; πῶς δὲ τὰς χεῖρας ἐκτενεῖς θερμοῦ ἔτι σταζούσας αἵματος; ἢ πῶς τοιαύταις ὑποδέξῃ χερσὶ τοῦ δεσπότου τὸ παναγιον σῶμα; πῶς δὲ καὶ τῷ στόματι προσείσεις τὸ αἷμα τὸ τίμιον, τοσούτων διὰ τὸν θυμὸν παρανόμως αἷμα ἐκχέας; ἄπιθι τοίνυν, καὶ μὴ πειρῶ τοῖς δευτέροις τὴν προτέραν αὔξειν παρανομίαν, καὶ δέχου τὸν δεσμὸν ᾧ θεὸς ὁ τῶν ὅλων δεσπότης ἄνωθεν γίνεται σύμψηφος· ἰατρικὸς δὲ οὗτος καὶ ὑγιείας σοι πρόξενος, εἰ μή που ἀθεράπευτα πάσχειν προῃρήσω.

A *scis*, inquiens, *imperator, uti videtur, nefariæ cædes, quæ peracta est, magnitudinem : neque post ipsum iracundiæ tuæ finem, ratione cognovisti quale facinus ausus fueris? Enim vero te fortasse non sinit imperialis potentia crimen cognoscere; sed rationi objecta auctoritas lumen adimit. Verumtamen natura necesse est habeat ipsa se perspectam, et simul tum quod inest illi mortalis ac fluxi, tum progenitricem illam glebam, unde facti sumus, et in quam dissolvimur :*
B *non vero purpuræ flore fascinata, operti corporis ignorare debet infirmitatem. Subditis qui eadem tecum natura constant, imperas, o Rex, imo etiam conservis tuis : unus enim Dominus et rex omnium est, omnium videlicet creator. Quibus ergo oculis communis domini templum adspicies, quibusve pedibus sanctum hoc pavimentum premes? quomodo autem manus extendes, calenti adhuc sanguine stillantes, aut quomodo talibus manibus excipies sacrosanctum Domini*
C *corpus, et ori etiam pretiosum sanguinem admovebis, cum per iræ impotentiam tantum sanguinis contra jus omne ac fas effuderis? Abscede igitur, et ne aggrediaris priorem culpam secunda cumulare; et excipe illud vinculum quod cœlitus judicio suo Deus universorum Dominus confirmat. Erit autem illud tibi medicinale, ac sanitatis conciliator; nisi forte insanabile vulnus perpeti elegeris.*

21. Τούτοις εἴξας ὁ βασιλεὺς τοῖς λόγοις· τοῖς γὰρ θείοις νόμοις ἐντεθραμμένος ὢν ᾔδει σαφῶς τίνα μὲν τῶν ἱερέων, τίνα δὲ τῶν βασιλέων ἴδια· στένων ὁμοῦ καὶ δακρύων ἐπανῆλθεν εἰς τὰ βασίλεια. Ὀγδόου δὲ παρελθόντος ἐξ ἐκείνου μηνός, ἧκεν μὲν ἡ τοῦ σωτῆρος ἡμῶν γενέθλιος ἑορτή· καθῆστο δὲ πρὸς τοῖς βασιλείοις βαρύτατα πενθῶν Θεοδόσιος· τοῦτο Ῥουφῖνός τις μάγιστρος τηνικαῦτα ἰδών, προσελθὼν, οἷα δὲ χρηστὸς αὐτῷ καὶ συνήθης, ἐπυνθάνετο τὴν αἰτίαν· ὁ δὲ πικρὸν ἀνοιμώξας, καὶ θερμότερον προχέας τὸ δάκρυον, Σὺ μέν, ὦ Ῥουφῖνε, παίζεις, ἔφη· τῶν γὰρ ἐμῶν οὐκ ἐπαισθάνῃ κακῶν· ἐγὼ δὲ στένω καὶ ὀλοφύρομαι, τὴν ἐμαυτοῦ συμφορὰν ἀναλογιζόμενος, ὅπως τοῖς μὲν οἰκέταις καὶ τοῖς προσαίταις ἀνέωκται ὁ θεῖος νεώς, καὶ εἰσίασι ἀδεῶς, καὶ τὸν οἰκεῖον ἀντιμολοῦσι δεσπότην· ἐμοὶ δὲ, καὶ αὐτὸς ἄβατος, καὶ πρὸς τοῦτο ὁ οὐρανὸς ἀποκέκλεισται· μέμνημαι γὰρ τῆς δεσποτικῆς φωνῆς, ὃ ἂν δήσητε, λεγούσης, ἐπὶ τῆς γῆς, ἔσται δεδεμένον καὶ ἐν τοῖς οὐρανοῖς.

21. Imperator parens his sermonibus (nam cum a puero in legibus divinis esset educatus,
D quæ ad sacerdotes pertinerent, quæve ad reges, perspicue noverat), gemitus ac lacrymas simul profundens, in palatium se recepit. Octavo autem mense ab hinc elapso, venit quidem Salvatoris nostri natale festum; Theodosius vero in regia sedens amarissime flebat. Id Rufinus quidam tunc temporis magister palatii cum pervidisset, ad eum accedens, homo videlicet domino utilis ac familiaris, causam rogabat. Tum vero ille acerbe gemens, et calidioribus manans fletibus:
E *Tu quidem,* inquit, *ludis, Rufine; mea enim mala non sentis. Ego autem gemo atque deploro meam ipsius calamitatem, dum mecum reputo divinum templum famulis etiam atque mendicis apertum esse, ingressumque illuc tutum ac liberum patere illis, ut proprium Dominum ipsi conveniant: mihi autem hoc interdicitur, et præterea cœlum etiam interclusum est. Memini quippe Dominicæ vocis; quæ promulgatur : Quidquid ligaveritis super terram, erit ligatum et in cœlis.*

22. Ὁ δὲ Ῥουφῖνος ὑπουργῆσαι τῷ βασιλεῖ τὰ πρὸς θεραπείαν βουλόμενος, καὶ χάριν εὔκαιρον παρασχεῖν· Δραμοῦμαι, εἴ σοι δοκεῖ, ἔφη, καὶ τὸν ἀρχιερέα πείσω πολλὰ, φησὶν, δεηθεὶς λῦσαί σε τῶν δεσμῶν· ἀλλ' οὐ πεισθήσεται, ἔφη ὁ βασιλεὺς, οἶδα γὰρ ἐγὼ τῆς Ἀμβροσίου ψήφου τὸ δίκαιον· οὐ γὰρ αἰδεσθεὶς τῆς βασιλείας τὴν ἐξουσίαν τὸν θεῖον παραβήσεταί ποτε νόμον· ἐπειδὴ δὲ καὶ ἄλλοις πλείοσι χρησάμενος ὁ Ῥουφῖνος λόγοις πείσειν ὑπέσχετο τὸν μέγαν Ἀμβρόσιον· ἀπελθεῖν αὐτὸν ὁ βασιλεὺς κατὰ τάχος ἐκέλευεν, καὶ αὐτὸς δὲ ὑπὸ τῆς ἐλπίδος δελεασθεὶς, ἠκολούθησε μετὰ βραχὺ ταῖς ὑποσχέσεσι τοῦ

F 22. Rufinus vero medicinam regi ministrare volens, ac tempestivum beneficium illi præbere: *Curram*, inquit, *si tibi placet, et episcopo id persuadebo multis precibus, ut te a vinculis istis absolvat. Sed non ille persuadebitur*, ait imperator; *quam enim justum Ambrosii judicium sit, compertum habeo. Nec porro ille umquam committet, ut imperialis potentiæ respectu divinam legem transgrediatur.* At postea quam adhibitis pluribus aliis rationibus, Rufinus promittebat
G a magno Ambrosio rem se haud dubie impetraturum, jussit imperator quam citissime illum

Ῥουφίνου πιστεύσας· εὐτίκα γοῦν τὸν Ῥουφῖνον ὁ θεῖος Ἀμβρόσιος, Τὴν τῶν κυνῶν, ἔφη, ἀναίδειαν, ὦ Ῥουφῖνε, ζηλοῖς· καὶ οὔτε ἐρυθριᾷς οὔτε δέδιας τοσοῦτον κατὰ τῆς θείας λυττήσας εἰκόνος; ἐπειδὴ δὲ ὁ Ῥουφῖνος ἠντιβόλει, καὶ τὸν Βασιλέα μητὰ μικρὸν ἥξειν ἔλεγεν· ὑπὸ τοῦ θείου ζήλου πυροληθεὶς ὁ θεῖος Ἀμβρόσιος· Ἐγώ, ἔφη, ὦ Ῥουφῖνε, φημί, ὅτι κωλύσω τῶν ἱερῶν αὐτὸν ἐπιβῆναι προβύρων· εἰ δὲ γε εἰς τυραννίδα τὴν βασιλείαν μεθίστησι, δέξομαι κἀγὼ μεθ' ἡδονῆς τὴν σφαγήν.

A abire. Ipse autem spe inescatus, post non multum temporis secutus est, ut qui Rufini promissionibus fidem haberet. Confestim vero allocutus Rufinum Divus Ambrosius: *Canum*, inquit, *impudentiam, Rufine, imitaris; et neque erubescis, neque pertimescis, cum tanta rabie adversus imaginem Dei sævieris?* Ubi vero reposuit Rufinus, et imperatorem brevi spatio interjecto venturum dixit, incensus divino zelo divinus Ambrosius: *Ego*, inquit, *o Rufine, præ-*
B *dico me prohibiturum, ne vel ipsum templi vestibulum calcet: sin autem is regiam potestatem in tyrannidem vertat, me necem excepturum cum voluptate.*

23. Τούτων ὁ Ῥουφῖνος ἀκούσας, μηνύει τε αὐτίκα διά τινος τῷ βασιλεῖ τὴν τοῦ ἀρχιερέως γνώμην, καὶ μένειν εἴσω τῶν βασιλείων παρῄνεσεν· ὁ δὲ βασιλεὺς ἤδη κατὰ μεσὴν τὴν ἀγορὰν ταῦτα μαθών, Ἄπειμι, ἔφη, καὶ τὰς δικαίας δέξομαι παροινίας· ἐπειδὴ δὲ τοὺς ἱεροὺς περιβόλους κατέλαβεν, εἰς μὲν τὸν θεῖον οὐκ εἰσεληλύθει νεών· ἐν δέ τῷ ἀσπαστικῷ οἴκῳ κα-
C θῆστο, ἐκλιπαρῶν τῶν δεσμῶν ἀπολυθῆναι.

23. His auditis, Rufinus et Ambrosii mentem imperatori per quemdam illico nuntiavit, et ut maneret in palatio, exhortatus est. Imperator vero, qui ad medium forum jam pervenerat, cum hæc audivit: *Ego pergam*, inquit, *et insaniæ meæ pœnas exsolvam.* Postquam vero in sacrum septum jam ventum fuit, in Dei quidem ædes non erat ingressus, verum in salutatoria domo consederat, suis se vinculis solvi flagitans.

24. Ὁ δὲ τυραννικὴν ἐκάλει τὴν παρουσίαν, καὶ κατὰ θεοῦ μεμηνέναι τὸν Θεοδόσιον ἔλεγε, καὶ τοὺς ἐκείνου νόμους πατεῖν· ὁ δὲ βασιλεὺς ἐν συντριβῇ καρδίας καὶ πνεύματι ταπεινώσεως, Οὐ θρασύνομαι, ἔφη, κατὰ τῶν κειμένων νόμων, οὐδὲ παρανόμων ἐπιβῆναι τῶν ἱερῶν προβύρων ἐφιέμαι· ἀλλά σέ μοι λῦσαι τὸν δεσμὸν ἀξιῶ, καὶ τὴν τοῦ κοινοῦ δεσπότου φιλανθρωπίαν λογίσασθαι, καὶ μὴ κλεῖσας μοι θύραν, ἣν
D πᾶσι τοῖς μεταμελείᾳ χρωμένοις ὁ δεσπότης ἀνέῳξε· καὶ ὁ ἀρχιερεύς, Ποίαν οὖν, ἔφη, μεταμέλειαν ἔδειξας μετὰ τοιαύτην παρανομίαν; ποίοις δὲ φαρμάκοις τὰ δυσίατα ἐθεράπευσας τραύματα; καὶ ὁ βασιλεὺς ἐν συντετριμμένῳ πνεύματι αὖθις, Σὸν ἔργον, ἔφησε, πάντως, καὶ δεῖξαι, καὶ κεράσαι τὰ φάρμακα· τότε ὁ θεῖος Ἀμβρόσιος, Ἐπειδὴ τῷ θυμῷ δικάζειν ἐπιτρέπεις, ἔφη, καὶ οὐκ ὁ λογισμὸς τὴν γνῶσιν· ἀλλὰ ὁ θυμὸς ἐκφέρει· γράψον νόμον τοῦ θυμοῦ τὰς ψήφους ἀργὰς ποιοῦντα καὶ περιττάς, καὶ τριάκοντα ἡμέρας
E αἱ φονικαὶ καὶ δημεστικαὶ μενέτωσαν γνώσεις ἐν γράμμασι, τὴν τοῦ λογισμοῦ προσδεχόμεναι κρίσιν· διελθουσῶν δὲ τῶν τριάκοντα ἡμερῶν, οἱ τὰ ἐγνωσμένα γεγραφότες, δεικνύτωσαν αὐτά, καὶ τηνικαῦτα τοῦ θυμοῦ πεπαυμένου, καθ' ἑαυτὸν δικάζων ὁ λογισμὸς ἐξεταζέτω τὰ ἐγνωσμένα, καὶ σκεπτέσθω ἆράγε δίκαια, ἢ μὴ οὕτως ἔχοντα εἶεν· εἰ μὲν οὖν ἄδικα εὕροι, διαῤῥηγνύτω τὰ γεγραμμένα, καὶ τὴν ψῆφον ἄκυρον ποιείτω· εἰ δὲ δίκαια, μένοι οὕτω, καὶ ὁ τῶν τρι-
F ακοντα ἡμερῶν ἀριθμὸς οὐ λυμανεῖται τοῖς ὀρθῶς ἐγνωσμένοις.

24. Ille vero tyrannicum vocabat ejus adventum, ac Theodosium contra Deum furere, nec non ipsius leges calcare pronuntiabat. Imperator autem in contritione cordis ac spiritu humilitatis: *Non audacia efferor*, inquit, *adversus leges, nec sacrum limen contra jus et fas terere aggredior; sed obsecro te, ut me vinculorum*
D *nexu liberes, et clementiâ communis Domini ob oculos tibi positâ, mihi non præcludas illam januam, quam Dominus ipse cunctis aperuit pœnitentibus. Qualem ergo,* Episcopus ait, *pœnitentiam ostendisti post tantum scelus? quibusve medicamentis vulnera ista ad sanandum difficillima coire fecisti?* Ad hæc imperator in contrito spiritu rursus retulit: *Tuum est omnino et præcipere, et commiscere medicamina.* Tum vero divus Ambrosius: *Quandoquidem*, inquit, *iræ*
E *propriæ permittis judicium; et non ratio, sed animi æstus sententiam fert: legem hujusmodi velim sancias, quæ decretum quodvis iræ impetu otiosum reddat ac superfluum: capitis vero sententiæ vel exsilii triginta dies scriptæ maneant, rationis judicium opperientes. Exactis autem triginta diebus, qui exararunt decreta illa, eadem exhibeant; et iracundia tamdiu requieta, secum ipsa ratio judicans, priorem expendat cognitionem, examinetque justane illa sit, an secus ha-*
F *beat. Siquidem porro iniquam inveniat, discerpat scripta, et sententiam irritam reddat: sin autem æqua fuerit, ita maneat; nec triginta dierum numerus labefactabit recte judicata.*

25. Ταύτην ὁ βασιλεὺς δεξάμενος τὴν εἰσήγησιν, καὶ ἄριστα ἔχειν ὑπολαβών, εὐθὺς γραφῆναί τε τὸν νόμον ἐκέλευσε, καὶ τοῖς οἰκείας χειρὸς ἐβεβαίωσε γράμμασι· τούτου δὲ γενομένου, διέλυσε τὸν δεσμὸν ὁ θεῖος Ἀμβρόσιος, καὶ ὁ βασιλεὺς εἴσω θαῤῥήσας γενέσθαι τοῦ θείου ναοῦ, οὐκ ἑστὼς τὸν δεσπότην ἱκέτευσεν, οὐδὲ τὰ γόνατα κλίνας, ἀλλὰ πρηνὴς ἐπὶ
G γυμνοῦ πεσὼν τοῦ ἐδάφους, τὴν Δαυιτικὴν ἀφῆκε φωνήν.

25. Admonitionem hanc imperator ultro admittens, et secum optime agi sibi persuadens, continuo jussit legem præscribi, quam et litteris propriæ manus ratam ac firmam esse voluit. His ita factis, divus Ambrosius imperatoris vinculum solvit: imperator autem sumptâ in templum intrandi fiduciâ, non stans, neque in genua procumbens, Dominum precabatur:

Ἐκολλήθη, λέγων, τῷ ἐδάφει ἡ ψυχή μου· ζῆσόν με κατὰ τὸν λόγον σου· καὶ ταῖς χερσὶ τίλλων τὰς τρίχας, καὶ τὸ μέτωπον τύπτων, καὶ τοῖς τῶν δακρύων στάγῶσι τὸ ἔδαφος καταῤῥαίνων, συγγνώμης ἀντιμόλει τύχεῖν· ἐπειδὴ δὲ καὶ ὁ καιρὸς ἐκάλει, τῇ ἱερᾷ τραπέζῃ τὰ δῶρα προσενεγκεῖν, ἀναστὰς μετὰ τῶν ἴσων δακρύων, τῶν ἀνακτόρων ἐπέβη, προσενεγκὼν δὲ, ἔνδον, ὥσπερ εἰώθει, παρὰ τὰς κιγκλίδας μεμένηκεν· ἀλλ' οὐδὲν ταῦτα ὁ ἱερὸς Ἀμβρόσιος σιγῆσαι ἠνέσχετο, ἀλλὰ καὶ τὸ τῶν τόπων διδάσκει διάφορον, καὶ πρῶτα μὲν ἤρετο, εἴ τινος δέοιτο; τοῦ δὲ βασιλέως εἰρηκότος· ὡς προσμένοι τὴν τῶν θείων μυστηρίων μετάληψιν· ἐδήλωσεν, ὑπουργῷ τῷ τῶν διακόνων ἡγουμένῳ χρησάμενος, ὅτι τὰ ἔνδον, ὦ βασιλεῦ, μόνοις ἐστὶν ἱερεῦσι βάσιμα· τοῖς δὲ ἄλλοις πᾶσιν ἄδυτά τε καὶ ἄψαυστα ἔξιθι τοίνυν, καὶ τοῖς ἄλλοις κοινώνει τῆς στάσεως· ἀλουργὶς γὰρ βασιλέας, οὐκ ἱερέας ποιεῖ.

26. Καὶ ταύτην δὲ ὁ πιστότατος Θεοδόσιος ἀτμένως δεξάμενος τὴν εἰσήγησιν, ἀντεδήλωσεν ὡς οὐ θρασύτητι χρώμενος ἔνδον τῶν κιγκλίδων μεμένηκεν· ἀλλ' ἐν Κωνσταντινουπόλει τοῦτο μαθών· τοσαύτῃ καὶ τηλικαύτῃ καὶ ὁ βασιλεὺς καὶ ὁ ἀρχιερεὺς διέλαμπον ἀρετῇ· ἀμφοτέρων γὰρ ἔγωγε ἄγαμαι· τοῦ μὲν, τὴν παῤῥησίαν· τοῦ δὲ, τὴν εὐπείθειαν· καὶ τοῦ μὲν, τὴν τοῦ ζήλου θερμότητα· τοῦ δὲ, τὴν τῆς πίστεως καθαρότητα· ἃ μέντοι γε ὑπὸ τοῦ θαυμαστοῦ Ἀμβροσίου ἐν τῇ Μεδιολάνων ὁ βασιλεὺς παιδευθείη, ταῦτα καὶ εἰς τὴν Κωνσταντινούπολιν ἐπανελθὼν ἐτήρει, καὶ οὐδενὸς τούτων μεθίετο.

27. Ἑορτῆς γὰρ αὐτὸν πάλιν θείας ἐς τὸν θεῖον ἀγούσης νεὼν, τῇ ἱερατικῇ τραπέζῃ τὰ δῶρα προσενεγκὼν, εὐθὺς ἐληλύθει· τοῦ δὲ τῆς ἐκκλησίας προέδρου· Νεκτάριος δὲ τηνικαῦτα ἦν· Τί δῆτα μὴ μεμένηκας ἔνδον, δηλώσαντος· δυσχεράνας ὁ βασιλεὺς· Μόλις, ἔφη, βασιλέως καὶ ἱερέως ἐδιδάχθην τὸ μέσον· ἐπεὶ καὶ μόλις εὗρον ἀληθείας διδάσκαλον, Ἀμβρόσιον μόνον ἐπίσκοπον ἀξίως καλούμενον· τοσοῦτον ὄνησιν ἔλεγκος παρὰ ἀνδρὸς ἀρετῇ διαλάμποντος.

28. Εἶχε καὶ ἀφορμὴν ἄλλην ὠφελείας ὁ βασιλεὺς οὕτως· ἡ γὰρ σύζυγος τούτου τῶν θείων αὐτὸν συνεχῶς ἀνεμίμνησκε νόμων· φιλοπόνως ἑαυτὴν τούτοις καὶ πρὸς ἀκρίβειαν ἐκπονήσασα· οὐ γὰρ ἐπῆρεν αὐτὴν τῆς βασιλείας ἡ δυναστεία, ἀλλὰ τὸ θεῖον πλέον ἐνέκαιεν ἔρωτα. τῆς γὰρ εὐεργεσίας τὸ μέγεθος μεῖζον τὸ περὶ τὸν εὐεργέτην εἰργάζετο φίλτρον· αὐτίκα γοῦν καὶ τῶν τὸ σῶμα πεπηρωμένων, καὶ ἃ παντα τὰ μέδη λελωβημένων παντοδαπὴν ἐποιεῖτο φροντίδα, οὐκ οἰκετῶν, οὐδὲ δορυφόροις ὑπουργοῖς κεχρημένη, ἀλλ' αὐτουργὸς γινομένη, καὶ εἰς τὰς τούτων καταγωγὰς ἀφικνουμένη, καὶ ἑκάστῳ τὴν χρείαν πορίζουσα· αὐτὴ καὶ τῶν ἐκκλησιῶν τοὺς ξενῶνας περινοστοῦσα, ὑπηρέτει τότε τοῖς νοσοῦσι καὶ ἐπεμελεῖτο καὶ ἐθεράπευε, καὶ χύτρας ἁπτομένη, καὶ ζωμοῦ γευομένη, καὶ τρυβλίον προσφέρουσα, καὶ ἄρτον ὀρέγουσα, καὶ κύλικα διασμήχουσα, καὶ τὰ ἄλλα πάντα ἐργαζομένη, ὅσα οἱ-

A sed in solum nudum dejectus ac prostratus, Davidicam illam emisit vocem: *Adhæsit*, inquiens, *pavimento anima mea: Vivifica me secundum verbum tuum.* Et crines manibus vellens, et faciem contundens, et profusis lacrymis irrigans pavimentum, veniam consequi properabat. Postquam autem ad offerenda sacræ mensæ munera vocavit tempus; cum fletibus non minus copiosis surgens, gradus altaris scandit: oblatione vero porrecta, intra cancellos, ut illi moris

B erat, mansit. Sed nullo modo, ut hæc dissimularet, abs se impetravit sacer Ambrosius: at locorum discrimen illum edocuit. Et primum quidem, num quid postularet, interrogabat. Imperatore autem respondente, participationem divinorum mysteriorum sese præstolari, ministrum adhibens archidiaconum clare professus est: Interiora, ô Imperator, nisi unis sacerdotibus non sunt adeunda. Egredere igitur, et eamdem cum aliis laicis stationem serva; pur-

C pura enim reges, nequaquam vero sacerdotes facit.

26. Hanc autem compellationem similiter boni consulens fidelissimus Theodosius, contra exposuit non temeritate intra cancellos se remansisse, verum quia Constantinopoli hoc didicerat. Tantæ virtutis et imperator et episcopus luce fulgebant! Equidem enim utrumque suspicio, hunc videlicet generosam ob libertatem, illum vero propter facilem obedientiam: et hujus quidem zelum ferventem, illius vero fidem sin-

D ceram. Quin hæc etiam, quæ imperator sub admirando illo Ambrosio edidicerat Mediolani, reversus Constantinopolim ipsa observavit, neque illorum omisit quidquam.

27. Etenim quodam die festo eum denuo vocante in Dei templum, ubi sacræ mensæ dona obtulit, statim regressus est. Ecclesiæ autem præside, is vero erat tunc Nectarius, interrogante: Quare tu intus non remansisti! Imperator moleste ferens: Quid inter imperatorem,

E inquit, et episcopum sit discriminis, vix tandem didici; quoniam veritatis magistrum difficulter inveni, Ambrosium scilicet, qui solus digne vocatur episcopus. Usque adeo correptio prodest, quæ ab homine virtute claro proficiscitur.

28. Alia quoque imperatori fuit utilitatis causa: enim vero ipsius conjux adsidue illum admonebat divinæ legis, in qua se ipsam diligenter et accurate exercuerat. Nec enim illam imperii potestas extollebat, sed in ea magis accendebat

F Dei amorem; magnitudo enim beneficii erga ejusdem auctorem majus amoris incentivum excitabat. Quare statim ab initio eorum qui corporea cæcitate aut membrorum omnium debilitate afflicti erant, omnimodam gerebat curam, non domesticorum aut satellitum operâ utens, at ipsa operi manus adhibens; et in ipsorum tuguria ingredi non dedignata, unicuique necessaria supeditabat. Ipsa etiam Ecclesiarum circumeundo invisens hospitia, ministrabat ægrotis,

G eisque obsequium et curam adhibebat, ollas nimirum fervefaciens, jusculum prægustans,

κετῶν καὶ θεραπαινίδων ἔργα νενόμισται· εἰώθει δὲ συνεχῶς καὶ πρὸς τὸν ὁμόζυγον λέγειν· Ἀεί σε, ὦ ἄνερ, προσήκει λογίζεσθαι τί μὲν ἦσθα πάλαι, τί δὲ γέγονας νῦν. Ταῦτα γὰρ διηνεκῶς ἐνθυμούμενος οὐκ ἔσῃ περὶ τὸν εὐεργέτην ἀχάριστος· ἀλλ' ἣν ἐδέξω βασιλείαν κυβερνήσεις ἐννόμως, καὶ ταύτῃ θεραπεύσεις τὸν δεδωκότα.

29. Τοιούτοις ἀεὶ κεχρημένη λόγοις εἴ τινα καλὴν ἀρδείαν καὶ πρόσφορον τοῖς τῆς ἀρετῆς τοῦ ἀνδρὸς ἔφερε σπέρμασι· προτέρα μέντοι τοῦ συζύγου ἐτελεύτησε, καὶ συνέβη μετὰ χρόνον τινὰ τῆς τελευτῆς, τιόνδε τι γενέσθαι, ὅπερ τὴν πολλὴν ἐκείνην τοῦ βασιλέως περὶ αὐτὴν διάθεσιν καὶ φιλοστοργίαν ἀπέδειξεν· ὑπὸ γὰρ τῶν συχνῶν πολέμων ἀναγκαζόμενος ὁ βασιλεὺς, καὶ χρημάτων σπανίζων, φόρους ταῖς πόλεσιν ἐπεγράψατο· ἡ Ἀντιόχου τοίνυν φορολογουμένας τὰς ἑτέρας πόλεις ὁρῶσα, καὶ σὺν βίᾳ τὰ χρήματα καὶ ἀπαραιτήτως εἰσπραττομένας· τὸ κοινὸν τοῦτο τέλος οὐκ ἐνεγκοῦσα, ἄλλα τε, ὁποῖα φιλεῖ ὄχλος, πρόφασιν εἰς ἀταξίαν λαμβάνων ἔδρασε, καὶ τὴν χαλκὴν εἰκόνα τῆς πανευφήμου Πλακίλλης· τοῦτο γὰρ ἦν ὄνομα τῇ βασιλίδι· κατήνεγκε, καὶ ἐπὶ πολὺ τῆς πόλεως καὶ κατασυράμενος.

30. Ταῦτα πυθόμενος ὁ βασιλεὺς, καὶ χαλεπήνας ὥσπερ εἰκὸς ἦν, τάτε τῆς πόλεως ἀφείλετο δίκαια, καὶ τῇ γείτονι πόλει Λαοδικείᾳ τῇ παρὰ θάλασσαν δέδωκε τὴν ἡγεμονίαν, ταύτῃ μάλιστα νομίζων αὐτοὺς ἀνιάσειν· ἐζηλοτύπει γὰρ ἡ Λαοδίκεια τὴν Ἀντιόχειαν ἄνωθεν· μετὰ δὲ ταῦτα καὶ ἐμπιπρᾶν ἠπείλει καὶ καταλύειν, καὶ εἰς κωμὴν τὸ ἄστυ μεταβαλεῖν· οἱ δὲ ἄρχοντες καὶ ἀνεῖλόν τινας παρ' αὐτὸ συλλαβόντες τὸ τόλμημα, πρὶν γνῶναι τὸν βασιλέα τὴν τραγῳδίαν. Ταῦτα δὲ πάντα ὁ βασιλεὺς ἠπείλει μέν, οὐ μὲν παραχρῆμα ἐποίει· τοῦτο τοῦ νόμου κωλύοντος, ὃν Ἀμβρόσιος ὁ μέγας τεθῆναι παρήνεσεν· ἐπειδὴ δὲ παρὰ τὴν Ἀντιόχειαν ἧκον οἱ τὰς ἀπειλὰς ἐκείνας κομίζοντες· Ἑλλένιχός τε, στρατηγὸς τηνικαῦτα ὤν, καὶ Καισάριος τῶν βασιλείων ἡγούμενος· μάγιστρον δὲ οἱ Ῥωμαῖοι καλοῦσι τὸν ταύτην ἔχοντα τὴν ἀρχήν· ἐν δέει μὲν ἦσαν ἅπαντες τὰς ἀπειλὰς περιπεφριχότες· οἱ δὲ τὴν ὑπώρειαν οἰκοῦντες τῆς ἀρετῆς ἀθληταί· πολλοὶ δὲ ἦσαν κατ' ἐκεῖνο καιροῦ· συνήχθεντο τοῖς τῇ ἀπειλῇ ὑποβεβλημένοις, καὶ περιέτρεχον πανταχοῦ, καὶ ὑπὲρ τῶν κολαζομένων, ὡς δυνατὸν, παρεκάλουν.

31. Εἷς δέ τις ἐξ αὐτῶν ἀνὴρ ἅγιος, ἀρετῇ πάσῃ κεκοσμημένος, καὶ νύκτωρ καὶ μεθ' ἡμέραν τῷ σωτῆρι τῶν ὅλων καθαρὰς προσφέρων εὐχὰς, οὗτος οὔτε τοῦ βασιλέως καταπλαγεὶς τὴν ὀργὴν, οὔτε ἀποσταλέντων τὴν ἐξουσίαν εἰς νοῦν λαβὼν, κατὰ μέσον τὸ ἄστυ

A patinam afferens, porrigens panem, pocula proluens, et alia exercens omnia, quæ famulorum, atque ancillarum opera judicantur. Solebat autem assidue conjugem his compellare: Te semper, ô marite, animo reputare convenit, et quid olim fueris, et quem in gradum nunc perveneris; ista enim tecum indesinenter si recogites, in benefactorem tuum ingratus numquam evades: sed imperium, quod accepisti, administrabis æquis legibus; qua etiam ratione debitum lar-
B gitori ejus exsolves obsequium.

29. Cum semper illa ejusmodi uteretur verbis, quæ virtutis seminibus pulchram in conjuge irrigationem et incrementum præbere possent, prius ipsa quam vir fato functa est. Contigit autem post aliquod tempus ab ejus morte tale quid fieri, unde palam innotesceret, quonam imperator erga eam animo, quantave caritate esset affectus. Cogente siquidem bellorum frequentia, imperator rei pecuniariæ inopiam to-
C lerans, tributa indixit civitatibus. Urbs igitur Antiochia cum alias urbes tributis illis subditas conspiceret: pecunias vero per vim exigi, ac nulla admissa excusatione; commune hoc vectigal nequaquam ferens, sed turbarum occasionem hinc arripiens, qualia vulgus facere solet, patravit: et nobilissimæ Placillæ, hoc enim erat imperatrici nomen, æream statuam solo adflixit, ipsam etiam per plures civitatis vicos pertrahens.

30. Imperator, hac re ad se delata, tantum
D molestiæ, quantum decebat, hinc percipiens, cum civitatem propriis legibus ablatis multat, vicinamque urbem Laodiceam, quæ propter littus maris sita est, illi præficit, hac potissimum via ipsi ægre se facere persuasum habens; namque Antiochiam à longo tempore æmulabatur Laodicea. Insuper autem illam se incensurum ac deleturum minitabatur, nec non in pagum eamdem se conversurum: proceres vero nonnullis in ipso facinoris actu correptis, antequam
E tragœdiam resciret Princeps, mortem irrogarunt. Et hæc quidem cuncta comminabatur Theodosius, non tamen illico exsequebatur, prohibente hoc nimirum lege, quam hortatu suo magnus Ambrosius ferendam curaverat. Sed posteaquam qui minas illas ferre jussi sunt, venerunt in urbem Antiochiam (dux autem erat tunc Hellenichus, et Cæsarius præfectus prætorianis, magister vero a Romanis dicitur, qui adeptus est hanc dignitatem), universi quidem in metu
F versabantur minarum exitum reformidantes. Virtutis autem illi athletæ, qui ad radices montium habitabant, quorum ingens erat tunc multitudo, iis quos percellebat comminatio, compatiebantur, et circumquaque cursantes, de iis viris qui supplicio fuerant affecti, quantum licebat, alios solabantur.

31. Unus autem ex illis erat vir sanctus, exornatus omni virtute, et qui die nocteque puras orationes omnium Salvatori offerebat. Hic
G nec imperatoris iram metuens, nec eorum qui missi erant, potestatem animo reputans, cum

γενόμενος, καὶ τῆς χλανίδος θατέρου τῶν ἀποσταλέντων ἀρχόντων λαβόμενος, ἀμφοτέρους ἐκ τῶν ἵππων καταβῆναι κελεύει· εἰ δὲ μικρόν τι γερόντιον εὐτελῆ ῥάκια περιβεβλημένον ἰδόντες, τὸ πρῶτον μὲν, καὶ χαλεπῶς ἔφερον· ἔπειτα δὲ τινες τῶν συνεπομένων τὴν τοῦ ἀνδρὸς ἐδήλωσαν ἀρετὴν, κατεπήδησάν τε τῶν ἵππων εὐθὺς, καὶ τῶν ἐκείνου γονάτων λαβόμενοι συγγνώμην ἐζήτουν· ὁ δὲ ὅσιος ἀνὴρ τῆς θείας σοφίας ἐμφορηθείς, τοιεῖσδε πρὸς αὐτοὺς ἐχρήσατο λόγοις· Εἴπατε δὴ, ὦ φίλοι ἄνδρες, τῷ βασιλεῖ· οὐ βασιλεύς εἶ μόνον, ἀλλὰ καὶ ἄνθρωπος· μὴ τοίνυν πρὸς μόνην ὅρα τὴν βασιλείαν· ἀλλὰ καὶ τὴν φύσιν αὐτὴν λογίζου· ἄνθρωπος γὰρ ὢν, ὁμοφυῶν βασιλεύεις, κατ' εἰκόνα δὲ θείαν καὶ ὁμοίωσιν πάντως ἡ τῶν ἀνθρώπων δεδημιούργηται φύσις· μὴ τοίνυν ὠμῶς οὕτως καὶ ἀπεινῶς τοῦ θεοῦ τὴν εἰκόνα κέλευε κατασφάττεσθαι· παρεξύνεις γὰρ οὕτω τὸν δημιουργόν, τὴν ἐκείνου κολάζων εἰκόνα· σκόπησον γοῦν, ὡς καὶ σὺ χαλκῆς ἕνεκα δυσχεραίνων εἰκόνος, ταῦτα ποιεῖς· ὅσον δὲ τῆς ἀψύχου διαφέρει ἡ ἔμψυχος καὶ ζῶσα καὶ λογικὴ, δῆλον ἅπασι τοῖς τε νοῦν ἔχουσιν ὁμοίως καὶ αἴσθησιν· πρὸς δὲ τούτοις λογισάσθω κἀκεῖνο· ὡς ἡμῖν μὲν ῥᾴδιον ἀντὶ τῆς εἰκόνος τῆσδε, πολλὰς δημιουργῆσαι χαλκᾶς· αὐτῷ δὲ προφανῶς ἀδύνατον μίαν γοῦν τῶν ἀναιρεθέντων δημιουργῆσαι τρίχα.

32. Τούτων ἀκούσαντες οἱ θαυμαστοὶ ἄνδρες ἐκεῖνοι, μηνύουσί τε τῷ βασιλεῖ τὰ εἰρημένα, καὶ τὴν τοῦ θυμοῦ κατέσβεσαν φλόγα· ὡς ἀντὶ τῶν ἀπειλῶν ἐκείνων, ἀπολογίαν τε αὐτίκα γράψαι, καὶ τῆς ὀργῆς τὴν αἰτίαν δηλῶσαι· Οὐκ ἔδει γὰρ, ἔφη, ἐμοῦ πλημμελήσαντος, γυναῖκα πάσης εὐφημίας ἀξιωτάτην, τοσαύτην μετὰ τελευτὴν δέξασθαι παροινίαν· κατ' ἐμοῦ δὲ ἐχρῆν τὸν θυμὸν τοὺς ἀγανακτοῦντας ὁπλίσαι· προσετίθει δὲ τοῦτο, ὡς ἀλύει καὶ ἀνιᾶταί τινας ὑπὸ τῶν ἀρχόντων ἀνῃρῆσθαι μαθών. Οὕτω μὲν οὖν ὁ φιλόχριστος βασιλεὺς, καὶ τοιαῦτα ὑπὸ τοῦ θαυμαστοῦ Ἀμβροσίου πεπαίδευτο, καὶ τοσαύτης παρ' αὐτοῦ τῆς χάριτος. καὶ τῆς πνευματικῆς ὠφελείας ἀπέλαυσεν.

33. Ὁ δὲ θεῖος οὗτος Ἀμβρόσιος· ὃν εἴρηται τρόπον, ἐν τῇ τοῦ Χριστοῦ ἐκκλησίᾳ ἐν ὀρθοδόξοις δόγμασι διαλάμψας· ζηλωτής τε καὶ ὑπέρμαχος τῆς ἀληθείας γενόμενος, καὶ ἐποικοδομήσας ἐπὶ τῷ θεμελίῳ τῶν ἀποστόλων καὶ προφητῶν· λόγους τε ὀρθοδοξίας καὶ διδασκαλίας ἐκθέμενος, καὶ πᾶσαν ὑπὸ Ἀρείου καὶ Ἀπολιναρείου καινισθεῖσαν αἵρεσιν ἀπελάσας· πάντα τε τὰ τῆς αὐτοῦ ἐκκλησίας καλῶς διαθέμενος, καὶ εἰς βαθὺ γῆρας ἐλάσας, πλήρης τε ἡμερῶν γενόμενος, ἀνεπαύσατο ἐν εἰρήνῃ, τεθεὶς ἐν τῇ ἐκκλησίᾳ Μεδιολάνων, μνήμην ἀληθῆ τὸν αὐτοῦ βίον καταλιπὼν καὶ τὰ κατορθώματα· ὧν ζηλωτὰς καὶ ἡμᾶς γενέσθαι καταξιώσειε, καὶ τῶν αὐτῶν ἀμοιβῶν ἐκείνῳ καὶ τῶν στεφάνων ἐπιτυχεῖν· χάριτι καὶ φιλανθρωπίᾳ τοῦ Κυρίου ἡμῶν Ἰησοῦ Χριστοῦ· ᾧ ἡ δόξα καὶ τὸ κράτος εἰς τοὺς αἰῶνας τῶν αἰώνων, ἀμήν.

A in mediam urbem venisset, et amiculo alterum legatorum apprehendisset, jussit utrumque ex equis descendere. Hi vero parvum seniculum, eumque vili panno vestitum conspicati, primo quidem indignabantur. At cum postea quidam ex iis qui sequebantur, virtutem viri manifestassent, continuo desilierunt ex equis, et illius genua complexi, veniam petierunt. Vir autem sanctus, ac divina plenus sapientia, tali apud eos usus est oratione: Dicite, o cara capita, B imperatori: Non imperator solum, verum etiam homo exsistis: ne igitur solum imperium, sed ipsam quoque naturam consideres; cum enim homo sis, ejusdem naturæ consortibus imperas. Humana porro natura ad imaginem ac similitudinem divinam omnino efficta est; quocirca noli tam crudeliter atque immaniter imaginem Dei jugulandam præcipere; sic enim ad iram concitas artificem, dum in ejus effigiem animadvertis. Perpende igitur quemadmodum tu ipse C propter figuram æream graviter commotus ista designas. Quanto autem imago spirans, et viva et rationalis potior est, quam inanima, perspicuum est omnibus, qui quidem mente, ac sensu sint præditi. Præterea et hoc secum reputet, nobis utique expeditum esse pro statua ista plures æreas alias conflare: illi e contrario prorsus impossibile, eorum, qui necati sunt, vel unum crinem procudere.

32. His auditis, admirabiles illi viri quæ dicta D fuerant, significant imperatori et iracundiæ flammam exstinguunt; ita ut minarum istarum loco quam primum sui scriberet excusationem, et iræ suæ causam exponeret: Non decebat enim, inquiebat, me delinquente, uxorem meam prædicatione omni longe dignissimam tantum contumeliæ post mortem sustinere: sed eos qui animo suo obtemperarunt, contra me oportebat iracundiam armare suam. His præterea subjunxit illud, angi se animi atque dolere quod E cognovisset a præfectis morte affectos quosdam fuisse. Hoc itaque modo imperator Christi amicus, talibusque præceptis ab admirabili Ambrosio fuerat institutus, tantamque gratiam ac spiritualem utilitatem ab eo perceperat.

33. Divinus autem hic Ambrosius in Ecclesia, quemadmodum dictum est, orthodoxis dogmatibus fulgens, æmulatorque veritatis factus et propugnator, cum super fundamentum apostolorum ac prophetarum ædificasset, nec non rectæ do- F doctrinæ ac disciplinæ verba exposuisset, fugata qualibet hæresi ab Ario atque Apollinario recens invecta, et Ecclesia sua in omnibus optime constituta, in profundam progressus senectutem, ac dierum plenus, in pace requievit. Tumulatus est in Ecclesia Mediolanensi, veram memoriam sui relinquens, propriam utique vitam et recte facta: quorum ut nos quoque evadamus imitatores, eademque cum illo præmia atque coronas obtineamus, ipse dignetur, gratia et be- G nignitate Domini nostri Jesu Christi, cui honor est atque potestas in sæcula sæculorum, amen.

VITA SANCTI AMBROSII

MEDIOLANENSIS EPISCOPI EX EJUS POTISSIMUM SCRIPTIS COLLECTA,

ET SECUNDUM CHRONOLOGIÆ ORDINEM DIGESTA.[1]

Tanta rerum gestarum magnitudine, doctrinæ ac librorum editorum celebritate, sanctitatis denique et virtutum episcopalium laude claruit sanctus Ambrosius, ut instar cujusdam esset miraculi, si defuissent eruditi homines, a quibus ejus historia litterarum monumentis committeretur. Exstiterunt itaque non pauci tum Græci tum Latini, qui hanc ipsam spartam ornandam susceperunt, in quibus ordinem ducit Paulinus sancti Antistitis notarius atque diaconus, cujus fidem ac diligentiam in dubium revocare nequaquam licet. Verumtamen illud in eo desideratur, quod vix ullam in rebus enarrandis chronologiæ habuit rationem, et nullum scriptorum Doctoris nostri catalogum curavit contexere, quod non omisit in Augustini vita Possidius. Vitium illud reparare eruditissimus cardinalis Baronius constituerat, cum eam Ambrosii Vitam elucubravit, quæ in Romana Ambrosianorum operum editione illis præmissa, postmodum cum iisdem toties recusa fuit. At vero hic tanti viri labor usque adeo non tulit omnium approbationem, ut proprio auctori non satisfecerit; quippe qui post annos aliquot, cum in ingenti suo Annalium Ecclesiasticorum opere desudaret, pronuntiaverit de
Ad ann. 397. eadem Vita: *Quam ad scripta de eodem* (Ambrosio scilicet) *in Annalibus, cum diversum in ea invenies* (*quod posteriores cogitationes meliores esse soleant*) *conformandam intelliges.* Quocirca præterquam quod eadem Vita longiuscula est; illam prælo subjicere sine correctionibus mutationibusque neutiquam possemus, quod noluimus in opere alieno nobis licere.

2. Hermannus Sorbonicus doctor post Baronium novam Ambrosii Vitam evulgavit, quam quidem tanta dignatione omnes exceperunt, quantam merebatur auctoris diligentia et eruditio. Verum etiamsi vernaculo idiomate, quo edita est, scripta non fuisset; cum res Ambrosiano ævo et in imperio, et in Ecclesia gestas complectatur, amplior sane est illius moles, quam ut ipsam istorum voluminum modus caperet.

3. Itaque optimum nobis illud visum est, ut Vitis duabus, quarum alteram edidit Paulinus, alteram Græcus auctor consarcinavit, præmissis, tertiam insuper adjungeremus, quæ ad chronolo-
A gicam rationem accuratior, defectum suppleret illarum utriusque. Ipsam, quoad ejus fieri poterit, ex Ambrosii libris haurire conabimur, cujus partes singulas ad eam concinnitatem ac proportionem pro nostra virili cogere satagemus, ut illius beneficio lector non modo factorum scriptorumve Ambrosianorum ordinem capere nullo negotio valeat, verum etiam ad studium eorumdem operum lectioni cum fructu impendendum evadat paratior.[2]

B 4. Extra controversiam est natum in Galliis esse Ann. 340
nostrum Ambrosium; ejus parentem, Ambrosium etiam nomine, in iisdem provinciis præfecti dignitatem obtinuisse; ipsumque antequam ederetur sanctus Ambrosius, duobus jam liberis, Marcellina scilicet ac Satyro, fuisse auctum, atque adeo sanctum hunc nostrum ordine nascendi tertium exstitisse. At non tanta est de tempore et loco in *De Excessu Satyri*, or. 1
quo primum lucem adspexit, scriptorum consensio. n. 54.
Nam quod ad tempus, qui Ambrosio LXIV vitæ
C annos tribuunt, annum 333 ei natalem esse affirmant: qui autem autumant ipsum non ultra annum LVII vitam produxisse, ortum ejusdem non contigisse nisi anno 340, plane contendunt. Utrique harum opinionum illud commune est, quod anno 397, vel 398, volunt e vivis excessisse sanctum Antistitem: totius autem difficultatis cardo circa numerum annorum quos ille vixit, in hoc vertitur, quod cum vir sanctus epistola LIX, quæ ad Severum destinata est, annum agere se LIII testificetur,
D illic etiam hæc verba scribat: *Nos autem,* inquit, Epist. 59, n. 3
objecti barbaricis motibus, et bellorum procellis, in medio versamur omnium molestiarum. Enim vero qui locum illum cum Baronio de bello adversus Maximum tyrannum gesto interpretantur, Ambrosium inde colligunt pervenisse ad annum vitæ LXIV, eo quod anno 387 idem hoc bellum trepidatione ac terrore compleverit omnem Italiam, sanctus vero Præsul non ante annum 397 fato functus sit. Qui autem citata verba de bello Eu-
E geniano, quod anno 393 vel 394 patratum est, intelligenda esse defendunt, iidem Ambrosium annos natum LVII mortem obiisse nullo modo ambigunt. Fatemur quidem in hac secunda opinione majorem quamdam veritatis speciem elucere: sed in hac quæstione magnum inesse operæ pretium non arbitramur. Etenim hos septem annos, de quibus hic controvertitur, ad vitam ab Ambrosio ante baptismum et in sæcularium rerum commercio exactam pertinere in confesso est: de annis vero quos vixit

[1] Cum otiosum jure videatur quod recte effectum est, rursum reficere, abs re duximus post hanc Ambrosii Vitam a Maurinis ejus Operum Editoribus accurate elucubratam aliam retexere; ideoque hanc ipsam recudentes, pauca tantum in notis adjiciemus, quæ ad majus aliquod ejusdem conferant complementum, vel ad aliquid emendandum minus recte propositum; ac demum separatim enarrabimus quæ de tanti Doctoris ac Pontificis corporis inventione atque elevatione, una cum illis sanctorum martyrum Protasii et Gervasii, dicenda erunt.

[2] Memoratu digni sunt inter plures alios qui Ambrosii historiam texuerunt, Dupin et Ceillier in suis operibus de Scriptoribus ecclesiasticis, ac præ ceteris Tillemont in suis *Memoires* ad serviendum historiæ ecclesiasticæ. Recentissime vero, pariter gallico sermone, ut præcedentes, Sancti Ambrosii Historiam eleganter æque atque accurate dictavit doctor Baunard, quam italice reddidit prof. in mediolanensi seminario pro exteris missionibus Jacobus Scurati, ac Mediolani edidit anno 1873.

episcopus, et ad quos præcipua quæque ipsius facta referuntur, auctores ferme inter se consentiunt.[1]

5. Quod porro ad locum, qui eumdem nascentem exceperit, satis cognoscitur ex verbis Paulini eam urbem fuisse, in qua sedem habere consueverat Galliarum præfectus. Verum illa ipsa urbs quænam censenda sit, haud parva lis est; alii enim Arelati, alii Treviris aut etiam Lugduno hunc honorem deferunt, singuli videlicet harum urbium nobilitati ac prærogativis antiquis nixi: sed revera nullum argumentum quo cæteris in hoc anteponenda liquido demonstretur, in medium promentes. Non desunt præterea qui Romam ipsam vocitent Ambrosii patriam: sed patria nihil aliud apud eos his locis sonat, quam familiæ atque originis solum natale, nec non solitum parentum sancti viri, et ipsius etiam non modico tempore domicilium.[2]

Basil. epist. ad Ambr.; Paulin. in Vita Ambr., etc.

6. In illa igitur harum urbium, ubi præfecti Galliarum prætorium erat, in lucem editus est noster Ambrosius: ubi et Paulinus prodigium illud memorat contigisse, quo apiculæ in os infantuli alternatim intrantes atque exeuntes, summam illius in dicendo, et in hominibus ad Christi obsequium alliciendis suavitatem visæ sunt portendere.

In Vita Ambr., n. 3.

Ann. 353.

7. Patre mortuo, Ambrosius cum matre Romam reversus est, qua in urbe Marcellinam *quæ virginitatem* ut Paulinus testatur, *jam fuerat professa,* cum alia item sacra virgine habitantem reperit.[3] Cum autem ex ipsomet Ambrosio cognoscere sit eamdem Marcellinam Liberii pontificis manibus natali die Christi Domini flammeo originali fuisse consecratam: aliunde vero non dubitetur quin ille pontifex XI kal. Junias anni tantum 352, suffectus fuerit in decessoris sui Julii sedem, hinc fit compertum Marcellinæ consecrationem non nisi VIII kal. Januarias anni, ut minimum, 353, aut potius 354, fieri potuisse. Porro cum ad tempus Ambrosiano in urbem reditu posterius referatur a Paulino sæpius hic citando, quod idem Ambrosius manus suas tamquam futuri episcopi exosculandas puellæ porrigeret memoratæ, ex lusu illo sane puerili satis colligitur Pauliniana verba, *cum adolevisset,* potiori jure de sancti nostri anno XII, vel XIII, intelligi, quam de XIX aut XX. Unde illud non leviter potest confirmari, quod Ambrosii ortum anno 340 assignavimus.

Vit. Amb., n. 4

Lib. III de Virg., cap. 1, n. 1.

8. Educatus in contubernio harum virginum noster Ambrosius, inde tanto erga virginitatem atque cælibatum amore affectus est, ut illud vitæ genus non modo ipse semper coluerit quam studiosissime, verum etiam totis viribus longe lateque propagaverit, quemadmodum edita ab eo scripta, virgines ejus manibus solemni ritu Christo consecratæ, monasteria demum variis in locis ab ipso instituta palam faciunt. Inter virgines autem quæ a sancto Præsule ad professionis suæ perfectionem informatæ sunt, nullam insignioribus virtutum omnium fulsisse documentis, quam Marcellinam, ipsius effigies a pio fratre stylo expressa clare demonstrat. Romæ quidem commorabatur eadem virgo, sed fratri semper intimo quodam animorum nexu conjuncta fuit; ita ut ejus, si quando ipsum in Urbem traheret necessitas, conspectu frui minime contenta, subinde Mediolanum itaret ad eum invisendum: quoties autem ab invicem locorum distantia separabantur, crebris epistolis iisque de virtute ac religione potissimum scriptis, mutuum sui desiderium consolarentur. At præterea si quid anxium sollicitumve reddebat Ambrosium, amantissima soror fraternam sollicitudinem cum eo partiri numquam destitit, quoad ille vixit; ipsam enim superstitem ei fuisse dubium non est.[4]

Lib. III de Virg., cap. 4, n. 15 et seq.

9. Ambrosius dum egit Romæ, *liberalibus disciplinis* operam dedit, magnosque, ut ex ejus lucubrationibus licet cognoscere, et in lectione bonorum auctorum, et in Græcarum litterarum cognitione progressus habuit. Inde cum orandis in foro causis animum adjecisset, tantum præ se tulit ingenii, eloquentiæ, et gravitatis, ut eum Probus prætorio præfectus[5] *ad consilium tribuendum* eligeret. Satyrus quoque, peracto studiorum suorum curriculo, forum secutus, *incredibili admiratione,* ut Ambrosii verba usurpemus, *in auditorio præfecturæ sublimis emicuit.* Et revera ambo illi fratres virtutum suarum suffragio clarissimas quasque dignitates assecuti sunt, quas quo animo iidem adierint, clare significavit Ambrosius, ubi hæc dixit: *Sæculi hujus honores,* inquit, ... *quos ideo adepti sumus, non quia fuit expetenda eorum perceptio, sed ne vilis dissimulatio videretur.* Quemadmodum autem Satyrus provinciam administraverit suæ curæ creditam, non aliunde melius quam ex hoc fraterno testimonio discere licet: *Qualis in universos fuerit,* ait ille, *provincialium quibus præfuit, studia docent, qui parentem magis proprium, quam judicem loquebantur, gratum piæ necessitudinis arbitrum, constantem æqui juris disceptatorem.*

Paulin. in Vita Ambr., n. 5.

De Excessu Satyri, n. 29.

Ibid., 25

Ibid., 58.

10. Quam regionem Satyrus regendam acceperit, minime constat: quod vero ad Ambrosium, Probus jam ante memoratus eum præfecit Liguriæ atque Æmiliæ, quibus provinciis archiepiscopatum Mediolanensem, Liguriarum, Taurinensem, Genuensem, atque Bononiensem comprehendi vulgo existimant. Cum porro Ambrosium illuc abs se Probus dimitteret, eum hisce verbis fertur allocutus: *Vade,*

Ann. 374.

[1] Secunda opinio fere ad certitudinem ex eo evehitur quod in sequenti n. 7 animadvertitur de tempore quo Marcellina Deo dicata fuit.

[2] Verisimilius est, eum lucem Treviris adspexisse, ubi ordinaria erat sedes præfecti Galliarum. Indubium vere est, non modo matrem, sed ejus quoque patrem christianum extitisse. Inter familiæ prognatos virginem ac martyrem Soterem extitisse, gloriatum esse Ambrosium notissimum est (*Exhort. virginit.*, c. XII).

[3] E Paulino non constat Marcellinam Romæ jam degisse antequam Ambrosius cum matre illuc pervenisset; nec verisimile est juvenculam puellam tam longe a matris latere constitisse. Dicendum igitur, mortuo Ambrosio præfecto, totam familiam simul Romam advenisse, ac non multo postea Marcellinam virginitatis velum a Liberio suscepisse; verba autem Paulini *jam fuerat professa* non significare Marcellinam virginitatem professam fuisse Romæ antequam Ambrosius et mater illuc advenissent, sed antequam, ut sequitur, Ambrosius ibi manum deosculandam porrigeret. Ita rite quoque intellexit Baunard.

[4] Admitti nequit Marcellinam interdum tantum Mediolanum advenisse, atque habitualiter Romæ etiam post matris obitum commoratam fuisse. Sub fine anni 377, aut 378 vix ineunte, fratrem Ambrosium, qui Romam advenerat, Mediolanum revertentem, vel comitata, vel subsecuta est, ac deinceps vel Mediolani, vel in propiori pago, usque ad vitæ exitum, fere indesinenter constitit, et Mediolani diem obiit supremum, ubi ab episcopo Simpliciano in ipsa Ambrosiana basilica deposita est.

[5] Vir iste sincere christianus fuit, licet ob potentiam et divitias nimis animo elatus.

Paulin. *in Vita Ambr.*, n. 8. inquit, *age non ut judex, sed ut episcopus;* nimirum ut potius clementiam episcopalem, quam judicis severitatem exhiberet provincialibus, pulcherrime admonens.

11. Hujus præcepti haud immemor exstitit Ambrosius: populorum enim animos tantopere sibi devinxit comitate sua et mansuetudine, ut extincto Auxentio, perfido illo Ariano (qui sedem occuparat Mediolanensem, unde ejectus et in exsilium amandatus erat sanctus Dionysius), in ejus locum ipsemet suffectus fuerit ad eum modum, qui a Paulino eleganter describitur. Ambrosius hac in electione vim sibi illatam fuisse frequenter con-
Ibid., 6 et seq. queritur; namque in primo libro de Officiis modo
Ibid., 2, 4. *sibi refugienti impositam sacerdotii necessitudinem* dolet; modo *se raptum a tribunalibus atque administrationis infulis ad sacerdotium.* Et alio in libro: *Dicetur*, inquit, *Ecce ille non in Ecclesiæ nutritus sinu, non edomitus a puero: sed raptus a tribunalibus, abductus de vanitatibus sæculi hujus, a præconis voce ad psalmistæ*
Lib. II *de Pœnit.* c. 8, n. 72, 73. *assuefactus canticum.* Et post pauca: *Custodi donum quod contulisti etiam refugienti. Ego enim sciebam quod non sum dignus vocari episcopus, quoniam dederam me sæculo huic: sed gratia tua sum, quod sum. Et sum quidem minimus omnium episcoporum, et infimus merito.* In epistola quoque ad Vercellenses ita loquitur: *Quam resistebam ne ordinarer..... Sed non va-*
Epist. 63, n. 65. *luit præscriptio, prævaluit impressio.* Certe qui-
In Vita Ambr., n. 7 et seq. dem ex iis quæ Paulinus hac de re narrat, planissimum est sanctum hunc nostrum, ut huic oneri subduceret humeros, nihil non tentasse. Verumtamen ubi Valentiniani Cæsaris allatæ sunt litteræ, divinæ voluntati quam post tot indicia in dubium revocare jam non poterat, morem gerere coactus fuit. Eam ob rem secutis temporibus, cum atrocissime impeteretur ab arianis, Valentinianum secundum his verbis compellebat: *Omitto,* inquiens, *quia jam ipse populus judicavit: omitto quia eum quem habet, de patre Clementiæ tuæ postulavit: taceo quia pater pietatis tuæ quietem futuram spopondit, si electus susciperet sacer-*
Epist. 21, n. 7. *dotium. Hanc fidem secutus sum promissorum.*

12. Postquam igitur divinis paruit imperatis, regenerationis lavacro episcopi catholici manibus
1 voluit expiari:[1] *Baptizatus* autem *fertur omnia ecclesiastica officia implesse, atque octava die*
Paulin. *in Vita Ambr.*, n. 9. *episcopus ordinatus est.* Nihilominus tamen ut Ecclesiæ leges, quæ neophytum vetant consecrari, aliquatenus observarentur, annisus est viribus
Epist. 63, n. 65. omnibus, *ut saltem ordinatio protelaretur.* Verum cum non alia de causa hujusmodi prohibeatur inauguratio, quam *ne in superbiam elatus, in judi-*
I Tim. III, 7. *cium incidat diaboli,* eique periculo obnoxia non videretur Ambrosiana humilitas, urgente Ecclesiæ

A utilitate, non diutius differri oportere judicatum est. Et sane illam *ordinationem occidentales episcopi judicio, orientales etiam exemplo probarunt,* quemadmodum testatur ipsemet Ambrosius, qui et subjungit: *Si dilatio ordinationi defuit, vis cogentis est: si non deest humilitas competens sacerdotio, ubi causa non hæret, vitium non imputatur.* Epist. 63, n. 65

13. Verisimile est consecrationem illam VII idus mensis Decembris factam fuisse; quandoquidem hoc
B ipso die mentio ejus fit tam apud Græcos quam apud Latinos: quin et hoc idem indicare videtur Ambrosius, cum agens de Felicis Comensis episcopi ordinatione, quæ *in exordio ipso kalendarum Novembrium* redibat, sic eum alloquitur: *Natalem tuum prosequemur nostris orationibus, et tu nostri in tuis votis non obliviscaris.* Etenim si Epist. 4, n. 2.
dictio *nostri* afficiat vocem *natalis,* admodum probabile fuerit virum sanctum non aliunde ad hæc scribenda inductum esse, nisi quia initi abs se
C episcopatus anniversarium cogitabat tunc imminere. Atqui consensus chronologistarum de anno consecrationis ejusdem sancti multo major est: eorum enim peritissimi anno 374 eam collocant; quamquam non desint, qui eamdem in annum insequentem differre voluerint, non satis nimirum attendentes Valentiniani, quem superstitem fuisse constat quo tempore ad episcopatum Ambrosius cooptatus est, obitum evenisse anno 375, mense Novembri. Quamprimum vero sanctus Antistes
D electionem suam episcopis cum orientalis Ecclesiæ tum occidentalis, ut moris erat, significavit; exstatque etiamnum epistola magni Basilii perquam egregia, qua litteris Ambrosianis ille respondet, Basil. epist. 197.
et cui epistolæ Dionysii quem in episcopatu excepit Ambrosius, reliquias adjunctas fuisse quidam existimant. Mortuus autem est in exsilio sanctus Dionysius VIII kal. Apriles ejusdem anni 374.[2] 2

14. Cæterum Ambrosius noster statim atque ad tantam dignitatem assumptus fuit, omnem aliam
E curam præterquam implendi muneris sui a se removit. Is enim bona temporalia, quibus ipsius familia locuples erat, cum Satyrum fratrem opibus pauperem fuisse Vir sanctus neget, universa ab- *De Excessu Satyri*, n. 56.
dicavit, auroque et argento in egenos collato, prædia sua, reservato sorori soló usufructu, Ecclesiæ tribuit. Inde est quod tempore arianæ per- Paulin. *in Vita Ambr.*, n. 38
secutionis responderit tanta cum fiducia: *Si a me peteret* (imperator) *quod meum esset, id est, fundum meum, argentum meum, quidvis hujusmodi*
F *meum, me non refragaturum; quamquam omnia quæ mei sunt, essent pauperum.* Patrimonium Epist. 50, n. 8.
cum fratribus partiri noluit, sed ejus curam, non secus ac aliarum rerum sæcularium, sicut etiam servorum ac familiæ directionem in Satyrum rejecit. Frater ille dilectissimus ad eum venerat

[1] Baunard cum aliis paucis admittit Simplicianum, tum simplicem presbyterum, baptismum Ambrosio administrasse, eo quod Augustinus *Confessionum* lib. VIII eum Ambrosii patrem et gratiæ ministrum appellat. Sed hæc verba de studio Simpliciani erga Ambrosium ac spirituali directione intelligenda tantum sunt, cum expresse Paulinus dixerit ab *episcopo* orthodoxo Ambrosium baptizari voluisse, et conveniens omnino fuerit ut ipse episcopus, qui sacros ei ordines collaturus esset, baptismum quoque ministraret. Cf. jam notata ad ejus Vitam per Paulinum.

[2] Non ita, sed valde prius, ac probabilius anno 357 obiit Dionysius. Ambrosius autem una cum sua epistola presbyteros quosdam ad Basilium misit, ut ejus opera mortales Dionysii exuvias Mediolanum reducere possent. Basilius eis adjecit Terasium, presbyterum suum, et hi simul perrexerunt ad extremam illam Cappadociæ partem ubi exul Dionysius vita functus erat, et ubi ejus corpus maxima veneratione colebatur. Terasii opera illi mediolanenses presbyteri Dionysii reliquias obtinuerunt ac Mediolanum deduxerunt, ubi maximo gaudio ab Ambrosio exceptæ sunt. Basilii epistola CXCVII ad Ambrosium, quæ hanc quoque corporis sancti antistitis delationem per illos presbyteros enarrat, tota legi valde meretur. Nulla tamen in ea mentio fit illius episcopi Aurelii, qui in mediolanensi breviario Dionysii corpus Mediolanum attulisse dicitur, quique integro sæculo serius Mediolani obiit.

Mediolanum; adeo enim alter ab altero divulsus vivere non poterat, ut ea de re Ambrosius ita loquatur: *Nec ipsi*, ait, *nos sæculi hujus delectabant honores, quod nos a nobis invicem dividebant.* Tanta vero prudentia et mansuetudine hanc administrationem obivit Satyrus, ut ipsi jam mortuo testimonium hoc reddat sanctus frater: *Sine offensione ulla et gubernasti fratris domum, et commendasti sacerdotium.*

De Excessu Satyri, n. 25.

Ibid., 20.

15. Quapropter expeditus ac liber a rebus terrenis novus episcopus, cœlestium acquisitioni totus incubuit: et quamvis ante susceptum sacrum baptisma tam honeste tamque christiane vitam instituisset, ut vix aliud quod adderetur, culminis episcopalis perfectio videretur exigere; nihilominus tamen tanta animi contentione operam dedit virtutibus omnibus, quanta si nullam sibi inesse persuasum habuisset. Qua ratione talis effectus, qualem unumquemque subditorum suorum esse peroptabat, eisdem ad bona opera facem numquam non præferebat. In primis autem ita se manciparat cultui sacrorum altarium, ut nullis negotiis quo minus quotidie divinum offerret sacrificium, avocaretur. Sed cum Paulinus satis accurate Ambrosianas singulorum dierum exercitationes enarraverit, ut eæ minutatim hoc loco exponantur, nihil est necesse. Cæterum sanctus Præsul attente considerans gubernacula ejus Ecclesiæ sibi credita, quam Auxentius, qui eam totos 20 annos occupaverat, arianorum dogmatum veneno inficere omni ope conatus fuerat; e contrario ipse arbitratus est sibi nervis omnibus esse connitendum, ut non modo ejusdem arianæ dementiæ, sed et omnium aliarum hæreseon prava germina stirpitus ex populorum mentibus evelleret. Pastoralis hujus sollicitudinis effectum declaravit sanctus Hieronymus in illa verba: *Post Auxentii*, inquit, *seram mortem, Mediolani Ambrosio constituto, omnis ad fidem rectam Italia convertitur.* Tantus autem ille successus eo dignior est admiratione, quo ad illum adipiscendum breviori spatio vir sanctus indiguit; ipse siquidem per arianæ tempestatis tempora, id est, anno 385 aut 386 sic jam scribebat: *Prodire de arianis nullus audebat, quia nec quisquam de civibus erat, pauci de familia regia, nonnulli etiam Gothi.* Hoc similiter tempore Augustinum a Manichæorum cassibus liberavit sanctus Antistes: neque etiam dubitaverimus plures alios non tam pervicaces quam Augustinum, Ambrosio jam ante debuisse primi sui erroris depulsionem.

Epist. 20, n. 15.

In Vita Ambr., n. 38 et seq.

Hier. *in Chron.*

Epist. 20, n. 12.

16. Verum tamen uberes illi fructus magno studio multisque laboribus constitere novo præsuli: nam licet a nobis observatum sit liberalibus illum litteris ac disciplinis ab adolescentia instructum fuisse, ecclesiasticam tamen doctrinam, cum ad episcopatum provectus fuit, ei defuisse negabit nemo.[1] Ut igitur hanc scientiam sibi compararet, quidquid temporis sibi a negotiis muneris sui, aut necessaria corporis cura vacuum erat, incredibili assiduitate Scripturæ sacræ meditationi totum impendebat. Testem habemus hujusce rei magnum Augustinum, cujus hæc verba sunt: *Secludentibus me*, inquit, *ab ejus aure atque ore catervis negotiosorum hominum, quorum infirmitatibus serviebat, cum quibus quando non erat, quod per exiguum temporis erat, aut corpus reficiebat necessariis sustentaculis, aut lectione animum.* Sed nec fidelissimus ille discipulus negligendum tacendumve existimavit, quam rationem in legendo teneret præceptor suus; eodem enim loco ista subjungit: *Sed cum legebat*, ait, *oculi ducebantur per paginas, et cor intellectum rimabatur, vox autem et lingua quiescebat.* Neque vero diurnæ lucis curriculum ejus sufficiebat aviditati; sed nocte diei hoc in opere propemodum continuata, redux a sacris vigiliis, lectionem quamprimum resumebat, sicut ipse charissimo suo Irenæo ingenue fatetur hoc modo scribens: *Inter legendum*, inquit, *cum paululum requievissem animo, quia lucubratione destiteram, versiculum illum cœpi mecum revolvere, quo vesperi in vigiliis usi fueramus.* Quin etiam postquam ætate jam erat provectior, de tam improbo studio nihil remisit, quemadmodum ex una ejus epistolarum Sabino amico suo et familiari scripta cognoscere est; in ea quippe hæc verba legimus: *Non enim dictamus omnia, et maxime noctibus, quibus nolumus aliis graves esse ac molesti.* Atque ita qui labori suo numquam parcebat, parcebat alieno. Quapropter cum acerrimo ingenio præditus esset et humanioribus litteris apprime institutus, maxime vero græcis, in quibus inter Latinos Patres uni Hieronymo primas concedebat; mirum non videbitur, si Patrum tam Græcorum, quam Latinorum operibus indefessa manu volvendis, et sacris utriusque linguæ codicibus inter se conferendis, tantos progressus tam brevi habuerit. Nam quod contendit magnus cardinalis (*Baronius*), Damasum pont. max. ubi comperiit Ambrosii adhuc catechumeni electionem, Simplicianum, qui eum primis episcopatus sui annis in ecclesiastica scientia erudiret, Mediolanum misisse, haud satis idoneo nititur fundamento; quod enim Ambrosius suam ad eumdem Simplicianum epistolam his verbis concluserit: *Nos parentis affectu dilige;* et Augustinus ipsum vocitarit *patrem in accipienda gratia tunc episcopi Ambrosii, et quem vere ut patrem diligebat*, id aliunde non esse factum jam ostendimus, quam quia illum idem præsbyter adhuc juvenem primis fortasse religionis elementis Romæ imbuerat, vel quia eum post electionem ad sacramenta regenerationis ordinationisque suscipienda parare studuerat.[2]

Confess., lib. VI, cap. 3, n. 3.

Ibid.

Epist. 29, n. 1.

Epist. 47, n. 1.

In Vita Ambr. et in Ann., ad an. 375 et 385.

Epist. 65.

August., lib. VIII *Conf.*, cap. 2.

17. Ambrosius comparandæ rerum ecclesiasticarum, et Scripturarum potissimum cognitioni non alio consilio desudabat, nisi ut implere posset doctoris munus, quemadmodum aperte significant hæc ejus verba: *Sed tantummodo intentionem et diligentiam circa Scripturas divinas opto assequi....*

An. 375.

[1] Nos tamen eo quod in christiana familia educatus fuerit Ambrosius, et sacrarum virginum consuetudine in ea ususit, et clericis laicisque christianis amicitia conjunctus extiterit, opinamur eum non mediocrem saltem divinarum Scripturarum et catholicorum dogmatum cognitionem jam ante baptismi susceptionem adeptum esse, et ignorantiam omnimodam quam ipse confessus est, magis humilitati quam veritati adscribendam.

[2] Ambrosius hoc sibi pro lege constituit ut dum Mediolani esset, apud neminem cœnatum conveniret, ne inter pocula quædam forte auscultaret quæ episcopum minime decerent; dum tamen alibi versaretur, honesta amicorum convivia interdum non recusavit. Ipse vero magnos duces et magistratus ad se invitare consuevit; sed non ita lautis symposiis recreabat, ut obliviscerentur se mensæ catholici episcopi assidere, ejus nempe qui constanter evangelicæ sobrietatis magister esse deberet (Possidius in *Vita Augustini;* Sulpitius Severus in *Dialogo* I, c. 17).

Lib. I *de Offic.*, cap. 1, n. 3. *et hanc ipsam ut docentis studio possim discere.* Hanc ob rem statim a primis sacerdotii annis festinavit illud aggredi; non enim obscure id ipsum declarat, dum tanta cum modestia et sui demissione profitetur factum fuisse, *ut prius*, inquit, *docere inciperem, quam discere. Discendum igitur mihi simul et docendum, quoniam non vacavit ante discere.* Clerici porro quos hic alloquitur, non soli exstiterunt, ad quos primæ illius curæ pertinuerint; in catechumenis etiam ad genitalia sacramenta parandis erudiendisque plurimum laborabat. Et tot ejus libri ex sermonibus ad eosdem habitis compositi, abunde probant vix aliud ipsi fuisse antiquius, quam ut idoneas redderet hasce teneras plantas, quæ pietatis radicibus altius actis, fructus uberes aliquando ferrent. Indefessus erat in hoc munere, et omnino *in rebus divinis implendis*, ut Paulinus loquitur, *fortissimus, in tantum ut quod solitus erat circa baptizandos implere, quinque postea episcopi tempore quo decessit, vix implerent.*

Lib. I *de Offic.*, cap. 1, n. 4.

In Vita Ambr., n. 38.

18. Superiora duo conditionum genera sancto episcopo populi oblivionem haud induxerunt: is enim sedulam operam dabat non modo illius moribus virtutum omnium ornamento excolendis ac decorandis, verum etiam ipsius animis contra technas ac perfidiam hæreticorum præmuniendis. Hoc ejus noscitur fuisse propositum, quando librum suum *De Paradiso*, quem hoc ipso anno editum putamus, ea de re in lucem emisit; ne Apellis discipuli, aut Manichæi potius, *simplices mentes*, inquit, *malitiosa interpretatione traducant.* Huic libro alios duos adjecit, qui *de Cain et Abel* inscripti sunt, in quibus faciliori adhuc negotio deprehenduntur ii sermones, qui Christiani oratoris non ita maturi ingenium referant, licet hi ipsi præceptis ad bonos mores appositissimis passim aspergantur.

Lib. *de Parad.*, cap. 5, n. 28.

19. Ambrosium singulis diebus Dominicis ad populum verba facere consuevisse testis est Augustinus, cum profitetur: *Eum quidem in populo verbum veritatis recte tractantem omni die Dominico audiebam.* Sed verba illa nonnisi de sermonibus per anni cursum ex communi more haberi solitis accipienda sunt; in festis celebrioribus, nec non in diebus extraordinariis quotidie, imo vero interdum etiam semel et iterum eodem die suggestum conscendebat, sicut a nobis suis locis observatum est.

Lib. VI *Confess.*, cap. 3.

Præfat. ad lib. *de Myst.*, et ad lib. *Hexaem*

20. Primis quoque Ambrosiani episcopatus annis generosam illam libertatem, quam sacerdos Christi adversus principes magnatesque sæculi adhibere constituerat, expertus est Valentinianus Magnus. Etenim ut illam enarrationem Theodoreti, cui eam debemus, verbis ipsis repræsentemus: *Paucis post diebus*, nimirum ab ordinatione, *cum divinus Ambrosius multa cum libertate imperatorem alloquens, nonnulla reprehendisset, quæ a magistratibus haud recte facta esse videbantur, respondit imperator: Hanc tuam libertatem jam pridem cognitam habebam; sed licet eam probe nossem, non solum non contradixi, imo assensum præbui ordinationi tuæ. Proinde delictis animarum nostrarum medicinam adhibe, quemadmodum divina lex præcipit.*

Lib. IV *Hist. eccl.*, cap. 7.

A 21. Hic imperator XV kal. Decembris diem obiit, relictis duobus filiis, Gratiano scilicet ac Valentiniano: quorum ille prior jam impleverat annum ætatis XVII, et die IX kal. Septembres anni 367 Augustus fuerat salutatus; Valentinianus vero adhuc quadrimus sexto die post obitum paternum imperator declaratus est. Utrumque horum principum semper Ambrosius tenero quodam et vere patrio amore complexus est, quem et illi vicissim parentis proprii loco numquam non coluerunt; quod B enim sub junioris imperio vexationem atrocissimam sustituit sanctus Episcopus, id in furorem hæreticæ feminæ, quæ puerili filii ætate abutebatur, rejiciendum est.

Orat. *de Obit. Valent*

22. Quantumcumque porro quælibet vitæ ratio beato Præsuli curæ fuerit, nullum institutum sollicitudinis suæ laboribus ei umquam dignius visum est, quam virgineum. Jam inde ab initio episcopatus lucubrationes suas Domini sui sponsis devotandas putavit; cum non tardius hoc anno ineunte C ad eas habiti videantur elegantissimi illi sermones, ex quibus libri *de Virginibus* concinnati sunt. Quantus autem horum cum pronuntiati sunt, fructus eruperit, ex eo satis colligi datur, quod vir alioqui modestissimus illum premere non potuerit: *De Placentino*, inquit, *sacrandæ virgines veniunt, de Bononiensi veniunt, de Mauritania veniunt, ut hic velentur.* Quæ quidem verba tempus etiam quo illi sermones habiti fuere, satis innuunt; cum enim Ambrosius *triennalis sacerdos*[1] eosdem redegerit in librorum formam, hinc intelligas unius, D ut minimum, anni spatio fuisse opus, ut illarum concionum fama in loca tam dissita, et maxime in Mauritaniam usque pervadens, velandas virgines Mediolanum inde pertraxerit. Quocirca si festum beatæ Agnetis XII kal. Februarias celebrabatur, ut nunc moris est, haud sine causa crediderimus eorumdem sermonum primum hoc ipso anno in natali illius martyris, alios vero aliis diebus ex intervallo dictos fuisse. Hoc autem Ambrosius E tanta cum facundia et ornatu, simul vero tanta cum vehementia, efficacia persuadendi præstitit; ut et nimiam orationis luxuriem ipsemet excusaret, et matres ne filiæ suæ tanti doctoris eloquentia persuasæ, virginitatem Christo consecrarent, eas in conclavi sedulo inclusas ad eum audiendum in ecclesiam venire non paterentur.

An. 376

Lib. I *de Virg.*, cap. 10. n. 57.

[1] *Ibid.*, lib. II, c. 6, n. 39

23. Ariani, cum novum Antistitem hæresi suæ bellum indixisse, ac nullam a primo die acceptæ ordinationis occasionem eorum oppugnandi prætermittere conspicerent; cœperunt serio inter se consulere, quibus machinis adversario partibus suis pernicem proximam minitanti sese opponerent. Eo animo, ut quidam prudenter existimant, Valentem elegerunt furoris sui ministrum idoneum, qui Petavione, cujus thronum episcopalem, ejecto Marco, per vim occuparat, turpiter expulsus, in Italiam ad perturbandas illius Ecclesias se contulerat. Sed repressa est ejus amentia Gratiani auctoritate; legem enim adversus illum ab eodem principe G fuisse latam ex primis verbis lib. IV *de Hæret.* discamus licet.[2]

[2]

24. Jam supra narravimus quam late Ambrosianorum de virginitate sermonum fama se diffu-

An. 377

[1] Ait proprie Ambrosius, NONDUM *triennalis sacerdos.*

[2] Constat ex Ambrosii epistola XI etiam Ursinum, qui pontificiam sedem contra Damasum usurpare tentaverat, Mediolani circa idem tempus, societate cum arianis pacta, rem catholicam conturbasse. Conferatur de his supramemorata epistola.

disset. Inde factum est ut virgines sacræ, quæ propter locorum distantiam illas adhortationes auribus haurire non poterant, eas saltem chartis traditas legere percuperent. Nec profecto credibile est Marcellinam Ambrosii sororem, et ante multos annos id vitæ genus publice professam, ferre potuisse, ut ab alia in hoc expetendo præverteretur: sanctus autem Præsul lubentissime obsecutus est eorum votis; quod ipse manifesto de se testatur, his verbis loquens: *Rogantibus virginibus ne hoc quidem putavi negandum.* Illa de causa eosdem sermones in tres libros de Virginibus is transformavit *nondum triennalis sacerdos,* ut jam dictum est. Marcellinæ sorori hoc idem Opus inscriptum voluit, in quo et orationem illam retulit, quam dum illi sanctimoniali velum imponeret, habuit Liberius.[1]

Lib. *de Virgin.*, cap. I.

Præfat. ad lib. *de Virg.*

1

Præfat. ad lib. *de Viduis.*

25. Non ita multo post librum *de Viduis,* qui similiter constat e sermonibus, in vulgus edidit. Viduarum Christianarum commoda et merita illic prædicat, nec non earum conditionem proxime accedere ad virginalem apposite probat. Dederat autem eidem opellæ occasionem quædam vidua, quæ cum haberet ex filiabus alias nuptas, alias vero nuptiis maturas, eum consuluerat an ad secundum conjugium transire sibi expediret.

26. Huic ipsi tempori librum *de Tobia* etsi non argumentis necessariis, probabilibus tamen conjecturis attribuimus. Ex historia Tobiæ ab eoque mutuo datæ Gabelo pecuniæ ansam arripiens, in usuram insurgit ea tempestate immaniter grassantem, quam ejusmodi rationum momentis impugnat et profligat, ad quæ memoriæ nostræ homines vitam componere optandum esset.[2]

Præfat. ad lib. *de Tobia.*

2

An. 378.

27. Qui libellum *de Virginitate* paulo attentius examinaverit, nihil aliud esse comperiet quam continuationem *libri de Viduis*, eumque similiter compositum esse ex sermonibus, quos ut commotam memoratæ viduæ mentem placaret, composuit. Verum priusquam eamdem viduam alloqueretur, fuse disputat de instituto virginitatis, illudque *nec improbum esse, nec novum, nec inutile* argumentis evincit. Et hac ratione tam de virginibus, quam de viduis illic agitur, maxime vero de his ultimis. Cum autem liber *de Viduis* absolvi nisi vertente anno superiore non potuerit, hinc evidens est eum librum de quo agimus, conscribi ante hunc annum non potuisse.[3]

Præfat. ad lib. *de Virginit.*

De Virg., c. 6, n. 27 et seq.

3

28. Interea dum Ambrosius tam feliciter hæresi debellandæ, vitiis exstirpandis, ac inserendis virtutibus operam navabat, Valens imperator, qui catholicos afflictabat tam atrociter, maximas a Gothis clades pertulit. Contra vero Gratianus ejus ex fratre nepos, rectæ fidei beneficio ubique triumphabat. Is igitur comperto patrui periculo, in Orientem eidem laturus auxilium, transire constituit. Itaque ut adversus adeunda pericula potentiori præsidio communiret se, aut superiore anno exeunte, aut ineunte

A præsenti rogavit Ambrosium ut sibi commentationem, qua Filii Dei divinitas astrueretur, lucubraret; quo scilicet regiones arianorum contagione infectas aditurus, alexipharmaco non privaretur. Ambrosius tametsi magis optasset *cohortandi ad fidem subire officium, quam de fide disceptandi,* principis votis tamen obtemperans, priores duos libros *de Fide* ad illum misit. Quo facto, suam omnem sollicitudinem eo convertit, ut fusis ad Dominum continuis fervidisque precibus eidem principi felicem impetraret expeditionem; quemadmodum in epistola super ejus reditu ad illum data ipse testatur, his verbis scribens: *Tuum quotidianum iter legebam, nocte ac die in tuis castris cura et sensu locatus, orationum excubiis prætendebam; etsi invalidus merito, sed affectu sedulus.*

Præfat. ad lib. *de Fide*

Lib. I *de Fide*, cap. 6, n. 4.

B

Epist. I. n. 1.

29. Valens autem cum didicisset secundum Danubii ripas Gratianum ad se properare, ne juvenem illum principem cujus virtuti maxime invidebat, socium victoriæ haberet, festinavit funestissimum illud committere prælium, in quo una cum omnibus orientalis imperii viribus profligatus est, ipse vero in agresti tuguriolo die IV kal. Augusti vivus combustus.

C

30. Barbari in quibus erant Taifales, quæ natio præ cæteris aliis impudicitiæ turpitudini mancipabatur, usi victoria in plurimas imperii provincias maximeque in Thraciam et Illyriam facta irruptione, usque ad radices Alpium Julianarum omnia pervastarunt. Explicari non potest quanta crimina perpetraverint, quemadmodum cuncta miscuerint cædibus atque incendiis, quantum denique captivorum numerum abduxerint, quos pecudum more passim venales exponebant. *Nota sunt hæc nimis,* inquit Ambrosius, *Illyrici vastitate et Thraciæ: quanti ubique venales erant toto captivi orbe.* Ex his complures redemptos esse ab Ecclesiis idem significat: sed ipse omnium caritatem superavit in hoc officio, quippe qui non pecunias tantum in redemptionem illam lubens impenderit, sed ipsa quoque Ecclesiæ vasa comminuerit, flaveritque. Qua quidem in re cum primo servatis legibus prudentiæ, vasa non initiata confregisset, postmodum tamen si illa non potuissent sufficere, etiam initiatis non parcendum esse arbitrabatur. Pulcherrimum illud exemplum postea sanctus Augustinus aliique præstantissimi Antistites cum laude tum imitatione approbavere: sed ariani e contrario gravissimam hinc invidiam Viro sancto creare conati sunt: *Nos aliquando,* inquit, *in invidiam incidimus, quod confregerimus vasa mystica, ut captivos redimeremus: quod arianis displicere potuerat; nec tam factum displiceret, quam ut esset quod in nobis reprehenderetur.* Quapropter ad eorum criminationem abs se depellendam, conscenso ecclesiæ suggestu, *ita in populo,* inquit, *prosecuti sumus, ut confiteremur, multoque commodius*

D

Lib. II *de Offic.*, cap. 15, n. 70.

E

F

Ibid., n. 136.

[1] Eam tyrannidem in qua Mauritaniam ingemuisse ait Ambrosius lib. I *de Virginibus,* Gildoni ut auctori asseruerunt Maurini editores in nota ad n. 60 textus; sed Tillemontius animadvertit Gildonem tantum anno 397 factum esse perduellem, et ideo verba Ambrosii ad Firmi tyrannidem solummodo referri posse. Notant Maurini hunc anno 373 victum jam fuisse; sed malæ illius tyrannidis sequelæ etiam aliquanto serius produci potuerunt.

[2] Ante hujus anni finem ponitur susceptum ab Ambrosio iter ad Urbem, cujus meminit Paulinus n. 9 circa finem. Notandum vero omnes codices hujus Vitæ satis vetustos, qui in mediolanensi Ambrosiana bibliotheca asservantur, ubi communiter legitur *post annos aliquot,* habere *post annos quatuor*, e qua lectione tempus hujus itineris magis firmatur. Eodem tempore, ut jam notavimus, Marcellina fratrem Mediolanum vel comitata, vel secuta est. Videantur quæ de hoc Ambrosii itinere jam diximus in Præfatione ad *Acta Conciliaria* etc. T. V, pag. 223.

[3] Evidens est mutua connexio inter libellum *de Viduis* et hunc *de Virginitate*, ita ut longum temporis intervallum inter utrumque intercessisse supponendum non sit. Ideo utrumque conscriptum dixerimus vel ante iter memoratum, vel post hoc ipsum expletum.

astrueremus, ut animas Domino quam aurum servaremus.[1]

Lib. II *de Offic.*, cap. 15, n 137.

31. Sub exitum hujusce anni Satyrus, qui omnem Ambrosianæ familiæ administrationem a beato fratre sibi traditam susceperat, hyemali tempestate *negligens frigoris* navigavit in Africam; ut ad solvendum compelleret Prosperum quemdam, de quo Ambrosius: *Plaudebat sibi*, ait, *quod sacerdotii mei occasione redditurum se quæ abstulerat, non putabat.* Nihil omissum est ab Ambrosio, ut ab illa navigatione fratrem revocaret, et alii demandaretur ea provincia: Satyrus tamen non destitit a proposito, sed quo celerius interjectum mare transmitteret, veteri et sentinoso navigio uti non timuit.

Præfat. ad lib. *de Excessu Satyri.*

De Excessu Satyri, n. 50.

Ibid., n. 24.

Ibid., n. 26.

Ibid.

32. Interea in morbum incidit sanctus Episcopus: *Denique proxime*, inquit, *cum gravi quodam, atque utinam supremo, urgerer occasu, hoc solum dolebam, quod non ipse assisteres lectulo, ac votivum cum sancta sorore partitus officium, morientis oculos digitis tuis clauderes.* Ex quibus verbis etiam intelligas per hanc Satyri peregrinationem Marcellinam carissimum suum germanum invisuram venisse Mediolanum, et ipsi in periculosa illa valetudine sedulo ministrasse.[2]

Ibid., n. 36

33. Satyrus, tam vitiosa navi conscensa, non multo post naufragium fecit; cum enim in brevia illisisset idem navigium, ejus compago statim soluta est. In tanto tamque præsenti periculo ab iis qui genitali aqua tincti fuerant (nondum enim exceperat eam gratiam) *Divinum fidelium sacramentum poposcit..... et ligari fecit in orario, et orarium involvit collo, atque ita se dejecit in mare.... his se tutum atque munitum satis credens, alia auxilia non requisivit.* Et eum spes sua minime fefellit, quandoquidem *primus*, ut Ambrosius testificatur, *servatus est ex undis.* Ubi primum terram attigit, servosque proprios eripuit e periculo, jam curam omnem ad agendas Deo gratias, et suscipiendum sacrum baptisma festinus vertit. Cum vero audivisset loci quo appulerat, episcopum Luciferiano schismati adhærere, catholicum a quo ablueretur, quæsivit: ac tam uberem in eo sacramento gratiam est adeptus, ut eam, Ambrosio teste, postea numquam amiserit.

Ibid., n. 43.

Ibid., n. 52.

34. Præter hoc naufragium, morbo idem quoque Satyrus eo in itinere conflictatus est, cujus nuntium ad Ambrosium ac Marcellinam cum pervenisset, ingenti dolore illos affecit. Incertum porro nobis videtur, utrum in memorato naufragio, an in hoc ipso morbo vota sancto Laurentio nuncupaverit, de quibus in hunc modum loquitur Ambrosius: *Tuis votis apud sanctum Laurentium martyrem impetratum esse nunc cognoscimus vitæ commeatum; atque utinam non solum commeatum, sed etiam prolixum vitæ tempus rogasses! Potuisti annos plurimos impetrare vivendi, qui potuisti commeatum impetrare veniendi.*

Ibid., n. 17.

A 35. Confecto prudenter juxta ac efficaciter negotio, cujus causa Satyrus in Africam navigaverat, in reditu Romam iter habuit. Tametsi autem *a Symmacho ejus parente*, ut eum honoris ac forte etiam patrocinii gratia Ambrosius vocitat, retineretur, ne incideret in manus barbarorum, *quod ardere bello Italia diceretur;* nihilominus tamen nullum periculum revisendi carissimi fratris cupiditatem valuit retardare. Verum Mediolani vix redux erat, cum sontico oppressus morbo, paucis B diebus vita excessit. *Ita enim*, ait sanctus frater, *mature ereptus est, postquam venit, quasi propter hoc solum videretur esse dilatus, ut ad fratres rediret.* Ambrosius ac Marcellina tristissimo illo potiti fuerunt solatiolo, quod fratri tam tenere dilecto omnia ministerii ac sedulitatis obsequia et ægrotanti et demortuo exhibuerunt. Satyri corpus cum ingenti pompa in ecclesiam elatum, et e regione umbonis positum fuit revelata facie: sanctus vero Præsul, vi adhibita dolori suo, coram ingenti C hominum cœtu, fratrem ea laudavit *Oratione*, qua nihil tenerius possit cogitari, quemadmodum ex lectione ejus hodieque cognoscere est.

De Excessu Satyri, n. 32.

Ibid., n. 17.

36. Testamentum nullum condidit Satyrus, etiamsi Ambrosius ac Marcellina instantius ab eo id contendissent: sed facultates suas utriusque permisit arbitrio. Erat hoc quidem illas pauperibus nobiliori quadam ratione et vanitati minime obnoxia relinquere atque legare; sanctus enim Episcopus non secus ac ipsorum soror ita ejus voluntatem D interpretati sunt, ut *dispensatores, non hæredes* se institutos arbitrarentur, sicque ad Satyrum illius rei reddit omnis merces.

37. Septimo die reditum est ad Satyri tumulum ut ipsius animæ solitis precibus ac cæremoniis divinum numen propitiaretur. Tunc sanctus noster aliam orationem instituens, admittendum ostendit esse solatium, nec mortem propinquorum aut familiarium nostrorum immodice lugendam; quando hominibus omnibus illa communis est, et sine illa E erui ex vitæ hujus calamitatibus, atque ad felicem resurrectionem bonique infiniti possessionem pervenire nemini licet. Idem Antistes, si qua debetur fides Dungalo, composuit germani sui epitaphium, et ejus tumulo insculpendum curavit.[3] Cæterum inter duos alios fratres numquam reperta est non solum animorum tanta consensio, verum etiam corporeæ constitutionis ac frontis quoque similitudo: contingebat enim sæpe sæpius, ut altero ægrotante alter ægrotaret, rursusque convalescente F convalesceret; et plerique etiam alteri se loqui existimarent, cum tamen alterum alloquerentur.

Ibid., 36

38. Ex hyberna Satyri profectione conjecturam valde probabilem ducere licet ipsum non nisi hoc anno abiisse ad superos, nec non funebres ejus Orationes habitas esse. Eumdem autem sanctorum albo inscripsit Ecclesia, cujus natalem renuntiat XIV kal. mensis Octobris.[4]

An. 379.

[1] Huic ipsi anno assignatur a Tillemontio Ambrosii epistola LXXXII ad quemdam Marcellum episcopum pro dirimenda lite inter ipsum ejusque fratrem Lætum, qua pro pace inter utrumque constituenda, utilitati temporali illius Ecclesiæ abrenunciandum decrevit, et sic vere pastoralis caritatis alterum exhibuit exemplum. Cur autem hoc anno id contigisse statuerit Tillemontius, neque ipse proposuit.

[2] Potius, ut jam diximus, antea cum ipso Ambrosio Mediolanum eam post initium anni 378 advenisse, aut eum proxime secutam esse atque hic consedisse, uti videre licet ex iis quæ monuimus in Præfatione ad Ambrosii Orationes de fratris Satyri excessu.

[3] Recolantur quæ diximus de hoc epitaphio in Præfatione ad Hymnos et Carmina S. Ambrosii, Opp. tomo V; ipsumque conspici potest epitaphium cum appositis notis in eodem tomo pag. 691.

[4] Juxta Tillemontium Satyrus circa finem mensis martii Mediolanum rediit; supponit tamen potuisse vivere usque ad diem 17 septembris, in quo ejus memoria recolitur, licet Ambrosius asserat eum cito post reditum interiisse, quia sex

39. Hoc ipso anno Gratianus Cæsar, de cladibus queis ob funestam Valentis necem Romanæ provinciæ lacerabantur, resarciendis admodum sollicitus, Theodosium imperii consortem fecit. Hac adoptione qua salubrius imperii saluti nihil fieri potuit, Orientis provinciæ, quibus insuper accesserunt Macedonia atque Græcia, Theodosio attributæ sunt. Gratiani judicium Augustinus aliique scriptores impense laudant: sed nullus omnium eo magis delectatus est, quam Ambrosius; quippe qui et Gratianum summe diligeret, et Theodosium propter eximias ejus virtutes maximo haberet in numero.

Lib. v *de Civ. Dei*, cap. 25.

40. Postquam Theodosius Orientis imperator declaratus est, quod peractum Sirmii XIV kal. Februarias hujusce anni; Gratianus in Gallias, ut eas a Germanorum populationibus defenderet, venit. In ipso itinere Antistiti nostro officiosissimam scripsit epistolam, qua ipsum ut se inviseret, iterumque primos duos libros *de Fide* sibi traderet, obtestabatur, ac simul iisdem adjiceret *de Spiritu sancto fidelem disputationem*, quæ divinitatem ejus demonstraret. Ad hæc rescripsit Ambrosius noster, seque quod tam cito eum convenire non posset, ita excusavit, ut prima data oportunitate, satisfacturum se voluntati ejus polliceatur. Interim petitos ab eo libros *de Fide* adipsum misit; quod vero ad commentationem *de Spiritu sancto*, ad hoc sibi dari moram petiit.

Epist. *ad Ambr.*, tom. IV, c. 320.

Epist. 1.

41. Non ignorabat sanctus hic Doctor ab hæreticis quibusdam, Palladio fortasse ac Secundiano, nonnulla contra libros suos *de Fide* fuisse objecta, et eam ab his criminationem sibi intendi, quod brevitatem dedita opera affectavisset, ne ipsorum argumentis respondere necessum haberet. Propterea priusquam scriberet *de Spiritu sancto*, memoratis duobus libris *de Fide* tres alios addere sibi proposuit tam apte compositos, ut omnes simul in unum opus coalesceret. Tam prospere cessit ei consilium, ut qui non omnino in perfidia induruissent, revocarentur, animi pacarentur catholicorum, et Gratianus eis ecclesiam unam reddi juberet, quam sequestrari Arianorum preces improbæ ab illo extorserant.

Præfat. ad lib. *de Fide*.

42. Sub initium quadragesimæ anni præsentis Ambrosius ad Constantium episcopali consecratione non pridem inauguratum dedit epistolam, qua de officiis episcoporum, deque ipsorum doctrina fuse disputat. Ibi autem hæc illi scribit inter alia: *Commendo Ecclesiam quæ est ad Forum Cornelii, quo eam de proximo intervisas frequentius. Occupatus diebus ingruentibus quadragesimæ, tam longe non possum excurrere. Habes illic Illyrios de improba doctrina arianorum, cave eorum zizania.... Advertant quid propter suam perfidiam acciderit sibi* (intellige Valentis exitium), *quiescant, et veram fidem sequantur.*[1]

Epist. 2

43. De iisdem illis calamitatibus quæ ad Ecclesiam atque imperium ex interitu infelicis illius imperatoris rediere, queritur sanctus Præsul etiam in libro *de Noe et Arca*. Et ex hoc superioribusque scriptis cognoscimus eumdem librum huic ipsi anno tribuendum esse, ac sedulum Doctorem indefessis laboribus tum adhibendæ orthodoxorum miseriis consolationi, tum depellendis heterodoxorum erroribus incubuisse; imo vero Judæis ipsis ad Ecclesiam compellendis, sed in his operam suam propter eorum contumaciam incassum recidisse dolens testatur.[2]

C. I, n. 3, et Præfat. ad hunc lib.

44. Felix Comensium primus episcopus ab Ambrosio nostro susceperat manuum impositionem; atque adeo mirum non fuerit, quod inter illos tantum familiaritatis intercesserit. Epistolam qua sanctus noster accepta ab illo *tubera miræ magnitudinis* lepide atque urbane laudat, hoc ipso anno, si quid fidei Ughello habendum est, scriptam dicemus. Eadem autem in epistola cum peramicas quod ad se Felix nondum venisset, querelas Ambrosius inseruisset, ille datis litteris apud eum sese excusavit. Ambrosius, cum sibi reddita est hæc responsio, infirmitate detinebatur, et cum Bassiano Laudensi episcopo qui tunc temporis se inviserat, de Felice colloquebatur. Itaque secunda sua ad eum epistola, et hæc illi significavit, et præterea etiam addidit se spopondisse illum adfuturum basilicæ quæ a Bassiano constructa fuerat, dedicationi; proindeque ablatum ipsi jam locum esse procrastinandi.[3]

Ann. 380.

Epist. 3.

Ital. sacr. tom. 2.

Epist. 4.

45. Circa idem tempus incidit Ambrosio gravius quoddam cum Syagrio Veronensi præsule negotium, in quo exemplum moris antiquitus in judiciis criminum ab Ecclesia servari soliti etiamnum restat, quo vix alibi occurrat præstantius. Indicia virgo consecrata apud Syagrium violatæ virginitatis exstinctique fetus insimulata fuerat. Eam detulerat Marcellus quidam, qui sororem ejus habebat in matrimonio; et nulla affinitatis ratione habita, malis artibus ac sutelis suis tantum effecerat, ut obstetricum inspectioni addiceretur. Provocavit Indicia ad tribunal Ambrosii, ad quem etiam scribendum putavit Syagrius, ut judicium hoc suum defenderet. Ambrosius hanc causam una cum aliis aliquot episcopis examinavit, et agnita Indiciæ innocentia, Veronensis episcopi sententiam irritam fecit, ac præterea virginis calumniatores affecit eis pœnis, quas exigebat criminis atrocitas. Quod in hac causa statutum abs se fuerat, Syagrio significavit per epistolam, qua defectus atque vitia sententiæ ab eo latæ exponebantur. Veritus tamen ne illum episcopum abalienasset, paucis post diebus aliam episto-

Epist. 5.

illi menses amori fraterno minimum temporis spatium videri potuerunt. Quæstio autem magnopere agitata est de loco ubi tumulatus sit, utrum scilicet in basilica Faustæ, nunc Ambrosianæ adnexa, an in Portiana, nempe S. Victoris *ad corpus*. Multa pro utraque sententia typis vulgata sunt. S. Carolus Borromeus reliquias Ss. Satyri et Victoris ut in Portiana existentes recognovit. Hoc tamen non obstante, argumenta adhuc afferuntur, quibus eorum corporum possessionem Ambrosianæ basilicæ vindicare volunt.

[1] Isti Illyrii regiones suas deserere debuerant propter Gothorum irruptiones; videtur autem quod terras incolendas in illa Italiæ parte obtinuerint, quo secum et errores attulerant, quibus jam imbuti fuerant.

[2] Fuere qui asseruerint, quos notat Tatti in suis *Annali sacri della città di Como*, Damasum pontificem legatum suum in Italia, nempe in Italiæ Vicariatu, vel in Italia superiori, constituisse Ambrosium, ut tanta auctoritate communitus rebus catholicis firmandis melius consulere posset. Antiquiora tamen documenta nihil de hoc asserunt, licet de magna Ambrosii auctoritate in superioribus Italiæ partibus et etiam extra Italiam abunde testentur. Unium testimonium de ea supposita legatione extat in Breviario quo utebantur olim Ecclesiæ illæ, quæ Aquilejensi patriarchæ subdebantur.

[3] Vetus Comensis Ecclesiæ traditio refert, Provinum, qui in Gallia Ambrosium agnoverat, ad hunc postea advenisse, atque ab eo inter suæ Ecclesiæ clericos cooptatum fuisse, ac demum ad Felicem in ejus subsidium Comum transmissum, ubi doctrina et sanctitate præclarus, ipse quoque episcopatum adeptus est.

Epist. 6. lam ad eum misit, qua illi cum singularis benevolentiæ testificatione ponit ob oculos, quantam injuriam universo virginum sacrarum ordini voluisset inflictam, cum Indiciam tam propudiosæ inspectionis pœna damnasset.

46. Alia quoque controversia nequaquam levior superiore Ambrosium inter atque Justinam propter Anemium agitata est. Vacabat eo tempore urbis Sirmii, quæ totius est Illyriæ caput, episcopalis sedes, quam diutius Photinus et Germinius ariani episcopi occupaverant. Imperatrix tunc, ut videtur, illic insidens, omnem lapidem movebat, ut futurus episcopus ex arianis cooptaretur. Advolavit eo sanctus Ambrosius, et quamvis Justina hæreticæ conspirationis septa præsidiis contra obluctaretur, ut tamen assumeretur præsul catholicus, constantia pervicit. Hujus electionis modum, sicut et patratum in ea miraculum narrat Paulinus, qui novo episcopo Anemio nomen fuisse testificatur. Porro cum idem hic Anemius sequenti anno concilio Aquilejensi præsens fuerit, ejus electio probabilius assignari non potest, quam præsenti anno.

In Vita Ambr., n. 11.

47. Concilio Aquilejensi cum Anemio etiam interfuit Justus Lugdunensis, cui antistiti cum Ambrosio intercedebat amicitiæ summa conjunctio. Postquam solutus est Patrum conventus, in Ægyptii solitudines Justus recessit. Inde cognoscitur Ambrosium nostrum, priusquam ille Lugduno iter capesceret ad hanc Synodum, eidem scripsisse illam epistolam, qua Exodi locum de quo ab eo consultus fuerat, exponit. Non ita multo post alia epistola ad illum data, iterum respondit huic ejus quæstioni, num ex artis rhetoricæ legibus scribere curassent auctores sacri.

Epist. 7.

Epist. 8.

Ann. 381. 48. Diximus Ambrosium Gratiano pollicitum fuisse divinitatem sancti Spiritus edito tractatu se probaturum. Fidem suam hac in re liberavit ineunte hoc anno, tresque suos libros *de Spiritu sancto*, quos Athanarico Gothorum rege Constantinopoli VIII kal. Febr. vita defuncto, publici juris fecit, Cæsari misit. In his autem elucubrandis feliciter usus est scriptis Didymi ac Basilii, non quidem ut Æsopiæ corniculæ instar alienis plumis se ostentaret, sed apis industriæ ex floribus diversis favos condiret.

Præfat. ad lib. *de Spir. sancto.*

49. Quamvis appareat Gratianum Sirmii adhuc commorantem Palladio et Secundiano arianæ factionis episcopis ipsi molestissime obtundentibus invitum concessisse, ut Aquilejæ synodus cogeretur; non tamen eam ante mensem Septembrem istius anni celebratam esse concedi potest. Volebant illi œcumenicum esse hoc concilium, universosque episcopos desertis suis gregibus eo convenire: sed cum superfluum fore tantum laborem Ambrosius persuasisset imperatori, ex ejus consilio idem Gratianus seniores episcopos aut debiliores ab hac subeunda fatigatione immunes fecit. Et illuc revera exiguo numero præsules convenere, sed vitæ merito et doctrinæ præstantia celebres. Abunde a nobis loco suo actum est de hoc conventu; illud ergo tantum hic adjicimus ibidem Ambrosium Patrum aliorum prope omnium cum in disputando contra dictos hæreticos, tum in eorum damnatione per synodicas epistolas absentibus episcopis aut principibus denuntianda vices obivisse.

Præf. ad epistol.

Ann. 382. 50. Opinantur nonnulli ad idem Aquilejense concilium pertinere illam epistolam, quæ sic inscribitur: *Ambrosius et cæteri episcopi Italiæ;* sed contendunt alii eam attribuendam esse alteri concilio, quod in quapiam urbium Italiæ sub initium hujusce anni celebratum est. Synodi Patres ad Theodosium detulere quærelas suas, quod mortuo Meletio, successor in ejus locum suffectus esset, cum ex inita conventione sedes Antiochena deberetur uni Paulino. Conquesti sunt etiam de Nectarii electione ad Constantinopolitanum episcopatum; cum enim Maximus Petri Alexandrini litteras ad eos attulisset, ipsum vere et ex canonibus electum esse arbitrabantur. Humanissime concilio rescripsit imperator, eique Maximi Cynici fraudes aperuit. Quocirca eidem principi aliam epistolam synodus misit, illique primum rationem reddidit, cur cum Maximo et Nectario ita se gessisset: tum præterea gratias egit, quod ipsius beneficio Ecclesiæ orientales occidentalesque pace fruerentur: postremo fautorem quemdam apollinaristarum justa damnatione a se coercitum esse nuntiavit.

Epist. 13.

Epist. 14.

51. Huic anno etiam tribuitur, quod a Paulino memoratur, accedenti ad palatium sancto Præsuli, ut cuidam a Gratiano veniam postularet, negatum fuisse aditum a Macedonio magistro officiorum, eique Ambrosium divinam ultionem ita prædixisse: *Et tu quidem venies ad ecclesiam, nec, clausis januis, invenies qua ingrediaris.* Quod re ipsa, Gratiano exstincto, ille expertus est. Si propterea hæc Ambrosii comminatio hoc anno ponitur, quod cum facta est, Gratianus versaretur Mediolani; cum duobus annis superioribus ibidem etiam commoratus sit, eodem jure in alterum ex illis potest revocari. Proindeque in illius tempore certi nihil est. Videtur autem vero propius illum reum eumdem esse, qui, Sozomeno teste, cum esset paganus, *Gratianum conviciis laceraverat, et patre indignum appellaverat.* Cujus deprecator apud principem cum nemo esse vellet; Ambrosius, ut ille refert, per secretam januam ad Gratianum penetrans, misero pagano delicti gratiam impetravit.

Paulin. *in Vita Ambr.*, n 57.

Sozom. lib. VII, cap. 25.

52. Hoc etiam anno contigit ut duo cubicularii imperatoris, qui sectabantur partes arianorum, sanctus Doctorem ad publicam de mysterio Incarnationis disceptationem provocarent. Receperat ille in Portiana basilica hoc se facturum, cui promisso, ut condictum fuerat, minime defuit. Verum cum isti ex equis corruentes fractis cervicibus animam exhalassent, Ambrosius terribilis illius casus nondum certior, eum sermonem ad populum habuit, unde libellus *De Incarnationis Dominicæ sacramento* concinnatus est. Attamen eidem argumento accesserunt duarum difficultatum, quas ariani per Gratianum ipsum viro sancto proposuerant, solutiones. Quarum quidem difficultatum prior in vocibus *genitus* atque *ingenitus* posita erat; posterior circa Christi omnipotentiam versabatur. In hoc porro Ambrosii mirum in modum elucet modestia, quod cum non potuerit memoratum eventum non cognoscere, antequam eidem sermoni suo libri formam accommodaret; mortis tamen infelicium horum juvenum nullam omnino fecerit mentionem.

Paulin. *in Vita Ambr.*, n 18, et in Præfat. ad lib. *de Dom. Incarn. sacr.*

53. Vertente hoc anno Ambrosius Romam se contulit, ut magno concilio quod illic habitum est, interesset. Dum ibidem ageret, morbo correptus est, in quo eum sanctus Acholius, quem in Urbem evocaverat eadem causa, invisere neutiquam omisit: cujus congressum maximi beneficii loco ponebat Antistes noster. Quorumdam autem opinio est eumdem Ambrosium Romam tum primum ex quo tem-

pore in episcopum electus fuerat, profectum esse. Quod si verum est, huic itineri tribuenda erunt, quæ *post annos aliquot ordinationis suæ*, ut Paulinus memorat, ipsi contigerunt. Matrem in vivis ipse non reperiit, sed ibi vidit illam puellam, cui manum olim porrigere consueverat exosculandam, ac tandem mulieri paralyticæ restituit membrorum usum. His addit Baronius sanctum episcopum stabulariæ cuidam ob prosperos successus insolescenti diram imminere vindictam prænuntiasse: sed huic traditioni nulla scriptoris veteris auctoritas astipulatur. Quanta vero cum voluptate carissimi fratris conspectu et colloquio Marcellina potita fuerit quamque sollicite ministraverit huic ægrotanti, cum explicatu inutile Paulinus duxerit, nos quoque lectorum relinquimus cogitationi.[1]

In Vita Ambr., n. 9, 10.

54. Præterea hujus anni est pium illud Gratiani edictum, quo Victoriæ aram ex senatu, unde illam Constantius jam removerat, reposuerat autem Julianus apostata, tolli jubebat. Auferebat insuper vestalium privilegia, sacrificulorum commoda, et pecunias sacrificiorum sumptibus destinatas. Idololatræ ut hoc imperatum revocaretur, nihil omiserunt; eaque de causa per Symmachum nobilissimum virum et oratorem facundissimum imperatori libellum obtulere. At sanctus noster, cujus consilio imperatorem hæc decrevisse probabile est, ubi a Damaso Romano pontifice christianorum senatorum libellum accepit, tam efficaciter egit apud Cæsarem, ut ejusdem rescripto vis sua integra servaretur, et libellus Symmachianus ne quidem legeretur a Gratiano, ut non temere conjici potest.

Epist. 17, n. 10.

Ann. 383.

55. Hoc anno vitam temporalem æterna mutavit sanctus Acholius. Ejus obitum episcopi Macedoniæ et clerus urbis Thessalonicæ per litteras beato Ambrosio, qui mirabiliori quadam ratione illum jam noverat, significarunt. Responsum ad eos misit sanctus Præsul, in quo postquam intimum suum de morte tanti antistitis dolorem patefecit, et egregias ejus virtutes justis laudibus prosecutus est, lætatum se esse testificatur, quod in ejus locum Anysius ejusdem sancti dignus discipulus, esset locatus. Aliam quoque epistolam Anysio scripsit, in qua post consuetum gratulationis officium eum hortatur, ut præceptoris sui ac decessoris imitetur virtutes.

Epist. 15.

Epist. 16.

56. Hic etiam annus famem passus est, quam subsequenti anno memoratus Symmachus imputavit Christianæ religioni, quod videlicet, puellis Vestæ atque idolorum sacerdotibus privilegia sua essent ablata. Sed Ambrosius argumenta ejus futilia esse pulchre demonstravit; illamque tritici penuriam universalem non exstitisse, *plerasque* enim *provincias redundasse frumento*, et proxime sequenti anno *messem feneratam et liberalioris vindemiæ beneficia* successisse.

Relat. ad Valent., tomo V, col. 370 et ss.

Epist. 18, n. 17 et seq.

57. Maximi rebellione clades multo gravior imperio illata est quam inopia frumentaria. Tyrannus ille in Anglia malis artibus imperator declaratus est; simulabat tamen purpuram a se non usurpatam, sed recusanti atque invito obtrusam esse. Cum magno exercitu transmisit in Gallias; ac Gratianus ubi proditum se ac destitutum a suis vidit, versus Alpes fugam tentavit. Verum ubi Lugdunum cursu delatus est, immani scelere necatus fuit die VIII kal. Septembres, anno vitæ XXIV, imperii autem VII et mense IX. Infelix princeps in hostium suorum potestate detentus, nihil frequentius cogitatione atque ore versabat, quam Ambrosii parentis nomen. *Tu me*, ait sanctus Antistes, *inter tua pericula requirebas; tu in tuis extremis me appellabas, meum de te plus dolebas dolorem.* Certe quidem sancti hujus mœror quantus fuerit, cuivis judicare expeditum est; ipse tamen variis locis eum expromit, puta in psal. LXI expositione, in qua virtutes interfecti principis amanter laudat, interfectoris vero perfidiam acriter vituperat. Sed exstincto postea etiam Valentiniano, doloris modum jam vix habuit. Namque in questibus utrumque germanum simul conjungens, in iis oculos velut sibi effossos esse deflebat, ac Davidis more ita querebatur: *Utinam, filii, pro vobis licuisset hunc spiritum fundere! Compendium doloris inveneram, et gloriosius mihi fuerat pro tantis obire pignoribus.* Verumtamen non tantopere sua causa dolebat, quam Ecclesiæ, quæ immani vulnere sauciabatur crudeli cæde hujus principis, quem ex indole ipsius atque virtute maximum sibi defensorem fore speraverat.

De Obitu Valent., n. 79.

Ibid., n. 39.

Ibid., n. 6.

58. Cæterum non solis verbis præ se tulit sanctus episcopus quantum sibi doloris peperisset mors Gratiani, verum et factis quam chara sibi esset illius memoria, declarare voluit. Etenim Valentiniano germano ejus puerilem ætatem nondum egresso, paternum animum ac patrocinium omnino exhibuit, ut ipse testatur in illa verba: *Ego te suscepi parvulum, cum legatus ad hostem tuum pergerem; ego Justinæ maternis traditum manibus amplexus sum.* Justina videlicet cum improvisa Gratiani morte omnia confusa et perturbata, seque ac filium in summo periculo esse conspiceret, confugere ad Ambrosium quantumvis ipsi infensa esset, coacta fuit. Illis igitur temporibus difficillimis Ambrosius periculosam ad Maximum legationem non detrectavit, et apud illum Victoris comitis ad Valentinianum ab eodem tyranno missi reditum operiens, per totam hyemem commoratus est. Quamquam autem omnia tunc erant plena discriminis, non tamen dignitatem suam putavit dejiciendam; sed simul magnanimitate ac prudentia usus, ita cum tyranno egit, ut obtineret ab eo postulata. Sane hanc ejus legationem nemo fuit qui non probaret, præter Maximum. Is enim sequenti anno deceptum se ab eo esse quiritatus est. Antistes vero licet has querelas sibi gloriosas arbitraretur, injuria tamen eas haberi planissime ostendit.

Ibid., n. 28.

Epist. 24, n 7.

Ibid., n. 5.

59. Et hæc quidem ex Ambrosio ipso discimus: at præterea, ut Paulinus auctor est, *Maximum a communionis consortio segregandum putavit, admonens ut effusi sanguinis domini sui, et quod est gravius, innocentis, ageret pœnitentiam.* Verum cum sanctus Præsul semel ac iterum legatus ad Maximum profectus fuerit, et hasce duas legationes non distinguat hic idem auctor; ex serie narrationis probabilius est citatum locum posteriori magis quadrare. Attamen non videtur Ambrosius, siquidem in prima legatione communicasset cum

Paulin. *in Vita Ambr.*, n. 19.

[1] Nos jam animadvertimus, primum Ambrosii iter ad Urbem contigisse sub finem anni 377. Quod autem Paulinus omnino sileat de curis ei a sorore præstitis in morbo quo anno 382 Romæ correptus est, indicium satis certum est, ea tempestate Marcellinam Romæ minime adfuisse.

Maximo, eum in secunda separare a communionis usu merito potuisse; atque adeo verisimilius est sanctum Præsulem nec eidem tyranno in sacris umquam consortem fieri, nec aliquo adversus eum temperamento uti voluisse.

60. Ambrosius Mediolani redux, episcopalia munia repetiit: egregiosque illos sermones ex quibus libri *de Interpellatione Job et David* compositi sunt, ab eo pronuntiatos existimamus. Conveniebat iisdem temporibus hoc argumentum; ibi quippe agitur de querimoniis, quibus uterque horum sanctorum vitæ humanæ calamitates tam corporeas quam spiritales lamentabantur. Ibidem etiam discutiuntur illæ querelæ, quas et improborum prosperitas et adversitas bonorum solent elicere. Tractandæ porro exornandæque huic materiæ pulcherrimos quosque locos libri Job eleganter exponit, nec minus argute ps. XLI, XLII et LXXII enarrat et illustrat.

Præfat. ad eosd. lib.

Ann. 384.

61. Videtur similiter sanctus Episcopus dolorem suum de Gratiani cæde in illis sermonibus, ex quibus constat *Apologia prophetæ David*, patefecisse, licet eumdem Gratianum nusquam illic nominaverit. Ut autem de hoc argumento verba faceret, ea re impulsus est, quod geminum Davidis crimen, adulterium nempe atque homicidium, quosdam offendebat longe gravissime. Probat igitur mirum non esse, quod homo fragilis inciderit in hæc delicta, sed admirationem illud mereri, quod tantus princeps tam promptam tamque humilem admissi criminis confessionem edere valuerit, et idem ipsum cum longiori asperiorique diluere pœnitentia, tum continuo bonorum operum exercitio tegere. Hunc porro librum si antiquissimorum aliquot manuscriptorum inscriptioni fidem habeamus, Theodosio postea misit Antistes noster, ut nempe illum ad expiandam, Davidis instar, cædem Thessalonicæ urbis ab eo jussam exstimularet.[1]

Præfat. ad hunc lib.

1

62. Symmachus hoc anno præfecturam Urbis administrabat: is confusionem rerum ac Valentiniani pueri matrisque Justinæ trepidationem commodam ratus, iterum profanarum religionum, altaris Victoriæ, ac privilegiorum restitutionem petere constituit. Quamobrem imperatori libellum obtulit omnibus calamistris eloquentiæ comptum et excultum. Et quidem clanculum rem tentaverat orator ille; sed efficere neutiquam potuit, ne veniret in Ambrosii cognitionem. Hic ergo istius consilii factus certior, libellum et ipse vel epistolam episcopalis vigoris plenam Valentiniano confestim dedit, qua libelli Symmachiani sibi copiam fieri postulabat, ut ei responderet accuratius. Itaque mox ut a Cæsare hoc scriptum obtinuit, tam perspicue tamque valide singula ipsius capita diluit ac confutavit, ut Symmacho necessarium super ea causa silentium imponeret. Hunc secundum libellum post vindemiales ferias scriptum imperatori Ambrosius noster tradi curavit, quem quidem libellum sicut priorem, lectum in frequenti consistorio, quæ petebantur assecutum esse ex epistola sancti Præsulis ad Eugenium discamus licet.

Tom. II, p. 828.

Epist. 17.

Epist. 18.

63. Idem Symmachus per suam præfecturam de christiana religione melius est meritus quam cogitaverat; quandoquidem Mediolanum, cujus cives magistrum rhetoricæ ab eo petierant, Augustinum ea gratia pergere voluit. Quam amice autem Augustinus eo veniens ab Ambrosio exceptus fuerit, eleganter ipse describit, cujus proinde nos non pigebit verba mutuari: *Et veni*, ait, *Mediolanum ad Ambrosium episcopum in optimis notum orbi terræ, pium cultorem tuum, cujus tunc eloquia strenue ministrabant adipem frumenti tui, et lætitiam olei, et sobriam vini ebrietatem populo tuo. Ad eum autem ducebar abs te nesciens, ut per eum ad te sciens ducerer. Suscepit me paterne ille homo Dei, et peregrinationem meam satis episcopaliter dilexit. Et eum amare cœpi, primo quidem non tamquam doctorem veri, quod in Ecclesia tua prorsus desperabam, sed tamquam hominem benignum in me. Et studiose audiebam disputantem in populo, non intentione qua debui, sed quasi explorans facundiam, utrum conveniret famæ suæ, an major minorve proflueret, quam prædicabatur, et verbis ejus suspendebar intentus, rerum autem incuriosus et contemptor astabam, et delectabar suavitate sermonis, quamquam eruditioris, minus tamen hilarescentis atque mulcentis, quam Fausti erat, quod attinet ad modum: cæterum rerum ipsarum nulla comparatio; nam ille per manichæas fallacias aberrabat, iste autem saluberrime docebat salutem.* Hactenus Augustinus, qui hac narratione nobis aperit non solum quam alto consilio quasi manu ductus sit ad Ambrosium, ut revocaretur ab erroribus; verum etiam quanta esset apud homines Præsulis nostri existimatio, quamve rationem et in excipiendis exteris, et in populis instituendis ille sequeretur. Deinde explicat idem Augustinus quibus gradibus Ambrosiana verba primum in mentem suam veritatis lumen intulerint, ac demum immutaverint voluntatem. Sic autem de hoc loquitur: *Et dum cor aperirem*, inquit, *ad excipiendum quam diserte diceret, pariter et intrabat quam vere diceret, gradatim quidem.*

Lib. v *Confess.*, cap. 23.

Ibid., c. 24.

64. Hujus quoque anni esse putamus duos libros *de Pœnitentia*, quos Ambrosius scripsit contra Novatianos. In eis horum hæreticorum deliras simul atque crudeles opiniones funditus evertit, nec non auctoritatem dimittendi peccata Ecclesiæ a Christo datam invicte probat. Quod autem istic leguntur ea verba: *Ego aliquem laborem pro sancta Ecclesia suscepi;* illis utique si labor innuatur contra Symmachum atque ethnicos ab Ambrosio susceptus, eosdem libros ab hoc ipso anno multum removendos censebit nemo.

Præfat. ad eosd. lib.

Lib. II cap. 8, n. 73.

65. Monica filium *terra marique, et in periculis omnibus* secuta, non multo post ad eum venit Mediolanum. Eam dignatus est sanctus Ambrosius eadem comitate ac benevolentia, quam jam Augustino exhibuerat. Augustinum vero a manichæorum commentis ac probris abalienatum offendit mater, nondum tamen erga veritatem doctrinæ catholicæ satis propensum. Summa lætitia eamdem affecit agitatio; certam enim spem inde capiebat conversionem ejus vicinam esse. Quapropter ut eam a divinam clementia consequeretur, geminatis precibus cœpit *et studiosius ad ecclesiam currere*,

Ann. 385.

Lib. VI *Confess.*, cap. 1.

[1] De priori Apologia superius dicta intelligenda sunt. Nullam de altera Davidis Apologia mentionem faciunt Maurini editores, eo quod sancto Doctori nostro eam abjudicent. Sed nos hanc quoque ei asserendam esse probavimus, uti videre est in Præfatione ad eamdem, et licet tempus quo vulgata est, definiri non possit, probabilitatem expressimus quod sub finem tantum vitæ suæ eam Ambrosius elucubraverit.

et in Ambrosii ora suspendi ad fontem salientis aquæ in vitam æternam. Diligebat autem illum virum sicut angelum Dei, quod per illum cognoverat me interim ad illam ancipitem fluctuationem jam esse perductum.

Lib. VI Confess., cap. 1

66. Qua porro veneratione sanctum Antistitem prosequeretur pia illa vidua, vel hinc intelligas, quod *cum ad memorias sanctorum,* inquit Augustinus, *sicut in Africa solebat, pultes et panem et merum attulisset;* ubi audivit a janitore propter abusus quosdam hunc morem ab episcopo fuisse interdictum, *tam pie atque obedienter,* pergit idem ille, *amplexa est, ut ipse mirarer quam facile accusatrix potius consuetudinis suæ, quam disceptatrix illius prohibitionis effecta sit.*

Ibid., c. 2.

Ibid.

67. Interim Augustinus in veritatis itinere semper ulterius progrediebatur; de Ambrosio autem ita sentiebat: *Ambrosium,* inquit, *felicem quemdam hominem secundum sæculum opinabar, quem sic tantæ potestates honorarent; cœlibatus tantum ejus mihi laboriosus videbatur.* Optabat non mediocriter longius cum eo inire colloquium, ut ei mentis suæ motus atque agitationes aperiret. Subinde ad ipsum pergebat illam ob causam, cumque ædes episcopales nemini non paterent, facili negotio ad ipsum accedebat. Verum quia sanctus Antistes aut diversorum hominum serviebat infirmitatibus, aut Scripturarum meditatione occupatus erat, Augustino nulla dabatur copia sciscitandi quæ cupiebat. Eum tamen alloquebatur interdum Ambrosius, eique propter maternam pietatem gratulabatur.

Ibid., c. 3.

68. Sed Augustinus congressu tam perfunctorio minime contentus, ut qua licebat, desiderio satisfaceret suo, illum *in populo verbum veritatis recte tractantem omni die dominico audiebat.* His concionibus nubes quibus interior ejus obtutus obcæcabatur, dissipatæ sunt; ipseque catholicæ fidei veritatem agnoscere, ac manichæorum errores maxime circa prisci fœderis Testamentum despicere cœpit. *Sæpe in popularibus sermonibus suis,* inquit, *docentem Ambrosium sæpius audiebam: Littera occidit, spiritus autem vivificat, cum ea quæ ad litteram perversitatem docere videbantur, remoto mystico velamento, spiritaliter aperiret.* Non est ergo cur aliquis miretur, quod Ambrosius tantopere mysticum urgeret intellectum in sermonibus hoc et sequenti anno de suggestu habitis, quorum plerique in libros redacti sunt. Hos certe libros fastidiosi quidam majori haberent in pretio, si temporum illorum necessitatem, et expressam ipsorum efficacia magni Augustini conversionem tantisper attenderent.

Ibid.

Ibid., c. 1.

69. Ambrosius qui ultra Mediolanensis Ecclesiæ limites sollicitudinem suam extendebat, rogatus a Vigilio ad Tridentinam sedem nuper evecto, præcipua episcopalis dignitatis munera per epistolam ipsi exposuit. Præ cæteris autem illum admonebat, ut ne connubia inter cultu dispares coire permitteret, hoc est, inter Christianos et infideles. Cujus admonitionis necessitas oriebatur ex idololatrarum multitudine, quæ in Tridentinis finibus tunc tanta erat, ut idem Vigilius cum eos niteretur adducere ad Christi cognitionem, ab ipsis martyrio affectus memoretur.

Epist. 19.

70. Ubi primum Justina pacem a Maximo sibi concessam vidit, ea opportunitate constituit abuti, ut Ambrosio bellum indiceret; rata enim auctoritatem filii jam satis esse confirmatam, omnia in se atque in imperium sancti Viri merita oblivione delevit. Occasionem ipsi exhibuit quod in proximo erat, resurrectionis Dominicæ festum, ut ad Ambrosium mitteret, qui Portianam basilicam, hoc est, extramuranam peterent arianis. Id cum ingenti animo negasset sanctus Præsul, imperatrix ex eo efferata, filii nomine ac terrore objecto, rem extorquere conata est. Quapropter feria sexta ante Dominicam quæ dicitur Palmarum, veniunt ipsius jussu comites quidam consistoriani, qui basilicam novam, hoc est, intramuranam,[1] quæ superiori erat amplior, poscerent ab eodem Ambrosio. Hic autem rursus modeste simul, ac generose reposuit, *templum Dei a sacerdote tradi non posse.* Postridie præfectus ipse convenit sanctum virum, ut vel Portiana basilica concederetur. Maxima cum pietate ac constantia populus reclamavit, quod cum cerneret idem præfectus, ad palatium rediit, imperatori quæ gesta fuerant, nuntiaturus. Sanctus Antistes hujusmodi turbis non deterritus, Dominica Palmarum sacris consuetis rite operatus est. Verumtamen dum competentibus traderet symbolum, a quibusdam audivit, *quod ad Portianam basilicam de palatio decumanos misissent, et vela suspenderent;* ut videlicet a Valentiniano hanc ecclesiam occupari vindicarique significarent. Ambrosius ab offerendo sacrificio non absistebat, cum nuntiatum est presbyterum quemdam arianorum, Castulum nomine, a populo fuisse captum. Id Episcopus graviter tulit, atque extemplo præsbyteros ac diaconos huc destinavit, a quibus sacrificulus liberaretur. Justina tamen seditionis loco illud accipiens, multos civium conjecit in vincula, palatio justitium indixit, magnasque minas intentavit optimatibus. Attamen denuo missi sunt ad Ambrosium tribuni et comites, qui eum de cedenda una ex basilicis compellarent. Interim vero jussi sunt milites ad eam occupandam sese conferre.[3] Sed cum eos beatus Antistes esset allocutus, confestim ad stationem suam redierunt. Ambrosius vero feriam tertiam in ecclesia integram exegit: imminente autem noctis tempore, rediit in ædes episcopales, ut si eum in exsilium pellere vellent, paratum invenirent. Postridie ejus diei antelucana hora domo egressus, cinctam militibus reperit ecclesiam,[4] in

Epist. 20.

1

Ibid.

Ibid., n. 2.

2

Ibid., n. 4.

Ibid., 5 et seq.

Ibid., 8 et seq.

3

Ibid., 10.

4

[1] Hæc nempe erat ipsa præcipua ecclesia civitatis, quæ nunc cathedralis diceretur, ac urbano baptisterio propinqua. Tillemont vellet hoc nomine designari basilicam Apostolorum ad portam romanam, eo quod Ambrosius eam nuper extruxerat et dedicaverat ibi conditis Apostolorum reliquiis, quas forte a Roma prima vel altera vice rediens secum attulerat. Sed probabilis non est hæc opinio, quia extra ipsam civitatem, nempe extra romanam portam, erat illa ecclesia, et ideo non ea *intramurana*, et ubi de more episcopus sacra faceret; sed nomine *basilicæ novæ*, intelligenda est ea major quæ ædificata fuerat prope basilicam baptisterii, quæque locum occupabat ipsius hodiernæ metropolitanæ ecclesiæ, nec multum distabat ab ipso Ambrosii domicilio.

[2] Id factum jure supponimus in basilica veteri, nempe adnexa baptisterio, et quæ a nova, idest majori, parum distabat.

[3] Non satis liquet ex epistolæ Ambrosii contextu utrum milites eam basilicam circumsteterint ad quam ipse se contulerat, nempe veterem baptisterii, an novam. Probabilius novam intelligere oportet, ut et Tillemont interpretatus est; certo autem non Portianam; ibi, vel in ipsa propiori basilica veteri eum tribunos allocutum fuisse, et postea hos inde cum militibus recessisse.

[4] Ipsam nempe baptisteriorum basilicam, ubi et præcedenter sacra fecerat. Sed et nova basilica a militibus occupabatur, quam deseruerunt postea excommunicationis metu,

qua nihilominus lectiones consuetæ recitabantur. Imperavit Episcopus milites sacræ communionis jure interdici, quo illi deterriti, ad catholicorum partes accesserunt. Tunc ille ambonem basilicæ
Epist. 20, n. 14 et seq. conscendens, ex libro Job quem tunc legi contigit, ad populum concionatus est. Dum sermonem suum rebus præsentibus scite adaptaret, eum interpel-
1 lant, vela removeri ex basilica[1] significantes, quod imperatorem cœpto desistere indicio erat. Prosequebatur concionem suam Antistes noster, cum ecce tibi notarius ab imperatore ad eum venit,
Ibid., n. 22. qui et tyrannum ipsum appellavit, et verbis tractavit injuriosissimis. Modeste quidem ille respondit, sed nihil remisit de constantia. Non permissus est eo die domum regredi, sed *cum fratribus in basi-*
2 *lica minore*[2] canendis psalmis omnes pernoctarunt. Sequenti die, id est, feria quinta majoris hebdomadæ, Jonæ prophetia more solito recitata est,
Ibid., n. 25. quam dicendo exponere incœpit Ambrosius. Haud multum processerat in instituto sermone, cum a quibusdam ei refertur præcepisse Valentinianum ut recederent milites, ac cives qui in vinculis erant, dimitterentur. Incredibilem apud catholicos voluptatem peperit hoc nuntium. At etiamsi per-
Ibid., n. 27, 28. secutio illa hic finierit, nuntiabantur tamen imperatoris verba nonnulla, quæ securos esse non patiebantur eosdem catholicos: et Calligonus Valentiniani præfectus cubiculo, ad Ambrosium misit, qui suis verbis ei diceret: *Me vivo, tu contemnis*
Ibid., n. 28. *Valentinianum? Caput tibi tollo.* Cui generosum hoc et plane episcopale responsum dedit: *Deus permittat tibi ut impleas quod minaris; ego enim patiar quod episcopi, tu facies quod spadones.* Ejusdem eunuchi, sed suppresso illius nomine, Ambrosius meminit in Commentatione *de Joseph Patriarcha;* ubi hæ voces etiam leguntur moderationis sancti Episcopi vere indices: *Ne ipsius quidem sermones mei meminisse delectat, quem tunc temporis vel effuderit, vel extorserit Ecclesiæ*
Lib. *de Joseph.*, cap. 6, n. 33 et seq. *contumelia.* Subjungit tamen illum non multo post pœnas dedisse, sed condemnatum alterius criminis, quod Augustinus nobis explicat in eum modum: *Calligonum*, inquit, *Valentiniani junioris eunuchum gladio novimus ultore punitum, meretricis*
Lib. VI *in Julian.*, cap. 14. *confessione convictum.*

71. Dici non potest quam consternata fuerit Marcellina, ubi primos hujus tumultus rumores accepit. Statim igitur crebris litteris fratrem rogavit ut se omnium faceret certiorem. Ambrosius vero solicitam de se sororem carissimam animi pendere nequaquam passus, ei per ordinem omnia
Epist. 20. scripsit; e cujus epistola quæ de hac eadem per-

A secutione a nobis narrata sunt, mutuo sumpsimus. Nonnulli porro hanc persecutionem sequenti anno excitatam autumant; sed non differendam ultra hunc ipsum demonstravimus proprio loco. Præfat. ad epist. 20, 21. An. 385.

72. Etsi Justinæ vexationes sopitæ viderentur, optime tamen Ambrosius fore præviderat, ut non quiesceret hæc ariana. Et certe non diu odium illa continuit: sed ut efficacius cogitata perficeret, jam inde a mense januario hujusce anni persuasit filio scribendam legem, quæ arianis in ecclesiam
B conveniendi potestatem faceret, pœnamque capitis eis irrogaret, qui contra non modo palam intercedere, sed vel *clanculo supplicare* attentavissent. Lib. ult. *de Fide.* Jussit imperatrix Benevolum *Memoriæ scriniis præfectum* hanc legem exarare atque obsignare. *Ibid.* Hic vero conscientiam favori anteponens, hoc detrectavit, ac propterea lubentissimo animo subivit exsilium.[3] Hujus operam supplevit Auxentius, qui 3
se, ut Ambrosius testificatur, episcopum arianorum esse jactabat. Sed sanctus Præsul de illo sic lo-
C quitur imperatori: *Nam ego,* inquit, *nec episcopum novi, nec unde sit, scio.* Nihilominus tamen Epist. 21, n. 9 ex Antistite nostro discimus illum ex Scythia oriundum esse, et inde cum venisset Mediolanum, posito Mercurini nomine, sub quo criminibus infamis evaserat, dictum Auxentium. Quippe *ita erubuit,* ait Ambrosius, *ut mutaret vocabulum.* Sic autem vo- Serm. *cont. Auxent.*, n. 22. luit se appellari, quod propter memoriam veteris Auxentii acceptiorem se paucis illis, et potissimam partem exteris arianis qui sequebantur imperatricem, fore credebat. Et hujusmodi erat præcipuus illæ Justinæ minister, a quo scriptum fuit
D dirum hoc edictum, quod fletus quidem expressit catholicis, Ambrosii vero mentem infringere minime valuit.

73. Post hujus legis promulgationem,[4] relicta urbe 4
Mediolano, imperator una cum matre Ticinum venit, et ibidem legem edidit XV kal. Mart. Verisimile autem est tunc contigisse, ut eadem princeps cunctis orthodoxis semper infesta, viduæ depositum Tici-
E nensis episcopi fidei creditum extorquere conniteretur. Verum episcopus, re cum Ambrosio com- Lib. *de Legat. et Decret.* municata, istiusmodi viam inivit, qua sanctitas depositorum sarta tectaque custodiretur. Lib. II *de Offic.*, cap. 29.

74. Inde Justina procul dubio magis inflammata in Ambrosium, acerbiora gravioraque adversus eum machinata est. Ubi enim rediit Mediolanum, Dalmatius tribunus ac notarius imperatoris nomine sanctum Virum convenit, ut judices, quemadmodum fecerat Auxentius, et ipse deligeret, quibus in pa- Epist. 21, n. 1
F latio considentibus, de fidei suæ dogmatis disputaret; sin autem secus, solum verteret, ac sedem

et ad sacrum conventum in minori, nempe baptisteriorum basilica, accesserunt, ut statim dicitur.

[1] Nempe e basilica Portiana cui fuerant apposita, ut dictum, etiam forte ornatus causa, ad significandum eo imperatorem et arianam matrem cum asseclis ad celebrandas paschales festivitates se esse collaturos.

[2] Hæc *basilica minor* non est jam Portiana, quo expresse Ambrosius dixit se non contulisse, ac quosdam tantum presbyteros misisse, sed basilica illa prope majorem, ubi catechumeni erudiebantur et baptismus ministrari solebat. Erroneum igitur est quod in Ambrosiano Breviario legitur de basilica Portiana, tamquam illa ubi Ambrosius diu cum suis fidelibus consedit, atque hymnos et psalmos alternatim primo canere instituit (in tertia lectione ad Matutinum de S. Castritiano ep., die 1 decembris). Sed et clariss. Biraghi non satis in *Vita della Vergine Romano-Milanese santa Marcellina* contextum epistolæ Ambrosii ad sororem expendit, dum edens aliquanto liberam hujus epistolæ interpretationem, Ambrosium scribentem inducit: *Io funzionava nella Porziana.* Nec felicius in texendo ordine persecutionis hujus se habuit Baunard, dum ipse quoque supposuit, feria quarta majoris hebdomadæ ad Portianam Ambrosium se contulisse ante solis ortum, ibique sermonem de Job habuisse et milites e basilica nova oratum convenisse, ibique cum populo integram noctem orando et canendo transegisse. Nec ipse enim curavit Ambrosii perspicuum ad notarium responsum: *Cum me populus eo ire deposceret, direxisse presbyteros; me tamen noluisse ire.*

[3] Brixiam rediit, ubi natus erat, et consuetudine sancti episcopi Gaudentii ibi recreatus vixit.

[4] Proprie dici non debuisset *post promulgationem*, sed post *confectionem*, quia de promulgatione dicitur postea, nempe Ticini legem editam esse.

suam cederet Auxentio. Ambrosius convocatis, qui Mediolani tunc versabantur, episcopis ac presbyteris, de mandato imperiali ad eos retulit. Cum visum esset illis omnibus libellum Cæsari offerri oportere, idem Ambrosius ejus scribendi suscepit provinciam. In eo exposuit imperatori, quibus de causis in palatio coram profanis judicibus de fide disputare sibi non liceret; sed eadem illa controversia in concilio tractanda esset. Adjecit etiam ad se audiendum, cum de fide disserebat in ecclesia, liberum aditum cunctis patere: se in palatium venturum fuisse, ut hæc coram diceret; sed per episcopos et catholicum populum sibi non licere: eosdem similiter obnixe prohibere, quominus excedat Mediolano: persuasos videlicet unum idemque esse hoc rerum statu Ecclesiam deserere, ac eam prodere hæreticis. Postea se ipse recepit in ecclesiam, ubi per aliquantum temporis die ac nocte populus eum sepsit frequentissimus, ne sibi per vim eriperetur. Et sane missi ab imperatore militum manipuli ecclesiam cinxerunt: at ipse nedum ullum præferret timoris indicium, votis omnibus expetebat martyrii gratiam: atque adeo populum, ne sibi ad illud impedimento esset, obtestabatur, ob oculos eidem ponens quam vanæ essent eorum excubiæ, cum portam apertam cæcus reperisset, quam illi putaverant diligenter occlusam, nec patentem deprehendere milites potuerant. Dum custodiretur in ecclesia, populum suum cum Scripturarum lectione tum ipsarum expositione consolabatur. Superest adhuc una e præcipuis concionibus per id temporis ab eodem habita, quæ non minimam eorum conatuum partem memorat, quibus pastorem gregemque catholicum hoc etiam anno per sacros dies resurrectionis ariana rabies divexavit. Ambrosius vero in communi hac mœstitia præter memorata solatia et aliud adjunxit, nimirum hymnorum quos in honorem divinissimæ Trinitatis ipse composuerat, sacrum concentum. Canebat eos hymnos totus populus cum tanto pietatis interiorisque affectus motu, ut lacrymarum vim plurimi effunderent. Certe Augustinus horum omnium testis oculatus, postquam de parente his verbis locutus est: *Ibi mater mea, ancilla tua, sollicitudinis et vigiliarum primas tenens, orationibus vivebat;* de se quoque ita subjungit: *Quantum flevi*, inquit, *in hymnis et canticis suave sonantis Ecclesiæ tuæ commotus acriter?* Rationem autem in his cantibus observatam esse occidentali Ecclesiæ nondum usitatam, postmodum vero in ea propagatam, hæc Augustini verba testantur: *Tunc*, ait ille, *hymni et psalmi, ut canerentur secundum morem orientalium partium institutum est, et ex illo in hodiernum retentum, multis jam et pene omnibus gregibus tuis et per cætera orbis imitantibus.* Eadem etiam de hoc instituto tradit Paulinus. Verumtamen quod psalmodiæ atque hymnodiæ genus hic sit intelligendum, non satis constat inter auctores; neque etiam hujus loci est operosius id explorare.

Epist. 21, 2 et ss. — Ibid., 17. — Sermo de Basil., tom. v — Lib. ix Confess., cap. 6, 7. — Ibid. — Paulin. in Vita Ambr., n. 13

75. Clarius quiddam atque illustrius, ut duo memorati scriptores narrant, divinitus accidit, *ad coercendam*, inquit Augustinus, *rabiem femineam, sed regiam.* Enimvero hac tempestate corpora Protasii ac Gervasii fratrum martyrum divino monitu Ambrosio nostro revelata sunt, quorum solemnem exhumationem, translationemque dum refert Ambrosius, nec sermones in ea celebritate abs se habitos, nec miracula magno numero a Martyribus tunc perpetrata silentio præterit; imo nec calumnias hæreticorum, qui diabolo ipso magis perfidi, quos Christi martyres hic fatebatur, obstinate juxta ac impudenter negare audebant. Augustinus qui præsens erat, horum etiam non semel meminit. Paulinus autem a quo illa quoque non omittuntur, adjuncta quædam hujus persecutionis memoriæ prodidit, quæ Ambrosius atque Augustinus reticuere. Hujusmodi est quod narrat de Euthymio, qui cum mandato imperatricis vehiculum parasset, quo sanctum Antistitem exportaret in exsilium, sequenti anno solum vertere ipsemet jussus, eodem curru patria excedere coactus fuit. Sed utri persecutioni hoc tribuendum, non explicuit. Circiter hoc etiam tempus evenisse idem asserit, ut in Ecclesiæ gremium reverteretur quidam ex arianis, qui angelum sancto viro astantem se vidisse ajebat, et quæ populo exponeret, ipsi suggerentem.

Locis citatis — Epist. 22. — Lib. ix Confess., c. 7, et lib. ii de Civ. Dei. — In Vita Ambr., n. 14 et seq. — Ibid., n. 17.

76. Re vera minime obscurum est hac ipsa tempestate pronuntiatos esse illos sermones, ex quibus præstantissima sancti Doctoris Opera composita sunt. Expositio *in Psalmum* CXVIII, quæ inter pulcherrima ejusdem monumenta jure memoratur, multos sermones hujusce anni in se continet: sed multos etiam anni sequentis, ut suo loco demonstratum est. Hujus Operis huc spectat propositum, ut Christiani et officiorum suorum informentur cognitione, et ad eadem morum honestate ac pietatis cultu implenda stimularentur. Id autem beatus Pater melius effici omnino non posse arbitratus est, quam psalmorum nobilissimi, ac moralium præceptionum refertissimi enarratione; cui præterea annexam voluit explicationem locorum e Canticis bene multorum, quod argumento suo magis congruere existimavit.

Præfat. ad hunc psal. — Præf. ad Expos. psal. CXVIII.

77. Quamvis Baronii sententia fuerit Ambrosiana in Evangelium beati Lucæ commentaria inde ab anno 376 scripta fuisse; attamen extra dubium est in sermonibus, ex quibus compactum est hoc ipsum opus, arianorum infestationis, tamquam rei admodum recentis, fieri mentionem. Aliunde vero cum appareat eosdem sermones non nisi per biennium fuisse absolutos, erunt forte qui conjiciant Doctorem nostrum alternis dominicis nunc in psalmum CXVIII, nunc in Lucæ Evangelium verba fecisse. Qui autem utrumque argumentum continuis dominicis ad finem usque tractatum volent, quominus conciones in Lucam rejiciant in sequentem annum, nihil prohibebit.

Præfat. in ead. Opera

78. Episcopi Æmiliæ provinciæ, quæ nunc archiepiscopatu Bononiensi comprehenditur, Ambrosium hoc anno per litteras consuluerunt qua die anno proximo festum Paschatis esset celebrandum; etenim cum fore viderent, ut in VII kal. Majas illud incideret, utrum hic dies ad primum equinoxii mensem pertineret, illi ambigebant. Eorum interrogationi satisfecit sanctus Antistes, et solutis omnibus difficultatibus, eo die memoratum festum celebrari debere planum facit.

Epist. 23.

79. Per tempestatem vindemiarum Augustinus, cujus conversioni supremam manum Deus imposuerat, venit in *Cassiacum Verecundi villam;* et e vestigio hinc ad Ambrosium, quem in hoc opere primarium divinæ gratiæ ministrum ducebat, litteras dedit: *Et intimavi*, inquit, *per litteras antistiti tuo vere sancto Ambrosio pristinos er-*

Lib. ix Confess., cap. 5. — Ibid., cap. 6

rores meos, et præsens votum meum, ut moneret quid potissimum mihi de libris tuis legendum esset, quo percipiendæ tantæ gratiæ paratior aptiorve fierem. At ille jussit Isaiam prophetam; credo quod præ cæteris Evangelii vocationisque gentium sit prænuntiator apertior. Verumtamen cum prophetæ hujus satis assequi sensum non posset, ejus lectionem in aliud tempus ratus est differendam.

An 387. 80. Statim atque tempus adfuit, quo catechumeni se ad baptismum inscribi curant, sub extremam scilicet quadragesimam, Augustinus, Alipio suo, et filio Adeodato comitantibus, Mediolanum rediit, ut simul in ordinem competentium admitterentur: *Ubi,* ait ille, *tempus advenit, quo me nomen dare oporteret, relicto rure Mediolanum remeavimus.* Contigit autem, ut tunc temporis *de moralibus quotidianum sermonem* haberet Ambrosius. Alibi vero declaratum est moralem istam, quam hoc loco innuit idem episcopus, disputationem aptius intelligi neutiquam posse, quam de sermonibus, ex quibus libri *de Patriarchis* compositi sunt. Primi eorumdem collocantur libri *de Abraham*, quo in opere sancti hujus viri *impigram fidei devotionem* Ambrosius demonstrat, ab ipso quoque factis impletum quod vix jejuna quadam idea philosophi intellexere.

De Myst., c. 1, n. 1. Præfat. ad lib. *de Abrah.* Lib. *de Joseph.*, cap. 1, n. 7.

81. Liber *de Isaac et anima* duos illos sequitur. Hic autem eo pertinet, ut in eodem sancto patriarcha *sinceræ mentis puritatem* oculis subjiciens, ipsum Christi Domini, Rebeccam vero ejus uxorem Ecclesiæ typum extitisse patefaciat; nec non utrumque illum conjugem animæ fidelis cum cœlesti sponso nuptiis accommodet.

Ibid.

82. Quod in libello superiori Ambrosius de anima disputaverat, eum induxit, ut edita opella *de Bono Mortis,* nihil terribile inesse morti planum faceret; simulque adstrueret omnino oportere, ut *abdicatis corporis delectationibus, cupiditatibus omnibus, mundique illecebris*, in perpetuum sæculo moriamur.

Lib. *de Bono Mort.*, cap. 3, n. 9.

83. His sermonibus ad præparandos catechumenos appositissimis imbuti Augustinus atque alii, aqua vivifica in pervigilio paschatis, quod VII kal. Majas anni præsentis celebratum diximus, tincti fuere. Initiatos sacro baptismo confestim sacramentorum quæ receperant, sicut et eorum quæ occultari prius solebant, expositione sanctus episcopus rite instituit: qua quidem ex catechesi librum *de Mysteriis* factum putamus.[1]

Præfat. ad lib. *de Myst.*

84. Rediit ad moralia præcepta sanctus Ambrosius, et ut candidam illam neophytorum turbam a redeundo in sæculum, cui per baptisma nuntium remiserant, fortius deterreret, ideo sermones pronuntiavit, qui nunc redacti in librariam formam, sub titulo libri *de Fuga sæculi* ad nos pervenere.

Præfat ad lib. eumd.

85. Commentationem hanc excipiunt duo libri *de Jacob et Vita beata,* in quibus Ambrosius *singularem animi laborumque patientiam* in eodem sancto imitandam proponens, beatitudinem in calamitatibus, afflictationibus ac doloribus esse positam evidenter docet.

Lib. I *de Joseph. patr.*, c. 1, n. 1.

86. Non prætermisit Josephi historiam Antistes noster; sed in eam non semel verba fecit, præ cæteris ejusdem patriarchæ dotibus, castitatem ejus egregie prædicans. In idem argumentum jam superiore anno concionatum se esse illic testatur; verum aut exciderunt sermones illi, aut forte chartis numquam mandati sunt.

Lib. I *de Joseph. patr.*, cap. 6, n. 30 et 38

87. Horum tractatuum ordinem cogit liber *de Benedictionibus Patriarcharum.* Hunc brevi intervallo lucubrationem, de qua proxime nos dicebamus, secutam esse, atque ante alteram Ambrosii ad Maximum legationem publice pronuntiatum, probabile est.

Præfat. ad lib. eumd

88. Jam veniamus ad secundam istam legationem. Omnes hujusce tyranni motus satis promebant Italiæ provinciis eum imminere, spoliandique Valentiniani consilium cepisse. Justina hoc tanto periculo vehementer perculsa, nullius opem præsentiorem arbitrata est, quam sancti Ambrosii. Quapropter cum hic memoriam injuriarum nullam retineret, rogatu ejusdem imperatricis rursus legati ad tyrannum illum onus subivit. *Ego tuus* (Valentiniani), inquit, *iterum legatus repetivi Gallias, et mihi dulce pro salute tua primo, deinde pro pace, atque pietate qua fraternas reliquias postulabas, nondum pro te securus, et jam pro fraterno honore sollicitus.* His verbis causa legationis aperitur: ipse vero sanctus Antistes, quem ex ea successum retulerit, scripta Valentiniano epistola significavit, omnemque rerum cum tyranno abs se gestarum pertexuit ordinem. Hanc epistolam dum rediret, ex ipso itinere Cæsari misit, ne forte quis antevertens, mentem ipsius maligne occuparet; et simul ut princeps rerum omnium factus certior, adversus hostem tam formidabilem, qui eum opprimere apud se statuerat, paratus esset. Duplicis generis episcopos, a quorum communione penitus abstinuit, apud Maximum reperit Ambrosius. Priores erant, qui eidem Maximo communicabant; unde Paulinus ipsum a beato præsule communionis consortio privatum asseverat, ut jam dictum est: posteriores vero, *qui aliquos, devios licet a fide, ad necem petebant*, nempe Ithaciani, a quibus apud Maximum accusatus est Priscillianus, et iisdem agentibus, cum ipse tum ejus sectatores gladio truncati sunt. Hanc sancti Ambrosii constantiam et animi magnitudinem non tulit tyrannus: sed graviter commotus jussit eum *sine mora regredi.*

De Obitu Valent., n. 28. Epist. 24. Epist. 12. *Vit. Amb.*, n 19. Epist. 24, n. 12. *Ibid.*

89. Maximus redeuntem propere secutus, nemine obsistente, Italiam invasit: Valentinianus vero metuens ne incideret in ejus manus, et eadem inhumanitate ab eo tractaretur, quam Gratianus expertus erat, conscenso navigio, venit Thessalonicam, seque fidei ac præsidio Theodosii totum commisit. Profugum Theodosius excepit perquam humaniter: eumdem vero pie admonuit has tantas clades ob propugnatam hæresim arianam ac divexatam Ecclesiam catholicam divinitus immissas ne dubitaret.

90. Tametsi autem Ambrosio Maximus intentavisset acerbissimas minas, non illi tamen, ut quidem videtur, damnum intulit. Usque adeo etiam apud malos venerationem invenit virtus! Præter

[1] Non admittunt Maurini Editores sex quoque libellos *de Sacramentis* Ambrosium auctorem habuisse. Nos vero suo loco eos Ambrosio asseruimus, incertum tamen relinquentes quonam tempore hos quoque in vulgus protulerit. Etiam Baunard habet ut genuinum Ambrosii opus libros *de Sacramentis,* et opinatur tam hos quam tractatum *de Mysteriis,* prioribus episcopatus sui annis Ambrosium vulgasse, non tamen ante annum 377. Tillemont in nota 62 ad historiam Ambrosii aliquatenus linit opinionem in ipsa historia expressam contra authentiam horum librorum, dum animadvertit magni momenti non esse argumenta quæ contra eamdem allata sunt.

opera jam recensita, hujus quoque temporis esse credimus plures epistolas, quibus sanctus Vir multorum dubiis sibi per litteras certatim propositis responsa dedit. In harum numero epistolæ ad Studium duæ reponi possunt. In sæculari foro hic judex erat: is cum videret, Priscilliano urgentibus Ithacianis capitis condemnato, recedere plurimos ab eorum omnium communione qui capitalem sententiam in quempiam tulissent, sciscitatus erat ex Ambrosio, num sibi a sacris esset abstinendum, quoties aliquem extremo supplicio ipse addixisset. Ejus interrogato Ambrosius ita respondit: Plerique sponte se abstinent, et laudantur quidem, nec ipsi eos laudare non possumus, qui auctoritatem Apostoli eatenus observamus, ut iis communionem non audeamus negare. Deinde vero quasi episcopus ad exhibendam potius reis clementiam quam severitatem illum hortatur.

Epist. 25, 26.

91. Hoc etiam tempore sæpius ad Irenæum carissimum filium et Ecclesiæ Mediolanensis presbyterum aut diaconum scripsit Ambrosius. Prima epistola Deuteronomii versum enucleat, et societatem perditorum hominum suadet evitandam. Secunda non multo post secuta, ipsius vitam, utpote hominis diviniori charactere nobilitati, probat perfectiorem esse debere, ac sæcularium conversatione multo sanctiorem. Eodem die domum reversus a vigiliis sanctus episcopus, studiis suis de more repetitis, versum Scripturæ, quem modo in synaxi cantari audierat, revolvere animo cœpit. Admovit statim manum calamo, et exarata epistola tertia Irenæum interpretatione ejusdem versiculi exhortatus est, ut per mundi contemptum atque repudium supremo bono unice adhæreret. Vix ferendam dederat hanc epistolam, cum locus ex Aggæo ei succurrit, huic ipsi argumento plane conveniens, qui materiam elucubrandæ quartæ epistolæ suppeditavit.

Epist. 27. Epist. 28. Epist. 29. Epist. 30.

92. Irenæus tantis benevolentiæ ac facilitatis Ambrosianæ testimoniis pellectus, non dubitavit sanctum Episcopum super variis quæstionibus consulere. Quæstionum ejus hæc prima fuit, utrum major censenda esset eorum caritas, qui ab unguiculis Dei obsequio se mancipassent, an vero eorum qui provectiori tantum ætate. Hujus dubii haud injucundi explicationem epistola una complexus primo fuerat Ambrosius; at mox aliam de eadem re superaddidit. Acceptis autem prioribus litteris Irenæus ob locum quemdam Deuteronomii in his citatum difficultatis aliquid passus, illud iterum ipsi proposuit, a quo et optatam ejusdem quæstionis continuo accepit solutionem.

Epist. 31. Epist. 32. Epist. 33.

93. Horontianus sancti Doctoris et ipse discipulus, qui clericorum in contubernio educatus ab infantia, manibus Ambrosii diaconus aut præsbyter consecratus fuerat, præceptorem suum interrogavit, numquid humana anima cœlestis esset substantiæ? Duabus epistolis, quarum priorem brevissimo spatio secuta posterior est, sanctus Præsul illum docuit animæ nostræ naturam esse spiritualem, eumque ut librum quartum Esdræ pervolveret, multum impulit. Idem Horontianus de quibusdam Apostoli verbis, quorum ab Ambrosio citata fuerant antecedentia, quid ille sentiret, scire optavit. Satisfecit ipsius voluntati Antistes noster; sed eorum verborum occasione imperare sibi non potuit, quin martyrii opportunitates sibi ereptas apud eum defleret gravissimis verbis: *Quales occasiones*, inquit, *habui, et de ipso prope fine revocatus sum!*

Epist. 34, 35. Epist. 26. Epist. 36, n. 4.

94. Simplicianus Ambrosio significavit, quanta voluptate affectus esset iis legendis, quæ in Paulinas epistolas ad populum disseruerat:[1] quamque gratum sibi esset futurum, si quid insuper ejusdem generis ad se mitteret. Major erat Ambrosii erga hunc virum observantia, quam ut ejus optatis non annueret. Epistolam igitur ad illum dedit, qua complexus ea fuerat, quæ in alium Apostoli textum pronuntiaverat coram populo: ubi præterea id probaverat *libertatem nostram in Christi esse sapientia.* Sed hoc ultimum rursus repetens, veras divitias in eadem quoque sapientia esse positas aliis litteris clare demonstrat.

[1] Epist. 37. Epist. 38.

95. Denique circa id temporis Faustinum quemdam amissam sororem virtutis singularis ac meriti feminam lacrymis lugentem sane immodicis Ambrosius per epistolam consolatus est.

Epist. 39.

96. Justinam arianam illam imperatricem vulgo existimant non revertisse in Italiam, sed in fuga ipsa fato concessisse; ita ut non sine divino judicio quæ toties Ambrosium ejicere in exsilium conata fuerat, exsul atque extorris ipsa moreretur. Si qua etiam conjectura in Paulini verbis statui possit, circiter hunc annum contigisse dicemus, ut magnus quidam, Innocentius nomine, cum torqueretur ob varia scelera, confessus fuerit, Justina gubernante, conductum semet ab arianis ut in Episcopum populi odia excitaret, exsecranda sacrificia celebrasse, sed irrito conatu. Subdit Paulinus manum percussoris ad Ambrosium missi exaruisse, atque a sancto viro eidem fuisse mox restitutam. Narrat postea Probum curasse, ut puer notarius deduceretur ad Ambrosium, cujus beneficio a dæmone liberaretur.

Ann. 388. *In Vita Ambr.*, n. 20. *Ibid.* *Ibid.*, 21.

97. Cum Valentiniano transiit Theodosius in Italiam, ac duabus victoriis de Maximo tyranno citius reportatis, Aquilejam, quo tyrannus ille se receperat, obsidione cinxit; qua expugnata in illum gladio animadvertit. Summam in his victoriis Theodosii moderationem certatim historici laudibus cumularunt: quibus si quidquam adjicere induceremus in animum, instituti nostri terminos excederemus. Non tamen possumus quin ea quæ Ambrosii precibus concessit imperator, Ambrosianis verbis hic efferamus: *Debeo*, inquit, *beneficiis tuis, quibus, petente me, liberasti plurimos de exsiliis, de carceribus, de ultimæ necis suppliciis.*

Epist. 40, n. 25.

98. Maximi partibus profligatis, venit Theodosius Mediolanum, unde Ambrosius Aquilejam profectus erat. Ambrosiani itineris quæ causa fuerit, ignoratur. Opinatus est cardinalis Baronius susceptum illud fuisse, ut Valeriano, qui eam gubernaverat Ecclesiam, sufficeretur novus episcopus. Verumtamen astruendæ huic opinioni testimonium nullum reperire est. Utcumque autem se res habeat, Ambrosius ibidem tunc versabatur, cum perlata est ad eum fama de Theodosiano quodam edicto, quod

Ad ann. 388.

[1] Singulare est hoc testimonio, cui affine est et alterum Cassiodori, Maurinos Editores non esse permotos ut Ambrosio adjudicarent *Commentaria in Epistolas Pauli*, quæ ei antea tribuebantur. Prolixa elucubratione hæc illi nos vindicavimus; quia vero epistola I ad Simplicianum, quæ anno circiter 387 conscripta fuit, istarum in Apostolum tractationum occurrit mentio, indubium fit eas ante hunc annum sermocinando habitas esse.

contra episcopum *Castri Callinici*, ubi a nonnullis christianorum Judaica synagoga incensa fuerat, et contra monachos qui valentinianorum templum combusserant, idem sanxerat. Scripsit extemplo imperatori sanctus Antistes in gratiam episcopi ac monachorum: sed cum Theodosius aurem purpuratorum consiliis plus æquo præbens, edictum suum non revocasset, prima data occasione coram eodem principe concionandi, tanta cum libertate indignitatem dati rescripti demonstravit, ut ejus revocationem non concedere non potuerit bonus imperator. Quamvis autem episcopalis generositatis haud facile isto exemplo reperiatur aliud nobilius; quia tamen cum apud Paulinum, tum in duabus epistolis Ambrosianis exacte describitur, hic de eodem plura dicere supersedemus.

In Vita Ambr., n. 22. Epist. 40, 41.

99. Hoc anno pagani denuo periculum facere minime dubitarunt, num a Theodosio profanarum religionum jam sæpius petitam instaurationem possent extundere. Symmachum in hac etiam petitione antesignanum sese præbuisse non ægre credimus; at vero cum Ambrosium etiam hac vice christianæ religionis patronum offendisset, repulsam a Cæsare passus est turpissimam. Id narrat ipse Ambrosius ad eum modum: *Postea etiam clementissimo imperatori Theodosio coram intimavi, atque in os dicere non dubitavi, cui intimata senatus legatione hujusmodi, licet non totus senatus poposcerit, insinuationi meæ tandem assensum detulit, et sic aliquibus ad ipsum diebus non accessi: nec moleste tulit, quia non pro meis commodis faciebam, sed quod et ipsi, et animæ meæ proderat, in conspectu regis loqui non confundebar.*

Epist. 57, n. 4.

Ann. 389.

100. Sermones quos complectuntur libri Hexaemeron, extrema hujusce anni quadragesima, ut docuimus, habitos esse probabile est. Eorum non raro binos eodem die pronuntiabat. Sed in tantis laboribus id ipsi erat non parvo solatio, quod fidelium gregem ethnicorum atque hæreticorum conversione in dies augeri conspiciebat.

Præfat. ad hunc lib.

Lib. III *Hexaem.* cap. 1, n. 3.

101. Statim atque opus Hexaemeron absolutum fuit, et in amicorum discipulorumque sancti episcopi manus pervenit, diligenter ab eis evolutum est. Horontianus, ex eorum numero, ubi attentiori mente illud perlegisset, admiratus est neque Moysen neque Ambrosium exponere conatos esse cur homo ultimus creaturarum esset conditus. Itaque pro illo jure familiaritatis, quod ei concessum fuerat ab ipso Ambrosio, illum ea de re interrogavit. Huic respondit sanctus Antistes, et cum præmississet Legislatorem nihil scripsisse, quod non divinitus ipse recepisset, varias rationes eidem promit solvendo huic problemati valde appositas.

Epist. 43.

102. Idem etiam Horontianus sciscitatus est, cur sex diebus rerum universitas creata esset? Cujus quæstionem altera epistola solvit Ambrosius.

Epist. 44.

103. Sabinus quoque, a quo similiter lectum fuerat Hexaemeron, a sancto viro petiit per litteras, an alicubi de paradisi terrestris loco disseruisset, aut quæ esset ejus de illo sententia? Rescripsit Ambrosius de illa quæstione, de qua jam ante disputaverat, in hisce libris neutiquam egisse: postea tamen in sua responsione tam secundum sensum spiritualem, quam ethicum, hanc examinat difficultatem.

Epist. 45.

104. Scripsit iterum Sabinus Ambrosio, nuntiavitque sectatorem quemdam Apollinarii venisse Placentiam, et in ea urbe errores suos disseminasse: cum vero ibi fuisset confutatus, iter cepisse Mediolanum. Huic episcopo responsum mittens Ambrosius noster, ait erronem illum Mediolani clanculum placitis suis inficere animos conatum esse, et in locos aliquos librorum suorum, *de Fide* procul dubio, multum clamitasse: hac re comperta, sese misisse qui verbis suis illi diceret non ex caritate ipsum agere; se enimvero, ut qui homo esset, errori similiter esse obnoxium, atque adeo non recusare, quin lapsus suos lubens agnosceret, si sibi privatim ostenderentur: sed ad extremum cum pertinacem hunc hæreticum latius propagare suos errores intellixisset, tandem huic ipsi publice refutato se præter fugam nihil reliquisse.

Epist. 46.

105. Ambrosius una cum epistola sua eam etiam commentationem, quam reprehenderat apollinarista, Sabino miserat; ut quam censuram de illa ferret, libere sibi significaret. Verum cum eosdem libros minus distincte exaratos Sabinus legere non potuisset, eos remisit ad Ambrosium: quos quidem elegantius scriptos rursus hic noster ad illum episcopum curavit perferendos, addita etiam alia epistola, in qua de Scripturis, prout Sabinus ipse optaverat, caput aliquod excutiebatur.

Epist. 47.

106. Hoc ipsum opus perlectum a Sabino et simul approbatum Ambrosius recepit: sed continuo ad eumdem aliud misit, quod ut severe examinaret, obtestatus est. *Unumquemque*, inquit, *fallunt sua scripta, et aurem prætereunt; atque ut filii etiam deformes delectant, sic etiam scriptorem indecores sermones palpant.* Pulchre id quidem atque prudenter; sed eum insuper alia quædam causa movebat: in eo enim libro una ex præcipuis fidei quæstionibus agitabatur. Et hinc colligi posse nobis videtur non alium librum hic designari, quam *de incarnationis Dominicæ sacramento;* qua in opella non solum arianorum et sabellianorum, sed potissimum apollinaristarum errores confutantur.

Epist. 48.

107. His Ambrosii ad eumdem Sabinum epistolis accedit alia, in qua se numquam minus esse solum, quam cum solus esset, scite disputat. Sed alias ejus ad illum epistolas inde cognoscimus interiisse, quod frequentius ei se scripturum in hac promittit.

Epist. 49.

108. Ambrosius litteris Chromatii Aquilejensis certior factus jucundissimum ei futurum, si per epistolas de prisco Fœdere quidpiam tractaret, continuo ad ipsum scribens, historiam Balaam pseudoprophetæ interpretatus est. Etiamsi autem hac in epistola eidem Chromatio alias additurum se polliceatur, nullam tamen ad eum reperimus nisi hanc solam.

Epist. 50.

109. Cum Romæ Joviniani errores publice erupissent, Syricius pont. max., presbyteris suis aliisque clericis in concilium una convocatis, hæresiarcham illum atque ejus commenta condemnavit. Quoniam vero nonnullos e monachis ejus asceterii, quod Mediolani prope muros conditum erat, iidem errores infecerant, in eam urbem misit legatos, a quibus synodica epistola ad illam Ecclesiam tuto perferretur. Acceptis his litteris, Ambrosius, quem præcipue dicti monasterii cura spectabat, clericos Ecclesiæ suæ actutum congregavit, ac præsentibus legatis pontificiis, eamdem hæresim in suo, ut sic loquamur, natali solo simul confodere. Sanctus Vir porro litteris totius conventus nomine scriptis, non modo concilii sententiam significavit summo pontifici; verum etiam argumenta validissima ibidem

Tom. V, col. 287.

proposuit, quibus amentia hujus hæresis profligabatur.

Præfat. ad easd. Enarr. 110. Post annum 385, sed ante 390 scripsit Ambrosius suam in psalmum I Enarrationem, cui et præmisit pulcherrimam præfationem in omnes psalmos, utramque autem ex sermonibus publice habitis coagmentatam; quandoquidem in auditoribus suis catechumenos, et eos, uti videtur, ex ordine competentium numeratos esse ipsemet indicat, quo pars extrema quadragesimæ certo designatur. Enarrationes in psalmos XLV, XLVII, XLVIII et LXI, quas
Ibid. etiam e sermonibus factas autumamus, eodem circiter tempore editæ sunt.

Ann. 390. 111. Librum *de Elia et Jejunio* demonstravimus constare ex tribus sermonibus; quorum qui
Præfat. ad illum lib. primus est, ad capescenda quadragesimæ opera stimulat Christianos; secundus ac tertius percipiendæ sub ejusdem quadragesimæ finem baptismali gratiæ competentes præparat. Ex illis vero simul conjunctis Ambrosius noster Basilii exemplo librum compegit.

112. Cum civitas Thessalonica in seditionem versa præfectos nonnullos interemisset, pœnas tanti criminis ab ea repetendas existimavit Theodosius. Verum Ambrosius, qui clementiam hujus principis in miseræ istius urbis gratiam implorare cum primis festinavit, tam calide tamque constanter Theodosio institit, ut hic injuriam illam condonaturum se
Paulin. in Vita Ambr., n. 24 promitteret. Hoc imperatoris promisso, sicut et innata eidem bonitate plus nimio confisus Ambrosius, Mediolani concilium ad quod episcopi Galliarum convenerant, securus celebrabat. Habebatur illa synodus propter Ithacianos ordinationemque Felicis Trevirensis ab eis factam, qua universæ Galliæ turbabantur. Quid autem super ea causa, quæ a quibusdam male ponitur anno superiori, hac in synodo statutum fuerit, concilium Taurinense, can. 6, innuit in hæc verba: *Si qui ab ejus,* Felicis videlicet, *communione se voluerint sequestrare, in nostræ pacis consortium suscipiuntur juxta litteras venerabilis memoriæ Ambrosii episcopi vel Romanæ Ecclesiæ sacerdotis dudum*
Concil. Taurin. can. 6. *latas.* Verum istæ litteræ de quibus hic agitur, ad memoriam nostram non pervenerunt.[1] Cæterum dum cœptum concilium prosequerentur illi episcopi, Theodosius victus persuasione comitum aulicorum, a quibus rem periculosissimi ac perniciosissimi exempli fore ingerebatur, si rebellio istiusmodi maneret impunita, cives Thessalonicenses atrocissime puniri jussit: quo ex decreto innumeræ cædes qua sontium, qua insontium, perpetratæ sunt.

113. Concilii Patres tantæ immanitatis certiores facti, quam gravissime illam tulerunt. Eorum *nemo,*
Epist. 51, n. 6 ut Ambrosius testatur, *non ingemuit, nullus mediocriter accepit: non erat facti tui absolutio in Ambrosii communione. In me etiam amplius commissi exaggeraretur invidia, si nemo diceret Dei nostri reconciliationem fore necessariam.* Ita loquebatur sanctus Antistes: cum enim Theodosium audiret regredi Mediolanum, recens illius vulnus levi adhuc manu tractandum ratus, neque tamen vel latum unguem recedendum a disciplina, ex eadem urbe exire constituit, cujus rationem hanc

A ipsi reddit: *Offerre*, inquit, *non audeo sacrificium, si volueris assistere.* Quibus quidem verbis Epist. 51, n. 13.
quamvis declarabat a jure communionis illum alienum; nullam tamen illi, unde offenderetur, causam relinquebat, quippe qui secretis litteris ista committeret: *Scribo manu mea*, inquit, *quod solus legas.* Imo et hoc quoque significavit, sibi divinitus Epist. 51, n. 14.
ipsa nocte qua proficisci parabat, prohibitum esse, ne illo præsente, sacris altaribus operaretur. Postremo ex hac epistola discere possunt omnes epi-
B scopi, quanta cum prudentia et cautione erga principes in gravia quæpiam crimina lapsos se gerere debeant; et quemadmodum eos oporteat minus adhibere acerbitatis quam mansuetudinis. Quid enim plenius prudentis hujus moderationis, quam illa verba: *Prætendi*, ait, *ægritudinem corporis re-* Epist. 11, n. 15.
vera gravem, et nisi a viris mitioribus vix levandam; vel emori tamen maluissem, quam adventum tuum biduo aut triduo non exspectarem.

114. Theodoretus auctor est, imperatorem post- Lib. v Hist. Eccl. cap. 18.
C quam a synaxi ecclesiastica totos VIII menses abstinuisset, natalis Dominici festo in ecclesiam venire voluisse: at graviter increpitum ab Ambrosio, non prius ingredi permissum esse, quam et publicæ pœnitentiæ caput subjecisset, et laturum se legem ejuscemodi esset pollicitus, quæ extremo supplicio nisi post diem a condemnatione trigesimum affici prohiberet. Implevit imperator utrumque promissum; quodque ad publicam pœnitentiam, tanta cum sui demissione illam amplexus est, ut nobis tem-
D perare non valeamus, quin locum de illa Ambrosianum subjiciamus: *Stravit omne*, inquit, *quo* De Obit Theod., n. 34.
nitebatur, insigne regium: deflevit in ecclesia peccatum suum, quod et aliorum fraude obrepserat: gemitu et lacrymis oravit veniam. Quod privati erubescunt, non erubuit imperator publice agere pœnitentiam; neque ullus postea dies fuit, quo non illum doleret errorem. Addit
citatus Theodoretus, et cum eo etiam Sozomenus, Lib. v, cap. 13 Lib. VII, cap. 25.
non ita multo post Theodosium, cum interesset
E sacrificio, et ad altare oblationem suam obtulisset, remansisse intra cancellos presbyterii; Ambrosium vero misisse ad illum, qui eum moneret solis clericis in isto loco fas esse consistere, et his monitis illico paruisse imperatorem. Memoratus Theodoretus et hoc adjungit, eumdem principem non Loco cit.
longo post tempore cum in basilica Constantinopolitana invitaretur a Nectario, ut altaris septa ingrederetur, hanc vocem emisisse Antistiti nostro tam gloriosam: *Episcopum, excepto Ambrosio,*
F *novi neminem.*

115. Circiter etiam hoc ipsum tempus *duo potentissimi et sapientissimi Persarum,* Ambrosii, ut Paulinus narrat, fama exciti, Mediolanum ve- In Vita Ambr. n. 25
nerunt eo solo consilio ut per se ipsi cognoscerent, an viri præsentia famæ responderet: qui, eodem Paulino teste, *admirantes discesserunt ab eo.*

116. Per id temporis maxima pace fruebatur Ann. 391.
Ambrosius amborum beneficio imperatorum, a quibus impense diligebatur colebaturque. Hanc igitur tran-
G quillitatem ne perire sineret, per hoc otium clericis suis, ut sane videtur, libros suos *de Officiis Ministrorum* elucubravit. Quibus quidem libris ser-

[1] Hujus Mediolanensis concilii nullam mentionem fecimus in Præfatione nostra ad Acta Conciliorum, quibus Ambrosius interfuit. Ibi enim eas præcipue synodos recensuimus, quorum aliqua saltem Acta ad nos pervenerunt, silentio illas prætereuntes, quas Ambrosius vel præsidio suo, vel præsentia honestavit, quorum tamen vel Acta omnino desunt, vel ex iis nihil occurrit quod Ambrosio attribui possit.

mones aliquos variis temporibus, et ipso quoque sacerdotii sui initio pronuntiatos idem inseruit: noverat enim vita clericorum, quos necesse est cæteris Christianis exemplo prælucere, nihil debere esse sanctius; ac propterea maximam semper in iisdem vel informandis curam adhibebat, vel eligendis cautionem. Neque forte lectori fuerit injucundum, si geminum ejus rei specimen ipsius verbis hic proponamus; sic ergo ille: *Meministis, filii, quemdam amicum cum sedulis se videretur commendare officiis, hoc solo tamen in clerum a me non receptum, quod gestus ejus plurimum dedeceret: alterum quoque cum in clero reperissem, jussisse me ne umquam præiret mihi, quia velut quodam insolentis incessus verbere oculos feriret meos.... nec fefellit sententia: uterque enim ab Ecclesia recessit; ut qualis incessu prodebatur, talis perfidia animi demonstraretur. Namque alter arianæ infestationis tempore fidem deseruit; alter pecuniæ studio ne judicium subiret sacerdotale, se nostrum negavit.* Ex his abunde quivis intelligat hoc illud opus, quo de agitur, maxime omnium clericis destinari: at vero cum horum officium sit moribus suis ac sermonibus vitam aliorum quasi condire, idcirco tot præceptiones illic intextæ sunt cuilibet hominum conditioni perutiles, ut fructum non modicum inde haurire omnibus liceat.

Lib. I *de Offic.*, cap. 18, n. 72.

117. Cæterum Ambrosiana sollicitudo, quæ omnes omnino complectebatur, monasticam non negligebat professionem; cœnobii quippe in Mediolanensi suburbio positi meminit Augustinus: *Et erat,* inquiens, *monasterium Mediolani, plenum bonis fratribus extra mœnia, sub Ambrosio nutritore, et non noveramus.* Neque hic tantum, sed alibi quoque illorum monachorum non sine honore mentionem facit.[1] Verum inter bonos illos apostolicæ vitæ imitatores duo inventi sunt, qui proditoris perfidiam æmularentur. Erant iis nomina Sarmationi et Barbatiano, quos Ambrosius Enarratione in psalmum XXXVI obscurius perstringit, in epistola vero ad Vercellenses propriis depingit coloribus: quos locos adire poterunt ii, qui plura de illorum vitiis atque erroribus desiderabunt.

Lib. VIII *Confes.*, n. 15.

Lib. I *de Mor. Eccl. cathol.*, cap. 33.

Num. 49.

Epist. 63, 7 et ss.

118. Vertente anno superiore, Theodosius Orientem repetierat, et Valentinianum in imperio quo a Maximo fuerat spoliatus, quietum reliquerat. Verum cum juvenis hic princeps venisset in Gallias, ut illas a barbarorum impressionibus tutaretur, ea pace non diu potitus est, quam imperio parere statuerat. Etenim increbrescente fama imminentis barbaricæ irruptionis in Italiam, rogatus fuit a præfecto et magistratibus sanctus Ambrosius, ut ad imperatorem proficisceretur, eumque ad opem eidem regioni reditu suo afferendam induceret. Non tamen hoc iter ille suscepit, quia interim Alpes transire nuntiatus est Valentinianus. Sub hæc allatæ sunt ad sanctum Antistitem Valentiniani ipsius litteræ, quibus propere accersebatur, tum quod baptizari ab eo vellet, tum quod eum prædem fidei suæ Arbogasti comiti dare cuperet. Hisce nuntiis turbatus Ambrosius, illico viam ingressus est, jamque *superabat Alpium juga*, cum infelicis illius imperatoris accepit necem. Cæsus

Ann. 392.

De Obitu Valent., n. 25.

Ibid.

A autem est a dicto comite idibus Maji pridie Pentecostes, annos tantum XX natus. Iter suum Ambrosius statim relegit, multis lacrymis illud irrigans. Nihil enim ejus dolore tenerius poterat cogitari, cum secum ipse reputabat, quantum ille a se, quamquam tot ac tantis septus episcopis, baptizari optasset, quantumque in adventu suo spei posuisset; sed potissimum jacturam ab Ecclesia factam lamentabatur: *Percussa*, inquiebat, *eras, Ecclesia, in maxilla, cum amitteres Gratianum;* B *præbuisti et alteram, quando tibi Valentinianus ereptus est.*

De Obitu Valent., n. 6.

119. Corpus illius non multo post relatum fuit Mediolanum, dumque Ambrosius ad ejus sepulturam Theodosii mandata operiebatur, eum hujus principis prævertit epistola, qua compatiebatur ejus mœstitiæ. Ad quam epistolam Ambrosius respondens, silentii sui rationem reddit, tum imperatori testificatur sibi nulla alia re Valentiniani sui desiderium majus excitari, quam quod *tuis institutis,* C ajebat sanctus præsul, *tantam devotionem erga Deum nostrum induerat, atque tanto in me incubuerat affectu, ut quem ante persequebatur, nunc diligeret; quem ante ut adversarium repellebat, nunc ut parentem putaret.* De sepultura vero illius principis postquam hæc præmisit: *Sunt tabulæ porphyreticæ,* inquit, *pretiosissimæ, quibus vestiatur operculum, quo regales exuviæ claudantur;* continuo admonet easdem exuvias, ne caloris æstu solverentur, mature tumulandas, et simul D etiam ut Justæ et Gratæ exstincti principis sororum nimio luctui consuleretur.

Epist. 53.

120. Mandatis Theodosii Mediolanum allatis, Valentiniano circiter medium Julium justa soluta sunt. Jam venerat in ecclesiam sanctus Antistes, et in Evangelium publice recitatum verba fecerat; unde colligimus die Dominico, vel solemniori aliquo natali celebrata esse hæc parentalia. Imperatoris demum corpore in basilica pro dignitate tanti principis magnificentissime collocato, funebrem in E illum orationem habuit Ambrosius. Nihil illa plenius pietatis et caritatis: nihil ad eliciendas auditorum lacrymas efficacius.

De Obitu Valent., n. 30.

121. Quod vero præcipuum est, promittit fore, ut nocturnis diurnisque precibus utrumque fratrem Deo commendet, et *omnibus oblationibus* eos frequentet, non secus ac Theodosium sororesque Valentiniani quæ erant actioni præsentes. Denique Deum comprecatus, ut in cœlo jungeret fratrum animas quorum corpora jam in sepulcro jungenda F essent, e suggestu exiit.

Ibid., n. 78.

Ibid., n. 79.

122. His temporibus ad Titianum, cui cum nepte sua lites intercedebant, scripsit Ambrosius, et eum ut ex pietate cum ipsa transigat, exhortatus est. Volunt autem quidam hunc ipsum Titianum præfectura prætorii defunctum esse, quod in dubium revocari posse alii putant.

Epist. 52.

123. Erat tunc Bononiæ Eusebius quidam nobilis et copiosæ familiæ caput, qui cum Ambrosio epistolare commercium agitabat. Hic filios ac nepotes suos missitabat Mediolanum, ut sub oculis G tanti Doctoris instituerentur. Misit autem inter alios Ambrosiam puellam sacro virginitatis velamine illius manibus consecrandam. Sancto Præsuli

Epist. 54, 55.

[1] Vetus mediolanensis traditio ponit hoc asceterium eo loci ubi extat antiquissima ecclesia quæ *S. Ambrosii ad nemus* nomine designatur, cui adnectitur et claustrum satis amplum, nunc non jam, ut olim, a monachis, sed a sacerdotibus inhabitatum, qui vel senio, vel infirma valetudine onera pastoralis curæ amplius sustinere nequeunt.

nihil gratius poterat accidere. Ad hanc igitur consecrationem condicto, ut nobis videtur, Paschali festo, publicum sermonem pronuntiavit, in quo et contra Bonosi sectatores, a quibus perpetuæ Mariæ virginitas impetebatur, multa disputavit. Præfixis autem huic concioni duobus capitibus, inde composuit libellum unum, cui titulum fecit *de Institutione Virginis,* et eidem Eusebio illum inscripsit.

Præfat. ad lib. eumd.

124. Exstant præterea duæ epistolæ ad Eusebium Ambrosianæ, quarum altera remissam offensam apparitori, et Faustini pueri tussi laborantis ad sororem adventum illi nuntiat; altera significat eumdem Faustinum cum Faustino patre Bononiam regredi, manentibus interim Mediolani duobus Ambrosiis.[1]

Epist. 54. Epist. 55.

125. In Capuana synodo capita duo fuerant agitata: primum ad Flaviani cum Evagrio de Antiochena sede controversiam pertinebat; secundum ad Bonosi causam propter negatam Deiparæ perpetuam virginitatem in judicium vocati. Prioris capitis cognitio Theophilo Alexandrino Ægyptiisque episcopis a laudato concilio attributa fuerat. Sed cum decreto concilii Flavianus parere detrectasset, adierat imperatorem, a quo numerosiorem synodum postulaverat. Ambrosium illius rei certiorem scriptis litteris fecerat Theophilus. Huic Ambrosius responsum dedit, ut litem illam, si fieri posset, *salvis concilii Nicæni, sed et synodi Capuensis decretis,* componeret, idque nuntiaret Romano episcopo; optime enim hoc modo pacem conciliari posse, illis vero quæ a Romana Ecclesia probata fuissent, admodum libenter se subscripturum. Quod porro ad Bonosum, examen ejus ad Anysium Thessalonicensem aliosque episcopos Macedoniæ remittendum censuit. At iidem præsules alii episcopo, cujus nomen incognitum est, de hoc scripserunt. Hic autem respondit eorum epistolæ ipsis competere hoc judicium; id enim illis a synodo Capuensi adjudicatum. Interim tamen in sua epistola eumdem Bonosum de Mariæ filiis jure reprehensum asseveravit.[2]

Epist. 56. Tom. v, col. 299.

126. Arbogastes post interfectum Valentinianum, ut jam diximus, cum sumere purpuram ipse non auderet, eadem Eugenium quondam grammaticum atque rhetorem indui jussit. Hic statim atque imperator salutatus est, epistolam dedit ad Ambrosium. Sed nec responso sanctus Episcopus illum dignatus est, quia scilicet fore prævidebat, ut hic tyrannus ethnicorum non rejiceret petitiones. *In primordiis,* inquit, *imperii tui scribenti non rescripsi, quia istud prævidebam futurum.* Continuoque subdit: *Tamen ubi causa emersit officii mei pro his, qui sollicitudinem sui gerebant, et scripsi, et rogavi; ut ostenderem in causis Dei timorem mihi justum inesse.* Has epistolas, quas anno proxime elapso datas fuisse manifestum est, invidia antiquitatis noluit ad posteriorem ætatem pervenire.

Ann. 393. Epist. 57.

A 127. Eugenius sub initium præsentis anni Alpes transivit, quem ut audivit sanctus Ambrosius venturum quoque Mediolanum, e vestigio inde recessit; quia nimirum ferre non poterat præsentiam tyranni, *qui petentibus,* ut Paulinus memorat, *Flaviano tunc præfecto, et Arbogaste comite, aram Victoriæ et sumptus cæremoniarum.... oblitus fidei suæ, concessit.* Sed Eugenium cum gentilium preces bis rejecisset, tertio tandem eadem de re interpellatum manus dedisse intelligimus ex ea epistola, B qua sanctus episcopus recessus sui eidem Eugenio rationem reddidit. Ambrosius porro, ut Paulinus docet, Mediolano *ad Bononiensem civitatem, atque inde Faventiam usque perrexit.* Addit ille scriptor Ambrosium nostrum dum Florentiæ esset, Pansophio puero vitam restituisse: *Ad quem infantulum,* inquit, *libellum conscripsit, ut quod per ætatis infantiam scire non poterat, legendo cognosceret.*

Paulin. *in Vita Ambr.*, n. 26. Epist. 57, n. 6. *In Vita Ambr.*, n. 27. *Ibid.*, n. 28.

128. Non rediit sanctus Antistes Mediolanum, C nisi kal. mensis Augusti anni sequentis, egresso inde memorato tyranno. Qua vero in urbe per hoc spatium potissimum commoratus sit, nobis ignotum est: compertum autem illud habemus, cum esset Bononiæ, ab eo corpora Vitalis atque Agricolæ martyrum Christi de tumulo suo levata esse; quæ quidem prius in mediis ipsis Judæorum sepulcris jacebant incognita, *nisi se,* ait Paulinus, *sancti Martyres sacerdoti ipsi revelassent,* aut quemadmodum plures codices legunt, *sacerdoti ipsius* D *Ecclesiæ revelassent,* Bononiensi nimirum episcopo.[3]

Epist. 61. Paulin. *in Vita Ambr.*, n. 29

129. Sub idem tempus rogatus a Florentinis sanctus Ambrosius, ut dedicatum novam basilicam Florentiam accederet, non potuit instantissimis illorum postulatis non annuere, etiamsi alio se conferre ipse decreverat. Per jejunia igitur quadragesimæ in eamdem veniens civitatem, de reliquiis sanctorum Martyrum qui Bononiæ exhumati fuerant, fragmenta, vel ut ipse vocat, *apophoreta* E secum detulit, quæ in basilica dicanda reconderet. Inter sacras hujus consecrationis cæremonias sermonem habuit, in quo Julianam viduam, quæ idem illud templum ædificarat sumptibus suis, summe prædicat; et relata ejusdem exhortatione ad liberos, qui omnes simul ea permoti Deo se devoverant, eosdem suis ipse verbis tandem alloquitur, atque ad virtutes eorum instituto congruas impellit et incitat. Hanc ipsam concionem habemus etiam nunc in libello qui inscribitur *Exhortatio Virginitatis.*

Præfat. ad lib. *Exhort. Virg.* *Exhort. Virg.*

130. Difficillimis Eugenianæ dominationis temporibus, id est, hoc anno vel proxime sequenti, Ambrosius epistolam Severo Neapolitanæ sedis episcopo scripsit, qua Jacobum quemdam ordine presbyterum *ex ultimo Persidis sinu* in Campaniæ solitudines se recipientem illi commendat. Non tamen desunt qui hanc epistolam ad Maximiani belli tem-

Epist. 59.

[1] Hunc Eusebium ipsum esse qui Bononiæ episcopus extiterit, communis fuit ante Maurinos Editores opinio, ipsamque etiam Tillemontius adoptavit post ipsos Maurinos, qui tamen e scribendi ratione quam Ambrosius tenuit in duabus epistolis ad eum datis non injurie videntur laicum virum hunc autumasse.

[2] Hæc epistola quæ extra ambrosianas a nobis edita est post Acta conciliaria, Tomo V, pag. 299, cum notis a Maurinis adjectis, ut dein monuit Tillemontius, edita est Romæ ab Holstenio sub nomine Syricii pontificiis, qui igitur verus ejusdem auctor habendus esset, atque inscripta est Anysio et cæteris Episcopis Illyriæ. Animadvertit vero ipse Tillemontius, hunc titulum valde melius ei convenire quam titulum *Theophilo et Anysio,* quem gerebat in editionibus ante Maurinam, cum Theophilum alexandrinum in hac epistola nihil attineat. Verumtamen nomen quod est ab Holstenio præpositum epistolæ tamquam ejus auctoris, simplex est conjectura nulli codicum auctoritati subnixa, licet magna probabilitate suffulta.

[3] Revera etiam ratio logica hanc alteram firmat lectionem. Si enim inventio illa supernaturalis non per episcopum bononiensem, sed per Ambrosium effecta esset, minime jam incidenter, sed ut factum aliquod præcipuum, et ideo solemniori ratione a Paulino fuisset commemorata.

pora censeant referendam. Quod loco suo satis expenditur.[1]

Præfat. ad eamd. epist.

Epist. 60.

131. Scripsit Vir sanctus etiam Paterno amplissimum honorem consecuto, qui cum *filio neptem ex filia* connubiali vinculo jungere statuisset, episcopi sui hac in re sententiam fuerat sciscitatus, et ab eo remissus ad Ambrosium. Paternus igitur destinatis ad hunc litteris rationes omnes quibus ad copulandum nepti avunculum impelleretur, ipsi aperuit. Huic epistolæ ita respondit sanctus Ambrosius, ut simul episcopo Paterni honorem deferret legitimum, et rationes quibus illud matrimonium licitum esse in mentem induxerat idem Paternus, nullas demonstraret.

132. Successu non caruit Ambrosiana illa epistola; namque aliam ejus habemus ad Cynegium, in qua legimus: *Avo neptem, ut opinor, repudii; quam nescio plane qua opinione nurum sibi fieri desiderabat, ut avum socero mutaret.* Hunc enim Cynegium non dubitamus eum Paterni filium esse, de quo Paternus Ambrosium nostrum consuluerat, et quem etiam super eadem re scripsisse ad sanctum Antistitem ex hac epistola cognoscere est.

Epist. 84.

Ann. 394.

133. Hujus quoque anni partem aliquam Florentiæ exegit Ambrosius; quandoquidem communis fert opinio, dum in ea urbe commoraretur, illac transiisse sanctum Paulinum, ut comitante Therasia conjuge Nolam ad Felicis martyris templum se reciperet. Audierat jam sanctus episcopus quanto caducarum rerum contemptu ipse ac Therasia pretium possessionum suarum, quæ quidem fuerant amplissimæ, in pauperes erogaverant: quam utriusque generositatem contra sæcularium hominum oblationes, scripta Sabino epistola, ipse defenderat. Inde conjectura licet assequi quanta cum lætitia et voluptate illum exceperit. Certe non repentinam neque nuperam fuisse Ambrosii cum eodem Paulino necessitudinem aperte Paulinus ipse profitetur, loquens in hæc verba: *Ambrosii semper dilectione ad fidem innutritus sum, et nunc in sacerdotii ordine confoveor. Denique suo me clero vindicare voluit, ut etsi diversis locis degam, ipsius presbyter censear.* Neque hoc tantum loco Ambrosii meminit; sed cum alibi, tum ubi magnis illis ac sanctis viris qui sacro cinerum suorum deposito varias provincias illustrarunt, ipsum annumerans, sic de illo canit:

Epist. 58

Paul. ad epist 4 ad Alyp.

> Nec minor occiduis effulsit gratia terris:
> Ambrosius Latio, Vincentius exstat Iberis;
> Gallia Martinum, Delphinum Aquitania sumpsit.
> (*S. Paul. Poem. 27, de Nat. S. Fel. 11*).

134. Ambrosius Mediolano, ut supra dictum est, ideo secesserat, ne Eugenii scelerati hominis conspectum ferret, et veri admodum nobis simile est, clericis suis eum districte prohibuisse, ne se communione ejusdem tyranni contaminarent. *Munera* enim *imperatoris qui se sacrilegio commiscuerat,* inquit Paulinus, *ab Ecclesia respuebantur, nec orandi illi cum Ecclesia societas tribuebatur.* Arbogastes vero et Flavianus, qui ob concessam suis precibus profani cultus restitutionem hac ignominia Eugenium affici non ignorabant, eo furoris exarsere, ut minarentur *egredientes Mediolano, cum victores reversi essent, stabulum se esse facturos in basilica Ecclesiæ Mediolanensis, atque*

Paulin. in Vita Ambr., n. 31.

A *clericos sub armis probaturos.* Hanc autem amentium hominum impietatem haud impunitam illis fuisse subdit Paulinus, et Ambrosius quoque idem testatur, sed nominibus comitis utriusque silentio transmissis.

Paulin. in Vita Ambr., n. 31.

Enarr. in psal. XXXVI, n. 25

135. Ubi primum Mediolano excessit Eugenius, ut copias in Theodosium duceret, in eam civitatem circiter kal. Augustas rediit Ambrosius, quippe qui non revocaret in dubium quin huic eidem Theodosio justitiæ ac pietatis partes defendenti B adfuturum esset cœleste præsidium. Et revera magnus ille princeps tam admirabilem retulit victoriam, ut miracula quibus eadem illustrata est, non modo Præsul noster, verum etiam Augustinus, Orosius, Claudianus, innumerique alii celebrarint.

Epist. 61.

Enarr. in psal XXXVI, n 22. Lib. V *de Civ. Dei*, cap 26 Lib. VII, cap. 35. Panegir. de III cons *Honor.*

136. Post magnam illam victoriam, atque tyrannum VIII idus Septembres de medio sublatum, Theodosius per litteras mandavit Ambrosio, ut pro successu tam auspicato publicas gratias Deo redderet. Satisfecit Cæsaris imperatis incredibili alacritate C sanctus episcopus; idque Theodosio significavit datis litteris, in quibus sic loquitur: *Epistolam pietatis tuæ altari imposui, ipsam gestavi manu, cum offerrem sacrificium, ut fides tua in mea voce loqueretur; ut apices Augusti sacerdotalis oblationis munere fungerentur.* Deinde ipsum enixe obtestatur, ut iis qui Eugenianas partes secuti erant, ignosceret; maxime vero si non alterius criminis admisso tenerentur. Huic epistolæ adjecta est secunda, et mox tertia: sed illam iniquitas D temporum intercepit; hæc vero qua venia illis postulatur, qui ad Ecclesiarum asylum confugerant, ad nostram ætatem conservata est. Quin etiam pius Antistes his non contentus, Aquilejam, ut asserit Paulinus, ipsemet adivit imperatorem, a quo quidquid petiit, consecutus est. Hujus principis clementiam in hostes victos certatim laudant Paulinus, Augustinus, Orosius, Claudianus, atque alii: sed adjunctum quoddam memorat Ambrosius, neutiquam indignum quod referatur: *Quid quod* E *præclaram*, inquit, *adeptus victoriam, tamen quia hostes prostrati sunt, abstinuit a consortio sacramentorum, donec Domini circa se gratiam filiorum experiretur adventu!* Nobis porro non difficulter quis persuaserit eumdem Ambrosium, qui Theodosio tam fervens hortator fuerat ad clementiam, auctorem insuper ob effusum sanguinem ei fuisse ad hanc cœlestis sacramenti abstinentiam.

Epist. 61.

Epist. 62.

In Vita Ambr., n. 1.

De Obit. Theod., n. 34.

137. Redux Mediolani sanctus episcopus, Enarrationes suas in psalmos XXXV, XXXVI, XXXVII, F XXXVIII, XXXIX et XL, de suggestu pronuntiavit. In illis enim cum Theodosianæ ex Eugenio victoriæ fiat mentio, ipsas aut sub finem præsentis anni, aut sub initium subsecuturi habitas esse non ambigimus.

Præf. ad Enarr. in psal.

Ann. 395.

138. Hoc anno ineunte Ambrosius noster acerbissimo dolore confectus est, cum Theodosius, quem non modo tamquam Ecclesiæ imperiique columen semper aspexerat, sed etiam quem sui amantissimum numquam non senserat, vita decessit. De G illius obitu sic Paulinus loquitur: *Nec diu,* inquit, *susceptis filiis in Ecclesia, et traditis Sacerdoti, in hac luce fuit.* Ambrosius vero illum principem ad mortem usque amoris a se testimonia exhibuisse aperte significat his paucis verbis: *Dilexi*

Vit. Amb., n 32

[1] Etiam Tillemontius admittit hanc epistolam scriptam fuisse quo tempore Eugenius in Italia morabatur. Sanctus iste Severus, qui vocatur quoque Campaniæ episcopus, usque ad annum circiter 410 vitam produxit.

virum, inquit, *qui me in supremis suis ultimo spiritu requirebat.* Obiit autem, ut vulgo volunt, XVIII kalendas Februarias. Elapsis autem ab illa morte diebus quadraginta, Honorius Cæsar, qui ex Oriente ad patrem extremo suo morbo laborantem venerat, priusquam ejus corpus Constantinopolim ad sepulcra decessorum imperatorum transferret, illud funebri pompa in Ecclesia Mediolanensi curavit honorari. Præsens fuit idem ille princeps his cæremoniis; et ipso audiente, cum regium corpus ante altare esset collocatum, nobili simul et christiana oratione Theodosii virtutes laudavit Ambrosius. Quo in epicedio cum victorias ab eo principe salutiferæ crucis beneficio partas celebraret, in ejusdem inventionem late digressus est. Ad postremum vero mentem Honorii mœrore non levi propterea dejectam, quod sibi funus patrium Constantinopolim usque prosequi per imperii necessitates minime liceret, solatio demulcere in ipsa peroratione conatus est.

De Obit. Theod., n. 35. — *Ibid.*, n. 3. — *Ibid.*, 43 et seq. — *Ibid.*, n 55, 56

139. Theodosii mortem apud Paulinum continuo excipit sacrorum lipsanorum Nazarii ac Celsi Martyrum revelatio beato Antistiti divinitus afflata, et eorumdem in basilicam Apostolorum ab ipso celebrata translatio.[1] Idem scriptor memorat energumenum ab eodem sancto inter concionandum a dæmone liberatum fuisse; et mox subjungit quonam indicio sanctas reliquias pio Præsuli revelatas esse intelligeretur, his verbis loquens: *Sed hoc erat signum et revelati martyris, si sanctus Sacerdos ad locum, ad quem numquam antea fuerat, oratum isset.* Sanctorum autem istorum corporum partem non modicam Ambrosium dono misisse ad sanctum Paulinum Nolæ tunc presbyterum, ex hujus ipsius carmine cognoscimus, ubi dicitur:

Paulin. *in Vita Ambr.*, n 32 et seq. — 1 — *Ibid.*, n. 33

Hic et Nazarius Martyr, quem munere fido
Nobilis Ambrosii substrata mente recepi, etc.
(*S. Paul., Poem. 24, de Nat. S. Fel., 9*).

Sed et his reliquiis alias quoque SS. Protasii ac Gervasii additas fuisse idem Paulinus indicat, ad Severum scribens, cujus locus consuli potest.

Epist 32

140. Huic etiam tempori, aut saltem non remoto attribui debent sermones ii, quos redactos in libri formam sub titulo libri *de Nabuthe Jesraelita* hodieque volvere licet. Illos sermones dedita opera habendos sibi proposuit, tum ut crudelem divitum sui temporis castigaret avaritiam, tum ut pauperes in tolerandis suis miseriis sublevaret ac solaretur. Quantum inopum afficeretur incommodis et calamitatibus, abunde ex Paulino cognoscitur: neque ullus profecto dubitandi locus est, quin locupletum hominum inhumanitas, quæ post decessum Theodosii crevit in immensum, eas querelas ex ipsius ore coegerit erumpere, quas intra pectus jam continere non potis erat.

Præfat. ad hunc lib. — Paulin. *in Vita Ambr.*, n. 40.

Ann. 396.

141. Hoc anno sub consulatu novorum imperatorum Arcadii atque Honorii exemplum Paulinus narrat editum esse, quo Deus ipse manifestavit, quam inviolatum Ecclesiarum asylum esse oporteat. Nam Cresconio quodam a militibus ex ecclesia per vim erepto, cum injuriam locorum sacrorum prostratus ad altare lugeret Ambrosius, reversos in Circum illos milites leopardi laniaverunt. Eo ipso loco idem Paulinus, post amicam illam correptionem, qua Theodolum Mutinensis Ecclesiæ postea episcopum proximi lapsus commonefecit sanctus hic noster, subnectit reginæ Marcomannorum ad Ambrosium legationem. Illa regina, sicut perhibet citatus auctor, vocabatur Fritigil, quæ famam Ambrosii cum audivisset, *missis Mediolanum muneribus ad Ecclesiam, per legatos postulavit, ut scriptis ipsius qualiter credere deberet, informaretur. Ad quam ille epistolam fecit præclaram in modum catechismi.* Dolemus interiisse hanc epistolam; quippe qua lecta, tanto desiderio videndi Ambrosii Fritigil exarserit, ut eam ob causam et ipsamet venerit Mediolanum; sed cum non nisi post obitum sancti Præsulis illuc pervenisset, tantum laboris incassum cessit.

In Vita Ambr. n. 35 — *Ibid.*, n. 37.

142. Limenius Vercellensium episcopus, et successor sancti Eusebii, circiter hoc tempus mortem oppetiit. In sufficiendo illi successore clerus ac populus illius urbis abiere in varias partes atque studia, et diutissime convenire inter se non valuerunt. Ambrosius ubi hoc rescivit, moleste tulit: cumque ad ipsum, utpote Metropolitanum, hujus dissidii correctio pertineret, eidem Ecclesiæ amplam juxta ac elegantem scripsit epistolam. In ea Vercellenses ad pacem ac mentium unitatem graviter hortatur, tum ad explicandas eas dotes atque virtutes, quæ in candidato ejusdem episcopatus debebant inesse, stylum convertens, ita loquitur: *Duo pariter*, inquit, *exigi videntur, monasterii continentia, et disciplina Ecclesiæ;* eo quod nempe hoc utrumque institutum a beato Eusebio in illa Ecclesia simul junctum erat. Postremo in Sarmationem et Barbatianum invehitur, monachos apostatas, de quibus jam dictum est; qui Vercellas venerant non tantum hæresis disseminandæ causa, verum etiam fovendæ dissensionis.

Epist 63. — *Ibid.*, n. 66. — *Ibid.*, n. 7.

143. Quid effecerit illa epistola, compertum non habemus: verum si fides tribuenda sit Actis Gaudentii Novariensis, ipsimet Ambrosio proficiscendum fuit in illam urbem, ut dissidentes animos ad concordiam revocaret.

144. Hic annus felicem vitæ Ambrosianæ coronidem imposuit; quandoquidem intra illius cursum sanctus Episcopus tam egregiarum virtutum, quibus in Ecclesia numquam non præluxerat, totque laborum, periculorumque gravissimorum, quæ pro Ecclesia sustinuerat, a Deo optimo, maximo uberem mercedem assecutus est. Paulinus, qui ultimorum actuum ejusdem sancti spectator fuit, satis singulatim illos recenset. In eisdem vero illud ostensum singulare est, quod Ambrosius cum Paulino ipsi psalmi XLIII enarrationem dictaret, ab eo visus est igneum orbem, qui prius Antistitis vertici superpositus apparuerat, sensim intra pectus per os hausisse: quod eum vehementiori divinæ caritatis ardere incendio significabat. Et sane in extremo illo vitæ spatio eruperunt majora quædam virtutum ejus testimonia; insignis nimirum modestiæ argumentum est, quod sacris litteris interpretandis imparem se esse profitebatur: nec minus divini zeli indicium, quod contra hæreticos et arianos imprimis ad ultimum spiritum pugnare numquam

Ann. 397.

[1] Rite ait Paulinus unum Nazarii corpus ad Apostolorum basilicam delatum esse; siquidem corpus beati Celsi in eodem horto relictum est, ubi repertum fuerat, unde et probabile est ibi statim aliquod sacellum exstructum esse, ubi pia veneratione coleretur. Hinc factum est ut basilica Apostolorum postea nomine S. Nazarii designari cœperit, uti modo quoque vulgo appellatur, et in illo horto, ubi S. Celsi sacræ exuviæ manserunt, nobilis postea ecclesia ejus nomini extructa fuerit.

intermisit: denique in hoc effulsit ipsius caritas in gregem suum, quod præparando ad ejusdem usum spiritali pabulo immortuus est.

145. Ambrosii vita meditatio mortis continua fuerat, et ipsum ante corporum Gervasii ac Protasii martyrum translationem de tumulo suo jam cogitasse illique locum designavisse, exploratum est. Atque adeo nullus mirabitur quod suprema instante ipsius hora candide suis ista dixerit: *Non ita inter vos vixi, ut pudeat me vivere; nec timeo mori, quia Dominum bonum habemus.* Quod quidem dictum magnorum virorum admirationem semper excitavit, et Augustini præ cæteris; de hoc enim Possidius sic testatus est: *Et in his,* inquit, *noster Augustinus senex elimata ac librata admirabatur et laudabat verba.* Causæ autem hujus admirationis apud eumdem Possidium videri possunt. Nec tamen alia quæ a Paulino quoque referuntur, de hoc postremo Ambrosii agone, minus admiranda sunt, quæ brevitatis ergo prætermittimus. Quare ut veniamus ad beatam mortem sancti Præsulis, in ipso articulo sanctus Honoratus episcopus Vercellensium, Limenii successor, divina voce ter admonitus, divinam eucharistiam ei ministravit: quam simul atque pie suscepit, ipsius anima in cœlestem patriam vinculis corporeis libera evolavit.

Epist. 22, n. 13.

Paulin. *in Vita Ambr.*, n. 45.

Poss. *in Vita August.*, c. 27.

146. Prosequitur autem idem Paulinus in eum modum: *Inde ad ecclesiam majorem antelucana hora qua defunctus est, corpus ipsius portatum est: ibique eadem fuit nocte, qua vigilamus in pascha.* Quibus verbis aperte ostenditur illum obitum sub extremam feriæ sextæ noctem evenisse, ac sanctum corpus toto sabbato et usque ad matutinas horas paschatis mansisse in eadem majore basilica: unde colligitur, cum illo anno memoratum festum in nonas aprilis mensis inciderit, pridie nonas diem obiisse sanctum episcopum, quod martyrologiorum omnium consensu etiam confirmatur.

Paulin. *in Vita Ambr.*, n. 48.

147. Non ignoramus Ambrosianam mortem nonnisi subsequenti anno in Marcellini chronico renuntiari. Sed non ita exactum est illud chronicon, ut non multa eidem anno sæpe ascribat, quæ sunt diversorum; et e contrario multa diversis, quæ sunt ejusdem. Qui vero hanc sequuntur chronologiam, cum eumdem obitum in xv kal. Majas referendum cogantur defendere, neque idoneis rationibus ad hoc nitantur; martyrologiorum et Ecclesiarum Mediolanensis atque Romanæ magis deferendum auctoritati existimamus.

148. Pretiosum igitur sancti Viri decessum die et anno, quos jam eidem assignavimus, constanter ponimus; et hoc aptissime convenit cum Paulini testimonio, diserte asserentis, beatum Antistitem Theodosio *fere triennium* superstitem fuisse, id est, non totum triennium. Si enim anno tantum 398, xv kal. Majas, vita functus est, ultra dictum spatium Theodosio supervixisse dicendus erit; cum idem imperator, ut ostendimus, mense januario anni 395 abierit ad plures. Accedit eo concilium Carthaginense hoc ipso anno mense Septembri habitum, a quo successor Ambrosii Simplicianus, quasi ejus throno jam impositus, per epistolam consultus fuit: qui enim putant Simplicianum tamquam virum in argumento quod agebatur, pereruditum, vivente Ambrosio, consultum esse, nec satis honorifice de Ambrosio illi sentiunt, et disciplinam eorum temporum sibi esse probant minus cognitam.

Paulin. *in Vita Ambr.*, n. 32.

Conc. Carth., an. 397.

149. Hic omittemus illa miracula, quæ sancti obitum consecuta sunt; quippe quæ legere liceat apud Paulinum. Tametsi autem præcipue nobis consilium fuerit Ambrosii commentationum ordinem ac seriem breviter contexere, ut inde lectores ad earum studium adjuvarentur; ita tamen ipsius scriptis facta quoque ac virtutes ejusdem connexæ sunt, ut illa junctim ubique proponere necessum habuerimus. Passim namque tibi occurrunt aut celsitudo illa animi terroribus ac periculis pro Christi et Ecclesiæ causa cedere nescii; aut rursus modestia hominis nihil sibi usquam attribuentis: modo indefessa pascendi gregis sollicitudo; modo vigiles contra dolos hæreticorum excubiæ ac labores: alibi summa benignitas erga pauperes atque captivos; ubique demum adversus Deum resque divinas singularis plane pietas; quas quidem virtutes christianis omnibus, maxime vero sacerdotibus imitationi esse convenit, et nos optamus.

In Vita Ambr., n. 48 et seq.

DE CORPORUM SANCTI AMBROSII

AC SANCTORUM MARTYRUM PROTASII ET GERVASII

ANTIQUA CUSTODIA AC RECENTI INVENTIONE ET ELEVATIONE.

Quomodo beatus Ambrosius corpora antiquiorum martyrum Protasii et Gervasii veluti obliterata divino nutu invenerit, exhumaverit et nobilius sub altari, et quidem in cornu evangelii, in ea ecclesia, quam ipse ædificaverat, et ideo semper ambrosiana appellata, recondiderit, sibi ad sinistrum eorum latus sepulturam reservans, manifestum est ex ejus epistola XXII, nempe ad sororem Marcellinam, ubi et sermones exhibentur ea occasione ab ipso ad populum habiti. In iis quidem sepulcris, albis marmoreis lapidibus extructis, perstiterunt hæc corpora, uti constat e pluribus illorum temporum testimoniis, usque ad sæculum nonum, quo archiepiscopus Angilbertus II, præ vividiori sua erga sacra illa pignora devotione, ipsamet e suis sepulcris educta in magna porphyretica arca simul composuit, quam supra eadem sepulcra transversaliter collocavit, in directione longitudinali majoris altaris, quod dein supra ipsam erexit porphyreticam arcam. Constat æque ex aliis documentis, per plura sæcula hujus sacrorum corporum elevationis memoriam fuisse asservatam, donec recentiori ævo id tantum apud omnes mediolanenses pro certo habebatur, sacras Ambrosii, Protasii ac Gervasii exuvias sub ara majori Ambrosianæ basilicæ delitescere; reliqua vero rei adjuncta ex omnium memoria exciderant. Sed cum Mediolanum adveniente, anno 1857, imperatore Francisco Josepho, non mediocris pecuniæ vis e publico ærario fuerit assignata in ejus basilicæ instaurationem quotannis eroganda, et italicum gubernium, quod cæsareo successit, idem onus susceperit adimplendum, occasio se prodiit communi voto obsequendi, nempe operam dandi investigationi corporum illorum, et ideo defodiendæ illi hypogei portioni, quæ responderet majori altari in superiori ecclesia existenti. Igitur dum basilicæ instaurandæ jam a nonnullis annis insisteretur, anno 1864, ad dimidium Januarii, muro quodam lateritio sub majori altari everso, duo marmorea sepulcra reapse apparuerunt, quibus in anteriori fronte apertis, nil aliud in iis inventum præter nonnulla minuta ossium fragmenta, paucos dentes, quædam priorum christiani ævi sæculorum numismata ac veluti terreum sedimentum et serica
A vel aurea filamenta. Spectare etiam licuit superius in transversum positam porphyreticam arcam, sed ejus operimentum tollere non licuit, eo quod ei incumberet et ampla mormorea tabula et alia item porphyretica, atque hæc ipsa majus ecclesiæ altare sustentaret. Ideo usque ad mensem Augustum anni 1871 ab introspiciendo in eam supersedendum fuit, quo omnibus expletis operibus ad majorem adhuc illius altaris elationem obtinendam, tandem deventum est ad porphyreticæ urnæ aperitionem;
B tunc autem maximo, ea perquam solemni occasione omnium adstantium gaudio, tria illa sancta corpora, licet aqua demersa, in eadem reperta sunt.[1]

Quum vero jam a priori prædictorum sepulcrorum detectione, anno 1864, omnia juxta instructiones a sancta Sede transmissas pro bene ominato eventu, quo ipsa Sanctorum corpora in superiori arca reperirentur, ab archiepiscopali Curia mediolanensi peracta sint ad eorumdem corporum identitatem juridice recognoscendam atque probandam, ac post
C inventionem pro votis feliciter consecutam Ambrosianæ basilicæ hypogeum ad majorem amplitudinem redactum fuerit, quo sacra illa pignora inibi ad christifidelium venerationem reponi possent; trium Sanctorum ossa præcipue solerti opera nunc Excellentissimi ac Reverendissimi Papiensis Episcopi Augustini Riboldi, tunc adhuc in philosophico archiepiscopali mediolanensis diœcesis seminario physicarum disciplinarum professoris, ita distincta ac recomposita sunt, ut uniuscujusque
D sceleta, pretiosis indumentis propriæ singulorum conditioni respondentibus operta et multis gemmis ornata, cleri ac civium munificentia dono datis, in nobiliorem arcam condi potuerint, pariter præstantissimi mediolanensis Archiepiscopi Aloysii e Comitibus a Calabiana sumptibus comparatam, ubi et per crystallos ad majorem pietatem fovendam ea conspicere licet. Dedit autem primo ipse prælaudatus modernus mediolanensis Archiepiscopus, die 23 Aprilis anno 1873, decretum quo solemniter
E declaravit tria corpora, eo ipso adstante reperta in arca porphyretica die 8 Augusti 1871 sub altari maximo basilicæ Ambrosianæ mediolanensis, *esse vere et proprie* Ss. Ambrosii, Protasii et Gervasii, etc. Deinde ipse summus pontifex sanctæ memoriæ Pius IX hoc decretum amplissima apostolica Constitutione firmavit, die VII idus Decembris ejusdem anni, nempe ipso die festo Ordinationis sancti Doctoris ac Mediolanensis diœcesis Patroni; quam Constitutionem ob magnum sui mo-
F mentum hic integram subnectimus.

[1] Qui plura de his omnibus desiderat, adeat opus clariss. Aloysii Biraghi: *I tre Sepolcri Sant'Ambrosiani*, Mediolani e typographia Boniardi-Pogliani, anno 1864; *Cronaca dei Ristauri e delle Scoperte fatte nell'insigne Basilica di S. Ambrogio*, etc., *dalle lettere di Mons. Francesco Maria Rossi*, etc. e typographia S. Joseph, Mediolani, 1884; denique *Acta apud Sanctam Sedem super judicio de identitate sacrorum corporum Ambrosii episc. doct. Mediolanensis Antistitis et inclitorum Christi martyrum Gervasii et Protasii*, etc. Romæ, ex typographia polyglotta, 1873.

PIUS EPISCOPUS
SERVUS SERVORUM DEI
AD PERPETUAM REI MEMORIAM.

§ 1. Qui attingit a fine usque ad finem fortiter, ac disponit omnia suaviter Deus Omnipotens Sacrosanctæ Ecclesiæ Immaculatæ Sponsæ Unigeniti Filii sanguine acquisitæ, et in Apostolicæ Confessionis petra solidatæ, ita jugiter contra invalescentem sæculi nequitiam ac tenebrarum potestates in Sanctis suis firmamentum constituit ac munimen, ut qui jam viventes in carne eam sua passione illustraverant, doctrina exemplisque excoluerant, in cœlesti deinde patria recepti adhuc suis gloriosissimis decorarent trophæis ac perpetuo tuerentur patrocinio. Pientissimum hoc divinæ bonitatis consilium tum maxime innotuit, cum obortis in Christianum populum universamque Catholicam Ecclesiam vehementissimis tempestatibus, plura Sanctorum Corpora, quæ diu latuerant, in lucem denuo prodiere, ut eo adspectu ad sua sectanda vestigia opemque implorandam dejectos erigerent animos, ac proxime secuturum de humani generis hoste prænuntiarent triumphum. Id præteritis evenisse temporibus, acta inventionis Corporum plurimorum Sanctorum in Christo quiescentium evidenter ostendunt; idipsum ætate hac nostra, qua abundante delicto, refriguit charitas multorum, repertis sacrosanctis Exuviis Ambrosii Mediolanensis Episcopi et Ecclesiæ Doctoris, neque non Beatorum Martyrum Gervasii et Protasii, futurum sane confidimus.

§ 2. Et hi quidem invicti Fidei Pugiles sub Nerone in prima Ethnicorum adversus Christianos persecutione, fuso glorioso pro Christo sanguine, martyrii palmam adepti sunt; quorum deinde Corpora cum diu in Basilica SS. Felicis ac Naboris Mediolani delituissent, a Sancto Ambrosio, Dei admonitu, reperta, in Basilicam ab Eo extructam translata fuere, ibique honorifice sepulta. Cum autem anno Christi CCCLXXXXVII ipse Ambrosius mortale hoc exilium cum perpetua æternitate commutasset, ad sanctorum eorumdem Corpora in hypogæo præfatæ Basilicæ, prouti de se vivens disposuerat, conditus est. Hoc vero sepulchrum Deus reddidit gloriosum, tum frequenti populorum concursu, tum plurimis Sanctorum intercessione patratis miraculis. Ac licet non semel Urbs Mediolanensis barbarorum incursionibus ac direptionibus obnoxia fuerit, attamen sacra eadem Pignora inviolata semper ipso in loco, ubi primum in ea Basilica fuerant condita, permansere. Quibus omnibus permotus Angilbertus Mediolanensis Ecclesiæ Antistes anno reparatæ saluti DCCCXXXV Ambrosii ac Sanctorum Fratrum corpora e primo Conditorio sublata, in insignem porphyreticam arcam transtulit, quam desuper pretiosissimum ac miri operis altare extruxit. Ex tunc in Ambrosiana quidem Basilica, ceu explorato dormitionis loco, ea Sacra Pignora, totius Orbis veneratione coli nunquam cessarunt, sed ea palam intueri, illoque adspectu veluti ad certandum bonum certamen fidei roborari hucusque nemini datum fuerat.

§ 3. Providens tamen Deus, qui suis novit medicinam aptare temporibus, auspicatissimum ejusmodi eventum ætati nostræ reservaverat, qua Ambrosii præclara monita, ac Martyrum exempla ad informandos fidelium animos spiritu intelligentiæ ac fortitudinis, sunt quam maxime necessaria. Cum itaque anno MDCCCLXIV ad Ambrosianam Basilicam a fundamentis instaurandam manus fuisset apposita, subfosso pavimento, disiectoque vetusto lateritio, quod Confessionis hypogæum circumambiebat, primum duo sepulchra detecta sunt, mox porphyretica arca quæ illis in transversum insistebat. Hisce autem reseratis sepulchris, aliqua Sacrorum Corporum lypsana reperta sunt, una cum numismatibus, epocham præseferentibus illorum depositionis, sæculo quarto, atque eorumdem recognitionis ineunte sæculo VI factæ a Sancto Laurentio Archiepiscopo Mediolanensi. Vix hac de re, non sine animi lætitia, nuncium accepimus, pro ea quæ Nobis incumbit omnium Ecclesiarum sollicitudine, per speciales Sacræ Rituum Congregationis Litteras datas Romæ die XVIII mensis Februarii suprænunciati anni ad bo. me. dilectum Fratrem Episcopum Famaugustanum, qui, licet Mediolanensis Sedes suo tunc Archiepiscopo non careret, Vicarii Capitularis et Ordinarii partibus adhuc fungebatur, significavimus Voluntatem Nostram, ut acta singula in recognitione peragenda Sacrorum Corporum conformarentur instructioni de Mandato Nostro a dilecto Filio Petro Minetti S. Fidei Promotore opportune digestæ: ac præterea ut in repositione et collocatione earumdem Sacrarum Exuviarum declararet illas sub immediata protectione S. Sedis ita custodiendas esse ut urnam aperire et Reliquias distribuere nullatenus liceat, nisi impetrata a Nobis vel Nostris Successoribus opportuna venia.

§ 4. Verum cum deinceps ad annum usque MDCCCLXXI nihil præterea de SS. Corporibus actum fuisset, die tandem VIII Augusti, coram dilecto Fratre Nostro Aloysio Archiepiscopo Mediolanensi, ejusque Curia, ac frequente ex omnibus civium ordinibus concursu, arca illa porphyretica demum detecta fuit, ibique tria Sacra Corpora reperta aquis penitus demersa. Inde vero die XI ejusdem mensis et anni educta, a peritis anatomicis in compagem suam restituta fuere, ac singula singulis corporibus ossium fragmenta coaptata. Nedum autem periti viri ossa ex arca educta cum reliquiis eorumdem e sepulchris eruta comparantes, exinde certissimum identitatis momentum eruere, verum etiam, ex peculiaribus notis, quas veneranda majorum traditio Ambrosio ac Sanctis Martyribus tribuerat, ejus corpus ab aliis tuto secernere valuere. Tum denique, cum acta omnia exquisita solertia expleta essent, et jam nihil addi posse censeretur ad certitudinem assequendam quæ in hisce rebus postulatur, accedente eruditissimorum virorum suffragio, prædictus Frater Noster Mediolanensis Archiepiscopus solemniter edixit die XXIII Aprilis vertentis anni « *Tria corpora, Nobis adstantibus, reperta in arca porphyretica die VIII Augusti MDCCCLXXI sub Altari Maximo Basilicæ Ambrosianæ hujus Urbis, esse vere et proprie SS. Ambrosii, Protasii et Gervasii; scilicet illud minoris altitudinis S. Ambrosii Episcopi Mediolanensis Ecclesiæ Doctoris, alia vero proceræ staturæ et florentis ætatis SS. Martyrum Gervasii et Protasii ab ipso Ambrosio in sepulchro condita.* »

§ 5. Quibus omnibus uti supra rite absolutis, idem Frater Noster Archiepiscopus Mediolanensis acta Judicialis Inquisitionis ab anno MDCCCLXIV

iterato ac tertio institutæ ad Nos transmittenda curavit; hisce supplices Litteras adiecit, præclarissimis Ambrosii sententiis intextas de Primatu Cathedræ Petri, ejusque inerrantiæ prærogativa, quibus humillime exorabat, ut sententiæ ab se latæ robur Apostolicæ Nostræ Auctoritatis adjicere dignaremur. Nos itaque ejusmodi preces benigne excipientes, quamvis de veritate editæ Sententiæ haud ambigi posse censeremus, nihilominus, ut obstruatur os loquentium iniqua, qui Catholicam Ecclesiam, non solum propter cultum Sacrarum Exuviarum, quæ olim viva Christi membra fuere, ac templa S. Spiritus, ab eodem iterum ad vitam suscitanda et glorificanda, verum etiam propter falsas, ceu blaterant, Sanctorum Reliquias fidelium venerationi propositas, impietatis et superstitionis insimulare non verentur, eam diligentiam in casu adhibendam esse voluimus, qua in rebus tanti momenti semper Apostolica Sedes procedere consuevit. Quare nonnullorum Fratrum Nostrorum S. R. E. Cardinalium Sacris tuendis Ritibus præpositorum, et quorumdam ejusdem S. Congregationis Præsulum Officialium peculiari Cœtui a Nobis delecto, totius negocii examen commisimus.

§ 6. Quæ quidem peculiaris Congregatio mature perpendens jugem et constantem traditionem authenticis uberrimisque documentis consignatam, Imperatorum ac Regum diplomata, acta Episcopalium Visitationum, vetustissima Calendaria ac Martyrologia, numismata in sepulchris reperta, ipsam denique urnæ ac circumstantis lateritii operis structuram, sane intellexit nullum cieri posse dubium quoad Sacrorum Corporum identitatem. Probationi cumulum imposuit accurata ab anatomiæ peritis ossium aliorumque in arca et sepulchris repertorum instituta analysis. Cum itaque ex hisce omnibus, præsertim simul sumptis, peculiaris eadem Congregatio eam exurgere probationem censuisset, qua amplior in hisce negociis desiderari vix posset, die XXIV Julii vertentis anni ad Nostras Vaticanas Ædes coadunata, omnibus ad Sanctuarii lancem libratis atque perpensis, ita rescripsit: *Sententiam Archiepiscopi Mediolanensis esse confirmandam si SS.mo placuerit: et Corpus S. Ambrosii, nec non Corpora SS. Martyrum Protasii et Gervasii, quibus hactenus S. Doctoris exuviæ, ex ipsa ejus voluntate, conjunctæ fuerunt, unita semper in futurum maneant, sub immediata S. Sedis protectione, ita ut nemo audeat adsportare aut distribuere quamlibet eorum particulam, sub pœna excommunicationis latæ Sententiæ Summo Pontifici reservatæ; supplicandum autem eidem SS.mo censuit, ut de hoc confirmationis judicio expediantur Litteræ Apostolicæ sub plumbo.* »

§ 7. Quæ cum accurate per dilectum Filium Dominicum Bartolini Secretarium ejusdem S. Congregationis Nobis relata fuissent, ingentes benignissimæ divinæ bonitati egimus gratias, quæ Nos in tantis angustiis ac periculis constitutos solari ac fovere dignata sit inventione Corporum Beatorum Martyrum Gervasii ac Protasii et præsertim tanti Ecclesiæ Doctoris, cujus illa aurea ac plena spei sententia est: *Non turbatur illa navis in qua prudentia navigat, abest perfidia, Fides spirat. Quemadmodum enim turbari poterit cui præest is in quo Ecclesiæ firmamentum est?* Propterea libentissime præfatæ peculiaris Congregationis sententiam in omnibus probavimus ac ratam habuimus, ceu patet ex Decreto eadem die edito.

§ 8. Volentes itaque ea quæ per idem Decretum jam constituta sunt solemniori Apostolicæ Auctoritatis documento novoque Nostræ confirmationis patrocinio communire, ut devotio erga S. Ambrosium Doctorem et fortissimos Christi Martyres in dies inflammetur, Prædecessorum Nostrorum vestigiis inhærentes ac præsertim fel. rec. Benedicti XIII, qui sententiam super identitate Corporis S. Augustini Episcopi Hipponensis et Ecclesiæ Doctoris, quem ipse Ambrosius Christo peperit, latam a Papiensi Episcopo per Apostolicas Litteras datas sub plumbo Decimo Kalendas Octobris anni MDCCXXVIII solemniter approbavit; Nos quoque judicium Archiepiscopi Mediolanensis quoad identitatem Sacrorum Corporum Ambrosii Episcopi et Ecclesiæ Doctoris, ac Sanctorum Martyrum Gervasii et Protasii, ex certa scientia, atque etiam motu proprio, Apostolica Auctoritate undequaque approbamus et confirmamus et perpetuis futuris temporibus firmum semper et validum esse et fore decernimus. Præterea mandamus, ut sacra hæc Corpora unita semper maneant, ceu hactenus fuerunt, eaque sub immediata Sedis Apostolicæ protectione recipimus; adeo ut absque ejusdem venia nemini liceat, postquam peracta fuerit solemnis illorum repositio, ea denuo reserare, vel quamlibet sacratissimi ejus depositi partem umquam auferre, adsportare, aut distrahere, sub pœna excommunicationis latæ sententiæ, cujus absolutionem Nobis ac Nostris Successoribus omnino reservamus.

§ 9. Ut autem auspicatissimum ejusmodi eventum ampliori devotione et gratia Christifideles celebrent. atque eo validiore apud Deum patrocinio pro Ecclesia, pro universa Christiana Republica S. Ambrosius atque inclyti Martyres intercessores existant, quo ferventiore obsequio eos contigerit honorari; omnibus et singulis Christifidelibus, qui vere pœnitentes, die eorumdem Sacrorum Corporum solemnis repositionis, vel alia per locorum Ordinarios indicenda, confessi et Sacro Christi Corpore refecti in Metropolitana sive Ambrosiana Mediolanensi Basilica, vel ubilibet locorum in templis Ambrosii nomine Deo dicatis,[1] pro instantibus Ecclesiæ necessitatibus ejusque exaltatione, Sanctorum Ambrosii ac Martyrum Gervasii ac Protasii suppetiis imploratis, pias apud Deum preces effuderint, Plenariam omnium peccatorum indulgentiam ac remissionem quæ per modum suffragii etiam animabus piacularibus flammis detentis applicari possint benigne in Domino tenore præsentium concedimus.

§ 10. Quocirca committimus et mandamus universis et singulis Venerabilibus Fratribus Nostris Patriarchis, Archiepiscopis, Episcopi, cæterisque Ecclesiarum Prælatis, ut præsentes Litteras in suis quilibet Provinciis, Civitatibus et locis solemniter publicari curent, ea meliori ratione quam expedire censuerint.

[1] In locis ubi nulla extat Ecclesia vel saltem aliquod Altare sub titulo enunciati Sancti Doctoris eadem visitatio fieri debet in Ecclesia per Ordinarium Diœcesanum designanda. (Ex S. Rituum Congregatione).

Ipsas quoque Litteras et quæcumque in eis contenta nullo umquam tempore de subreptionis vel obreptionis seu nullitatis aut invaliditatis vitio seu Intentionis Nostræ vel alio quovis defectu notari, impugnari, sed semper et perpetuo validas et efficaces esse et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere; sicque ab omnibus cujuscumque gradus, ordinis, præeminentiæ et dignitatis censeri volumus; mandantes ut earundem præsentium Transumptis etiam impressis, manu tamen alicujus publici Notarii subscriptis, et sigillo Personæ in Ecclesiastica Dignitate constitutæ munitis, eadem prorsus fides adhibeatur, quæ ipsis præsentibus adhiberetur si forent exhibitæ vel ostensæ.

Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam Nostræ approbationis, ratificationis, confirmationis, Decreti, Mandati, receptionis, reservationis, concessionis, relaxationis, commissionis et voluntatis infringere vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem Omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri et Pauli Apostolorum ejus se noverit incursurum.

Datum Romæ apud S. Petrum Anno Incarnationis Dominicæ Millesimo Octingentesimo Septuagesimo tertio — VII Idus Decembris. —

Pontificatus Nostri Anno Vicesimo octavo.

Ideo proprium officium et missa, pontificia auctoritate approbata pro universa mediolanensi diœcesi in die *Elevationis* Corporum Ss. Ambrosii, Protasii et Gervasii, nempe 14 Maji, constituta sunt, et ad mensis ejusdem dimidium anni 1874, qui quintus supra decimum sæcularis erat ab Ambrosii in episcopum electione, integro triduo in metropolitano templo maxime solemni pompa Sanctorum exuviæ publicæ venerationi expositæ extiterunt, et plurium e tota Italia episcoporum præsentia pontificalia officia condecorata sunt, affluente etiam undequaque innumera populi frequentia. Id vero bonis omnibus maxime dolendum fuit, quod per temporum iniquitatem, nocturnis horis ea sacratissima Corpora a basilica Ambrosiana ad me-
A tropoliticum templum veluti clanculum deferri debuerint, et illo triduo expleto iterum e maxima ecclesia ad Ambrosianam eodem modo et per nocturnas tenebras reportari. Fuit tamen in utraque nocte ingens devotorum copia quæ precationibus et cereis accensis insignium Patroni ac Protectorum totius diœcesis exuvias in illo veluti furtivo itinere comitata est, adversantium in eos injurias suis ferventioribus obsequiis resarcitura; ipsumque pientissimum Archiepiscopum minime eru-
B buit in regressu a metropolitana ad Ambrosianam ecclesiam socium se devoti populi aliorumque plurium e clero præbere. Vix autem prima diei lux albescere incipiebat cum hoc templum frequentissima illa populi turma, devotissimis precibus vacans, sancta Pignora sequens ingrediebatur; et ipse tunc Ambrosii Successor ibi fere cum lacrymis sacrum faciens, populo ex intimo corde gratias egit, qui fidei pietatisque suæ eximium dederat testimonium.

Sed finem tum non habuerunt solemnia quæ ob
C faustam felicemque sanctorum istorum Corporum inventionem celebrata sunt. Siquidem et reliquis Octavæ diebus exposita in ipsa basilica manserunt, permagna semper populi copia affluente, nec ritibus etiam pontificalibus deficientibus; ac per integrum et amplius mensem illuc ex universa diœcesi clero et populo processionaliter quotidie conveniente ad missas solemniter celebrandas et sacras exuvias in hypogeo venerandas. Id autem peculiari laudi tribuendum earum societatum quæ
D ipsa in urbe constitutæ jam erant ad fidei et morum integritatem tuendam, quod decori et ordini asservando tam in metropolitica quam in Ambrosiana ecclesia omnibus illis solemnioribus diebus assiduam ac perutilem operam exhibuerunt.

Utinam mediolanenses, nec ii tantum, sed et omnes catholicæ Ecclesiæ filii dignas semper Deo gratias referant pro insigni munere quod in tanti Episcopi et Doctoris, atque in tam illustrium Martyrum Corporum inventione exceperunt, ac per
E istorum intercessionem omnes ipsorum virtutes sedulo imitantes digni efficiantur qui demum cum illis ad cœlestes sedes recipiantur.

INDEX GENERALIS
HUJUS SEXTI TOMI

Præfatio *ad hunc postremum operum D. Ambrosii tomum* . . . Pag. VII
De Græcorum Hymnologia IN SANCTUM AMBROSIUM EPISCOPUM.
Epistola Josephi Cozza-Luzi *Monachi Basiliani* . . . . . » XV
IN HONOREM S. AMBROSII HYMNOLOGIA GRÆCORUM . . » XVII
Præfatio *ad libros quinque* De Excidio Urbis Hierosolymitanæ . . » 1
DE EXCIDIO URBIS HIEROSOLYMITANÆ *libri quinque* e J. Flavio
» » » *Prologus* . . . . . » 9
» » » *Liber primus* . . . » 11
» » » *Liber secundus* . . . » 83
» » » *Liber tertius* . . . . » 113
» » » *Liber quartus* . . . » 151
» » » *Liber quintus* . . . » 185
Historiæ de Excidio Hierosolymitanæ urbis ANACEPHALÆOSIS, *id est omnium pene quæ in superioribus dicta sunt libris* Recapitulatio . . . . . » 259
Concordantiæ S. Ambrosii et Josephi *de Excidio Urbis Hierosolymitanæ* » 273
Præfatio AD EXPLANATIONEM SYMBOLI *ad initiandos* . . . » 277
B. AMBROSII EPISC. MEDIOL. EXPLANATIO SYMBOLI AD INITIANDOS . . . . . » *ibid.*
Præfatio ad Exhortationem ad Neophytos *de symbolo* . . . . . » 285
INCIPIT EXHORTATIO SANCTI AMBROSII EPISCOPI ad Neophytos de Symbolo . . . . . » *ibid.*
Exorcismus. . . . . » 291
Præfatio ad tractatum de XLII mansionibus filiorum Israel . . . . » 293
DE XLII MANSIONIBUS FILIORUM ISRAEL Tractatus . . . » *ibid.*
Præfatio ad sequentem tractatum de Trinitate . . . . . » 321
DE TRINITATE alias IN SYMBOLUM APOSTOLORUM Tractatus » 323
Præfatio ad tractatum De Fide Orthodoxa . . . . . » 357
DE FIDE ORTHODOXA contra arianos *alias* De Filii Divinitate et Consubstantialitate *Tractatus*. . . . . » 259
Præfatio ad libellum de Dignitate Sacerdotali . . . . . » 375
DE DIGNITATE SACERDOTALI Libellus . . . . . » 377
Præfatio in libellum ad Virginem Devotam . . . . . » 387
AD VIRGINEM DEVOTAM Exhortatio . . . . . » *ibid.*
Præfatio ad sermones sub Ambrosii nomine evulgatos . . . . . » 391
Index sermonum prætermissorum . . . . . » 395
Index Sermonum *hujus editionis* . . . . . » 401
Sermones SANCTO AMBROSIO JAM ADSCRIPTI, *certisque auctoribus carentes* . . . . . » 411

Præfatio in epistolas ex ambrosianarum numero segregatas . . . . Pag. 531
Epistolæ EX AMBROSIANARUM NUMERO SEGREGATÆ . . . » 533
Epistola de Fide AD BEATUM HIERONYMUM PRÆSBYTERUM *(Ambrosianis accensenda)* . . . . . » 549
Præfatio ad Precationes sequentes. . . . . » 551
PRECATIONES VULGO AMBROSIO ATTRIBUTÆ . . . . . » 553
Præfatio ad expositionem super septem visiones libri Apocalypsis . . » 563
EXPOSITIO SUPER SEPTEM VISIONES LIBRI APOCALYPSIS » 565
Præfatio *in librum* De Pœnitentia . . . . . » 751
DE PŒNITENTIA *Liber unus.* . . . . . » *ibid.*
Præfatio *ad sequens libellum* De Spiritu Sancto . . . . . » 783
DE SPIRITU SANCTO *Libellus unus* . . . . . » *ibid.*
Præfatio ad sequentem opellam de concordia Matthæi et lucæ . . . » 789
DE CONCORDIA MATTHÆI ET LUCÆ in Genealogia Christi . . » *ibid.*
Præfatio *ad libellum* de dignitate conditionis humanæ. . . . . » 793
DE DIGNITATE CONDITIONIS HUMANÆ *Libellus* . . . . . » *ibid.*
Præfatio *ad* acta s. Sebastiani . . . . . » 797
ACTA S. SEBASTIANI MARTYRIS . . . . . » *ibid.*
Præfatio *ad opellam sequentem* De Moribus Brachmanorum . . . . » 831
DE MORIBUS BRACHMANORUM . . . . . » *ibid.*
Præfatio *ad libellum fidei* S. Ambrosii nomine inscriptum. . . . . » 845
LIBELLUS FIDEI S. AMBROSIO adscriptus . . . . . » *ibid.*
De Epistola cui titulus *De Pudicitia et Castitate* . . . . . » 849
Præfatio *ad opusculum* Altercatio S. Ambrosii *etc.* . . . . . » *ibid.*
ALTERCATIO SANCTI AMBROSII *contra eos qui animam non confitentur esse facturam, aut ex traduce esse dicunt* . . . . » 851
Præfatio ad Hymnos S. Ambrosio *vulgo adscriptos.* . . . . . » 853
HYMNI S. AMBROSIO VULGO ADSCRIPTI. . . . . » *ibid.*
De Cantico Te Deum Laudamus . . . . . » 885
VITA SANCTI AMBROSII *Mediolanensis episcopi* a Paulino ejus notario ad beatum Augustinum conscripta . . . . . » *ibid.*
VITA ET INSTITUTUM sancti patris nostri Ambrosii *mediolanensis episcopi cujusdam antiqui græci auctoris, græce et latine* . . » 905
VITA SANCTI AMBROSII *Mediolanensis episcopi* ex ejus potissimum scriptis collecta, *et secundum chronologiæ ordinem digesta* . . » 927
DE CORPORUM SANCTI AMBROSII ac sanctorum martyrum Protasii et Gervasii *antiqua custodia ac recenti Inventione et Elevatione* . . . . . » 973
CONSTITUTIO PII PAPÆ IX *de illorum Corporum identitate et cultu eis exhibendo* . . . . . » 975

FINIS SEXTI TOMI.

DATE DUE

GAYLORD PRINTED IN U.S.A.

GTU Library
2400 Ridge Road
Berkeley, CA 94709
For renewals call (510) 649-2500

All items are subject to recall.

[redacted]
G
3 2400 00166 4303